R. P. D. ANTONINI

DIANA

PANORMITANI,

CLERICI REGVLARIS,

CORAM SANCTISS. D. N.

INNOCENTIO X.

EPISCOPORVM EXAMINATORIS,

ET SANCTI OFFICII REGNI SICILIÆ

CONSVLTORIS,

RESOLVTIONVM MORALIVM

PARS QVINTA.

In qua ſelectiores caſus conſcientiæ breuiter, dilucidè, & vtplurimùm benignè ſub variis Tractatibus explicantur.

Additæ in extremo operis Declarationes ſacrarum Congregationum, Rotæq; Romanæ Deciſiones circa materiam immunitatis Eccleſiaſticæ.

ANTVERPIÆ,

Apud IOANNEM & IACOBVM MEVRSIOS.

ANNO M. DC. XLVIII.

EMINENTISSIMO
AC REVERENDISSIMO
D. COSMO
DE TORRES,
S.R.E. CARDINALI
AMPLISSIMO,
ANTONINVS DIANA
CLERICVS REGVLARIS, F.P.

PLVRA Moralium Reſolutionum volumina vbere inſitione hactenus conſcripſi, quæ, fauente Deo, propitiæ Famæ gremio, aliſque tranſuecta, vndecies vniuerſos Europæ tractus luſtrauêre. Jam nunc volumen alterum, ſecundis plauſibus illectum properat, priorumque ſperat Fortunam. At quoniam nouiſsimè exortos timet Boreæ inuidentis flatus, Auſpicium, ac Tutelam dextri Numinis inſtanter expoſcit. Cogitabam profectò cui ſua vota committerem. Cùm mox tui te coloribus depictum ac meriti altioris penicillo inumbratum, primo obtutu virtutum Senatus obtulit: ac gentilitium tuæ proſapiæ ſplendorem, ſacras faſces, florentes infulas, & (quod præcipuum eſt) ſummam tui prudentiam, pietatem, comitatem, cæteraſq; animi dotes, quin etiam humanitatem illam tuam, quâ me innumeris honoribus adfectum

ctum, fauoribus adflatum geminatis nodis deuinxisti, præ oculis meis obiecit. Quid vltrà optauerim? Tibi igitur, EMINENTISSIME PRINCEPS, tenuem hanc ingenioli mei partem, timidumque partum deuoueo, cui totum me ipsum debeo; vt quicquid suo Marte veretur, tuis adminiculis audeat. Si res absque delectu, calamus procliuior congesit, Tu COSME literarum ornamentum ex inordinato in ordinem reduces. Felicissimos characteres, qui tui Nominis vicinia, senium interitumque haud metuentis, cum illius perpetuitate ad posteros permanabunt. Circumeant infestis aculeis æmuli censores. Atramento ac fuligine nigricantia obrepant maleuolorum dicteria. Hæc Ostro, ac Purpura dispergam tua. Ad tuas ego TVRRES impauidus aduolo, in quas veluti in stationem me recipio; in tuo Luco & Fano, inque tuis Castris tutissimus quiesco. Vale, CARDINALIS AMPLISSIME, meque tuæ custodiæ commendatum excipe, ac tuêre. Panormi die 20. Decembris 1638.

LEC-

LECTORI MEO.

HABES hîc, Lector, quod vides, quintam Partem mearum lucubrationum moralium, quatuordecim Tractatibus comprehensam, quorum

I. *est*, De immunitate Ecclesiastica.
II. De potestate & priuilegiis S.R.E. Cardinalium.
III. De casibus occurrentibus tempore mortis.
IV. De homicidio, & restitutione propter ipsum.
V. De paruitate materiæ.
VI. De mutis, surdis, & cæcis.
VII. De scandalo.
VIII. De Eleemosyna.
IX. De excommunicatione.
X. De suspensione, & interdicto.
XI. De sigillo Confessionis.
XII. De Indulgentiis, & Iubilæo.
XIII. & XIV. *sunt* miscellanei. *omnes stylo & methodo, quibus priores, conscripti.*

Non autem, inquies, arrident omnia. Cedo: erit tamen, vt spero, à quo non planè abhorrescas. nam sicut in bona segete, vt Varro inquit, nullum non spicum malum inuenias; ita & in mala aliquod bonum.

In aliquibus Resolutionibus nonnulla desiderabantur, quæ sub finem libri posui, ea vel suis locis inserenda, vel, prout res feret, auferenda.

Declarationes etiam nonnullas sacrarum Congregationum, Rotæq; Romanæ Decisiones circa materiam immunitatis, cum Additionibus ad easdem Declarationes, in calce libri stitimus, ex quibus ceu fonte petas quæ in Tractatu de immunitate Ecclesiarum.

At, nescio quo fato, accidit, vt Resolutione XI. & XV. primi Tractatus idem bis traderem, etsi non eodem modo. quod fugiente Autographi atramento, Typographi medicinam fugit, te quoque fortasse, ni prærirem, prudentiæ fuerit, notare & agnoscere; comitatis & clementiæ, misereri & ignoscere.

Editionem quoque pollicitatione nostrâ, tuâque exspectatione seriùs emanatã dices. Non equidem inficior; sed, grassante tum improbâ peste Lugduni, aliter fieri, mecastor, non licuit. In quo finem faciam, vbi priùs dixero, quòd sat citò, si sat benè. *VALE.*

APPROBATIO.

EXaminata Parte quinta Reſolutionum Moralium R. P. D. ANTONINI DIANÆ, ex commiſſione admodum R.P.D.Philippi Mariæ Guadagnij, Præpoſiti Generalis Clericorum Regularium, in qua quatuordecim tractatus continentur, nempe, De immunitate Eccleſiaſtica, de poteſtate & priuilegiis S.R.E. Cardinalium, de caſibus occurrentibus tempore mortis, de homicidio, & reſtitutione propter ipſum, de paruitate materiæ circa omnia præcepta, de mutis, ſurdis, & cęcis, de ſcandalo, de Eleemoſyna, de excommunicatione, de ſuſpenſione, & interdicto, de ſigillo Confeſſionis, de Indulgentiis, & Iubilæo, & duo Miſcellanei, Nos infraſcripti teſtamur, nihil reperiſſe aut Catholicæ Fidei contrarium, aut bonis moribus noxium; & ideo typis mandari poſſe in publicam vtilitatem, certi omnium plauſu excipiendam, & Auctoris celebritatem aucturam. Datum Romę IV. Kalendas Aprilis 1638.

D. PAVLVS MARIA *Quartus, Clericus Regularis, S. Theologiæ Profeſſor.*

D. ZACHARIAS PASQVALIGVS, Clericus Regularis, S. Theologiæ Profeſſor.

Facultas admodum R. P. D. Philippi Mariæ Guadagnij, Congregationis Clericorum Regularium Præpoſiti Generalis.

HOc opus, cuius inſcriptio, Pars quinta Reſolutionum Moralium, &c. à R. P. D. ANTONINO DIANA compoſitum, & à noſtris Theologis, quibus id commiſimus, iuxta præfixam aſſertionem, recognitum, & approbatum, vt typis mandetur, quoad nos ſpectat, facultatem concedimus. In quorum fidem prę ſentes literas manu propria ſubſcriptas, & ſolito ſigillo munitas, damus Romæ apud ſanctum Syluestrum Montis Quirinalis, die prima Aprilis anno Domini 1638.

D. PHILIPPVS MARIA GVADAGNIVS, *Præpoſitus Generalis Cleric. Regular.*

D. FRANCISCVS BARILIVS Secretarius.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS Dei gratiâ Hiſpaniarum, Indiarum, &c. Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimus Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit, ne quis librum, cui titulus eſt, R. P. D. ANTONINI DIANA *Panormitani, Clerici Regularis, & Sancti Officij Regni Siciliæ Conſultoris* RESOLVTIONVM MORALIVM PARS QVINTA, neque etiam Partes ſequentes, citra IOANNIS MEVRSII voluntatem, vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impreſſum, in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecus faxit, confiſcatione librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in Litteris datis Bruxellæ XVII. Auguſti, M. DC. XLVII.

Signat

Loyens.

INDEX

Tractatuum, & Reſolutionum, quæ in hoc quinto Tomo continentur.

TRACTATVS I.

De immunitate Eccleſiaſtica.

RESOL. I. AN miniſtri curiæ Epiſcoporum gaudeant priuilegio fori in delictis extra officium commiſsis. pagina 1.

2. *An poſt Bullam Gregorij XIV. gaudeat quis immunitate Eccleſiarum, ſi committat aliquod delictum enorme non exceptuatum in dicta Bulla.* 3

3. *An ſtatutum, quòd infra tantum tempus Eccleſia teneatur vendere res ſibi relictas ſit validum.* 4

4. *An miniſtris laicalis iuriſdictionis liceat auferre Clericis arma prohibita.* 7

5. *An Epiſcopi, ſi non expelli à Regno, ſaltem tranſmitti poſsint ad Summum Pontificem pro animaduerſione.* ibid.

6. *An Clerici, ſi fraudem efficiant quoad pondera, & menſuras, vel quoad pretium rerum venalium, poſsint puniri in mulctis pecuniariis impoſitis à lege per iudicem laicum.* 8

7. *An Clericus poſsit conuenire laicum coram iudice Eccleſiaſtico pro rebus non ſolùm Eccleſiæ, ſed etiam pro fructibus.* 9

8. *An, ne laici conductores bonorum Eccleſiaſticorum poſsint conueniri coram iudice Eccleſiaſtico, licitum ſit concedere pragmaticam prohibentem laicis prorogationem iuriſdictionis alienæ.* 12

9. *An Epiſcopus ſtare debeat proceſſui facto à iudice laico, ſi reus remittendus ſit, vel ne.* 14

10. *An concubinatus ſit delictum mixti fori, ita vt ſi præueniatur, poſsit puniri à iudice laico.* 15

11. *De conditionibus quas requirit cap.* Non minùs, *& cap.* Aduerſus, *de immunitate Eccleſiarum; vt Clerici poſsint collectari in communibus vtilitatibus vel neceſsitatibus.* 16

12. *An ſit contra immunitatem Eccleſiaſticam recognoſcere, & detinere Bullas Pontificias in Regiis Cancellariis.* 18

13. *An ſit licitum iudicibus ſecularibus per viam violentiæ cognoſcere cauſas Eccleſiaſticas.* 20

14. *An concordata cum Pontifice poſsint poſtea reuocari à Principe laico.* 23

15. *An Clerici teneantur ſoluere gabellas, ſi Epiſcopus, & Clerus conſenſerunt, inconſulto Summo Pontifice.* ibid.

16. *An Principes laici poſsint ſtatuere impedimenta dirimentia matrimonium.* 24

17. *An Princeps laicus poſsit imponere pœnas, ne matrimonia inter conſanguineos contrahantur, & illas exigere, etiam impetrata à Pontifice diſpenſatione.* 25

18. *An nouitij D. Iacobi, Calatraua, Alcantaræ, & præſertim D. Ioannis, gaudeant priuilegio fori.* 26

19. *An Clerici dici poſsint, & ſint reuera vaſalli Principum ſecularium.* ibid.

20. *An ſi in aliqua terra Baronis vendantur comeſtibilia tantùm in eius taberna, vulgo dicta* Zagato, *poſsint adhuc Clerici aperire tabernas, & vendere vinum, niuem, & alia recollecta in eorum prædiis.* 27.

21. *An exemptio Clericorum, dato, & non conceſſo quòd non ſit ex Iure diuino, fuerit primariò de Iure ciuili, & ortum habuerit ab Imperatoribus? vbi etiam multa ſcitu digna inuenies.* ibid.

22. *An in aliquo caſu Clericus poſsit capi à miniſtro laico.* 31

23. *An iudex laicus poſsit cognoſcere de cauſa poſſeſſoria beneficij, ſi agatur inter duos Clericos, vel quando reus eſt Clericus.* 32

24. *An Epiſcopi poſsint exequi legata pia, etiam contra laicum tertium poſſeſſorem.* 33

25. *An familia laica Epiſcopi titularis, vel aliorum Prælatorum, habentium territorium, & iura Epiſcopalia cum poteſtate iuriſdictionis, vt eſt in Sicilia Archimanditra Meſſanenſis, gaudeat priuilegio fori.* 34.

26. *An Græcus, qui poſt contractum matrimonium, initiatus eſt minoribus Ordinibus, gaudeat priuilegio fori.* ibid.

27. *An Clerici teneantur ſoluere vectigal in extractione frumenti, vini, vel ſimilium, quæ ex bonis matrimonialibus collegerunt, vt alibi conducendo cariùs vendant.* 35

TRACTATVS II.

De poteſtate, & priuilegiis S. R. E. Cardinalium.

RESOL. I. AN dignitas Cardinalium ſit prima poſt Pontificatum? vbi plura de eorum præſtantia enumerantur. 37

2. *An Cardinalatus ſit Ordo, & Papa poſsit illum extinguere.* 41

3. *An Cardinales, qui Epiſcopi non ſunt, habeant ius præſentiæ & iudicij in Conciliis generalibus.* 42

4. *An Summus Pontifex poſsit arduа Eccleſiæ negotia ſine conſilio Cardinalium definire.* ibid.

5. *An Cardinales poſsint conferre primam tonſuram, & minores Ordines in ſuis titulis.* 43

6. *An Cardinales poſsint concedere indulgentias.* ibid.

7. *An Cardinales in Eccleſiis titularibus poſsint cognoſcere cauſas Clericorum, præſertim criminales.* 44

8. *An Cardinales Epiſcopi excuſentur à reſidentia, ſi Romæ Summo Pontifici aſsiſtant.* ibid.

9. An Cardinales mortuo Pontifice poßint leges condere, & alia iurisdictionalia facere. 45
10. An Cardinalis poßit eligere sibi Confessarium. ibid.
11. An electus ad Cardinalatum priora beneficia amittat. 46
12. An Cardinales poßint in suis titulis excommunicare, suspendere, interdicere, & vti Pontificiis insignibus. ibid.
13. An Cardinales habeant ius conferendi beneficia in suis Ecclesiis titularibus. 47
14. An Cardinales poßint recipere resignationes beneficiorum existentium in suis titulis. ibid.
15. An Cardinales poßint præsentari ad beneficia iurispatronatus. ibid.
16. An Cardinales comprehendantur in generali constitutione Pontificia imponente censuras, & pœnas. ibid.
17. An Cardinales comprehendantur in regulis Cancellariæ, quæ odiosæ sunt. 48
18. De qua natione assumendi sint Cardinales. ibid.
19. De qua ætate debeant esse Cardinales. ibid.
20. An Cardinales monasteria Monialium ingredi valeant. 49
21. Vtrùm Cardinales teneantur impedire nominatum à Pontifice pro Episcopo, si alium digniorem arbitrentur. ibid.
22. De numero Cardinalium, & an expediat semper esse completum. ibid.
23. A quo lites, & causæ inter Cardinales vertentes sint decidendæ. ibid.
24. Quot testes requirantur ad damnandos Cardinales de crimine. ibid.
25. An Cardinales poßint habere priuatum carcerem ad suos familiares coercendos. ibid.
26. An beneficia simultaneæ collationis Episcopis, & Capitulo vacanti in mense Apostolico à Cardinali simul cum Capitulo prouideri debeant, & quid in beneficiis aliàs reseruatis. 50
27. An Cardinalis Episcopus poßit prouidere beneficia reseruata, vacantia tempore sui antecessoris non Cardinalis. ibid.
28. An regula octaua Cancellariæ excipiens Cardinales, excipiat Cardinales à Curia absentes; & quid de Cardinalibus titularibus in Vrbe. ibid.
29. An condemnatus, si obuium habet Cardinalem sit liberandus. 51
30. An Cardinales, si sint iudices, recusari poßint. ibid.
31. An credendum sit Cardinali testanti de re aliqua. ibid.
32. An Cardinales eo ipso soluti sint à patria potestate. 52
33. An Cardinalibus agentibus teneatur Summus Pontifex subuenire. ibid.
34. An Cardinalium domus gaudeant priuilegio immunitatis. ibid.
35. An Cardinales poßint assistere in suis Ecclesiis, & dare licentiam assistendi matrimonio. ibid.
36. An liceat à sententia Cardinalium appellare. ibid.
37. An quando mandatur causa Cardinali cum clausula appellatione remota, censeatur exclusa etiam appellatio iusta. 53
38. An Cardinales si sint in patrimonialibus diuites, possint adhuc viuere de redditibus Ecclesiasticis. ibid.
39. An vt maritus promoueatur ad Cardinalatum, opus sit vt vxor ingrediatur religionem. ibid.
40. An Cardinalis iustè impeditus poßit vices suas in crando Summo Pontifice alteri demandare. 54
41. An Cardinales soluantur legibus, quæ prohibent duo, aut plura beneficia simul habere. ibid.
42. An Cardinales poßint in curia conferre sine concursu Parochialem Ecclesiam, quæ vacauit in sua Diœcesi. 55
43. An Vicarius Cardinalis habens facultatem conferendi beneficia, poßit illa conferre extra Diœcesim. ibid.
44. An Cardinales poßint conferre beneficia Episcopatuum à se resignatorum, etiam post præconizationem resignatarij, si nondum tamen fuerit adeptus possessionem. ibid.
45. An Cardinalis ad Episcopatum assumptus, si nondum possessionem fuerit adeptus, poßit adhuc beneficia conferre. ibid.
46. An Cardinales includantur in sententia suspensionis, vel interdicti à Summo Pontifice imposita. 56
47. An Cardinales in Ecclesiis sibi commissis poßint conferre beneficia, & exercere iurisdictionem ante captam possessionem, & ostensionem litterarum. ibid.
48. An priuilegia Episcopis concessa extendantur ad Cardinales. ibid.
49. An Cardinalis poßit sine scrupulo tacere, quando in Consistorio aliquid non benè determinatur. ibid.
50. An Cardinales ex licentia Summi Pontificis poßint testari de bonis perceptis Cardinalitij galeri. 57
51. An Cardinales in testamentis gaudeant priuilegio militum. ibid.
52. An Cardinales testantes ex facultate Pontificis teneantur adhibere formulam Iuris Ciuilis, aut Canonici. ibid.
53. An facultas concessa Cardinalibus testandi intelligatur pro prima vice. 58
54. An licentia concessa Cardinalibus testandi, expiret mortuo Papa, qui illam concesit. ibid.
55. An Cardinales poßint exigere à suis Ecclesiis titularibus charitatiuum subsidium. ibid.
56. An familiares Cardinalium in eorum causis sint testes idonei. ibid.
57. An Cardinales in eorum titulis poßint commutare vltimas voluntates, in quibus poßunt Episcopi respectu suorum subditorum. ibid.
58. An Cardinales in suis titulis poßint dispensare in voto. 59
59. An Cardinales in suis titulis gaudeant priuilegio Episcoporum ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. de reform. ibid.
60. Quamnam potestatem habeant Cardinales in suis titulis, quæ sunt monasteria regularium. ibid.
61. An Cardinales in suis titulis poßint derogare fideicommissis ad eas Ecclesias pertinentibus. ibid.
62. An Cardinales aliquando poßint conuocare Concilium. ibid.
63. An Cardinales debeant eligere ad Pontificatum vnum ex sacro Collegio. 60
64. An Cardinales religiosi statim soluantur à voto paupertatis. 61
65. An Cardinales religiosi teneantur ad vota, quæ præter tria substantialia emittuntur in religionibus iuxtæ eorum statuta. ibid.
66. An Cardinales religiosi, si deponant habitum suæ religionis, incurrant in excommunicationem. 64
67. An

67. *An Cardinalis Religiosus possit esse compater in Baptismo, & Confirmatione.* ibid.
68. *An Cardinales teneantur soluere decimas pro generali aliquo subsidio à Pontifice imposito.* ibid.
69. *An Cardinales veniant appellatione Clericorum.* ibid.
70. *An Cardinales possint succedere in feudis.* ibid.
71. *An Cardinales possint leges ferre in suis titulis, ligantes in conscientia.* 63
72. *An si duo Cardinales remanerent in conclaui, possint adhuc eligere Summum Pontificem; & quid si remaneret vnus tantùm.* ibid.
73. *An si Ecclesia vacaret tempore quo Concilium generale est congregatum, electio Summi Pontificis adhuc spectet ad Cardinales.* ibid.
74. *An Cardinales in electione Pontificis habeant vocem, etiamsi insignia Cardinalitia eis tradita non sint.* 64.
75. *An Cardinales si non expectent alios intra tempus definitum, & eligatur Pontifex ex ipsorum omnium, vel duarum partium consensu, electio adhuc sit valida.* ibid.
76. *An si Cardinales ita distent à Romana Curia, vt omnino intra decem dies post mortem Pontificis accedere non possint, teneantur adhuc præsentes illos exspectare.* ibid.
77. *An Cardinales gaudeant priuilegio in itinere celebrandi, vel sibi facere celebrari ante auroram, & post meridiem.* 65
78. *An in pari causa sententia sit ferenda in fauorem Cardinalium.* ibid.
79. *An familiares Cardinalium in absentia gaudeant fructibus suorum beneficiorum.* ibid.
80. *An offendentes Cardinales incurrant in crimen læsæ Maiestatis? & quid si tantùm contra illos verba iniuriosa protulerint?* ibid.
81. *An si quis insultum faciat ad domum Cardinalis, vt ex hoc ei verecundiam tantùm inferat, incurrat in excommunicationem Bullæ Cœnæ.* 66
82. *An si quis eiiciat Cardinales à terris, in quibus nati sunt, aut domicilium habent, incurrant excommunicationem, si non exerceant legationem aliquam.* ibid.
83. *An offendentes Clericos familiares Cardinalium, ipsorum intuitu incidant in excommunicationem Bullæ Cœnæ.* ibid.
84. *An Cardinales percutientes seipsos incurrant in censuram Bullæ Cœnæ.* 67
85. *An Cardinales possint relinquere digniorem, & eligere dignum, quando pars sufficiens ad electionem vult illum in Papam eligere.* ibid.
86. *An offendentes personas Cardinalium gaudeant immunitate Ecclesiarum, maximè post Bullam Gregorij XIV.* ibid.
87. *An mandantes offendi Cardinales, si effectus non sequatur, incidant in excommunicationem Bullæ Cœnæ, & priuentur immunitate Ecclesiarum.* 68
88. *An qui offensionem in Cardinalem, cùm possit non impedit, incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ.* ibid.
89. *An si quis tantùm sciens aliquos contra Cardinalem conspirasse & illos non denuntiet, & patefaciat, incidat in excommunicationem, & an illos teneatur reuelare, etiamsi per fraternam correctionem speretur emendatio.* 69
90. *An non reuelantes læsæ Maiestatis crimen in Cardinales perpetratum gaudeant immunitate Ecclesiæ.* ibid.
91. *An receptatores, & defensores interficientiũ Cardinales incurrant in excommunicationem, & an gaudeant immunitate Ecclesiarum.* 70
92. *An siquis percutiat Cardinalem percussione leuissima, incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ.* ibid.
93. *Quam fidem faciat Cardinalis deponens de facto proprio, vel ad fauorem sui familiaris.* 71
94. *An Cardinales quando patroni sunt discordes, possint prouidere Ecclesiis iure patronatus.* ibid.
95. *An Cardinales teneantur in sua consecratione præstare iuramentum Romanæ Ecclesiæ.* ibid.
96. *An declarationes Congregationis Cardinalium sint decisiuæ.* ibid.
97. *Notabilia quædam de Cardinalibus ex sacræ Rotæ decisionibus, in quibus fusè tractantur collecta.* 72

TRACTATVS III.

De casibus occurrentibus tempore mortis.

RESOL. I. AN moribundo debeat Baptismus adhiberi in dubio, si aqua est naturalis, puta in iure carnium, lixiuio, &c. 73

2. *An moribundo deficiente aqua naturali, sit adhibendus Baptismus cum aqua rosacea, vel ex aliis herbis expressa, sub conditione exteriùs, vel mentaliter apposita, si materia hæc est idonea.* ibid.
3. *An in extrema necessitate deficiente aqua naturali sit adhibendus Baptismus sub conditione cum glacie, rore, vel niue, quamdiu resoluta non sunt.* 75
4. *An infans verbi gratia, moribundus sit baptizandus in qualibet minima parte sui corporis.* ibid.
5. *An sufficiat ad baptizandum infantem moribundum vna gutta aquæ.* 76
6. *An baptizati in periculo mortis debeant postea in Ecclesiis cæremonias omissas supplere.* ibid.
7. *An infanti moribundo, quando confertur Baptismus, sit adhibendus patrinus.* ibid.
8. *An debeat omitti Baptismus propter periculum infantis morituri.* 77
9. *An propter imminentem mortem liceat adulto differre susceptionem Baptismi, aut illam omnino omittere.* ibid.
10. *An in mortis periculo filij infidelium sint inuitis parentibus baptizandi.* 78
11. *An qui recepit ex periculo mortis Baptismum ex opinione probabili, verbi gratia, in digito, pedibus, &c. in materia dubia cum gutta aquæ, debeat, si vixit, iterum sub conditione baptizari.* ibid.
12. *An pueri, si in vtero matris moriantur, possint ibi baptizari.* ibid.
13. *An mater ad mortem damnata, si morbo lethali corripiatur, liceat eam secare, vt infans etiam moriturus baptizetur.* 79
14. *An si tyrannus velit infantem occidere, vel si dum agit animam, alio modo non possit baptizare, liceat eum in puteum, vel flumen proiicere, & an ita sit baptizatus.* ibid.

15. *An*

15. *An in articulo mortis infans ſit baptizandus in vmbilico, & ſepeliendus ſepultura Eccleſiaſtica.* ibid.
16. *An in aliquo caſu cum vitæ periculo teneatur quis baptizare puerum moribundum.* 80
17. *An ſi finitâ forma, antequam finiatur ablutio, infans moriatur ſit adhuc baptizatus.* 81
18. *An quando baptizatur aliquis in periculo mortis, debeant adſtantes ſeruare ordinem inter eos ſub pœna peccati mortalis.* ibid.
19. *An infans moribundus ſi ad illum non eſſet acceſſus, ſit baptizandus aſpergendo eum aqua.* 82
20. *An tempore mortis ſit præmittenda inſtructio infidelibus baptizandis.* ibid.
21. *An ſi vnicus teſtis, etiam paganus dicat moribundum poſtulaſſe Baptiſmum, iſte ſit baptizandus.* ibid.
22. *An ſi teſtis dubitet, an adultus moribundus petierit Baptiſmum, ſit adhuc baptizandus.* ibid.
23. *An moribundus, qui poſtulauit Baptiſmum, ſi in amentiam, vel lethargum poſtea incidit, ſit adhuc baptizandus.* 83
24. *An non ſolùm Sacerdotes, ſed etiam laici baptizantes in peccato mortali infantem moribundum, peccent mortaliter.* ibid.
25. *An pater baptizans, vel tenens filium in periculo mortis impediatur poſtea petere debitum ab vxore.* 84
26. *An tempore mortis, ſi quis ad puerum acceſſum non haberet, poſſet de longinquo proferre formam, & iubere vt alius illum aqua abluat.* ibid.
27. *An in naufragio, vel alio caſu ob periculum mortis poſſit quis plures baptizare.* 85
28. *An Diaconus ſi baptizat aliquem in periculo mortis, poſſit aliquando ſolemniter illum baptizare.* ibid.
29. *An habens infantem baptizandum morti vicinum, & Sacerdos recuſet eum baptizare, niſi detur quantitas pecuniæ, nec alia via poſſit conferri Baptiſmus, licitum ſit ei præbere pecuniam.* ibid.
30. *An inadultis in articulo mortis poſſit miniſtrari ſacramentum Confirmationis.* 86
31. *An infantibus ante vſum rationis moriturís poſſit conferri ſacramentum Confirmationis.* 87
32. *An in aliquo caſu in articulo mortis teneatur quis ſumere ſacramentum Confirmationis.* ibid.
33. *An qui manè communicauit, vel Miſſam dixit, & poſtea eodem die incidit in periculum mortis, poſſit adhuc non ieiunus ſacrum viaticum ſumere.* ibid.
34. *An in articulo mortis, ſi laicus non poſſit deglutire particulam Euchariſtiæ, miniſtranda ſit ei ſpecies ſanguinis.* 89
35. *An Sacerdos non ieiunus poſſit celebrare Miſſam pro conſecranda particula ad communicandum moribundum.* 90
36. *An Sacerdos non ieiunus poſſit in articulo mortis celebrare, vt ſe communicet.* ibid.
37. *An infirmo non ieiuno in periculo mortis poſſit ſapiùs viaticum præberi.* ibid.
38. *An damnato ad mortem ſit danda Euchariſtia; etiamſi non ſit ieiunus.* 91
39. *An pro euitando mortis periculo poſſit quis celebrare non ieiunus.* ibid.
40. *An pro communicando infirmo periclitante liceat in mari celebrare Miſſam, & an hoc etiam ſit licitum diebus feſtiuis.* 92
41. *An qui paulo ante, verbi gratia, octo, vel quindecim dies communicauit, teneatur iterum in articulo mortis communicare.* 93
42. *An qui ſumpſit Euchariſtiam tempore Paſchatis, teneatur ſub mortali ſumere illam in articulo mortis.* ibid.
43. *An qui in articulo mortis ſumpſit viaticum, teneatur iterum illud ſumere, ſi peccauit mortaliter.* ibid.
44. *An Euchariſtia danda ſit in articulo mortis puero capaci rationis, & confeſsionis.* ibid.
45. *An infidelis in articulo mortis naturali, vel violento, conuerſus ad fidem ſtatim poſt Baptiſmum ſit communicandus.* 94
46. *An qui in amentiam, & phreneſim inciderunt, ſint in articulo mortis communicandi.* ibid.
47. *An laicus in articulo mortis, ſi Sacerdos non adſit, poſſit ſe ipſum communicare, vel alios.* ibid.
48. *An Sacerdos in articulo mortis debet ſibi ipſi miniſtrare Euchariſtiam, ſi Diaconus adſit.* 95
49. *An in articulo mortis, ſi alius non adſit, poſſit ſumi Euchariſtia à Sacerdote excommunicato nominatim, publico Clerici percuſſore.* ibid.
50. *An peſte laboranti prope mortem liceat miniſtrare Euchariſtiam ſuper folio paginæ, & poſtea illud comburere.* 96
51. *An in articulo mortis abſente Parocho, ſi periculum eſt in mora, licitum ſit religioſis miniſtrare viaticum.* ibid.
52. *An in articulo mortis Regulares poſſint miniſtrare viaticum ſuis familiaribus ſine licentia Parochi.* 97
53. *An in articulo mortis tempore peſtis teneatur Parochus Euchariſtiam infirmis miniſtrare.* ibid.
54. *An ſi in campo particula non inueniretur, poſſit Sacerdos dare partem ſuæ hoſtiæ moribundo.* ibid.
55. *An moribundo ſit danda Euchariſtia cum periculo vomitus.* 98
56. *Quidam in platea recepit vulnus lethale, ſi Confeſſarius illum audiat, non poſſet mederi; ſi medetur, non poteſt confiteri; quid ergo faciendum?* ibid.
57. *An Sacerdos nominatim excommunicatus, vel publicus Clerici percuſſor, hæreticus, vel ſchiſmaticus habeat poteſtatem in articulo mortis abſoluendi moribundum.* 99
58. *An moribundus poſſit, quando alius non adeſt Sacerdos, petere à Sacerdote excõmunicato, hæretico, &c. abſolutionem, etiamſi ſciat ſupradictos cum peccato Sacramentum adminiſtraturos.* 100
59. *An non ſolùm exiſtentes in articulo mortis, ſed etiam in periculo poſsint abſolui à quocumque Sacerdote ab omnibus caſibus.* ibid.
60. *An ſimplex Sacerdos poſsit præſente Confeſſario iuriſdictionem habente abſoluere moribundum.* ibid.
61. *An damnati ad mortem ſint in articulo mortis, ita vt poſsint abſolui modo, quo dictum eſt, de aliis moribundis.* 101
62. *An remigantes ſint in articulo mortis, ita vt poſsint abſolutionem obtinere, ac cæteri moribundi.* ibid.
63. *An prægnantes ſint in articulo mortis, ita vt abſolui debeant, ſicut cæteri moribundi.* 102
64. *An bannitus, qui impune vbique poteſt occidi ſit in periculo mortis, ita vt poſsit abſolui vt moribundi.* ib.
65. *Quando cenſeatur non adeſſe copiã Superioris habentis poteſtatẽ in cenſuras, & peccata reſeruata, vt poſsit cõſtitutus in articulo mortis abſolui à quocũq;* 103

66. *An*

66. *An ſi Sacerdos ſimplex cœpit audire confeſsionem moribundi, accedens Confeſſarius approbatus, teneatúrne deſiſtere ab auditione.* ibid.
67. *Quomodo ſimplex Sacerdos abſoluat moribundum ab excommunicatione.* 104
68. *Quando puer ſit abſoluendus in articulo mortis.* 105
69. *An abſolutio à reſeruatis, quæ poteſt, vt dictum eſt ſuprà, impendi à quolibet Sacerdote in periculo mortis, poſsit dari à prima die infirmitatis, quæ ponit infirmum in tali periculo.* ibid.
70. *An Sacerdos pro audienda confeſsione infirmi moribundi poſsit relinquere Miſſam inchoatam, etiam poſt conſecrationem.* ibid.
71. *An cùm periculum vitæ imminet, vt in naufragio, peſte, bello, tunc poſsit ſimul dicere aliqua peccata, & omnes ſimul abſolui.* ibid.
72. *An in articulo mortis teneatur quis confiteri per interpretem.* 106
73. *An in articulo mortis ſit confeſsio facienda laico, quando non adeſt Sacerdos.* ibid.
74. *An tempore peſtis poſsit quis audire aliqua peccata & confeſsione non finita moribundum abſoluere.* 107
75. *An Sacerdos ferens infirmo communionem ſi dicat velle reconciliari, & in reconciliatione inueniat illum multas confeſsiones inualidas feciſſe, quid facere debeat Confeſſarius?* 108
76. *An in articulo mortis teneatur quis elicere actum contritionis, ita vt non ſufficiat attritio cognita cum Sacramento.* ibid.
77. *An ſi non adſit Sacerdos, liceat laico abſoluere moribundum à cenſuris, vt non careat Eccleſiaſtica ſepultura.* ibid.
78. *An hæretico negatiuo iam deſtinato ad comburendum ſit abſolutio impertienda.* 109
79. *An Sacerdos infirmis peſte morientibus poſsit ſacramentum extremæ Vnctionis miniſtrare virgula argentea oblonga.* 110
80. *An liceat miniſtrare infirmo peſte laboranti extremam Vnctionem, vngendo vnum corporis ſenſum; v.g. manum ſolam, ac vti forma verborum generali:* Per iſtam ſacram Vnctionem, *&c.* ibid.
81. *An excommunicatus nominatim, vel ſuſpenſus poſsit in articulo mortis miniſtrare infirmo ſacramentum extremæ Vnctionis.* 111
82. *An ſi ægrotus ſit morti proximus, & non inueniatur Parochus, poſsit ſimplex Sacerdos, etiam regularis ſacramentum extremæ Vnctionis infirmo miniſtrare.* ibid.
83. *An ægrotus ſi non fuerit confeſſus, & ſit in articulo mortis, teneatur Parochus cum periculo vitæ ſacramentum extremæ Vnctionis illi miniſtrare.* ibid.
84. *An illis, qui inciderunt in amentiam, ſit in periculo mortis miniſtranda extrema Vnctio.* 112
85. *An pueri tunc in articulo mortis ſint vngendi, quando ſunt capaces ſacramenti Euchariſtiæ.* ibid.
86. *An extrema Vnctio ſit miniſtranda adulto in periculo mortis ſtatim poſt Baptiſmum ſuſceptum.* 113
87. *An Sacerdos ſi vngendo infirmum moriatur, poſsit alius perficere vnctiones prætermiſſas.* ibid.
88. *An in aliquo caſu licitè poſsint plures Sacerdotes miniſtrare ſimul extremam Vnctionem alicui moribundo.* 114
89. *An in articulo mortis aliquando ſit miniſtranda extrema Vnctio ab excommunicato denuntiato, & hoc tempore interdicti.* ibid.
90. *An moribundo ſit miniſtranda extrema Vnctio cum oleo alterius anni.* ibid.
91. *An ſi Parochus portet domi oleum extremæ Vnctionis timens de nocte ad moribundum vngendum vocari, ſecluſo ſcandalo, peccet mortaliter.* 115
92. *An confeſsio ſit præmittenda antequam Parochus inungat moribundum.* ibid.
93. *An Parochus tempore peſtis teneatur cum periculo vitæ miniſtrare Sacramentum extremæ Vnctionis.* ibid.
94. *An Sacerdos moribundus poſsit ſeipſum vngere.* ibid.
95. *Quónam tempore infirmitatis debeat Sacerdos inungere moribundum.* ibid.
96. *An in eadem infirmitate poſsit Sacerdos aliquem denuò inungere.* 116
97. *An ſit abſoluendus moribundus, qui non vult recipere extremam Vnctionem.* ibid.
98. *An in articulo mortis Parochus poſsit celebrare matrimonium ſine teſtibus & denuntiationibus.* ibid.
99. *An qui in ipſo actu venereo correptus morbo amiſit loquelam, & paulò pòſt expirauit, ſit priuandus ſepultura Eccleſiaſtica.* 117
100. *An ſi quis reperiatur laqueo ſuſpenſus, vel merſus in puteo, debeat ſepeliri in loco ſacro, & quid ſi in Paſchate non communicauit.* 118
101. *An Religioſus ſi perſuadeat moribundo, vt ſepulturam eligat in ſua Eccleſia, incidat in aliquam pœnã.* ibi.
102. *An liceat abſoluere infirmum moribundum, qui vult præbere eleemoſynam pro ſepultura in loco magis honorifico.* ibid.
103. *An lethaliter vulneratus, vel aliàs moribundus teneatur remittere inimico actionem iniuriarum, farci la remiſſione.* 119
104. *An infirmus debeat ſtatim ante mortem reſtituere pecuniam, & famam ablatam.* ibid.
105. *An ſi moribundus committat vxori, filio, vel alteri electionem ſuæ ſepulturæ, talis electio fieri debeat eo viuente.* 120
106. *An ſi quis teſtatur infirmum dixiſſe ſe velle in tali Eccleſia ſepeliri, ſit in illa ſepeliendus.* ibid.
107. *An ſi filius, & ſeruus impuberes moriendo non elegerunt ſepulturam, pater, vel dominus poſsit illam eligere.* ibid.
108. *An ſi filius pubes moriatur ſine ſepulturæ electione, ſi maiores ſint ſepulti in diuerſis locis, iſte vbi erit ſepeliendus.* ibid.
109. *An Nouitij morientes poſsint eligere ſibi ſepulturam.* 121.
110. *Religioſi morientes extra Monaſterium vbi ſint ſepeliendi.* ibid.
111. *An Canonicus ſi non eligat ſepulturam, ſit ſepeliendus in Parochia, vel in Eccleſia Cathedrali.* ibid.
112. *An pueri baptizati in ſecundina, ſi illico moriantur, ſint in Eccleſia ſepeliendi.* 122
113. *An peregrini morientes ſine electione ſepulturæ ſint in Parochia, vel in Eccleſia Cathedrali ſepeliendi.* ibid.
114. *An ſi moribundus non vult hæredem inſtituere fratrem, ſed extraneum, ſit abſoluendus.* ibid.
115. *Si non expediat vt moribundus declaret in teſtamento aliquas reſtitutiones, vel alimenta filiorum, quid ſit faciendum.* ibid.

116. *An ſi bona hæreditaria non ſufficiant ad ſoluenda debita, poſſint adhuc deduci expenſæ neceſſariæ ad funus debitoris iam mortui.* 123
117. *An quis incurrat irregularitatem, ſi voluat infirmum, ſi cibum ei exhibeat & ſimilia faciat, ex quibus ſequatur mors, aut eius acceleratio.* ibid.
118. *Quæ liceant, vel non liceant agere cum infirmo tempore mortis, quando condit teſtamentum.* ibid.
119. *Si quis moriatur in loco, vbi non poſſet condere teſtamentum, & vellet relinquere aliquid Eccleſiæ, an valeat tale legatum.* ibid.
120. *An damnatus ad mortem propter aliquod facinus poſſit teſtari.* 124
121. *Quid liceat, vel non liceat moribundo in relinquendo aliquid filio ſpurio.* ibid.
122. *An ſit abſoluendus moribundus, qui vult mutare teſtamentum, quod in vita fecit cum iuramento.* 125
123. *An Confeſſarius tempore peſtis debeat facere, vt moribundus teſtetur, etiamſi non adſint teſtes ſufficientes.* 126
124. *An filius familias Clericus ſi moriatur poſſit teſtari.* ibid.
125. *An clericus, vel Epiſcopus poſſit licitè teſtari in fine mortis in vſus non pios, ſi habeat licentiam diſponendi in quoſcumque vſus voluerit.* 127
126. *An ſi moribundus cœpit facere teſtamentum, & non potuit perficere, ſit irritum quoad pias cauſas.* ibid.
127. *An moriturus poſſit ad pias cauſas committere alicuius arbitrio ſuum teſtamentum.* ibid.
128. *An Religioſi tempore mortis cum licentia Superioris poſſint aliquid donare.* ibid.
129. *An Commendatarij D. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ de Auis, &c. morituri poſſint facere teſtamentum de fructibus Commendarum in vſus non pios.* 128
130. *An ſit facienda difficultas moribundo, qui vult relinquere vnico filio plus quàm alteri.* ibid.
131. *An moriturus, filio ſpurio poſſit relinquere ſolùm alimenta, quæ pertinent ad neceſsitatem ſui ſtatus.* ibid.
132. *An Medicus poſſit adhibere morituro medicamentum dubium, & ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori.* ibid.
133. *Quomodo ſit applicanda morituris indulgentia bullæ Cruciatæ.* 129
134. *An laicus abſente Sacerdote poſſit morituris ſupradictas indulgentias applicare.* 130
135. *An morituro liceat reſpuere medicamenta, dum adeſt ſpes ſalutis.* ibid.
136. *An Carthuſianus in articulo mortis teneatur edere carnes.* 131
137. *An ſi ægritudo Monialis ſit talis grauitatis, vt iudicio Medicorum credatur moritura, ſi non exeat, poſſit tutò è Monaſterio exire.* ibid.
138. *An fœminæ etiam ignobili in periculo mortis liceat non oſtendere verenda Chirurgo.* ibid.
139. *An in articulo mortis poſſit dari profeſsio Nouitiis, qui ſi moriantur ſine teſtamento, an ſuccedat in bonis Monaſterium.* 132
140. *An excommunicatus toleratus moriens ſit priuandus Eccleſiaſtica ſepultura, ſi publicè innotuerit fuiſſe excommunicatum.* ibid.
141. *An qui à duello, vno, aut altero die ſupervixerunt, aut etiam vna hora, & confeſsi ſunt, poſsint in loco ſacro ſepeliri.* ibid.

TRACTATVS IV.

De homicidio, & reſtitutione propter ipſum.

RESOL. 1. *AN licitum ſit occidere inuaſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ.* 133
2. *An ſit licitum occidere inuaſorem, ſi ex eius morte ſequatur notabile damnum Reipublicæ, quia eſt perſona valdè neceſſaria.* ibid.
3. *An liceat occidere inuaſorem, ſi inuaſus fuerit in culpa, vt aggrederetur ipſum.* 134
4. *An licitum ſit viro honorato occidere inuaſorem, qui fuſtem, vel alapam conatur ei inferre.* ibid.
5. *An liceat prævenire aggreſſorem, & eum priuſquàm inuadat occidere.* 135
6. *An ſi Petrus per famulum, vel ſicarium, ſtatuat Paulum occidere, licitum ſit Paulo, ſi non habeat vllam ſpem euadendi prævenire & occidere Petrum.* ibid.
7. *An liceat occidere falſum teſtem eumtem ad teſtificandum falſum contra aliquem, & quid dicendum de accuſatore.* 136
8. *An recluſus in aliqua domo videns inimicum ad occidendum eum expectare, poſſit prævenire, & interimere illum, ſi aliter ſaluari non poteſt.* ibid.
9. *An liceat in foro conſcientiæ occidere aliquem pro defenſione honoris.* 137
10. *An qui minatur mortem, liceat eum occidere.* ibid.
11. *An licitum ſit ad honorem tuendum inuaſorem poſt impactã alapam, vel fuſtem, fugientem inſequi.* 138
12. *An liceat occidere contumelioſum, quando aliter ea iniuria arceri nequit.* ibid.
13. *An ſi quis dicat viro honorato*, mentiris, *liceat eum occidere.* ibid.
14. *An in aliquo caſu teneatur inuaſus occidere aggreſſorem.* 139
15. *An miles qui certò ſcit bellum eſſe iniuſtum, licitè poſſit ad ſe defendendum occidere militem contrarij exercitus, à quo inuaditur.* ibid.
16. *Quando quis interficit inuaſorem, an liceat intendere mortem eius, vt medium ad ſui defenſionem.* ibid.
17. *An licitum ſit occidere inuaſorem pro defendendis propriis bonis.* ibid.
18. *Quanti valoris oportet ſit res, pro cuius defenſione interficere liceat.* 140
19. *An liceat pro defenſione vitæ proximi occidere iniuſtum inuaſorem.* 141
20. *An liceat occidere inuaſorem pro defenſione rerum externarum.* ibid.
21. *An liceat priuato homini occidere gladio, veneno, proditione, inſidiis alióve quouis modo Regem tyrannicè dominantem.* 142
22. *An iudex ſecundùm allegata, & probata poſſit occidere reum, quem ſcit ex priuata ſcientia eſſe innocentem.* ibid.
23. *An liceat occidere innocentem ad poſtulationem inimici, qui minatur vrbi excidium, niſi talis interimatur.* 143
24. *An liceat ſine peccato occidere bannitum extra territorium proſcribentis.* ibid.
25. *An liceat occidere bannitum proditoriè & per inſidias.* ibid.

26. *His diebus Angli cum triremibus Tunetanis dimicantes ignem pulueri iniecerunt, seque mari commiserunt, magno triremium damno: quæsierunt tunc à me, an hoc licitum sit Christianis facere.* 144
27. *An quis teneatur sub mortali non bibere aquam, vel vinum nisi refrigeratum, quia exinde præuident Medici quòd citius moriatur.* ibid.
28. *An liceat exponere propriam vitam pro conseruanda amici vita.* ibid.
29. *An liceat exponere propriam vitam pro alio inferiori bono amici, vt pro honore, vel facultatibus.* 145
30. *An aliqui ex ignorantia inuincibili excusentur ab homicidio sui ipsius.* ibid.
31. *An saltem si non licet occidere directè seipsum, liceat tamen propriæ morti cooperari, aut eius periculum subire.* 146
32. *An aliquando licitum sit se mutilare.* ibid.
33. *An liceat vigiliis, pœnitentiis, &c. vitam ipsam abbreuiare.* 147
34. *An qui inuaditur, possit se tueri cum periculo mortis alicuius innocentis.* ibid.
35. *An sit licitum occidere obsides, quando aduersarij non stant promissis.* 148
36. *An liceat pro defensione pudicitiæ occidere inuasorem.* ibid.
37. *An si iudex desit, possit quis intrare in locum, vbi rem furatam in pacifica possessione fur constituit, & illum occidere cum moderamine, &c.* ibid.
38. *An licitum sit sumere venenum, vt experiatur virtus theriacæ.* 149
39. *An damnatus vt veneno pereat, possit illud haurire.* ib.
40. *An reus dum iam carnifex funem collo apposuit, possit se ex scala præcipitem dare.* ibid.
41. *An condemnatus ad mortem per famem possit abstinere à cibo clanculum oblato.* ibid.
42. *An in mari tabulam à te occupatam possis alteri concedere.* ibid.
43. *Quæ pœnitentia iniungenda sit à Confessore ei, qui hominem necasset.* 150
44. *An si aliquis occidat inuasorem, excedens moderamen iustæ tutelæ teneatur ad restitutionem.* ibid.
45. *An si quis occidat inuasorem rerum suarum, etiamsi recuperare eas iudicialiter posset, teneatur ad restitutionem.* 151
46. *Quando ex homicidio casuali incurratur obligatio restitutionis.* ibid.
47. *An si adulter occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ maritum inuasorem, teneatur ad aliquam restitutionem.* 152
48. *An si inuasus possit fugere, & occidit aggressorem, teneatur ad restitutionem.* ibid.
49. *An Religiosus, vel Clericus nolens fugere, si occidat inuasorem peccet contra iustitiam, ita vt teneatur restituere.* ibid.
50. *An ex occisione facta in duello oriatur obligatio restitutionis.* 153
51. *An quando quis aduertit ex suo homicidio secuturum damnum tertij si re vera sequatur, teneatur ad restitutionem.* ibid.
52. *An si mancipium occidat aliquem absque domini culpa, adhuc dominus teneatur ad restitutionem aliquam.* 154
53. *Quid teneatur restituere homicida, vel mutilator.* ibid.
54. *An pro ipsius vitæ, aut membri priuatione, deformitate, cicatrice, &c. facienda sit aliqua restitutio.* 155
55. *An homicida ex iustitia teneatur pro anima defuncti offerre Missas, preces, &c.* ibid.
56. *An homicida teneatur restituere damnum, quod per accidens familiaribus, & amicis occisi ex eius morte sequutum sit.* ibid.
57. *An homicida teneatur restituere damnum creditoribus occisi.* 156
58. *An occisus si habeat filios, & omnia interfectori remittat, teneatur adhuc restituere.* 157
59. *Quibus hæredibus titulo alimentorum teneatur homicida restituere.* ibid.
60. *An hæredes homicidæ excusentur à restitutione, si ille capite damnatus est.* ibid.
61. *An inter nobiles ex homicidio oriatur obligatio restitutionis.* 158
62. *An homicida sit compellendus restituere, licet ex restitutione constituatur in graui necessitate.* ibid.
63. *An qui ex timore mortis personam aliquam demonstrauit, quæ postea occisa fuit, teneatur ad restitutionem.* ibid.
64. *An qui consuluit homicidium, postquàm reuocauit consilium, sed non certiorauit eum, cuius vita paratur excidium, teneatur ad restitutionem.* ibid.

TRACTATVS V.

De paruitate materiæ.

RESOL. I. *QVomodo sit cognoscendum quòd in aliquo præcepto detur, vel non detur paruitas materiæ.* 159
2. *An in simonia detur paruitas materiæ, ita vt hoc peccatum possit esse aliquando veniale.* ibid.
3. *An in blasphemiis contra Deum, & Sanctos detur paruitas materiæ.* 160
4. *An in iuramento assertorio detur paruitas materiæ, & quid in promissorio.* 161
5. *An in rebus veneris detur paruitas materiæ.* ibid.
6. *An in diebus festis detur paruitas materiæ in ordine ad opera seruilia.* 163
7. *An in omissione operis iniuncti alicuius indulgentiæ detur paruitas materiæ.* ibid.
8. *An in fractione sigilli confessionis detur paruitas materiæ.* ibid.
9. *An in sollicitatione facta in confessione, & prohibita in Bullis Pontificijs detur paruitas materiæ.* 164
10. *An in anticipatione comestionis in die ieiunij detur paruitas materiæ.* ibid.
11. *An in fractione ieiunij detur paruitas materiæ.* ibid.
12. *An in ieiunio pro communione sumenda detur paruitas materiæ.* 165
13. *An in acceptatione personarum quoad beneficia conferenda detur paruitas materiæ.* ibid.
14. *An in negatione debiti coniugalis detur paruitas materiæ.* 166
15. *An in dilatione pœnitentiæ iniunctæ detur paruitas materiæ.* ibid.
16. *An in ætate requisita ad matrimonium detur paruitas materiæ.* ibid.
17. *An in ætate requisita ad Ordines suscipiendos detur paruitas materiæ.* 167

18. *An in ætate requisita ad professionem emittendam detur paruitas materiæ, & quid in anno Nouitiatus.* ibid.
19. *An in continuatione anni Nouitiatus detur paruitas materiæ.* 168
20. *An in patrimonio necessariò ad sumendos sacros Ordines detur paruitas materiæ.* ibid.
21. *An in communicatione cum excommunicato detur paruitas materiæ.* ibid.
22. *An in ingressu, vel egressu clausuræ Monialium detur paruitas materiæ.* 169
23. *An in obligatione celebrandi detur paruitas materiæ.* ibid.
24. *An in obligatione restituendi fructus pro omissione horarum Canonicarum detur paruitas materiæ.* 170
25. *An in fructibus beneficij detur paruitas materiæ, ita vt non consurgat obligatio recitandi Horas Canonicas.* ibid.
26. *An in recitatione Horarum Canonicarum detur paruitas materiæ.* ibid.
27. *An in mendacio facto in confessione, vel iudicio detur paruitas materiæ.* 171
28. *An in hæresi detur paruitas materiæ.* ibid.
29. *An in sortilegiis & magia detur paruitas materiæ.* 172
30. *An in vsura detur paruitas materiæ.* ibid.
31. *An in conscientia erronea detur paruitas materiæ.* ibid.
32. *An in comestione carnium in die ieunij detur paruitas materiæ.* ibid.
33. *An in surreptione gratiæ detur paruitas materiæ.* 173
34. *An in furto detur paruitas materiæ.* ibid.
35. *An in furto reliquiarum detur paruitas materiæ.* ibid.
36. *An in voto detur paruitas materiæ.* 174
37. *An in voto, vel iuramento non bibendi vinum detur paruitas materiæ.* ibid.
38. *An in voto, vel iuramento non ludendi detur paruitas materiæ.* ibid.
39. *An in verbis formæ Sacramentorum detur paruitas materiæ.* 175
40. *An in coniunctione materiæ, & formæ Sacramentorum detur paruitas materiæ.* ibid.
41. *An in formæ Sacramentorum interruptione detur paruitas materiæ.* 176
42. *An in lectione librorum hæreticorum detur paruitas materiæ.* ibid.
43. *An in retentione librorum hæreticorum detur paruitas materiæ.* 177
44. *An in auditione Missæ detur paruitas materiæ.* ibid.
45. *An in omissione aliquarum rerum, quæ dicuntur, vel aguntur in Missa, detur paruitas materiæ.* 178
46. *An in casibus reseruatis, & in excommunicationibus detur paruitas materiæ.* ibid.
47. *An Superior ratione circumstantiarum possit sub peccato mortali præcipere materiam leuem.* 179
48. *An præceptum sub mortali impositum in materia leui obliget saltem sub veniali.* ibid.
49. *An paruitas materiæ excusset à lege prohibente ne extrahatur aliquid à Regno.* ibid.
50. *An posset quis vouere in materia leui sub obligatione lethali.* 180
51. *An possit Confessarius imponere pœnitentiam leuem sub mortali.* ibid.
52. *An plures materiæ paruæ coalescant in vnum, vt materia grauis ad mortale sufficiens euadat.* ibid.
53. *An si quis per plures dies omittat votum leuis materiæ, peccet mortaliter.* 181
54. *An beneficiarius, qui partes leues in singulis horis omittit, quæ simul sumptæ grauem quantitatem constituunt, teneatur ad aliquam restitutionem.* ibid.
55. *An eodem die violare plura vota de materia leui sit peccatum mortale.* 182
56. *An si à Sacerdote gutta aquæ in vino non misceatur, ex paruitate materiæ excusetur à mortali.* ibid.
57. *An in prohibitione alienationis rerum Ecclesiasticarum detur paruitas materiæ.* 183
58. *An in prohibitione celebrandi post meridiem detur paruitas materiæ.* ibid.
59. *An in violatione interdicti detur paruitas materiæ.* ibi.
60. *An in præcepto gestandi Tonsuram Clericalem detur paruitas materiæ.* ibid.
61. *An in dimissione habitus propriæ Religionis detur paruitas materiæ.* 184
62. *An in præcepto celebrandi cum vestibus sacris detur paruitas materiæ.* ibid.
63. *An in præcepto Pij V. non addendo aliquid in Missa præter præscripta, detur paruitas materiæ.* ibid.
64. *An in præcepto non addendi, vel diminuendi aliquid ex officio Canonico, detur paruitas materiæ.* ibid.
65. *An in percussione Clerici detur paruitas materiæ ad excusandam excommunicationem, licet fuerit facta interiùs praua animo, & moraliter peccaminosa.* 185.
66. *An in præcepto correctionis fraternæ detur paruitas materiæ.* ibid.
67. *An peccatum inuidiæ ratione paruitatis materiæ, sit aliquando tantùm veniale.* ibid.
68. *An in iudicio temerario detur paruitas materiæ.* ibid.
69. *An in detractione detur paruitas materiæ.* ibid.

TRACTATVS VI.

De mutis, surdis, & cæcis.

RESOL. 1. *AN mutus, & surdus si in terris infidelium se misceat cum aliis ad suscipiendum Baptismum sit baptizandus.* 186
2. *An mutus, si alij non inuenirentur, possit in articulo mortis baptizare infantem, illum abluendo, si alter manibus carens proferat verba formæ.* 187
3. *An mutus teneatur confiteri per nutus, & signa.* ibid.
4. *An mutus, si sciat scribere, teneatur confiteri per scripturam, vt integram faciat confessionem.* ibid.
5. *An surdus, teneatur confiteri, & quid cumeo agere debeat Confessarius.* 188
6. *An mutus, & surdus à natiuitate sit in articulo mortis communicandus.* ibid.
7. *An non solùm in articulo mortis, sed etiam in vita mutus, & surdus à natiuitate sit communicandus.* 189
8. *An mutus, surdus, & cæcus teneantur Missam in diebus festis audire.* 190
9. *An surdus, & mutus à natura possint contrahere matrimonium.* ibid.
10. *An mutus, & surdus, & simul cæcus possint inire matrimonium.* ibid.

11. *An mutus, ſurdus, & cæcus à natiuitate ſit vngendus extrema Vnctione.* 191
12. *An mutus, & ſurdus poſſint aliquid donare.* ibid.
13. *An ſurdi, & cæci priuentur iure eligendi.* ibid.
14. *An ſurdi, & cæci poſſint abeſſe à choro, & lucrari diſtributiones quotidianas.* 192
15. *An ſurdus teneatur recitare Horas Canonicas.* ibid.
16. *An cæcus ſit adſtrictus Horas Canonicas recitare.* ibid.
17. *An Sacerdos cæcus poſſit validè celebrare.* ibid.
18. *An Sacerdos mutus poſſit tempore neceſſitatis Euchariſtiam miniſtrare aliis.* ibid.
19. *An Sacerdos ſurdus, non autem mutus, poſſit aliquando ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtrare.* 193
20. *An mutus, ſurdus & cæcus ſint eligibiles ad Prælaturas.* ibid.
21. *An mutus, ſurdus, & cæcus poſſit ſuccedere in feudo.* ibid.
22. *An mutus, ſurdus, & cæcus poſſint ordinari.* ibid.
23. *An mutus, & ſurdus poſſint teſtari.* ibid.
24. *An ſurdus ſi non ſit mutus, poſſit teſtari.* 194
25. *An cæcus poſſit donare cauſa mortis ſine certis conditionibus.* 195
26. *An cæcus poſſit condere teſtamentum.* ibid.
27. *An ſurdus, & cæcus poſſint munus aduocationis exercere, & an ſi mutus ſcripto conſulat, peccet.* 196
28. *An mutus, & ſurdus poſſint eſſe executores teſtamenti.* ibid.
29. *An mutus, ſurdus, & cæcus poſſint eſſe fideiuſſores.* ibid.
30. *An mutus, ſurdus, & cæcus vt perſonæ miſerabiles poſſint forum declinare.* ibid.
31. *An mutus, & ſurdus poſſint puniri pro delicto perpetrato pœna ordinaria.* 197
32. *An mutus, & ſurdus poſſint ferre teſtimonium.* ibid.
33. *An mutus, ſurdus, & cæcus ſint immunes à muneribus publicis.* ibid.
34. *An mutus, & ſurdus poſſint eſſe Religioſi profeſſionem emittendo.* 198
35. *An mutus poſſit eſſe curator.* ibid.
36. *An cæcus poſſit eſſe iudex.* ibid.
37. *An cæcus poſſit torqueri & puniri pœna ordinaria.* ibid.

TRACTATVS VII.

De Scandalo.

RESOL. 1. QVotuplex ſit ſcandalum. 199.
2. *Vtrùm omne ſcandalum ſit peccatum ſpeciale, & quomodo ſcandala debeant explicari in confeſsione.* ibi.
3. *An peccantes coram aliis excuſentur aliquando à peccato mortali.* 200
4. *An liceat petere Sacramentum à malo miniſtro.* ibid.
5. *An licitum ſit pingere imaginem concubinæ amaſio.* 201
6. *An licitum ſit pingere, vel fabricare idolum ad petitionem infidelis, vel conſtruere Synagogas Iudæorum.* 202.
7. *An liceat inuitare ad cœnam paratum frangere ieiunium.* ibid.
8. *An ſine cauſa honeſta, petendo pecuniam mutuam ab vſurario parato, ſit peccatum mortale.* 204
9. *An liceat petere iuramentum ab aliquo, quando timeo illum falsò iuraturum.* 205
10. *An liceat perſuadere alicui, vt iuret obiectum quidem verum, ſed quod iſte ignorat.* 206
11. *An qui ſine cauſa deponit pecunias penes vſurarium, teneatur reſtituere vſuras, quas mutuans accepit ex illa pecunia mutuata.* ibid.
12. *An liceat ſine ſcandalo ſoluere vſuras.* ibid.
13. *An famuli miniſtrantes dominis carnes in die ieiunij, vel cibaria in refectiuncula, peccent peccato ſcandali.* 207
14. *An ſit licitum inducere Petrum ad iurandum de aliqua re, quam ipſe ex ignorantia veram eſſe putat, licet re vera falſa ſit.* ibid.
15. *An poſſum petere à ſaga, qua ſcit licitè, & illicitè ſoluere maleficium, vt illud ſoluat.* 208
16. *An ſine ſcandali peccato poſsum redimere vexationem iniuſtam in adminiſtratione Sacramentorum, præbendo pecunias.* ibid.
17. *An ſit licita redemptio vexationis, ſi quis offerat pecuniam electori, qui vult eligere indignum, vel minus dignum, niſi pecuniam à digniore accipiat.* 209
18. *An ſit licitum ſine peccato ſcandali conſulere minus malum ei, qui paratus non erat illud efficere.* 210
19. *An ſit licitum volenti ſurripere nummos pauperi, conſulere vt à diuite ſurripiat, determinando etiam perſonas.* 211
20. *An liceat petere à meretrice iudicis interceſsionem in cauſa iuſta apud ipſum iudicem.* 212
21. *An teneamur prætermittere aliquod præceptum ad euitandum aliorum ſcandalum.* ibid.
22. *An mulier, ſi ſciat ſe concupiſcendam ab aliquo laſciuè, teneatur non exire ad audiendum Sacrum.* 213
23. *An ſit differendus ingreſſus Religionis propter ſcandalum.* 214
24. *An bona temporalia ſint dimittenda propter ſcandalum.* ibid.
25. *An fœmina nobilis poſſit choreas ducere, ſi timet aliquem in particulari arrepturum occaſionem peccandi.* ibid.
26. *An liceat locare domum meretrici.* 215
27. *An ad euitandum graue damnum liceat famulis deferre literas amatorias concubinæ domini, maximè ſi contineant verba turpia.* ibid.
28. *An poſſit famulus ſcalam apponere, vel ſuſtinere dominum aſcendentem ad feneſtram, vt rem habeat cum fœmina.* 217
29. *An liceat famulo conducere concubinam in domum heri.* ibid.
30. *An renitentes, & captiui apud Turcas poſſint domos Chriſtianorum perfringere, deuaſtare & bona ſurripere.* ibid.
31. *An fœmina teneatur non ſe ornare, & in publicum exire ad vitandum aliorum ſcandalum.* 218.
32. *An ſit licitum feminis vti veſtibus virorum.* 219
33. *An ad euitandam mortem, vel aliud grauiſsimum damnum, aliquando licitum ſit vti pileo pallido Iudæorum, vel tobalia Turcarum.* ibid.
34. *An inſtante neceſsitate licitum ſit vſurpare veſtes, & ſigna infidelium inſtituta ad cultum, & cæremonias falſæ legis.* 220
35. *An tranſeunti per loca hæreticorum, & infidelium ſit licitum comedere cibos vetitos ad euitandum graue damnum.* 221

36. *An liceat vendere Gentilibus Idolum ad euitandum periculum mortis.* ibid.
37. *An liceat vendere Iudæis agnum, quem scio ab ipsis immolandum, & de similibus venditionibus.* ibid.
38. *An licitè possis ministrare indifferentia, eo quòd proximus aliàs erat transgressurus præceptum.* 222
39. *An licitum sit vendere vinum tabernariis, si sciam illud posteà reuendere aqua mixtum.* 223

TRACTATVS VIII.

De Eleemosyna.

RESOL. 1. *QVadam supposita pro intelligentia dicendorum.* 224
2. *An quis teneatur in extrema necessitate dare eleemosynam, non solùm titulo charitatis, sed etiam lege iustitiæ.* ibid.
3. *An priuati homines teneantur inquirere pauperes.* 225
4. *An pauperes in extrema necessitate constituti possint contra diuites implorare officium iudicis.* 226
5. *An satisfaciam præcepto, si in extrema necessitate subueniam pauperi mutuando.* ibid.
6. *An diuites teneãtur redimere captiuos apud Turcã.* 227
7. *An adsit obligatio ex bonis necessariis ad statum opitulari extremè indigenti.* ibid.
8. *An, si ante necessitatem extremam furatus es aliquam rem, quam posteà in dicta necessitate consumpsisti, tenearis ad restitutionem.* 228
9. *An si in extrema necessitate constitutus accipit aliquã rem, teneatur postea restituere, si potest.* ibid.
10. *An si quis ante necessitatem extremam accepit ab alio accommodatum, conductum, vel precarium, teneatur restituere, si illud in extrema necessitate consumpsit.* 229
11. *An quando creditor, & debitor sunt in extrema necessitate, debitor teneatur soluere creditori quod debet.* ibid.
12. *An si creditor, & pater, vel mater debitoris sint in extrema necessitate, debitor possit subuenire illis relinquendo creditorem.* ibid.
13. *Si plures diuites possint vni pauperi succurrere, quia omnes illum æquè norunt, quis eorum teneatur eleemosynam dare.* 230
14. *An in graui necessitate teneamur præbere eleemosynã de superfluis naturæ, & status.* ibid.
15. *An in graui necessitate teneamur largiri eleemosynam de necessariis ad statum.* 231
16. *An quis teneatur de superfluo ad statum opitulari illi, qui in periculo versatur amittendi fortunas iniustè.* ibid.
17. *An ex superfluo statu teneatur quis facere eleemosynas in communibus necessitatibus pauperum.* 232
18. *An sit præceptum dandi eleemosynam iis, qui voluntariè fiunt pauperes, vt Religiosi.* 233
19. *An sit danda eleemosyna homini auaro indigenti, qui propriis rebus vti non vult.* 234
20. *An spes ascendendi ad superiorem statum liberet ab onere elargiendi eleemosynam de superfluis.* ibid.
21. *An recipiens eleemosynam simulans paupertatem teneatur ad restitutionem.* ibid.
22. *Cui facienda sit restitutio eleemosynæ receptæ ex ficta paupertate.* 236
23. *An pauper non solùm in extrema, sed etiam in grauĩ necessitate possit necessaria à diuitibus furari, quãdo ipsi tenentur præbere eleemosynam.* ibid.
24. *An vir honestus, cui magnum dedecus esset mendicare, possit clanculum necessaria surripere.* 237
25. *An filius familias possit facere eleemosynas.* ibid.
26. *An serui possint facere eleemosynas.* ibid.
27. *De quantitate eleemosynæ necessariò ab Episcopis, & Ecclesiasticis expendenda in pauperum necessitatibus.* 238.
28. *An Summus Pontifex teneatur superflua ex suis redditibus elargiri in eleemosynas.* 239
29. *An pensionarij, sicut & beneficiarij, teneantur ad eleemosynas faciendas.* ibid.
30. *An milites D. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, & D. Ioannis teneantur ad eleemosynam si possideant beneficia Ecclesiastica.* 240
31. *An Ecclesiastici si eleemosynas debitas non præbeant, non solùm peccent mortaliter, sed etiam ad restitutionem teneantur.* ibid.
32. *An Religiosi possint eleemosynas facere.* 241
33. *An monasteria Religiosorum, quibus prouentus redundant, teneantur de illis eleemosynas facere.* 242
34. *An vxores possint facere eleemosynas.* ibid.
35. *An tutores, & curatores possint facere eleemosynas de bonis pupillorum.* 243
36. *An rectè excludantur aliquando à ciuitatibus pauperes peregrini.* ibid.
37. *An promittens eleemosynam cuidam pauperi, possit alteri, vel sibi pauperiori conferre.* ibid.
38. *An distributor eleemosynæ ex testamento possit sibi partem applicare si verè pauper est.* 244
39. *Dubitans an proximus sit in extrema necessitate, an teneatur veritatem indagare.* ibid.
40. *An quando bona alicuius sint publicata ipso facto propter hæresim aut læsam Maiestatem, possit ante criminis condemnationem facere eleemosynam.* ibid.
41. *An sæpiùs præceptum elargiendi eleemosynas obliget diuites, ita vt peccent mortaliter illas non præbendo.* ibid.

TRACTATVS IX.

De Excommunicatione.

RESOL. 1. *QVid significent ista verba, satisfacta parte, quæ ponuntur in Bulla Cruciatæ, & in aliis rescriptis, & priuilegiis, quando datur facultas absoluendi à censuris.* 245
2. *An communicatio in humanis, & ciuilibus cum nominatim excommunicatis, vel denuntiatis, sit peccatum mortale.* 246
3. *De effectu excommunicationis minoris & de eius absolutione.* ibid.
4. *An ab excommunicatione lata generaliter ab homine, quando non reseruatur, possit absoluere Parochus, seu alius Confessarius, qui potest ab excommunicatione à iure lata, non reseruata.* 247
5. *Quinam possit absoluere à censura iuris nemini reseruata.* 248
6. *Quinam possit absoluere ab excommunicatione maiori lata à iure.* ibid.
7. *An non solùm Clericus, sed etiam laicus possit in articulo*

articulo mortis à cenſuris abſoluere. 249
8. *An excommunicatus ab vno Epiſcopo poſsit ab illo abſolui, etiam ſi mutauerit domicilium, vel ſit abſoluendus ab Epiſcopo, cui tunc ſubditus eſt.* 250
9. *An qui, dum verſabatur in alieno Epiſcopatu, fuit excommunicatus, rediens in patriam poſsit abſolui à proprio Epiſcopo.* ibid.
10. *An licitè abſoluatur quis ab excommunicatione inuitus.* 251
11. *An ſit valida, & licita abſolutio ſi detur non ſatisfacta parte, quam Bulla Cruciatæ, vel Iubilæum requirit, ſi excommunicatus ſatisfacere non poteſt.* ibid.
12. *An ſi excommunicatus poſsit ſatisfacere parti, & non ſatisfacit, ſi à Confeſſario delegato à Bulla Cruciatæ, aut alio priuilegio abſoluatur, valida ſit confeſsio.* 252.
13. *An abſolutio facta virtute Bullæ Cruciatæ, aut Iubilæi aut alterius priuilegij, valeat etiam pro foro extoriori.* ibid.
14. *An abſolutio ab excommunicatione, data ſub conditione in futurum, validè conferatur.* ibid.
15. *An vt abſolutus ab excommunicatione ad reincidentiam, in eam reincidat, ſit neceſsaria noua culpa.* 253
16. *An Abbatiſſa poſsit præcipere monialibus aliquid ſub pœna excommunicationis.* 254
17. *An ignorantia non ſolùm inuincibilis, ſed etiam vincibilis excuſet ab incurſione cenſurarum.* ibid.
18. *An in cenſura ferèda neceſsariò requiratur monitio.* 255
19. *An cenſura ſine trina monitione non ſolùm ſit illicita, ſed inualida.* 256
20. *An Prælati Regularium teneantur in excommunicationibus præmittere ordinem monitionum.* 257
21. *An aliqua præcepta, & mandata Epiſcoporum ſub pœna excommunicationis obligent ſemper ad peccatum mortale.* ibid.
22. *An ſi pars dilatet tempus abſolutionis ad reincidentiam à iudice factæ incurratur elapſo tempore excommunicatio, vel neceſſe ſit aliam excommunicationem ferre.* ibid.
23. *An ſit peccatum mortale relinquere cæremonias in abſolutione excommunicationis.* 258
24. *Quid faciendum ſit cum excommunicato, qui tempore mortis dedit ſigna contritionis, ſed non fuit abſolutus.* ibid.
25. *An per Bullam Cruciatæ, vel per Iubilæum poſsit Confeſſarius abſoluere ad reincidentiam.* ibid.
26. *An excommunicatus nulliter teneatur abſtinere à communione fidelium, & ab aliis prohibitis.* 259
27. *An iniuſtè excommunicatus, vt v.g. ex cauſa præſumpta, ſecundùm allegata, & probata, teneatur abſtinere à communione fidelium, & aliis actibus prohibitis.* 260
28. *An iniuſtè excommunicatus incurrat in pœnas iuſtæ excommunicationis.* ibid.
29. *An qui probabiliter iudicat ſententiam excommunicationis eſſe inualidam, teneatur abſtinere, & incurrat in pœnas iuris.* 261
30. *An declaratus per cedulones incurriſſe in aliquam excommunicationem, ſi intra terminum appellauit, poſsit liberè cum omnibus communicare.* ibid.
31. *An abſolutio excommunicationis valeat ſi dicatur,* Abſoluo te, *non addendo,* ab excommunicatione; *vel* ſuſpenſione. 262
32. *An Epiſcopus poſsit excommunicare ſubditum exiſtentem in alieno territorio, quando cenſura eſt annexa præcepto, ſiue generali ſiue particulari.* ibid.
33. *An ſi delictum inchoatum ſit in proprio territorio, & conſummatum in alieno, tunc ſubditus incurrat cenſuram ſtatuti generalis ſui Epiſcopi.* 263
34. *An Epiſcopus poſsit citare ſubditum ſuum exiſtentem in aliena Diœceſi.* 264
35. *An Epiſcopus exiſtens extra ſuam Diœceſim poſsit excommunicare ſuum ſubditum, ſi res adeò ſit manifeſta, vt non requirat cognitionem cauſæ.* 266
36. *An ratione delicti poſsit Epiſcopus excommunicare ſubditum alienum.* ibid.
37. *An ſubditus Epiſcopi in alieno territorio ligetur cenſuris annexis præcepto, ſiue generali, ſiue ſpecialis ſui Epiſcopi.* 267
38. *An collegium, vel communitas poſsit excommunicari.* 268.
39. *An excommunicatus vt abſoluatur, ſufficiat dare fideiuſſoriam cautionem, ſi poſsit dare pignoratitiam.* ibid.
40. *An per Bullam Cruciatæ poſsit quis abſolui ab excommunicatione lata contra cauſantes, procurantes, vel conſulentes abortum.* ibid.
41. *An incurratur in excommunicationem, quando opus externum, cui annexa eſt excommunicatio, fuit ſolùm veniale, ſed internum eſt mortale.* 269
42. *An poteſtas ferendi cenſuras poſsit conſuetudine, vel præſcriptione acquiri.* ibid.
43. *An Epiſcopi poſsint ferre cenſuras in Regulares.* ibid.
44. *Dubius an cenſuram incurrerit, quid facere debeat.* ibi.
45. *Quódnam peccatum committat excommunicatus excommunicatione minori miniſtrando Sacramenta.* 270.
46. *An pueri ante annos pubertatis incidant in excommunicationem.* 271
47. *An excommunicatio minor poſsit ferri pro peccato venali.* ibid.
48. *An excommunicatio poſsit ferri pro peccato purè interno.* 272
49. *An actus, vel omiſsio externa, per quam feratur cenſura, debeat eſſe ſignum actus interni.* ibid.
50. *An ſi index ſit excommunicatus, validè alium excommunicet.* 273
51. *An Inquiſitores poſsint excommunicare Epiſcopos, & è contrà.* ibid.
52. *An qui habet poteſtatem ferendi cenſuram, poſsit ea vti in ſua cauſa* ibid.
53. *An excommunicatus, ſi ſacramentum Pœnitentiæ recipiat, validè abſoluatur.* ibid.
54. *An excommunicatio lata contra aliquos, quorum vnuſquiſque tamen minimam quantitatem furati ſunt, ſit valida.* 274
55. *An ad valorem cenſuræ prærequiratur contumacia reſpectu Eccleſiæ comminantis ſub cenſura.* ibid.
56. *An cenſura requirat actum non conſummatum.* ibid.
57. *An cenſura lata contra facientes comprehendat mandantes, aut conſulentes.* 275
58. *An ſi mandans, vel conſulens reuocet mandatum, vel conſilium, incurrat adhuc excommunicationem, ſi delictum hoc non obſtante committatur.* 276
59. *An ſi quis eadem actione, quæ ſit tota ſimul, incurrat duas excommunicationes.* ibid.

60. *An percutiens plures Clericos succeßiuè, incurrat in tot censuras, quot sunt Clerici percußi.* ibid.
61. *An qui percußit Clericum publicè, & notoriè, sit statim vitandus ante sententiam iudicis.* 277
62. *An ad euitandum excommunicatum sufficiat tantùm vt sit per publicam sententiam damnatus de aliquo crimine cui certum est esse annexam excommunicationem.* ibid.
63. *An censura sententia lata sub forma disiunctiua habeat effectum.* 278
64. *An censura posit ferri sub conditione.* 279
65. *An si pendente conditione, sub qua lata est excommunicatio, si creditor, v.g. terminum solutionis proroget, & posteà debitor non soluat, incurrat talem censuram.* ibid.
66. *An Episcopus posit excommunicare subditum committentem delictum in Monasterio Regularium existente in sua Diœcesi.* ibid.
67. *An in articulo mortis posit absoluere Confessarius ab omni excommunicatione.* 280
68. *An iuramentum de parendo præstandum sit semper in absolutione excommunicationis maioris, & si omittatur, quando debet præstari, an absolutio sit nulla.* 281.
69. *Excommunicatio lata per vim, & metum an sit nulla.* ibid.
70. *An cessante excommunicatione Papali, cesset etiam Episcopalis.* ibid.
71. *An ligentur excommunicatione acccedentes ad Monasteria monialium Regularibus subditarum, si statutum Episcopi inferat censuras contra accedentes ad Monasteria monialium.* 282
72. *An non restituens ex opinione probabili, si condemnetur à iudice restituere sub excommunicatione, illam incurrat.*
73. *An Prælati Regulares teneantur ferre censuras in scriptis.* ibid.
74. *An pro excommunicatis toleratis liceat publicè orare, & sacrificia offerre.* 283
75. *An liceat offerre suffragia Ecclesiæ pro excommunicatis non toleratis, si per contritionem iustificentur ante obtentam absolutionem.* ibid.
76. *An pro excommunicato iam per contritionem iustificato liceat applicare sacrificium Missæ ante obtentam absolutionem.* 284
77. *An liceat priuatas orationes, & bona opera pro excommunicatis offerre.* ibid.
78. *An Parochus excommunicatus non toleratus validè assistat matrimonio.* 286
79. *An Parochus excommunicatus non toleratus, licet validè, illicitè tamen assistat matrimonio.* ibid.
80. *An Parochus excommunicatus non toleratus validè licentiã conferat Sacerdoti, vt assistat matrimonio.* ibid.
81. *An aliquando excommunicatus posit recipere Sacramentum sine peccato.* 287
82. *An extra casus prædictos si non licitè, saltem validè excommunicatus recipiat Sacramenta.* ibid.
83. *An excommunicatus posit conferre Sacramenta.* ibid.
84. *An nominatim excommunicatus posit validè absoluere à venialibus.* 289
85. *An excommunicati contrahentes matrimonium peccent dupliciter.* ibid.
86. *An excommunicati possint ingredi Ecclesiam.* ibid.
87. *An si Sacerdos sit excommunicatus, & adsint alij, sit tamen ab ipso petenda administratio Baptismi in necessitate.* 290
88. *An si excommunicatus negligens sit in procuranda absolutione, peccet contra Ecclesiasticum præceptum de audienda Missa, annua confessione, &c.* ibid.
89. *An excommunicatus cum alio legens priuatè Horas Canonicas, vel Officium B.V. &c. peccet.* 291
90. *An excommunicatus posit vti aqua benedicta.* ibid.
91. *An Sacerdos celebrans Missam, si alium non habeat, posit vti ministro excommunicato non denuntiato.* ibid.
92. *Quid facere debeat Sacerdos si excommunicatus denuntiatus intret in Ecclesiam, dum Missa celebratur.* ibid.
93. *An excommunicatus recitando Horas Canonicas, & dicendo,* Dominus vobiscum, *incurrat irregularitatem, vel peccet mortaliter.* ibid.
94. *An in dubio si incurrerit excommunicationem ministrando quis Sacramenta efficiatur irregularis.* 292
95. *An excommunicatus incurrat aliquam pœnam, si Missæ, aut diuinis Officiis assistat.* ibid.
96. *An excommunicatus vitandus ex metu mortis posit ministrare Sacramenta.* ibid.
97. *An sub prohibitione cap.* Sacris, & Clement. 1. de sepulturis, *ne excommunicati sepeliantur in loco sacro, includantur excommunicati tolerati.* 293
98. *Qui sint illi, qui sepelientes excommunicatum in loco sacro incurrunt excommunicationem.* ibid.
99. *An collatio beneficij facta excommunicato tolerato sit inualida.* ibid.
100. *An collatio beneficij facta suspenso, vel interdicto, sit inualida.* 294
101. *An excommunicatus, cui facta est collatio beneficij, posit post absolutionem retinere, vel acceptare illud sine noua collatione.* ibid.
102. *An excommunicatus validè acceptet beneficium, si ante excommunicationem ei fuerit collatum.* 295
103. *An excommunicatus sit inhabilis ad recipiendas pensiones.* 296
104. *An excommunicatus priuetur fructibus beneficij ante excommunicationem legitimam obtenti.* ibid.
105. *An præsentatio facta à patrono laico excommunicato non tolerato sit valida.* 297
106. *An resignatio beneficij ab excommunicato facta in fauorem tertiæ personæ sit valida.* 298
107. *Quam pœnam incurrant conferentes beneficium excommunicato.* ibid.
108. *An effectus excommunicationis quoad priuationem vsus iurisdictionis habeat locum in iudice seculari excommunicato non tolerato.* ibid.
109. *An iudex excommunicatus toleratus posit validè exercere iurisdictionem.* 299
110. *An excommunicatus posit esse actor in iudicio.* ibid.
111. *An excommunicatus posit in iudicio respondere per se ipsum, vel cogatur per procuratorem respondere.* ibi.
112. *An excommunicatus posit esse tabellio, & eius acta sint valida.* ibid.
113. *An excommunicatus posit esse testis, & eius testimonium sit validum.* 300
114. *An excommunicatus posit esse Aduocatus aut Procurator.* ibid.

115. *An excommunicatus posit esse tutor, vel curator.* 301
116. *An quis posit resalutare excommunicatum non toleratum.* ibid.
117. *An sit licitum communicare cum excommunicato tolerato, ac si non esset excommunicatus, non solùm in humanis, sed etiam in diuinis.* ibi.
118. *An filij etiam emancipati naturales, & adoptiui possint cum patre excommunicato communicare.* 302
119. *An nepotes, pronepotes, nurus, gener, socer, priuignus, priuigna &c. comprehendantur sub nomine filiorum, ita vt possint cum excommunicato communicare.* ibid.
120. *An pater posit communicare cum filio excommunicato, & idem de seruo.* 303
121. *An liceat communicare cum excommunicato in diuersa mensa.* ibid.
122. *An vxori liceat communicare cum marito excommunicato.* ibid.
123. *An maritus posit communicare cum vxore excommunicata.* 304
124. *An serui possint communicare cum domino excommunicato.* ibid.
125. *An serui eiusdem domini quando vnus illorum est excommunicatus possint alij cum illo communicare, & idem de filiis.* 305
126. *An sponsus excommunicatus posit communicare cum sponsa.* ibid.
127. *An Religiosi possint communicare cum Prælato excommunicato.* 306.
128. *An validi sint contractus, qui cum excommunicatis fiunt.* ibid.
129. *An excommunicatus posit testari, & si instituat aliquem excommunicatum pro hærede, testamentum sit validum.* ibid.
130. *An excommunicatus vitandus posit petere à suo debitore suum creditum, & is ad id teneatur.* 307
131. *An excommunicatus toleratus iudicium exercens peccet mortaliter.* ibi.
132. *An electio ad beneficium excommunicati excommunicationis minoris sit irritanda, si electores illam ignorarint.* 308
133. *An sit peccatum petere Sacramenta ab excommunicato tolerato.* ibid.
134. *An nominatim denuntiatum, vel publicum Clerici percussorem in vno loco teneat vitare in alio, vbi delictum est occultum.* ibid.
135. *An iudex excommunicatus toleratus validè alium excommunicet.* 309

TRACTATVS X.

De suspensione, & interdicto.

RESOL. 1. *AN suspensus ab officio sit suspensus à beneficio.* 309
2. *An suspenso ab officio illicitè conferatur beneficium.* 310
3. *An suspensus à beneficio sit suspensus ab officio.* ibid.
4. *Ad quid se extendat suspensio Ordinis.* 311
5. *An suspensus ab Ordine inferiori censeatur suspensus ab Ordine superiori; ita vt si illum exerceat, incurrat in irregularitatem.* ibid.
6. *An Episcopus suspensus à collatione Ordinum minorum posit adhuc conferre maiores.* 312
7. *An suspensus à beneficio validè accipiat aliud nouum beneficium.* ibi.
8. *An suspensus à beneficio suspendatur à iure collationis beneficij, confirmationis, &c. sibi proueniente ratione beneficij à quo suspensus est.* ibid.
9. *Quinam sint effectus suspensionis.* 303
10. *An suspensus ab officio prædicandi, irregularitatem incurrat; si concionetur saltem cum solemnitate.* ibid.
11. *An acta suspensi sint valida.* ibid.
12. *An Clericus suspensus ab officiis diuinis, si illa audiat, peccet.* ibid.
13. *An suspensio disiunctiua, nempe ab officio, vel à beneficio sit valida.* ibid.
14. *An suspensio lata sub hac forma,* sit suspensus, *liget, & ad quid.* 314
15. *An suspensus à beneficio priuetur fructibus pensionis collatæ titulo Clericali.* ibid.
16. *An suspensio sit valida, si post illam interponatur appellatio.* ibid.
17. *An sublata ab Episcopo suspensione ad reincidentiam, si detur iterum appellatio, suspendat sententiam, ne postea suspensio contrahatur; & idem quæritur de interdicto.* 315
18. *An si quis appellet generaliter à sententia excommunicationis, suspensionis, &c. suspendat censuram.* ibid.
19. *An suspensio posit ferri, & incurri propter solum peccatum veniale.* ibid.
20. *An teneamur vitare suspensos in rebus, à quibus suspensi sunt.* 316
21. *An suspensus ab Ordine sit suspensus à iure eligendi.* ibi.
22. *An suspensio posit contrahi pro culpa aliena.* ibid.
23. *An suspensio lata à iure, quæ est censura, si reseruata nõ sit Pontifici posit tolli ab Episcopo.* 317
24. *An suspensio lata sub conditione satisfaciendi, secuta satisfactione tollatur ipso facto sine aliqua absolutione.* ibid.
25. *An ablata contumacia cesset suspensio ipso iure sine vlla absolutione.* 318
26. *An suspensus à susceptione Sacramentorum incurrat irregularitatem suscipiendo illa.* ibid.
27. *An ordinatus per saltum incurrat ipso facto suspensionem.* ibid.
28. *An ordinatus per saltum sit suspensus ab Ordinibus, quos legitimè suscepit.* 319
29. *An qui ministrauit in Ordinibus per saltum susceptis indigeat Apostolica dispensatione, vel sufficiat Episcopalis.* ibid.
30. *An si quis recipiat Ordines Minores extra tempora ante legitimam ætatem, vel sine literis dimissoriis, incidat in suspensionem latam in Bulla Pij II. anno 141.* ibid.
31. *An suspensus iuxta Bullam Pij II. quia suscepit Ordines sacros extra tempora ante legitimã ætatem, dispẽsari posit ab Episcopo, vel Superiore regulari.* 320
32. *An qui non solùm cũ ignorantia inuincibili, sed etiã moraliter vincibili, & crassa, ordinetur ante legitimã ætatem extra tempora, incurrat suspensionem.* ibid.
33. *An Sacerdos assistens matrimonio clandestino, incurrat post Concilium Tridentinum suspensionem triennalem.* ibid.
34. *An suspensus ex ordinatione ante legitimã ætatem possit celebrare illa completa sine alia dispensatione.* 321

35. *An ſuſpenſus propter Ordines ſuſceſptos ante legitimam ætatem poſsit exercere Ordines alios ritè ſuſceptos.* ibid.

36. *An ſi quis ſuſcipiat duos Ordines maiores eadem die, incurrrat ipſo facto ſuſpenſionem.* ibid.

37. *An ſuſpenſus ex ordinatione ante legitimam ætatem ſi canat Euangelium,& epiſtolam in eadem Miſſa, incurrat irregularitatem.* 322

38. *An Epiſcopus ordinans ſubditum alienum ex ratihabituone incurrat ſuſpenſionem Concilij Tridentini.* 322.

39. *An qui ab Epiſcopo excommunicato vitando ignoranter ſuſcipit Ordines, incurrat ſuſpenſionem.* 323

40. *An qui ordinatur non ſeruatis temporum interſtitiis, incurrat ſuſpenſionem.* ibid.

41. *An Epiſcopus cenſura ligatus tempore quo Epiſcopatum recipit, incurrat ſuſpenſionem.* ibid.

42. *An Abbates conferentes Tonſuram, vel minores Ordines alius, quàm ſuis ſubditis Regularibus, incurrant ſuſpenſionem.* ibid.

43. *An Abbates concedendo dimiſſorias Nouitio, incidant in ſuſpenſionem.* 324.

44. *An Monachi Benedictini incurrant ſuſpenſionem, ſi non vtantur habitu præſcripto in* Clem. 1. ibid.

45. *An Epiſcopus conferens primam Tonſuram in aliena Diœceſi incurrat ſuſpenſionem.* ibid.

46. *An Ordinati cum dimiſſoriis Capituli Sede vacante infra annum incidant in ſuſpenſionem.* ibid.

47. *Quidam relictis Ordinibus minoribus ſubdiaconatum recipiens incurraine ſuſpenſionem.* 325

48. *An ordinatus ſine titulo cum ſola fideiuſsione alimentorum, ſit ſuſpenſus.* ibid.

49. *An Clerici publicè concubinarij ſint ſuſpenſi.* ibid.

50. *An qui recipit Ordines cum patrimonio ficto incidat in ſuſpenſionem.* ibid.

51. *An Clericus vtens veſtibus prohibitis incurrat ſuſpenſionem.* 326

52. *An Sacerdos ſuſpenſus validè abſoluat.* ibid.

53. *An Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poſsit abſoluere à ſuſpenſione incurſa per ordinationem ante legitimam ætatem.* 327

54. *An qui ignoranter promittens Epiſcopo ab eo alimenta non petiturus; ſi ordinetur abſque titulo incurrat ſuſpenſionem.* ibid.

55. *An qui ficto titulo impetrat dimiſſorias incurrat ſuſpenſionem latam in eos, qui ſine dimiſſoriis ordinantur.* ibid.

56. *An qui fuit ordinatus ipſo neſciente per munera, incurrat ſuſpenſionem, ſi poſtea hoc ratum habeat.* 328.

57. *An ſi quis renuntiet patrimonio poſt ſuſceptum Ordinem, incurrat ſuſpenſionem.* ibid.

58. *An Regularis excommunicatus propter percuſsionem Clerici, ſi recipiat Ordines, incurrat ſuſpenſionem.* ibid.

59. *An qui durante matrimonio ignoranter ſuſcepit Ordines, incurrat ſuſpenſionem.* ibid.

60. *An tempore interdicti poſsit Miſſa celebrari in quocumque Oratorio ab Epiſcopo approbato.* 329

61. *An tempore interdicti, quando celebrantur diuina officia ex priuilegio per feſta Paſchatum, intelligantur tantùm primi dies.* ibid.

62. *An Sacramentum Pœnitentiæ miniſtratum à Sacerdote interdicto ſit nullum.* 330

63. *An liceat miniſtrare Sacramentum Confirmationis perſonaliter interdicto, qui cauſam dederit.* ibid.

64. *An licitum ſit alicui non interdicto audire Miſſam Sacerdotis interdicti.* ibid.

64. *An licitum ſit celebrare coram perſonis interdictis.* 331

65. *An ſit peccatum mortale dicere Miſſam tempore interdicti omiſſa vna circumſtantia ex requiſitis in cap.* Alma mater. ibid.

66. *An interdicto perſonali generali licita ſit Eccleſiaſtica ſepultura.* ibid.

67. *An qui tempore interdicti habent priuilegium particulare aſsiſtendi diuinis officiis, vel intereſſentes in diebus Paſchatis, &c. poſsint in loco ſacro ſepeliri.* 332

68. *Quale peccatum ſit violare interdictum.* ibid.

69. *An Epiſcopus poſsit ſuſpendere interdictum.* 333

70. *An qui habet duo domicilia, alterum in loco interdicto, alterum in loco non interdicto, cenſeatur interdictus.* ibid.

71. *An Confeſſarius poſsit tollere interdictum perſonale particulare ſine reſeruatione latum poſt ſatisfactionem, vel ſatisfaciendi cautionem.* ibid.

72. *An interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ prohibeatur omnis ingreſſus.* 334

73. *An interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ poſsit intra illam recipere Sacramenta.* ibid.

74. *An interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ ſi moriatur cum ſignis pœnitentiæ, ſit abſoluendus, vt poſsit ſepeliri in loco ſacro.* ibid.

75. *An interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ poſsit in Cœmeterio Officia diuina audire, & Miſſam celebrare.* 335

76. *An tempore interdicti, vt quis poſſet celebrare domi in Oratorio virtute Cruciatæ, ſit omnino neceſſaria licentia Epiſcopi.* ibid.

77. *An tempore interdicti poſsit moribundo conferri extrema Vnctio, quando non poteſt recipere Sacramentum Pœnitentiæ.* ibid.

78. *An interdictum perſonale ſpeciale poſsit ferri pro culpa veniali.* 336

79. *An interdictum perſonale generale poſsit ferri pro debito pecuniario.* ibid.

80. *An interdicto Clerico intelligantur interdicti Religioſi.* ibid.

81. *An tempore interdicti licitum ſit contrahere matrimonium.* ibid.

82. *An Sacerdotes, qui poſſunt in interdicto Miſſam dicere, & Clerici diuinis officiis aſsiſtere, poſsint etiam communicare abſque celebratione.* 337

83. *An laici, quibus tempore interdicti licitum eſt in aliquibus diebus Miſſam audire, poſsint ſacram Euchariſtiam ſumere.* ibid.

84. *An benedictio nuptiarum ſit tempore interdicti illicita.* 338.

85. *An Clerici coniugati poſsint intereſſe diuinis officiis tempore interdicti.* ibid.

86. *An interdictus à Sacro faciendo poſsit Ordines conferre.* ibid.

87. *An deficiente Clerico poſsit Sacerdos accipere laicum ad ſeruiendum Miſſæ.* ibid.

TRACTATVS XI.

De ſigillo Confeſſionis.

RESOL. 1. QVotuplex ſit ſigillum. 339

2. Quotuplex ſit malitia in frangendo ſigillum ſacramentale. ibid.

3. An in aliquo caſu Confeſſarius licitè poſsit vti notitia parta. 340

4. An aliquis vocalis, vel Magiſter Nouitiorum poſsit negare ſuffragium alicui propter peccatum confeſſum. 341.

5. An ſi pœnitens explicet aliqua in confeſsione concomitanter, teneatur Confeſſarius celare ſub ſigillo. 342

6. An Confeſſarius loquens pœnitenti extra confeſsionem de peccatis confeſsis, & eum accuſans, tamquam fractor ſigilli puniendus ſit. ibid.

7 An cui iniuſtè reuelata eſt confeſsio à Cõfeſſario, teneatur celare ea ſub ſigillo. 343

8. An pœnitens teneatur pœnitentiam impoſitam à Confeſſario non manifeſtare ſub ſigillo. ibid.

9. An Confeſſarius poſsit peccatum in confeſsione auditum reuelare, quando ipſe nequit aliter peccatum ſuum in confeſsione manifeſtare. ibid.

10. An Confeſſarius de licentia pœnitentis poſsit reuelare confeſsionem. 344

11. An cùm Sacerdos de licentia pœnitentis reuelat aliis peccatum, alij teneantur ad ſigillum. ibid.

12. An Superior à quo petitur poteſtas abſoluendi à reſeruatis, teneatur ad ſigillum. 345

13. An ſi pœnitens confiteatur cum laico, exiſtimans poſſe in abſentia Sacerdotis abſolui, teneatur laicus ad ſigillum. 346

14. An laicus ſi ex neceſsitate audiat alicuius confeſsionem, teneatur ad ſigillum. ibid.

15. An qui ſe fingit Sacerdotem, teneatur ad ſigillum. ibi.

16. An qui caſu audit peccata alicuius, teneatur ea non manifeſtare ſub ſigillo. 347

17. An Sacerdos, qui ſciuit in confeſsione furtum ſibi factum, poſsit furem accuſare ex aliis indiciis extra confeſsionem cognitis. 348

18. An Confeſſarius, ſi aliquem defectum commiſit in confeſsione, poſsit extra illam illud pœnitenti renuenti aperire. ibid.

19. An Confeſſarius ſtatim poſt finitam confeſsionem, & datam abſolutionem poſsit loqui cum pœnitente abſque licentia de errore commiſſo in dicta confeſsione. 349.

20. An Confeſſarius in actu ſecundæ confeſsionis poſsit refricare, & meminiſſe peccatorum in priori confeſsione à pœnitente detectorum. ibid.

21. Quid facere debeat Confeſſarius ſi ex confeſsione vnius complicis ſcit peccata alterius, & alter in confeſsione tacet. 350

22. An Confeſſarius teneatur dare ſchedulam peccatori, quam non abſoluit. ibid.

23. An quando quis coram multis confitetur, teneantur omnes, qui audiunt, ad ſigillum. ibid.

24. An ſit contra ſigillum confeſsionis etiam cum licentia pœnitentis reuelare peccatum complicis abſque complicis licentia. ibid.

25. An Confeſſarius poſsit ſine fractione ſigilli manifeſtare peccatum nondum patratum. 351

26. An pœnitens ſi accedat ad confeſsionem ſine attritione, vel propoſito, Confeſſarius teneatur ad ſigillum. ibid.

27. An qui inuenit papyrum in qua erant peccata alicuius ſcripta, teneatur ad ſigillum confeſsionis. ibid.

28. An Confeſſarius poſsit reuelare hæredibus reſtitutionem faciendam, quam debebat mortuus pœnitens. 352.

29. An ſit contra ſigillum reuelare defectus naturales pœnitentis. ibid.

30. An Confeſſarius frangat ſigillum, ſi reuelat virtutes pœnitentis. 353.

31. An Confeſſarius ſine fractione ſigilli poſsit manifeſtare pœnitentiam, quam impoſuit pœnitenti. ibid.

32. An ſi fractio ſigilli fiat in vtilitatem pœnitentis, ſit licita. ibid.

33. An ſit licita fractio ſigilli quando caſus eſt talis, quod pœnitens teneatur conſentire, & ſi non conſentiat, quid facere debeat Confeſſarius? ibid.

34. An confeſsio facta inuito Sacerdoti cadat ſub ſigillum. 354.

35. An qui dixit ſe audiuiſſe in tali Monaſterio peccatum graue frangat ſigillum, etiamſi non nominet pœnitentem. ibid.

36. An Magiſter Nouitiorum, vel Confeſſarius monialium poſsit in exercitiis ſpiritualibus in generali damnare peccata quæ audiuit in confeſsione. ibid.

37. An Confeſſarius, ſi ex confeſsione intelligat famulum eſſe furem, poſsit illum fugere. ibid.

38. An quæ peccata non ſunt, & alios concernunt, teneatur Confeſſarius celare ſub ſigillo. ibid.

39. An Confeſſarius propter correctionem fraternam debeat, aut poſsit extorquere complicem. 355

40. An proſit teſtimonium Confeſſarij de licentia pœnitentis vt probetur pœnitens emendatus in foro externo. ibid.

41. An Confeſſarius, quando pœnitens ei dat licentiam reuelandi confeſsionem, debeat illam exigere in ſcriptis. 356

42. An ſit contra ſigillum confeſsionis dicere, non abſolui pœnitentem. ibid.

43. Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius quando interrogatur ſub iuramento an in confeſsione audiuerit peccatum aliquod. 357

44. An ſi quis ante confeſsionem conſulat virum doctum in ordine ad confeſsionem faciendam, non cum illo, ſed cum alio, teneatur dictus conſiliarius ad ſigillum. ibid.

45. An ſit contra ſigillum confeſsionis, ſi Superior alicuius domus dicat Patri Generali, in ea domo ſæpè poſtulari poteſtatem abſoluendi à reſeruatis. ibid.

46. An pro ſeruanda vita poſsit Sacerdos aliquo modo manifeſtare peccata pœnitentis. 358

47. An ſi Confeſſarius in aliquo caſu dicat ſe audire Petri confeſsionem, frangat ſigillum. ibid.

48. An interpres teneatur celare peccata ſub ſigillo ſacramentali. ibid.

49. An Confeſſarius aſſerens Petrum confeſſum fuiſſe plura peccata venialia, frangat ſigillum. 359

50. An frangat ſigillum qui dicit aliquem in confeſsione ſuis minutiſsimis peccatis ſcrupulosè caput ſuum obtundere. ibid.

51. Qua

51. *Quæ pœna imponatur Confessori reuelanti sigillum confessionis.* ibid.
52. *Quomodo possit constare de hoc delicto.* 360
53. *An Confessarius qui frangit sigillum, sit irregularis.* ibid.
54. *An secretum tamquam in confessione detectum obliget, ac si fuisset dictum in confessione.* ibid.

TRACTATVS XII.

De Indulgentiis, & Iubilæo.

RESOL. 1. *AN si quis intra tempus à Iubilæo præscriptum confiteatur, & ante consecutionem Indulgentiæ incidat in aliud peccatum, teneatur iterum confiteri.* 361
2. *An per Bullam Cruciatæ quis lucretur in diebus signatis, qui vocantur stationes, omnes indulgentias plenarias Vrbis Romæ.* ibid.
3. *An si quis sumat Indulgentiam plenariam, liberetur ab onere implendi pœnitentiam pœnalem à Confessario impositam.* 362
4. *An indulgentia sublata peccati fictione sortiatur effectum suum.* ibid.
5. *An ad lucrandas indulgentias debeat opus iniunctum fieri benè moraliter, ita vt sit in se honestum, & moraliter bonum.* 363
6. *An sufficiat intentio habitualis ad lucrandas indulgentias.* 364
7. *An opus iniunctum pro acquirenda indulgentia faciendum sit intentione principali, vel æquè principali ad illam lucrandam.* ibid.
8. *An indulgentiæ certò, & infallibiliter prosint defunctis.* ibid.
9. *Vtrùm indulgentiæ per modum suffragij prosint Catechumenis mortuis sine Baptismo.* 365
10. *An causa indulgentiæ non solùm debeat esse pia sed etiam proportionata.* ibid.
11. *An quis possit vno, & eodem opere lucrari simul plures indulgentias diuersis viis concessas.* ibid.
12. *An moniales tempore Iubilæi possint eligere quoscumque Confessarios ab Ordinario approbatos, etiamsi in particulari non sint ad earumdem monialium confessiones ab Ordinario deputati.* 366.
13. *An excommunicatus contritus si non potest obtinere absolutionem, lucretur indulgentias vel Iubilæum.* ibid.
14. *An quando in Bulla Iubilæi, vel indulgentiæ præscribitur simpliciter, & indeterminatè eleemosyna, hæc facienda sit secundùm qualitatem personæ.* 367
15. *An pauperes qui non possint ad lucrandas indulgentias largiri eleemosynas, egeant commutatione in aliud opus pium.* ibid.
16. *An pro lucrandâ indulgentia concessa visitantibus quinque Altaria, satis sit preces fundere ex vno loco, siue vota de vno in aliud Altare.* 368
17. *An si in Iubilæo dicatur tantùm quòd efficiatur Communio in die Dominica, quis satisfaceret communicando alia die hebdomadæ.* ibid.
18. *An qui faciunt opus requisitum, lucrentur æquiualenter indulgentias.* 369
19. *An si præ hominum multitudine Ecclesiam ingredi non potest, sufficiat foris orationem fundere ad lucrandam indulgentiam.* ibid.
20. *An diruto Templo indulgentia ipsi concessa pereat.* 370
21. *An Prælati inferiores Episcopo per consuetudinem præscriptam possint acquirere potestatem condendi indulgentias.* ibid.
22. *An si in Bulla præcipiatur tribus diebus ieiuniorum fieri orationem, eleemosynam, &c. iisdem diebus facienda sit.* ibid.
23. *An si minima aliqua pars operis iniuncti prætermittatur, consequatur quis indulgentiam.* 371
24. *An qui adimplet opera iniuncta intra duas hebdomadas, lucretur Iubilæum.* ibid.
25. *An ad lucrandum Iubilæum sufficiat quòd commutatio ieiuniorum ex iusta causa fiat, v. g feria 5.* ibid.
26. *An qui omisit ex malitia opera præscripta in Iubilæo possit vltimo die illud lucrari, & dicta opera à Confessario commutari.* 372
27. *An pœnitens, cui ex iusta causa fuit dilata absolutio post tempus à Iubilæi Bulla definitum, si incidat in nouos casus reseruatos, & noua vota emittat, possit Confessarius illa absoluere, & hæc commutare.* ibid.
28. *An qui lucratus est Iubilæum in prima hebdomada, iterum in secunda possit illud lucrari.* 373
29. *An qui tempore Iubilæi per aliquam impotentiam physicam, vel moralem non potest confiteri, sed contritus post alia opera præscripta communionem sumit, lucretur Iubilæum.* ibid.
30. *An ad lucrandum dictum Iubilæum si quis non habeat mortalia, teneatur adhuc confiteri.* ibid.
31. *An si quis in Iubilæo præberet eleemosynam per seruum, qui illam tamen non daret, lucretur Iubilæum? vbi plura de eleemosyna largienda tempore Iubilæi.* 374
32. *An in Iubilæis sufficiat opinio probabilis ad lucrandam indulgentiam.* ibid.
33. *De oratione facienda ad lucrandum Iubilæum.* 375
34. *An quando in Iubilæo conceditur facultas absoluendi ab omnibus casibus & censuris Papæ reseruatis, possit Confessarius absoluere à casibus Bullæ Cœnæ.* ibid.
35. *An quando in Iubilæo conceditur facultas absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ, excepta hæresi, adhuc sit absoluendus hæreticus occultus pœnitens & emendatus.* ibid.
36. *An Confessarius virtute Iubilæi Bullæ Cruciatæ, aut alterius priuilegio, possit commutare vota extra sacramentalem confessionem.* 376
37. *An Religiosi tempore Iubilæi possint eligere Confessarium non approbatum ab Episcopo, sed à Prælato Regularium.* ibid.
38. *An Indulgentiam pro mortuis lucretur existens in peccato mortali.* 377
39. *Quando indulgentia largitur per dies & annos, quomodo intelligendum.* ibid.
40. *An si tempore Iubilæi quis noluit petere commutationem votorum, possit postea eo transacto illam petere.* 378
41. *An qui tempore Iubilæi obtinuit commutationem votorum, sed aliquorum oblitus est, transacto eo tempore possit à dictis votis oblitis commutationem petere, non obstante quòd lucratus non sit Iubilæum.* ibid.
42. *An qui tempore Iubilæi absolutus fuit à reseruatis, & obtinuit commutationem votorum, si ex culpa sua voluntariè*

voluntariè postea non lucretur Iubilæum, peccet mortaliter. 379

43. *An si quis visitet Oratorium in domo sua pro Missa celebranda approbatum, lucretur indulgentiam Bullæ Cruciatæ, cum opere visitandi Ecclesias.* ibid.

44. *An oratio facienda in dictis Ecclesiis, vel Altaribus pro lucranda indulgentia Bullæ Cruciatæ sufficiat vt sit mentalis.* ibid.

45. *An indulgentiam stationum possit quis in die multoties lucrari.* ibid.

46. *An in articulo mortis possit virtute Bullæ Cruciatæ applicari indulgentia ab alio quàm à Sacerdote.* 380.

47. *An per Iubilæum sit eligibilis in Confessarium Parochus, qui renuntiauit beneficium, vel ab illo fuit priuatus.* ibid.

48. *An in aliquo casu sit eligibilis per Iubilæum Sacerdos non approbatus ab Episcopo sed à Parocho.* 381

49. *An per Iubilæum sit vbique eligibilis in Confessarium secularis, seu Regularis approbatus tantùm limitatè ad paruum oppidum, vel quoad personas.* ibid.

50. *An Religiosus ab Episcopo approbatus sit eligibilis per Iubilæum, etiamsi à suo Prælato per sententiam priuatus sit, ne confessiones secularium audiat.* 382

51. *An tempore Iubilæi possit quis petere commutationem votorum vel operum iniunctorum ab vno Confessario, & postea cum altero confiteri.* ibid.

52. *An per Iubilæum sit eligibilis in Confessarium Prælatus Regularium non approbatus ab Ordinario loci.* ibid.

53. *A quo Episcopo debeat esse approbatus Confessarius per Iubilæum eligibilis.* 383

54. *An si quis, v.g. Panormi post publicatum Iubilæum visitauit Ecclesias, compulsus postea ex aliquo negotio è Panormo discedere possit in alio loco reliqua opera præscripta præstare, & Iubilæum lucrari.* 384

55. *An quis possit lucrari Iubilæum præstando opera, quæ ex alio capite facere tenetur.* ibid.

56. *Quot Ecclesiæ in Iubilæo sint visitandæ.* ibid.

56.* *An virtute Iubilæi possit Confessarius commutare iuramentum soluendi vsuras, aut metu iniusto extorta.* 385

57. *An Confessarius virtute Iubilæi habens facultatem dispensandi, & commutandi vota, extendatur hæc facultas ad iuramenta promissoria Deo facta, vel ad vota iurata.* ibid.

58. *An in Iubilæo possit Confessarius commutare vota peregrinationis in Hierusalem, ad limina Apostolorum, & ad D. Iacobum Compostellanum, si non exprimatur.* 386

59. *An Confessarius vi Iubilæi, in quo datur facultas commutandi vota, exceptis votis castitatis, & Religionis, possit commutare iuramenta pia Religionis & perpetuæ castitatis.* ibid.

60. *An Confessarius vi Iubilæi possit dispensare, vel commutare vota perpetuæ castitatis, vel Religionis, quando non est tota materia voti.* ibid.

61. *An Confessarius vi Iubilæi possit commutare votum perpetuæ castitatis, vel Religionis metu leui extortum.* 387

TRACTATVS XIII.

Miscellaneus I.

RESOL. I. *AN sumptio Tabachi in folio, puluere & fumo impediat communionem.* 388

2. *An sit laudabile Missam defunctorum, & officium applicari, decantari & exequias celebrari, quasi ipse mortuus sit.* 390

3. *An qui in Paschate non communicauit, teneatur statim initio sequentis anni Eucharistiam sumere.* 391

4. *Quidam in die tetigit sæpius carnaliter verenda sua, vnde nocte pollutionem postea passus est, quæritur an teneatur fateri dictam pollutionem in somnis habitam.* 392

5. *An si quis peccauit cum fœmina, sufficiat de hoc se accusare, non addendo se illam inuitasse.* ibid.

6. *An Regulares quando adire non possunt Summum Pontificem, vel sacram Congregationem, debeant pignorare vasa, lampades & candelabra argentea cum licentia Episcopi.* 393

7. *An quis licitè possit dicere Missam vsque ad primam horam post meridiem.* 394

8. *An vna nox sit longum tempus vt possit quis confiteri reseruata cum Sacerdote non habente authoritatem ab illis absoluendi.* 395

9. *An qui habet peccata reseruata, & nullum aliud simplex si non adest Confessarius habens in illa iurisdictionem, teneatur confiteri venialia.* ibid.

10. *An si quis habeat peccata reseruata, & ratione scandali teneatur confiteri, si non adsit Sacerdos in talia peccata facultatem habens, possit quis confiteri alia pectata, & reseruata relinquere.* ibid.

11. *An liceat Romæ v.g. famulari, nutrire, &c. Iudæos: si non adsit periculum subuersionis, quia tales seruientes firmi sint in fide.* 396

12. *An sit petenda facultas ab Inquisitoribus absoluendi illum, qui damnatus est ad mortem, & existens apud dominos Societatis Alborum inuenitur hæreticus.* 397

13. *An qui narrat consilia Regis Christiani alicui Turcarum proditori incidat in censuram Bullæ Cœnæ.* ibid.

14. *An deferre hæreticis arma, & instrumenta bellica sit prohibitum.* ibid.

15. *An licitum deferre arma infidelibus, si pecunia reportata sit Christianis vtilior.* 398

16. *An libri Catholicorum cum explanatione hæreticorum & commentariis sint prohibiti.* ibid.

17. *An sit hæreticus externus, qui simulat dormire, & propter aliquam hæresim, quam verè tenet, si audientes sibi persuadeant verè dormire.* ibid.

18. *An hæreticus ignorans excommunicationem, in illam incurrat.* 399

19. *Quando obliget præceptum fidei.* ibid.

20. *An qui vocat amasiam Deam, vel Idolum suum, sit blasphemus.* 400

21. *An omnes blasphemiæ sint eiusdem speciei.* ibid.

22. *An laicus doctus possit disputare cum hæretico.* ibid.

23. *An qui est in peccato mortali teneatur prouidere alienæ saluti cum vitæ discrimine.* ibid.

24. *Quænam sit extrema necessitas, in qua quis tenetur*

tur cum vitæ periculo opem ferre alienæ ſaluti. 401
25. An prouocatus ad duellum teneatur domo non exire, dum non componitur pax. ibid.
26. An ſi aliquis obiiciat alicui verum crimen, poſſit illi reſpondere, mentiris. 402
27. An ſi accuſator offerat duellum purgatiuum, poſſit innocens illud acceptare ad tuenda bona temporalia. ibid.
28. An ſi non adeſſet præceptum ſumendi Euchariſtiam, potuiſſet quis ſaluari, ſi non haberet propoſitum illam recipiendi. 403
29. An Sacerdotes ſumentes ſpeciem corporis, & ſanguinis Chriſti, recipiant maiorem gratiam, quàm laici ſumentes tantùm corpus. 404
30. Quæ Sacramenta ſuſcepta, recedente fictione conferant gratiam. ibid.
31. An alia Sacramenta præter Baptiſmum, & Pœnitentiam, aliquando conferant primam gratiam. ibid.
32. An ad valorem Sacramenti requiratur poſitiuus conſenſus illud ſuſcipiendi. 405
33. Quando obliget præceptum contritionis. ibid.
34. An quis peccet mortaliter, ſi formam abſolutionis variet, dummodò tamen verba ſignificent actum iudicialem. 406
35. An Religioſi obligati ad confitendum determinatis temporibus, ad hoc teneantur, ſi peccata tantùm venialia habeant. ibid.
36. An Confeſſarius teneatur imponere pœnitentiam ante abſolutionem. 407
37. An Confeſſarius imponens pœnitentiam, etiam determinando tempus, poſt illud elapſum teneatur pœnitens adhuc illam implere. ibid.
38. An ſatisfactio Sacramentalis in peccato mortali facta habeat ſuum effectum. ibid.
39. An Epiſcopus ex Religione Minimorum aſſumptus teneatur ad votum vitæ quadrageſimalis. 408
40. An qui edit vſque ad vomitum peccet mortaliter. ibidem.
41. An quando delictum eſt occultum, teneatur ad correctionem faciendam quis adhibere teſtes, etiamſi illud peccatum antea non cognouerint. ibid.
42. An modus præſcriptus à Domino Matthæi 18. in faciendæ correctione contineat præceptum, vel ſolùm conſilium. 409
43. An hæreticus occultus poſſit abſolui in abſentia ab Epiſcopo ſi ipſum adire non poſſit. 410
44. An equites D. Iacobi Alcantaræ, &c. gaudeant priuilegio Canonis. ibid.
45. An ſi Epiſcopus neget Religioſis dignis, & idoneis approbationem ad audiendas confeſsiones, poſſint hoc non obſtante confeſsiones audire. 411
46. An Regulares aliarum Religionum poſſint vti priuilegiis Societatis IESV, quæ conceduntur aſſignatis tantùm à Patre Generali. ibid.
47. An ſi adſint opiniones probabiles pro validitate, vel nullitate alicuius Ordinis teneatur in hoc caſu quis Ordinem denuò recipere. 412
48. An ſi Epiſcopus proferat verba formæ antequam applicetur materia, vel è contra, Ordo ſit iterandus. ibid.
49. An Generales Regularium poſſint non obſtante Bulla Gregorij XV. edita anno 1623. & Vrbanus VIII. anno 1631. præbere ſubditis licentiam legendi libros prohibitos. 413
50. An priuans ſe facultate repetendi pecuniam mutuatam per tantum tempus, poſſit aliquid licitè pro hoc exigere. ibid.
51. An Miſſa conuentualis poſſit applicari, & alij duo caſus explicantur. 414
52. An quando ſtipendium eſt in aliquo loco taxatum, & Sacerdos, qui nihil habet vnde viuat, exiguum accipit, poſſit deinde ad iuſti ſtipendij rationem Miſſas applicare. ibid.
53. An ſumens ſecunda vice Bullam Cruciatæ ſoluere teneatur decem tarenos. 415
54. An cenſeatur matrimonium conſummatum, ſi ſolus vir intra vas ſeminet naturale, fœmina non ſeminante. ibid.
55. An qui adminiſtrauit Sacramentum Baptiſmi, & Ordinis inualidè, teneatur cum periculo vitæ, & honoris manifeſtare hunc defectum. 416
56. An ſi quis inaduertenter non abſoluit pœnitentem, poſſit illum abſoluere parum diſtantem. ibid.
57. An Ordines Regularium habentes priuilegium, vt poſſint ordinari extra tempora, poſsint eo vti, vbi Tridentinum eſt receptum. ibid.
58. An Monachi peccent mortaliter, extra caſum neceſsitatis aliquem baptizando. 417
59. An ſi quis dicat alicui, Tecum pugnabo prima vice qua tibi per vrbem obuiàm ero, incidat in pœnas duelli. ibid.
60. An ſi in calice non conſecrato quis celebret bona fide, remaneat conſecratus. ibid.
61. An ſi quis adeſſet præſens tempore conſecrationis, ſatisfaceret præcepto Miſſæ. 418
62. An recipiens Euchariſtiam contra præceptum aliquod humanum, committat duo peccata, vnum contra prohibitionem illam, alterum, quia indignè communicauit. ibid.
63. An Sacerdos vt ipſe, vel alij impleant præceptum Paſchale, poſſit abſque præuia confeſsione celebrare. 419.
64. An ſi quis vrgente neceſsitate celebrandi, caſum reſeruatum cum omnibus aliis peccatis confeſſus ſit cum inferiore Confeſſario, teneatur poſtea quamprimum ex præcepto Tridentini ſeſſ. 13. cap. 7. confiteri Superiori. ibid.
65. An poſt pollutionem voluntariam, ſi eodem die pœnitens confiteatur, faciat contra Concilium, ſumendo Euchariſtiam. 420
66. An ſi in aliqua ordinatione officialis Epiſcopi proteſtetur Epiſcopum nolle ordinare irregulares, tales hoc non obſtante reuera ordinentur. ibid.
67. An teſtes, priuilegiati de iure teneantur ex vi monitorij, reuelare crimen ſui coniuncti, etiamſi alij non adſint teſtes. 421
68. An non reuelantes ex vi monitorij teneantur reſtituere damna inde ſequuta. ibid.
69. An ex vi monitorij quis teneatur reuelare furtum domeſticum factum à filiofamilias. 422
70. An Cancellarius Epiſcopi poſsit ratione laboris ſumere aliquid pro licentia audiendi confeſsiones, vel concionandi. ibid.
71. An pro diſpenſationibus matrimonialibus poſsit delegatus ſumere aliquid ratione laboris, & quid pro executoriis, & licentiis publicandi indulgentias. 423

72. *An Sacerdos poſt conſecrationem particularum, poſſit illas ponere in Tabernaculo, vel extra aram, aut dare alteri Sacerdoti pyxidem, vt illas in alio Altari populo diſtribuat.* 425

73. *An Epiſcopus conſecrans Chriſma in ſtatu peccati mortalis peccet mortaliter.* 426

74. *An aliquando ex temporis anguſtia ſi quis non poſſit elicere actum contritionis, poſſit licitè miniſtrare, & conficere Sacramenta.* ibid.

75. *An Coadiutoria cum futura ſucceſſione inducat obligationem recitandi horas Canonicas.* 427

76. *An liceat vaſa, veſtes, ligna, & alia cultui diuino dicata in profanos vſus conuertere, dummodò non maneant in eadem forma.* 428

77. *An pueri habentes vſum rationis teneantur ſtatim præcepto audiendi Miſſam.* ibid.

78. *Aliqua notabilia contra debitores moroſos.* 429

79. *An compenſatio ſit valida in foro conſcientiæ ſi adſunt creditores anteriores.* ibid.

80. *An ſi in campo in aliqua eccleſia non reperiatur hoſtia ſed tantùm particula, liceat Sacerdoti cum illa celebrare.* ibid.

81. *An audientes comœdias peccent ſaltem mortaliter, quia ex eorum ſtipendiis aluntur hiſtriones, qui peccant, laſciuas comœdias repræſentando.* ibid.

82. *An Magiſtratus permittendo recitationem comœdiarum turpium peccent mortaliter.* 430

83. *An ſit licitum in diebus feſtiuis computare cum operariis eorum mercedem, & ſoluere.* ibid.

84. *Quidam ruſticus per multum tempus ignorauit myſterium Trinitatis, an teneatur retterare confeſiones factas? & de quodam caſu.* 431

85. *An infans repertus in valuis Eccleſiæ, vel alicuius domus, ſit baptizandus.* ibid.

86. *An infans in domo baptizatus ab obſtetricibus, poſſit iterum in Eccleſia baptizari.* 432

87. *An matrimonium nullum ratione conſenſus ex parte vnius reualidetur poſtea, ſi ipſe ſolus conſentiat.* ibid.

88. *An monialis viſa ſuper tegulas Monaſterij fregerit clauſuram.* 433

89. *An aliquando quis non teneatur ſalutare inimicum, & poſſit ei mortem deſiderare.* ibid.

90. *An Epiſcopi ſine aliqua cauſa poſſint abeſſe per trimeſtre ab eorum Diœceſibus ſtante Tridentino.* ibid.

91. *An ſi in iure, vel aliqua Bulla inferatur aliqua pœna priuationis vocis, debeat intelligi tam de actiua, quàm de paſſiua.* ibid.

92. *An ſi cingulum ſit fractum poſſit Sacerdos partes ſeparatas coniungere, & ita celebrare.* ibid.

93. *Abbate Benedictino conferente Ordines minores quibuſdam non ſibi ſubditis, qui poſtea alios ordines ſuſceperunt & in illis miniſtrauerunt, quid ſtatuendum.* 434

94. *An ſi quis daret alicui centum, ignorans quòd ex iuſtitia tantum etiam illi debeat, teneatur poſtea ſoluere alia centum.* 437

95. *An Sacerdos in Miſſa ſolemni teneatur recitare ſubmiſſa voce Epiſtolam, & Euangelium.* 438

96. *An Sacerdos celebrans poſſit in aliquo caſu Hoſtiam à ſe conſecratam reponere in Sacrario, & ex illo particulam ex præconſecratis ab alio ſumere.* ibid.

97. *An minores Ordines poſſint conferri diebus feſtiuis duplicibus, non tamen ſeruatis à populo ex præcepto? Et quid de Ordinibus ſacris ex priuilegio Papæ ſumendis, vt conceditur in tribus diebus feſtiuis.* 439

98. *An liceat cuilibet Chriſtiano bona poſſeſſa à Turcis ſibi vſurpare.* 440

99. *An coniugati, quando delectantur moroſè de aliquo obiecto libidinoſo, teneantur in confeſſione explicare circumſtantiam coniugij, videlicet eſſe coniugatos.* 441

TRACTATVS XIV.

Miſcellaneus II.

RESOL. I. *AN qui ad redimendam vexationem Electori dedit pretium, ne minùs dignus eligatur ad beneficium ſit ſimoniacus, & incidat in pœnas latas contra ſimoniacos.* 443

2. *An quando aliquis non vi, vel fraude illata, ſed ſolùm per ſubornationem, preces, & munera, quæ electoribus confert, impedit, ne quis eligatur, poſſit pretio redimere hanc vexationem &c.* ibid.

3. *An ſi quis poſt collationem beneficij impediatur iniuſtè accipere poſſeſſionem, poſſit quis pecunia redimere hanc vexationem.* ibid.

4. *An ſi reſponſor caſuum conſcientiæ recipiat pecuniam propter conſilium requiſitum à petente ad pacandam conſcientiam, & in illius foro, ſit ſimoniacus.* 444.

5. *An Sacerdos qui poſt confeſſionem recordatur in altari aliquod peccatum oblitum, teneatur de illo conteri ante ſumptionem communionis.* ibid.

6. *An Sacerdos quando confeſſus eſt, & poſt celebrationem recordatur alicuius peccati obliti, teneatur quamprimùm illud confiteri vt adimpleat præceptum Concilij Tridentini ſeſſ. 13. can. 7.* 445

7. *An dominus licitè poſſit imponere ſeruo infideli, vt opera ſeruilia diebus feſtis exerceat.* ibid.

8. *An qui in principio non acceptant legem, peccent mortaliter.* ibid.

9. *An conſuetudo eligendi per ſortes Sanctos tutelares ſit licita.* ibid.

10. *An qui tota nocte dormiuit cum muliere, teneatur in confeſsione explicare hanc circumſtantiam, vel ſufficiat confiteri numerum copularum.* 446

11. *An Generales, & Definitores teneantur eligere digniores ad Prælaturas regulares.* ibid.

12. *An habentes Bullam Cruciatæ poſſint in collatione veſpertina ieiunij ſumere aliquid caſei, vel lactis.* 447.

13. *Religioſus comedens lacticinia in aliqua vigilia peccét-ne mortaliter.* ibid.

14. *An licitum ſit in collatione ſerotina ieiunij ſumere legumina cocta in quantitate vnciarum octo.* 448

15. *An Superiores Regulares, qui non legunt decreta Vrbani VIII. de celebratione Miſſarum temporibus ſtatutis, ſed poſt aliquos dies, incidant in pœnas.* ibid.

16. *An Religioſi, qui ſecundùm decreta Clementis VIII. nouitia-*

nouitiatum non fecerunt in locis designatis, possint stante Bulla Vrbani VIII. coram Ordinarijs locorum professionum nullitatem petere, non seruatis tamen seruandis saltem in Tridentino. 449

17. An omnia viuæ vocis oracula annullentur per constitutiones Gregorij XV. & Vrbani VIII. ibid.

18. An Episcopus possit dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonium, quando contractum est mala fide, si sequatur periculum aut scandalum. 450

19. An si Sacerdos habuit intentionem consecrandi particulas positas in pyxide, quæ non fuit à Sacrista, vel ab ipso posita super corporale, sed in cornu Altaris, particulæ illæ habendæ sint tanquam consecratæ. 451.

20. An qui proficiscitur extra Regna Hispaniarum, breui tamen reuersurus, possit vti priuilegio Bullæ Cruciatæ circa esum ouorum, & lacticiniorum. 452

21. An reuocatio sine iusta causa facta Sacerdotibus secularibus non audiendi amplius confessiones, sit nulla. 453.

22. An confessio facta Sacerdoti ignoranti ea, quæ communiter scire tenetur, sit inualida, & reiteranda. ibid.

23. An professio fidei possit fieri per Procuratorem? & de fructuum restitutione. 454

24. An Superiores Regulares, & alij excusentur à pœnis impositis in aliquibus Bullis Pontificiis ratione ignorantiæ, & bonæ fidei, etiam in foro externo. 455

25. Vtrùm leges Pontificis nõ obligent nisi in singulis Diœcesibus publicentur. ibid.

26. An Episcopi post resignationem alicuius beneficij, factam in eorum manibus, possint illud conferre suis, vel resignantis familiaribus, &c. vbi & de resignatione beneficiorum. 458

27. An qui scit Italicè, non autem Latinè legere, possit ab Episcopo initiari prima tonsura, & quid si nesciat scribere. ibid.

28. An dispensatio super impedimento cognationis, vel publicæ honestatis, non facta mentione de copula habita, sit subreptitia. ibid.

29. An Vicarius Capituli Sede vacante possit cognoscere de causis delegatis Vicario generali Episcopi, & exequi dispensationes in matrimonij impedimentis, & literis in forma Dignum, quæ huiusmodi Vicario Episcopi solent concedi. 459

30. An dispensatio prima vice, qua illa vtimur, extinguatur. ibid.

31. An qui per Confessarium vigore literarum alicuius dispensationis habuit pœnitentiam, vt singulis mensibus confiteatur, confessionem aliquo mense omissam teneatur sequenti supplere. 460

32. An qui fictè promisit matrimonium, & sub ea spe fœminam cognouit, teneatur illam in vxorem ducere. ibid.

33. An si sponsalibus fictis iuramentum apponatur, non tamen cum animo se obligandi, oriatur obligatio præstandi promissum. ibid.

34. An iuramentum additum fictæ promissioni veram inducat obligationem. 461

35. An legatum relictum non personæ particulari, sed generaliter pro virginibus maritandis, lucretur puella, quæ Religionem ingreditur. ibid.

36. Coniux quando teneatur reddere debitum petenti sub onere peccati mortalis. ibid.

37. An dum vnus ex coniugibus, si potest, non exspectet alterius seminationem, committat peccatum mortale. 462

38. An qui priùs emisit votum castitatis, aut Religionis, & postea fœminam defloruit, fide data contrahendi cum ea teneatur eam in vxorem ducere, vel votum adimplere. ibid.

39. Quando præsumatur donatio in emptionibus, & venditionibus circa excessum, vel defectum iusti pretij. 463.

40. An qui mutat scripturam in aliqua re, quæ tamen innititur veritati sit falsarius. ibid.

41. An Confessarius valide absoluat antequam licentia habita ab Episcopo, vel Vicario reducatur in scriptis. 464

42. An laicus ex præscriptione sit immunis à solutione decimarum. ibid.

43. An Sacerdos finita Missa, si in Sacristia sacris vestibus adhuc non spoliatur, inueniat aliquod fragmentum in patena, vel Calice, possit illud sumere. 465.

44. An in vero dubio, an habeat peccatum mortale, quis possit sumere Eucharistiam sine confessione. ibid.

45. An Sacerdos valorem Missæ specialem sibi debitum possit alteri applicare. ibid.

46. An Beneficiarius, qui non recitauit Laudes, teneatur ad aliquam restitutionem. 466

47. An Beneficiarius, qui partes leues in singulis horis omittit, quæ simul sumptæ grauem quantitatem constituunt, teneatur ad aliquam restitutionem. 467.

48. An quando Matutinum separatur à Laudibus, in fine recitanda sit oratio diei. ibid.

49. An Monialis, quæ in marem erupit, sit obliganda vt intret Religionem virorum. ibid.

50. An pueri capaces sacramenti Pœnitentiæ teneantur in articulo mortis ex vi iuris diuini communionem sumere. 468

51. Quomodo agendum cum pœnitente confessionem inualidam faciente, dicente tamen, Accuso me de omnibus peccatis, quæ in confessione inualida aperui, etsi Confessarius non recordetur de statu in communi, &c. ibid.

52. An qui audit Missam ab vno Sacerdote à consecratione vsque ad finem, & ab alio à principio vsque ad consecrationem, satisfaciat præcepto. 469

53. An quando quis ratione scandali debet sumere Eucharistiam, & confessio est adeò longa vt perfici non possit, & timeretur actum contritionis à pœnitente eliciendum non fore, esset in tali casu confessio diuidenda & pœnitens absoluendus. ibid.

54. An quando quis ex aliqua iusta causa in confessione non confitetur aliquod peccatum, teneatur statim alteri illud confiteri. 470

55. An sufficiat si pœnitens dicat in confessione, Anno integro omisi Officium diuinum, licet aliquoties doluerit de culpa, & statuerit recitare, si propositum nonimpleuerit. ibid.

56. De aliquibus circumstantiis peccatorum in confessione explican-

explicandis, vel non explicandis. ibid.
57. An vxores & filij possint aliquando post mortem viri, vel parentum occultare bona creditorum. 471
58. An si aliquando non patet aditus ad Episcopum pro casu reseruato, possit Confessarius pœnitentem absoluere. 472
59. An absolutus tempore mortis ab excommunicatione, elapso morbo teneatur quamprimùm poterit, se repræsentare Superiori, alioquin reincidet in eamdem excommunicationem, sicut priùs erat. ibid.
60. An confessio per literas aliquando possit esse valida, etiam post decretum Clementis VIII. ibid.
61. An qui per mensem singulis diebus habuit pœnitentiam audiendi Missam, teneatur diebus festiuis duas Missas audire. 473
62. An in foro conscientiæ vt consuetudo abroget legem, requiratur præscriptio aliqua temporis. ibid.
63. An Episcopus possit supplere aliquem defectum ordinationis quouis tempore. 474
64. An si adesset opinio probabilis aliquem in susceptione Ordinis alicuius illum non suscepisse, licet alia opinio in contrarium teneat probabilis, adhuc teneatur iterare dictum Ordinem. ibid.
65. An requiratur intentio saltem virtualis in eodem tempore Missæ ad applicandum fructum Sacrificij, cui præbuit stipendium. 475
66. An si quis accedat ad confessionem sufficienter attritus absque alio formali proposito non peccandi de cætero, recipiat gratiam, & confessio sit valida. ibid.
67. An qui seriò in examine elicuit actum contritionis, proponens sequenti die confiteri, sed postea in confessione nullum actum doloris deprompsit, confiteatur validè. ibid.
68. An decretum Gratiani habeat vim legis. 476
69. An ius ciuile obliget in Hispania in casibus, in quibus aliquid non sit definitum in legibus illorum Regnorum. 477
70. An qui audit Missam post finitum Euangelium, satisfaciat præcepto. ibid.
71. An si Confessarius iniunxit duas Missas audire, satisfaciat pœnitens si simul ex vno loco illas audiat à duobus Sacerdotibus. 478
72. An Regularis propter æstum, & ad capiendum somnum dormiens sine tunica lanea, quæ erat habitus suæ Religionis, peccet mortaliter. ibid.
73. An pœnitens propria authoritate possit commutare pœnitentiam sibi impositam in opus euidenter melius. ibid.
74. An Reges teneantur in conscientia non reuocare concessionem factam futuræ accessionis in dignitate Proregis. 479
75. An sit simonia, si Titius promittat Caio se daturum eleemosynam pauperi, vel loco pio, si Caius impetret Titio beneficium Ecclesiasticum. ibid.
76. An si Sacerdos loco verborum consecrationis, Hoc est enim corpus meum, diceret, Hæc est enim caro mea, conficeret Sacramentum. ibid.
77. An si Sacerdos loco illorum verborum, Hoc est corpus meum, dicat, Hic est corpus meum, validè consecraret. 480
78. An sit valida consecratio, si Sacerdos loco illorum verborum, Hoc est corpus meum, dicat, Hoc corpus est meum, vel Meum est hoc corpus. ibid.
79. An orationes existentis in peccato mortali prosint animabus Purgatorij. 481
80. An Sacerdos accipiens stipendium ab aliquo pro Missa applicata, teneatur ei applicare fructum ex opere operantis, & orationes, aliaque quæ in Missa fiunt. ibid.
81. An sacrificium Missæ pro pluribus oblatum prosit singulis, ac si pro vno tantùm offerretur. ibid.
82. An Sacerdos, si dum ordinatur, intelligit iam verba à socio prolata esse, teneatur ipse non proferre vlteriùs verba consecrationis. 482
83. An sexagesimum agens annum teneatur ad ieiunium. ibid.
84. An si testator relinquat cuidam Ecclesiæ legatum vnciarum decem quolibet anno in perpetuum, elapso à morte testatoris tempore 100. annorum, hæredes teneantur soluere supradictum legatum. ibid.
85. An circumstantias notabiliter minuentes peccatum teneatur quis in confessione explicare. ibid.
86. An quilibet Sacerdos possit peccata venialia absoluere. 483.
87. An qui mala fide emit rem à latrone, possit cognito vero domino, latroni restituere, vt pretium recipiat. 484
88. An Bulla SS. D. N. P. Vrbani VIII. die 28. Ian. anno 1628. edita contra Monetarios extendatur ad commorantes in Regno Siciliæ, Sardiniæ, & Corsicæ. 485
89. An quando examinandi ob timorem examinatorum turbarentur, si verè sint idonei, licitum eis præmonere de punctis interrogandis. ibid.
90. An stante aliqua rationabili, & iusta causa liceat aliquando sterilitatem in vxoratis procurare. ibid.
91. An Prælati Regulares quoad suos subditos possint dispensare super infamia iuris, etiam publica. 486
92. An ad vitanda mala temporalia, ægritudinem, internam afflictionem, liceat mortem exoptare. ibid.
93. An sit peccatum mortale inuertere ordinem in succurrendo patri, matri, filio, & vxori. 487
94. An Commendatarij D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ, &c. possint disponere de redditibus Ecclesiasticis ad libitum, sicut de bonis patrimonialibus. ibid.
95. An Magistratus, & Prælati teneantur ad correctionem subditorum, non solùm lege charitatis, sed etiam iustitiæ. ibid.
96. An quando cessat totalis finis legis in particulari, cesset eius obligatio. 488
97. An licitum sit communicare cum hæretico, in quem lata est sententia, eum in hæreticum declarans. ibi.
98. An si Clericus in bello iusto incitet ad aliquem determinatè occidendum sit irregularis. ibid.
99. An in aliquo casu vir nobilis possit sine peccato acceptare duellum. 489
100. An spectantes duellum incidant in excommunicationem. 490
101. An si quis commodet arma amico volenti duellare, incidat

incidat in excommunicationem. ibid.

102. *Vtrùm duellatores oblato, & acceptato duello incidant in excommunicationem, si postea pugna non sequatur.* 491

103. *An excommunicatio incursa per duellum possit absolui à Regularibus virtute suorum priuilegiorum.* ibid.

104. *An per Bullam Cruciatæ possit absolui excommunicatio incursa per duellum.* 492

105. *Quo tempore obliget præceptum dilectionis Dei.* ibid.

106. *Quo tempore obliget præceptum spei.* 493

107. *An prima vice concubinarius sit absoluendus, etiamsi concubinam non eiiciat.* 494

108. *An in aliquo casu concubinarius non teneatur è domo expellere concubinam, ita vt Confessarius possit ei licitè absolutionem impendere.* 495

109. *An Confessarius possit absoluere concubinarium ampliùs cum concubina non peccantem, permittens illam inuisere fine alendi filios, & ne cum aliis ipsa se immiscendo sit dictis filiis dedecori.* ibid.

110. *An concubina possit confiteri Confessario concubinario.* 496

111. *An quis teneatur aliquando confiteri Confessario, de quo dubitatur, an habeat iurisdictionem.* ibid.

112. *An qui Sacerdotes ordinantur, & cum Episcopo consecrant, possit vnusquisque applicare illud Sacrificium, cui voluerit.* 497

113. *& vlt. An qui iudicat magis probabiliter aliquod peccatum commisisse, vel confessum minimè fuisse, teneatur illud confiteri.* ibid.

TRA-

TRACTATVS PRIMVS
DE
IMMVNITATE
ECCLESIASTICA.

RESOL. I. *An Miniſtri Curiæ Epiſcoporum gaudeant priuilegio fori, in delictis extra officium commiſſis?*

NEGATIVAM ſententiam docet Cutellius *in Codice legum Sicularum Martini Regis poſt cap. 21. in concord. Inquiſ. c. 2. num. 10. & ſequent. & in Patrocinio Regiæ iuriſd. num. 201.* vbi tamen pro affirmatiua adducit plures Doctores, omnes excuſans, quare hanc tenuerint ſententiam, & aliquos, quia videlicet erãt Eccleſiaſtici viri; ſolùm in me, qui tamen Eccleſiaſticus etiam ſum, ſolùm, inquam, in me, conuertit ferrum, in me acuit iram, & contra me ſolum inuehitur, hoc pulchro elogio condecorans: Pater Diana præcipitanter non ſolùm hanc, ſed multas reprobas opiniones ſtabilire conatus eſt in hac iuriſdictionali materia; quæ ignorantibus ſcandali, ſapientibus riſus occaſionem præbent, ac in vniuerſum in præiudicialibus Regiæ poteſtatis Miniſtrorum quibus curæ hæc eſt non vulgari, ſomnolentiam, omiſſionem, ac conniuentiam demonſtrant. Ita ille. Vidiſti, Lector beneuole, modeſtiam hominis? Poteras, ô Cutelli, vtique me refellere, ſed vrbanè, vt ego feci cũ Gambacurta & Pereira, ſed ſine probris, ſine indignatione. Quorſum hæc? Non enim ego adeò ſum indocili ingenio & infrunito, vt ad mutandam in melius ſententiam, egeam plagis, & fuſtibus. Igitur per te ſomnolentiam, imò conniuentiam contra Regiam iuriſdictionem demonſtrarunt non ſolùm Miniſtri huius Regni Sjciliæ, ſed etiam Regni Aragoniæ; vbi approbante Domino D. Ferdinando Borgia Prorege meritiſſimo, opera mea Cæſarauguſtæ anno 1632. edita fuerunt, & directa Doctiſſimo & Illuſtriſſimo D. Auguſtino de Villanoua, Iuſtitiæ ſummo Præſidi. Per te etiam ſomnolenti fuerunt vigilantiſſimi, & ſapientiſſimi Senatores ſupremi Conſilij Caſtellæ, qui Madriti permiſerunt opera mea nouiſſimè hoc anno 1637. typis mandari. Mira res, quòd tu ſolus pro tuitione Regiæ iuriſdictionis oculatus ſis Argus, ceteri autem cæcutientes talpæ. Sed reuera qua ratione Miniſtri Regis poterant libros meos typis non permittere mandari, ſi omnes ſententias, quas pro libertate Eccleſiaſtica ego doceo, ante me Suarez, Azorius, Caſtrus Palaus, & alij plures Theologi & Iuriſconſulti etiam Hiſpani docuerunt? Si ergo illis hoc permiſſum fuit, quare mihi denegandum erat? Ridicula ſimul, & iniuſta res eſſet, originale intactum relinqui, & exemplar deleri. Danda eſt ſcriptoribus libertas, vt vnuſquiſque abundet in ſuo ſenſu, dummodo tamen opiniones probabiles doceat. Hinc ſi ego meis in operibus aliquam non attuli opinionem, quin priùs, vt dixi, à doctiſſimis Theologis, & Iuriſperitis non fuerit validiſſimis rationibus corroborata, quo pacto, mi Cutelli, potes aſſerere, ſententias meas fuiſſe præcipitanter dictatas? Quæ quidem etiam ſi riſum, vt tu dicis, doctis hominibus præbuiſſent, vtique Reſolutiones meæ (vt aliquorum Codices, tractatus, & Deciſiones) quaſi quædam mulieres delicatæ in primo partu periiſſens, & cum tineis, blattis, fuliginibus, & puluere penes Librariorum armaria quietè commorarentur: ſed ad Dei gloriam, à quo omne bonum, labores hoſce meos per ſpatium annorum nouem, à quo primam lucem aſpexête, decies iterum lucem nouam aſpexiſſe vidimus. Etenim de illis in Italia, Gallia, Hannonia, & Hiſpania decem editiones vſque adhuc factas eſſe conſpicimus. Eſt ne hoc, mi Cutelli, riſum, vt aſſeris, an plauſum à doctis hominibus habere? Poteras igitur ex his de paupere Patre Diana Siculo, & qui te in nihilo vnquam offendit, ſi non cum multis ſcriptoribus, atque etiam Iuriſconſultis aliquid boni ſentire, ſaltem cum ipſo, vt par erat, magis modeſtè te habere.

Sed omnia tibi condonando, ad rem veniamus. Dico igitur ad quæſtionem propoſitam in titulo huius Reſolutionis, affirmatiuè reſpondendum eſſe, cùm ita determinatum ſit à ſacra Congregatione, facto verbo cum Sanctiſſimo, vt apparet per Epiſtolam, quam per extenſum ponit Raus *in dubiis de immunitate Eccleſiaſt. fol. mihi 94.* & ego cum aliis Declarationibus dictæ ſacræ Congregationis adduxi *in part. 4. tract. 1. reſolut. 30.* & præter Barboſam, Riccium, Gratianum, Gauantum, Squillantem, Marinum, Bonacinam & Alzedum, quos ibi citaui, tenet etiam affirmatiuam ſentẽtiam Aponte *deciſ. 36.* Aurelius Auguſtinus *in conſil.* quod ponit Barboſa *in iure Eccleſiaſtico lib. 1. cap. 39. §. 14. & ſequ.* Guazzinus *in defenſ. reorum tom. 1. defenſ. 20. cap. 9. nu. 24.* Marta *de iuriſdict. part. 4. cent. 20. caſ. 3. numer. 2.* Genuenſis *in praxi cap. 9. num. 4.* Maceratenſis *lib. 1. reſolut. 75.* ex Doctoribus Hiſpanis Alphonſus Narbona *in recopilat. lib. 4. tit. 1. l. 20. gloſſ. 22. num. 9.* & ex noſtris Regnicolis Simeon Raus *loco citato*, vbi multos adducit caſus, in quibus magna Curia huius Regni remiſit Epiſcopis aliquos officiarios laicos proſequutos de criminibus extra officium cõmiſſis. Et Marius Giurba *conſil. 70. num. 20.* ponit etiam alium caſum, in quo officiarius laicus de crimine extra officium cõmiſſo à magna Regia Curia fuit Epiſcopo remiſſus, gaudendo immunitate Eccleſiæ; & tandem Maurus Burgius *de modo procedendi*

*dendi ex abrupto,cent.1.quæſt.65.num.81.*vbi etiam teſtatur ita ſeruari in M. C. V. Regni Neapolis. Et rectè quidem. nam iura quæ priuilegium fori tribuunt Epiſcoporum familiaribus, indiſtinctè, abſolutè, & abſque vlla diſtinctione perſonarum,& delictorum loquuntur;vt patet ex text.*cap. final. de offic. Archidiaconi*;vt notat Imola *in cap.2.de foro competen.*quem refert Capycius *deciſ.12.ſub num.2. circa medium.*Sed dicti officiarij includuntur ſub familia Epiſcopi,vt probant latè ſuprà citati Doctores, & præſertim Raus. ergo, &c. Hoc non ſolùm ex iure Canonico probatur, verùm etiam ex iure ciuili, in quo patet officiales gaudere priuilegio fori,cuius ſunt officiales,textus eſt *in l.in ſacris, C. de proximis ſacr.ſcrin.* vbi ſcrinia, ſciilicet Secretarij, vel Archiuarij, cererique qui in ſcriniis militant, & in Epiſtolarum,Libellorum,ſacrarumque Imperatoris diſpoſitionum memoriam ac cuſtodiam inſeruiunt, priuilegio fori Imperialis non ſolùm ipſimet,ſed eorum familiæ gaudent,ita vt non poſſint cognoſci ab Ordinariis locorum, ſed conueniri debeant corã Magiſtro Officiorum ipſiuſmet ſacri Palatij,his verbis:In ſacris ſcriniis militantes,& parentes,atque vxores, eorumque liberos ex ſententia ſuę Celſitudinis criminales & ciuiles intentionis agentium excipere iubemus, inſuper & colonos,ſeu adſcriptitios & ſeruos eorum. Ex quibus liquet,quòd officiales ſcriniarij gaudent priuilegio,vt familiares ſacri Palatij. Et notandum primò quòd officiales ſunt verè familiares. Secundò quòd gaudent priuilegio fori in criminalibus & ciuilibus,abſque limitatione: non enim dicit textus,quòd gaudeant in delictis ſub prætextu officij, & non in delictis communibus, ſed indiſtinctè in omnibus cauſis;imò voluit Imperator quòd etiã ſubſtituti ſcriniorum gauderẽt eodem priuilegio, vt extat in text *ſupr.cit. C. de prox.ſacr. ſcrin.* quantò magis familia & officiales Epiſcopi? Confirmatur ſupradicta ſententia. nam ſi ſumenda eſſet interpretatio, quòd familiaris tunc tandem vtitur priuilegio fori,ſi deliquerit in officio, duplex ſequeretur inconueniens;quòd aliqui familiares,in quibus non poſſet cadere delictum, eo quia nullum habent officium, excluderentur à priuilegio fori; & quòd familiares viri nobiles minùs eſſent priuilegiati, quàm mercenarij, & infimæ conditionis homines deputati ad certum ſeruitium, quod non eſt admittendum, cùm ex fauore ſpeciali concedatur diſtinctè priuilegium fori familiaribus Epiſcopi tam in cauſis ciuilibus, quàm criminalibus. Deinde dum admittitur facultas in Epiſcopo cognoſcendi,& puniendi delicta ſuorum familiarium commiſſa in officio, prout competit ex eductis, non exinde excluditur conceſſio animaduertendi in familiares extra officium delinquentes: nam, dum officialis delinquit in officij ſui exercitio,non ſortitur forum ratione loci, in quo reperitur, ſed ratione officij, & iuriſdictionis, ita vt tunc non conſideretur vt homo vaſallus, ſed vt officialis, vt docet Carauita *in dicta reſolut.49. numer.* 13. & 14. Hinc fit quoad alia crimina extra officium remanere in ſuo robore priuilegium quod habet iudex Eccleſiaſticus.puniendi familiares. Et hæc omnia docet Narbona, qui optimè refellit rationes Vulpellij; & Auguſtinus, qui reſpondet etiam ad argumenta Antonij Theſauri. Et poſt hæc ſcripta inueni hanc ſententiam docere etiam Malderum *in 2.2.D.Thom.de Iuſt.& iure,tract.6.cap.1.dub.8.diſt.6.in fine.* Zipæum *in iure Pontific. lib. 2. tit. de foro compet. num.*47.& Bellettum *in diſquiſ.Cler. part.1.tit. de fauore Cler.reali* 91.*num.*21.& 22.licet ibi apponat particulam *præſertim*; ſed nihil obſtat. nam hæc dictio, vt optimè obſeruat Natta *tom.3. conſ.* 590. *numer.*4. Caſſioderus *deciſ.*4. *num.* 8. Cenedo *ſing.*83.*num.*2. & alij denotant idem iuris eſſe in caſu contrario. Et ideò Doctores viginti ſuſtinẽt noſtram ſententiam in terminis,vt dici ſolet, terminantibus. Sed non egemus Doctorum auctoritate,vbi adeſt clara & expreſſa declaratio ſacræ Congregationis, vt ſuprà notatum eſt, aſſerentis contrariam ſententiam eſſe manifeſtè contra diſpoſitionem ſacrorum Canonum,& iuris communis, & multò præiudicialem iuriſdictioni Eccleſiaſticæ, cui quidem declarationi ſtandum eſt neceſſariò, cùm fuerit emanata facto verbo cum Summo Pontifice Paulo V.& de eius ordine.

Ideo non grauabor hîc apponere per extenſum literas Eminentiſſimi Cardinalis Galli, tenoris ſequentis.

Illuſtre e molto Reuerendo Monſignor come fratello. E piacciuto à N. S. che V. S. difenda l'immunità Eccleſiaſtica circa li ſuoi officiali, non eſſendoci dubio, che quella competa alla famiglia del Veſcouo etiamdio laica, è che ſotto il detto nome non ſi comprendano ancora gli officiali, maſſime quelli che ſono neceſſarij al gouerno del Tribunale, ſi come ſono Fiſcali, Notari, Nuncij, Sbirri,cuſtodi di carceri è ſimili,tanto più hauendo ancora la conſuetudine per lei ſi com' ella auuiſa,potrà adunque continuare ſeriuendo di mano in mano quello che ſeguità acciò ſecundo l'occorrenza ſe le poſſano ancora dar i remedij opportuni. per fine Iddio li conſoli. Da Roma li 16. d'Apriele 1611.

Di V.S.come fratello il Cardinale GALLO.

Illuſtre e molto Reuerendo Monſignor come fratello.La ſacra Congregatione ha veduto quanto V. S. ha ſcritto con la ſua delli 16. di Gennaro proſſimo paſſato, e quanto all' Hortatoria mandatali dal Sing. Vicerè per occaſione d'hauer' ella ſcommunicato al Capitano, & altri Sbirri di coteſta Città, ch' eſtraſſero vn delinquente dalla Chieſa doue s'era ritirato, ſi bene vede ch' in queſto ceſſà ogni moleſtia, già ch' ella auuiſa eſſere ſtato conſignato à lei il detto carcerato, nondimeno per ch' in detta Hortatoria, è quella clauſola così pregiudiciale, nella quale ſi dichiara eſpreſſamẽte che gli officiali,è famigliari di V.S. che ſono laici, non deuono godere dell' immunità del foro nelli delitti communi, ma ſolo in quelli, che commettono ſotto proteſto dell' officio, hanno queſti miei Illuſtriſſimi Signori ordinato che ſi ſcriua, come s' è fatto al Sign. N. che reuochi la detta Hortatoria, del che è parſo bene far conſapeuole à V.S.acciò auuiſi poi, quanto ſeguira, à tratanto dourà ſpedire quanto prima la cauſa del priggione

con-

conſignatoli, conforme à i termini della Bolla di Gregorio XIV. Da Roma li 2. di Marzo 1611.

Di V.S. come fratello il Cardinale GALLO.

Illuſtriſſimo e Reuerendiſſimo Signor mio Oſſeruantiſſimo il Veſcouo di Lipari ha mandato alla ſacra Congregatione vna Hortatoria ſpeditali contra di V. S. Illuſtriſſima, ad inſtanza delli Deputati di quell' Iſola, per hauere ſcommunicato il Capitano, è Sbirri, chi haueuano eſtratto vn delinquente dalla Chieſa di quell' Iſola, è ſe bene auuiſa eſſerli poi ſtato conſignato il detto priggione, acciò poſſi cognoſcere ſe deue godere, ò no dell' immunità Eccleſiaſtica, non dimeno per che s'è auuertito ch' in ditta Hortatoria à vna clauſola, nella quale ſi dichiara eſpreſſamente, che gli officiali, è famigliari del Veſcouo, quando ſono laici, non deuono godere del priuilegio de foro Eccleſiaſtico, ne i delitti communi, ma ſolò in quelli che ſono commeſſi ſotto proteſto dell' officio: eſſendoſene trattato con N. S. ſua Santità ha comandato che ſi ſcriua à V. S. Illuſtriſſima, che ſi contenti di reuocare la detta Hortatoria, non potendoſi credere, che detta clauſola vi ſia ſtata poſta di ſua ſaputa, eſſendo manifeſtamente contraria alle diſpoſitioni di ſacri Canoni, è della raggione commune, è così pregiudiciale alla giuriſditione Eccleſiaſtica, di cui ſi ſtima che la ſua bontà, è pietà ſara ſempre partialiſſima Protettrice, ſi degnerà perciò darci il remedio che biſogna, & io in tanto le baſcio humiliſſimamente le mani. Di Roma li 2. di Marzo 1611.

Di V.S. Illuſtriſſima ſeruitore il Cardinale GALLO.

Et hoc etiam anteà ſæpiùs ſacra Congregatio declarauerat. nam 25. Aprilis 1614. dum fuiſſet proceſſum contra Capitaneum, vel Bariſellum Epiſcopi Sorani per Viceducem ciuitatis Sorę, ordinauit de mandato Sanctiſſimi, attento quòd Bariſellus eſt de familia armata Epiſcopi, & ideo non poteſt de iure per laicum capturari, ordinauit, inquam, Auditori Cameræ, vt capturam, & acta nulla declararet. Rurſus petente Epiſcopo Vaiſonenſi, an Fiſcalis, & Iudex Camerarius deberent vti priuilegio fori, & immunitate ab oneribus perſonalibus; ſacra Congregatio ſub die Decembris 1614. reſpondit, officiales prædictos vti familiares Epiſcopi fori priuilegio gaudere, & ad perſonalia ciuitatis munia ſubeunda non teneri. Et tandem mandauit Epiſcopo Ortunenſi die 6. Auguſti 1602. ne ſuſpenderet cenſuras latas contra Gubernatorem Lanciani, niſi priùs relaxato è carceribus eius Notario Regiis Horatoriis, ac aliis quibuſcumque non obſtantibus.

Vnde ex ſupradictis apparet, quàm cautè ſit legendus Catauita *ritu. 45. num. 24.* vbi docet Officiarios laicos Epiſcoporum non gaudere priuilegio fori; non ſolùm in delictis communibus, ſed etiam in delictis commiſſis in officio. Sed noſtra ſententia abſolutè tenenda eſt, quam præter Doctores citatos tenet poſt hæc ſcripta viſus, Ioannes Baptiſta Ciarlinius *in controuerſ. forenſ. capit. 20. num. 34. & 35.*

Et tandem pro coronide huius reſolutionis nota refellendam eſſe opinionem Cutellij *in patrocin. reg. iur. cap. 1. numer. 21.* aſſerentis laicos familiares Epiſcoporum non gaudere priuilegio fori, quia non habent requiſita Concilij Tridentini *ſeſſ. 23. capit. 26.* Vide contra illum nouiſſimè eruditum Hiſpanum Torreblanca *in tract. ſpir. lib. 15. cap. 6. numer. 6.* & Cenedum *in qq. can. quæſt. 4. numer. 26.* præter alios Doctores, quos citaui contra Ceuallos, & Peretram *in par. 1. tract. 2. reſolut. 97. & in par. 4. tract. 1. reſol. 30.*

RESOL. II. *An poſt Bullam Gregorij XIV. gaudeat quis immunitate Eccleſiarum, ſi committat aliquod delictum enorme non exceptuatum in dicta Bulla?*

NEgatiuam ſententiam docet Cutellius *in leg. Martini, cap. 17. num. 5.* vbi ſic ait: Citra caſus in Gregoriana contentos, ſemper in re graui, quæve eximiam haberet facinoris atrocitatem, exiſtimem referibendum eſſe Summo Pontifici, ne protectione Eccleſiæ releuentur, ac interim cuſtodiendos ſupplices, niſi fortè atrociora eſſent expreſſis, ac iure communi excepta; tunc enim cum Gambacurta, & aliis quàm plurimis, negandam fore ſupplicibus immunitatem putarem; nam quæ Diana ſpeciali tractatu aduersùs hæc commíniſcitur, grauioribus Interpretibus increpatis, decreta illa vt pœnalia ampliandа non eſſe, cùm maximè per illa ius commune corrigatur, ex iuris ignoratione procedit. Sic ille. Sed in his verbis Cutellius non ſolùm mihi, ſed etiam ſacræ Eminentiſſimorum Cardinalium Congregationi notam ignorantiæ inurit: nam Petrus Gambacurta, vir alioqui doctus, quia docuit hanc opinionem, quam contra me docet Cutellius, fuit à ſacra Congregatione inter authores prohibitos annumeratus, vt patet ex Decreto tenoris ſequen. Decretum ſacræ Congregationis Illuſtr. S. R. E. Cardin. à SS. D. N. Gregorio Papa XV. ſanctaque Sede Apoſtolica libros omnes infrà ſcriptos ſacra Congregatione S. R. E. Cardin. ad Indicem deputatorum, vt damnatos, ac prohibitos omnibus, & ſingulis publicari cenſuit, ſicuti præſenti Decreto eos penitus damnat, ac prohibet vbicumque, & quouis idiomate impreſſos, aut imprimendos, mandans ſingulis, & quibuſcumque ordinariis pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis, ne eos aliquo modo in poſterum vel imprimere, vel legere, vel apud ſe etiam retinere audeant; ſed vt ſtatim ſi quos illorum habuerint, Inquiſitoribus, ſeu locorum Ordinariis à præſentis Decreti notitia exhibeant: libri autem ſunt, videlicet, *Achmetis Oniorocritica cum Notis Nicolai Rigaltij, &c. Petri Gambacurta Commentar. de immunitate in conſtitutionem Gregor. XIV. libri octo. &c.* In quorum fidem manu & ſigillo Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Cardin. Barberini præſens Decretum ſignatum, & munitum fuit Romæ ſub die 17. Iulij 1633. *M. Card. Barberin.* locus † ſigilli. *Fr. Franciſcus Magdalenus* Ord. Præd. Secret. Romæ ex Typographia Rom. Cam. Apoſt. M. DC. XXXIII. Videat modò Cutellius ſtante hoc Decreto, ſi contra me opiniones Gambacurtæ tutò defendere poſſit. Dicēdum eſt igitur Bullam Gregor. XIV. de immunitate Eccleſiarum corrigere ius commune: vnde omnia alia delicta, licèt enormia in dicta Bulla non excepruata

ptuata gaudebunt dicta immunitate, neque ego docui hanc ſententiam ex ratione, quam adducit Cutellius, ſed ex verbis luce meridiana clarioribus appoſitis à Summo Pontifice Gregorio in dicta Bulla, & ex alia Bulla Clem. VIII. *die 6. Febru. 1597.* directa ad Archiepiſcopum Panormitanum Didacũ de Haëdo, & ex aliis rationibus à me adductis *in 1. par. tract. 1. reſol. 1.* ad quas ne verbo quidem reſpondit Cutellius, & ideò noſtram ſententiam præter 18. Doctores, quos in dicta reſolutione citaui, tenet etiam Eliſæus Danza *in pugna Doctorum, tom. 1. tit. de immun. Eccleſ. c. 7. n. 15.* Marcellus Vulpe *in praxi fori Eccleſ. cap. 3. n. 3.* & Ioannes Anton. Nouarius *in ſumm. Bullar. tit. de immunit. Eccleſ. nu. 3.*

Vnde ex dictis patet deciſio illius quęſtionis, an Sodomita gaudeat immunitate Eccleſiaſtica? & negatiuam ſententiam contra me docet Cutellius *vbi ſuprà*, & contrariũ, quod ego aſſero, putat abſurdum eſſe, ac oculis legẽtium deforme: ſed more ſuo excedit in his verbis: Dico igitur nefandi crimen atrociſſimum eſſe, tamen quia non eſt de exceptuatis in Bulla Gregoriana, gaudet Eccleſiæ immunitate; & ita hanc ſententiam prẽter Doctores, quos alibi contra Reginaldum citaui, non ſolùm in terminis Bullæ Gregorianæ, ſed etiam in terminis iuris communis, docet Sanchez *in opuſc. to. 2. lib. 6. c. 1. dub. 10. n. 2.* Quia, ait ille, *in cap. inter alia, de immunitate Eccleſ.* quantumcumque grauia delicta perpetrauerit, non eſt reus ab Eccleſia arcendus, niſi in caſibus duobus, ibi exceptis. Et ſic Panormit. *ibi n. 17.* dicit deciſionem illius capitis non eſſe extendendam ad alios caſus. Idem Antonius Gomez *to. 3. var. c. 10. n. 2.* & Boſſius *tit. de captura, n. 32.* dicit concluſum eſſe in Senatu, quòd nec etiam pro crimine læſæ Maieſtatis poteſt extrahi, & ſic quantumuis crimen graue ſit vltra ibi excepta, nõ eſt extrahendus: & Montaluus *part. 1. tit. 21. lib. 4.* dicit, in nullis aliis caſibus vltra ibi exceptos debere extrahi, quia immunitas, & fauor Eccleſiæ debet amplè intelligi; & Marianus Zozinus *tract. de citationibus, art. 17. n. 39.* dicit quòd ſecũdùm Doctores, illi tres caſus excepti non extenduntur ad ſimiles, & Faber *§. fin. Inſtit. de hũ, qui ſunt ſui, vel alieni iuris, n. 2.* dicit quòd iure Canonico omnes gaudent immunitate Eccleſiæ, exceptis caſibus dicto capite inter alia poſitis. Huc vſque Sanchez, quem ego citaui *in par. 4. tract. 1. reſol. 45.* cum Caſtro Palao, & aliis, quibus nunc addo Eliſæum Danza *in pugna Doctorum, to. 1. tit. de immunit. Eccleſ. c. 4. n. 10. & ſeq.* qui hanc ſententiam non ſolùm in laico, ſed etiam extendit in Clerico ſodomita, & ſequitur Ioannes Maria Nauarrus *in ſum. Bullar. tit. de immun. Eccl. n. 4.* etiamſi crimen ſodomiæ commiſſum eſſet in Eccleſia, quia in dicta Bulla Gregoriana excipiuntur tantùm crimen homicidij, & mutilationis, ſi committantur in Eccleſia: ergo, &c. Credit tamen Farinac. *de immun. c. 6. n. 98.* quòd ſi huiuſmodi Clericus deliquiſſet iuxta terminos conſtitutionis Pij V. quod indubitanter Papa, ſi fuiſſet requiſitus, illam concederet, ſicut poteſt & ſolet aliquando concedere in delictis grauioribus, licet non exceptuatis in Bulla Gregorij XIV. vt per eundem Farinacium *vbi ſuprà num. 346. & ſeq.*

Notandum etiam eſt hîc Cutellium *ad legem Federici. c. 72. not. 81. n. 1.* contra me docere, infideles nõ gaudere immunitate Eccleſiarum, aſſeritq; meam ſententiam nullo fundamento poſſe tueri. Sed tu ne deſeras videre me ipſum, non ſolùm in loco à Cutellio citato, ſed etiam *in par. 4. tract. 1. reſol. 50.* vbi ſolida inuenies fundamenta pro hac ſtabilienda ſententia, quam nouiſſimè cum 12. Doctoribus tenet etiam Barboſa *de iure Eccleſ. lib. 2. c. 3. n. 44.* vbi teſtatur ita declaraſſe menſe Februario anno 1631. ſacram Congregationem Immunitatis, quam tamquam oraculum in his materiis iuriſdictionalibus SS. D. N. Vrbanus Papa VIII. toti Chriſtianitati cõſtituit. Ab hoc puro fonte, mi Cutelli, hauriendа eſt aqua, & tu tamen ſentẽtias, quas ego ex ſacris Cardinalium Congregationibus doceo, nunc vocas reprobas, modò ais procedere ex iuris ignoratione, nunc aſſeris nullo fundamento poſſe tueri. Terribilis quidem opinionum qualificator eſſes, ſi in noſtro ſacro Tribunali ob in illud benè merita, vt moris eſt, ad id munus admittereris.

Notandum eſt tamen hîc obiter Barboſam *loco citato* inter authores, tenentes infideles non gaudere immunitate Eccleſiaſtica, me etiam annumerare, ſed, vt viſum eſt, ego contrarium docui; voluit, credo, doctus, & amiciſſimus vir me inter auctores affirmantes ponere, ſed poſuit inter negantes, quod non ſemel accidit ex extractione ſpeculationis in componendo.

RESOL. III. *An ſtatutum, quòd infra tantum tempus Eccleſia teneatur vendere res ſibi relictas, ſit validum?*

HOc ſtatutum edidit olim Federicus Rex, quod & ſimilia contra me conatur defendere Cutellius, *ad leg. dicti Federici, cap. 24. not. 26. per totam & cap. 85. not. 90.* tenet omnia ſtatuta Federici eſſe conformia ſacris Canonibus, & per conſequens ſupradictum, de quo loquimur.

Sed dicendum omnino ſtatutum hoc Federici eſſe contra ſacros Canones, & ſuper illud debebat quidem Cutellius nigrum præfigere Theta, & notis non illuſtrare, ſed tantùm aduertere eſſe contra libertatem Eccleſiaſticam; exemplo Eminentiſſimi Iuriſconſulti Matthæi de Afflicto, qui in Commentariis cõſtitutionum Regni Neapolitani, cùm ventum eſſet ad conſtitutionem ſimilem, quam ibi etiam Federicus ſtatuerat *lib. 3. conſtit. 26. num. 12.* ſic aſſerit: Hæc conſtitutio nihil valet, quia Imperator non potuit contra libertatem Eccleſię, & perſonarum Eccleſiaſticarum prohibere, quòd non relinquantur res ſtabiles Eccleſiæ inter viuos; dicit poſtea: Nolo hîc ſeruare ordinem meum in colligendis notabilibus, quia iſta conſtitutio tota eſt correcta per cap. Regis Caroli II. quod incipit, *Item ſtatuimus*, & demum dicit: & ſic non ſeruatur illa conſtitutio, quod Eccleſia debet vendere intra annum: ita Afflictus, & poſt illum Anton. Bouius *in reſponſ. ad Paul. Seruitam, par. 3. argum. 10. fol. 44.* vbi ſic ait: [La lege ch' in Sicilia ſtatuì Federico, fu reuocata da Carlo II. per eſſer contra la libertà Eccleſiaſtica.] & Theologi Religionis Seruorum *in defenſ. cenſ. Pauli V. cap. 7. num. 27. fol. 142.* ſic aſſerunt. [Federico fece tal lege in Sicilia, ma come ingiuſta fu re-

ſu reuocata del Re Carolo II.] & idem obſeruant etiam Fagnanus *de iuſtitia monitorij Pauli V. fol.* 82. & Aponte *in reſponſ. pro cenſura Veneta, fol.*104. Et tandem doctus Hiſpanus Ioannes Beltran de Gueuara *in Prop. libert. Eccleſ.* §. 6 *aſſert.* 1 *num.* 20. ſic ait: Nec etiam obſtat alia lex Regni Siciliæ, quæ alienationes rerum ſtabilium fieri prohibet in Eccleſiis, nam ea lex reuocata fuit à Carolo II. vt conſtat ex *lib. conſt. ex cap. vtr. Siciliæ in cap. Caroli II. incip. Idem ſtatuimus quòd poſſeſſiones*, ſatiſque eſſe arbitratus eſt, ſi bona immobilia cum onere ſuo ad Eccleſiam tranſirent, iuxta *l. pen. C. de exactor. tribut. lib.* 10. & iuxta doctrinam Bartoli *l. reſcripto*, §. 1. *nu.* 5. *de mun. & honor.* & omnes hæ conſtitutiones à Federico II. & Carolo IV. tanquam contra libertatem Eccleſiaſticam reuocatæ fuerunt, vt conſtat *in authent. Caſſa & irrita. C. de ſacroſ. Eccleſ.* & habetur copioſiùs *in tom.* 3. *Concil. ad fin. Conſtantienſis Concilij.* & tradit Ioan Imbertus Rupellan. *forenſ. inſt. lib.* 4. *cap.* 6. Petrus Peckius *de amortizat. cap.* 6 *num.* 1. Ita Gueuara. Videat modò Cutellius ſi in Notis huius ſtatuti Federici debebat de nouo ſuſcitare opinionem de immobilibus Eccleſiæ non relinquendis, quam contra Paulum Seruitam Pauli V. *in Decreto edito* 17. *Aug.* 1606. damnauit, cum communi ſententia Legiſtarum, Canoniſtarum, & Theologorum. Non poſſunt igitur, vt perperam loquitur Cutellius, hæc ſtatuta iuſtitiam præ ſe ferre. Nec dici poteſt illa eſſe inualida, quando prohiberent alienationem omnium bonorum in Eccleſiam, non autem tantùm bonorum immobilium: hoc, inquam, dicere eſt chimæricum & falſum. Nam Paulus V. Canones, & Doctores, & ipſe Rex Carolus II. quando damnarunt hæc ſtatuta, vt patet, non illa damnarunt, quia prohibebant alienationem generalem omnium bonorum, ſed tantùm particularem immobilium in Eccleſiam. ergo.

Ad id verò quod Cutellius aſſerit pro tuendis ſupradictis ſtatutis, nempe interdictum eſſe Leuitis, & Sacerdotibus poſſidere immobilia, adducẽs aliqua Scripturæ loca. Reſpondeo, quòd ideò dicitur in Scriptura Leuitas aliquid non poſſidere, quia omnia titulo eleemoſynæ habebant, non autem, vt alij, per ſortem; ſed non ſequitur ex hoc non habuiſſe, nec poſſediſſe bona immobilia, vt latè probat nouiſſimè contra Lutherum, & Spalantenſem, doctus Nicolaus le Maiſtre, Socius Sorbonicus *de ſacro Patrimonio lib.* 1. *c.* 10. *per totum*; & patet ex *c.* 25. *Leuit.* in quo dicitur, Leuitas habere ædes, quæ in vrbibus ſunt, & cùm ceteræ domus redimi non poſſunt, niſi exacto Iubileo, Leuitarum domus quouis tempore redemptioni patebant. Ædes Leuitarum, quæ in vrbibus ſunt, ſemper poſſunt redimi, ſi redemptæ non fuerint in Iubileo reuertentur ad dominos, quia domus vrbium Leuitarum ſunt pro poſſeſſionibus inter filios Iſraël. Cùm ergo Leuitæ domos & vrbes alienare poſſent, cùm emendi vendendique libertatem obtinerent, ſignum eſt eos vrbes poſſediſſe, atque obtinuiſſe, non tantùm ratione vſusfructus, ſed etiam titulo dominij. Et ideò ſi Leuitæ & Sacerdotes bona immobilia non poſſiderent, Ieremias *cap.* 32. in Anathoth vrbe ſacerdotali, agrum non emiſſet, vt rectè obſeruat Sancius in Ezech. *cap.* 44. *verſ.* 28. *num.* 59. Vide etiam eruditum Becanum *in Analogia veteris Eccleſiæ cap.* 7. *qu.* 6. *num.* 3. vbi ex 48. ciuitatibus obſeruat 13. datas eſſe Sacerdotibus, reliquas Leuitis. Vnde *num.* 17. ſic ait: Ex dictis colligi poteſt, quàm diuites fuerint Sacerdotes in veteri Teſtamento præ aliis omnibus. Nam primò accipiebant decimas à 12. tribubus Iſraël. Vbi notandum eſt præter tribum Leui fuiſſe duodecim tribus filiorum Iſraël, nempe tribum Ruben, Simeon, Iuda, Zabulon, Iſſachar, Dan, Gad, Aſer, Nephthali, Ephraim, Manaſſe, Benjamin. Igitur ſingulæ hæ tribus diuidebant ſua bona in decem partes, & vnam dabant tribui Leui, reliquis nouem ſibi reſeruatis, quo fit vt tribus Leui multò fuerit ditior, quàm ceteræ. Nam ſingulæ ceterarum habebant tantùm nouem partes, tribus autem Leui duodecim. Præter has decimas quæ communes erant omnibus in tribu Leui, Sacerdotes iterum accipiebant decimas decimarum à Leuitis, & ſic non ſolùm erant ditiores, quàm homines aliarum tribuum, ſed etiam quàm Leuitæ. Deinde accedebant primitiæ, primogenita, oblationes; quæ ſi omnia computentur, in magnum theſaurum excreſcere neceſſe erat redditus, & poſſeſſiones Sacerdotum. Huc vſque Becanus. Videat modò Cutellius, ſi hodie Eccleſiaſtici ſint ditiores laicis, vt olim erant Sacerdotes & Leuitæ. Et poſt hæc ſcripta inueni hanc ſententiam de Leuitis docere etiam Valenzuelam *in defenſ. cenſ. Paul. V. part.* 3. *num.* 97.

Sed deueniendo in ſpecie ad particulare ſtatutum poſitum in titulo huius reſolutionis, dico eſſe contra libertatem Eccleſiaſticam, & ideò conſtitutionem dicti Federici, in qua etiam tale ſtatutum continebatur, totã poſtea Carolus II. vt viſum eſt, reuocauit. Vnde *vbi ſuprà* Afflictus dixit: Non ſeruatur iſta conſtitutio quòd Eccleſia debet vendere intra annum. Pro qua veritate confirmanda ſatis erit adducere determinationem ſacræ Rotæ Romanæ, quæ in vna Veneta cenſurarum, quam penes me impreſſam habeo *fol.* 21. ſic habet: Quod verò attinet ad illum articulum particularem, vt Eccleſiæ intra certum tempus, verbi gratia, vnius, vel duorum, vel duodecim annorum bona immobilia vendere laicis teneantur, illum expreſsè condemnauit Alexander IV. *in cap.* 1. §. *fin. de immunitate Eccleſiaſtica lib.* 6. in hæc verba: Nec etiam liceat illud ipſas Eccleſias, vel perſonas ad diſtrahendum, vel alienandum, aut extra manum ſuam ponendum, iam acquiſita, vel quæ deinceps acquirent, aliquatenus coarctare. Hæc ibi. Et ideò non valere ſtatutum laicorum contrarium diſponens, notauerunt *ibidem* Geminianus *num.* 5. *verſ. Nota quòd laici.* Francus *num.* 5. Decius *in cap. Eccleſia S. Mariæ, num.* 192. *verſ.* 8. *non valet ſtatutum, de conſt.* & Baldus *in Authent. hoc ius porrect. num.* 18. *verſ. Et propterea non valet, C. de ſacroſanct. Eccleſ.* vbi agit contra ſtatutum Senarum, quo cauebatur vt Hoſpitale S. Mariæ teneretur vendere poſſeſſiones. Idem tenuit Hoſtienſis *in cap. cum laicis, num.* 5. *ſup. verbo de alienatione, de rebus Eccleſ. non alienand.* & Archidiac. *in cap. Romana, num.* 13. *in verbo conſuetudine, de appellat. lib.* 6.

Huc vſque ſacra Rota. vbi paulò pòſt *fol.* 24. hæc addit : Cùm in hac materia ſacrorum Conciliorum,& Romanorum Pontificum diuina reſponſa, quæ clara ſunt, ſeruari debeant, non oportet admodùm ſollicitè quærere, cur aliqui iuris ciuilis potiſſimùm Interpretes contrarium conſuluerint, & anxiè laborare, vt eorum reſponſis ſingulariter reſpondeatur, cùm notum ſit eos ſæpè vel lucri cupiditate, vel ſtudio adulandi Principibus laicis, vel ſacrorum Canonum imperitia, ſic in tranſuerſum actos, vt in luce clara ſponte cæcutire voluerint. Sed hoc non obſtante reſpondet poſtea ad omnes rationes, vide etiam Theologos Relig. Seruorum *in defenſ. cenſ. Pauli V. cap.* 7. *fol.* 110. vbi hoc ſtatutum Federici eſſe contra ſacros Canones demonſtrant;quod etiam docuit Bernardus Giuſti *in defenſ.libert.Eccleſ.fol.*19. plures adducens Doctores.quibus adde Maynardum *de priuileg. Eccleſ.part.* 2. *art.* 22. *num.* 44. & Surdum *vol.*1. *conſ.*2.*num.*20. Remanet igitur ſatis firmata noſtra ſentẽtia, nempe ſtatutum hoc Federici eſſe contra immunitatem Eccleſiaſticam. Ad id verò, quod Cutellius aſſerit, compeſcendam eſſe nimiam cupiditatem Eccleſiaſticorum, in acquirendis ſuperfluis: vnde etiam ad dictas leges Federici *cap.*3. *not.*4. *num.*4. putat in Comitiis generalibus dictis Parlamento exemptis modum in quærendo adhibendum eſſe, ne futuris in æuis quæſitorum parte aliqua eos priuare opus ſit, néve nimiæ pietatis ſtudio poſteris, vt impij videantur, materiam relinquant, & quod fuit ad leuandam neceſſitatem ſtatutum propter copiam,in cauſam luxus conuertatur. Ita ille. Ad id, inquam, reſpondendum eſt eo modo quo reſponderunt Theologi Religionis Seruorum ad Paulum Seruitam exaggerantem hæc omnia, quæ Cutellius nunc exaggerat, ſic enim aſſerunt *in defenſ.cenſ.Pauli V.cap.*7.*fol.*107. [Ne giuſta è la querela che tutto al fine paſſerà nella Chieſa. Poiche molte coſe ſono, le quali non ci paſſano, ne paſſeranno giamai. Vi ſono i feudi, e i fedicommiſſi che gli vni e gl' altri remangono perpetuamente nelle famiglie, Vi ſono i beni de i Principi, i quali ſi ritengono per mantenimento del Principato. Oltre à ciò vi ſono, e vi ſarranno ſempre (merce della malicia humana)huomini auari,dalle cui mani ſcarſe non è pericolo ch' eſca vn denaro, no che i beni ſtabili.Vi ſono prodighi e diſſipatori i quali diſpenſano le facoltà in prenderſi piaceri, poco ricordeuoli delle Chieſe è Monaſterij: & altri vi ſono ch' attendono alle pompe,è grandezze, & à ſpendere il loro in ogni altra coſa fuor che in honor di Dio e delle Chieſe. Il mondo ſempre hebbe & haurà ſi fatta gente. Per il che non è pericolo che la Chieſa di tutti i beni s'impadroniſca giamai. S'aggiunge appreſſo che la viciſſitudine de i tempi tal' hora apporta che per qualche accidente quello che è della Chieſa ſia dal ſecolo vſurpato. Quante coſe hoggidi ſono godute etiamdio da Principi, le quali erano prima della Chieſa? Non ſi ſcende al particolare, perche non è intendimento d' offendere,ma di defendere. Ma come ſi può meglio dimoſtrare la debolezza di queſta raggione (ch' è l' Achille de i laici) quanto conſiderare tanti ſecoli andati da che la Chieſa fa acquiſti?Ha gia tanti e tanti centinaia d' anni che ſi laſciano facoltà alla Chieſa? non gia com' à tempi d'hoggi vn poco di fondo di cenſo,di legati, ma le città, & i ſtati intieri, nondimeno ſi veggono e Cittadini, e Principi e Nobili, & Ignobili in tanto numero poſſedere ampliſſime ricchezze,abondantiſſimi beni,e mantenerſi nelle grandezze,e ſplendidezze loro. Non s'è ancora veduto il mondo rouinare, ne tanti diſordini,e diſorbitanze che ſi dicono.]Ita ſupradicti Theologi.Vide etiam Vgolinum *in reſp.ad Iuriſconſ.Pat.cap.*6.*num.*3.*& ſeq.*Torrium *in Apol.pro libert.Eccleſ fol.mihi* 26. Iulium Boſſum *in reſponſ.ad M. Antonium Capellum, part.*4.*cap.*6. *fol.*174. Bernardum Iuſtum *in defenſ.libert. Eccleſ.fol. mihi* 17.& tandem Collegium Bononienſe *in conſil. pro libert.Eccleſ.num.*31. *&* 32. vbi ſic ait:Vtilitas publica ne laici nimis onerentur collectis, præferri non debet priuatæ Clericorum,nam vt bona apud Eccleſiaſticos maneant, reſpicit publicam vtilitatem,maximè ſi ad Eccleſias, quæ vtilitas præfertur publicæ profanæ, & Clerici ſi non grauantur collectis,quibus tamen quandoque grauantur,ſaltem grauantur pluribus aliis oneribus Eccleſiaſticis directis ad bonum ſpirituale laicorum,& quò magis diuitiæ creſcunt, magis etiam creſcit eleemoſynarum onus, & cura multiplicandi numerum Religioſorum. Ita venerandum illud Iuriſconſultorum Collegium, cui adde Vigianum *de immunitate Eccleſ.diſp.*3.*fol.* 53. ita aſſerentem : Sed quoniam laici falsò queri ſolent de Eccleſiaſticis,quaſi de profuſiſſimis,vt dicunt,ſimplicium largitionibus, Eccleſiarum cenſus nimium creuerint. Audiant quæſo Concilij Pariſienſis ſub Ludouico & Lothario Imperatore celebrati verè aurea verba,quę ſi quiſque ſecum animo reuoluens diligenter perpenderet, ceſſarent profectò tam iniuſtæ, tam indignæ querelæ.Ita enim *lib.*1.*cap.*18.traditum eſt. Ceſſet ergo ambitio,quæ dicere ſolet, nimis rerum habere Eccleſiam Chriſti,& perpendat, quia quantæcumque ſint res Eccleſię,ſi eo modo,quo diſpenſandę ſunt, diſpenſentur,nimiæ non ſunt.& paulò pòſt: Mira namque res,ambitio mundialis ſatis non habet, & Eccleſia Chriſti nimiùm habet? Hucvſque Vigianus ex ſacro illo Concilio. Sed ſciat Cutellius hodie ferè omnes exemptos non ſolùm ſuperflua,ſed etiam neque neceſſaria habere.Audiat quęſo Paulum Comitolum virum doctum ex Societate Iesv *in Apol. pro monitorio Pauli V. cap.* 3. *num.*6. [Tanto lontano è dal vero che alle perſone ſacre e Religioſe auanzi la robba, quanto il contrario è conteſtatiſſimo con euidente calcolo e ſenzata eſperienza il calcolo è tale. Facciaſi vn cumulo di tutti i beni della chieſa, e ſi ripartano in parti vguali, & in tante quanti ſono le perſone che di quelle deuono viuere, ti dico ch' à moltiſſime, & à moltiſſime perſona mancheria il neceſſario vitto e veſtito. Oltre che in queſto calcolo non vi potrà eſſere forma alcuna di giuſtitia diſtributiua,perche tanto tocchera all' infimo Chierico, com à gran Prelati, à quali per ogni riſperto maggiorata ſi dee ch' à quelli che non ſono di ſimul grado. L'eſperienza ſenzata è che leuata vna ò due Religioni meno

numeroſe come à dire la Benedittina, e la Certoſina, tutti non hanno da viuere, che per queſto è ſtata poco à poco introdotta la proprietà in tante Congregationi di Regolari coſi d'huomini, come di donne, perche in commune non haueuano, ne hanno da mantenerſi. E di queſto diſordine caggione ſono i ſecolari, che con le loro entrate non danno vitto ne veſtito commune, ſe bene in parte potrebbono eſſere ſolleuate molte Congregationi di Regolari conquel ch' alguni altri di chieſa hanno di ſouerchio. Ma con tutto ciò moltiſſimi Religioſi e Religioſe reſterebbono in biſogno per laſciar indietro innumerabili Preti e chierici ſparſi per le Prouincie della Chriſtianità, i quali neſſuna parte haurebbono di ditto ſolleuamento. Da queſta ſenzata proua ogn' vno vedrà quanto falſo ſia ciò che Fra Paolo dice nel libro delle conſiderationi, che gli Eccleſiaſtici hanno venticinque volte tanto di quanto ſi dourebbono contentare. Ita Comitolus. cui etiam adde Laurentium Ortiz *de immunitate Eccleſ. part. 3. conſid. 4. fol.* 313. Ex his igitur apparet ſupradictum ſtatutum, de quo in hac Reſolutione locuti ſumus, eſſe contra libertatem Eccleſiaſticam: debebat igitur Cutellius talia ſtatuta refellere, & deteſtari doctrinam Signoroli, & aliorum, quam adducit, iam à communi ſchola Canoniſtarum & Theologorum acriter reprobatam, neque debebat timere ruinam Regnorum ex legatis & eleemoſynis, quas laici Eccleſiaſticis relinquunt.

RESOL. IV. *An Miniſtru laicalis iuriſdictionis liceat auferre Clericis arma prohibita?*

DE hac quæſtione egi *in 1. par. tract. 2. reſol. 9. & part. 3. tract. 1. reſol.* 28. *& par. 4. tract. 1. reſolut.* 19. ſed nouiſſimè Cutellius *ad leg. Federici cap.* 15. *not.* 17. *num.* 2. contra me negatiuam ſententiam docentem, ſic loquitur: Non poſſum eius doctrinæ non indignari, hominis alioqui conſiderati, qui cùm Regis noſtri vaſallus ſit, nullum vſque huc omiſit lapidem, quem aduersùs Regem non proiecerit, deliteſcentes opiniones in medium proferens. Ita ille.

Sed quid effaris, mi Cutelli? numquid ego ſum ex progenie Semei, qui tulit lapides contra Dauid 2. *Reg.* 16. ergo Pater Suarez, Pater Azorius, Pater Caſtrus Palaus, Sebaſtianus Acoſta, Iacobus Sahagun, Valboa de Magrovejo, Auguſtinus Barboſa, & alij docti Iuriſconſulti, & Theologi Hiſpani, qui ſcripſerunt contra Tribunal de la Fuerça & Regium exequatur, vel alias ſententias tenuerunt in fauorem libertatis Eccleſiaſticæ, proiecerunt lapides in Regem? ſi ita res eſſet; tu quidem, ſicut Iudæi Stephanum iam lapidibus ſummum Pontificem obruiſſes. Verùm vt ad rem veniamus, dico, non poſſe laicos ſpoliare Clericum armis prohibitis, quia ſi id faciunt per vſum iuriſdictionis, vel aliqualis punitionis, clarum eſt hoc eſſe illicitum; ſi verò per modum iuſtæ defenſionis ad tollendam occaſionem rixæ, vel periculum perturbationis ciuitatis, tunc non auferuntur in pœnam: ergo non erit licitum ex vi talis facti omnino ſpoliare Clericum armis, priuando illum dominio eorum; quia nullus apparet iuſtus titulus, quo id fieri poſſit. Igitur tantum debent pro illa occaſione auferri, vt poſtea ei, vel ſuo Superiori reddantur; & ideò dum huic argumento non ſatisfaciunt aduerſarij, ſemper ego huic ſententiæ adhæream. Alias verò rationes pro hac firmanda ſententia adducit Marta *de iuriſdict. part. 4. cenſ. 1. caſ.* 7. qui reſpondet ad conſuetudines aliquorum Regnorum, quas adducit Cutellius. Vide etiam Doctores à me *vbi ſuprà* citatos, qui plures ſunt, nec perfunctoriè, vt vult Cutellius, de hac quæſtione loquuntur. Adde quòd magis ratione, quàm Doctorum multitudine nitendum ſit. Et poſt hæc ſcripta inueni ſupradictam ſententiam me citato, docere etiam doctum & amiciſſimum Auguſtinum Barboſam *de iure Eccleſiaſtic. libr. 2. capit. 4. numer.* 140. Merollam *tom. 2. diſput. 4. cap. 3. difficult. 2. numer.* 608. & Baldellum *tom. 1. lib. 5. diſput. 57. numer. 8.* vbi ex pluribus firmant Clericos non poſſe per laicos armis ſpoliari. Vnde ex his patet reſponſio ad ea quæ in fauorem contrariæ ſententiæ adducit Ioannes de Boa *in Apol. de iur. Princip. quæſt. 2. numer.* 70. qui pro ſua firmanda ſententia, hanc etiam rationem adducit, videlicet quia prohibitio iudicis laici fertur ſuper arma ipſa, quæ clericali tonſura non gaudent; poteſt dici res magis ridicula? ſed iſte Auctor meritò in noſtro indice Hiſpano fuit inter Auctores prohibitos annumeratus.

RESOL. V. *An Epiſcopi ſi non expelli à Regno, ſaltem tranſmitti poſſint ad Summum Pontificem pro animaduerſione?*

NOuiſſimè ad hanc quæſtionem ita reſpondet Cutellius *ad leg. Feder. cap. 22. not. 25. numer. 5.* Si Epiſcopi ad Rempublicam euocati, nulla iuſta cauſa accedente, obedire recuſent, vel ſi tumultus ſuſcitarent, ac temporalem iuriſdictionem ita læderent, vt pax publica Diœceſum turbaretur, muneribus laicis vſurpatis, nullæque hortationes, preceſque proficerent, vt ſua iuriſdictione contenti eſſent, putarent in Regnis illis, vbi ſummus Pontifex longè abſit, vel ſi magnum eſſet in mora damnum, vel denique in prouinciis, à quibus incolæ ne extra lares litigent, ac querimonias effundant, conceſſione Pontificia conſtitutum eſſet, atque immemoriali conſuetudine probatum Epiſcopos, ſi eiici non poſſent, poſſe tamen Romano Pontifici (debito honore perſonarumque decore ſeruato, cum epiſtolis cauſam exceſſuſque continentibus) tranſmitti, vt à ſuo iudice plectantur. Per hoc enim Rex in eos ius non dicit, ſed ius dicendi reum, vt ſiſtat, remittit, quod omni iure licere nemo vnquam dubitauit. Moueor ad hæc firmanda ex text. *in cap. filiis, vel nepotibus* 16. *qu.* 6. quem textum licet diuersè Doctores accipiant, vt eſt videre per Dianam *reſolut.* 14. *tract. 2. de immun. Eccleſ.* tamen communiter à Canoniſtis & Theologis receptum eſt, vt licet ex eo nullatenus iuriſdictio Principi laico tribuatur, ius tamen, quo poſſit apud Pontificem pro animaduerſione Epiſcopi inſtare, ac ei reum offerre tribuitur. Huc vſque Cutellius.

Verùm hanc opinionem Cutellij prorſus non eſſe admittendam cenſeo, nam ex ſupradictis caſibus, quos ipſe affert, quis dicat ita Epiſcopum pacẽ turbare, vt Regnum periret, & Reſpublica corrueret, ſi à Summo Pontifice, vt par eſt, expectanda eſſet reſponſio, ac ordinatio? Sunt chimæricæ inuentiones, non ſumus in India, ita vt ad cõpeſcendam, ſi adeſſet, licentiam & delicta Epiſcoporum, tanta eſſet neceſſitas, vt periculũ eſſet in mora, ſi pro ruina publica ſubleuanda, Pontificis reſolutio expectaretur? Et licet ego *in 1. par. tract. 2. reſol. 17.* in aliquo caſu aliquam iuſtam defenſionem, multis tamen cum conditionibus Principibus laicis conceſſi, tamen *ibid. reſol. 5.* docui cum Salas, hos caſus metaphyſicos eſſe, & moraliter vix contingere poſſe. Vnde abſolutè puto cum communi ſententia Doctorum, non ſolùm *in d. reſol. 17.* ſed etiam à fortiori *in par. 3. tract. 1. reſol. 27.* Epiſcopos atque etiam alias perſonas Eccleſiaſticas ſine incurſu cenſurarum Bullæ Cœnæ à iudicibus laicis à Regnis minimè expelli poſſe, quicquid contra me nouiſſimè doceat Sotomaior de Tertiis *tom. 7. cap. 41. nu. 190.* aduersùs quem ſtrenuum Hiſpanum commilitonem oppono, multos alios relinquendo; & is eſt doctiſſimus & numquam ſatis laudatus Præſes Valenzuela *in defenſ. cenſ. Pauli V. par. 4. num. 101.*

Sed dices, Cutellium poſt multa, tandem concedere Epiſcopos non poſſe expelli à Regno, docet verò tantùm poſſe tranſmitti ad Summum Pontificem, vt à ſuo iudice plectantur. Verùm quis non videt, hanc eſſe velatam Epiſcoporum expulſionẽ? Et quis tribuit iudicibus laicis hanc auctoritatem? Si Doctores, quos ad ſatietatem citaui *in par. 1. tract. 2. reſol. 10.* quibus nunc addo Caſtrum Palaum *to. 2. tract. 12. diſp. vn. punct. 6. nu. 4.* concedunt tantùm iudici laico, ſi Clericus ſuſpectus ſit de fuga, aliàs minimè, vt poſſit in flagranti crimine illũ ſumere vt ſuo iudici præſentet; imò aliqui abſolutè hoc negant, vt docet Souſa *in Bulla Cœnæ ca. 16. diſp. 82. n. 2.* & alij, quos in dicta reſolutione adduxi: Deus bone! quo pacto dici poteſt iudices laicos poſſe ſumere Epiſcopos in caſibus ſupradictis vt præſentent eos ſummo Pontifici? Dicendũ eſt igitur Principes hoc facientes in cenſuras Bullæ Cœnæ incidere. Reſtat modò reſpondere ad argumentum Cutellij, & ad exemplum Epiſcopi Termularum reſpondeo proceſſiſſe de facto, & non de iure, & non merentur audiri, qui iure fieri putant, quod ſolùm fit exemplo, & nõ quid factum ſit, ſed quid fieri debeat, eſt ſpectandum, *ex l. ſed licet 12. de offic. Præſid. & ex c. cum cauſam. de elect.* neque exempla niſi bona ſequenda ſunt, vt tradit Gellius *li. 10. Noct. Att. c. 19.* & ego ſcio Romæ hanc doctrinam penitus refelli tanquã contrariam Bullę Cœnę & Concilio Tridentino. Ad argumentum verò, quod ipſe pro ſua ſententia adducit, nempe *cap. filius, vel nepotibus 16. quæſt. 6.* reſpondeo in dicto textu, vt legenti patet, Principi laico minimè tribui, vt poſſit Epiſcopum tranſmittere ad ſummum Pontificem pro animaduerſione, ſed tantùm in illo textu dicitur, vt apud dictum Pontificem inſtet, rogando videlicet: vt aſſerunt Doctores penes me in loco citato à Cutellio. Imò ego abſolutè puto dictum cap. *filius* eſſe per ſubſequentes Canones abrogatum, & ita docent Doctores, quos in dicto loco citaui, quibus nunc addo inſignem Canoniſtam inclytæ Academiæ Salmanticenſis Iacobum Sahagun de Villa-Sante *in cap. decernimus, de iudiciis, n. 150.* Vndè non poſſum non admirari hanc ſententiam tam periculoſam pro cenſurarum incurſione, & tam ſcandaloſam, ſi in facti contingentia accideret, fundaſſe Cutellium in ſupracitato textu, qui ad rem nihil dicit, & ad quem Doctores tam veteres, quàm recentieres reſponderunt, & ad quos ipſe ne verbum quidem reſpondet.

RESOL. VI. *An Clerici, ſi fraudem efficiant quoad pondera & menſuras, vel quoad pretium rerum venalium, poſſint puniri in mulctis pecuniariis impoſitis à lege per iudicem laicum?*

AFfirmatiuam ſententiam contra me docet Cutellius *ad leg. Iacobi, cap. 58. not. 71. in fine, & c. 62. not. 75. nu. 3. & ad leg. Feder. cap. 116. not. 105. nu. 3.* Quia, ait ille, nullus forus, nullàve exemptio in his, quæ communi bono conſtituta ſunt ad ſocietatem humanam incolumem ſeruandam, proficere debet, prout eſt cura, ne cibaria falſis menſuris, vel corrupta ſubſtantia venundentur, conuenit enim ei, qui in vniuerſum his ſeruandis incumbit, exemptos quoque ad id compellat. Ita ille. ergo per Cutellium, Clerici tenentur ſeruare leges tendentes ad bonum publicum, etiam vi coactiua, & ideò, vt ipſe loquitur, exempti dictas leges non ſeruantes per iudicem laicum, mulctis pecuniariis compelli poſſunt illas ſeruare. Sed hæc doctrina eſt contra cõmunem Canoniſtarum & Theologorum ſententiam, vt ſanè probaui ex multis *in 1 part. tract. 2. reſolut. 8 & part. 4. tract. 1. reſol. 52.* quibus addo Bellettum *de diſquiſ. Cler. par. 2. §. 50. num. 7.* & me citato Squillantem *de Priuil. Cler. cap. 7. n. 94. & cap. 8. n. 39.* & Baldellum *tom. 1. lib. 1. diſput. 37. nu. 16.* Malderum *in 2 par. qu. 96. art. 5.* Fagnanum *de cenſ. Pauli V. par. 3. fol. mihi 72.* Viggianum *de immun. Eccleſ. diſp. 2. concl. 5.* Maynardum *de Priuil. Eccleſ. c. 7. §. 6.* Sed audiamus Monteſinum inſignem Theologum Illuſtriſſimæ Academiæ Complutenſis, ſic aſſerentem *in part. 2. D. Thom. diſp. 13 quæſt. 11. diffic. 3. nu. 200. & 201.* Manet difficultas, an ſubiiciantur Clerici legibus ſecularibus, quæ ſpectant ad politicum regimen, quibus nulla iniuria irrogatur dignitati Clericorum? vt quibus taxantur pretia rerum venalium, aut quibus præcipitur vſus ſericus, &c. Dico primò, Clerici ſubiiciuntur huiuſmodi legibus ſecularibus. Dico ſecundò, non tamen ſubiiciuntur Clerici huiuſmodi legibus, quantùm ad vim coactiuam. Sed poteſt hoc benè, & malè intelligi. Nam ſi intelligatur ita, quòd Clerici tranſgreſſores iſtarum legum omnino ſint impunes, falſum eſt, & abſurdum: ſi autem intelligatur ita, quòd non debeant puniri per iudices ſeculares, verum eſt, & intentum in propoſito: non enim decet quòd Clericus, aut Epiſcopus ſubiiciatur iudici ſeculari; atque adeò ſi Clerici, aut Epiſcopi ſint tranſgreſſores iſtarum legum, puniri debent, & licet puniri poſſint pœna taxata per ipſam legem, tamen executio pœnæ non debet fieri per iudicẽ ſeculare, ſed Eccleſiaſticum.

Ita

Ita Monteſinus. Sed ego puto (licet hæc diſſenſio non faciat pro opinione Cutellij) contra Monteſinum, Clericos non incurrere pœnas lege ciuili ſtatutas; & ita docet Vaſquez *in 2.part.tom.2.diſp. 167. cap.4.num.29.* vbi ſic aſſerit: Eccleſiaſtici verè non ſunt ſubditi Principibus, cùm ab eis puniri minimè poſſint, ergo id, quod lege Principum præcipitur, non ratione obedientiæ, & ſubiectionis, ſed vt conſonent toti Reipublicæ, facere debent; alioqui ſi obedire deberent tamquam inferiores, ſequeretur eos etiam incurrere pœnas lege ipſa ſtatutas. Impoſſibile enim videtur aliquem ſubditum eſſe alteri, & ei parere debere iure obedientiæ, nihilominus ab eo non poſſe propter tranſgreſſionem puniri, etenim hac ratione diximus Principem debere ſuas leges ſeruare, non iure obedientiæ, vt inferiores, ſed tantùm vt reliquo cum corpore rectè conueniat. Porrò Clericos non incurrere pœnas lege ciuili ſtatutas, Doctores ingenuè fatentur: ratio verò manifeſta eſt. Nam Clerici, & exemptæ perſonæ ſub Eccleſiæ iuriſdictione, non autem ſub iuriſdictione Principis ſecularis conſtitutę ſunt: ergo, &c. Ita Vaſquez. Videat modò Cutellius vtrùm ſua, an mea ſit amplectenda ſententia; & ſurdus ne ſit ad ea, quæ docet Surdus *conſil.301.num.31.* & Doctores citati, qui multas rationes pro hac opinione adducunt, quibus hanc adde, nam pœna licet pecuniaria, tamen ex delicto oritur, vt patet ex *l.1.ff. ſi quadrup.* ibi, Noxia autem eſt ipſum delictum. *& ex §.1.Inſtit.de noxal. & ex l. Quintus, & ſeq.ff. ad leg. Aquil. & ex cap.ſi læſerit, de iniur.* ergo ſi admittenda eſſet doctrina aduerſariorum, ſequeretur quòd Clericus poſſet in ſeculari iudicio conueniri ciuiliter ex perſonali actione, quæ deſcendat ex delicto, quod dicere eſt abſurdum. Et ideo meritò nouiſſimè docet Baldellus *in Theol. mor. lib. 5. diſp. 39. num.15.* quòd ſi poſſint laici punire Clericos pœna pecuniaria, verè Clerici eſſent ſub poteſtate laicorum, & conſequenter poſſent puniri pœna corporali. vide etiam Merollam *tom.2. cap.3. difficul. 2. num.608.* Igitur ex his etiam apparet, non poſſe iudices laicos ſumere à Clericis res venales, quæ contra legem ab ipſis venduntur, vel extrahuntur à ciuitate ſub colore, quòd dictæ res eo ipſo cadant in commiſſum, & ideò non benè Cutellius *ad l.Martini cap. 41. not. 42. num. 4.* dixit, quòd vbi pro apportandis rebus aliquid deperditur, exempti etiam Clericalis ordinis tenentur, quod ſi tenuerint, cogi in bonis à laico iudice poſſunt. nam hæc omnia habent rationem pœnæ, vt manifeſtè patet; ergo laici non poſſunt in Clericos illam pœnam infligere: & quæro à Cutellio, qua ratione res illæ cadunt in commiſſum? certè non ex alio capite, niſi à lege prohibente. ergo ad id non tenentur Clerici, quia non tenentur, nec ſunt obnoxij pœnis à lege laicali impoſitis; recognoſce me ipſum *in part.1.tract.2.reſol.71.* Nec his omnibus obſtat *cap. ex litteris, de vita & honeſtate Clericorum.* quod adducit Cutellius in ſui fauorem, nam ibi ſummus Pontifex, vt legenti patet, & aſſerunt omnes expoſitores, loquitur de Clerico negotiatore, qui ſubiacet iudici laico, vt ab eo puniri poſſit in rebus negotiationis: non eſt ergo caſus ille extendendus ad alios caſus, in quibus Clerici poteſtati ſeculari minimè ſubiiciuntur.

Et hæc dicta ſufficiant defenſionis cauſa circa obiectiones, quas contra me edidit nouiſſimè Marius Cutellius *in ſuo Codice legum Sicularum*; nam ea, quæ aſſerit *in fine dicti libri cap.67.not.70.num.9.* non indigent reſponſione. Ego enim fateor conuenire, vt beneficia exteris minimè cõferantur, & hoc ſatis probaui *in 1.par.tract.3. de Parlamento reſol. 6.* Sed ex hoc non ſequitur quòd Principes laici authoritate propria poſſint ſtatuere, ne ad beneficia aduenæ aſſumantur. & hoc nego in illa reſolutione à Cutellio citata, & negat nouiſſimè Caſtrus Palaus *tom.2.tra.12.diſp.vn.punct.8.n.9.* quia nemini à ſummo Pontifice, vel ab illo authoritatem habenti, datum eſt de rebus ſpiritualibus diſponere. Sed materia beneficiorum ſpiritualis eſt: ergo, &c. Deinde ius præſentandi ad beneficia nullus laicus habere poteſt, niſi ei fuerit à Pontifice conceſſum; ergo multò minùs habere poterit ius excludẽdi à Pontifice præſentatos, niſi à Pontifice hæc excluſio concedatur; & ideò ex Felino docet nouiſſimè Baldellus *tom.1.lib.5. diſput.36. num.14.* quòd Principes non poſſunt præcipere, vt poſſeſſio beneficij non apprehendatur ſine eius licentia, & conſenſu, aut Gubernatoris, vel Præſidis.

RESOL. VII. *An Clericus poſſit conuenire laicum coram iudice Eccleſiaſtico pro rebus non ſolùm Eccleſiæ, ſed etiam pro fructibus?*

VIdetur negatiuè reſpondendum, quia Actor ſequi debet forum Rei, ex *leg. in criminali, C. de de iur.omn.iud.* & ex aliis pluribus deductis ab vtroque Barboſa, Auguſtino, & Simeone, hoc in locis communibus *litt.A.n.29.* illo in Axiomatibus iuris *axiom.10.n.1.* Sed pro rebus Eccleſię & Eccleſiaſticorum laicum reum conueniendum eſſe coram Eccleſiaſtico docet Oſaſcus *deciſ.37.nu.7.* & Valboa *in lect.Salmat.ad text.cap.ſi Clericus laicum num.9.* vbi ſic ait: Communiter obtinuit ſententia inter iuris Pontificij interpretes, quòd hoc priuilegium habeat Eccleſia, cùm agitur de rebus Eccleſiæ, aut Clerici, ſiue actione perſonali, ſiue reali aduersùs laicum, poterit illum conuenire, ſiue coram ſeculari, ſiue coram Eccleſiaſtico, vbi voluerit, ita in electione actoris ſit, quem voluerit eligere iudicem; ſi verò actione merè perſonali agatur, v.g. ex locato ad mercedem, in qua rei Eccleſiæ reſtitutio non veniatur, tunc coram ſeculari conueniendus eſt laicus. Et ideò Ioannes Heuia *in Curia Philippica part.1. §.5. numer.10.* ſic aſſerit: [Perteneçen al fuero Eccleſiaſtico las cauſas que ſe tratan ſobre bienes y coſas de yglesias, aunque ſea contra legos reos.] Hæc ille.

Verùm ego puto Clericum poſſe conuenire laicum coram iudice Eccleſiaſtico, non ſolùm pro rebus Eccleſiæ, ſed etiam pro fructibus, & ita docet Innocent, & Abbas *in d. cap.ſi Clericus laicum, de foro compet.* vbi firmant Clericum poſſe cõuenire laicum corã iudice Eccleſiaſtico pro rebus Eccleſiæ, vel ſuis, ſiue agat actione reali, ſiue perſonali, veluti ex legato, vel locato, mouentur ex eo, quòd etſi fructus præbendæ non ſint quid ſpirituale, vt

rectè

rectè notat Felinus *in cap. cauſam, de præſcript.* cùm tamen à re Eccleſię dependeant, idem de illis iudicatur quod de re Eccleſiæ, *cap. ſi annum, de iudic. lib. 6,* & ibidem Franc. & Ancharenus *cap. Epiſcopi 17. quæſt. 1.* gloſſ. *in cap. quia vos, de teſtamentis*, vbi Epiſcopus non poteſt teſtari de fructibus ex agris Eccleſiæ perceptis, & ſic dicunt noſtri text. regulam euidenter ſuccedere, & facit text. *in cap. poſtulaſti, de homicidio.* Hanc etiam ſententiam docet Bellettus *in diſquiſit. Cler. part. 1. tit. de fauore Cler. reali. §. 5. num. 2. & ſequent.* Maceraten. *lib. 1. reſol. 49. num. 9.* Gabriel *conſil. 37. nu. 10.* Vulpius *in praxi fori Eccleſ. cap. 27. nu. 5.* Gratianus *tom. 2. cap. 238. nu. 17.* & alij penes ipſos, multas rationes adducẽtes pro hac firmanda ſententia. Sed non deſinam hîc apponere verba Antonij Rippol *var. reſol. cap. 1. de iuriſd. omn. iud. nu. 236.* ſic aſſerentis: Non ſolùm ipſi Clerici habent priuilegium trahendi ad ſuum forum Eccleſiaſticum ſuos cenſualiſtas & reddituarios, verùm etiam & arrendatores prædictorum fructuum. quia arrendatores fructuum Eccleſiaſticorum habent idem priuilegium, & ita fuit declaratum per Illuſtrem & Adm. Reuerendiſſimum Epiſcopum & Cancellarium Caſſador. *die 17. Martij 1567.* in cauſa contentionis ortæ inter Curiam Eccleſiaſticam Barcinone, & ſecularem Regentis Vicariam eiuſdem in cauſa in Curia Eccleſiaſtica cœpta ad inſtantiam Ioan. Benedicti Gatell, mercatoris arrendatoris fructuum, & emolumentorum Sacriſtiæ Maioris Sedis Barcinone contra Gabrielem Beſora Ortelanum ſuper ſolutione decimæ cuiuſdam peciæ terræ, quam dictus Beſora conductam habebat à Iacobo Ginabreda, & recuſando dictus Beſora ſoluere, firmauit ius dicto Gatell, tamquam arrendatori in Curia Regentis Vicariæ Barcinone, & firmata contentione inter dictas Curias, fuit cum dicta ſententia declaratum nõ eſſe locum firmæ inris factæ in Curia ſæculari, ſed dictam cauſam in Curia Eccleſiaſtica tractandam. Similis contentio fuit per eumdem declarata *die 16. Febr. 1570.*

Confirmatur noſtra ſententia contra aduerſarios ex legibus Regni Caſtellæ *lib. 4. nouæ collect. tit. 1. leg. 11. & 12.* in quibus ſancitum eſt vt in obligationibus & contractibus non apponatur iuramentum, ne contrahentes ſuper re merè prophana, ratione iuramenti ſe ſubmitterent Iudici Eccleſiaſtico, tamen, vt obſeruat Molina *de inſt. tom. 1. tract. 2. diſput. 149. nu. 15.* in dictis legibus permittitur, vt in contractibus, quibus laici conducunt redditus Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum, apponi poſſit iuramentum, & ideò apponam hîc verba Ioannis de Hevia *in Curia Philippica p. 1. §. 5. n. 33.* vbi ſic ait: [Por derecho real eſta prohibido al lego renunciar el fuero ſecular ſuyo, ni ſometerſe al Eccleſiaſtico en cauſas mere profanas, y à los eſcrimanos hazer ſemejantes ſumiſſiones, porque por ellas ſe ſomete à el, y defrauda la iuriſdicion ſecular, y por lo miſmo ſe prohibe à ellos en las dichas cauſas meré profanas hazer contractos jurados, aunque lo vno y el otro ſe puede hazer ſobre rentas, y bienes de Igleſias, Monaſterios, Prælados, y Clerigos por razon de ellas. [Sic ille.

Vnde Sacra Rota Romana *die 28. Maij 1631.* coram Illuſtriſſimo & amantiſſimo Domino meo Merlino determinauit emphyteutam Eccleſiæ poſſe conueniri coram Epiſcopo pro ſolutione penſionis; quam deciſionem affert, & ſequitur amiciſſimus Antonius de Marinis *quotid. reſol. cap. 207. num. 4.* Hinc docuit Burgius *tract. de Laudemio part. 3. inſpect. 1. numer. 6. & ſeq.* quod laicus poteſt conueniri coram Epiſcopo, vt ſoluat laudemium. Et tandem ad omnia ſupradicta ſtabilienda ponam hîc per extenſum reſcriptum Alphonſi Regis datum in ciuitate Gaietæ *die 24. Auguſti anno* 1436. tenoris ſequentis.

Alphonſus, &c. Vicereges, &c. Nobilibus eiuſdẽ Regni Siciliæ, Magiſtro Iuſtitiario, & iudicibus Magnæ Regiæ Curiæ, necnon Capitaneo, Prętori, iudicibus iuratis, ceteriſque Officialibus vrbis Panormi, ad quos præſentes peruenerint, aut pertineant quomodolibet infraſcripta, præſentibus, & futuris Regiis Cõſiliariis, familiaribus, & fidelibus dilectis ſalutem. Cùm Sereniſſimus Dominus noſter Rex prædictus ad ſupplicationẽ ſuæ Maieſtati porrectam per Reuerendiſſimum in Chriſto Patrem N. de Tudiſchis Archiepiſcopũ Panormitanũ prouiderit, & mandauerit ſub hac forma: Alphonſus Dei gratia, &c. Nobilibus, Viceregi, Magiſtro Iuſtitiario, iudicibus Magnæ noſtræ Curiæ Regni Siciliæ vltra Pharum, necnon Prætori, Capitaneo, iudicibus iuratis, & Officialibus quibuſcumque felicis vrbis Panormi Regni eiuſdẽ, ad quos præſentes peruenerint, ſeu quomodolibet ſpectare noſcãtur, eorumq; Officialium loca tenentibus, pręſentibus & futuris, Cõſiliariis, familiaribus, & fidelibus noſtris dilectis ſalutem & dilectionẽ. Nuper Noſtræ Maieſtati porrecta ſupplicatio per Reuerendiſſimum Conſiliarium & Oratorem Noſtrum N. de Tudiſchis Archiepiſcopum Panormitanum cõtinebat: Cùm de iure communi fuerit & ſit, quòd ſeculares perſonæ obligatæ Eccleſiis, Clericis, & ſpiritualibus perſonis ratione bonorũ eorum, poſſint coram iudicibus ſpiritualibus conueniri, & per aliquos Officiales noſtros in vrbe prædicta huic iuri contrauentum ſit, nolendo, neque permittendo, vt hi qui ſunt præmiſſa ratione Eccleſiis, Clericis, & ſpiritualibus perſonis, & ſignanter iuriſdictioni Archiepiſcopatus iam dicti obligati pro iuribus & bonis ſuis conſentire, vt per Officiales prędicti Reuerendi Archiepiſcopi conſtringantur, non aduertentes ad ſpirituales cẽſuras, & alias pœnas, quæ contra violatores libertatis Eccleſiaſticæ, ſeu contra turbatores, ne cauſæ, quæ de iure, vel antiqua cõſuetudine ad forum Eccleſiaſticum pertinent, introducantur à iure præditæ dignoſcuntur, dignaremur ſuper præmiſſis de noſtræ Maieſtatis auxilio eidem ſubuenire. Nos itaque attendentes præmiſſas ſupplicationes fore & eſſe iuſtas, & rationi conſonas, licet alias vobis ſcripſerimus, & tradidiſſemus in mandatis, quòd in iuriſdictionem præfati Reuerendi Archiepiſcopi tam quoad ſeculares cuiuſcumque conditionis, quã ad Eccleſiaſticas perſonas nullo modo vos intromittere deberetis, vobis tamen de certa noſtra ſcientia, & expreſsè ad abundantiorẽ cautelam dicimus, & præcipiendo mandamus, quatenus viſis præſentibus, omnes,

omnes, & quaſcumque perſonas obligatas,& obnoxias Eccleſiis, Clericis, & perſonis ſpiritualibus ratione bonorum ſuorum, & iurium prædictorum per ſpeciales Officiales ipſius Reuerendi Archiepiſcopi compelli, & cõſtringi iuſtitia mediante ſinatis,& permittatis,& non contrauenatis, ſeu aliquem venire permittatis, ſi nobis ſeruire cupitis,cùm ſic iuſtitia exigente exigendum duximus. Nos enim eidem Archiepiſcopo & eius Curiæ ad abundantiorem cautelam, cuique veſtrûm, contradictione non obſtante, damus, & concedimus plenam poteſtatem per iuris remedia contra prædictos & alios,qui de iure,vel antiqua conſuetudine in foro Eccleſiaſtico reſpondere tenentur, procedendi,cognoſcendi,& decidendi, ac definita per eos debitæ exequutioni mandandi iubemus. Datum in ciuitate Gaietæ 24. die Auguſti anno à Natiuitate Domini MCCCCXXXVI. *Rex Alphonſus.* Ea propter vobis & veſtrûm cuilibet dicimus, & mandamus de noſtra certa ſcientia, & expreſsè, quatenus Regiam prouiſionem præinſertam iuxta ſui ſeriem, & tenorem eidem Reuerendo Panormitano Archiepiſcopo, eiuſque ſpiritualibus Officialibus, & Curiæ teneatis firmiter, & obſeruetis, ac teneri, & inuiolabiliter obſeruari faciatis, per quos decet, dubio & contradictione quibuſcumque remotis. Datum in vrbe Panormi die 5. Octob. anno à Natiuitate Domini MCCCCXXXVI. *Rogerius de Paruta. Baptiſta de Platamone.* Domini Vicereges mandarunt mihi Benedicto de Piſano. Ex Regia Cancellaria Regni Siciliæ extracta eſt præſens copia, fol. 69. & ex Regio Officio Protonotarij fol.14.]

Igitur ex omnibus ſupradictis apparet non ſolùm ex ſacris Canonibus,& Doctorum conſenſu, ſed etiam ex ore ipſius Regis, ſeculares obligatos Eccleſiis,Clericis,& ſpiritualibus perſonis ratione bonorum eorum coram iudicibus Eccleſiaſticis conueniri poſſe & debere; & ideò quia Miniſtri Regij de hoc Abbatem Panormitanum tunc noſtrum Archiepiſcopum contra ius inquietabant; Alphonſus Rex in illo per ſupradictum Decretum inuehitur, in quo id quod de iure Eccleſiaſticis competebat,præcipit vt eis inuiolabiliter ſeruetur. Et ideò tanti Regis veſtigiis inhærendo,habent in hoc caſu & ſimilibus Principes laïci præclarum exemplum Eccleſiaſticam libertatem vt par eſt tuendi. Vnde ex ſupradictis hactenus deductis infertur noſtram opinionem procedere contra Valboam & Oſaſcum *vbi ſuprà*, etiamſi agatur actione ex locato ad mercedem, nam ſi laïcus poteſt conueniri coram Eccleſiaſtico, ſiue actione reali,ſiue perſonali,vt ex legato, & locato, *vbi ſuprà* ex Innocent. & Abbate probatum eſt. Idem dicendum eſt ſi agatur ex locato ad mercedem,quia actio ex locato ad mercedem eſt perſonalis, vt tradit Felinus *in cap.ſi Clericus laïcum, de foro compet. num.* 4. & ita hanc ſententiam docet Bellettus *in diſquiſ. Cler. part.*1.*tit.de fauore Cler.realt* §.5.*num.*10.

Reſtat modò reſpondere ad argumentum contrarium, nempe actorem ſequi debere forum rei, ad quod poſſet aliquis reſpondere, illam regulam pati exceptionem. Sed aliter reſpondit Valboa *in lect. Salmatic. ad text. in cap. ſi Clericus laïcum, de foro compet.num.6.* exiſtimat enim quòd inter duo iuris principia ferè contraria medium rectè à Pontifice electum eſt,& conſtitutum. Alterum eſt actorem ſequi forum rei; alterum verò Clerici bona patrimonialia fori priuilegio gaudere. medium ergo eſt, quando laïcus probabiliter negare poteſt rem eſſe Eccleſiæ, vel Clerici, tunc enim cognitio pertinet ad ſecularem, ſeruata illa regula, quòd actor forum rei ſequi tenetur.id enim denotat text. *cap. ſi Clericus*, ibi, *Res proprias eſſe aſſeuerat*; aſſeuerare enim eſt conſtanter, & veroſimiliter affirmare, vt notatur *in l.quod aſſeuerat. C. de probationibus.*ſic Anton.& Cardinalis *num.* 9. Imola & Abbas *num.* 13. Alexan. de Neuo, & Felinus *in principio*. Oſaſcus *l.* 2.*ff.ſi in ius vocatus.*Abbas *lib.*1.*var.cap.*4. *num.*3. Menochius *de re recuper. rem.* 5. *num.* 21. prudens ergo iudex arbitrabitur, an laïci negatio probabilis ſit, vel non. nam ſi res veroſimiliter temporalis eſt, pertinebit ad laïci iudicis cognitionem;ſi verò Eccleſiaſtica,ad Eccleſiaſticum, & ſic procedit text. *d. cap. ſi Clericus laïcum*, cuius praxis propriè obſeruatur in ſpecie text. *in cap. final. de iudiciis.* Cùm enim ibidem laïci à Religioſis conuenirentur ſuper quodam officio ſeculari,quod laïci ad ſe pertinere aſſerebant coram iudice ſeculari, propoſita fuit conuentio à Monaſterio,quoniam cùm laïci probabiliter negaſſent ex eo, quòd officium illud ſeculare eſſet, debuit Monaſterium forum rei ſequi, ex textu noſtro. & hæc omnia docet Valboa *loco citato.*Vnde Rippol.*in var.reſolut.cap.*1.*de iuriſd.omn. iud.num.*238. Ex his aduertit Aduocato,qui tuetur cauſam in Curia Eccleſiaſtica, quòd curet ante omnia iuſtificare laïcum ſolitum eſſe ſoluere Clerico id, quod petitur, quia cùm ratione poſſeſſionis competat iuriſdictio iudici Eccleſiaſtico in laïcum, debet qualitas hæc tribuens iuriſdictionem, probari ante omnia,& de ea conſtare. Ita Rippol. Ex quibus omnibus patet reſponſio ad argumentum pro negatiua ſententia adductum.

Non deſinam tamen hic in gratiam curioſorum libertatis Eccleſiaſticæ obſeruare potuiſſe Eccleſiam priuilegium, quod Clericis reis competit, extendere ad Clericos actores,non ſolùm in caſu, de quo ſuperiùs loquuti ſumus, ſed etiã in omnibus aliis,ita vt non tenerẽtur ſequi fõrum rei prouocati laïci, ſed illum traherent ad forum Eccleſiaſticum:& ideò in facti contingentia frequenter Pontifices ſolent concedere reſcripta,& priuilegia Clericis, vt in quacumque cauſa, etiam agendo contra laïcum, ad forum Eccleſiæ illum venire compellant. Vnde (& hoc à nemine obſeruatum video)prorſus refellenda venit,ſeu potiùs delenda gloſſa *in cap. ſi Clericus laïcum, de foro compet. ver. de conſuet.* Nec in contrarium poſſet quis adducere Bartolum *in l.* 2. *ff. de iuriſd.omn. iud.* vbi proponit quæſtionem, an fieri poſſit ſtatutum, vt reus ſequatur forum actoris ? & reſpondet, Principem pro ſubditis poſſe tale ſtatutum facere, non tamen poſſe pro ſubditis alienæ iuriſdictionis; ergo cùm laïcus in temporalibus non ſit ſubditus iuriſdictioni Eccleſiaſticæ, non poterit Pontifex illum compellere,quando reus eſt, vt veniat ad iudicem

Eccle-

Eccleſiaſticum. Sed reſpondetur quòd hæc Bartolidoctrina retorqueri poteſt pro noſtra ſententia: ſi enim princeps laïcus poteſt inter ſubditos priuilegium dare, vt reus forum actoris ſequatur, poterit etiam Pontifex idem priuilegium Clericis concedere reſpectu aliorum fidelium, neque obſtat quòd fideles laïci non ſint directè in temporalibus Pontifici ſubditi, nam ſufficit quòd ſubdantur indirectè, ſuppoſito quòd ſpiritualis poteſtas ſufficit ad diſponendum circa temporalia, quando id exigit finis ſpiritualis, & ideò quoties Pontifex huiuſmodi priuilegia ſpecialiter aliquibus concedit, non vſurpat iuriſdictionem temporalem, ſed ſua poteſtate ſuperiori vtitur, neque etiam reus cogitur comparere coram iudice alieno, ſed ab vno iudice in alium transfertur cauſa per Pontificem habentem legitimam poteſtatem. Et hæc omnia docet, & probat inter doctos Iuriſconſultos Hiſpanos, doctiſſ. Valboa de Magrouejo *in lection. Salmat. tom. 2. ad text. cap. 2. de iudiciis, à numer. 50. vſque ad num. 55.*

RESOL. VIII. *An, ne laïci conductores bonorum Eccleſiaſticorum poſſint conueniri coram iudice Eccleſiaſtico, licitum ſit condere Pragmaticam prohibentem laïcis prorogationem iuriſdictionis alienæ?*

VIdetur affirmatiuè reſpondendum, & ideò in Regno Portugalliæ & Caſtellæ adſunt leges, in quibus prohibetur, vt in contractibus non apponatur iuramentum, ne ratione ipſius prorogetur iuriſdictio iudicis Eccleſiaſtici: quas leges defendunt Ioſeph. Seſſe *de inhib. cap. 9. §. 3.* Pereira *de manu Regia part. 2. cap. 35. num. 2.* Petrus Barboſa *in l. 1. art. 3. num. 139. ff. de iudiciis.* Oſaſcus *deciſ. 32. nu. 7. & deciſ. 78. num. 19.* Gama *deciſ. 247. nu. 2.* Cabedo *tom. 1. deciſ. 32. num. 2.* Caraualius *de iudiciis lib. 1. tit. 5. num. 121.* Guilelmus Bened. *in cap. Raynutius ver. & vxorem. deciſ. 2. num. 53. de teſtam.* & alij penes ipſos: quibus adde Molinam *de iuſt. to. 1. tract. 2. diſput. 149. num 15.* Rebellium *part. 2. lib. 16. quæſt. 2. numer. 9.* & Valboa de Magrouejo *in prælect. Salmat. tom. 1. cap. 3. de iudiciis num. 163.* Et ita hanc ſententiam in terminis docet Anguianus *de legibus lib. 3. controu. 22. per totam.*

Sed his non obſtantibus, ego *in 4. part. tract. 1. reſolut. 24.* contrariam ſententiam docui cum Mario Antonino *var. lib. 1. reſolut. 48. num. 24.* Verùm quia ibi more meo breuiter, & reſolutoriè hanc tetigi quæſtionem, viſum eſt mihi nunc per extenſum illam probare. Dico igitur præter Maceratenſem citatum, hanc ſententiam docere Bellettum *in diſquiſ. Cleric. tit. de fauore Cler. perſon. §. 2. num. 26.* vbi docet laïcum poſſe prorogare iuriſdictionem in Epiſcopum, neque ab eius Superiore poſſe inhiberi. Idem tenet Marta *part. 4. cent. 1. caſ. 92. num. 2.* quibus adde Riccium *part. 2. deciſ. 211. nu. 5.* & Genuenſem *in praxi Epiſc. cap. 12. num. 2.* aſſerentes prædictum ſtatutum eſſe contra libertatem Eccleſiaſticam, & illud ferentes incurrere in excommunicationem Bullæ Cœnæ; & vt hæc opinio etiam rationibus fulciatur, Supponendum eſt primò ſtatuta laïcorum, quæ tollunt Clericis id, quod competit de iure communi, eſſe contra libertatem Eccleſiaſticam, vt patet ex *cap. cùm terra, de elect.* & *ibi* Imola & Butrius, & docent etiam *in cap. Eccleſia S. Mariæ*, Decius *nu. 3.* & Felinus *nu. 69. de conſtit.* Hanc etiam ſententiam docet Alexander, Riminaldus, Maluaſia, Oddus, & Hondedeus, quos citat, & ſequitur Philippus Maynardus *de priuil. Eccleſ. part. 1. art. 1. num. 24.* quibus ego addo Caſtillum Sotomaiorem *tom. 3. de Tertiis, cap. 9. nu. 6.* Aponte *in reſp. pro cenſura Veneta. fol. mihi 71.* Laderchium *conſ. 103. num. 8.* Germonium *de libert. Eccleſ. cap. 5. §. 5.* Mandellum *vol. 1. conſ. 164. num. 13.* Fagnanum *in reſponſ. pro validitate cenſuræ Pauli V. par. 3. fol. mihi 58.* Torrium *in Apolog. pro libert. Eccleſ. fol. mihi 23.* Valenzuelam *in defenſ. monit. part. 1. num. 55.* Beltran de Gueuara *in propugn. libert. Eccleſ. aſſert. 1. §. 5. num. 25.* Collegium Bononienſe *in reſp. pro libert. Eccleſ. nu. 17.* & alij penes ipſos, quibus omnibus adde ſacram Rotam Romanam *in vna Corrigienſi die 16. Febru. anno 1589. coram Gipſio, & in vna Maſſafrenſi die 21. Iunij anno 1591. coram Pamphilio, & in vna Cryptæferratæ die 16. Ianuarij 1604. coram Millino*, & tandem nouiſſimè *in vna Veneta cenſur.* quam penes me impreſſam habeo. *fol. 4.*

Supponendum ſecundò, laïcos poſſe prorogare iuriſdictionem iudicis Eccleſiaſtici, vt patet ex *l. ſi qui ex conſenſu, & l. Epiſcopale, C. de Epiſc. audien.* & docent communiter Iuriſconſulti, (nam ex induſtria nolo Theologum vllum citare) vt Calderinus, Federicus de Senis, Wameſius, Tuſchus, & alij, quos citat, & ſequitur Ioannes à Chokier *in vindiciis libertatis Eccleſiaſticæ part. 1. cap. 66. nu. 5. & 10.* quibus ego addo Baldum Iacobinum, Lapum, Maſullum, Viuium, & Capycium, quos citat & ſequitur Carolus de Graſſis *de effect. Cler. effect. 1. num. 75.* quibus etiam adde Narbonam *lib. 2. tit. 4. leg. 59. gloſſ. 1. num. 9.* Madium *de ſacram. Ord. cap. 13. num. 23.* Boërium *deciſ. 69. num. 5.* Nattam *tom. 2. conſ. 413. nu. 4.* & Nouarium *de elect. fori ſect. 3. quæſt. 13. num. 25.* Imò ego addo cum Petro Barboſa *vbi ſuprà* ex Menochio *vol. 4. conſ. 322. num. 20.* non ſolùm ex iure ciuili vt viſum eſt *in d. l. ſi qui, & l. Epiſcopale*, laïcum poſſe prorogare iuriſdictionem Eccleſiaſticam, ſed etiam ex iure Canonico in text. *cap. ſignificaſti, de foro compet.* Nam cùm ibi Pontifex proponat regulam, quod quilibet poteſt prorogare iuriſdictionem alterius iudicis, & ab hac regula excipiat Clericum, qui non poteſt prorogare iuriſdictionem iudicis Eccleſiaſtici, ſequitur hoc fieri poſſe à laïco.

His ſuppoſitis, ſequitur negatiuam ſententiam quam *ſuprà* docuimus probari irrefragabili argumento. Nam ſtatutum, quod tollit Clericis id, quod eis ius commune concedit, eſt contra libertatem Eccleſiaſticam, vt patet in primo ſuppoſito, ſed Clericis de iure ciuili & Canonico competit vt laïci poſſint eorum iuriſdictionem prorogare, vt viſum eſt in ſecundo ſuppoſito: ergo neceſſariò ſequitur ſtatutum laïcis hoc prohibens eſſe contra libertatem Eccleſiaſticam, quod procedit etiam ſi in illa re, quæ de iure competit Clericis, participarent, vt eſt in caſu noſtro, etiam laïci. Ita optimè obſeruat & docet Ioannes Beltran de Gueuara *in propugn. libert. Eccleſ. aſſert. 1. §. 6. num. 61.* & alij.

Confir-

§ Confirmatur noſtra opinio ex his,quæ docent Aponte *in reſp. ſuper cenſura Veneta,fol.*85. & Laderchius *conſ.*103. quòd Eccleſia habet facultatẽ hãc, vt laici poſſint liberè cum ea contrahere, & quoties arctatur eis hæc libertas,eſt contra immunitatem Eccleſiaſticam: ſed per ſtatutum, de quo loquimur,imponitur aliquod onus laicis,quod priùs non habebant,& eis arctatur libertas, vnde non poſſint liberè vt priùs cum Eccleſia contrahere, prorogando videlicet eius iuriſdictionem: ergo tale ſtatutum erit inualidum,& contra libertatem Eccleſiaſticam. Adde quòd ſecundùm Innocent. & Abbatem *in cap. ſi Clericus, de foro competent.* & Gratianum *in diſceptat.forenſ.tom.*2.*cap.*238.*num.*17. poſſunt Clerici conuenire laicos coram Eccleſiaſtico pro rebus Eccleſiæ,vel ſuis,ſiue agatur actione reali,ſiue perſonali,vel ex legato,vel locato, & patet etiam ex *cap. ſi annum, de iudiciis in* 6. & ibi Ancharanus, Francus, Philippus, & Archidiaconus cum gloſſa *verb. dependentibus* quibus adde *cap. Epiſcopum,*17.*qu.*1. *& gloſſam cap. quia nos,de teſtam.* & facit text. *in c.poſtulaſti,de homicidio,*& ego ſuprà ſatis probaui. Si igitur in his caſibus & ſimilibus laici non poſſent prorogare per ſtatutum hoc eis prohibens iuriſdictionem iudicum Eccleſiaſticorum,tolleretur vtique eis id,quod habent ex iure communi; ergo tale ſtatutum eſſet contra libertatem Eccleſiaſticam.

Sed reſtat modò reſpondere ad argumentum deſumptum ex legibus Hiſpaniarum prohibentibus apponi iuramenta in contractibus,ne prorogetur iuriſdictio Epiſcoporum. Dico igitur quòd dictas leges non admittunt aliqui Theologi,quia iuramentum directè pertinet ad virtutem Religionis,& eius vinculum eſt res ſpiritualis excedens poteſtatem ſecularem,& ideò circa illud non poſſunt vllo modo Principes laici diſponere, vt ego ipſe probaui *in* 1.*part. tract.*2.*reſolut.*73. cum Marta & Duardo.

Adde,& hoc eſt valde notandum,quòd de iure communi competit etiam Epiſcopis ratione iuramenti conuenire laicos in Curia Eccleſiaſtica,vt patet ex *cap. nouit,de iudicijs, & cap. fin. de foro competen. in* 6.& docet Rippol. *de iur. omn. iudic. cap.*1. *num.*266.& alij communiter:ergo ſi Principis laici ſtatutum prohiberet iuramenta in aliquo contractu præſtare, vtique auferret iudicibus Eccleſiaſticis illam auctoritatem,quam Canones ex contractibus iuratis eis tribuerunt. Eſſet igitur tale ſtatutum ſaltem indirectè contra libertatem Eccleſiaſticam. Vnde ex his corrueret ſpeculatio, quam apponunt Doctores in principio huius reſolutionis citati, pro defenſione legum Caſtellæ,& ideò dictas leges inter Iuriſconſultos Hiſpanos doctiſſimus Sahagun de Villaſante *in cap. decernimus,de iudicijs, num.*127. ex D. Thom. nullas eſſe docet tanquam Eccleſiæ poteſtati contrarias. Et ita etiam docet Marta *de iuriſd.part.*4.*cent.*1.*caſ.*72. Mareſcottus *lib.*1.*var. cap.*62. *à num.*10.& Seraphinus *de iuram. priuileg.*76.*num.*18.

Hinc circa præſentem quæſtionem inuenio doctiſſimi Suarez ingenium ita hæſitaſſe, vt dubius remanſerit,& ideò *de Relig.tom.*2.*lib.*2.*cap.*38.*nu.*15. ſic aſſerit: Non carent difficultate leges illæ irritantes contractum ſolùm propter adiectionem iuramenti, nam videntur ſaltem indirectò eſſe contra libertatem Eccleſiaſticam,licet lex Caſtellæ expreſsè id neget.Ita Suarez. Nec valet dicere cum Valboa, Seſſe, & alijs, hoc Principes non efficere ad æmulationem iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, ſed ad ſuam iuriſdictionem tuendam, nam in omnibus ſtatutis contra libertatem Eccleſiaſticam hac reſponſione poſſent laici ſe tueri,quod abſurdiſſimum eſſe nemo negabit. Vnde Fagundez *præc.*1. *lib.*3 *cap.*7.*num.*17.& Aluarez Valaſcus *tom.*1.*conſ.*99. *num.*3. putauit dictas leges in regnis Hiſpaniarum fuiſſe latas ex priuilegio Summi Pontificis, quod cùm non adſit in caſu noſtro, apparet non poſſe Pragmaticam, de qua loquimur, publicari. Sed dato quòd Principes poſſint aliqua ſtatuere circa iuramenta in contractibus apponenda, non deſinam tamen hîc adnotare ea, quæ docet Bonacina *in Bulla Cœnæ, diſput.*1.*quæſt.*26. *ſect.*2.*punct.*2 *nu.*26. vbi poſtquam firmaſſet poſſe Principes ad euitanda periuria, quæ paſſim fiunt, ſtatuere, ne iuramenta in celebratione contractuum adhibeantur, hoc tamen limitandum cenſet, modò id fiat ſine præiudicio libertatis Eccleſiaſticæ.Quamobrem ſi Princeps prohibeat iuramentum contractui apponi,ne cauſæ temporales prætextu vitandi periuria ad forum Eccleſiaſticum deducantur, à culpa non excuſatur,quia libertatem Eccleſiaſticam ſaltem indirectè offendit. Ita Bonacina,cui conſentit etiam Molina *tom.*2.*tract.*2.*diſput.*271.*num.*3. *in fine.* Vnde apparet ex his quàm periculoſa res ſit publicatio ſimilium ſtatutorum.

Et tandem aduertendum eſt,quòd dictæ leges, quæ pro iuſtificatione præſentis Pragmaticæ adducuntur, non faciunt ad rem,imò contra dictam Pragmaticam adduci poſſunt. Nam dictæ leges licet prohibeant iuramentum apponi in contractibus, ne ratione ipſius prorogetur iuriſdictio Eccleſiaſtica,tamen, vt aduertit Ioannes de Heuia *in Curia Philippica part.* 1.§.5. *num.* 33. Azeuedus *in recopil. lib.* 4.*tit.*1 *l.*11. *in fine.* Guttierrez *in Authent.Sacram. puber. C. ſi aduerſùs venditionem, num.* 157. & Molina Theologus *de Iuſt. tom.*1.*tract.*2.*diſput.*149. *num.*15. permittunt vt in contractibus,quibus laici conducunt redditus Eccleſiarum & Eccleſiaſticorum,apponi poſſit iuramentum. Et ideò ex dictis legibus concedit Valboa *in lection. Salmat. ad text. cap.*1.*&* 2.*de foro compet. num.*10.poſſe conductores decimarum apud iudicem Eccleſiaſticum conueniri,quoties in contractibus conductionis iuriſdictioni Eccleſiæ ſe ſubmiſerunt,quod antea docuerat Couarr. *pract.quæſt. cap.*35.*nu.*2. & docet Caſtr. Palaus *tom.* 2. *tract.*10 *punct.* 15. *num.* 9. Fagundez *præcept.*5.*lib.*3.*cap.*5.*num.* 11. & ex Doctoribus Italis Gratianus *tom.*2.*cap.*238.*num.*18.Vnde cùm Doctores in principio huius reſolutionis citati,& ſupradictæ leges loquantur de contrahentibus ſuper re merè profana,non poſſunt in exemplum adduci, vt liceat edere Pragmaticam,ex qua ampliùs laici conductores rerum Eccleſiaſticarum non poſſint prorogare iuriſdictionem Eccleſiaſticam Epiſcopi.

Dicendum eſt igitur dictam Pragmaticam nullam

lam eſſe, tanquam Eccleſiæ libertati contrariam, illamque ſtatuentes incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ; nec ſufficit quòd publicetur ſine aliqua mentione Eccleſiaſticorum, nam non eſt conſiderandum cum quo quis loquatur, ſed in quem voluntatis dirigatur intentio, ex *l. cùm pater, §. donationis, ff. de legatis* 3. Et ideò licet taliter ſtatuentes quoad verba non videantur infringere libertatem Eccleſiaſticam, faciendo tamen fraudem, quantùm ad mentem Eccleſiæ libertatem violant, ac proinde cenſendi ſunt, ac ſi expreſsè Eccleſiam nominarent, & ita ſemper docuit ſacra Rota Romana, & ſignanter *in vna Maſſafrenſi coram Pamphilio die 21. Iunij 1591. & in vna Cryptæ Ferratæ coram Millino die 16. Ianuar. anno* 1604. & docent communiter Doctores, quos ego ad ſatietatem adduxi *4. part. tract. 1. reſolut. 52. verſ. his ſuppoſitis*, quibus addo Valaſcum *tom. 1. conſ. 99. num. 2.* Vnde in tali caſu laicos ſtatuentes poſſe cogi per cenſuras ad declarandum eorum edictum, neque Eccleſiam, neque Clericos ligare determinauit ſacra Congregatio *Immun. die 7. Decemb. ann.* 1632. & ſacra Rota Romana *in vna Veneta cenſur. anno* 1606. *fol. mihi 6.* & docent Geminianus *in cap. final. de immun. Eccleſ. in 6. n. 4.* & Francus *n. 2.* Felinus *in cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ num. 81. de conſtitut.* Ancharan. *conſ. 155.* Hieronymus Gabriel *vol. 2. conſ. 37. n. 3.* & alij.

Sed cùm his temporibus videam tam amarè ferre laicos ad tribunal Epiſcoporum trahi, viſum eſt mihi pro illis hîc adnotare, quantum detulerit Epiſcopali foro Carolus ille verè Magnus, vt patet ex eius conſtitutione, quam ex *cap. nouit, de iudicijs*, & alijs refert Cardin. Baronius *tom. 9. Annal. anno Chriſti* 801. his verbis: Quicumque litem habens, ſiue poſſeſſor, ſiue petitor fuerit, vel in initio litis, vel decurſis temporum curriculis, ſi iudicium elegerit ſacroſanctæ legis Antiſtitis, illico ſine aliqua dubitatione, etiamſi alia pars refragatur, ad Epiſcoporum iudicium cum ſermone litigantium dirigatur. Omnes itaque cauſæ, quæ vel Prætorio iure, vel ciuili tractantur, Epiſcoporum ſententijs terminatæ, perpetuo ſtabilitatis iure firmentur. Nec liceat vlteriùs tractari negotium, quod Epiſcoporum ſententijs deciderit, &c. Hæc audiant, & erubeſcant illi (inquit Baronius) qui his penitus aduerſarias leges ſtatuunt, & contraria edicta proponunt, timoribus exagitantes populos, nouis adinuentionibus inhibentes quacumque occaſione prætenſa via indirecta procurant ne laici ipſi attingant limen Eccleſiaſtici fori. Timeo, timeo, inquit, iſtis, nequando ſi iſta facere perſeuerant (quod abſit) Deus tandem vindex exurgens virga furoris ferrea, ſecundùm illud Dauidicum, tamquam vas figuli confringat eos: vnde & ob imminens quod adſtat periculum æquè cum eodem ipſo ex alto corde vociferor, *Nunc Reges intelligite, & erudimini qui iudicatis terram*: & exemplo diſcite Caroli Magni regna & Imperia propagare, atque firmiter ſtabilire. Huc vſque Baronius. Igitur olim Epiſcopis dabatur iuriſdictio, quæ eis de iure non competebat, nunc verò faxit Deus, quòd ab eis non tollatur iuriſdictio, quæ eis de iure competit, vt exclamat Baronius.

RESOL. IX. *An Epiſcopus ſtare debeat proceſſui facto à iudice laico, ſi reus remittendus ſit, vel ne?*

PRima opinio eſt affirmatiua, quam tuentur aliqui Miniſtri iuriſdictionis laicalis, quibus fauet Giurba *conſ. 50. num. 2.* Sed ego prorſus contrariam ſententiam tenendam eſſe puto, quam docent ferè omnes ſcribentes poſt Bullam Gregor. XIV. vt Ambroſinus *cap. 11. num. 12.* Peregrinus *cap. 3. num. 2.* Italia *lib. 1. cap. 6. §. 1. num. 79.* Bonacina *de legibus diſp. 3. qu. 7. §. 7. num. 3.* Guazzinus *tom. 1. defenſ. 1. c. 30. nu. 7. & 8.* Riccius *in praxi tom. 2. reſol. 285. num. 3. & collect. 1792.* Bellettus *in diſquiſ. Cler. part. 1. tit. de fauore Cler. reali. §. 4. num. 50.* Vulpius *in praxi cap. 3. num. 22.* Farinacius *conſ. 168. num. 21. & in Appen. de immun. Eccleſ. cap. 22. num. 373.* quibus omnibus adde nouiſſimè ex Societate IESV doctum Caſtrum Palaum *tom. 2. tract. 11. diſput. vn. punct. 13. num. 9.* & probatur apertè ex verbis Bullæ Gregorianæ ibi: Curiæque ſeculari nec tradi, nec conſignari poſſint, niſi cognito priùs per Epiſcopum, ſeu per deputatum ab eo, an ipſi verè crimina ſuperiùs expreſſa commiſerint. In quibus verbis cognitio iſtius articuli ſpecialiter demandatur, vt patet, Epiſcopis, ſeu alijs ab ipſis deputatis. Sed quando delegatur cognitio alicuius articuli, vel cauſæ, cenſetur delegata poteſtas ſumendi probationes ſuper illo articulo, & cauſa, vt habetur *in cap. præterea, de offic. delegat.* & *ibi* gloſſa *ver. delegatus.* & habetur etiam *in l. vbi falſi*, & *ibi* gloſſa *ver. relationes*, C. *de falſis.* ergo Epiſcopi debent recipere probationes de prætenſo delicto, & non ſtare proceſſui exhibito per iudicem ſecularem, cùm agatur de proprio intereſſe. Deinde confirmatur ex communi doctrina, quæ docet, iudicem Eccleſiaſticum non teneri ſtare proceſſui facto per iudicem ſecularem, vt inter Iuriſtas tenet Iul. Clar. *in pract. crim. §. fin. quæſt. 36. num. 49.* Grammaticus *conſ. 42. num. 1.* & alij, quia acta inſtructorij vnius iudicij in alio non probant, niſi inter eaſdem perſonas, & in eiſdem cauſis, ex *cap. inter dilectos, §. in omnibus, de fide inſtrum.* ergo, &c.

Vnde hæc opinio à fortiori procedit, quod fatetur ipſe Giurba *loco cit. num. 4.* quando vrgeret aliqua ſuſpicio contra teſtes examinatos à iudice laico, vel dubius eſſet Epiſcopus, nam in hoc caſu certum eſt illum non teneri ſtare proceſſui iudicis laici, ſed maiorem diligentiam adhibere, faciendo examinare teſtes illos diligentiùs, vel alios pro informatione ſuæ conſcientiæ, vt tradit etiam & teſtatur de praxi Curiæ Archiepiſcopalis Neapolitanæ Ioan. Anton. Nouarius *in ſumm. Bullarum tit. de immunit. Eccleſ. num. 81.* & ideò Caſtrus Palaus *vbi ſuprà* ſic ait: Aduertendum eſt ab Epiſcopo an proceſſus formatus à iudice ſeculari ſit formatus antequam reus ad Eccleſiam confugerit, & conſequenter antequam de immunitate tractaretur, vel poſtquam reus ad Eccleſiam confugit, & cauſa immunitatis tractatur? ſi formatus eſt proceſſus antecedenter, eſto obligatus non ſit Epiſcopus illi ſtare, ob rationes dictas, ac debet quàm breuiſſimè poterit teſtes illos apud ſe examinare, & reum iudici ſeculari remittere, quia nulli apparet ſuſpicio falſi in ſupradicto proceſſu. At ſi poſtquam reus ad

Eccleſiam

Eccleſiam confugit proceſſus fuerit formatus, tunc ſuſpicionem non leuem habet falſitatis, eò quòd in defenſionem proprij iuris, & diminutionem Eccleſiaſticæ iuriſdictionis formatus fuerit. Ita ille. & ante illum Farinacius *in append. de immunitat. Eccleſ. cap. 22. n. 375.*

Nec facit contra noſtram ſententiam Breue Clem. VIII. directum ad Archiepiſcopum Panormitanum *die 6. Februar. 1597.* ibi, ſi tibi ſummariè: ſimpliciter, extraiudicialiter, & quantum pro tuæ conſcientiæ informatione ſufficere tibi videbitur. nam ex his verbis non ſequitur, quòd Epiſcopus teneatur ſtare proceſſui iudicis laici, neque ex dictis verbis (vt obſeruat ex multis Doctoribus Nouarius *loc. cit.*) tollitur ſubſtantia probationis, ſed longinquitas temporis, cùm verba ſummariè, ſimpliciter, & de plano non excludant concludentem probationem ſed ſolùm modum probandi.

Adde, & hæc, ni fallor, eſt vera reſponſio, quòd in illo caſu plenè conſtabat de delicto, neque de hoc tunc vllum extabat dubium, ſed tantùm difficultas erat, an illi gaudebant Eccleſiæ immunitate. Vnde tunc Clem. VIII. ne videretur approbare proceſſum iudicis laici, diſpenſauit in illo caſu particulari, vt Archiepiſc. Panormitanus traderet aliquos reos ex illis Curiæ ſeculari cum tantùm ſummaria, ſimplici, & extraiudiciali informatione: vnde non ſequitur quòd ita faciendum ſit in omnibus aliis caſibus.

Notandum eſt etiam hîc obiter ex dictis contra Gratianum *tom. 3. cap. 596. num. 23.* & paucos alios, quòd non ſufficiunt coniecturæ, indicia, & præſumptiones ad declarandum, vt reus commiſerit delictum exceptuatum in Bulla, ſed opus eſt Epiſcopo vt certò conſtet de tali delicto, & ita ego cum multis Doctoribus docui *in 3. par. tract. 1. reſol.* 38. quibus nunc addo Riccium *collect. 179.* Caſtillum *deciſ. 156. num. 5.* Barboſam *de iure Eccl. lib. 2. cap. 3. num. 168.* Auendanum *de exequend. mand. part. 1. c. 22. num. 9. & ſeq.* & Caſtrum Palaum *vbi ſup. tom. 2. tract. 11. punct. 13. num* 8. quia Eccleſia habet ius tutandi omnes delinquentes ad ſe confugientes, niſi in caſibus exceptis, ipſique delinquentes ius habent ne vltra illos caſus extrahantur, *cap. inter alia, cap. fin. de immun. Eccl. cap. ſicut antiquitus 17. q. 4.* ergo dum Prælato Eccleſiæ non conſtat eſſe caſum exceptum, iniuſtè Eccleſiam & delinquentem iure ſuo priuat, at per præſumptiones & probabiles coniecturas non ſufficienter conſtat. Tum, quia hæ præſumptiones non vincunt præſumptionem ortam ex poſſeſſione immunitatis, & iure fundato, *l. fin.* & *ibi* Doctores, *ff. quod metus cauſa.* Abbas *cap. quia veriſimile in 2. not. ab. de præſumpt.* Tum, quia ad tollendum ab aliquo ius quæſitum, & hoc irreparabiliter, non ſufficit coniectura, ſed requiritur plena probatio. Bald. *in l. iudices num. 2. C. de iudiciis.* Speculator. *tit. de offic. omn. iud. §. fin. num. 18.* Ceteras rationes pro hac firmanda ſententia videbis penes Palaum *loco cit.* cui etiam adde Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 8 cap. 1. dub. 11. num. 2.* hanc etiam ſententiam abſolutè docentem.

Non deſinam tamen hîc adnotare Guarrinum *in defenſ. reorum tom. 1. defenſ. 1. c. 31. num. 9.* Caſtillum *deciſ. 156. num. 9.* Riccium *in praxi tom. 2. reſol. 450. num. 3.* Regentem Conſtantium *in ſupplic. ad Paul. V. num. 69.* Gamba *deciſ. 179.* docere probationem ſufficientem ad torturã ſuper delicto, ſufficere etiam vt declaretur, ne quis gaudeat Eccleſiæ immunitate. Et ita audiui à fide digno, tenere ſacram Congregationem immunitatis. Vnde ex his patet Giurbam, virum alioqui Eccleſiaſticæ immunitati benè affectum, *conſ. 50. num. 10.* non bene dixiſſe Riccium noſtram ſententiam tenentem hallucinatum fuiſſe, nam communiter DD. illam tuentur. & ideò aduersùs Giurbam nominatim illam tenet nouiſſimè Ioan. Anton. Nouarius *in ſum. Bull. tit. de immun. Eccl. num. 88.* & alij penes ipſum.

RESOL. X. *An concubinatus ſit delictum mixti fori, ita vt, ſi præueniatur, poſſit puniri à iudice laico?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Azorius *tom. 1. lib. 3. c. 53. qu. 2.* Venerus *in Exam. Epiſc. lib. 3. c. 27. num. 66.* Bellettus *in diſquiſ. Cleric. tit. de fautore Clericorum reali, §. 4. num. 52.* Bobadilla *in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 17. num. 53.* & alij. & ratio eſſe poteſt, quia, vt obſeruat Valboa de Magroviejo, *in cap. cùm ſit generale, de foro compet. num. 18.* delictum quod prohibet lex Canonica & ciuilis, eſt mixti fori, ſed tale eſt delictum concubinatus: ergo, &c. Pro hac opinione à Belletto citatur etiam Farinacius & Clarus, ſed pro illa non faciunt. Verùm alii contrariam ſententiam tenent, quam tuetur Abbas *in cap. cùm ſit generale, de foro compet.* vbi refert Goffredum Doctorem antiquum ſic tenuiſſe. Idem docet Marcellus Vulpe *in Praxi fori Eccl cap. 41. n. 51.* Bermondus *in tit. de pub. concub. ver penitus arcere, fol. mihi* 304. Anton. Cucchus *in Inſtit. lib. 2. tit. 6. num. 101.* Ioan. Honorius *in Decretal. lib. 5. tit. 16.* & Marcellus Megalius *in Promptuario ver. cauſa ſpiritualis, num. 10. & ver. concubina, num. 10.* vbi ſic ait: Concubinariorum etiam laicorum punitio ad ſolos iudices Eccleſiaſticos pertinet, quia concubinatus Cæſareis legibus nullis pœnis plectitur, vt poſt Doctores, quos citat & ſequitur Emanuel Suarez *in Theſaur. recept. ſent. lit. C. ver. Concubinatus, num. 166.* Sic ille. Vnde patet reſponſio ad arg. pro contraria ſententia adductum, & ideò non deſinam hîc apponere verba Iulij Clari *in Pract. lib. 4. § fornicatio, num. 6.* vbi ſic aſſerit: In primis quæro, numquid concubinatus ſit à iure prohibitus? Reſp. hæc quæſtio de iure Canonico nullam habet difficultatem, nam omnis coitus, præter matrimonialem, eſt prohibitus in foro conſcientiæ ſecundùm Canones, vt tenet gloſ. *in Clem. vt noſtrum, in ver. non eſt. de hæret.* quam ſequuntur omnes, vt dicitur Caccialup. *in repet. legum, l. ſi qua illuſtris, num. 30. in fine, C. ad SC. Orifician.* Sed de iure ciuili magna fuit altercatio inter ſcribentes, nam aliqui tenuerunt, quòd iure ciuili coituscum concubina non ſit improbatus, & hanc opinionem dicit eſſe communem Alexand. *in l. ex facto, §. ſi quis rogatus, num. 13 ff. ad SC. Treb.* quem refert Ioan. Garc. *in rub. C. de ſecund. nupt. in 28. pœna. ver. ex qua concl. & in l. 1. in textualibus, num. 37. eodem tit.* & Bermon. *de concub. fol. 391. num. 2.* Socin. *in l. cùm auus, poſt num. 65. verſ. magis tamen, ff. de cond. & demonſt.* Contrariam autem ſententiam, ſcilicet quòd

imò concubinatus ſit hodie reprobatus etiam à iure ciuili, dicit communiter teneri Alex. ſibi contrarius; *conſ.59.n.3. in fin.lib.4.* Felin. *in c.cùm ſit generale, n.13 de foro compet.* Ripa *in l.fin.n.38. in fin.C.de reuoc donat.* Didacus *ſup. 4. Decret.in 1.p. cap.3.fol.5.* prout illum refert Nunius de los Corregidores *fol.223.n.1.in fine.* Ego certè ſuſpicor in puncto iuris veriorem eſſe opinionem, quòd concubinatus non ſit de iure ciuili prohibitus, atque ita videmus ſeruari de conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres, quia iudices ſeculares regulariter hoc crimen non puniunt, niſi quatenus requiſiti ab Eccleſiaſticis brachium ſuum impartiuntur, vt dixi *infr.hoc eod.lib.§.fin q.37.verſ.quæro etiam.* Propterea ego ab hac ſententia in iudicando non recederem. Huc vſque Iul. Clarus. Videant igitur aliqui, ſi ſine ratione poſſent Epiſcopi aſſerere, delictum concubinatus ad ſolos illos ſpectare. Vide etiam obſeruationes doctrinales Concilij Trident. inuentas in Bibliotheca Card. Bellarmini *ſeſſ.24. de Reform.matrim.cap.8.lit.A.* Sed quidquid ſit de hoc, ex his tamen infertur eſſe refellendum Pereiram *de manu Regia tom.2.cap.34.num.21.* vbi ſic ait: Mente tenendum eſt, quòd concubinarij ſeculares in duobus tantùm caſibus ordinariè & præcedente accuſatione poſſunt puniri. Primus eſt, quando concubinarius ter monitus inſordeſcit in peccato, & excommunicatus per annum perſiſtit, ex *cap. rurſus, 11.q.3. cap.cum contumacia, de hæret. lib.6.* Secundus eſt, quando concubinæ pariter ter monitæ non reſipiſcunt, atque his duobus caſibus rectè Prælati criminales proceſſus contra laicos inſtituunt, in aliis verò minimè. Sic ille.

Sed hæc prorſus ſunt reiicienda ex declarationibus ſacræ Congregationis, vt videre eſt in ſupradicto loco Conc. Trid. Cardi. Bellarm. vbi vna declaratio ſic ait: Trina admonitio contra concubinarios requiritur, quando ſunt excommunicandi, ſed ſi iudex vult eos mulctare pecunijs, non requiruntur hæ ſolemnitates, & vbi eſt conſuetudo in matrimonio procedendi, poterit illam ſeruare. Altera verò declaratio ita aſſerit: Iudices ſeculares non poſſunt inhibere iudici Eccleſiaſtico, vt ſeruet formam trinarum admonitionum. Et *die* 23. *Iunij* 1629. ſic etiam ſtatuit: Epiſcopus poteſt contra concubinarios nullis præcedētibus monitionibus procedere, quando non procedit ad cenſuras. Et ideò contra Luſitanum duos alios doctiſſimos Luſitanos apponam, Auguſtinum Barboſam, & Thomam Valaſcum, hic *in alleg tom.1.alleg.34.n.11. & 12.* ille *in collect. Doct.ad Concil.Trid.ſeſſ.14.de Reform.matr.c.8.n.4. & 5.* aſſerentes trinam monitionem tunc eſſe neceſſariam inter concubinarios, quando in eos vult ferri ſententiam excommunicationis; ſi verò pœnis pecuniarijs, vel alijs multari eos velit Epiſcopus, non requiri iſtam ſolemnitatem. Vnde poteſt Epiſcopus in prima admonitione pœna pecuniaria concubinarium punire. Et ita teſtantur fuiſſe deciſum Portugalliæ in ſupremo Regij Palatij Senatu, cùm hoc altercaretur inter Officialem Epiſcopi Portugallenſis, & iudicem Reginæ coronæ Senatus eiuſdem ciuitatis: & ideò hanc ſententiam præter Barboſam, & Valaſcum docet etiam Venerus *in exam. Epiſc. lib.4.c.27.n.68.* Ita Bellettus *in diſquiſ. Cler.par.2.§.3.num.5.* & Scipio de Rubeis *in Aphoriſ. Epiſc.ver.Concubinarius nu.4.* vbi ita ait: Iudex Eccleſiaſticus in concubinarios poteſt alijs pœnis, & vijs, quàm in Trid. *cap.8.ſeſſ.24.de reform.matrim.* ſtatutis procedere, nam per illud decretum non tolluntur aliæ pœnæ à iure communi, vel ſtatutis ſynodalibus contra concubinarios ſtatutæ. Ita ille, qui etiam teſtatur ita declaraſſe, vt viſum eſt ſuprà, ſacram Congreg. Concilij. Non eſt igitur audiendus Zerola *in Praxi Epiſc. par.1.ver Concubinarij, §. ad primum videtur.* Grilenzonius *conſ.79.n.2.* & Riccius *in Praxi tom.1.reſol.319.* Poteſt enim, vt dictum eſt, Epiſcopus damnare laicum concubinarium in pecunia, exilio, recluſione, vel alijs pœnis, ſine quo præcedat trina monitio. Vnde in Synodo Diœc. III. Emin. Domini mei Card. ab Auria, me etiam interueniente tanquam examinatore ſynodali, *par.5.c.2.n.8.* poſt aliqua ſic ſtatutum fuit: Quamobrem hoc ſynodali decreto ſtatuitur, vt nemini cuiuſcumque ſtatus, dignitatis, & conditionis fuerit, nullo obtentu, neć vllo vnquam tempore liceat in propria, vel aliena domo concubinas alere, aut retinere; qui ſecus fecerint, annuo carcere, & vncijs XXV. mulctentur. quæ pecunia in pios vſus Archiepiſcopi iudicio conferetur: quòd ſi contigerit huiuſmodi homines excommunicatione feriendos eſſe, id vtique fiet iuxta formam à ſancta Tridentina Synodo præfinitam. Hæc ibi. Vnde ex ſupradictis manifeſtè apparet, non poſſe Miniſtros laicos prohibere ne Miniſtri Curiæ Epiſcopalis viſitent loca, & domos meretricum: nam licet concubinatus non ſit delictum merè Eccleſiaſticum, vt volunt aliqui, ſaltem eſt delictum mixti fori; ergo neceſſariò ſequitur poſſe Miniſtros Eccleſiaſticos meretricum domus inuiſere.

RESOL. XI. *De conditionibus, quas requirit* cap. non minùs, & cap. aduerſùs, de immunit. Eccleſ. *vt Clerici poſſint collectari in communibus vtilitatibus, vel neceſſitatibus.*

CAſus eſt practicabilis, & de illo in ſpecie tractat ſacra Rota Romana *in vna Brunduſina Gabellæ die 13. Februarij* 1604 *coram Pegna*, cuius magiſtralem deciſionem nouiſſimè impreſſam inuenies apud poſthumas Frinacij *tom.2 deciſ.42.* quam in facti contingentia omnino videbis. Ego verò in hac reſolutione circa præſentem caſum non incurioſas pertractabo difficultates. Cùm igitur Clerici vt poſſint collectari requiratur inter alias conditiones, vt facultates laicorum non ſufficiant, vt adſit conſenſus Epiſcopi & Cleri, & vt præcedat licentia Pontificis,

Quæro primò, an in tali caſu inconſulto Summo Pontifice ſufficiat ad validitatem actus, conſenſus Epiſcopi & Cleri? & affirmatiuam ſententiam tenet Suarez *lib.4.de immun. cap.25.num.17.* vbi ſic ait: Exiſtimo ſi Epiſcopus & Clerus cōſentiant inconſulto Summo Pontifice, licet malè faciant, & puniri poſſint, nihilominùs factum tenere, quia *in cap. aduerſùs*, non additur verbum irritans conſenſum eorum, & alioqui habebant iure ordinario poteſtatem ad illum conſenſum præſtandum. Ita ille, & poſt

poſt illum Bonacina *in Bulla Cœnæ, diſput.1.quæſt.19. punct.3.§.3.num.16.* Azorius *tom.1.lib.5.cap.13.quæſt.8.* ibi, *vel ſaltem Epiſcopi.*

Verùm ego contrariæ ſententiæ adhæreo. Dico igitur quòd ſi Pontifex conſuli poteſt, non poſſe abſque illius conſenſu Clericos ad tributa, vel alias exactiones obligari, quia, vt patet *in cap. aduerſus*, ad hanc obligationem inducendam requiritur Pontificis conſenſus, propter imprudentiam quorumdam; ergo ſi non adſit talis conſenſus, ceſſat conditio neceſſaria ad obligationem, & conſequenter ipſa obligatio, & non ſeruata forma conceſſionis corruit actus; vnde non erat neceſſarium decretum irritans. Et ita hanc opinionem docet Caſtrus Palaus *tom.2.tract.12.diſp.vn.punct.9.num.7.* & Marchinus *de peſte, part.4.cap.4.nu.14.* & nota hîc conſenſum Pontificis eſſe requirendum, etiam quando neceſſitas, vel vtilitas publica concernit æquè principaliter Clericos ac laicos, non obſtantibus quæ dixi *in part.1.tract.2.reſol.40.* nam ſunt intelligenda in caſu, quo periculum eſſet in mora, ſecus autem ſi Summus Pontifex conſuli poteſt, vt ego ipſe notaui *in d.tract.2.reſol.132.* & nunc me ipſum magis declaro. Sed Doctores pro vtraque ſententia præter à me citatos *vbi ſuprà* multos alios adducit Marchinus *de peſte, part.4.c.4.* & Caſtillo *de Tertijs, tom.7.cap.9.à num.32.cùm ſequent.* vbi tamen concludunt eſſe petendam licentiam à Summo Pontifice, quod etiam ante ipſos latè adnotauerat Guttierrez *de Gabellis quæſt.92.* per totam omnino videndam. & ita determinauit ſacra Rota Romana *in vna Leodienſis Gabellæ die 19. Martij 1604.* coram Atrebatenſ. & habetur *in deciſ.noua* Farinacij *tom.1. deciſ.72.num.2* & ideò ciuitas Florentina *anno 1600.* teſte Marta *de iuriſdict. part.4.cent.1.caſ.1.num.52.* impetrauit à Clement. VIII. Bullam pro imponenda collecta Clericis ad reparandum flumen Arni, cùm penè omnia Clericorum bona erant prope dictum flumen. & anno 1634. noſtra ciuitas Panormitana pro expenſis factis tempore peſtis, impetrauit à ſanctiſſimo D. N. Vrbano VIII. Bullam datam Romæ *die 26. Auguſti*, cuius vigore Clerici fuerunt incluſi per aliquot annos in collecta poſita ſuper vino in introitu portæ ciuitatis. Simile etiam Breue conceſſit idem Vrbanus VIII. pro Ducatu Mediolanenſi *die 10. Maij 1624.* & ante illum pro Etruria Gregor. XV. *die 23. Febru. 1622.* Vnde, vt dixi, non exiſtimo admittendam eſſe in praxi contrariam ſententiam aſſerentem in tali caſu, quando videlicet collecta imponenda proximè & immediatè concernit etiam Clericos, non eſſe requirendum conſenſum Pontificis, niſi, vt dixi, periculum eſſet in mora, nam tunc clarum eſt Epiſcopi & Cleri conſenſum ſufficere, tunc enim adeſt Summi Pontificis præſumpta voluntas. Verùm aduertant Principes laici, & ſimul Epiſcopi, quòd hæc neceſſitas, vt imponatur gabella inconſulto Pontifice, poteſt contingere in exactione, quæ ad vnum actum, vel ad breue tempus fit, nam ſi longiori tempore fit duraturum, licet, vt dictum eſt, in caſu neceſſitatis poſſit inchoari inconſulto Pontifice, vt longiori tamen tempore protrahatur, neceſſariò conſulendus erit. Igitur poteſt contingere ad imponendum tributum non poſſe conſenſum Pontificis poſtulari, ſtante vrgente neceſſitate, & ad illius continuationem, cùm id fieri poteſt, omnino conſulendus eſt. Ita Suarez, & Caſtrus Palaus *vbi ſuprà.*

Quæro ſecundò, quando dicitur, vt collecta Clericis imponatur, neceſſarium eſſe conſenſum Epiſcopi & Cleri, quid ſub nomine *Cleri* intelligatur? & ſolum Capitulum intelligi tenet Suarez *de Immunit.lib.4.cap.26.num.16.* & Caſtrus Palaus *tom.2.tract.12.diſput.vn.punct.9.num.8.* quia Capitulum ſub nomine *Cleri* ſæpiùs intelligitur, & regulariter à toto Clero commiſſa eſt poteſtas Capitulo Eccleſiæ Cathedralis decidendi negotia, quæ ad totum Clerum pertinent. Sed ſub nomine *Cleri* non eſſe intelligendum ſolum Capitulum, ſed Clerum totius Diœceſis, vel ſaltem alia Capitula eiuſdem vrbis, ſi in illa adſunt, & Vicarios foraneos, tradiderunt Barboſa *in Collect. ad ius Canon. tom.2.lib.3. tit.49.num.7.* Bellettus *in diſquiſ. Cler.part.1.titul. de exempt. Cler. & eorum bon.§.2.num.5.* Megala *in par.2.lib.2.cap.17. quæſt.6. num.124.* Bonacina *in Bulla Cœn. diſp.1.qu.19.punct.3.§.3. num.16.* & Marcinus *de Peſte, part.4. cap.4. num.11.* vbi ſic ait: Nomine *Cleri* non ſolùm intelligitur Epiſcopus cum Capitulo ſuæ Cathedralis, vt explicat Suar. ſed etiam vocanda eſſent alia Capitula eiuſdem vrbis, & ex Diœceſi ſaltem Vicarij foranei, & ita in facti contingentia ann. 1624. practicatum fuit Nouariæ, & Mediolani, dum Eccleſiaſtici ad munitiones vrbis Nouariæ, & aliorum locorum Mediolanenſis Ducatus ex decreto Vrban. VIII. cogerentur. Ita Marchinus. Vnde in facti contingentia puto non eſſe amplectendam ſententiam Suarez, maximè quia contra illum ſtat ſacra Rota Romana *vbi ſuprà*, apud poſthumas Farinacij *tom.2.deciſ.42.n.7.* vbi ſic aſſerit: Quartò requiritur quòd ad onus huiuſmodi imponendum vocetur, & conſentiat Clerus, nec ſufficeret Epiſcopus cum Capitulo, quia quod omnes tangit, ob omnibus particulariter approbari debet. *cap. cùm omnes, de conſt. & cap. quod omnes, de reg.iur. in 6.* & probatur *in cap. aduerſus.* ibi, *Verùm ſi quando fortè Epiſcopus ſimul cum Clericis* Hæc ſacra Rota. Vnde apparet, quàm cautè in his materijs ſit procedendum.

Quæro tertiò, quando cenſeantur facultates laicorum non ſufficere, vt Clerici poſſint collectari? Caſtrus Palaus *tom.2.tract.12.diſp. vn.punct. 9. num.9.* docet, tunc cenſeri laicorum facultates non ſuppetere, quoties non ſuppetunt facultates communes ciuitatis. Si enim de ſingulorum ciuium facultatibus hoc intelligendum eſſet, rarò, vel nunquam Clerici obligati eſſent ad collectas; tum, quia rarò facultates ciuium ita exhauſtæ ſunt, vt ad hæc opera neceſſaria non ſuppetant; tum, quia ferè erit impoſſibile Prælatis Eccleſiaſticis inueſtigare an facultates ſingulorum laicorum ſufficiant; dicendum ergo eſt facultates communes eſſe attendendas. Ita Palaus.

Sed in his verbis nimis laxè in fauorem laicorum loquitur vir doctus, ideò puto in ſimilibus caſibus, & ad facultates communes, & ad ſingulares attendendum eſſe, quod euidenter probo ex Bulla

Vrbani VIII. conceſſa pro Ducatu Mediolanenſi, quam per extenſum ponit Marchinus *de Peſte, par. 4. cap. 4. poſt num. 28.* vbi Pontifex ſic loquitur: Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, in muniendis ciuitatibus, & locis prædictis ingenti pecuniarum vi opus, ærariumque ipſius Philippi Regis valde exhauſtum & attritum ſit, ex munitioneque huiuſmodi totius ſtatus, ac tam Cleri, quàm populi ſecuritati proſpiciatur, communitatum verò ac Vniuerſitatum & hominum eiuſdem ſtatus propter eorum inopiam ad totam impenſam neceſſariam ſupportandam facultates non ſuppetant, niſi Clerus & Eccleſiaſtici quoque eò aliquid conferant, &c. In quibus verbis clarè apparet non ſolùm facultates communes, ſed etiam particulares attendendas eſſe, & ideò Pontifex poſt illa verba, *communitatum & vniuerſitatum*, ſubiunxit, *& hominum eiuſdem ſtatus*, &c. Et ideò Marta *de iuriſd. p. 4. cent. 1. caſ. 1. num. 49.* aſſerit tunc Clericos teneri ad collectas in publicis neceſſitatibus, quando facultates Communitatis, & laicorum non ſufficiunt. Nec Suarez, quem ſequitur Marchinus *vbi ſuprà, nu. 20.* ita abſolutè vt Palaus loquutus eſt, nam voluit tunc facultates laicorum non ſufficere, quando moraliter conſtet communia bona non ſufficere, & ſingulos non poſſe ſine magno grauamine ſuis ſolis ſumptibus tale opus perficere. Et ſi opinio Caſtri Palai eſſet admittenda, ferè ſemper Clerici tenerentur ſoluere collectas, nam ciuitates numquam in communi ita diuites ſunt, vt ex communibus redditibus publicæ neceſſitati, vel vtilitati prouidere poſſint. Adde, quòd ex opinione Caſtri Palai priuilegium Clericorum remanet irritum, nam etiam laici, quando bona ciuitatis ſufficiunt, non tenentur ad collectas, vt docet Megala *in p. 2. lib. 2. cap. 17. q. 6. nu. 123.* ergo pari paſſu procederent laici ac Clerici in ſoluendis collectis, & eiuſdem eſſent conditionis; ſed hoc dicere, vt patet, eſt abſurdum; ergo. Dicendum eſt igitur cum Megala *vbi ſup.* tunc facultates laicorum non ſufficere, vt Clerici in ſubſidium ad collectas teneantur, quando laici per gabellam imponendam cogerentur ſe eis priuare, quæ quotannis illis neceſſaria eſſent ad viuendum ſecundùm conuenientiam ſui ſtatus.

Sed notandum eſt hîc aliquos docere excuſſionem hanc bonorum, ſi laicorum ſuppetant facultates, eſſe faciendam tantùm in communibus neceſſitatibus, & vtilitatibus, quæ principaliter ipſos laicos reſpiciunt, & remotè, & per conſequentiam Clericos: ſecus autem quando collectæ imponuntur pro neceſſitatibus æquè reſpicientibus Clericos ac laicos, nam in hoc caſu Clerici nō minùs, quàm laici pro reparatione damni imminentis contribuere tenentur, & ita in ſpecie notauit Ancharanus *in d. c. non minùs.* Menochius *conſ. 800. n. 9.* Ceuallos *tom. 4. com contra com. q. 899. num. 162. & ſeq.* & alij penes ipſos. Non deſunt tamen Doctores contrarium ſentientes, nempe etiam in caſibus, in quibus collecta poneretur pro neceſſitate æquè reſpiciente Clericos ac laicos, adhuc priùs excuſſionem faciendam eſſe ſi laicorum ſuppetant facultates, ita vt ſi eis damnum ſufficienter reparari poſſit, ad bona Eccleſiarum & Clericorum non recurratur; ſin verò aliter ſe habet, ad bona Clericorum pro collectis deueniendum erit. & ita tenet Souſa *in Bull. Cœn. cap. 19. diſp. 92. nu. 2.* Gratian. *in diſcept. forenſ. tom. 2. cap. 390. nu. 19.* Marta *de Iuriſd. par. 4. cent. 1. caſ. 1.* & alij. & ego, vt verum fatear, video Summos Pontifices huic ſententiæ adhærere; nam Vrban. VIII. conceſſit in Bulla ſupracit. Clericos Panormitanos poſſe eo lectari pro expenſis factis tempore peſtis in ſubſidium, ſuppoſito videlicet quòd facultates laicorum non ſuppeterent, vt ei narratum fuit, & ideò poſtea ſubiunxit loquendo cum Archiep. Panormitano hæc verba: *Iniungimus vt conſtito tibi de narratis*, &c. Hoc etiam patet in Bulla Clement. VIII. conceſſa Florentinis pro neceſſitate concernente æquè principaliter Clericos ac laicos, nempe pro reparatione fluminis Arni deuaſtantis poſſeſſiones tam Clericorum quàm laicorum, & tamen Sum. Pontifex *in dicta Bulla* concedit Eccleſias & Eccleſiaſticos teneri in ſubſidium, & propterea mandauit Nuntio Florentino, vt diſcuſſis priùs bonis laicorum, ſi non ſufficerent, condemnaret prædictos Eccleſiaſticos ad contribuendum, teſte Souſa & Marta *vbi ſuprà.*

Notandum eſt etiam hîc obiter, Dominos Epiſcopos non debere ſtatim licentias Pontificū executioni mandare, niſi priùs viſis videndis, nam in dictis licentijs & Bullis Pontificijs ponuntur hæc, aut ſimilia verba, *ſtantibus præmiſſis. Conſtito tibi de narratis*, &c. quæ quidem, aut ſimilia verba, vt aduertit Marchinus *vbi ſuprà de peſte par. 4. cap. 4. n. 29.* videntur requirere aliquā cognitionem iudicialem narratorum. & cùm in dictis Bullis dicatur *vocato Clero*, &c. Ex dictis verbis videtur etiam dicendum, vt obſeruat idem Marchinus, non ſolùm habendam eſſe narratorum iudicialem cognitionem, ſed etiam habendam eſſe audita parte, nempe Clero, & alijs, de quorum intereſſe agitur. Et nota etiam quòd exactio contributionis in dictis caſibus per Eccleſiaſticos perſoluenda, per perſonas ſimiliter Eccleſiaſticas tantùm ab Epiſcopis deputandas efficienda erit, vt habetur in Bulla Vrbani VIII. conceſſa pro Ducatu Mediolanenſi, ibi, *Volumus autem*, &c. quod etiam patet ex his, quæ adducit Guttierrez *de Gabellis qu. 92. num. 65.*

RESOL. XII. *An ſit contra immunitatem Eccleſiaſticam recognoſcere & detinere Bullas Pontificias in Regijs Cancellarijs?*

INter doctos Iuriſconſultos Hiſpanos (ferax enim ſemper doctorum hominum Hiſpania) nouiſſimè floruit eruditus Ioannes del Caſtillo Sotomaior, qui *tom. 7. de Tertijs, cap. 41. nu. 184.* circa præſentem quæſtionem negatiuam ſententiam docet, & nominatim contra me inſurgit, nixus auctoritate aliquorum Canonum, videlicet *cap. 2. 5. 20. & 27. de reſcriptis. cap. ſi motu proprio, de præbend. & cap. fin. de filijs presbyter. in 6.*

Sed his non obſtantibus, ego contrariam ſententiam docui *in 1. par. tit. 2. reſol. 12.* Verùm quia, vt dixi, aduerſùm me acriter colluctatur Sotomaior: ideò iterum defenſionis cauſa affirmatiuam ſententiam ſtabilire cogor. Dico igitur quòd poteſtas recognoſcendi, & examinandi litteras Apoſtolicas, vtrùm

vtrùm ſint veræ, aut falſæ; ſubreptitiæ, aut legitimæ, eſt pura & merè Eccleſiaſtica ex ipſo obiecto. Et ideò in ſolas perſonas Eccleſiaſticas cadit, id eſt, in Legatos, Nuntios, Patriarchas, Archiepiſcopos, &c. non autem in laicos quoſcumque. Et quemadmodum laici etiam Principes non poſſunt ſe intromittere illo modo in iudicandis, aut diſponendis alijs rebus Eccleſiaſticis, *cap. bene quidem, diſp. 96. & cap. decernimus, de iudicijs*, & ſpecialiter in recognoſcendis, aut examinandis ſententijs & cenſuris, ſed illas tenentur ſtatim acceptare, & exequi, & præbere Epiſcopis pro illarum executione etiam auxilium brachij ſecularis, vt patet ex Trident. *ſeſſ. 25. cap. 5. de Regul.* Ita nec poſſunt ſe intromittere in recognoſcendis litteris Apoſtolicis, & cùm huiuſmodi facultatis Eccleſiaſticæ, quà laici ſunt, ſint plene incapaces, ſequitur vt nulla, quamuis longiſſima, præſcriptione poſſint illam præſcribere, cùm præſcriptio tribuat ius in ſubiecto capaci, non autem tribuat ipſam capacitatem ſi non inuenit.

Sed dices, cùm cuilibet datum ſit ſe defendere, & illæſum ſeruare, & Rex ius habeat ex priuilegio à Pontifice conceſſo, vt nemini externo beneficium, aut penſio Eccleſiaſtica concedatur, illiſque compertum ſit hoc ius ſæpe ſubreptitijs litteris derogari, iure ipſo naturali videtur illis conceſſum poſſe hoc damnum, & iniuriam præcauere. Neque contra voluntatem Pontificis videntur procedere, ſed potiùs ſe illi conformare; non enim credendum eſt Pontificem velle ſubreptitias litteras effectum habere. Et quidem ſi certò conſtaret de ſubreptione, clarum eſt nullam eſſe obligationem obediendi, nullumque peccatum committi in impedienda illarum exequutione. Sed quia antequam per Regios Conſiliarios examinetur, id non conſtat, licet ſæpe contingat ſubreptitias reperiri, ea de cauſa dubium non leue eſt, an ob defenſionem proprij iuris Regij Conſiliarij hanc examinationem poſſint præſtare: non enim videtur eſſe locus defenſioni, niſi priùs conſtet de iniuria. Item, vt docet Caſtrus Palaus *tom. 2. tract. 12. diſput. vn. punct. 8. num. 10.* vel illa iniuria eſt notoria ex ſe, vel ſolùm ex declaratione Regij Tribunalis: ex ſe notoria eſſe non poteſt, nam quouſque litteræ non examinentur, non poteſt conſtare de earum ſubreptione, & falſitate. Ex declaratione Regij Tribunalis conſtare non poteſt, tum, quia nemini datum eſt ius ſibi dicere in cauſa propria; tum, quia illa declaratio eſt ab incompetenti iudice, nempe ſeculari in materia Eccleſiaſtica; tum, quia ad præmittendam hanc declarationem debebat iam de iniuria conſtare, cùm in hac declaratione iuriſdictio Eccleſiaſtica vſurpetur. ergo, &c.

Hinc Pontifex in Bulla Cœnæ omnia maturo iudicio conſiderans, omneſque præuidens rationes, quæ pro contraria parte facere poſſunt, nihilominus illas omnes exprimens illiſque non obſtantibus, vt videre eſt in eadem Bulla, maximè ad illa verba, *etiam prætextu violentiæ, ſeu, vt aiunt, ad nos informandos*, excommunicat omnes, & quaſcumque perſonas, quæ quocumque prætextu retardauerint in ſuis Cancellarijs Bullas Apoſtolicas. Confirmantur ſupradicta ex ſequenti Pontificio diplomate, quod inuenies apud Azeuedum *tom. 1. lib. 3. tit. 6. leg. 37.*

Alexander Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Inter curas multiplices, quæ nobis ex Apoſtolatus officio incumbere dignoſcuntur, illam libenter amplectimur, per quam animarum periculis, & ſcandalis valeat obuiari, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Cùm itaque, ſicut chariſſimus in Chriſto filius noſter Ferdinandus Rex, & chariſſima in Chriſto filia noſtra Elizabeth Regina Caſtellæ & Legionis & Aragonum Illuſtres, Nobis nuper per dilectum filium Nobilem virum Didacum Lupi de Haro Militem Regni Galiciæ Gubernatorem per eos ad Nos pro præſtanda nobis obedientia Oratorem deſtinatum exponi fecerunt, quòd in prædictis Regnis, atque alijs dominijs, diuerſæ perſonæ litteras fictitias & ſimulatas Indulgentiarum oſtendere non verentur, animas Chriſti fidelium multipliciter decipientes, & illudentes, vt ſub falſis illuſionibus huiuſmodi à Chriſti fidelibus pecunias valeant extorquere, Nos attendentes præmiſſa eſſe mali exempli fomenta, ac volentes prout tenemur, huiuſmodi ſcandalis, & periculis obuiare, authoritate Apoſtolica tenore præſentium omnes & ſingulas Indulgentias conceſſas, & concedendas in poſterum ſuſpendimus, & ſuſpenſas eſſe decernimus, donec per loci Ordinarium, in cuius ciuitate & Diœceſi pro tempore publicabuntur priùs, & deinde per Noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ prædictæ Nuntium in partibus illis tunc exiſtentem, ac Capellanum Maiorem eorumdem Regis & Reginæ conſilio exiſtentes per eos ad id deputandos benè & diligenter an ſint veræ litteræ Apoſtolicæ, viſæ & inſpectæ fuerint. Quòd ſi compertum fuerit per eos litteras ipſas omni prorſus falſitatis carere ſuſpicione, ac veras litteras Apoſtolicas eſſe, tunc liberè per illos, ad quos iuxta earumdem litterarum tenorem ſpectat, poſſint publicari, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnat. 1043. 6. Kal. Auguſti.

Vnde in legibus Recopilationum, teſte Lara *in compen. Trium Gratiarum lib. 2. fol. 133.* ſic habetur. [Mandamos que ninguna perſona de qualquier eſtado que ſea no pueda publicar por eſcrito, ni por pregones, ni de palabra, ni de otra manera Bulas, Graçias, Indulgençias, Iubileos, ni otras facultades que ſuelen ſer conçedidas por los Pontifices à Igleſias, Monaſterios, Hoſpidales, y otros Lugares, ſinque primero conforme la Bula del Papa Alexandro ſean examinadas por el Prelado de la Dioceſi en donde ſe huuiere de hazer la publicacion y que no ſe puedan publicar, ſi no deſpues de ſer examinadas por el ordinario. Sean tambien examinadas, y approuadas por la perſona, o perſonas por Nos nombradas en eſta Corte en virtu de la dicha Bula de ſu Santidad.] Ita ibi. Patet igitur ex ſupradicta Bulla non poſſe Reges iure proprio, vt vult Sotomaior, & alij aduerſarij, litteras Apoſtolicas recognoſcere, ſed ſi hoc facere volunt ad euitanda inconuenientia in ſuis Regnis,

petere debent licentiam à Summo Pontifice, vt fecit Catholicus Ferdinandus Rex, cui Pontifex, vt viſum eſt in dicta Bulla, & fatetur ipſe Rex, conceſſit poſſe ipſum deputare perſonas aliquas ad examinandas, & recognoſcendas litteras Apoſtolicas Indulgentiarum.

Nec textus contra me à Sotomaiore adducti faciunt pro ſua ſententia. Nam fateor Summum Pontificem nolle ſua reſcripta, ſi veritati non nitantur, executioni mandari; ſed non ex hoc ſequitur illa à laicis examinari poſſe. Quamobrem ſi dubitetur de validitate litterarum Apoſtolicarum, vel etiam de illarum inualiditate conſtet, laici iudices de hoc opponere poſſunt coram Eccleſiaſtico iudice, cuius eſt Apoſtolicas litteras examinare, diſcutere, & recognoſcere; vel etiam Summo Pontifici ſupplicationes exhibere, modò ſupplicationem coram Sede Apoſtolica legitimè proſequantur. Imò ſi detur caſus vt aditus ad iudicem Eccleſiaſticum nõ pateat, vel ipſe nollet declarare ſubreptionem litterarum, & periculũ ſit in mora grauis damni, ſi litteræ Apoſtolicæ ſubreptitiæ executioni mãdentur, poſſe Principem laicum illarum executionem impedire, & interim hac de re cum humilitate certiorem facere Summum Pontificem, tradit Bonacina *in Bulla Cœn. diſp.1.q.14.punct.2.nu.20.* Praxim igitur, de qua loquimur, & defendit Sotomaior, dicendum eſt imponere maximum grauamen Bullis Pontificijs, dum non poſſunt in partibus dari executioni ſine examine, & approbatione Cancellariæ, per quod Summus Pontifex, vt patet expreſsè in Bulla Cœnæ, reputat Eccleſiaſticæ iuriſdictioni violentiam inferri, & ideò aduerſus contrauenientes cenſuras fulminat; etſi in Concilio Tridentino *ſeſſ.25.cap.20.* Pontifex hortetur Reges ac Principes, ne permittant Eccleſiaſticos à iudicibus ſecularibus in aliquo grauari. Iam autem maximè grauantur perſonæ Eccleſiaſticæ, ſi proceſſus citationum, ac cauſarum beneficialium à iudicibus laicis examinentur, cùm coram ipſis ex eo litigare cogantur. ergo, &c.

Verùm poſt hæc ſcripta inueni omnia ſupradicta non ſolùm à cit. DD. ſed etiam confirmata eſſe à Rutilio Benzonio *diſp.2.de Interd. Pauli V.cap.7.fol.* 133. qui noſtram ſententiam acriter docet, & quia codex rarus eſt, ponam hîc per extenſum eius verba; ſic enim ait: Non me fugit Couarruuiam *pract. qq.cap.10.& 36.* & Driedonem ab eo citatum, defendere nonnullas leges Principum ſecularium, ſtatuentes in defenſionem iuriſpatronatus Principum ne litteræ Apoſtolicæ executioni mandentur ſine conſenſu eorum. Non enim hæ leges iuſtæ ſunt, ſi fiant ſine participatione, & nutu Papæ: nec locum habent quando Papa expreſsè derogat iuri patronatus laicorum, hoc enim ſi velit facere, poteſt, nec iniuriam, vel vim laicis infert, cùm ſuo iure vtatur, licet re ipſa Papa huiuſmodi laicorum iuri patronatus rarò derogare intendat. Sic Pius V. expreſsè decreuit *in Bulla Cœnæ anno* 1568. Ratio autem cur nulla laica poteſtate etiam Regia litteræ Apoſtolicæ impediri poſſint, eſt, quoniam poteſtas ſecularium Principum eſt ciuilis, & non ſpiritualis & Eccleſiaſtica, quæ cùm illi dominetur & præſit ab ea, cùm ſit inferior, nequaquam impediri, interpretari, vel diſcuti poteſt. Illud autem remedium tamquam licitum pro laicis adinuentum eſt, vt opponant de ſubreptione talium litterarum apud iudicem Eccleſiaſticum, vel etiam quando Papa expreſsè derogat iuri patronatus coram iudice competente Eccleſiaſtico, ſeruato tamen iuris ordine ad ipſum Romanum Pontificem reuerenter appellent, & libellos ſupplices ei offerant, ne litteræ Pontificiæ exequantur, dummodo id faciant opera & miniſterio iudicum Eccleſiaſticorum, & poſtea verè appellationem iuxta mentem Pij V. proſequantur. An verò litteræ Apoſtolicæ cauſas ſpirituales continentes poſſint à Principibus ſecularibus recognoſci, & diſcuti ſintne falſæ, vel ſubreptitiæ, quæri poſſet: & quicquid dicat Couarruuias *loco cit.* certiſſimè dicendum eſt, hanc recognitionem iure communi tantùm ad iudices Eccleſiaſticos pertinere, non autem ad laicos, niſi ſolo priuilegio Sedis Apoſtolicæ, cuius tenorem docere tenentur.] Huc vſque Benzonius. & ideò Caſtrus Palaus *vbi ſuprà*, & alij, quos ego retuli *in part.4.tract.1.reſolut.9.* docent Regem noſtrum ex Concordatis, & priuilegio Summi Pontificis Bullas eius examinare. Sed Sotomaior & aliqui iuniores Iuriſconſulti aſſerunt hoc de iure Regibus competere, quod Theologi mordicus negant, & reuera negandum eſt. Alij verò excuſant examinationem litterarum Apoſtolicarum ex tacito conſenſu, & præſumpta mente Summi Pontificis. Sed contra illos vide nouiſſimè Blondum *de cenſ.diſp.5. art. 26.num.3.* & omnes expoſitores Bullæ Cœnæ, aſſerentes Summum Pontificem in ea ſingulis annis reclamare, & tollere quamcumque patientiam, tolerantiam, & conſenſum circa præſentem caſum.

RESOL. XIII. *An ſit licitum iudicibus ſecularibus per viam violentiæ cognoſcere cauſas Eccleſiaſticas?*

ANgor actum agere. nam *in p.1.tract.2.reſ.13.& alibi*, de hac quæſtione egi; ſed compellor hoc facere defenſionis cauſâ, nam nouiſſimè contra me negatiuam ſententiam docentem inſurgit Caſtillo, Sotomaior *tom.7.de Tertijs, c.41.n.180.* Sed docto Hiſpano recentiori præter alios DD. *vbi ſupr.* à me relatos alios non minùs doctos & neotericos Hiſpanos opponam, & hi ſunt, me citato, Barboſa *de iure Eccleſ.lib.1.cap.39.§.2.nu.185.* & Caſtrus Palaus *tom.2.diſp. vnic. punct. 12. num.5.* Nam ad veritatem ſententiæ Sotomaioris, neceſſarium eſſet claram adeſſe violentiam, quod tamen non contingit; non enim iudices ſeculares ſciunt Prælatum violentiam facere ſubdito litiganti, negando appellationem, terminos approbatorios, &c. quouſque proceſſum examinant, & acta cognoſcunt. Ergo priùs vſurpant cognitionem cauſæ ſpiritualis, quàm illis de violentia conſtet. Ergo non titulo defenſionis procedere poſſunt. Item, qui titulo defenſionis procedit, facto ipſo violentiam repellit, non veritatis indagatione, quia defenſio non eſt iuriſdictionis actus in ſubditum, ſed exequutio iuris à natura conceſſi cuilibet homini, vt alterum defendat; at iudices ſeculares cauſas ad ſe aduocando, non facto

violen-

violentiam repellunt, ſi aliqua ineſt; ergo illis non licet hoc modo Clericum defendere. Item, Eccleſiaſticis iudicibus non eſt conceſſum laicum querelantem de ſuo iudice ad iudicium vocare, quia nemini datum eſt, alienam iuriſdictionem vſurpare, & in alienis cauſis ſe immiſcere; ergo ſecularibus iudicibus hoc datum eſſe non poteſt: minorem enim poteſtatem habent iudices ſeculares ad corrigendos defectus iudicum Eccleſiaſticorum, quàm è contra. Hæc omnia Caſtrus Palaus. quæ infrà magis confirmabo.

Deinde iſtos appellantes, quos *oppreſſos* vocant aduerſarij, vel ſua poſſeſſione, v.g. ſpoliantur, vel turbantur in eadem. Primo caſu ordinarium habent remedium intra annum, vt ante omnẽ contentionem reſtituantur, *cap. 1. de reſtit. ſpol.* poſſeſſorium quoque remedium ordinarium competit, *l. 1. ff. de vi & vi arm.* Inſuper & ſecundo caſu, remedium quoque ordinarium competit, *§. retinendæ. §. ſed interdicto, Inſtit. de interd.* ergo cùm ſiue vno, ſiue altero modo appellantes turbentur, remedia habeant ordinaria, quare iniquè concedendum eſt extraordinarium, quale eſt de quo loquimur, contra *l. in cauſa, ff. de minoribus.* ibi, *Non debet ei tribui extraordinarium.* Sed vrget Caſtillo, Sotomaior, & alij aduerſarij. Primò ſupradicta eſſe vera, quando iudices laici procederent iudicialiter, ſecus autem vt eſt in caſu noſtro, extraiudicialiter, & per modum tantùm nudæ defenſionis & protectionis oppreſſorum; prout ius commune hoc ex officio Regibus competere, tradit *cap. Regum. 23. q. 5.* & colligitur ex *cap. filijs, vel nepotibus 16. q. 7.*

Reſpondeo quòd vna via ſi prohibetur, altera permitti non debet, ſaltem dum ſimilis in vtraque parte reperitur ratio, ex *reg. cùm quid, de reg. iuris in 6.* ſed recurſus ad ſecularia tribunalia prohibetur ex ſententia aduerſariorum, via iuriſdictionis ordinariæ; ergo etiam prohibetur per viam extraordinariæ cognitionis, & defenſionis, cùm ſimilis ratio in vtraque reperiatur. Et licet aduerſarij aſſerant in tali cognitione nullum actum iuriſdictionis exerceri, hoc non eſt verum, quia quæ Princeps facit prætextu violentiæ, facit ex proprio officio, in ſentẽtia eorum; quæ autẽ pertinent ad officium Principis, ſunt actus iuriſdictionis, in hoc enim diſtinguitur officium Principis ab officio perſonæ priuatæ: ergo, &c. Deinde iuriſdictio dicta eſt à iure dicendo, ex *l. 1. §. damus. ff. de ſuſpectis tut.* ſed iudices, ad quos in Hiſpania fit recurſus, ius dicunt; nam vident acta, proceſſus, & ferunt ſententiam, teſte Ceuallos *gloſſ. 6. §. 1.* & poſtquam cognouerunt appellantem non habuiſſe iuſtam appellandi cauſam, condemnant ipſum in expenſis & damnis alteri illatis, cogũt iudicem Eccleſiaſticum ad acceptandam appellationem, imò ipſum condemnant in expenſis, vt fatetur Ceuallos *gloſſ. 8. n. 11.* Seſſe *de inhibit. cap. 8. §. 3.* Guttierrez *in quæſt. pract. lib. 2. qu. 29.* & alij. Sed clarum eſt iſtos eſſe actus iudiciales, & iuriſdictionales, vt optimè obſeruat Suarez *contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 34. n. 34.* & alij, ergo, &c. Ad *cap. Regum*, reſpondendum eſt illud procedere quoad laicos ſubditos, falſum enim eſt Principem cognoſcendo cauſas Eccleſiaſticorum per viam violentiæ, facere id, ad quod per dictum caput tenetur ex officio; nam ex officio tenetur ſolùm ſuſcipere & cognoſcere cauſas ſubditorum, non verò extraneorum; Eccleſiaſtici verò non ſunt ſubditi Principi laico, ſed Eccleſiaſtico, ex *cap. Eccleſia, de conſtit.* & contrarium faciendo facit contra proprium officium. Principis enim officium eſt quieti, & bono publico conſulere, & ſuum cuique tribuere: dum autem Princeps laicus in cauſas Eccleſiaſticas ſe ingerit, Eccleſiaſticam iuriſdictionẽ vſurpat, & Eccleſiæ libertatem violat: ergo contra proprium officium facit. Ad *c. filijs, vel nepotibus*, reſpondent aliqui, quòd ſolùm ibi dicitur vt patronus Eccleſiæ, ſi viderit bona Eccleſiæ inferioribus Clericis defraudari, moneat Epiſcopum; ſi ab ipſo Epiſcopo, moneat Metropolitanum; ſi à Metropolitano, Regijs auribus intimare non differat, quod non debet intelligi, vt Rex iuriſdictione vtatur in Metropolitanum, ſed vt auctoritate ſua illum moneat, vel ſi non ſatis eſt, implorato Pontifice, illius authoritate illum cohibeat. Interim verò facto & potentia impediat ne Eccleſia in bonis ſuis damnum patiatur. Ita Suarez *contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 34. num. 38.* & alij. Sed ego puto cum pluribus Doctoribus, quos alibi ad ſatietatem adduxi, dictum, *cap. filijs, vel nepotibus*, fuiſſe poſtea per *cap. qualiter & quando, de iudicijs*, abrogatum. Vnde miror quare Sotomaior dixerit me non concludenter ſatisfeciſſe ad auctoritatem dicti textus.

Vrget ſecundò Sotomaior, & aduerſarij, quia iure naturæ & diuino licitum eſt vim vi repellere, & innocentem tueri, *l. vi vim. ff. de iuſt. & iure.* Ergo ſi iudex Eccleſiaſticus vim inferat, poterit ſecularis iudex innocentem ad ſe confugientem tueri, eiuſque appellationem admittere. Reſpondeo cum gloſſa *in l. cit. vi vim*, licitum eſſe vim vi repellere dum vis iniuſtè infertur ab aliquo priuato, non autem ab eo, cui ſubditi ſumus, vt patet ex *l. iniuriarum, §. 1. ff. de iniur. & ex l. qui reſtituere. ff. de rei vendicat.* ſi igitur iudex non ſupremus vim inferat, ſeruato iuris ordine ad Superiorem appellatio interponatur. Si iudex ſupremus iniquè vexet, nullũ ſupereſt remedium, niſi vt pœna æquo & patienti animo ſufferatur, vt faciunt laici oppreſſi à iudicibus ſuis. In quo caſu laicus de ſuo iudice ſeculari conqueratur, quòd illi inferat vim, negando appellationem, vel quid ſimile, equidem non patienter ferret iudex ſecularis, vt Eccleſiaſticus ſe intromittat, & auctoritatem ſuam interponat, acta cauſæ poſtulando ſub præcepto, vel cenſura ad examinandum, vel iudicandum, an iudex ſecularis vim fecerit, nec ne? Neque ſeculares iudices illam vocabũt defenſionem in iudice Eccleſiaſtico, ſed ſuæ iuriſdictionis vſurpationem. Ergo eodem iure ipſi iudices ſeculares reſpectu Eccleſiaſticorum cenſeri debent, imò maiori, quia maiorem poteſtatem habet iudex Eccleſiaſticus ſupra laicum, quàm è conuerſo. Prælatus enim Eccleſiaſticus poteſt iudicare de peccatis omnium ſuarum ouium, iuxta *cap. nouit, de iudicijs, & cap. ex tenore, de foro compet. & cap. ſi quis de potentibus 24. quæſt. 3.* Et munus defendendi innocentes, de quo loquimur, magis incumbit Prælatis Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus Magiſtratibus,

vt

vt docet gloſſa *in d.cap. Regum*, & colligi poteſt ex multis decretis 87. *diſt.* Sed reſpondeo ſecundò ad argumentum quòd non eſt licitum vim vi repellere, niſi cum duplici conditione. Prima eſt, vt certò conſtet de iniuria illa, nam ſi dubium ſit, præſumendum eſt in fauorem Superioris Eccleſiaſtici; tum, quia in facto Superioris non præſumitur delictum; tum, quia iudices laici, dum ipſis certò non conſtat de iniuria alteri illata à iudice Eccleſiaſtico, periculo ſe exponunt inferendi iniuriam Superiori Eccleſiaſtico, ipſumque priuandi iure, quod habet in ſibi ſubditum. Sed iſta conditio quaſi ſemper deeſt, nam iudices laici, dum in cauſis Eccleſiaſticis appellationem admittunt, ipſis certò non conſtat de iniuria à iudice Eccleſiaſtico illata, quod ex ipſo facto manifeſtè apparet, cùm appellationem admittant, ſeque interponant vt examinent, an vis inferatur, nec ne: ergo, &c. Secunda conditio, vt licitum ſit vim vi repellere, eſt, vt ſeruetur moderamen inculpatæ tutelæ: moderamen autem inculpatæ tutelæ non ſeruatur dum laicus, aut Eccleſiaſticus ad laicos iudices recurrit, & appellationem interponit: ergo &c. Probo minorem primò, quia non ſeruatur moderamen inculpatæ tutelæ quoties inuaſus habet aliam viam euadendi ab inuaſione, & iniuſta vexatione, abſque maiori, vel æquali damno, quàm vim inferendo, vt patet in materia de homicidio patrato ad neceſſariam ſui defenſionem: ſed in noſtro caſu inuaſo competit alia ratio euadendi abſque maiori, vel æquali damno; poteſt enim recurſum ad Eccleſiaſticum iudicem habere, & in defectu vnius Superioris Eccleſiaſtici alium adire, iuxta ſacrorum Canonum diſpoſitionem, vt etiam in foro ſeculari, vſu & praxi litigantium receptum eſt: ergo, &c. Deinde licitum eſt vim vi repellere, quoties id fieri poteſt ſine grauiori damno communi; ſed in caſu noſtro etiam ſi pars appellans moleſtias, expenſas, &c. pateretur, vt ſupponit Sotomaior, grauius damnum commune ſequitur adeundo ſeculares iudices, nam Eccleſiaſtica iuriſdictio violatur, & perturbatio in iudiciis ſequitur, & ſicut innocens non poteſt aggreſſorē occidere, quoties in morte aggreſſoris graue damnum Reipublicæ ſequitur; ita neque licitum erit ſeculares iudices adire, quoties libertati Eccleſiaſticæ graue damnum inde infertur; neque iudices laici poſſunt ex eadem ratione oppreſſum ad ſe ipſos recurrentē tueri: ergo, &c. Nec obſtat dicere in tali caſu libertatem Eccleſiaſticam non lædi, cùm laici iudices actus iuriſdictionales non exerceant, ſed ſolius innocentis protectionem extraiudicialiter, & per viam extraordinarię cognitionis ſuſcipiant. Nam reſpondeo hoc verbis aſſeri, ſed re ipſa contrarium fieri, vt conſtat ex ſupradictis. Et reuera ſi in tali caſu libertas Eccleſiaſtica non lęderetur, Summus Pontifex, Collegium Cardinalium, alijque Primates Eccleſiæ, & ſacra Rota Romana, vt patebit in fine huius tractatus, non deteſtarentur hanc praxim tuendi innocentes vi oppreſſos, ſed laudibus efferrent, commendarent & approbarent. An autem Summus Pontifex & alij hanc praxim approbent, conſulant aduerſarij Bullam Cœnæ, vel potiùs, quia ab ipſis eius verba aliter exponuntur, rogent Summum Pontificem, vt ipſos de ſua mēte certiores facere dignetur, vt violandæ libertatis Eccleſiaſticæ periculum euitent.

Et tandem vrget tertiò Sotomaior, & alij aduerſarij; hanc praxim ſuſtinendam eſſe. Primò ex conſuetudine immemorabili, quæ licet non poſſit tollere omnem exemptionem Clericorum, poteſt tamen in aliquo caſu particulari, vt eſſet in caſu noſtro de tollenda vi. Secundò, quia eſt conſuetudo coniuncta cum fama priuilegij, quæ vaga & incerta etiam ſufficit. Tertiò, quia talis conſuetudo eſt mixta laicorum & Clericorum. Et tandem Summus Pontifex hanc praxim ſcit & tolerat: ergo tacitè conſentit.

Reſpondeo ad primum, conſuetudinem immemorialem etiam in caſu particulari, non valere contra libertatem Eccleſiaſticam, vt ego ſatis probaui *in part. 4. tract. 1. reſol. 1.* & *infrà* in hoc tractatu latiùs probabo, & patet ex *cap. Clericis, de iudiciis*, & aliis iuribus tam clarè, vt neſcio quo pacto hæc opinio poſſit ſuſtineri, cùm in dictis ſacris Canonibus Summi Pontifices apertè damnent conſuetudinem particularem circa aliquem tantùm caſum, tendentem contra immunitatem Eccleſiaſticam. Vide infrà reſol...

Ad ſecundum reſpondeo cum Suarez *contra Regem Angliæ, lib. 4. cap. 34. num. 17.* illam doctrinam non eſſe veram, ſed tunc eſſe admittendam, quando cum conſuetudine immemoriali coniungeretur conſtans fama, & traditio æquè antiqua, & immemorialis, quam præceſſerit priuilegium, & talis traditio integrè probaretur. Sed hoc non accidit in caſu noſtro: ergo &c. quod apertè confirmatur, nam Ceuallos mordicus ſuſtinet non adeſſe neque adfuiſſe tale priuilegium.

Ad tertium reſpondeo cum ſapientiſſimo Valboa de Magroviejo *in cap. 1. de foro competent. num. 6.* tunc conſuetudinem Clericorum & laicorum mixtam obligare Clericos, quando dicta conſuetudo non præiudicat ſacris Canonibus, vel ab ipſis non fuerit reprobata, quæ omnia accidunt in caſu noſtro: ergo, &c. Vide omnino *infrà in reſol... & in part. 4. tract. 1. reſol. 66.* vbi adduxi Suarez. Et tandem ad id, quod aſſeritur, adeſſe in hoc caſu tolerantiam Pontificiam, & tacitum conſenſum, reſpondeo quòd eſſet videndum an talis tolerantia ſit approbatiua, vel tantùm permiſſiua ad vitanda maiora mala & inconuenientia. Ita deciſio Rotæ *in antiquis 10. de conſuet.* & Surdus *conſ. 301.* & alij penes me *in par. 4. tract. 1. reſol. 1.* quibus adde Chokier *in vind. libert. Eccl. part. 2. cap. 3. num. 8.* aſſerunt in hoc caſu Pontificem non ſolùm tacitè conſentire, ſed potiùs ſingulis annis apertè reclamare in Bulla Cœnæ, & quo pacto quis dici poteſt tacitè tolerare, ſi ſingulis annis expreſsè exclamat, vt *ſuprà* dictum eſt: ergo, &c. & hæc dicta ſufficiant defenſionis cauſa aduersùs ea, quæ contra me ex doctiſſimo Salgado edidit *vbi ſuprà*, non minùs doctus Sotomaior. Vnde ex his patet etiam reſponſio ad ea quæ nouiſſimè adducit eruditiſſimus Torreblanca *in Pract. iur. ſpir. lib. 15. cap. 10. per totum.*

Non deſinam tamen hîc adnotare cum Baldello *in diſput. Theolog. tom. 1. lib. 5. diſp. 40. nu. 13.* & aliis, quòd

quòd ſi pro facto Prælati & iudicis Eccleſiaſtici ſit aliquia opinio probabilis inter Doctores, quia cùm licitè poſſit illam ſequi, reuera tunc nullam vim, aut iniuriam facit ſubdito, ſi illam ſequatur, ac proinde non poterit recurrere tanquam vi oppreſſus ad iudicem ſecularem, nec in tali caſu poterit eſſe defenſio, ſed erit manifeſta iniuria, & oſtenſio, ſi repellatur ab illa ſequenda. Et hæc opinio contra Salgadum procedit, etiamſi opinio pro ſubdito ſit probabilior, nam, vt alibi diximus probabiliter, poteſt iudex ferre ſententiam ſecundùm opinionem probabilem, relicta probabiliori, neque de hoc in ſyndicatu ſecundùm Sancium poteſt puniri. ergo, &c.

RESOL. XIV. *An concordata cum Pontifice poſſint poſtea reuocari à Principe laico?*

QVoad hoc non eſt eadem ratio Principis laici, quæ eſt Papæ, quia ille, ſi quid priuilegij & fauoris facit Eccleſiæ per aliqua concordata, vel priuilegia, omnino id facit Superiori, & non ſubdito, & ideo manet irreuocabile per illius poteſtatem, ſed Papa quicquid fauoris, aut priuilegij facit Principi laico, cùm ſemper faciat ſibi ſubdito in ſpiritualibus, ideo ſemper remanet à ſe reuocabile, ſi ita poſtulet ratio boni ſpiritualis, & bonum regimen ipſius Eccleſiæ. Vnde Pontifex per nullum contractum poteſt à ſe abdicare ſupremam poteſtatem ad liberè diſponendum de his omnibus, quæ faciunt ad bonam gubernationem Eccleſiæ, vt notat Felinus *in cap. nouit, de iudicijs, num.* 8. & ideo omnis contractus & conuentio Papæ cum quoliber Principe ſemper intelligitur cum hac tacita conditione, dummodo id non vergat in præiudicium & damnum Eccleſiæ, quæ generalis doctrina ſpeciali ratione locum habet in materia exemptionis, tum quia quicquid in ea remittitur ex parte Eccleſiæ ordinariè liberaliter ſine compenſatione conceditur, tum maximè, quia in hac exemptione magis eſt attendendum bonum commune ſtatus clericalis, quàm vlla conuentio cum temporali Principe facta, quia neceſſe eſt vt ſemper habeat illam conditionem tacitè incluſam, dummodo in præiudicium, aut vexationem, vel vilipendium ſtatus clericalis non cedat, aut ſequatur aliquando ex concordia. Intercedente igitur ſimili cauſa poterit reuocari, ſine illa verò non poterit ſaltem licitè; ſi tamen fiat, exiſtimo factum tenere propter ſupremam ſpiritualem poteſtatem Pontificis, quæ in ſe minui non poteſt: quod etiam dicendum eſt de priuilegijs. Et ideò in Bulla Cœnæ de *anno* 1586. à Sixto V. fuerunt reuocata priuilegia omnia quibuſcumque conceſſa, etiamſi Pontificali, Imperiali, Regali, aut quauis Eccleſiaſtica, aut mundana dignitate præfulgeant, & ex quacumque cauſa eſſent conceſſa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, &c. & magis in ſpecie quoad violatores Eccleſiaſticæ immunitatis idem ferè habetur de iure communi *in cap. Clericis, § fin. de immunitat. Eccleſ. in 6.* vt notat *ibi* gloſſa *verſ. Non obſtantibus*, & quamuis Papa in conceſſione alicuius priuilegij expreſsè profiteatur quòd numquam ſit illud reuocaturus, adhuc tamen poteſt illud reuocare, & cenſeri debet etiam reuocare de facto, quando in poſteriori aliqua conſtitutione apponit clauſulas derogatorias, vt expreſsè habetur *in cap. 1. de conſtitut. in 6.* & ſemper ſibi reſeruat maiorem poteſtatem ad reuocandum, quàm vnquam concedat per priuilegium, ex *cap. dudum, § nos igitur, de præbend. in 6.* & hæc omnia docet Suarez *contra Regem Angliæ, lib. 4. cap. 34. num. 24.* Baldellus *in diſput. Theolog. tom. 1. lib. 5. diſput. 40. num. 7. & 8.* Alterius *de cenſur. diſp. 22. lib. 5. cap. 5. in fine*, & alij. Vnde non eſt audiendus Rebuffus *in concordatis, titul. de collationibus*, qui in Præfatione quæſtionem proponit *in § inſuper quæro*, an altera pars valeat derogari his concordatis? & reſpondet non poſſe, & tamen loquitur de concordatis inter Reges, & Pontifices.

Sed hæc doctrina, vt *ſuprà* diximus, non procedit ex parte Principum, licet ſit vera ex parte Papæ, & ideò licet exemptio Clericorum eſſet de iure humano, quod ego nego, non poteſt tamen ampliùs reuocari ab Imperatoribus, quia, vt dictum eſt, & docet communis doctrina Canoniſtarum apud Felinum *in cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ num. 97. de conſtit. & in cap. nouit, de iudic. num. 6.* & apud Azorium *to. 1. lib. 5. cap. 13. quæſ. 5.* Gueuaram *in propugnac. libert. Eccleſ. aſſert. 1. § 7. num. 33. & 34.* & Baldellum *vbi ſuprà lib. 5. diſp. 35. num. 17.* priuilegia ſemel conceſſa Eccleſiis, vel ad pias cauſas, aut perſonis non ſubditis, non poſſunt ampliùs reuocari, quia eo ipſo tranſeunt in ius alterius, in quem ampliùs non manet poteſtas, cùm non ſit ſubditus concedenti, & tanto magis ſi ſint conceſſa in remunerationem laborum, & ſint data ob merita, vt certè contingit in caſu præſenti de exemptione conceſſa Clericis.

Non deſinam etiam hìc obiter adnotare concordata inter Eccleſiaſticos, & ſeculares, etiam in Concilio Prouinciali facta, niſi confirmentur auctoritate Summi Pontificis nihil operari contra priuilegium immunitatis: quod intelligitur quando per concordiam concederetur laicis aliqua iuriſdictio in Clericos; nam ſi non concedatur iuriſdictio, ſed tantùm executio aliqua, vel nudum factum, valida erit talis concordia, vt eripere, v.g. arma Clericis noctu illa portantibus, vel comprehendere Clericum in graui delicto inuentum, &c. Ita Suarez, & Baldellus *locis citatis*, qui optimè aduertunt huiuſmodi concordiam ſemper eſſe debere ab arbitrio Prælatorum Eccleſiaſticorum dependentem, non enim poſſunt ius aliquod in iudicibus laicis transferre, & ideo ſemper erit integrum Prælatis prohibere laicis, non obſtante concordia, ne tales actiones exequantur, etiamſi dicta concordata eſſent conſuetudine firmata.

RESOL. XV. *An Clerici teneantur ſoluere gabellas, ſi Epiſcopus & Clerus conſenſerunt, inconſulto tamen Summo Pontifice?*

SVppono per ea, quæ alibi notaui, Clericos teneri ad collectas poſitas pro communibus neceſſitatibus, concurrentibus aliquibus conditionibus, & præſertim ſi adſit conſenſus Epiſcopi & Cleri, & conſulatur Summus Pontifex: ſed difficultas eſt an inconſulto Summo Pontifice ſufficiat Epiſcopi & Cleri conſenſus? Et affirmatiuam ſententiam

tentiam tenet Pater Suarez *contra Regem Angliæ, lib. 4.cap.25.num.* 17. vbi ſic ait: Exiſtimo ſi Epiſcopus & Clerus conſentiant inconſulto Summo Pontifice, licet malefaciant & puniri poſſint, nihilominus factum teneri, quia *in cap. aduerſus*, non additur verbum irritans conſenſum eorum, & alioqui habebant iure ordinario poteſtatem ad illum conſenſum præſtandum. Ita ille.

Verùm contraria opinio mihi placet. Dico igitur quòd ſi Summus Pontifex conſuli poteſt, non poſſe abſque illius conſenſu Clericos ad tributa, vel alias exactiones obligari, quia, vt patet *in cap. aduerſus*, ad hanc obligationem inducendam requiritur Pontificis conſenſus propter imprudentiam quorumdam. Ergo ſi non adſit talis conſenſus, ceſſat conditio neceſſaria ad obligationem, & conſequenter ipſa obligatio, & ideò non erat neceſſarium decretum irritans. Et ita docet Caſtrus Palaus *tom.2.tract.12.diſp.vnic.punct.9.num.7.* qui etiam *num.8.* rectè notat conſenſum Epiſcopi & Cleri in tali caſu ita requiri, vt vnum ſine altero non ſufficiat, quia vtriuſque iudicium æquanimiter expoſtulatur *in cap. non minùs.* ibi, *Niſi Epiſcopus & Clerus tantam neceſsitatem, vel vtilitatem aſpexerint*, &c. *& in cap. aduerſus.* ibi, *Verùm ſi quando Epiſcopus ſimul cum Clericis tantam neceſsitatem, vel vtilitatem perſpexerint*, &c. Nota tamen noſtram ſententiam veram eſſe in caſu, quo Summus Pontifex conſuli poteſt; nam ſi periculum eſſet in mora, vnde id fieri non poſſit, clarum eſt Epiſcopi & Cleri conſenſum ſufficere, quia tunc adeſt Summi Pontificis præſumpta voluntas. Sed quid dicendum ſi Princeps impetret Bullam à Summo Pontifice, an neceſſarium ſit ſeruare formam dicti *cap.non minus, de immun. Eccleſ.* vide Valboam de Magraviejo in his quæ ſcripſit ad Regem nomine Decani, & Capituli Eccleſiæ Salmaticenſis *concl. 12. nu. 147. & ſeq.* vbi affirmatinæ ſententiæ adhæret.

Verùm aduertant Principes laici & Epiſcopi, quòd hæc neceſſitas, vt imponatur gabella inconſulto Summo Pontifice, poteſt contingere in exactione, quæ ad vnum actum, vel ad breue tempus fit, nam ſi longiori tempore ſit duratura, licet, vt dictum eſt, in caſu neceſſitatis poſſit inchoari inconſulto Summo Pontifice, vt longiori tamen tempore protrahatur neceſſariò conſulendus erit. Igitur poteſt contingere ad imponēdum tributum non poſſe conſenſum Pontificis poſtulari ſtante vrgente neceſſitate, & ad illius continuationem, cùm id fieri poteſt, omnino conſulendus eſt. Ita Suarez, & Caſtrus Palaus *vbi ſuprà.* Et ad omnia ſupradicta ſtabilienda non deſinam hîc apponere verba Concilij Lateranēſis ſub Leone *X. anno* 1521. *ſeſſ.9.ſub finem.* §. *& cùm à iure tam diuino*, &c. vbi ſic habetur: Innouamus omnes Apoſtolicas ſanctiones in fauorem libertatis Eccleſiaſticæ contra eius violatores quomodolibet editas, & cùm in Lateranenſi pariter ac Concilijs generalibus ſub excommunicationis pœna prohibitum fuerit, ne Reges, Principes, Duces, Comites, Barones, Reipublicæ, alijque Potentatus quicumque Regnis, Prouincijs ac terris quoquomodo præſidentes, collectas, decimas, & alia huiuſmodi onera Clericis, Prælatis, & alijs quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis imponant, exigantque, néve à ſponte etiam dantibus, & conſentientibus recipiant, atque in præmiſſis auxilium, fauorem, vel conſilium palàm, vel occultè præſtantes excommunicationis latæ ſententiæ pœnam eo ipſo incidant. Et ipſæ quoque Reſpublicæ, ac communitates & vniuerſitates circa hoc quomodolibet delinquentes Eccleſiaſtico eo ipſo ſubijciantur interdicto. Prælati etiam præmiſſis abſque expreſſa Romani Pontificis licentia vltrò conſentientes, excommunicationis & depoſitionis pœnam ipſo facto incurrant, ſtatuimus & ordinamus, vt de cetero talia præſumentes. & ſi (vt præfertur) qualificati fuerint, vltra ſupradictas pœnas, quas contraueniendo ipſo facto incurrere volumus, innouamus quòd ad omnes actus legitimos inhabiles, & inteſtabiles habeantur. Hæc in dicto Concilio Lateranenſi, quæ vtinam aliqui conſiderarent, & vt par eſt timerent. Sed circa materiam præſentis reſolutionis vide infrà in Magiſtrali deciſione Rotæ coram Peña *in vna Brunduſina Gabellæ, die* 13. *Februarij* 1604.

RESOL. XVI. *An Principes laici poſſint ſtatuere impedimenta dirimentia matrimonium?*

AD hanc quæſtionem reſpondet nouiſſimè Cæleſtinus *in compen. Theol.moral.tract.2.cap.31. num.1.* vbi ſic ait: Principes fideles, ſi præcisè eorum poteſtas ſpectetur, poſſunt ex iuſta cauſa ſtatuere impedimenta matrimonium dirimentia reſpectu ſuorum ſubditorum tam fidelium, quàm infidelium in terris ſuis degentium. Ita D. Thom. *in 4.diſt. 34 qu.1.art.1.ad 4.* & Becanus *de Sacram.cap.49.qu.3.* vbi tamen rectè notat hanc poteſtatem impediri poſſe à Pontifice reſpectu ſubditorum fidelium, non autem infidelium, quia Pontifex reſeruauit ſibi cauſas matrimoniales, vt patet ex *gloſſ. fin.cap. ſi quis ingenuus 2.quæſt.2.* Quia verò ſtatutum hoc eſt poſitiuum humanum, & potuit à primæua ſua publicatione non recipi in aliquibus Prouincijs & Regnis; vel ſi receptum fuit, potuit per non vſum abrogari: hinc fit vt ſi in aliquo Regno & Prouincia edicto cautum eſſet, ne quis contraheret matrimonium parentibus renitentibus, vel etiam ipſomet Principe, ſub pœna nullitatis matrimonij, edictum huiuſmodi ſeruandum eſſet. Et ſi quis contra formam in illo contentam celebraret matrimonialem contractum, irritus, caſſus, & nullus omnino foret, prædicti ſtatuti virtute, modò tamen ſit longo vſu confirmatum, & ab immemorabili tempore ad abrogandam legem aliquam Eccleſiaſticam requiſito ac ſufficienti receptum. Ita Cæleſtin. *loco cit.*

Verùm ego ſentio, vt alibi curſim adnotaui cum Baſilio Pontio *de matr. lib.6. cap.1. & 2.* Principem ſecularem ex vi ſuæ iuriſdictionis & officij non poſſe ſtatuere impedimenta dirimentia, quia matrimonium, quamuis ex ſe contractus quidam ſit ſubiectus etiam Principi ſeculari, tamen per Chriſti inſtitutionem eleuatum eſt ad rationem Sacramenti, itaque res ſacra eſt. ergo non ſubditur ex eo tempore poteſtati Principis ſecularis, etiam fidelis; quòd enim materia huius Sacramenti contractus

ſit,

ſit, non ſatis eſt vt poſſit Princeps ſecularis leges condere, cùm ex quo ea materia per Chriſtum ſacra facta eſt, iam extra eius iuriſdictionem & poteſtatē ſit; ſicut licet homo ante ordinationem ſit materia ſubiecta iuriſdictioni ſeculari, & ſimiliter bona & prædia, tamen poſt ordinationem, vel poſtquam donatione ſacra, vel Eccleſiaſtica facta ſunt, extrahuntur à dominio ſecularis Principis: & nullam neque in perſonas, neque in bona iuriſdictionem habet. Sic ergo & in noſtro caſu dicendum eſt, poſtquam matrimonio acceſſit ratio Sacramenti. Et ita præter Pontium hanc ſententiam docet Couarruuias, & alij, quos citat & ſequitur doctiſſimus & amiciſſimus Pater Gaſpar Hurtadus *de matrimon. diſput. 12. difficult. 12. num. 7.* Dicendum eſt igitur, quia contractus matrimonij in baptizatis ex inſtitutione Chriſti deſinit eſſe ciuilis & ſæcularis, vtpote factus ſacer, & Sacramentum: ergo deſinit eſſe ſubditus poteſtati ciuili, ſeu ſeculari, quam ſolam habet Princeps ſecularis.

Notandum eſt tamen quòd licet Coninck *de Sacram diſp. 30 dub. 1.* Filliucius *tom. 1. tract. 10. cap. 1. num. 4.* Tannerus *tom. 4 diſp 38. quæſt. 4. dub. 1. nu. 16. & 17.* Gamachęus *in 3. part. D. Thom. de ſacram. matrim.* Ochagauia *de Sacram. tract. 3. de matrim. quæſt. 32. num. 3.* Kelliſonius *in 3. part. tom. 2. q. 50. art. vnic. dub. vnic.* Turrianus *in ſum. p. 2. c. 109. dub. 5. concl. 1.* Syluius *in 3. p. q. 50. art. vnic. concl. 6.* Ludouicus de San Iuan *de ſacram. matrim. quæſt. 6. art. 1. dub. 1. concluſ. 2.* Laymann *lib. 5. tract. 10. part. 4. c. 1. quæſt. 1.* Sanchez *de matrim. tom. 2. l. 7. diſp. 3.* Mercerus *de Sacram. in ſupplem. quæſt. 50. verſ. quæritur ſecundò*, Bonacina *de matrimon. quæſt. 3. punct. 1. n. 5.* Rebellius *part. 2. li. 3. quæſt. 1.* Cornejo *in 3 part. tract. 6. de imped. matrimon. diſp. 7. dub. 3.* Villalobos *in ſum. to. 1. tract. 14. diffic. 1. n. 3. & 4.* cum aliis, doceant Principes ex natura ſuæ poteſtatis, vt *ſuprà* dixit Cæleſtinus, & Becanus, poſſe quidem impedimenta matrimonij apponere, tamen aſſerunt vſum huius poteſtatis eis interdictum fuiſſe ab Eccleſia, & Summis Pontificibus reſeruatum. Ratio verò quare Eccleſia hoc ſibi reſeruare potuerit, ex eo oſtendi poteſt, quia Reſpublica temporalis eſt quodammodo ſubiecta Reipublicę ſpirituali, & poteſtas tēporalis ſpirituali poteſtari, in his ſaltem, quę cum ſpiritualibus coniuncta ſunt, & ad finem ſpiritualem, ſeu ſupernaturalem ordinantur. Ergo poteſtas ſpiritualis poteſt ex iuſtis cauſis moderari poteſtatem ſecularem circa res prædictas.

Sed difficultas eſt, an ſi Princeps Chriſtianus de facto apponeret aliquod impedimentū dirimens, non obſtante hac reſeruatione factum teneret, & matrimonium cum tali impedimento contractū validum eſſet, quamuis ipſe peccaret faciendo cōtra reſeruationem ab Eccleſia factam. Et videtur quòd ſic, quia per talem reſeruationem non videtur ab eo ablata poteſtas, ſed ſolùm vſus illius. Verùm reſpondendum eſt negatiuè, quia taliter eſt interdictus huiuſmodi Principibus ſecularibus huiuſmodi vſus, vt ab eis in contrarium facta ipſo iure irrita, & nulla ſint. Neque in hoc audiendus eſt Petrus Sotus *lect. 4. de matrim.* oppoſitum docens, vt in ſpecie tenet Cornejo *vbi ſuprà.*

Vnde diſplicet mihi id, quod noſtris temporibus circa præſentem quæſtionem docuit Ioannes Præpoſitus *in 3. part. D. Thom. quæſt. 7. de imped. matrim. dub. 1. n. 1. circa finem.* vbi ſic ait: Princeps ſecularis iuxta quoſdā poteſt impedimenta matrimonij conſtituere reſpectu fidelium ſibi ſubiectorū, cùm Eccleſia non videatur poſſe reſtringere eius poteſtatem quippe qui non ſit Eccleſiæ ſubiectus. Ita ille, qui reprobando hanc ſententiam, videtur tamquam probabilem admittere opinionem Petri Soto, quam omnes Doctores citati tamquam falſam & improbabilem refellūt, & maximè illi, qui mecum ſentiunt, Principes laicos etiam ex vi ſuæ iuriſdictionis non poſſe fidelibus ſubditis impedimenta matrimonij apponere, quod non ſolùm docuere recentiores citati, ſed etiam veteres, vt D. Bonauentura *in 4. diſt. 42. art. 2. quæſt. 2.* Richardus *art. 2. quæſt. 2.* & Paludanus *quæſt. 1. art. 2.* Et hæc olim Romę *anno 1634.* adnotauerā, cùm ibi inter viros doctos, occaſione cuiuſdam matrimonij magni Dynaſtæ quæſtio hæc ardenter agitaretur. An verò ſola conſuetudine poſſit introduci impedimentum dirimens, agit Cornejo *in 3. p. tract. 6. de imped. matrim. diſp. 7. dub. 4. per totum*, & alij DD. ſuperiùs à me citati.

RESOL. XVII. *An Princeps laicus poſſit imponere pœnas ne matrimonia inter conſanguineos contrahantur, & illas exigere, etiam impetrata à Pontifice diſpenſatione?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Cutellius *in Cod. leg. Sicul. ad legem Federic. c. 83. not. 88. n. 2.*

Sed hæc opinio mihi non placet, vt patet ex Decreto Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 9. de reformat. matrim.* in quo ſub anathemate interdicitur Principibus ſecularibus ne directè, vel indirectè matrimonij libertatem impediant. Sed quis non videt quòd per ſupradictas pœnas impediretur matrimonij libertas, nam contrahentes non valentes ex paupertate ſoluere pœnas à iudice laico impoſitas, & per Cutellium adhuc obligantes, etiam poſt obtentam diſpenſationem à Pontifice, vtique retraherentur ab ineundo matrimonio. ergo, &c. Deinde matrimonium initum poſt obtentam diſpenſationem à Pontifice inter conſanguineos eſt licitum; quomodo igitur poteſt puniri per iudicē laicum? etenim pœna non eſt danda ſine culpa. Cōfirmantur hæc omnia ex doctrina, quam affert Barboſa *in Collectan. Doctor. ad Concil. Trid. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 12. num. 11.* vbi docet quòd iudices laici poſſunt pœnas imponere contra non obſeruantes dies feſtos; verùm ſi Epiſcopus dederit licentiam alicui laboranti in die feſto, non poſſunt propterea dicti iudices laici illum punire, vt tranſgreſſorem feſtorum, ſtante licentia obtenta ab Epiſcopo, & ita ait fuiſſe deciſum à ſacra Congregatione *die 9 Nouembris 1619.* Facit etiam pro hac ſententia doctrina Baſilij Pontij *de matrimon. lib. 6. cap. 2. num. 4.* vbi docet, neque circa acceſſorium matrimonij poſſe Principem ſecularem ex defectu poteſtatis leges ferre, ſi eo acceſſorio impeditur principale, & licet poſtea Pōtius addat leges laicorū, quæ pœnis conſtitutis adiuuant prohibitiones Eccleſiaſticas circa matrimonium eſſe validas, tamen hoc

intelligendum eſt, vt diximus, ſi adhuc perſiſtant Eccleſiaſticæ prohibitiones, ſed in caſu, de quo ampliùs non adeſt prohibitio Eccleſiaſtica. ergo, &c. Et ideò ex his docet Bellettus *in diſquiſ. Cler. part.1.tit.de exempt. Cler.à ſtatu ſeculari*, §.4.*num.*47. quòd vim legum non habent leges, quæ inferunt pœnas matrimonium contrahentibus ſine parentum conſenſu, nam etſi Princeps eas tulerit ad honeſtatem perſuadendam, quæ conſiſtit in exigendo parentum conſenſu ab ipſis filiis ad coniugalem contractum, non tamen habent vim, cùm id ſpectet ad Summum Pontificem: laici enim, vt dictum eſt, nihil poſſunt ſtatuere quod matrimonij liberum conſenſum impediat, etiam circa accidentia ipſi matrimonio.

RESOL.XVIII. *An Nouitij D.Iacobi, Calatraua, Alcantaræ, & præſertim D.Ioannis, gaudeant priuilegio fori?*

HIs diebus in facti contingentia accidit caſus hic, de quo interrogatus fui, & negatiuã ſententiam tenet Maſtrillus *deciſ.*290.*n.*166.vbi ſic ait. An miles huiuſmodi Ordinum, qui adhuc profeſſionem non fecerit, gaudeat priuilegio fori? Dic quòd nõ, ſecundùm Socinum *in c.propoſuiſti, de foro comp.* & Boſſium *eod.tit.n.*144. & ita aliàs vidimus practicatum in Regno.Ita ille. Cui adde Villadiego *in Polit.c.*5.§.20.*n.*112.& 114.Bobadillam *in Polit. tom.2.lib.2.c.*19.*n.*16.& *ſeq.* Rodriq *in qq.reg. tom.2. q.*62.*art.*14.& Hieronymũ Cenedo *de paupert.Religioſa.dub.*50 *n.*20.ibi, [Lo qual ſe entiende ſi delinquen deſpues de profeſſos.]

Sed ego affirmatiuam ſententiam prorſus tenendam eſſe puto,quam alibi docui,& me citato docet nouiſſimè illuſtr. & amãtiſſ. Dominus meus Ambroſius Machin.Archiep. Calaguritanus *in reſol.pro Nouitiis dictorum Ordinum*, vbi *in fine*, ſic aſſerit. [De todo loqual cõſta que todos los Nouitios de todas las tres dichas Ordenes Militares ſin differencia ni diſtinction alguna en todos, y qualeſquier delictos ſin excepcion alguna dellos gozan del priuilegio del fuero. y lo miſmo ſe ha de dezir de los de Monteſa y de todas las demas Religiones militares, que tuuieren la miſma forma de los tres votos,y conſtituciones confirmadas por la Sede Apoſtolica.]Ita ſapientiſſimus ille vir, cui adde omnino videndum eruditum,& doctum Thomã Carleualium *de iudiciis,lib.*1.*tit.*1.*diſp.*2.*q.*6.*ſect.*3. *à n.* 239.*vſque ad n.*445.qui reſpondet ad ea,quæ aſſerit Bobadilla.Et ratio eſt,quia ſicut Nouitij Religionũ Regularium gaudent priuilegio fori ante emiſſam profeſſionem, ſic etiam Nouitij harum Religionum Militarium. nam, vt probat amiciſſimus & doctus Nouarius *tom.*1.*qq.forenſ.cap.*42.valet argumentum de ſtatu Regularium ad ſtatum & Religionem Religioſorum Militarium; & ita declaraſſe ſacram Congregationem Cardinalium,teſtatur Riccius *in praxi, tom.*4.*reſol.*249.*nu.*3. quæ quidem omnia procedunt à fortiori in Nouitiis Religionis D.Ioannis.Vnde neſcio quomodo aliqui auſi ſunt ſine timore cenſurarum Bullæ Cœnæ conſulere potuiſſe Principem laicum quemdam Nouitium dictæ Religionis carcerare, cùm ſupradicta Religio ſit vt aliæ Religiones Regularium, & diſſoluat matrimonium ratum, & non conſummatum, & contrarium aſſerere eſſet cenſura dignum:ergo, &c.Et ideo non eſt attendenda contraria conſuetudo ſi adeſſet, etenim eſſet conſuetudo contra immunitatem Eccleſiaſticam à ſacris Canonibus, & Bulla Cœnæ ſingulis annis reprobata.

Nec valet dicere, quòd ſupradicti Equites aliquando multos annos remanent in Nouitiatu, nam hoc non tollit eis priuilegium fori, vt probat Machinus *vbi ſuprà*.adi illum,& non pigebit,acutè enim & doctè,vt ſemper ſolet, materiam hãc pertractat. Et pro Regularibus obſeruat ex Rodriquez & Sanchez [que pueden los Superiores por juſta cauſa diferir la profeſſion de los Nouitios aptos y aſſi confirmas de hombres doctiſſimos de la Vniuerſidad de Salamanca ſe dilato en la Orden de San Franciſco la profeſion de vn Nouitio haſta que cumplio los veynte años,por que a quella edad era neceſſaria para diſponer de vnos bienes.] Ita ille,quod eſt valde notandum, & eg oolim conſului. Vnde ex his & per ea,quæ latè adducit Machinus,& Carleualius, ſatis remanet confutata doctrina Petri de Vrries *in Aeſtiuo otiop.*2. *num.*109. quem meritò inter auctores prohibitos annumerauit ſacra Congregatio Indicis *in decreto edito die* 4. *Februarij* 1627.

RESOL.XIX. *An Clerici dici poſſint, & ſint reuera vaſalli Principum ſecularium?*

HAnc quæſtionẽ ad partes copioſè pertractat Aluarus Velaſcus *to.*1.*conſult.*100.*n.*2. vbi affirmatiuam ſententiam tenet,quia vaſallus eſt nomen generis comprehendens ſub ſe ſuas ſpecies etiam qualificatas,& ſic tam vaſallos laicos, quàm Clericos; quia licet Clericus vaſallus ſit vaſallus qualificatus,nõ ideo deſinit eſſe vaſallus: ſicut nomen Chriſtianus tam comprehendit Chriſtianos laicos,quã Clericos. Deinde Clerici ita ciues ſunt, ſicut laici,ex *l.aſſumptio.ff.ad municip.* & ex *l.ciues*, *C. de incolis*.ergo ſi ciues ſunt,erunt & vaſalli.Et tandẽ licet Clerici ſint exempti,non tamẽ reperiuntur in iure exempti,niſi in quatuor caſibus.Primò quoad forũ,*c.placuit,c.inolita* 11.*q.*1.Secundò quoad capturã,ex *c.*2.*de foro comp.*Tertiò quoad tributa, *c. quãquam,de cenſ.in* 6.Quartò quoad regimẽ,*c.bene quidem, diſt.*96. ergo quoad cetera manet vaſallus. & hanc ſentẽtiam præter Velaſcum tenet etiam Rodriquez *in ſum.tom.*4.*c.*168.*nu.*1. & Souſa *vbi infrà*.

Verùm his non obſtantibus negatiuam ſententiam docet Marta *de iuriſd.p.*4.*cent.*2. *caſ.*188. vbi ſic ait. Eccleſiaſtici nullo modo dici poſſunt vaſalli Regis, nam ſi nihil recognoſcant temporalium à Rege, licet ſint ciues ſicut laici, tamen à poteſtate Principum ſecularium ſunt exempti, *c.ſi Imperator, diſt.*96.*cap.nimis*,& *ibi* Abbas *de iureiurand.* Ergo vt tales non poſſunt dici vaſalli Regis. Si verò recognoſcunt feuda, nec poſſunt dici vaſalli, indecorum enim eſſet ſi Summus Pontifex, vel Imperator recognoſcerent feuda ab alio Principe, vt illius vaſalli dicerentur; ſic de ceteris Eccleſiaſticis, quia quatenus Deo ſacrati ſunt, Principibus ſecularibus ſuperiores, ac patres & magiſtri laicorum cenſentur, atque quibuſcumque laicis præſunt, vt patet ex *cap. quis dubitet, diſt.*96. *cap.ſolita, de maior. & obed.* & *cap.ſi Imperator,*

perator,diſt.96.* ergo Principibus laicis ſubiecti eſſe non debent,*c.cùm inferior, de maior.& obed.* Hucuſque Marta,qui alias pro hac ſententia adducit rationes. Et ſi aliquis opinionem eius ſequeretur, poſſet dicere multum ad praxim conducere. Nam Doctores quærunt, an Principes laici poſſint priuilegia perſonis Eccleſiaſticis conceſſa auferre? & negatiuè reſpondent communiter,quia priuilegiũ conceſſum non ſubditis, (vt ego probaui *in p.4. tract.1.reſ.*82.& docet Baldellus *tom.1.lib.5. diſp.35.n.* 17.) non poteſt ampliùs reuocari.

Sed ad hoc reſpondet Souſa *in Bulla Cœnæ, c.16. diſp.84.n.9.*quòd licet Eccleſiaſtici non ſint ſubditi ſecularibus Principibus quoad iuriſdictionem, ſunt tamen eorum vaſalli,quod ſufficit, vt priuilegium eis conceſſum reuocari poſſit, ſi iuſta cauſa adſit.Sic ille.Verùm fallitur per alias rationes,quas ego alibi adduxi,quibus aliquis poſſet addere authoritatem Martæ aſſerentis,vt viſum eſt,Eccleſiaſticos non eſſe vaſallos Principis ſecularis; ſed quicquid ſit de hac opinione, ego, vt dixi, ex aliis rationibus ſententiam Souſæ reprobandam eſſe puto.

RESOL. XX. *An ſi in aliqua terra Baronũ vendantur comeſtibilia tantùm in eius taberna,vulgo dicta* zagato,*poſſint adhuc Clerici aperire tabernas & vendere vinum,niuem,& alia recollecta in eorum prædiis?*

NEgatiuam ſententiam docuerunt his diebus aliqui Iuriſconſulti.ſed immeritò,quia de iure,vt obſeruat Aponte *in reſponſ. ſup. cenſ. Veneta fol. mihi* 85. & alij communiter,Clerici poſſunt habere liberam contractationem cum laicis.& ideo in indiuiduo caſus noſtri poſſunt de iure aperire tabernas ad vendendas res ex ſuis prædiis collectas, vt ex Geminiano,& Franco,& aliis tradidi *in p.4.tr.1. reſol.*52.ergo non obſtante quòd in dictis terris res vendantur per vnum tabernarium Baronis, poſſunt adhuc Clerici in eorum tabernis res ſuas vendere,quia Baro non poteſt eis arctare priuilegium quod de iure habent,alioquin incurreret in cenſuras Bullæ Cœnæ. Hinc cum multis Doctoribus ego *in p.1.tr.2.reſol.68.& 69.* quibus nũc addo Beltranum de Gueuara *in propugnaculo immun. Eccleſ.§. 3.aſſert.1.n.11.* docui ſtatutum prohibens adduci vinum ad vendendum extra ciuitatem, vel ne in ciuitatem ad vendendum introducatur, non comprehendere Clericos, quia vbique ipſi poſſunt de iure res ſuas vendere. Adde quòd prohibitio ne vendatur niſi in taberna Baronis, ſeu in zagato, non tendit ad vtilitatem publicam, & æquè concernentem Clericos ac laicos; ergo Clericos non poteſt comprehendere. Imò dicendum eſt ex Maſtrillo *de magiſtr.lib.4.c.18.nu.55.* & amiciſſimo Nouario *de grauam. vaſall.tom.1.grauam.74.* Barones grauare vaſallos ſi faciunt penes vnam tabernam vendere vinum,oleum,carnem, &c. niſi tamen ex conſuetudine acquiſiuiſſent tale ius;quare,vt optimè obſeruat Nouarius *n.3.* in principio huiuſmodi prohibitionum intenti ſtare debent vaſalli,nec ſufferre illas,ſed contra dicere,& facere actus cõtrarios, vt ſe in poſſeſſione libertatis manu teneant, & Barones excludant,quia aliàs ſibi prejudicãt,& dant ius ad fauorem Baronum ex eorum acquieſcentia.vnde ego olim reſpondi non potuiſſe quẽdam Baronem introducere in quadam terra de nouo à ſe ædificata tabernam dictam *Zagato*, vaſallis reclamantibus.

Nec deſinam hîc adnotare non deeſſe Doctores abſolutè aſſerentes ſupradictos dominos, ſeu vniuerſitates, qui hoc faciunt in ſuis terris, incurrere in cenſuras Canonis quinti Bullæ Cœnę,quia hæc eſt ſpecies cuiuſdam vectigalis. Et ideo Gambarupta *de caſ.reſ.c.5.in Bull Cœn num 7.* ſic ait. Nec communitates,ſiue vniuerſitates ciuitatum, & locorum,quæ prohibent vendi panem, ſal, & huiuſmodi, niſi à Præpoſito illius Officij ab ipſis deputato, qui Præpoſitus ſoluit tale quid conuentum ipſis communitatibus,hæ communitates,inquam, non effugiunt hanc excommunicationem; quod intellige de communitatibus non habentibus ius, ſeu priuilegium ſic faciendum. Ita ille. cui adde Coriolanum *in explicat.Bullæ Cœnæ; excomm.5.* Graſſium *in deciſ.tom.1.lib.4. c.18. num.79.* Duardum *in Bull.Cœn.lib.2.can.5.q.4.concluſ.3.num.6.*ex Butrio *in c.ſuper quibuſdam, de verb.ſignif.num.15.* licet contrarium docuerit Filliucius *tom.1.tract.16.c.5.n.110.*vbi ſic ait.Imponentes domos panis, vini, carnis, aliarumq; rerum venalium, hoc eſt domini terrarum, vel communitates conſtituentes determinatas domos & loca, in quibus ſolis ea vendantur, vnde venditores eiuſmodi multum lucrentur, non videntur comprehendi ſub hac cenſura; quia eiuſmodi impoſitio non reuocatur ad impoſitionem gabellarũ.ſed potiùs monopolij.Sic Filliucius.Sed quicquid ſit de hoc, ex ſupradictis apparet dictas tabernas, ſeu zagata etiam in ordine ad laicos non bene olere,& de illis malè ſentire Doctores;quomodo igitur dici poteſt poſſe prejudicare Clericis?

RESOL.XXI. *An exemptio Clericorum,dato,& non cõceſſo quòd non ſit ex iure diuino, fuerit primariò de iure ciuili,& ortum habuerit ab Imperatoribus? vbi etiam multa alia ſcitu digna inuenies.*

AFfirmatiuam ſententiam docet Michaël de Palatio *in 4.ſent.diſt.25.diſp.5.fol. mihi* 540. vbi ſic ait:Conſtantinus Clericos exemit, & fecit immunes à iuriſdictione tẽporali;ergo antè nõ erant immunes. Et poteris iuuare ſententiam hanc ex Nicephoro *lib.7.cap.42.*vbi traditur immunitatem conceſſiſſe Conſtantinum Epiſcopis & Clericis, vt eſſent immunes à iuriſdictione ſua,& ſuorum Officialium, *l.iuxta ſanctionem, de Epiſc.& Cler.* & *c.43. eodem.lib.*meminit idem Auctor cauſam criminalẽ Cæciliani Epiſcopi Carthaginẽſis, quæ agitabatur coram Conſtantino Imperatore.à ſe ablegaſſe, illamque commiſiſſe Romano Pontifici decidendam cum aliis Epiſcopis.Ita Palatius; & quod peius eſt,vt alibi etiam adnotaui, Salgadus *de protect. Reg. tom.1.p.1.prat.1.n.51.*& Ceuallos *de cognit.& c.in proœmio,c.5.n.11.* docẽt ante Iuſtinianum non fuiſſe diſtinctionem fori inter laicos & Clericos, quam ſententiam docuit etiam noſtris temporibus Pſeudotheologus Paulus Seruita.

Sed hæ opiniones prorſus non ſunt admittendæ. nam dato, & non conceſſo, quòd exemptio Clericorũ non fuerit de iure diuino,dicendum eſt Clericos fuiſſe exemptos ex auctoritate Pontifi-

cia D. Petri ante omnem conceſſionem Imperatoris Chriſtianorum, vnde multi, etiam ex antiquioribus Pontificibus, Clericos à laicis iudicari, vel apud illos cauſam mouere vetuerunt, etiam illis temporibus quibus Imperatores infideles erãt, vt patet ex *c. relatum* 11. *q.* 1. & aliis, quod confirmatur ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 25 *c.* 20. *de reform.* quia nulla facta iuris mentione dicit Eccleſiæ, & Eccleſiaſticarum perſonarum immunitatem diuina ordinatione, & Eccleſiaſticis ſanctionibus, eſſe conſtitutam. In quibus verbis apertè ſupponit immunitatẽ hanc non à iure ciuili, ſeu à cõceſſionibus Principum ſecularium duxiſſe originem, aliàs propriam & immediatã huius immunitatis cauſam tacuiſſet, & in rigore aut falſa, aut nimis diminuta fuiſſet doctrina. Et ita docet Suarez *contra Regem Angliæ lib.* 4. *c.* 11. *n.* 7. cui ego addo Valboã de Magroviejo *in lect. Salmat. tom.* 2 *q.* 2. *de iudicijs n.* 36. qui etiam obſeruat eſſe manifeſtum errorẽ dicentium priuilegium immunitatis Clericis à Iuſtiniano conceſsũ, ita vt ante illum nunquam in Eccleſia diſtinctio fori inter Clericos & laicos recepta fuit; hic enim error apertè conuincitur à primo: nam multo ante Iuſtinianum conſtat conceſſum, vt de Cõſtantino conſtat ex adductis à Baronio *anno Chriſti* 330. & de Valentiniano teſtatur Ambroſius *lib.* 2. *epiſt.* 13. & 32. de Honorio conſtat *in l.* 41. *de Epiſcop. & Cler* & ideo fuit ſententia Cõcilij Aquilarenſis, quam refert Ambroſ. *d. epiſt.* 13. Auguſt. *ep.* 53. & in Concilio Matiſconenſi II. *c.* 9. expreſsè dicitur hanc immunitatem initium habuiſſe à tempore naſcentis Eccleſiæ. Huc vſque Valboa, & ante illum Soſa *in tract. de cenſura Pauli V. fol. mihi* 38. Confirmatur noſtra opinio ex Card. Bellarm. contra Paulum Seruitam *fol. mihi* 7. vbi ſic ait [Lo trouo nella ſcrittura tutto illo contrario. (loquitur cõtra id quod aſſerebat Paulus Seruita,) perche al tempo della primitiua Chieſa S. Paolo dimoſtra ch'il Veſcouo haueua il ſuo Tribunale e giudicaua i ſuoi ſubditi Eccleſiaſtici como ſi vede in quelle parole nel 5. c. della 1. epi. à Timoteo Veſcouo di Efeſo.] Aduerſus Preſbyterum noli accuſationem recipere niſi ſub duobus, vel tribus teſtibus: quæ quidem verba, vt obſeruat etiam Valboa *vbi ſuprà n.* 39. ſupponunt iam tunc fuiſſe Epiſcopale tribunal, & Suarez *vbi ſuprà c.* 13. *nu.* 10. rectè docet Paulum *loco cit.* non loqui de ſolis cauſis Eccleſiaſticis, ſed de querelis contra Clericos in cauſis criminalibus. nam in illis fit propriè accuſatio, & cùm Paulus indefinitè & ſimpliciter loquatur, non eſt reſtringenda illius ſententia ad crimina Eccleſiaſtica: de quocumque ergo crimine poterat, & debebat tunc Preſbyter accuſari in tribunali Eccleſiaſtico, licet de facto tunc Clerici ab Imperatoribus communiter iudicabantur. Videat modò Cutellius, ſi rectè dicere potuit *in Cod. legum Sicul. fol* 301. exemptionẽ Clericorum quoad perſonas & res fuiſſe introductam ex pietate Imperatorum, & an ſit opinio probabilis quòd ius Canonicum confirmauit exemptionem Clericorum, & non principaliter tribuit: nam ipſe Cutellius hoc in dubio relinquit, vt patet ex verbis *in n.* 47. appoſitis ibi, *Aut verò reſpicimus*, &c. Ad Canones verò quos ipſe Cutellius adducit in fauorẽ ſuæ opinionis, reſpondeo, quòd certò fatendum eſt Imperatores exemptionem Clericorum confirmaſſe, & acceptaſſe, vt patet ex his, quæ adducit Suarez *loco cit. c.* 12. Id verò quod nos negamus, eſt quòd prima origo, vel principalis, fuerit conceſſio Imperatorum. nam, vt ſatis probatum eſt ſuprà, ante Imperatores Catholicos aderat in Eccleſia Dei dicta exemptio Clericorum. Vnde ex his apparet exemptionem Clericorum non ſumpſiſſe originem à conceſſione Imperatorum, licet poſtea Catholici Imperatores dictam exemptionem confirmauerint, & ideo Seruantius *in defenſione immun Eccl. fol. mihi* 18. rectè obſeruat leges Imperatorum pro exemptione Clericorum non fuiſſe leges inſtitutorias, ſed ſubſidiarias, vt docuit etiam Rota coram Domino meo amantiſſimo Merlino *in vna Alban. die* 28. *Iunij* 1630. & Filotheus *in defenſ. Cenſ. Pauli V. fol. mihi* 19. confirmat hoc ex verbis Imperatorum. Quòd autem Summus Pontifex potuiſſet eximere ſimpliciter Clericos propria auctoritate à ſubiectione temporaliũ Principum, latè probant Theologi & Canoniſtæ, & inter illos Bellarminus *tract. de poteſt. Sum. Pontificis*, contra Barclaium *c.* 34. & illi etiam, qui exemptione Clericorum parum fauere exiſtimati ſunt, vt Sotus *in* 4. *diſt.* 25 *q.* 2. *art.* 2. *concl.* 6. vide etiam Baglionem *in Apolog pro immun Eccleſ. propoſ.* 12. & Seruantium *in defenſ. immun. Eccleſ. propoſ.* 5. *fol.* 51.

Reſtat igitur ex ſupradictis ſatis labefactata opinio Salgadi, Ceuallos, & aliorum aſſerentium à Iuſtiniano cœpiſſe exemptionem Clericorum, & ſimul id, quod aſſerũt Michaël de Palatio, nempe Conſtantinum primum illam præbuiſſe, quod in ſpecie damnat Anton. Bouius *in reſponſ. ad conſider Pauli Seruitæ, p.* 2. *f.* 19. vbi poſtquam dixiſſet Cõſtantinum feciſſe Clericos immunes, ſic addit. [Ma non penſi alcuno che qui habbia hauuta la ſua prima origine la libertà Eccleſiaſtica che auanti Coſtantino & i doi Concilij Romani celebrati al ſuo tempo, e di S. Silueſtro gia n'haueuano fatto decreto nell'anno 296. San Marcellino en el 283. S. Caio. Nel Concilio Africano del 257. celebrato al tempo di San Cipriano fu priuato dalli conſueti ſuffragij Geminio Vittore, per che contra le leggi Eccleſiaſtiche gia prima fatte haueua inſtituito tutore Geminio Fauſtino Pretè, e pure per le leggi Imperiali accio i pupilli non rimaneſſero ſenza iutore, ni vno era eſente del carico delle tutele ne gli edili ne i Senatori, ne altri di qual ſi voglia dignita dal che ſi vede che ſin d'all' hora quei Santi Veſcoui non ſi ſtimauano ſoggeti alle leggi ciuili, ma doue biſognaſſe con contrarie leggi vi derogauano. E ſino al tempo de gli Apoſtoli ſteſſi San Clemente nella ſua prima epiſtola fece Decreto.] Ita Bouius. Vnde ex omnibus ſupradictis clarè apparet, quàm cautè legendi ſunt aliqui recentiores, dum de immunitate Eccleſiaſtica tractant.

Non deſinam tamen pro coronide huius reſolutionis hîc adnotare quod ego *in p.* 1. *tract* 2. *reſol.* 1. pro parte negatiua, quòd Clerici non ſint exempti à laica poteſtate de iure diuino, adduxi plures Doctores. Verùm quia inuenio hæreticos noſtri temporis, vt Henricum Arniſæum *in comment. polit.*

de

de ſubiectione & exempt. Clericorum, cap.3. per totum. Paulum Seruitam & alios huius farinæ homines, magnum feſtum facere, vt loquuntur Iuriſconſulti, quòd aliqui ex Catholicis negatiuam hanc ſententiam teneant, ideo nunc affirmatiuam ſtabilire conabor.

Dico igitur diuino iure, ſeu Dei ordinatione Clericorum immunitatem in Eccleſiam inuectam eſſe. Probatur ex Conciliis. Concilium Lateranenſe ſub Innoc. III. *c.46.* ſic ait. Nimis de iure diuino quidam laici vſurpare conantur, cùm viros Eccleſiaſticos nihil temporale obtinentes eos ad præſtandum ſibi fidelitatis iuramenta compellunt. Concilium Lateranenſe ſub Leone X. *ſeſſ.9.* ſic loquitur. Cùm à iure tam diuino, quã humano laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit, innouamus omnes & ſingulas cõſtitutiones, &c. Concil. Trid. *ſeſſ.25.cap.20. de reform.* ſic habet. Eccleſiæ & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitas Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus conſtituta eſt. Concilium Colonienſe Prouinciale *par.9.ca.20.* Immunitas Eccleſiaſtica vetuſtiſſima res eſt, iure pariter diuino & humano introducta, quæ in duobus potiſſimè ſita eſt, primum vt Clerici, eorumque poſſeſſiones à vectigalibus & tributis aliiſque muneribus laicis liberi ſint. Deinde ne rei criminis ad Eccleſiam confugientes, inde extrahantur. hæc ibi. Sed his omnibus addendus eſt Bonifacius VIII. *in cap. quamquam, de cenſ.* Eccleſiæ, inquit, Eccleſiaſticæque perſonæ, ac res ipſarum, non ſolùm iure humano, quin imò & diuino à ſecularium perſonarum exactionibus ſunt immunes, &c. In Can. *ſi Imperator d. 96* Ioannes Papa VIII. expreſsè dicit Deum exemptionem dediſſe Clericis à foro ſeculari; ſic enim ait. Non à legibus publicis, non à poteſtatibus ſeculi, ſed à Pontificibus & Sacerdotibus omnipotens Deus Chriſtianæ Religionis Clericos & Sacerdotes voluit ordinari & diſcuti vbi gl. *in verb diſcuti*, aſſerit. Ergo antequam eſſet aliqua conſtitutio, etiam Clerici non erant de iuriſdictione ſeculari vnde omnes conſtitutiones, quæ emanarunt, quòd Clerici non ſint iudicandi niſi ab Epiſcopis, non ſunt, niſi iuris declaratio. Adeſt etiam Can. *Syluester 11. q.1.* vbi Gelaſius Papa, cùm ſciret quoſdam Clericos læſos fuiſſe quoad immunitatem, dicit hoc eſſe contra leges diuinas. Et tandem in Canon. *relatum, eadem cauſa & quæſtione*, Alexander Papa videns aliquos violare immunitatem Eccleſiaſticam, aſſerit: Taliter præuaricantes præuaricati ſunt in Deum, & non obedierunt præceptis eius.

Verùm negatiuæ ſententiæ defenſores variis reſponſionibus hæc refellere conantur. Nam Sotus reſpondet Bonifacij VIII. dictum intelligi debere in cauſis Eccleſiaſticis, vel certè quoad perſonas tantùm. Sed hęc reſponſio iiſdem Bonifacij verbis reiicitur, qui diſertè aſſerit Clericorum perſonas & bona à ſecularium Principum exactionibus vtroque iure libera eſſe. Couarruuias, Molina & alij aſſerunt *in ſuprà citatis locis*, nomine iuris diuini ius Canonicum ſignificari, quod lato quodam dicendi modo ius diuinum appellari ſolet vt patet *in cap. cùm de diuerſis, de priuil. in 6.* At ſolutio hæc redarguitur tum ex Concil. Lateran. ſub Leone X. tum ex Bonifacij VIII. conſtitutione, vbi cùm iure tam diuino, quàm humano libertas Eccleſiaſtica introducta eſſe dicatur, ius diuinum propriè ac ſtrictè acceptum videtur, ſiquidem nunquam Canonicũ appellatur, cùm ab humano diſtinguitur, vt in allegatis ſãctionibus diſtingui perſpicuè cernimus, eſt enim ius aliud diuinum, aliud humanum; diuinum, aliud reuelatum poſitiuum, aliud naturale; humanum verò ſecernitur in Canonicum & ciuile, vnde cùm diuino humanum opponitur, ſub illo Canonicum comprehendi non poteſt. Addo quòd cùm in Concil. Lateran. dicatur: Omni etiam id diuino iure prohibente, nulla cauſa eſt, cur diuinum ſtrictè ſumptum inde excludi debuerit. & ad Concil. Trident. vbi Eccleſiaſticarum perſonarum libertas Dei ordinatione & canonicis ſanctionibus aſſeueratur conſtituta, quomodo reſponſio Molinæ & Couarruuias aptari poſſet non video: Tridentinum enim non dixit immunitatem Eccleſiaſticam eſſe iure diuino, ſed ex Dei ordinatione, quaſi tollere volens chimæricam interpretationem ſupradictorum, qui, vt dictum eſt, per ius diuinum intelligere volunt ius Canonicum & dum Concilium dicat Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus, expreſsè loquitur de iure diuino, quatenus à iure Canonico diſtinctum eſt.

Non deſinam etiam hîc adnotare Bellarminũ, Seſſe, Garziam, & alios, quos refert & ſequitur Carlouallius *de iudic. lib.1.tit.1.diſp. 2.q.6 ſect.1.n.401.* docere Bonifacium VIII. nomine iuris diuini voluiſſe ſignificare hanc exemptionem habere exemplum in Scriptura, eo quòd *Geneſ.47.* cùm Ioſeph tributariam faceret vniuerſam terram Ægypti, liberos reliquit Sacerdotes. Sed neque iſta ſolutio admitti poteſt impropria enim admodum locutio eſt aliquid eſſe ex diuino iure, quia aliquid ſimile legitur in Scriptura, quaſi verò non poſſit Scriptura narrare multa, quæ ex iure diuino ortum non habuerunt, ſed ex hominum voluntate. Deinde cùm non in ſolo Bonifacio, ſed in quatuor etiam Conciliis legatur rem hanc eſſe iuris diuini, non poteſt dici in illis omnibus locutionem eſſe impropriam, alioqui nihil firmum ex Scriptura & Cõciliis deduceremus: nec dici poteſt, vt ſuprà obſeruauimus, ſolùm agi de exemptione in cauſis omnino Eccleſiaſticis, cùm verba Conciliorum aliud ſonent.

Nec valet dicere, quòd vt aliquid aſſeratur eſſe ex iure diuino, colligi debet ex aliquo Scripturæ teſtimonio, ſed in nullo Scripturæ loco inuenitur exemptio ex iure diuino. Non, inquam, hæc valent, nam fatemur nullum eſſe in Scriptura teſtimonium expreſſum pro immunitate Eccleſiaſtica in lege Gratiæ, ſed inde non bene infertur, nõ eſſe ex iure diuino, quia bene poſſunt eſſe iuris diuini aliqua, quæ non ſint in Scriptura, dummodo inſtituta ſint à Chriſto Domino, & Apoſtolis tradita, vt per illorum manus ad nos vſque deuenirent. Etenim quæ pertinent ad materias & formas Sacramentorum, iuris diuini ſunt, nec tamen omnia habentur in Scriptura. Dico ergo ex prædictis Conciliis & auctoritate Bonifacij ſufficienter colligi immunitatem Clericorum eſſe iuris diuini;

vnde cùm in Scriptura non habeatur, creditur id eſſe à Chriſto Domino inſtitutum, & per traditionem ad nos deueniſſe. Et hæc omnia docet etiam Granadus *de Sacram. in 3. part. contr. 9. tract. 4. diſp. 4. ſect. 2. num. 16.* & ideo noſtram ſententiam, nempe exemptionem Clericorum quoad perſonas & bona eſſe de iure diuino, determinat etiam ſacra Rota Romana *deciſ. 10. in antiquis*, & nouiſſimè, vt patebit in fine huius tractatus, coram Domino meo Merlino, viro doctiſſimo, & numquam ſatis laudato, *in vna Albenſis Gabellæ, die 28. Iunij 1630.*

Sed dato, & non conceſſo, quòd exemptio Clericorum non ſit de iure diuino, ſed poſitiuo, difficultas eſt, an poſſit contra illam conſuetudo præualere? & in hoc ſcopulo multi naufragantur. aliqui enim Miniſtri laicalis iuriſdictionis ideo conſtanter defendunt exemptionem Clericorum eſſe de iure poſitiuo, quia putant ex hoc contra dictam exemptionem præualere poſſe conſuetudinem, quã in aliquibus Regnis adeſſe aſſerunt; ſed fœdè labuntur, vnde vt excuſationem non habeant, ponam ea, quæ Doctores in puncto aſſerunt: & in eorum fauorem poſſet quis dicere, quòd conſuetudo ius poſitiuum abrogare poteſt, vt traditur *in cap. fin. de conſ. & cap. 2. de probat.* ergo poterit ius poſitiuum Canonicum abrogare; nihil ergo refert quòd conſuetudo ſit contra ſacros Canones hanc immunitatem ſtatuentes, ſicut poteſt in omnibus aliis materiis, dato quòd hæc immunitas ſit de iure Canonico. Deinde ſicut conſuetudo eſt potens ad acquirendam iuriſdictionem, vt patet *in cap. irrefragabili de offic. ordin.* ſimiliter potens erit ad illam amittendam.

Sed reſpondetur hoc argumentum non procedere quando ius Canonicum cõſuetudinem prohibet, ſupponendo illam eſſe iniquam, & hoc modo prohibet ius Canonicum conſuetudinem contra libertatem Eccleſiaſticam, vt deciſum eſt *in c. 1. de conſuetud. & in cap. ad noſtram, eodem tit.* Et hac ratione leges omnes contrariæ Eccleſiaſticæ immunitati tanquam iniquæ à iure Canonico reprobantur, vt conſtat ex *toto tit. de immunit. Eccl.* & docuit Bartol. *in l. de quibus, num. 4. ff. de legib.* Idem ergo de conſuetudine dicẽdum eſt, quæ legi æquiparatur, vt eodem argumento probant Butrius *in cap. cùm ex officiis, numer. 3. de præſcript.* Rochus *in cap. fin. de conſuetud. num. 521.* multos alios referens. Nec dubium eſt quòd omnis conſuetudo, quam lex Canonica, vt iniquam, reprobat, verè irrationabilis eſt; mirum ergo non erit, quòd legem Canonicam non vincat, ſiquidem vim conſuetudinis cùm ſit irrationabilis non habeat. Et hæc omnia docet Valboa *in lect. Salmatic. c. 8. de iudic. num. 11.* Sed non deſinam hîc etiam apponere verba non vnius Doctoris, ſed totius inclyti Collegij Bonon. *in reſp. pro libert. Eccleſiaſt. num. 33. fol. mihi 39.* vbi ſic ait: Ad præiudicium exemptionis Clericalis & libertatis Eccleſiaſticæ nihil operatur lõgiſſima conſuetudo contraria, vel præſcriptio immemorabilis, ex *cap. Clerici, & ibi* gloſſ. *in ver. conſuetudine, de iudiciis*, & ex *cap. ad audientiam, & cap. fin. de conſ.* vbi gloſſa, declarans quæ ſit conſuetudo irrationabilis non præiudicans iuri poſitiuo, ait, eſſe per quam aliquid introducitur contra neruum Eccleſiaſticæ diſciplinę, ſeu libertatis, & extat optima deciſio Rotæ *in antiquis* 10. quæ nobis ſeruiet pro omnibus quæ allegari poſſent. Ita venerandum illud Collegium. Cui adde Euerardum *conſ. 42. num. 38.* Rebuffum *conſ. 193. num. 7.* Germonium *in aſſert. libert. Eccleſ. c. 4. §. 17.* Vigianum *de immunit. Eccleſ. diſput. 2. concluſ. 4.* Faganum *in reſponſ. pro cenſ. Pauli V. part. 4. fol. mihi 115.* & alios penes ipſos, quæ omnia confirmantur. Nam *in cap. nouerit, de ſent. excomm.* excommunicantur, qui ſeruari fecerint conſuetudines introductas contra libertatem Eccleſiæ, & omnes Poteſtates, Conſules, Rectores, aut Conſiliarij locorum, in quibus ſeruatæ fuerint, & omnes qui ſecundùm illas præſumpſerint iudicare, vel in publicam formam ſcribere iudicata. Et in Bulla Cœnæ *num. 15.* excommunicantur, qui prætextu cuiuſuis conſuetudinis aliquid fecerint contra libertatem Eccleſiaſticam, & *num. 19.* ad hoc vt quis quomodolibet ſe interponat in cauſis criminalibus Eccleſiaſticorum, dicitur requiri ſpecialis, ſpecifica & expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ. & denique in fine eiuſdem Bullę expreſsè dicitur, quod in omnibus & ſingulis, quæ in illa fuerunt præmiſſa, nullatenus poteſt, aut debet in poſterum præiudicari per quoſcumque actus contrarios, tacitos, vel expreſſos, & neque etiam per patientiam & tolerantiam ipſius Papæ, quantocumque tempore continuatam, quæ verba clariſſimè excludunt omnem contrariam conſuetudinem, quæ poſſit induci etiam per patientiam & tolerantiam Papæ. Et certũ eſt, quòd quando lex ab initio reſiſtit alicui conſuetudini inducendæ, eamque reprobat vt irrationabilem, & malam; non poteſt poſtea talis conſuetudo ita inualeſcere, vt abroget legem, vt ex multis probat Baldellus *in diſp. Theol. tom. 1. lib. 5. diſp. 39. num. 10.* qui *num. 11.* probat ex D. Thom. *in par. 2. quæſt. 97. art. 3. ad 3.* & aliis, quòd vt cõſuetudo quæ eſt lex non ſcripta, poſſit obtinere contra legem ſcriptam, vel debet eſſe inducta à multitudine, penes quam ſit poteſtas condendi leges, & abrogandi, vel ſaltem debet eſſe permiſſa & tolerata à Principe talem poteſtatem habente. Sed certum eſt quòd laici non habent poteſtatem condendi leges contra ius Canonicum de immunitate; per conſequens neque etiam poſſunt contra illud inducere conſuetudinem. Neque Papa poteſt dici illam permittere, & tolerare, cùm quotannis in Bulla Cœnæ grauiſſimè illam damnet ac reprobet. ergo, &c. Hæc Baldellus.

Sed aduerſarij in luce clara cæcutientes adhuc vrgent, & aſſerunt, quòd licet reſpectu conſuetudinis vniuerſaliter exemptionem Clericalem abrogantis vera ſint omnia ſupradicta, nam generalitas conſuetudinis huius præ ſe ferret indecentiam, & irreuerentiam Eccleſiæ, adeò vt nec per legem ſcriptam talis derogatio immunitatis fieri poſſit. Nihilominus tamen nõ videtur vniuerſaliter procedere de omni conſuetudine particulari, quæ introduci poteſt in certis materiis, vel cauſis, vel perſonis, vel prouinciis, quo caſu non ſemper erit irrationabilis conſuetudo. & ita docet Couarr. *in pract. cap. 31. nu. 5.* vbi exiſtimat in aliquibus caſibus

conſue-

conſuetudinem legitimè præſcriptã poſſe reſtringere, aut limitare hãc Clericorum exemptionem, eò quòd putat eſſe de ſolo iure poſitiuo, quamuis fateatur id non procedere ex ea parte, qua dedecus eſſet ordini Eccleſiaſtico, & ſic putat ſuſtinendam eſſe conſuetudinem Anglorum, apud quos Clerici coram ſeculari iudice litigare cogebantur ſuper realibus actionibus, quamuis eam reprobet in perſonalibus. de quo etiam Guillelm. Benedictus *in cap. Raynutius, de teſtam. ver. & vxorem. nu.* 322. Boërius *deciſ.* 69. *num.* 10. Tiraquell. *lib.* 1. *de Retract.* §. 32. *gloſſ.* 1. *numer.* 81. Garſias *de nobilit Hiſpan gloſſ* 9. *num.* 44. & Iulius Clarus *lib.* 5. *ſentent.* § *fin. quæſt.* 36. *num.* 3.

Verùm opinio hæc Couarr. & aliorum, non eſt admittenda, cùm expreſsè ſit contra textum *in cap. Clericis de iudic.* ibi, Clerici maximè in criminalibus cauſis in nullo caſu poſſunt ab aliquo, quàm ab Eccleſiaſtico iudice condemnari, etiamſi conſuetudo Regia habeat vt fures à iudicibus ſecularibus iudicẽtur. quæ quidem verba, vt patet, apertè probant particularem conſuetudinem nõ poſſe priuilegio Clericali ex parte derogare. Dicendum eſt igitur omnem cõſuetudinem, ſiue generalem, ſiue particularem, contrariam libertati Eccleſiaſticæ eſſe iure reprobatam, & irrationabilem, adeò vt non poſſit immunitas hęc contraria conſuetudine aliqua ex parte derogari: vt patet ex omnibus Decretis Canonicis, quæ loquuntur de particularibus conſuetudinibus, eaſque omnino reprobant, & ita ſæpè Pontifices & Concilia declararunt, vt præter citatum *cap. Clericis*, conſtat ex *cap. inolita*, *cap. placuit*, *cap ſi Clericus*, *cap. ſi quis ex fratribus*, *cap peruenit* 11. *qu.* 5. & hæc omnia docet Valboa *vbi ſuprà*, & ante illum Suarez & alij penes me *in part.* 4 *tract.* 1. *reſol.* . & penes Azorium *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 12. *q.* 1. §. *ſed dubitare poſſet.* Vnde non eſt admittendum quod docet Salgadus *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 1 *præl* 3 *num.* 128. & Ioannes de Roa *in Apol. de iur. Princip quæſt.* 2. *nu.* 62. *fol.* 191.

Sed dicet aliquis interdum fieri poſſe, vt conſuetudo non tantùm laicorum ſit, ſed etiam Clericorum, vt ſi non coactè ſed voluntariè laicorum conſuetudinem obſeruent, eorum adeundo iudicia, vel tributa ſoluendo, tunc enim conſuetudo erit mixta, ſeu communis laicis & Clericis, quæ etiam in Eccleſiaſticos vim habet. Vnde Couarr. *in pract. d c.* 31. fatetur eo caſu conſuetudinem, quãtum eſt ex ea parte, poſſe Eccleſiaſticę libertati derogare, ſi aliàs ſit rationabilis. Sed hanc ſententiam *in p.* 4. *tract.* 1. *ref.* 66. ego reprobaui. Sed ſcio quemdam Iuriſconſultum aduersùs illam muſſitaſſe, immeritò quidem. nam præter Suarez à me ibi adductum, hanc opinionem refellit Valboa *vbi ſuprà. & in cap.* 1. *de foro compet. num.* 6. quia, ait, ille conſenſus Clericorum in eo caſu, quando adeſt Eccleſiaſticæ libertatis præiudicium, nihil operabitur, eſt enim priuata quędam renuntiatio priuilegij omnino inefficax; tum etiam, quoniam tali conſenſu Clericorum nunquam aſſiſtit expreſſus, aut tacitus conſenſus Pontificis, ſine quo nulla poteſt eſſe conſuetudo iuri Canonico derogans. Vnde quando dicimus conſuetudinem Clericis, & laicis communem, Clericos etiam ligare, intelligendum eſt de conſuetudine, quæ non præiudicat ſacris Canonibus, quo caſu ſaltem cõſenſus tacitus Pontificis deſideratur. At in ſpecie noſtra in conſuetudine priuilegium Clericale abrogante expreſſus Pontificis conſenſus deſideratur ideoque in particularibus caſibus laicis in Clericos iuriſdictio à Pontifice concedi poteſt, conſuetudine tamen nullo modo introduci. Adde quòd in hac materia non poteſt præſumi etiam tacitus conſenſus Pontificis, quia eſt tum valde odioſa Pontificibus, tum quia vix poſſet talis conſenſus tacitus ſine maiori cognitione cauſæ prudenter & licitè dari: quoties autem conſenſus non eſſet prudens & honeſtus, in Principe non pręſumitur. ergo, &c. Vnde ex his patet ſolutio ad ea, quæ docet Salgadus *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 1. *præl.* 3. *num.* 137.

Quod autem in præſenti reſolutione dictum eſt de conſuetudine, idem dicendum eſt de præſcriptione, vt optimè docet Beltran de Gueuara *in propugn Eccl libert aſſert.* 1. §. 7. *numer.* 37. Vigianus *de immun. Eccleſ. diſp.* 2. *concl* 4. & alij. Sicut enim nulla conſuetudine priuilegium Clericale diminui poteſt, ſimiliter nec pręſcriptione etiam immemoriali, eſt enim laicus huius poteſtatis incapax, nec poſſidere poteſt conſequenter, nec præſcribere, vt patet *in cap. cauſam, de præſcript.* Verùm ex his omnibus ſatis remanẽt ſoluta ea, quæ docet Petrus de Vries *in Otio æſtiuo*, *part.* 1. *num* 98. Aduerte autem pro iuſtificatione dictarum conſuetudinum & præſcriptionum tacitum conſenſum, approbationem & tolerantiam Papæ, eſt purum figmentum, vt benè firmat Rot. *deciſ.* 16. *de conſuetudine in antiq.* quæ reſpondet omnibus quæ in contrarium adduci poſſent, & hæc vna pro omnibus ſufficere deberet. Vide etiam Surdum *conſ* 301. *n.* 57. & Barboſam *de iure Eccl. lib.* 1 *cap.* 39 *n.* 195. & alios, quos adducit Bellettus *in diſquiſ. Cler. par.* 1. *tit. de fauore cler perſ.* §. 3. *n.* 13. Imò ego aſſero quod Papa non conſentit, neque tolerat, ſed ſingulis annis in Bulla Cœnæ clamat & reprobat ſupradictas conſuetudines, vt docet & determinat ſacra Rota Romana coram Pegna *in vna Oſcen. Canon. die* 1. *Decemb.* 1595.

RESOL. XXII. *An in aliquo caſu Clericus poſsit capi à Miniſtro laicor*

VT ſi, e.g. in flagranti delicto fuerit inuentus, vel ſi probabiliter præſumatur ad delinquẽdum incedere, vel etiam poſt delictum commiſſum ad effectum præſentandi illum Prælato Eccleſiaſtico. Et affirmatiuè reſpondet Suarez *contra Regem Angliæ lib.* 4 *c.* 34. *num.* 15. Scaccia *de iudic lib.* 1. *c.* 11. *nu.* 9. Farinacius *q.* 8. *nu.* 122. Clarus *in pract. q* 28. *num.* 6. & alij. Et hoc non titulo iuriſdictionis, vt conſtat ex *cap cùm non ab homine*, *de iudic. & cap. ſi verò, de ſent. excomm. & cap. ſi Clericus*, *de foro compet.* ſed ex tacita voluntate Prælatorum, vel quia tunc à iure cenſetur cuilibet data talis poteſtas, ex *l. raptores, C. de Epiſc. & Cler.*

Sed hæc doctrina ita abſolutè prolata mihi non placet, ſed illam approbo concurrentibus tribus conditionibus. Prima, vt præſumatur fuga, niſi Clericus tunc capiatur. Secunda, vt non potuerit à

proprio Prælato impetrari mandatum. Tertia, vt ſtatim iudici proprio remittatur, videlicet infra ſpatium viginti horarum.& ita docet Caſtrus Palaus *tom.2.tract.12.in diſp. vnic. punct.6. num.14.* qui tamen exiſtimat iudicem laicum non poſſe detinere Clericum de quo ſuprà,captum in ſuis carceribus per ſpatium viginti horarum, ſi breuiori tẽpore poſſet illum Eccleſiaſtico Prælato remittere, quia aliàs neque Superior Eccleſiaſticus præſumitur conſentire, neque ſecularis iudex cauſam habebit Clericum detinendi. ergo,&c.

RESOL. XXIII. *An iudex laicus poſsit cognoſcere de cauſa poſſeſſoria beneficij, ſi agatur inter duos Clericos, vel quando reus eſt Clericus?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Seſſe *de inhib. cap.8.§.3.num.16.& ſeq.* Bobadil.*in Polit tom.1. lib.2.cap.17.num.153.*Ceuallos *tract.de cognit.per viam violen. part.2. quæſt 65.* Torreblanca *de Magia,lib.3. cap.26.num.2.*Garſias *de Nobil.gloſſ.9.num.48.*Auendaño *de exequ.mand.part.1.cap.1.num.32.*Pelaëz *tract. de maior.part.3.quæſt.11.num.11.*Velaſcus *conſil.93.n.3.* Cabedus *part.2 deciſ.71.num.3.* Mendez à Caſtro *in praxi Eccleſ.Luſit.lib.2.cap.4.num.14.* Gail.*lib.1.obſeru. 28.num.2.*Mynſingerus *cent.2. obſeru.67.* Degraſſalius *in Regal.Franc. lib.2.iur.7.* Guidus Papa *deciſ.85. num.2.*Theſaurus *deciſ.82.*Afflictus *deciſ.24.*Igneus *in l neceſſarios, § non aliàs, ff. ad SC. Syllan. num.466. & ſeq.*& alij penes Gutierr.*pract.qq.lib.1.q.20.& qq. Canon.lib.1.cap.34.nu.16.* Probatur hæc opinio primò ex conſuetudine & praxi plurimorum Regnorum.Secundò,quia poſſeſſio magis eſt facti, quàm iuris, *cap.cùm noſtris,de conceſſ.præben.* Sed de facto cognoſcit laicus, *cap decernimus de ſent.excom.in 6.* ergo, &c. Tertiò adducuntur pro hac ſententia *c. vlt.de iudic.& cap petimus,eodem tit.* Et ideo *gloſſ.1. in c.litteras,de iuram.calum.& ver.cum iuram.cap cùm dilectus,de elect.* aſſerit cauſam poſſeſſionis beneficiariæ eſſe temporalem & profanam.

Sed his non obſtantibus cõtrariam ſententiam tenendam eſſe puto. nam poſſeſſio beneficij cauſa eſt Eccleſiaſtica. Nam beneficium Eccleſiaſticum nunquam ſine Canonica inſtitutione obtineri poteſt,*cap.ex frequentibus,de iuſtit.cap.1.de eo,qui mittitur in poſſeſſionem in 6.* ideò vt agens interdicto. *Vnde vi,*de titulo docere debet,vt docent Doctores *in c. in litteris,de reſtit ſpoliat.* ergo,&c. Deinde probatur hęc opinio irrefragabili argumento. nam ad redimendam in beneficio vexationem, vt ex pecunia non committatur ſimonia, & titulum, & poſſeſſionem habere neceſſe eſt, *cap.dilectus, el.1.de ſimonia.* quòd ſi titulum quis habeat, poſſeſſionem tamen litigioſam pecunia redemerit, ſimoniam vtique committit,vt docet *gl.1. in c.decimas,el 3.16. q.7.* Abb.*num.8.*Ananias *in 4.in d.c.dilectus.* Simonia tamẽ committitur dumtaxat in ſpiritualibus, & illis annexis,*c.qui ſtudet 1.qu.1. quia Clerici, de iure patron.* Ergo clarè apparet cauſam poſſeſſionis beneficiariæ propriè & purè Eccleſiaſticam eſſe:vnde iudex laicus incapax eſt.Et hæc omnia docent duo lumina inclytæ Academiæ Salmaticenſis, Valboa de Magrovejo,& Sahagun de Villa-Sante *in cap.decernimus, de iudiciis,* ille *num.95.* hic *num.184.* Et hanc opinionem communitet docẽt Theologi,vt Azorius *tom.1. lib.5. cap.14.quæſt.1.* Caſtr. Palaus *tom.2. tract.12.diſp.vnic.punct.7. n.4.* Baldellus *in diſp.Theol. tom.1.lib.5 diſp.39.num.1.*Peſantius *tract. de immunit. Eccleſ.diſput.15.* quibus ex Iuriſconſultis adde etiam Martam *de iuriſd.part.4. cent.1.caſ.34.* Marium Antoninum *lib.1.reſol.91.*Monetam *de decimis c.1. n.11.* Garziam *de benef.par.1.cap.2.num.50.*Guttierrez *can. qq.lib.1. cap.34. num.26.* & alios penes ipſos. Vide etiam deciſionem ſacræ Rotæ Romanæ coram Peña *die 1.Decembris 1595.* in fine huius Tractatus appoſitam.

Reſtat modò reſpondere ad argumenta contraria;& ad primum de conſuetudinibus Regnorum reſpondeo approbandas eſſe, vt docet Caſtrus Palaus,ſi aliquo ſpeciali priuilegio à Sede Apoſtolica conceſſo muniantur, quod Regi Gallorum conceſſum eſſe à Leone X. *die 17. Nouembr.* 1513. teſtatur Boërius *deciſ.69 num.23.* Gullielmus Benedictus *in cap.Raynutius,ver.& vxorem, deciſ.2. nu.89. & ſeq.* cum Oſaſco *deciſ.116.* Ad ſecundum argumentum reſpondeo quòd eſto poſſeſſio ſit in apprehenſione;cauſa tamen apprehẽdendi, ad ius & titulum pertinet;ſed iudex laicus iuris directè incapax eſt, imò neque de facto cognoſcit, niſi exiſtente ſubiecto, & cùm hic deficiat, cognoſcere non poterit. Ad tertium argumentum reſpondeo quòd *cap.fin.de iudiciis,* non de dignitate Eccleſiaſtica, ſed ſeculari eiuſque iuriſdictione tractat, & non inter Clericos, vt patet in illis verbis, *Tempus regiminis elabatur.*ergo non beneficij. Ad *c.petimus,* reſpondeo quòd ibi non cognoſcit laicus, ſed Eccleſiaſticus, qui auxilium iudicis ſecularis implorat. Ad gloſſam reſpondeo communiter improbari ex rationibus allatis.

Non deſinam tamen hîc adnotare,Valboam *vbi ſuprà* noſtram ſententiam, vt diximus, docere, in vera tamen & iudiciali cognitione, ſecus autem in extraordinaria, & extraiudiciali, quę fit per viam violentiæ; ſed hanc ego etiam non admitto, per ea quę ſuperiùs in reſolutione contra Sotum maiorem dicta ſunt.Et nota quòd Iacobus Sahagun de Villa-Sante *loc.cit. n.188.* teſtatur in Regno Hiſpaniarum, vbi tot ſunt ſuprema Regis tribunalia de poſſeſſorio recuperandæ, vel retinendæ in beneficiis, Conſiliarios cauſas non admittere. Ita ille: quod an hodie obſeruetur neſcio.

Et tandem quærendum eſt hîc obiter, an iudex laicus ſi pro ſua iuriſdictione habet opinionem probabilem,ſed excommunicetur ab Epiſcopo,vel declaretur incidiſſe in excommunicationem latam & inflictam à iure ſtante probabilitate contrariæ, ſit verè excommunicatus,& teneatur illi obedire? & reſpondeo affirmatiuè cum Villalobos *in ſumm. tom.1.tract.16.diffic.11.num.7.*vbi ſic ait.[Aduierteſe que de todos eſtos caſos para que ſe diga, que la cenſura es nula, ha de ſer manifieſta ſu nulidad, que en duda ſe ha de preſumir por el juez, que eſtà en poſſeſſion de mandar conforme aquella regla que dize,In dubio melior eſt conditio poſſidentis. Y ſi el juez pone cenſura ſiguiendo opinion probable, ligarà, aunque ſegun otra ſentencia ſea nula,y no puede el ſubdito hazer contra

ella

olla,aunque ſea de opinion contraria,que no puede en eſte caſo ſeguir ſu opinion, porque como la ſentencia en realdad de verdad es valida, obliga, y ſu opinion no es practicamenta verdadera.] Ita ille,quod eſt valde notãdum à iudicibus laicis, qui etiam vellem vnum valde ab ipſis conſiderari, videlicet calamitates, bella, fames, peſtilentias, & alia id generis in Regnis euenire ex ſtatutis contra libertatem Eccleſiaſticam. Teſtis huiuſce veritatis ſit Baſilius Imperator Nicephori Phocæ ſucceſſor, qui contra eiuſdem Nicephori ſtatutum in hæc verba ſanciuit. Diuinitus conſtituta maieſtas noſtra, cùm & à monachis, quorum teſtata pietas atque virtus eſt, & ab aliis multis cognouerit legem à domino Nicephoro, qui ad Imperium peruenit, de Eccleſiis Dei Religioſiſque omnibus latam, tum præſentium malorum, tum vniuerſalis huius euerſionis,atque confuſionis cauſam & radicem extitiſſe.Nam ex quo lex illa robur habuit, nihil boni penitus in hodiernum vſque diem vitæ noſtræ contigit, ſed potiùs contrario nullum omnino genus calamitatis intermiſit,ſtatuit per aureã hanc Bullã, cui ſubſcripſit, indicatam ab hoc præſenti die ceſſare debere, ac deinceps irritam, nulliuſque momenti manere,conditis ante illam legibus, tam de Eccleſiis, quàm de Religioſis domibus,vim roburque ſuum obtinentibus. Hactenus Baſilius Imperator, vt patet apud Berſamonem *in Nomocanone Phocij*, & Leunclauium *tom.1. lib.2. iur. Orient.*

Nec deſinam hîc apponere id quod notat Illuſtriſſimus, & doctiſſimus Archiepiſcopus Bracharenſis Acuña *in decret Gratian. cap. ſi gens Anglorum, num.5.diſt.56.*Barboſa *de iure Eccleſ.lib.1 cap.39.§.2.n.* 200.Franciſcus Longus *in Breuiar.Chronol.anno Domini* 704.Chokier *in vindiciis libert.Eccleſ.part.1.c.35. numer.23.* & ante illos Cardin. Baronius *anno Chriſti* 701.nempe,olim Deum florentiſſimum Regnũ Hiſpaniæ Mahometanis & Mauris tradidiſſe, non quia in fide(ſemper enim Hiſpani fideles)ſed quia in iuriſdictione à ſancta Sede Apoſtolica defecerat. Vnde intelligant Principes (ſubdit Baronius) quàm malè ſibi,ſuiſque Regnis conſulant, qui Eccleſiæ iura tollere,vel imminuere conantur, quod ipſum repetit rurſus aliis in locis *anno* 1100.*nu.*34. item.1104.*nu.*14. & 1184. *n.*47.vbi oſtendit Principes opprimendo Eccleſiaſticam iuriſdictionem Regnorum ſuorum interitum & amiſſionem acerſere.

Igitur Principum Conſiliarij,ſi deſiderant regna ſtabilire,& ab eis calamitates arcere, cõſulant Reges,vt imitentur Baſiliũ, nihilq; contra libertatem Eccleſiaſticã conſtituant.ſed ſi qua conſtituta ſunt, abrogent omnino, & in conflictu opinionũ illam ſequantur, quæ magis fauet Eccleſiæ, vt tradunt Doctores,quos citaui *in part.1.tract.2.reſol.65.* Imò Antonius Souſa *in Bulla Cœnæ,c.14.diſp.76.nu.5.* docuit, quòd opinio communis non eſt attendenda, quando altera contraria fauet iuriſdictioni Eccleſiaſticæ.Vnde Sanchez *in opuſc.tom.1. lib.2. c.4 dub.* 15.*n.*31.Baldellus *tom.1.lib.5.diſp.29.num.1.* & Suarez *contra Regem Angliæ lib.4.cap.34. num.4.* docuerunt in hac materia obſeruandum vt in fauorem Religionis, & conſequenter in fauorem exemptionis amplietur potiùs, quàm reſtringatur Eccleſiaſtica immunitas.Et ideo Iaſon *in l.filiusfamilias.§.Diui ff. de leg.1.num.*82.aſſeruit, in dubiis opinionibus conſulendo,& iudicando eam eſſe tenendam,quæ fauet Eccleſiæ, ex *cap fin.de ſent. & re iudic.* & ex *l.ſunt perſonæ, ff. de relig. & ſumpt.funer.* & ita etiam docuit ſacra Rota *in vna Veneta cenſ.ann.*1606.quam penes me impreſſam habeo,*fol.*25. Vel ſaltem quando,v. g.eſt dubium, an ſtatutum ſit, vel non ſit contra immunitatem Eccleſiaſticam, conſulatur priùs Summus Pontifex, vt docet Bernardus Iuſtus *in defenſ.libert.Eccleſ.fol.*27. quod etiam docuit Carolus Imperator adductus à Granado *in cap. memoriam* 19.*diſt.*in his verbis.Vſquequò per epiſtolam, aut per idoneos ſuæ partis Legatos Apoſtolicam interpellet ſublimitatem,vt potiſſimum ſua ſancta legatione dignetur decernere, & quid in talibus ſancta Romana lex ſtatuit definire, & is corrigatur, & ceteris modus imponatur. Ecce quid faciẽdum ſit in caſibus dubiis, nempe ad Summum Pontificem recurrere.Et clarum eſt,quòd quando adeſt controuerſia inter iudicem laicum,& Eccleſiaſticum, an ſua ſit iuriſdictio,iudex Eccleſiaſticus tanquam dignior de hoc debet cognoſcere, vt ex Sanchez & aliis notaui *in part.4. tractat.1. reſol.*64. quibus nunc addo Narbonũ *in recopil. leg.*20 *gloſſ.* 23.*num.*17.Paramum *in reſp.1 pro iuriſd.S.Officij,c.4.* n.1 & Lælium Baglione *in defenſ.libert. Eccleſ.part.2. propoſ.*16 *fol.*55. vbi ſic ait. [L'egli chiaro che quando foſſe in dubio ſe la giuriſditione ſia dell' Eccleſiaſtico ò del laico, che deue l'Eccleſiaſtico come quello che è più degno cognoſcere il fatto] Sic ille.

RESOL. XXIV. *An Epiſcopi poſſint exequi legata pia, etiam contra laicum tertium poſſeſſorem?*

NOn defuerunt his diebus negatiuam ſententiam docentes,& inter alia contra libertatem Eccleſiaſticam ſuſcitata, hoc etiam ſtatuêre. Sed immeritò quidem.nam eſto quòd ſe opponat tertius poſſeſſor, poteſt tamen Epiſcopus eſſe exequutor piarum diſpoſitionum. Probatur primò, quia iura præbentia Epiſcopo hanc facultatem, non ſe reſtringunt,vt tantùm contra hæredes procedere poſſit, ſed abſolutè & indiſtinctè loquuntur. Ergo indiſtinctè debent intelligi, ex Guttierrez *pract. qq.lib.4. quæſt.29. num.*14. Secundò pro exequutione legatorum, & ad ea conſequenda, tres dantur actiones, perſonalis ſcilicet, realis, & hypothecaria, vt patet ex textu *in §. noſtra autem*, vbi gloſſa & Doctores, *Inſtit.de legat.* Et ideo coram Epiſcopo poterunt proponi iſtæ actiones, prout natura negotij patietur; ſi enim datur ius exequendi,debet etiam dari modus & actio.Vnde quando agitur contra tertium poſſeſſorem, tunc non erit locus actioni perſonali, quia ipſe non eſt hæres, erit tamen locus rei vendicationi pro rebus legatis conſequendis, in tantum quòd hæc actio poterit intentari etiam hæreditate non adita, quia non requiritur ſubiectum actionis perſonalis, ſed dominium ex parte agentis, & poſſeſſio ex parte rei conuentæ,vt per textum *l.in rem ff.de rei vendicat. §.omnium autem*,& Doctores, *Inſtit.de action.* Tertiò

pro

pro conſequendis rebus legatis,& acquirenda eorum poſſeſſione,datur etiam aliud remedium,ſcilicet Saluianum interdictum, & poteſt etiam contra tertium poſſeſſorem intentari, quod ſi verum eſt in legatis prophanis, multo verius erit in piis; & ideo etiam contra tertium poſſeſſorem Epiſcopus erit legitimus exequutor piarum diſpoſitionum, alioquin facilè eluderetur eius officium, interuertendo poſſeſſionem bonorum legatorum, vel teſtatoris in tertiam perſonam. Et hæc omnia indiuiduatim docet,& ex multis aliis probat Ioannes Baptiſta Ciarlinius *in controuerſ. forenſ cap.28. num.25.& ſeq.* cum Gratiano *in diſceptat. forenſ. to.1. cap.62. à num.27.* Vnde neſcio quare aliqui potuerint hoc Epiſcopis interdicere.

Resol. XXV. *An familia laica Epiſcopi titularis, vel aliorum Prælatorum habentium territorium, & iura Epiſcopalia cum poteſtate iuriſdictionis, vt eſt in Sicilia Archimandrita Meſſanenſis, gaudeat priuilegio fori?*

NOn inuenies apud plures hæc dubia pertractata, & ideo quoad primum affirmatiuè reſpondendum eſt; quia Epiſcopi titulares retinent Epiſcopalem dignitatem,vt patet.Sed in Epiſcopalis dignitatis priuilegium familia Epiſcopi gaudet priuilegio fori. ergo.& ita determinauit ſacra Cõgregatio *ſub die 7.Ianuarij* 1628. in his verbis. Sacra Congregatio Cardinalium controuerſiis iuriſdictionalibus præpoſitorum, cẽſuit familiares etiam Epiſcopi titularis gaudere debere priuilegio fori, ita tamen vt conueniri debeant, & ſint puniendi ab Ordinario loci vbi degunt, non ab ipſo Epiſcopo,ſeu Archiepiſcopo titulari. *Octauius Cardinalis Bandinus.* Et hanc declarationem affert,& ſequitur Ioannes Baptiſta Ciarlinius *contr forenſ. cap.20. num.19.* vbi etiam teſtatur Sereniſſimum Ducem Mantuæ *ſub die 6.Aprilis 1619.* remiſiſſe ad Epiſcopum Regienſem familiarem Archiepiſcopi titularis,qui tormentum bellicum contra quendam exploferat. Quoad ſecundum dubium, etiam affirmatiuam ſententiam docet idem Ciarlinius *vbi ſuprà à num.26.vſque ad nu.31.* quia cùm tales Prælati in ſua Diœceſi plenam habeant Epiſcoporum iuriſdictionem,ab illiſq; ſola conſecratione differãt, & Diœceſani appellatione comprehendantur, & ipſi expediant, quæ propria Epiſcoporum ſunt circa iuriſdictionem, non videtur eis denegandum idem priuilegium,quod non fundatur in poteſtate Ordinis, ſed potiùs dignitatis, vnde ipſi Ordinarij vocantur; quæ omnia à fortiori procedunt in noſtro Archimandrita Meſſanenſi. vide dictũ Ciarlinium,quę omnia iuribus comprobat.Et hæc duo dubia præſentis reſolutionis, deſeruient pro Illuſtriſſimo D.Didaco Richiſens Carthaginenſi Archiepiſcopo, & Meſſanenſi Archimandrita, maiorum honorum digniſſimo.Ad ea verò,quæ Cutellius ſcripſit *in patrocinio Regiæ iur.part.2.à num.195.& ſeq* eſſe contra declarationes ſacræ Congregationis,patet *in reſol.1.huius Tractatus.*

Resol. XXVI. *An Græcus qui poſt contractum matrimonium, initiatus eſt minoribus Ordinibus, gaudeat priuilegio fori?*

CAſus hic ardenter his diebus fuit inter viros doctos agitatus, & videtur prima facie negatiuè reſpondendum,ex *c.cùm olim de Cler.coniug.* in illis verbis, *iuxta ritum Græcorum vxorem duxerit, in minoribus Ordinibus conſtitutus.* & paulò infra, *Quoniam Orientales in minoribus Ordinibus contrahunt.* & ideo gloſ *in c.quæſitum de pœn & remiſ.* ſic ait. *Presbyteri Græci, qui vtuntur matrimonio in minoribus Ordinibus contracto,* &c. vnde Ioan.Honorius *in compen iur. Can.lib.3.tit 2.num.6.* ita aſſerit. In Orientali Eccleſia Clerici in minoribus conſtituti,contrahũt matrimonia, & in ſuperioribus Ordinibus vtuntur matrimonio contracto Hęc ille, cui adde Bellettũ *in diſquiſ.p.1.tit.de diſcipl.Cler.§.9.num.4.* & tandem in terminis Venerus *in exam Epiſc. lib.3. c.32. num.3.* ita ait,Quid priùs Clerici Græci ſumunt? Ordines, an vxores? Reſpondeo priùs quatuor Ordines, & pòſt vxores. Sed in caſu de quo loquimur, reus priùs contraxit matrimonium, & poſtea Ordines minores accepit.ergo. Confirmatur hæc ratio authoritate Marcelli Vulpe *in praxi, cap.40. num.10.* aſſerentis, quòd laicus poſt contractum matrimonium cum vnica, & virgine nõ poteſt initiari prima Tonſura,& effici Clericus coniugatus,vt gaudeat priuilegio fori. At hoc accidit in caſu noſtro: ergo, &c.

Verùm ego affirmatiuæ ſententiæ adhærendum eſſe puto,pro qua firmanda dico cum Azorio *part.1.lib.5.c.11.q.7.* & Baldello *in Theol.mor. li 5 diſp. 41.n.2.* quòd poſt ſeparationem Eccleſiæ Orientalis ab Occidentali, & poſt tranſlatum Imperium à Græcis ad Germanos ſub Leone III communiter Clerici Orientales, & Græci non tenentur legibus Pontificiis, quæ de nouo emanant pro Eccleſiaſticis,quia intentio Pontificis non ſe extendit ad illos, vt manifeſtè colligitur. nam cùm in pluribus diſcrepent à Latinis, nullus tamen ex Pontificibus eos reprehendit,& damnat,etiam quando ſunt inter Latinos.Ex quibus Azorius,& Baldellus obſeruant dictos Græcos etiam coniugatos, poſſe promoueri ad Ordines, ergo etiam ad minores, cùm loquantur abſolutè, & ſine vlla diſtinctione. Neç aſſignari poteſt ratio quare ſit licitum Græcis initiari poſt coniugiũ ſacris Ordinibus,& non minoribus,vt perperam voluit Venerus, & infrà magis patebit.Vnde Squillante *de priuileg. Cleric.§.8.nu.11.* & Quarãta *in ſumma Bull.verb.Græcorũ ritus, in principio,* ſic aſſerunt. Sacerdotes Græci vtuntur legitimo matrimonio contracto in laicali habitu vel dũ erant in minoribus; ergo Græci poſſunt Ordines minores ſuſcipere,non ſolùm ante, ſed etiam poſt matrimonium contractum; alioquin non dixiſſet Quaranta & Squillante, quòd poſſunt vti matrimonio in habitu laicali contracto. Quod manifeſtè etiam probatur, quia minorem incompatibilitatem habent Ordines minores cum coniugio, quàm Ordines ſacri,cùm iſtis,vt patet,annexum ſit caſtitatis votum. ergo ſi Græci poſt coniugium poſſunt ſacros Ordines ſuſcipere, vt docet Vaſ-

quez

quez *in 3.part.tom.3.diſp.248.nu.2.* Fauſtus *in Theſ.relig.lib.7.q.9.* & alij communiter ; à fortiori dicendum eſt minoribus etiam initiari poſſe; cui enim conceditur maius, & minus concedi videtur, ex *l. filius,§.fin.ff.de donat.l.Marcellus,ff.de donat. cauſ.mort. l.non debet,ff.de reg.iur.* & ex *cap.ex parte, de decimis*; vnde cui licet quod eſt plus , licet etiam quod eſt minus, ex *cap.licet,de regul.iur.in 6.* Et ideo Doctores,qui abſolutè docuerunt Græcos poſt coniugiũ poſſe aſcendere ad ſacros Ordines,non limitarunt ſuam ſententiam,niſi Ordines minores fuerint ab ipſis aſſumpti ante initum matrimonium; nec vlla ratio apparet quare talis limitatio apponenda foret, eſſet enim limitatio ridicula, & impertinens; nam aſſumptio Ordinum minorum ante coniugium,nullam ei tollit deformitatem, quoad ſuſcipiendos Ordines ſacros, vt patet, & probatur in Clericis coniugatis Latinis, qui nõ obſtante quòd ſumpſerint Ordines minores ante coniugium,non poſſunt tamen ad ſacros aſcendere; quia vſus matrimonij etiam poſt minores Ordines ſuſcepti eſt indecens cum ſacris Ordinibus, & ideo à iure Latinis prohibitus ; qui quidem cùm Græcis licitus ſit,& permiſſus,ſequitur ſacros Ordines ipſos poſſe ſuſcipere, non ſolùm ſi minores Ordines ante matrimonium ſumpſerint,ſed etiam poſtea. quod apertè confirmatur ex praxi,vt teſtantur fides ſubſcriptæ ab eorum Archipreſbyteris, in quibus apparet Græcos initiari minoribus Ordinibus & ante, & poſt ſuſceptum matrimonium. Sed vſus eſt optimus interpres priuilegiorum , vt notat Salas loquens in quodam caſu de Clericis Græcis *diſp. 14.ſect.5.num.64.* & patet ex *cap. cùm dilectus,de conſt. l.minima.ff.de legibus,& l ſi de interpretatione,eodem tit.* ergo, &c. Dicendum eſt igitur reum, de quo loquimur , non eſſe priuilegio fori priuandum. Et ideo Paulus Squillante *de priuil.Cleric.cap.6.num.20.* loquens indiuidualiter in puncto caſus noſtri , de Clerico Græco in minoribus , qui matrimonium contraxit in habitu laicali , docet gaudere priuilegio Canonis , ſed qui gaudet priuilegio Canonis, gaudet priuilegio fori, vt tenet Suarez *contra Regẽ Angliæ,lib.4.c.29.n.7.* Layman *in Theol.mor.lib.4.tr.9. cap.7.num.1.*&, me citato, doctiſſimus Ambroſius Machin. Archiepiſcopus Calaguritanus *in reſolut. pro iuriſd.Ordinum militarium,art.4.nu.37.* ergo, &c. vide etiam Carolum de Graſſis *effect.1. num.82.* & iterum Squillante *cap.7. num.16.* aſſerentes ex Camillo de Curtis , Clericos coniugatos Orientales, quos Græcos appellamus, gaudere priuilegio fori, etiamſi Eccleſiæ non deſeruiant , iuxta diſpoſitionem Concilij Tridentini. Nec te terreat hoc vltimum; nam , vt rectè obſeruat Baldellus *vbi ſuprà*, Græci non tenentur ad leges conditas in Conciliis generalibus pro Eccleſiaſticis poſt factam ſeparationem, vt eſt Concilium Tridentinum.

Reſtat modò reſpondere ad argumenta contraria ſuperiùs adducta, & ad *cap.olim* , reſpondeo Græcos non poſſe vti matrimonio in ſacris Ordinibus contracto , vt patet ex *canone 6.Trullano* , & obſeruat Acugna *in Decretum Gratiani part.1.diſtinct. 31.cap.12.num.4.* Sanchez *de matrim.tom.2.lib.7.diſp. 28.nu.4.* Tannerus *tom.4.diſp.7.quæſt.4.dub.2.n.40.* Ochagauia *de ſacram.Ordinis,tract.vnico,quæſt.10.n.5.* Pontius *de matrim.lib.7. cap.23. num.15.* Hurtado *de ſacram.Ordinis,diſſic.24. & 25.* Peſantius *in addit. ad 3.part.quæſt.40.diſp.3.concl.3.* Layman *l.3.tract.9.c.11. num.9.* Præpoſitus *in 3.part. D.Thomæ, de ſacrament. Ordin.quæſt.vnica, dub.21.nu.209.* & alij communiter. Vnde dum in citato *cap.cùm olim,*& penes gloſſam,Honorium,& Belletti,dicitur Orientales Clericos vti matrimonio in minoribus Ordinibus contracto,hoc,inquam,non dicitur,quia non poſſunt poſt initum matrimonium Ordines minores ſumere,vt ſuprà ſatis probatum eſt ex praxi, & authoritate Doctorum ; ſed quia matrimonio in minoribus Ordinibus inito , vti quidem poſſunt, & ad ſacros Ordines aſcendere , non autem matrimonio, vt dictum eſt,in ſacris Ordinibus contracto; nec obſtat auctoritas Veneri. nam ex ſupradictis ſatis labefactata remanet,& Abbas, quem ipſe pro ſe adducit, nihil de hac re loquitur , vt legenti patebit.

Ad doctrinam verò Marcelli Vulpe,reſpondeo ipſum loqui de Clerico Latino , & ideo eſt diſpar ratio , Latinus enim cùm non poſſit coniugatus Ordines ſacros ſuſcipere , præſumitur minoribus Ordinibus initiari poſt coniugium in fraudem laicalis iuriſdictionis, vt ei nõ ſubiiciatur,& ideo rectè à Summo Pontifice prohibetur non ordinari. quæ quidem præſumptio non militat in Clerico Græco , qui poſt initum matrimonium ſi ſumat Ordines minores, poteſt quandocumque voluerit adhuc ſacros Ordines recipere, & vti matrimonio contracto. Vel meliùs reſpondendum eſt vno verbo,ex doctrina Baldelli,Azorij,& aliorum, prohibitiones Pontificias quo ad Latinos , non extendi ad Græcos ex mente ipſorum Pontificum , non quia Græci non ſint Romanæ Eccleſiæ ſubditi. Vnde ex his apparet non eſſe denegandũ priuilegium fori ſupradicto Clerico , de quo eſt quæſtio.

RESOL. XXVII. *An Clerici teneantur ſoluere vectigal in extractione frumenti,vini,& ſimilium quæ ex bonis patrimonialibus collegerunt , vt alibi conducendo cariùs vendant?*

AFfirmatiuè reſpondet Carolus de Graſſis *de effectibus Clericatus,effect.3. num.178.* vbi ſic ait: Ampliatur iſta fallentia,vt procedat in Clerico,qui vellet fructus recollectos in propriis prædiis , vel Eccleſiaſticis aliunde exportare cauſa lucri faciendi,& vt cariùs ibi illos vendat; quia etiam iſto caſu tenetur ſoluere vectigal, vti negotiator. Sic ille. Poteſt etiam hæc opinio probari ex doctrina Melchioris Phœbi *tom.1.deciſ.19.n.4.* Palatij *in repet.cap. per veſtras,§.39.n.11.extrà de donat.* Azeuedi *li.2.tit.1. l.2.num.37.*& aliorum,quos citat, & ſequitur Ramirez *in legem regiam,§.36.nu.6.in gloſſ. littera I.* aſſerentium Clericos quoad bona patrimonialia reputari vt laicos Et ideo in ſpecie Bobadilla *in Polit. tom.1.lib.2.cap.18.num.260.*& Doctores, quos citat in gloſſa *littera F*, docent Principes ſeculares poſſe ſuper bona Clericorum patrimonialia gabellas imponere, quod etiam docuit Nauar. *in Manual. cap.27.num.118.*

Sed his non obſtantibus opinionem ſupradictam

ctam Caroli de Graſſis omnino refellendam eſſe puto; & ideo in caſu, de quo loquimur, Clericum nō teneri aliquid ſoluere, docuit ex Dominicanorum familia doctus Antonius Souſa *in Bulla Cœnæ, cap.19.diſp.92.conſ.1.num.4.* vbi ſic ait: Negotiatio lucratiua dicenda non eſt in caſu quo Eccleſiaſticus bona ſua mittit ad locum, vbi plus valent. Vnde ex ſaccharo, & aliis, in quibus Rex Epiſcopis, & Clericis vltramarinis ſtipendium ſoluit, tributum exigi non licet, quando illa venditionis cauſa ad hoc regnum aſportantur: quia, propriè loquendo, hoc non eſt negotiari. Ita ille. Et nominatim contra Carolum de Graſſis hanc ſententiam docuit etiam nouiſſimè Martinus Bonacina *tom.3.in Bulla Cœnæ, diſp.1.quæſt.19.punct.3.§.3.num.6.* vbi ſic habet: Ille non dicitur negotiari, qui vinū, oleum, & alia, quæ ex ſuo agro colligit, vendit, ſiue in eodem loco vendat, ſiue aliò tranſferenda curet, vbi cariùs vendere poſſit; nullus enim negotiari cenſetur vēdendo res ex propriis bonis Eccleſiaſticis, vel patrimonialibus collectas. Hęc Bonacina. Et tandem hanc ſententiam docere Laurentium Oſorium *en ſu Prima de roſas, lib.4.cap.2.fol.mihi 380.* patet ex his verbis: [Quando el Clerigo negocia con ſus bienes, no pierde el priuilegio, aunque los lleue al puerto; ò à otra parte à vender por via de negociacion, de los quales no deue alcauala, ni ſe la deuen pedir, ſopena de caer en la cenſura de la Igleſia.] Ita ille.

Et ad magis labefactandam opinionem Caroli de Graſſis ſupponendum eſt, præſertim cum Ceuallos *tract.de cognit.per viam violentiæ, part.2 quæſt.64.num.21.* & Pereira *de manu regia, part.2.c.24.n.34.* Auctoribus non bene affectis erga Clericos, & immunitatem Eccleſiaſticam, non omnem negotiationem lucratiuam eſſe interdictam Clericis, ſed illam tantùm, quando res ipſa non meliorata cariori pretio vendēda eſt, quàm empta fuit. Et ita etiam docet Molina *de iuſtitia.to.2.tract.2. diſp.342.* Leſſius *lib.2.c.21.dub.1.n.4.& ſeq.* Bellettus *in diſquiſ. part.1.de diſciplina Clericali, §.21.nu.7.& ſeq.* Alterius *de cenſ tom.1.diſp.19.lib.5.cap.6.dub.7.* Duardus *in Bullam Cœnæ, lib.2.can.28.q.8.num.14.& ſeq.* Malderus *de iuſtit.tractat.5. cap.2. dub.4.* Syluius *in 2.2.D.Thomæ, quæſt.77.art.4. concluſ.4.ad 6.* Tannerus *tom.3. diſp.4.q.7.dub.2.n.69.* Turrianus *in 2.2.tom.2.diſp.59. dub.2.num.1.& ſeq.* Rebellius *part.2.lib.9. quæſt.vltima.ſect.1.& 2.* Riccius *in praxi, tom.1.reſol.317.* Marta *de iuriſdict.part.4.caſ.3.num.9.& 10.* Fauſtus *in ſpeculo Confeſſ.diſp.33.qu.17.* Barboſa *in Collect.in ius Canon. tom.2.lib.3.tit 50. cap.6. num.3.* Et tandem Caſtrus Palaus *tom.2.tract.12. diſp. vnica.punct.9.num.16.* ſic aſſerit. Reſpondeo illam eſſe negotiationem Clericis prohibitam, & quę debitum tributi habet annexum, in qua lucrum intenditur ex emptione priùs facta; ſecus ſi lucrum non ex emptione formaliter, ſed aliunde proueniat, & ſic negotiator non es, ſi vendas vinum, triticum, oleum ex redditibus tui beneficij, aut ex poſſeſſionibus tuis patrimonialibus collecta, quia illi non ſunt fructus emptionis, ſed tuarum poſſeſſionum. Ita Palaus.

Ex quibus ſatis apparet falſitas opinionis Caroli de Graſſis; nam Clericus fructus recollectos ex ſuis bonis, vt cariùs vendantur, alibi aſportans, nō dicitur, vt ipſe perperā ſupponit, negotiator. Ergo non tenentur ſoluere gabellam, & aliter facientes clarum eſt violare libertatem Eccleſiaſticam, & in cenſuras Bullæ Cœnæ incidere.

Nec valet dicere id quod exigitur in caſu, de quo loquimur, à Clericis non eſſe gabellam, ſed regaliam debitam Regi; portus enim, vt patet, annumerantur inter Regum regalia. Reſpondeo, quòd licet portus ſit Regis regalia, non ſequitur ex hoc quod in illo exigitur, non eſſe gabellam; & ideo gabella à DD. nominatur. Poteram hoc probare ex verbis Sixtini Regneri *de Regalibus lib.2.c.5. numer.10.* Henningi Arniſæi *de iure Maieſtatis lib.3. cap.5. num.3.* Dominici Ammæi *de iure publico vol.3. diſcur.15.num.58.* Sed quia ſunt Auctores damnati, non merentur hunc honorem; ideo opponam hîc tantum verba Montani *de Regalibus, verb.Portus n.2.* vbi ſic ait: Hoc vectigal portus duplex eſt, alterum vocatur anchoragij, alterū verò ius exituræ quod ſoluitur de his, quæ extrahuntur à portu cauſa mercimonij. Sic ille. Vnde *in l.inter publica §.finali, ff.de verb.ſignific.* prouētus ex portu inter fiſci vectigalia numerantur, & dicitur vectigal portus, & alio nomine, Portorium, de quo fit mentio *in lib.3. C.de vectigal.* & de quo etiam fit mentio inter vectigalia, quæ Nero abrogare volebat apud Tacitum *lib.13.* & M.Tullius *in orat.pro Manilio*, ſic aſſerit: Neque ex portu, neque ex decumis, neque ex ſcriptura vectigal conſeruari poteſt. Et Symmachus *lib.5. Epiſtolarum* vocat quadrageſimæ, quinquageſimæque portorium, vel vectigal; & ideo portorium, & vectigal idem ſunt, vt patet ex *l. cùm in plures, §.vehiculum, ff.de locat.* vbi vectigal quod in tranſitu alicuius pontis ſumitur, nominatur portorium. Et tandem doctiſſimus, & amiciſſimus Regens de Napoli *in allegat. contra Meſſan.* prouentum ſoluēdum ex extractione ſerici è portu Meſſanæ vectigal vocauit, vt patet *in titulo dicta allegationis, & intus fol.21.24.28.& 29.* Cùm igitur ex dictis, vt ſatis probatum eſt, portorium, ſiue vt vulgò dicitur, extractio, ſeu ius tractarum ſit gabella, ſequitur neceſſariò Clericos ad illam non teneri. ergo, &c.

Reſtat modò reſpondere ad ea, quæ ſuprà in fauorē opinionis Caroli de Graſſis adducta ſunt. Dico igitur quòd gloſſa *in cap.ſimiliter 16.quæſt.1.* tenet bona patrimonialia Clericorum gaudere eodem priuilegio, quo gaudent bona Eccleſiarum: & licet aliqui hoc admittant in caſibus tantùm à iure expreſſis; certum, & inconcuſſum tamen eſt, quòd ſicut non poſſunt collectari res Eccleſiæ, ita nec bona Clericorum patrimonialia, vt ego ipſe aduersùs politicum Bobadillam docui cum 19. Auctoribus, *in part.1.tract.2.reſolut.39.* quibus nunc addo Gregorium Lopez, Rouitum, & Conſtantiū, quos citat, & ſequitur Antonius de Marinis *quotidian.reſolut.cap.37.nu.9.* Idem docet Marta *de iuriſd. part.4.cent.1.caſ.49.nu.9.* Et penes ipſum Ioan. Antonius de Nigris, Archidiaconus, Baldus, Afflictus, Geminianus, & Buonius. Et tandem hanc ſententiam tenet etiam Imola, Riminaldus iunior, & Ripa, quos citat, & ſequitur Tamburinius *de iure*

Abbatum

Abbatum tom.1.diſput.15.quæſt. 20. *num.3.* Barboſa *de iure Eccleſ.lib.1.cap.*39.§.5. *num.6.* Baldellus *lib.* 5. *diſp.* 34 *num.*2. Ciarcinius *contr.for.cap.*31.*num.*7. Gnilenzomus *conſ.*53. Caſtillo, Sotomaior *de Tertiis tom.*7. *cap.*9 *numer.*18. Caſtrus Palaus *tom.*2. *tract.*12.*diſput. vnica punct.*9.*num.*2.&,me citato,Paulus Squillante *de priuileg.Cler cap.*8. *num.*34. Vnde nouiſſimè hanc ſententiam canonizauit ſacra Rota Romana *in vna Albanenſis gabellæ die* 28.*Iunij* 1630.coram Merlino,vbi ſic habetur: Bona patrimonialia Clericorũ etiam laicalia ſunt immunia ab oneribus laicalibus ob dignitatem perſonarum, quæ dignitas perſonæ influit immunitatem in ipſa bona; illa enim adhærent perſonæ Clerici, nec perſona dici poteſt plenè,& perfectè exempta, niſi etiam illius bona exempta ſint.Ita Abbas,Decius Felinus, & alij Canoniſtæ communiter *in cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ.* Baldus *in l.*2.*C.de Epiſc.& Cler.* & alios refert,& ſequitur Suarez *lib.*4.*cap.*25.*num.*4.*& ſeq.* Huc vſque ſacra Rota,cuius deciſionem penes me impreſſam habeo ex munere dicti Illuſtriſſimi Merlini domini mei amantiſſimi, & admirabilis eruditionis viri. Cùm igitur hęc opinio ſit cõmunis inter Theologos Canoniſtas,& Iuriſtas, neſcio quo pacto aliqui his diebus contrariam auſi ſint adducere, ſine timore cenſurarum Bullæ Cœnæ, vt inter alios obſeruat Riccius *in praxi tom.*4.*reſolut.*93. *num.*2. Et ad auctoritatem Nauarri reſpondeo, vt obſeruat Fauſtus *in ſpecul. Confeſſ.diſput.*33. *quæſt.*13. *num.*2. eſſe ſibi contrarium,nam *in cap.*17.*num.*202.ait,eos qui pedagia à Clericis exigunt,aut exigi iubent,incurrere cenſuras Bullæ Cœnæ, etſi id, quod vehunt, important,vel aſportant,ſit de eorum patrimoniis. Vnde ex his omnibus patet Clericos eſſe exemptos à ſolutione vectigalis, quod ſoluitur pro extractione frumenti vini,&c.intra Regnum Siciliæ, neque aliter ſentiendum eſſe puto.

Sed aduersùs ſupradicta, dicet aliquis obſtare conſuetudinem in hoc Regno,de qua teſtatur Carolus de Graſſis *effect.* 2. *num.* 294. aſſerens, ab illo non poſſe extrahi blada,ac cætera comeſtibilia ſine licentia Proregis,& ſolutione dritti, ſeu extractionis,licet tales res fuiſſent productæ, & recollectæ in prædiis Eccleſiaſticis, & Clericorum; & Clerici contrauenientes tali ſtatuto aſſerit non poſſe puniri per Principes ſeculares, ſed per ſuos ſuperiores; ergo ſi Clerici per extractionem ſuorum bonorum extra Regnum ſoluunt gabellam, ſeu ius tractæ, dicendum eſt etiam eamdem gabellam ſoluendam eſſe in extractione infra Regnum, contra id quod ſuperiùs firmatum eſt;nam in vtroque caſu militat eadem ratio, vt patet, & ideo debet eſſe eadem iuris diſpoſitio,ex *l. illud, ff. ad leg. Aquil.* ex *l.illud, C.de ſacroſ.Eccleſ.l.ſi poſtulauerit.* §.2 *ff. ad leg. Iul.de adult.*& aliis iuribus.

Reſpondeo,quòd conſuetudo etiam immemorabilis, quæ præiudicat aliquo modo libertati Eccleſiaſticæ,non valet,nec admitti debet,etiam ſi ſit conſuetudo mixta laicorum, & Clericorum, quia Clerici etiam volentes non poſſunt ſe ſubmittere iuriſdictioni laicali,vnde non eſt vis faciẽda in tali practica.Et ita in terminis, vt dici ſolet,terminantibus nominatim contra Graſſum, & contra conſuetudinem huius Regni, firmat & docet hanc ſententiam Ioannes Baptiſta Ciarcinius *in controuerſ.forenſ.cap.*31.*num.*15.*&* 16.

TRACTATVS SECVNDVS

DE

POTESTATE ET PRIVILEGIIS

S. R. E. CARDINALIVM.

RESOL. I. *An dignitas Cardinalium ſit prima poſt Pontificatum? vbi plura de eorum præſtantia enumerantur.*

BELLVM aggredior, ſine tamen ſanguine, cum quodam neoterico Hiſpano, viro alioquin docto; & is eſt Mauritius Alzedo *in ſua praxi Epiſc* ſiue *de excellentia Epiſcopatus, part.*1. *cap.*8. *nu.* 33. vbi docet,quòd Epiſcopatus eſt prima dignitas poſt Papatum,& in Eccleſia ſecundum locum obtinet, quia in primo loco eſt Papatus,& in ſecundo Epiſcopatus. Ita ille. Vnde *num.* 36. infert quòd ſi alioqui Epiſcopi commenſales continui fuerint alicuius Cardinalis, non poteſt dici quòd eius familiares ſint, quia eo maiores ſunt, quod eſt ſingulare contra Epiſcopos commenſales Cardinalium, qui dicunt, *el Cardinal mi Seſior.* Ita ille.

Probari poteſt hæc ſententia, quia apud ſacros Canones paſſim legitur nullum in Eccleſia Dei maiorem Epiſcopali ordine reperiri, vt notatur *in cap.quoties* 1.*quæſt* 8.*&* in *c. antiqua, de priuil.*& conſtat ex Dionyſio *lib.* 5. *de Eccleſ. Hierarch.* ob idque Romanus Pontifex ſe Epiſcopum appellet, iuxta gloſſam *ver.Epiſcopus,in Proœmio.* ibi, *Epiſcopoſq; fratres;* cæteros verò filios nominet.*cap.quàm graui,prima diſtinct.* Deinde quod in Concilio Carthagin. IV. & in Conciliis Romani Epiſcopi præcedebant Cardinales in Sede Concilij, & actibus plurimis: conſtat autem ex ordine ſedendi maioritatem dignitatis oſtendi,iuxta textum *in cap.vlt.diſt* 93. Vide etiam *cap.ante omnia.& ibi* gloſſam,40.*diſt.* Confirmatur hæc opinio ab Alzedo ex *epiſt.*19.*D.Aug.* vbi

ſic ait : Quamquam enim ſecundùm honorum vocabula, quæ iam Eccleſiæ vſus obtinuit, Epiſcopatus preſbyterio maior ſit, tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt. Ex quibus verbis apparet, quod licet Auguſtinus Hieronymum venerabatur, id non erat, quia maior eſſet in dignitate, ſed in ſanctitate.

Verùm his non obſtantibus, dicendum eſt, quòd Cardinalitia dignitate nulla maior eſt in Eccleſia Dei poſt Pontificatum maximum. Nam ſi gradus Cardinalatus ſpectes, non datur propinquior ipſi Papæ, cùm ſint Cardinales membra, & pars corporis illius ; dicitur enim Cardinalis ſpecialis filius Eccleſiæ Catholicæ *c. Felicis §. vlt. de pœn. in 6.* & cum ipſo Summo Pontifice vnum corpus myſticum Cardinales conficiunt ; quamuis enim Papa quatenus repræſentat Chriſtum, cuius vices gerit, ſit caput vniuerſalis Eccleſiæ, & ſinguli fideles membra in genere : eſt tamen ſpeciale caput Cardinalium, & ipſi eius membra ſpecialia reſpectu aliorum : quod corpus ſic adeò eſt compactum, vt Papa, qui eſt caput, nullatenus ab his exigat iuramentum obedientiæ & fidelitatis, cùm ſint ſibi inuiſcerati. Ita Hoſtien. *in cap. antiqua, ſub nu. 5. verſ. Sed quæ poteſt eſſe ratio, extrà de priuileg.* quem ſequitur Præpoſitus *in d. can quamquam, ſub n. 13. verſ. 3. patet, 2. q. 7.* iurant enim dumtaxat ſe honorem & auctoritatem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ipſiuſque Papæ conſeruaturos, aucturos, & promoturos, vt latè Paleotus *part. 1. quæſt. 5. verſ. quod eo magis*, adeò quòd inter Papam & Cardinales non ſimplex vnitas, verùm etiam quædam identitas conſiſtat, vt optimè conſiderat Ioan. Andreas *in cap. requiſiſti, n. 12. ad fin. verſ. imò & quaſi. de teſtament.* Iacobatius *de Concil. d. lib. 1. ſub num. 172. verſ. ad quod eſt.* Rodericus Zamoren. Epiſc *in ſpecul. vitæ humanæ part. 2. ca. 8.* vbi quòd propterea quicquid fauet, vel nocet Sedi Apoſtolicæ, continuò fauere, vel nocere intelligatur ſingulis Cardinalibus, & è contra : quod etiam ſenſit Præpoſitus *in præallegat. Can. quamquam, nu. 7.* Dico igitur ex dictis, quòd ſicut Preſbyter Ordinis poteſtate eſt Archidiacono ſuperior, iuriſdictione tamen, adminiſtratione, & honoris dignitate ſolet eſſe inferior, & Preſbyter, qui eſt Epiſcopus electus, & confirmatus, nondum tamen conſecratus, eſt Presbytero iuriſdictione ſuperior, quamuis Ordinis poteſtate par ; ita etiam Cardinalis eſt Epiſcopo adminiſtratione ſuperior, ſed inferior Ordinis poteſtate. Et ita hanc ſententiam docet Vaſquez *in 3. part. tom. 3. diſput. 262. cap. 5.* Bellarmin. *tom. 1. lib. 1. de Clericis cap. 16. §. Quantum ad 3.* Auguſtinus de Ancona *in ſumma de Eccleſiæ poteſtate quæſt. 102. art. 2.* Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 7. c. 1. dub. 10. num. 8.* Moneta *de iud. conſer. cap. 5. nu. 37.* Hermoſilla *in addit. ad Lopez gloſſ. 2 prol. P. V. num. 49* Rouſſel *in Hiſtor. Pont. iuriſd. lib. 2. cap. 10. num. 17.* Ludouicus à Cruce *in Bulla Cruc. diſput. 1 cap. 2. dub. 22. n. 15.* Lottherius *de Beneficiis tom. 1. lib. 1. quæſt. 8. nu. 57.* Palacius *in 4. ſent. diſt. 24. diſput. 2.* Azorius *tom. 2. lib. 4. cap. 1. quæſ. 9.* Sebaſtianus Cæſar *de Eccleſ. Hierarch. diſp. 2. §. 3. per totum.* Fernandez *in exam. Theol. moral. part. 3. cap. 11. num. 6 §. 4.* Laudenſis *tract. de Cardinal. quæſt. 61.* Cephalus *lib. 1. conſ. 1. num. 50.* Manfredus *de Cardinal. cap. 6.* Tuſchus *tom. 1. concl. 100. num. 3.* Platus *de Cardinalib. cap. 3.* Lancellottus *in Templo lib. 2. cap. 2. de Cardinalib. §. 3.* & alij communiter. Vnde apparet eſſe reiiciendum Decianum *de probat. lib. 2. cap. 26. num. 141.* vbi docet Cardinales præferri aliis Patriarchis, exceptis Conſtantinopolitano, Alexãdrino, Antiocheno, & Ieroſolymitano, hoc enim eſt falſum. nam etiam his præferuntur, vt ipſimet hæretici concedunt, & ita docet VVolfius apud Dominicum Arumæum *in diſcurſ. Academ. de iure publ. vol. 2. diſc. 30. theſi 5. litt. C.*

Reſtat modò reſpondere ad argumenta contraria. Dico igitur Canones in contrarium adductos intelligendos eſſe quoad poteſtatem Ordinis, & in hoc Epiſcopus eſt maior Cardinali, non autem quoad dignitatem & iuriſdictionem & regimen Eccleſiæ vniuerſalis, quam Cardinales cum Summo Pontifice regũt, illiuſque negotia tractãt ; vnde quia ille, qui maioribus præeſt negotiis, de iure dignior reputatur, iuxta textum *in cap. per ſingulas 2. in ordine 9 quæſt. 3. Authent. de defenſ. ciuitatum, §. Nos igitur*, ideo abſolutè Doctores dicunt Cardinalatus dignitatem Epiſcopali maiorem eſſe. Ad authoritatem quam affert Alzedus Diui Auguſtini, dico quòd illam pro hac ſententia adduxerat Caluinus *lib. 4. Inſtitut. cap. 7. §. 30.* Sed non facit ad rem. Nam reſpondetur Epiſcopatum quidem presbyterio maiorem eſſe, & ita Presbyterum Cardinalem ratione presbyterij non eſſe præferendum Epiſcopo, ſed ideo tantùm, quia Cardinalis Romanus eſt, & Cardinalis Romanus non Cardinali, ratione dicta, dignior eſt : quare & inter ipſos Romanos Cardinales Epiſcopus Cardinalis præcedit Presbyterum, & Presbyter Cardinalis Diaconum. Deinde ait Vaſquez *cap. 6. n. 37.* Hieronymum non fuiſſe Presbyterum Cardinalem Romanum. Sed prima ratio amplectenda eſt.

Ad ſecundum argumentum reſpondeo, verum quidem eſſe olim Epiſcopos præceſſiſſe Cardinales in Conciliis, tamen ordinem hunc fuiſſe mutatum, Cardinaleſque cœpiſſe præcedere Epiſcopos etiam in ſede Concilij, & Epiſcopatum gradũ eſſe ad Cardinalatum, conſtat ex Concilio Nicæno, Epheſino, Chalcedonenſi VI. VII. & VIII. Synodo Generali, vbi Presbyteri Cardinales ſederũt ante Epiſcopos, idque etiam obtinuit vſus in Conciliis, cuius rei duplex ratio & origo aſſignatur à Bellarmino *dicto loco*. Vna quòd ad ſolos Cardinales deuoluta ſit electio Summi Pontificis, cùm antea ad omnes pertineret ; altera verò & magis propria quòd cùm antea Cardinales neque ſoli, neque primarij eſſent Conſiliarij Pontificis, primis enim ſexcentis, vel octingentis annis Pontifices ad iudicanda grauiora negotia cogebant Concilia Nationalia Epiſcoporum Italiæ, in quibus aderant non ſolùm Cardinales, ſed etiam Epiſcopi, non dabatur ratio cur eo tempore Cardinales Epiſcopis anteponerentur, cùm tunc Epiſcopi æquè, vel magis adiuuarent Pontificem in regenda Eccleſia, quàm Cardinales. Verùm quia ſupradicta quoad amplitudinẽ Cardinalitię dignitatis mirificè cõfirmãtur ex epiſtola Eugenij Papę IV. viſum eſt mihi hîc illam per extenſum apponere ; ſic enim aſſerit.

Eugenius

Eugenius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Venerabili viro magno Henrico Archiepiſcopo Cãtuarienſi, &c. Non mediocri dolore afficimur, cùm inter fratres noſtros Epiſcopos, ſeu alios Eccleſiaſticos diſſidij aliquid exortum eſſe percipimus, tum propter malum, quod inde in populis exemplum prouenit, tum quia contemptus & detractionis præbetur occaſio. Proinde non parum audiſſe diſplicuit diſſenſionem illam, quam cum dilecto filio noſtro Ioanne Sanctæ Balbinæ Presbytero Cardinali nuper tua fraternitas habuit, cùm noua & inſolita res ipſa ſit, quæ nunc attentatur. In primis autem admiramur ſatis cùm per 14. annos & amplius cum dilecto filio noſtro Henrico titulo Sancti Euſebij Presbytero Cardinali in ſedendo, & in ferendis votis ſine altercatione vixeris, & nullam ſuper hoc ſecum prorſus habueris diſceptationem, quid cauſæ ſit, quòd nunc primũ in contentionem venias cum ipſo Ioanne Cardinali eadem prædito dignitate. Nec quidem generis Regij erga ipſum Henricum ratio prætendi poteſt; quoniam & antequam Cardinalatus ipſam foret dignitatem adeptus dumtaxat exiſtens Vintonienſis Epiſcopus, & voce & loco tibi cedebat, poſtea autem quàm in Cardinalem per felicis recordationis Martinum prædeceſſorem noſtrum aſſumptus eſt, iure tibi & aliis antepoſitus fuit, & nunc anteponitur. Quòd ſi ſola Cardinalatus dignitas hanc in alio prælationem operata eſt, cur in iſto itidem non efficiet? cùm tamen ipſe Archiepiſcopus, ille Epiſcopalem obtineat dignitatem, & illius Eccleſia tuæ ſit ſuffraganea, iſtius verò nullo iure ſubiecta. Illud autem de te nobis placuit ac laudamus, quòd in tuæ proteſtationis fine ſub his verbis addidiſti, quòd ſcilicet per præmiſſa aut aliquid per te factum, aut dictum, & habitum, ſeu faciendum, dicendum, vel habendum, non intendis ſacroſanctam Romanam Eccleſiam Matrem tuã, ſeu iuramentum tuum eidem præſtitum, aut venerabilem cœtum eiuſdem Eccleſiæ Cardinalium, aliquemve eorum in aliquo offendere, aut eiſdem, aut alicui honori, priuilegio, prærogatiuæ, ſeu dignitati, præeminentiæ, aut alicui alteri iuri eorum in aliquo derogare, ſeu iuramento tuo in aliquo contraire, ſed quòd eandem ſacroſanctam Romanam Eccleſiam cum honoribus ſuis omnibus, priuilegiis, prærogatiuis, dignitatibus, præeminentiis, gratis, & aliis iuribus ſuis quibuſcumque cum omni reuerentia manutenebis, ac defendes, & ab aliis manuteneri ac defendi procurabis. Per hoc planè innuere videris, ſi hoc ſit Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ius, vt reliquos antecedant Eccleſiæ gradus, quòd nolis in lite mota perſiſtere, imò Apoſtolicæ Sedis ſtare iudicio, cuius inter alia priuilegia, quæ manutenere, & defendere proteſtaris, hoc etiam eſt vt de quibuſcumque ambiguis quæſtionibus, quæ in Dei Eccleſia accidunt, valeat iudicare, & ſua authoritate finem imponere, quamquam longè fuiſſet decentius ante motam controuerſiam Sedem Apoſtolicam conſulere. Quantum autem hæc Cardinalatus dignitas ſit ſublimis, & aliis excellentior, & ita hactenus in Eccleſia reputata, ſi eius officium ac ſanctorum Patrum ſtatuta & conſuetudinem tam apud hanc Sedem, quàm Generalia Concilia ſemper obſeruatam ſciueris diligenter ſcrutari, facilè tibi innoteſcet. Quippe etſi huius dignitatis nomen, quod modò in vſu eſt, ab initio primitiuæ Eccleſiæ non ita expreſſum fuit, officium tamen ipſum à Beato Petro eiuſque ſucceſſoribus inſtitutum euidenter inuenies. Imò, vt inquit Innocẽtius III. ex veteri Teſtamento iuſſu Dei traxit originem, aſſerit enim id, quod *Deuter.* 17. dicitur, vt pro difficultate & ambiguitate iudicij accedatur ad Sacerdotes Leuitici generis, & iudicem, qui fuerit illo tempore, & obediatur ipſorum iudicio, qui præſunt loco, quem Dominus elegerit, de Summo Pontifice intelligendum eſſe, & Fratribus eius, id eſt, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui ei iure Leuitico in executione ſacerdotalis officij coadiutores exiſtunt. Itaque & ab exordio Eccleſiæ, ſicut & hodie Summis Pontificibus in regenda, gubernandaque vniuerſali Eccleſia aſſiſtebat, & vt ex Concilio Stephani Papæ colligitur, dicentis: Oportebat vt hæc ſacroſancta Domina noſtra Romana Eccleſia, iuxta quod à Beato Petro eiuſque ſucceſſoribus inſtitutum eſt, ritè ordinaretur, & in Apoſtolatus culmine vnus de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconis conſecraretur, &c. datur manifeſtè intelligi hos Fratres noſtros, qui inter Cardinales locantur, tempore B. Petri extitiſſe. In confinio autem Nicæni Concilij Beatus Syluester (qui cœpit Eccleſiam regere anno Incarnationis Dominicæ CCXXX. vel circiter) in Synodo generali congregatis præſidens, hos coadiutores ſuos nuncupauit Cardinales, & magno admodum priuilegio inſigniuit, quale nullus Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Canonibus habere reperitur, vt videlicet ſine plurima teſtium multitudine damnari non debeant. Nec ſine myſterio triplex ordo in Fratrum noſtrorum Collegio à ſanctis noſtris prædeceſſoribus inſtitutus eſt. Nam cùm Summus Pontifex vices Dei gerat in terris, decuit quemadmodum Moyſi præceptum fuit, vt omnia ad exemplũ faceret, ſicut ei oſtenſum erat in monte, quòd ad inſtar illius cæleſtis Hierarchiæ in hac noſtra Eccleſia tres conſtituerentur ordines aſſiſtentium Papæ, qui purgantium, illuminantium, & proficientium fungerentur officio, veluti ſunt Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi Cardinales; decuit etiam cùm Summus Pontifex Chriſti repræſentet perſonam, vt quemadmodum Chriſto conuerſanti in terris aſſiſtebant Apoſtoli, ita etiam Cardinalium cœtus Apoſtolicum repræſentans coram Papa aſſiſteret, reliqui verò Epiſcopi vbique diffuſi Apoſtolos repræſentant ad prædicandum per Orbem miſſos. Ipſos præterea Cardinales pro honoris ac dignitatis eminentia partem ſui corporis Summi Pontifices appellant. Ex quo ſine vlla dubitatione oſtenditur poſt caput Eccleſiæ, quod eſt Papa, contigua ſui corporis membra, qui ſunt Fratres eius Cardinales, præ cæteris Eccleſiæ membris ac partibus honorari debere, adeò quidem vt ſacris Canonibus ſancitum ſit eos, qui in Cardinalem iniecerint manus violentas, aut fugarint, aut inſecuti fuerint, ſeu ad hoc dederint conſilium, vel

vel fauorem, criminis læſæ Maieſtatis reos maximis, & multiplicibus pœnis eſſe plectendos, ſi ipſi Apoſtolici throni violauerint Maieſtatem, quod in ipſos, qui Patriarchas, Archiepiſcopos, vel Epiſcopos offenderint, ſtatutum minimè reperitur, vt euidenter hinc liqueat tanto ampliorem cenſeri dignitatem, quanto plures, ſeuerioreſque illam offendentibus infliguntur pœnæ. Sunt etiam & in ſignum præeminentiæ ipſis Fratribus noſtris præ aliis Eccleſiæ Prælatis, & ſimiliter cùm Legati de noſtro Latere deſtinantur, præ aliis Legatis multa ac magna per Canones attributa priuilegia, quæ tibi nota eſſe non dubitamus. Hinc etiam conſtat cur à Latere Apoſtolico mitti eis ſolis, & non aliis appropriatur Legatis. Sed & ille notiſſimus Conſtantinus Imperator animaduertens ad quam magnum ac publicum vniuerſalis Eccleſiæ officium ipſi Fratres noſtri vocati eſſent, ſic inquit: Volumus etiam deinde ſui ordinis Reuerendiſſimos Clericos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſeruientes ſingulos habere illud ſanctum culmen potentiæ & excellentiæ, cuius ſanctiſſimus noſter Senatus videtur gloria adornari in Patritios Conſules fieri, quos certè Patritios Conſules ſecundùm leges, vt in ſumma dignitate conſtitutos Imperator Patres ſibi elegit, & loco Patrum à ſe honorari affirmat. Quòd verò hæc dignitas tanto honore præfulgeat, nec tuæ fraternitati, nec cuipiam alteri moleſtum eſſe debet, quoniam, vt ſancti atteſtantur Patres, omnes Patriarchales, Archiepiſcopales, Epiſcopales, Cathedrales, aliaſque dignitates Romana fundauit Eccleſia, ſicutque licuit vni Eccleſiæ amplam, alij ampliorem, & alij ampliſſimã, prout expedire iudicauit, tradidit poteſtatem, omnes enim tanquam vnius arboris rami ab vna eademque radice, & vt diuerſi aquarum riuuli ab eodem fonte prodierunt, licet vnus alio copioſior, atque vberior. Itaque ſi iuſtis ex cauſis, & Spiritus ſancti inſtinctu (quo hanc Sedem regi credendum eſt) Romana Eccleſia Venerabilium Cardinalium cœtum ad cæleſtis Hierarchiæ ſimilitudinem cõditum, & tanquam ſui corporis partem his priuilegiis, & honoribus illuſtrare decreuit, nec tua Eccleſia, cui per Apoſtolicam Sedem præfectus es, nec quiſquam alius Eccleſiæ gradus ab eodem ſimiliter Apoſtolico throno originaliter inſtitutus (quæ omnia de ipſorum Fratrum noſtrorum conſilio acta ſunt) vllam ſuccenſendi, aut conquerendi cauſam habet, ne illud adducamus Euangelicum verbum: Amice non facio tibi iniuriam, numquid mihi non licet de meo facere, quod volo, & ſicut tu vis vt priuilegiis Eccleſiæ tuæ ab hac Sede conceſſis aliæ deferant Eccleſiæ inferiores; ita eadem ratione par eſt, vt ab eadem Sede huic cœtui inſtituto tu ſimiliter deferas, & reuerentiam præſtes. Multum etiam mouere te debet diuturna per Chriſtianum populum vbique ſeruata conſuetudo, quæ etiamſi cætera deeſſent, ex quo tam vetuſta eſt, vt eius initij memoria non extet in contrarium pro conſtituto iure habenda foret, præſertim quando ſciente & approbante Summo Pontifice, non quidem vno, ſed tot, quot vnquam habuit Eccleſia, id actum eſſe dignoſcitur, in omnibus enim nationibus ac Regnis, & in Anglia, vt memorauimus, hactenus huiuſmodi præeminentiæ Cardinalibus delatus eſt honor, qui quidem non tam ipſis, quàm nobis (cùm noſtra ſint membra) attribui cenſendus eſt. Nec minus his Eccleſiæ Romanæ conſuetudo, (quæ caput, magiſter, & magiſtra eſt reliquarum Eccleſiarum) id ipſum tibi perſuadeat, qua ſemper nullo vnquam contradicente in cunctis actibus quibuſcumque Prælatis præhonorati ſunt. Idem in antiquis generalibus Conciliis, præſertim in duobus Lugdunenſibus, in vno præſidente Innocentio IV. in altero Gregorio X. (quorum adhuc extant acta) viſitatum fuit (de quibus etiam apud Regnum Angliæ non pauci adhuc ſuperſunt teſtes) obſeruatum eſſe palàm eſt, abſentibus etiam Summis Pontificibus. Idem & nunc nobis præſidentibus in hoc ſacro OEcumenico ſeruatur Florentino Concilio. His quoque illud accedat, quòd in ſententiis & decretis tam huius ſanctæ Sedis, quàm generalium Conciliorum, cùm de dignitatibus nominatim fit mentio, illa clauſula adiici ſolet, Non obſtante ſi Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, ſeu alia quacumque præfulgeat dignitate, per quod ex ordine nominandi, quæ ſit maior, luculenter apparet. Nec cauſetur quiſpiam, quòd Ordo Epiſcopalis presbyterio maior ſit, quoniam in eiuſmodi prælationibus officium ac dignitas, ſiue iuriſdictio præponderat Ordini. quemadmodum iure cautum eſt, vt Archidiaconus, non Presbyter ſuæ iuriſdictionis obtentu Archipresbytero præferatur, ſimili modo Diaconus, vel Subdiaconus, aliúſve Clericus noſter, aut alicuius Metropolitani Vicarius, ſeu locum tenens in Synodo, & alibi alios quocumque ordine maiores etiam Epiſcopos antecedit, propter illius iuriſdictionem, quam exercet, & perſonam, quam repræſentat. Sic & electus ad Eccleſiam Cathedralem, & confirmatus, quamquam nondum conſecratus, ratione iuriſdictionis cunctis in ſua diœceſi præeminet. Quis ergo iam dubitarit eum, qui talia iura, & Canones condidit, & talem aliis tribuit poteſtatem, poſſe eamdem cùm vult & maiorem ſuis membris tribuere? Si quis fortè obiecerit prioris dignitatis potiùs eſſe rationem habendam, quàm Cardinalatus de nouo collati, cùm in regiis tractatibus ac Parlamentis, quilibet vt ſuæ Eccleſiæ Prælatus, non vt Cardinalis interſit. Huic obiectioni euidens reſpondet ratio, nam cùm perſonæ ſint Eccleſiaſticæ, ſicut ſtatuta, ac priuilegia ſuarum Eccleſiarum in his actibus ſeruant, multo magis Romanæ Eccleſiæ, cui vinculo obedientiæ aſtricti ſunt, priuilegia, & ſtatùta ſeruare tenentur, quibus nec ipſæ perſonæ Eccleſiaſticæ, nec alij quicumque tamquam inferiores derogare quomodolibet poſſunt. Cùm igitur viri Eccleſiaſtici ad actus publicos, vel priuatos vocantur, cum ſuis qualitatibus, ac prærogatiuis ab Eccleſia inſtitutis admitti debent. Nam & contra honeſtatem publicam, & vniuerſalis Eccleſiæ politiam, & in opprobrium Eccleſiaſticæ diſciplinæ vergeret, ſi in quouis actu Diaconus Preſbyterum, vel Presbyter Epiſcopum, aut Epiſcopus Patriarcham præcederet. Præterea in Canonibus ſcriptum

eſt,

est, vnumquemque in Collegio, vel Capitulo iuxta suæ receptionis tempus honorandũ esse, & quòd si postea aliquis admittatur Presbyter, cęteris tempore anterioribus præponatur, qui Presbyteri non sunt. quod si in Ordine maiori fit, hoc etiam multo ampliùs in dignitate, seu iurisdictione, quæ in his actibus maior est Ordine, seruandum est, vt suprà de Archidiacono, & Archipresbytero dictũ est. Quod si in pòst receptis locum habet, eadem ratione in iis, qui priùs, si qua de nouo eis obueniat dignitas: hoc enim rationi consentaneum est, vt dignius minùs dignum ad se trahat, & res à potentiori & nobiliori denominetur. Quod in ipsis Cardinalibus euidenter seruatur, qui licet certarum Ecclesiarum, dum ad Cardinalatum assumuntur, Episcopi sint, nihilominus eos non Episcopos, sed Presbyteros S. Rom. Ecclesiæ Cardinales Sedes Apostolica appellat. Quinimmo si eis suas priores Ecclesias in titulo dimittat, non ampliùs sub nomine Ecclesiarum, sed tituli Cardinalatus scribit, quasi ad maiorem dignitatem, & iurisdictionem assumpserit, alioquin non ascendisse, sed descendisse; non honorari, sed dehonorari viderentur. Quis etiam non videat Cardinalatus dignitatem Archiepiscopali esse maiorem dignitate? quia cùm illa priuatæ vnius patriæ præsit vtilitati, ista publicę totius populi Christiani: illa vnam dumtaxat regit Ecclesiam; ista cum Sede Apostolica vniuersas; & cùm à nemine, nisi solo Papa iudicentur Cardinales ipsi & Patriarchas, Archiepiscopos, & reliquos Ecclesiæ gradus cum Summo Pontifice iudicant; quorum officio nomen ipsum consonat optimè. Nam sicut super cardinẽ voluitur ostium domus, ita super hos Sedes Apostolica (totius Ecclesiæ ostium) quiescit & sustentatur. Nullum denique æro tua intentione proponis Ecclesiæ Romanæ priuilegium, quis enim alius huic iuri positiuo, & vniuersalis Ecclesiæ obseruantiæ atque Apostolicæ cõcessioni (præsertim quæ Apostolici throni membrorumque eius præeminentiam concernit) contrarium priuilegium dandi vllam omnino habet facultatem? Neque etiam consuetudine vlla tuam causam tueris, quamquam si qua prætenderetur præter Apostolicæ Sedis consensum, & approbationem inefficax prorsus censenda esset (vt proximè de priuilegio dictum est) atque irrationabilis, quia per eam dignitas confunderetur superiorum Magistratuum, turbationemque pareret in quolibet Reipublicæ statu. Nam iuxta Canones vniuersos nõ posset alia ratione subsistere, nisi eam huiusmodi magnus differentiæ ordo seruaret Ecclesiasticus, quia confunderetur ordo, si cuique sua dignitas non seruaretur. Quamuis, vt prædictum est, ex frequentibus actibus 40. annorum spatio vsitatis contraria potiùs in Regno Angliæ consuetudo firmata sit. Hortamur itaque te Venerabilis Frater, & volumus vt prædictis rationibus nostris, ac Prædecessorum nostrorum ordinationi, atque Ecclesiæ vniuersalis obseruantiæ penitus acquiescas, sicut pro tua prudẽtia & deuotione, quam ad Romanam Ecclesiam, & Nos, semper habuisti, te facturum speramus. In reliquis verò siue tuam Ecclesiam, siue personam concernentibus, quæ nec rationi, aut honestati derogent pro magna, qua te omni tempore complexi sumus, ac complectimur charitate, nos semper propitios experieris. Datum Florentiæ, &c.

RESOL. II. *An Cardinalatus sit Ordo, & Papa possit illum extinguere?*

NEgatiuam sententiam docet Fernandez *in exam. Theolog. moral. part. 3. cap. 11. §. 4. numer. 6.* Ledesma *in 2. part. 4. quæst. 22. art. 6.* Sotus *in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 4.* Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 10. num. 2.* Palacius *in 4. dist. 24. quæst. 2.* & alij asserentes Cardinalatum non esse Ordinem, nec Sacramentum, quia nullo modo ordinatur ad Eucharistiam, nec confert gratiam, & ideò Cardinalatus, vt inter alios docet Baldellus *tom. 1. lib. 5. disp. 7. num. 11.* Suarez *de legibus lib. 4. cap. 6. num. 5.* Azorius *tom. 2. lib. 4. cap. 1. quæs. 3.* Bonacina *tract. de elect. Summi Pontificis, disput. 1. quæst. 1 punct. 1. §. 3.* non est iure diuino, sed iure Pontificio institutus, quia non habetur locus in sacris litteris, vbi sit institutus, nec habetur traditio de hoc. Vnde inferunt Palacius, & Sanchez, posse Pontificem extinguere Cardinales, sicut etiam potest extinguere Patriarchas, & Archiepiscopos, quia potest in iure humano dispensare, & ita etiam docet Moneta *de commutat. vlt. volunt. cap. 12. num. 78* Barbatius *cons. 1. numer. 14.* & Azorius *tom. 2. lib. 4. cap. 1. quæs. 3.*

Non desinam tamen hîc adnotare Matthiam Vgonium *de Conciliis, fol. 59. col. 3. §. 4.* Borellum *in summa omnium decisionum tit. 5. num. 8.* Manfredum *tract. de Cardinal. quæst. 105.* Lancellottum *in templo iud. lib. 2. cap. 2. §. 1.* Villadiego *de Cardinal. quæst. 1.* Iacobatium *de Concil. lib. 1. art. 12.* Ojeda *de beneficiis in præfat. num. 5.* Turrecrematam *lib. 1. de Ecclesia cap. 80. n. 1.* Augustinum Triumphum *tract. de potest. Ecclesiæ quæst. 102.* D. Antoninum *part. 3. tit. 21. c. 1. & 2.* Laudensem *tract. de Cardinal. quæst. 1. num. 7.* & Albanum fusè *tract de Cardinal. quæst. 5.* docere Cardinalatum esse de iure diuino. Et hanc opinionem colligunt ex *cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi. §. rationibus.* vbi Pontifex ait suos Fratres, quos sic vocat ipsos Cardinales, in Leuitici generis sacerdotibus fuisse adumbratos: & deducitur etiam ex *cap. fundamenta, de elect. in 6. § decet.* Deinde, quia Cardinales videntur 72. Christi Domini discipulis successisse, qui fuere duodecim Apostolorum adiutores, sicut Cardinales sunt Romano Pontifici à consiliis. Accedit quod dicitur 1. Regum 2. *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.* Eugen. IV. *in epist. ad Episc. Cantuar. vbi suprà cit.* ait Apostolos Christo Domino assidentes figuram retulisse Cardinalium, qui Romano Pontifici adstant. Apostolos verò in totum terrarum orbem missos ad Euangelium annuntiandum, typum & similitudinem tenuisse Episcoporum, qui sunt per Prouincias distributi. Et ita ex his non posse Summum Pontificem extinguere cœtum Cardinalium, docuit ex neotericis Cucchus *in instit. Canon. lib. 2. tit. 4. numer. 52.* Lancellottus *in templo iud. lib. 2. cap. 2. de Cardinal. §. 3. nu. 27.* Manfredus *de Cardin. decis. 112.* Iodochus Lorichius *in thesaur. Theol. ver. Cardinalis §. 10.* vbi sic ait. Cardinalatus ordinem Summus Pontifex non potest

extinguere, quoniam iuris diuini est, præfiguratus in sacerdotibus Leuitici generis, ad quos simul & iudicem difficilia, atque ambigua iudicia referebantur. *Deuter.* 17. & summa Ecclesiæ necessitas ita expostulat, vt in præcedentibus declaratum est: & si quoque nomen & splendor dignitatis ab eis auferri possint, tamen officij ipsorum potestas ab Ecclesia nullatenus excludi debet, ac potest. Vt enim Deus olim Moysi iunxit septuaginta viros, eisque de spiritu ipsius dedit, vt sustentarent cum eo onus populi, ne ipse solus grauaretur; ita Summo Pontifici ad sustentandum onus vniuersalis Ecclesiæ necessarij sunt Cardinales, id est, viri sapientes, seu alio nomine vocentur. Ita Lorichius. Et hæc sunt placita Doctorum circa præsentem quæstionem, licet prima sententia sit communiter recepta, & tenenda.

RESOL. III. *An Cardinales qui Episcopi non sunt, habeant ius præsentiæ & iudicij in Conciliis generalibus?*

VIdetur negatiuè respondendum, quia Cardinales tantùm sunt præfecti illis Ecclesiis singularibus, quarú titulis insigniuntur; sed hoc non sufficit ad tale ius, vt patet in Parochis & Archidiaconis: ergo. Adde quòd Cardinales si non sunt Episcopi, nullam habent iurisdictionem.

Verùm nouissimè ex communi Doctorum sententia affirmatiuam sententiam docet Didacus ab Alaua *de Conciliis part.* 1. *cap.* 6. *nu.* 2. *fol.* 33. Malderus *in* 2.2. *D. Thom. quæst.* 1. *art.* 10. *dub.* 4. §. 4. Duuallius *de potest. Rom. Pont. part.* 4. *q.* 3. Suarez *de fide disp.* 11. *sect.* 1. *num.* 17. & Perez, ornamentum Benedictinæ familiæ, *in Pentateucho fidei tract.* 3. *de Conciliis dub.* 3. *cap.* 8. *num.* 81. Primò, quoniam Cardinales tamquam Senatores & Consules atque Vrbis Patritij habentur, & euulgantur. Secundò, quia habent iurisdictionem Episcopalem in suis titulis. Tertiò, quia, vt Turrecremata ostendit, non minùs quàm Episcopi Apostolorum loco succedũt, quia sicut Apostoli adstiterunt Christo, adeò vt illis dixerit: Vos estis qui permansistis mecũ in tentationibus meis; ita Cardinales assistunt Summo Ecclesiæ Pontifici in omnibus Ecclesiæ arduis. Quartò, quia assistunt illi tamquam particulares Assessores, Consiliarij, atque cooperatores, iuxta verba Bonifacij VIII. Quintò, quia sunt pars corporis Papæ, & specialia membra illius, & partes Papatus causa. Sextò, quia, vt dicit Hostiensis, & Ioannes Andreas, maior est coniunctio, imò identitatis vnio inter Cardinales & Papam, quàm inter se ipsum, & vniuersos alios etiam Episcopos.

Restat modò respondere ad argumentum contrarium. Dico igitur authoritatem Cardinalium non solùm Ecclesiam Titularem, vel vnam Diœcesim, sed vniuersam Ecclesiam respicere, vt benè probat Lotherius *de Benef. tom.* 1. *lib.* 1. *q.* 8. *num.* 49. & ratio est, quia habent consulere non solùm Romanæ, sed etiam vniuersali Ecclesiæ. Propter quod aptantur Cardinalibus illa verba: Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos Orbem; Cardinales enim eo dicti sunt, quia sicut ostium intra cardines vertitur, ita Ecclesiæ regimen Consiliis Cardinalium, & reputantur vt Dei munere introducti in Ecclesia, vt portent onera eius, tamquam Summi Pontificis robustissima membra. Item aptari solet illud: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij (id est, Cardinales, propter Apostolos) cõstitues eos Principes super omnem terram. de quibus Turrecremata, qui etiam adducit ad idem testimonium D. Bernardi, qui de Cardinalibus loquens ad Eugenium III. inquit. Hi quoque qui tibi assistunt seniores populi, Orbis iudices. Propter quod Cardinales non solùm vocem habent decisiuam vt Episcopi, sed præferuntur Episcopis, vt videri potest apud Concilium Lateranense, ibi enim ante Episcopos subscripserunt Cardinales.

Notandum est tamen hîc contra Garziam *de nobilitate gloss.* 48. §. 2. *num.* 54. Cardinales in Concilio præferendos esse Patriarchis, ex rationibus, quas adducit Eugenius IV. *in epist. superiùs posita.*

RESOL. IV. *An Summus Pontifex possit ardua Ecclesiæ negotia sine consilio Cardinalium definire?*

NEgatiuam sententiam docet Archidiaconus *in c. sicut quidam* 25. *q.* 1. *& in cap. cùm redemptor* 12. *q.* 2. Cardinalis *in cons.* 150. *& in cap. perpendimus, de sent. excom. & in cap. licet, de elect.* Monachus & Dominicus *in cap. super eo, de hæret. in* 6. & hanc opinionem esse potiorem dixit Ripa *rubrica de constitut. n.* 20. & quam plures alij, quos refert Laudensis *de Cardinal. q.* 45. & Albanus *de Cardinal. q.* 39. & Barbatia *vol.* 4. *cons.* 40. asserit Collegium Cardinalium quasi possessionem habere, ne sine eorum consensu ardua negotia expediat Summus Pontifex, cuiusmodi sunt creare Cardinales, Episcopos transferre, generalem legem promulgare, feuda magna concedere, Legatum à latere mittere, bellum indicere, alienare res pretiosas Ecclesiæ, & similia. Probant hanc opinionem ex *c. per venerabilem, vers. rationibus, qui filij sint legitimi.* vbi Romanus Pontifex videtur asserere Cardinales insimul esse coniudices cum Romano Pontifice; quemadmodum in Deut. sacerdotes Leuitici erant cum supremo iudice, atque ita eumdem Pontificem sine illis Ecclesiæ negotia expedire non posse. Deinde, quia videntur Cardinales hodie Apostolorum vice fungi, quos parem potestatem cum Petro habuisse probat text. *in cap. in nouo*, ibi, *pari consortio*, 21. *distinct.* ac subinde etiam illos quoque cum Pontifice circa Ecclesiæ negotia habere potestatem. Tandemque afferunt aliqua de hac re exempla, nempe Benedictum XI. suspendisse statuta, quæ Bonifacius sine Cardinalibus Marchianis confirmauerat.

Sed his non obstantibus contrariæ sententiæ communiter adhærent Doctores, nempe Romanum Summumque Pontificem Ecclesiæ negotia sine Cardinalium consilio expedire posse, neque ad hoc de necessitate astringi, cùm supremam & vniuersalem super omnes solus à Christo Domino acceperit potestatem, *Ioan.* 21. ipseque solus illius plenitudinem habeat, & exerceat, vt probat eleganter text. *in cap. multum* 2. *quæst.* 6. *cap. cùm ex eo, de pœnit. & remiss.* cũ mille aliis vulgaribus, quæ quidem potestatis plenitudo maxima ex parte offenderetur, si non posset ardua sine Cardinalibus tractare & definire. Accedit quòd iura passim proclamant,

clamant, maiora Eccleſiæ negotia ad Sedem Apoſtolicam eſſe referenda, *cap. rogamus, cap. quoties 24. quæſt. 1. cap. dudum. 3. quæſt. 4. cap. maiores. de Baptiſmo.* Hanc autem Sedem Apoſtolicam ſolum tenere Romanum Pontificem, probat text. *in cap. hæc eſt fides 24. q. 1.* Vide Paulum de Caſtro *in lib. 1. num. 5. ff. de legibus.* Panormitanum *in c. 2. n. 3. de Cler. non reſident.* & doctum Iuriſconſultũ Valenzuela *in Mon. Pauli V. part. 6. num. 97. & 98.* cum Morla *in empor. iur. part. 1. tit. 1. q. 3. nu. 13.* qui latè hanc diſcutit quæſtionem.

Verùm licèt hæc opinio ſit tenenda, fatendum tamen neceſſariò erit, conuenientiſſimũ eſſe Pontificem in arduis negotiis Cardinalium conſilium adhibere, atque ita ad hoc de honeſtate adſtringi, ita enim loquitur text. *in c. fundamẽta, §. decet, de elect. lib. 6.* dum inquit, *Decet Romanũ Pontificem per Fratres ſuos S. R. E. Cardinales libera habere conſilia;* conſtat etiã Petrum duas claues accepiſſe, vt per alterã poteſtas, per alterã verò decentia indicaretur, vt habetur *in ſum. 20. diſtinct.* Et ideo Mald. *in part. 2. q. 95. art. 1. fol.* 379. ſic ait. Papa in rigore non dependet à Cardinalibus in legibus ferendis, habet tamen hoc ex Dei aſſiſtentia, vt temerè non proponat leges vniuerſales, fidem, aut mores concernentes, Eccleſiæ vniuerſali, ſed quia media ordinaria maximè adhibenda ſunt, vt ſine iudicio & conſilio nihil fiat, ſecundùm monitionem Sapientis *Eccl. 32. & 33.* congruit vt Cardinales in conſilium adhibeat tanquam conſultores, non tanquam legum collatores. Ita ille. Vide etiam doctiſſimum Valenzuelam *de Monitorio Paul. V. part. 6. num. 97. & ſeq.* Vide etiam Manfredum *de Cardin. diſtinct. 237.* & Paleottum *de ſacro Conſiſt. part. 1. q. 3.*

RESOL. V. *An Cardinales poſſint conferre primam Tonſuram, & minores Ordines in ſuis Titulis?*

NEgatiuam ſententiam docet Anaſtaſius Germonius *in tract. de indul. Cardin. §. tam ratione, num. 20.* vbi firmat Cardinales in ſuis Titulis poſſe exercere ea, quæ ſunt iuriſdictionis, non ea, quæ ſunt Ordinis.

Sed affirmatiuam ſententiam tenet Ioſeph *de Sacram. p. 2. diſp. 8. ſect. 1. aſſert. 3.* Victoria *in ſum. de ſacram. Ord. n. 234.* Lancellottus *in Templo iud. lib. 2. c. 2. §. 3. n. 17.* Maiolus *de irregular. lib. 4. c. 20. n. 8.* Laudenſis *de Cardinal. q. 20.* Valentia *tom. 4. diſp. 9. q. 3. punct. 2.* Hurtadus *de ſacram. Ord. difficult. 18.* Iacobatius *de Cõciliis lib. 1. art. 12.* Zechius *de Republ. Eccl. tit. de Card. n. 9.* Ioan. Baptiſta de Fabris *in man. Ord. de ſacram. in comm. c. 7.* Bartholomæus Ledeſma *de Ordin. dub. 11.* Palacius *in 4. diſtinct. 24. q. 2.* D. Antoninus *3. part. tit. 14. c. 16. §. 6.* Paludanus *in 4. diſt. 24. q. 3. n. 12.* Bonacina *de Sacr. diſp. 8. q. vn. punct. 4. nu. 3.* Piaſecius *in praxi part. 1. c. 1. art. 1. n. 6.* Tabiena *ver. Abbas q. 5.* Sylueſter *ver. Ordo 3. q. 2.* Vaſquez *in 3. part. tom. 3. diſp. 243. c. 4. n. 33.* Binsfeldius *in Enchir. part. 1. diſp. 16. §. 9.* & Sotus *in 4. diſt. 25. q. 1. art. 1. ad ſecundũ argumentũ,* & hoc ex cõſuetudine, quæ licet dare non poſſit ad hoc iuriſdictionem, eſt tamen ſignum eam habere à Papa.

Notandum eſt tamen ex Ledeſma Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub 19. n. 21.* docere per Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 10.* derogari facultatem, quam habebant Cardinales conferendi primam Tonſuram, quia expreſsè reuocat conſuetudinem etiam immemorialem. Verùm ego inuenio Doctores poſt Conc. Trident. aſſerere Cardinales Presbyteros Tonſuram cæteroſque Ordines ſuis familiaribus conferre poſſe. & ita docet præter Doctores citatos Pariſius *de reſignat. benefic. lib. 4. q. 2. n. 88.* Azorius *tom. 2. lib. 4. cap. 3. q. 2.* Sebaſt. Cæſar *in relect. de Eccleſ. Hierarch. part. 1. diſput. 2. §. 5. num. 2.* Campanili *in diuer. iur. Can. rubr. 6. cap. 2. n. 11.* Henriquez *lib. 10. c. 27. n. 3.* Fornarius *de ſacram. Ordin. c. 5.* Granadus *de Sacram. in 3. part. contr. 9. tract. 2. diſput. 2. nu. 1.* Tamburinius *de iure Abbat. tom. 1. diſp. 11. q. 4. num. 4.* Moneta *de iudic. conſeru. c 5. num. 35.* Mæratius *tom. 3. tract. de ſacram. Ord. diſput. 8. ſect. 1. num. 8.* Hieronymus Llamas *in ſumma p. 3. cap. 3. §. 3.* Alzedus *in praxi Epiſcop. part. 2. cap. 5. num. 9.* Tuſchus *lit. C. concl. 100. num. 50.* Lorichius *in Theſaur. ver. Cardinalis §. 7.* Cucchus *in inſtitut. Canon. lib. 2. tit. 4. num. 66.* Pintus *de Ordin. q. 6. art. 1. num. 46.* Barboſa *in Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 9. num. 3 & de poteſtate Epiſc. part. 2. allegat. 5. num. 19.* vbi teſtatur ita ſenſiſſe Rotam *in vna Cremon. 3. Decembris* 1582. vnde non eſt audiendus Sanchez, & Germonius.

RESOL. VI. *An Cardinales poſſint concedere Indulgentias?*

REſpondeo Cardinales poſſe concedere Indulgentias centum dierum. Ita Præpoſitus *in 3. part. q. 14. de Indulg. dub. 4. n. 38.* Gemachæus *in ſumm. Theolog. tom. 2. diſp. de Indulg. cap. 8.* Sotus *in 4. diſt. 21. quæſt. 1. a. 4.* Corduben. *de Indulg. quæſt. 10.* Paludanus *in 4. diſt. 20. q. 4. art. 3.* & alij.

Notandum eſt tamen quòd Nauarrus *notab. 21.* affirmat poteſtatem Indulgentiarum in Cardinalibus potiùs eſſe de conſuetudine, quàm de iure, cùm pro ea nullus extet Canon. hæc tamen opinio aliquibus nõ probatur; nam conſuetudo non ſufficit ad hoc, vt aliquis habeat ius ad conferendas Indulgentias; cùm enim ex ſe ſint odioſæ, & ius commune de diſciplina Eccleſiaſtica vulnerent, & eneruent, præter hanc conſuetudinem debet adhuc intercedere titulus, ſeu auctoritas tacita, vel expreſſa Superioris, quæ quidem cenſetur adeſſe, cùm propter dignitatem ipſorum Cardinalium, quibus Pontifex priuilegia, quæ communiter aliis inferioribus conceſſa ſunt, non vult denegare, tum quia videt Summus Pontifex ipſos Cardinales cõferre Indulgentias, & hoc videndo tacens cenſetur annuere, & in hoc priuilegium Cardinalium conſentire. Ex quo ſequitur quòd ſi ipſe hanc conſuetudinem ignoraret, aut agnitam improbaret, nulla Cardinalibus per hanc conſuetudinem poteſtas conferendi Indulgentias acquireretur; ſed tamen cùm numquam improbauerit, argumento eſt præter conſuetudinem ſufficientem titulum ad ipſas Indulgentias habere. & ita hæc omnia docet Andreas Duuallius *in part. 2. D. Thomæ tract. de Indulgent. quæſt. vn. art. 9. concl. 4.* Sed ego puto ſententiam Nauarri eſſe ſatis probabilem per ea, quæ adducit Villalobos *in ſumma tom. 1. tract. 26. difficult. 5. nu. 10.* vbi probat conſuetudinem poſſe introducere poteſtatem cõferendi Indulgentias; vnde ex vtroque capite, & ex conſuetudine, & ex tacito conſenſu

Summi Pontificis puto Dominos Cardinales posse Indulgentias centum dierum concedere.

RESOL. VII. *An Cardinales in Ecclesiis titularibus possint cognoscere causas Clericorum, præsertim criminales?*

NEgatiuam sententiam docet Mandosius *in regul.7. Cancell.q.2.nu.7.* vbi testatur Cardinales in Ecclesiis suorum Titulorum non tantam iurisdictionem habere vt possint causas ciuiles & criminales cognoscere, ac iudicare, nisi priuilegiis Pontificius id faciant.

Sed alij affirmatiuam sententiam tenent ex his, quæ asserit Lottherius *de benef. tom.1.lib.1. q.8.n.50.* & Grilenzonius *cons.63.per totum.* Layman *in Theol. moral.lib.1.tract.4.cap.7.§.7. n.28.* vbi ex Abbate & aliis firmant Cardinales in suis Titulis habere iurisdictionem Ecclesiasticam, & alia exercere, quæ Episcopalis iurisdictionis sunt. & Probus ad Ioannem Monachum *in c.1 nu. 2. de maior. & obedien.* testatur Papam sibi hoc dixisse. Verùm inuenio hanc quæstionem in terminis tractare Anastasium Germonium *tract.de Indul. Card § tam ratione, nu.34.* vbi tenet Cardinalem non Episcopum de causa criminali posse cognoscere, & si Clericus erit depositione dignus, sententiam ferre, actum tamen degradationis Episcopo committere debere, cùm hoc sit Ordinis. Et ideo Rota coram Aldobrandino dixit, Cardinales quoad iurisdictionalia habere iura Episcopalia, *part.1.decis.233. nu.19.* in Decis. diuersorum Auditorum.

RESOL. VIII. *An Cardinales Episcopi excusentur à residentia si Romæ Summo Pontifici assistant?*

AFfirmatiuam sententiam tenet Villadiego *de origine Cardinal.q.5 n.11.& 12.* Gonzalez *in regul.8 Cancellar. glossa 24.n.128* Parisius *de benef.lib.3. q.1.n.74.* & alij, quos citat & sequitur Hieronymus Gigas *in tr. de residen. Episc. cap 17. num 30.* vbi sic ait. Quartus casus quo Episcopus iustè excusatur non residens, si ad Cardinalatus apicem promoueatur, sunt enim Domini Cardinales astricti curę vniuersalis Ecclesiæ. Innocent. *in cap. bonæ memoriæ, de postulat.* & *ibi* Abb. tenentur namque assistere Pontifici consulendo in rebus agendis tangentibus totam Christianam Rempublicam, vt patet *in cap. per venerabilem, qui filij sint legit. & in cap. fundamenta, de elect. in 6.* Hinc est quòd Cardinales dicuntur pars corporis Papæ, vt *in cap. decreto 2. q. 6.* & dixit Hostiensis *in cap. antiqua, de priuileg.* & *ibid.* Anton. de Butr. quòd licet Episcopi iurent fidelitatem Papæ, vt *in c. ego enim, de iureiuran.* tamen Cardinales tanquam viscera & pars corporis Papæ non præstant huiusmodi iuramentum, debent tamen se præ cæteris astrictos reputare ad seruandam fidelitatem ipsi Summo Pontifici. Hoc tamen procedit in Cardinalibus Presbyteris & Diaconis; sed Cardinales Episcopi iurant vt Episcopi, vt cæteri faciunt Episcopi, non tamen tanquam Cardinales, secundùm Hostiensem & Ioannē Andream, *in d. cap. antiqua.* & habetur per Martinum de Laud. *in suo tract. de Cardinal. in 4.q.* & non præstatur iuramentum Cardinalibus in signum singularis confidentiæ, quam de ipsis habet Papa, nam sicuti cardine ostium regitur, *Prou.25* ita consilio & assensu Dominorum Cardinalium Papa regit, disponit, & ordinat vniuersalem Ecclesiam, vt inquit Cardin. *in cap. quamquam, colum.2.v.2. quod sicut 2. quæst.8* de quibus Bernardus *in lib. de consolat. ad Eugenium Papam*, inquit. Hi quoque, qui tibi continuò assistunt, seniores populi, Orbis iudices, &c. Abbas *in cap.2. 1.col.* inquit, quòd Cardinales sunt pars corporis Papæ, quibuscum Papa totum Orbem iudicat, allegato text. *in d. cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi.* Facit, quia Cardinales non possunt ex Curia discedere sine licentia Papæ, vt dicunt Ioannes Andreas, & Doctor. *in cap. vestræ el 2. de elect.* subdendo quòd Cardinales habent alas ligatas vt ex Curia sine Papæ licentia non discedāt, quod etiam dixit Martinus de Laude *in tract. suo de Cardin. q. 43.* Hinc est quòd percipiunt fructus suorum beneficiorum etiam in absentia, *c. cùm dilectus, de Cler. non resident.* vt latè per Oldr. *consil. 46.* vbi dixit quòd ius commune habet illos pro residentibus, ex quo Romanæ Ecclesiæ seruiunt, quæ omnium Ecclesiarum mater est, & aliarum Ecclesiarum solicitudinem gerit, præallegato *cap. bonæ el 1. de postulat. Prælat.* de quo per Martin. de Laud. *in d. tr. suo quæst. 68.* Huc vsque Gigas *vbi suprà.* cuius sententiam præter Doctores citatos ab ipso tenet etiam noster Siculus Borbatia *tr. de Cardin. q. vlt.* & ex neotericis hanc sententiam mordicus tenet Augustinus Germonius *tr. de Cardin. §. tibi quoad vixeris, n.10.* cuius verba hîc transcribere nō desinam. itaque sic ait: Cardinales apud Papam residentes, hoc est, in Romana Curia, excusantur à residentia suorum beneficiorum, quod an hodie verum sit, non immeritò dubitari possit, ex eo quòd Trident. *sess. 23. cap.1. de reformat.* decreuit omnes Episcopos, Archiepiscopos & Patriarchas in sua Ecclesia, vel diœcesi residere debere, etiamsi S. R. E. Cardinales sint; puto tamē verius si agunt in Romana Curia, & à Summo Pontifice inde discedere non iubentur, perinde esse ac si residerent, quia tacita illa Papæ approbatio videtur dispensatio. Nam idem ipsum Concilium *d. cap. 1.* dicit ex iustis causis eosdem à residentia abesse posse, si legitimę absentię causas Romanus Pontifex, aut Metropolitanus, vel, eo absente, suffraganeus Episcopus antiquior residens in scriptis approbauerit. At si Episcopus iustis de causis cum licentia potest abesse, multò magis Cardinalis, qui cùm Romæ commoratur, licentiam à Pontifice Maximo videtur habere, ac præsens in sua Ecclesia intelligitur, imò singulis Ecclesiis videtur deseruire, vt ait Innocent. III. *in d. cap. bonæ de postulat. Prælat. & in cap. cùm dilectus, de Cleric. non resid.* Oldrad. *cons.48. per totum.* Philipp. Prob. *ad cap. vnic. n.8. de maior. & obed. lib.6.* quinimò Leo IV. *in Synodo Romana 67. Episcoporum*, teste Anastasio Bibliothecario *in eius vita*, vt in veteribus codicibus legitur. Tertius ait *in c.2. eodem tit. de Cler. non residen.* quemdam Anastasium Presbyterum Cardinalem tituli S. Marcelli fuisse depositum, quòd titulum suum per spatium quinque annorum deseruisset, hoc est, fuisset absens, & non resedisset in Curia in suo titulo, nec astitisset Papæ, vt asserunt Ioann. Andreas

in

in addit. ad Specul. tit. de legat. & Oldrad. *d. conſ.* 48.

Sed hæc ſententia, quamuis multorum authorum iudicio firmata ſit, tamen hodie per Trident. & Bullam S.D.N. Vrbani VIII. ſuſtineri non poteſt, & ita hanc opinionem tenet Salonius *in* 2. 2. *tom.* 1. *quæſt.* 63. *art.* 2. *concl.* 2. *ver. ex his.* Sotus *de iuſt. lib.* 10. *q.* 3. *art.* 5. Caietanus *in* 2. 2. *q.* 85. *art.* 5. Valent. *tom.* 3. *diſp.* 10. *q.* 3. *punct.* 5. Gonzalez *in reg* 8. *Cancell. gloſ.* 24. *n.* 158. Azorius *tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 4. *q.* 7. Eman. Sà *ver. reſidentia n.* 1. & fusè probat hanc ſententiam amiciſſimus Sanctarellus *var. reſolut. tom.* 1. *q.* 2. *per totam*, qui *num.* 5. optimè excludit à reſidentia Cardinales illos ſex, qui habent Epiſcopatus Vrbi proximos.

Resol. IX. *An Cardinales mortuo Pontifice poſſint leges condere & alia iuriſdictionalia facere?*

Affirmatiuam ſententiam tenet Henriquez *lib.* 14. *c.* 18. *n.* 2. *in fine* Manfredus *de Cardin. deciſ.* 6. Archidiaconus *in cap. cùm conſtitueretur* 50. *diſt. in fine.* Albanus *de Cardinal. q.* 42. *in fine.* Bartolus *in lib. vbi abſunt. num* 3. *de tut. & curat.* & alij. Ea ratione moti, quia iuriſdictio Pontificis eo mortuo remanet in Collegio Cardinalium, mortuo enim Prælato vniuerſa iuriſdictio reſidet penes Collegium, *cap. his qui, de maior. & obed. & cap. cùm olim, eodem tit.* & Eccleſia, vel Sedes Apoſtolica, nunquam moritur, *can. liberti* 12. *quæſt.* 2. *cap. ſi gratioſa, de reſcript. in* 6. etiamſi vnus tantùm Cardinalis de Collegio remaneret, *can. ſi fortè* 61. *diſt. cap. gratum, de poſtul.* cùm ſemper retineat caput Eccleſiæ generale, & proprium, qui eſt Chriſtus, *cap.* 1. *& 2. diſtinctione* 22.

Verùm contraria ſententia clarè determinatur *in Clem. Ne Romani de elect.* ibi, Irritum aut inane decernentes quicquid poteſtatis, aut iuriſdictionis ad Romanum Pontificem, dum viuit, pertinentis, cœtus ipſe duxerit exercendum. Solumque ibi excipiuntur quæ *in cap. vbi periculum, de elect. in* 6. Cardinalibus conceduntur, ibi autem nihil eis conceditur niſi quæ ad electionem Pontificis, & ad defenſionem Eccleſiæ, & quæ ad obuiandum imminentibus periculis ſpectant. De reliquis verò potiùs ibi dicitur, quòd ſe nequaquam de aliquo negotio intromittant. Et ita hanc ſententiam tenet Panormitanus *in cap. cùm te, num.* 12. *& ſeq. de re iudic.* & *ibi* Felinus *numer.* 11. & Anton. de Butr. & Imola *in cap. tranſlato, de conſtit.* Sebaſt. Medic. *de leg. part.* 1. *q.* 10. Suarez *lib.* 4. *de leg. c.* 6. *num.* 5. Salas *eodem tract. diſp.* 8. *ſect.* 8. & ex neotericis vide Monetam *de commutat vlt. volunt. cap.* 5. *quæſt.* 6. *n.* 188. Baldellum *tom.* 1 *lib.* 5. *diſp* 7. *num.* 10. Sebaſtianum Cæſarem *in Relect. de Eccleſ. Hierarch part.* 1 *diſp.* 2. §. 6. *n.* 1. Merollã *tom.* 2. *diſp.* 4. *cap.* 4 *dub.* 4. *nu.* 18. Azorium *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *q.* 1. Laudenſem *de Cardinal. quæſt.* 74. Campanili *in diuerſ. iur. can. rubr.* 7. *c.* 6. *à num.* 76. Vide etiam præter dictam Clementinam aliam conſtitutionem Pij V. quæ incipit, *In eligendis.* Datum Romæ Idibus Octobris anno 1562.

Nota tamen quòd licet hæc opinio ſit amplectenda, tamen ex dicta Clement, apparet dominos Cardinales mortuo Pontifice poſſe. Primò quòd vbi immineret periculum euidens amiſſionis alicuius loci, vel iuriſdictionis Eccleſię, aut rei ſimilis, Collegium conſentientibus omnibus Cardinalibus præſentibus, aut ſaltem duabus illorum tertiis partibus per ſuffragia poſſit illi occurrere, & facere quaſcumque prouiſiones, & ordinationes neceſſarias. Secundò, quòd pro coërcendis flagitiis, ſceleribus, & ſeditionibus, ac ſeruanda quiete, & obedientia poſſit imponere pœnas, tam corporales & temporales, quàm etiam ſpirituales, veluti anathematis, & ſimiles. Tertiò, quòd ad eundem finem poſſit confirmare, mutare, & de nouo eligere, & creare quoſcumque officiales, etiam Gubernatorem Vrbis, tam vltra Pontem, quàm citra, & alios Miniſtros pro regimine ſtatus Eccleſiæ. Quartò, quòd poſſit etiam deputare adminiſtratores vt faciliùs expediantur ea, quæ imminent pro electione. Quintò vt poſſit etiam iudicare Papam intruſum, dum ipſi vacant electioni legitimæ, quia hoc concernit negotium ipſius electionis, & ab alio iudicari non poteſt. Idem dicendum eſt de aliis caſibus ſimilibus, quia mens Pontificis in dictis conſtitutionibus fuit non denegare neceſſaria, ſignanter ea, quæ poſſunt retardare negotium electionis. & hæc omnia obſeruat etiam Iulius Lauorius *in variis elucubrat. tit.* 3. *cap.* 3. *num.* 27. *& ſequen.*

Notandum eſt etiam hîc obiter quòd Sede Apoſtolica vacante, tunc ſacro Collegio Cardinalium non videtur prohibitum dare Reuerendas, quia Tridentinum *ſeſſ.* 7. *c.* 10. non videtur illius Sedis vacantis iuriſdictionem limitare. Ita ex Maiolo & Salzedo docet Sanchez *in opuſc. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 20. *num.* 39.

Resol. X. *An Cardinalis poſsit eligere ſibi Confeſſarium?*

Reſpondeo affirmatiuè, vel ex *cap. fin. de pœnit. & remiſſ.* vt aſſerunt aliqui, & ego cum illis, vel ex conſuetudine, vt volunt alij. Ita docet Ochagauia *de Sacram. tract.* 2. *de confeſſ. ſacrament. q.* 36. *numer.* 15. Vaſquez *in* 3. *part. tom.* 4. *q.* 93. *art.* 1. *dub.* 4. *n.* 2. Ludouicus à Cruce *in Bulla Cruc. diſp.* 1. *c.* 2. *dub.* 22. *n.* 11. *& ſeq.* Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 5. *ſect.* 1. *num.* 32. Suarez *tom.* 4. *diſp.* 27. *ſect.* 2. *n.* 6. & Præpoſitus *in* 3. *part. q.* 8. *de approbat. Miniſt. dub.* 7. *n.* 53. vbi ſic ait. Ex conſuetudine poſſunt Confeſſarium eligere Cardinales, qui & ſuæ familiæ poſſunt prouidere de Confeſſario, cùm ſint quaſi Paſtores ſuorum domeſticorum, quod etiam docuit Turrianus *de pœnitent. diſp.* 23. *dub.* 3. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 7. *num.* 197. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 3. Comitolus *lib.* 1. *quæſt.* 101. *n.* 4. Laudenſis *de Cardinal. quæſt.* 19. Manfredus *de Cardin. deciſ.* 118. Albanus *de Cardinal. quæſt.* 41. Sotus *in* 4. *diſtinct.* 18. *quæſt.* 4. *art.* 2. Toletus *lib.* 3. *cap.* 13. *n.* 9. Boſſius *de Iubilæo ſect.* 4. *caſ.* 2. §. 4. *num.* 111. & alij.

Notandum eſt tamen quòd Scipio de Rubeis *in Aphoriſm. Epiſc. ver. Cardinalis, n* 5. & Azor. *to.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *q.* 16. tenent hoc habuiſſe locum ante Conc. Trid. nunc verò docent, quòd Cardinales, qui nec ſunt Epiſcopi, nec Legati, confiteri debent vni ex approbatis ab Epiſcopo proprio Confeſſariis, quia ſi approbatus non eſt, non reputatur idoneus ad audiendas confeſſiones. Ita ille. Sed Doctores ſuperiùs citati poſt Concilium ſupradictam auctoritatem, quam impugnat Azorius, Cardinalibus tribuerunt. & Antonius Naldus *in Summa ver. Cardinalis,*

dinalis num. 8. nominatim contra dictum Azorium tenet ſententiam in fauorẽ Cardinalium. ſic enim ait: Certum eſt Cardinales eſſe quaſi proprios Sacerdotes ſuæ familiæ, & per ſe, vel per alios poſſe munus hoc parochiæ in illam exercere, & per cõſequens eandem familiam non ſubiici parochiali locorum, in quibus iidem Cardinales inhabitant quoad Sacramenta ab illis ſuſcipienda. Ipſi autem Cardinales ſicut ratione dignitatis & officij coniunctiſſimi ſunt Summo Pontifici, ita illum ſolum habent vti proprium Sacerdotem, atque ita pro libito eligent ſibi Confeſſarium, ad text. *in cap. fin. de pœnit. & remiſſ.* prout nunc eis ex conſuetudine iam comperere ex Soto tradit Azorius *vbi ſuprà, quæſt.* 16. & ſupponit Nauarr. *conſ. 9. nu. 3. de ſtatu Monach.* & quamuis Azorius aſſerat in hoc contrariam ſacræ Congregationis declarationem, tamen cùm de ipſa legitimè non conſtet, non eſſet dubitandũ de prædicta conſuetudine diuturna, nam ſi poſſunt ipſi hanc facultatem ſupradictæ familiæ, vt ſuprà, concedere, non erit ambigendum poſſe & erga ſe ipſos vti eadem auctoritate. Ita Naldus. Vnde nouiſſimè Adamus Tannerus *tom. 4. diſput. 6. q. 9. dub. 3. num.* 58. ſic ait. Sacerdos quilibet ab aliquo Cardinalium deſignatus, & electus, facultatem habet, tam ad proprias eorum, quàm ad familiarium ac commenſalium confeſſiones audiendas. Hæc ille. & tandem Ludouicus de San Iuan *q. 6. art. 2. de ſacram. Pœnit diffic. 5. concl. 2* ſic ait. [Todos los Cardenales tienen licẽcia tacita del Papa para eligir Cõfeſſor para ſi, y para ſus familiares, y yo lo sè por eſperiencia, pues fue Confeſſor del Señor Cardenal Doria, y de otros Cardenales, ſin mas autoridad que ſo lo ſu nombramiento] Ita ille.

Notandum eſt etiam omnes, qui ſunt de Cardinalium familia, poſſe de eorum licentia Confeſſarium ſibi eligere. Ita tenent Doctores citati, quoniam commenſales Cardinalium vbicumque Cardinales reperiantur, ſunt de conſuetudine ſubiecti eiſdem Cardinalibus tanquam Ordinariis ſuæ familiæ curam habentibus; ergo de ipſorum licentia poſſunt ſibi eligere Confeſſorem. Et ideo ex praxi Curiæ Romanæ patet, quòd cùm cuncti fideles ſub præcepto teneantur in propriis Parochiis Euchariſtiã ſumere, tamen in priuatis, & domeſticis Oratoriis Cardinalium, eorum familia, & commenſales ab ipſis, vel ab aliis de eorum mandato ſacra reficiuntur communione. Nec valet dicere quòd familia & commenſales Epiſcoporum non poſſunt extra propriam diœceſim confiteri, niſi Epiſcopo diœceſis vbi commorantur, vel Parocho, vel alteri de ipſorum licentia. ergo idem dicendum eſt de familia Cardinalium. Non, inquam, valet hoc dicere, negatur enim cõſequentia, nam in hoc Epiſcopi non gaudent Cardinaliũ priuilegio: qui enim ſunt de familia laica Epiſcoporũ extra Diœceſim, ſubduntur in foro pœnitentiali Epiſcopo loci vbi commorantur, vt docet Paludanus *in 4. diſt.* 17. *q. 3. art. 3. concl. 4.* Sed hoc non eſt dicendum de familiis Cardinalium, nam eiſdem vbicumque degant, ſubduntur tanquam ſuis Ordinariis. & ita docet Ludouicus à Cruz *in Bull. Cruc. diſput. 1. cap. 2. dub. 22. num. 17. & ſeq.*

RESOL. XI. *An electus ad Cardinalatum priora beneficia amittat?*

NEgatiuam ſententiam docet Albanus *de Cardinalibus, q. 42. priuileg.* 20. Laudenſis *de Card. q.* 42. Lorichius *in Theſaur. ver. Cardinalis*, §. 7. Bertachin. *de Epiſc. part. 1. lib. 2. q. 31.* & Azorius *part. 2. lib. 4. cap. 3. q. 5.* quorum tamen reſolutionem intelligit in beneficiis inferioribus non curatis, nec habentibus dignitatem. Puteus *deciſ.* 438. aliàs 428. *lib. 2.* Sed hac de re extat Conſiſtoriale Decretum incip. *Sanctiſſimus, ſub die* 16. *Martij* 1588. inter conſtit. Sixti V. 79. *in Bullario nouo, tom. 2. pag.* 627. in quo ſic habetur. Sanctiſſimus Dominus noſter Papa Sixtus V. decreuit, quòd per promotionem ad Cardinalatum vacent omnes Eccleſiæ, & omnia beneficia cuiuſcumque nominis, & tituli ſint, niſi fuerit data retentio, quæ conceſſa intelligatur & data ad Patriarchales, Metropolitanas, & Cathedrales Eccleſias, ad Monaſteria etiam commendata, ad Prioratus, & ad cætera omnia beneficia, quæ videntur conuenire dignitati Cardinalatus. Ad alia verò quæ videntur repugnare dignitati, & gradui Cardinalatus, puta Archipresbyteratus, Archidiaconatus, Decanatus, Canonicatus, & ſimilia beneficia non extendantur, cùm obtinentes huiuſmodi beneficia teneantur reſidere in choro, & habere debeant locum poſt Epiſcopum Cardinalis dignitati non conuenientem. Vide Pariſium *de reſignat. benef. lib. 3. q. 1. num. 66.*

RESOL. XII. *An Cardinales poſsint in ſuis titulis excommunicare, ſuſpendere, & interdicere, & vti Pontificiis inſignibus?*

REſpondeo affirmatiuè, nam, vt patet ex *cap. his, quæ, de maior. & obed.* vbi Felinus, Abbas, & Butrius, Cardinales, inquiunt, habere iuriſdictionem Epiſcopalem in Eccleſiis, quarum ſunt Titulares, & ita etiam docet Panuinus *de poteſt. Cap. Sed. vac. prælud. 6. nu. 9.* Imola *ad Clem. ne Romani, n. 23. de elect.* Monachus *in c. vn. de maior. & obed. in 6.* & *ibi* Probus *n. 6.* Romanus *conſ.* 498. Albanus *tract. de Cardinal. q.* 46. Merolla *tom. 1. diſp. 1. c. 3. difficult. 5. nu.* 125. Sebaſt. Cæſar. *relect. de Eccl. Hierarch. part. 1. diſput. 2.* §. 5. *num. 2.* Rubeus *in Aphoriſm. Epiſc. ver. Cardinalis, n. 2.* Laudẽſis *de Cardinal. quæſt. 60.* Flaminius *de reſignat. benef. lib. 7. quæſt. 12. numer. 107.* Iaçobatius *de Conciliis lib. 1. art. 2.* Leo *in foro Eccleſ. part. 2. cap. 1. num. 7.* Azorius *tom. 2. lib. 4. cap. 1. quæſ. 8.* Vnde ex his ſequitur, vt notat Germonius *in tract. de Indulg. Cardinal.* §. *tam ratione, n.* 18. ex Dominico & Barboſa, vbi infrà ex Abbate, Cardinales poſſe irrogare pœnas excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti. & ex hac ratione, vt notat Laudenſis *de Card. q. 19. & 21.* Megalius *in Promptuar. ver. Cardinalis, n. 7.* Lorichius *in Theſaur. ver. Cardinalis*, §. 7 *cap. 3. q. 2.* Moneta *de conſeru. cap. 5. num. 34.* & Barboſa *in collect. in Cod. tom. 1. lib. 1. tit. 33. cap. 11. n. 3.* poſſunt Pontificiis inſignibus vti, & benedicendi ſolemnẽ ritum more Epiſcoporum exercere, etiamſi Epiſcopi non ſint. Et nota etiam ex ſupradictis, Vicarios Cardinalium poſſe etiam fulminare cenſuras, & reliqua facere, quæ ſunt iuriſdictionis Epiſcopalis. Ita Romanus *conſ.* 498. *n. 11.* & Sbrozzius *de Vicar. lib. 1. q. 3. num. 23.*

RESOL.

RESOL. XIII. *An Cardinales habeant ius conferendi beneficia in suis Ecclesiis titularibus?*

REspondeo affirmatiuè. quòd intellige quando sunt in Vrbe, nam in eorum absentia solus Papa confert. & ita docet Ioannes Chokier *in comment. regul. 1. Cancell. n. 23. ver. Secunda reseruatio.* Barbosa *Collectan. in Cod. tom. 1. lib. 1. tit. 33. c. 11. n. 3.* Gonzalez *ad regul. 8. Cancellar. glos. 13. n. 20.* Grilenzonius *cons. 63. per totum.* & Germonius *tr. de indulg. Cardinal. §. tam ratione, n. 14.* vbi sic ait. Licet tituli, in Vrbe sint, & eorum beneficia iure ordinario ad Pontificis Maximi, veluti ad proprij Episcopi collationem, & prouisionem spectent; verum tamen Pontifices ipsi, vt ostenderent Cardinales sibi verè filios, & fratres esse, & vt eos suorum titulorum studiosos per residentiam magis allicerent, pleniorem eisdē dederant conferendi facultatem. *c. his quæ, de maior. & obed.* Ita Germonius vbi *num. 16.* ex Bellinzonio *in tract. de Charit. subs. q. 3.* dicit Cardinales maius ius habere in Ecclesiis titularibus, quàm Ecclesias matrices in Capellis non subiectis, possunt enim omnia beneficia, Canonicatus, & præbendas, quæ ab ipso titulo dependent, Cardinales conferre. vide etiam Albanum *tr. de Cardinal. q. 46.* Sed an Cardinales possint absoluere à iuramento in suis titulis, vide Camillum Billotta *tract. de Absol. iur. lib. 2. c. 7.* & Merollam *tom. 1. disp. 1. cap. 3. difficult. 5. num. 225.*

RESOL. XIV. *An Cardinales possint recipere resignationes beneficiorum existentium in suis titulis?*

HAnc quęstionem doctè pertractat Flaminius Parisius *de resignat. benef. lib 7. q. 12. per totam,* vbi *nu. 8.* docet Cardinales posse recipere resignationes beneficiorum existentiū in suo titulo, quia possunt conferre, vt dictum est *suprà,* illa beneficia, & possunt destituere beneficiatos, quod ius competit eis ratione titulorum, vt etiam tradit Mandosius *in reg. 7. Cancell. q. 1. nu. 5.* vbi plures alias allegat. & hanc etiam opinionem docet Barbosa *Collect. in Cod. tom. 1. lib. 1. tit. 33. c. 11. n. 3.* Et hanc opinionem Parisius *vbi suprà n. 22.* extendit ad Cardinales habentes Archiepiscopatum, Episcopatum, Abbatias, vel Prioratus in commendam ex dispensatione Papæ: possunt enim recipere resignationes beneficiorū ratione Archiepiscopatus, Episcopatus, &c. nam si possunt conferre beneficia vacantia ratione Archiepiscopatus, Episcopatus, &c. poterunt etiam resignationes recipere.

Nota hîc etiam Cardinales renuntiantes Episcopatui retinere facultatem conferendi beneficia in mensibus Papæ, & eius indulto, vt docet Parisius *num. 23.* qui etiam *num. 27.* rectè notat, Cardinales, qui habent indulta in Episcopatibus renuntiatis, etiamsi resignatio beneficij fuerit facta coram Episcopo in mensibus, in quibus ipsi habebant potestatem conferendi, posse etiam ad illos spectare beneficiū resignatum in manibus Episcopi cōferre: & ratio est clara, quia si renuntiatio fiat coram Episcopo in mensibus Papæ reseruatis, collatio, hoc non obstante, spectat ad Papam, & non ad Episcopum recipientē ipsam resignationem; ergo etiam in casu nostro debet spectare ad Cardinales, qui per indultum loco Papę successerunt. Et ita etiam tenuit in causa inter Cardinalem Vrbini, & Archiepiscopum cōsulendo, Gabriel. *lib. 1. cons. 187.*

RESOL. XV. *An Cardinales possint præsentari ad beneficia iurispatronatus?*

REspondeo quòd licèt Episcopi non possint præsentari ad beneficia iurispatronatus, nisi priùs habeant super hoc dispensationem, vt vult Abbas *in cap. Ecclesia vestra, de elect. n. 3.* tamen Lambertinus *p. 1. lib. 2. q. 7. art. 16.* & Viuianus *in praxi iurispatron. lib. 6. cap. 10. nu. 38.* concludunt, Cardinales posse præsentari ad beneficia iurispatronatus.

RESOL. XVI. *An Cardinales comprehendantur in generali constitutione Pontificia imponente censuras & pœnas?*

QVæstio est solennis. & prima sententia affirmat. Ita Paulus de Castro *in l. fin. in princ. ff. de verbor. significat.* Vgolinus *de censibus tab. 1. cap. 17. §. 6. n. 10.* & Bonacina *de legibus disp. 1. q. 1. punct. 6. nu. 34.*

Secunda opinio negat. Ita Ioannes Andreas, Monachus, & Geminianus *in cap. 1. de schism. in 6.* vbi Summus Pontifex volens in illa pœnali constitutione Cardinales includere, illos expressit. Idem etiam docet Barbatius *vol. 1. cons. 23. num. 7. & tract. de Cardinal. part. 1. q. 7.* Iason *vol. 4. cons. 186.* Laudensis *de Cardinal. quæst. 62.* Iacobatius *de Conciliis lib. 1. art. 12.* Lecirierus *de primogen. lib. 1. qu. 34. nu. 32.* Mandosius *regul. 19. de infirmis q. 2.* Rebuffus *in Concord. rubrica de collat. §. si quis verò, ver. Cardinalatus.* Romanus *cons. 498.* Albanus *de Cardin. quæst. 42.* Oldradus *cons. 293.* Anastasius Germonius *de sacr. immun. lib. 3. cap. 6. num. 56.* Sebast. Cęsar *in relect. de Eccles. Hierarch. part. 1. disput. 2. §. 5. num. 2.* vbi sic ait. Cardinales non comprehenduntur in sententia excommunicationis generaliter promulgata, siue in quauis alia dispositione pœnali, nisi de ea fiat expressa mentio, per textum *in cap. quia periculosum, de sententia excommun. in 6.* Ita ille.

Tertia opinio distinguit: vel factum quod prohibetur lege pœnali, ac odiosa, ex natura sua est malum, vel aliàs non est in se malum. In primo casu constitutio pœnalis includit etiam Cardinales, in secundo minimè. Ita ex Iasone, & Gigas *de pens. q. 5. num. 7.* & ex Felino & Monacho docet Sanctarellus *var. resol. tom. 1. q. 2. num. 28.* quod idem docet quando lex lata est in fauorem animarum, tunc enim est fauorabilis, non odiosa; vel lata est ad tollendas fraudes, & sic Cardinales, ait ille, comprehenderentur in generalibus constitutionibus de residentia, & comprehenduntur *in cap. si quis suadente diabolo,* quamuis in eo non inuenitur expressa mentio de Cardinalibus, & comprehenduntur etiam, vt obseruat Parisius *de resignat. lib. 12. q. 4. nu. 10. in cap. de multa, de præbend. & dignit.* Vnde Gambarus *de legato lib. 4. à num. 144. vsque ad num. 147.* docuit Cardinales ligari legibus generalibus, nisi in certis casibus, quod etiam nouissimè docet Scortia *in Bulla Pontific. epit. 41. theorem. 114.*

Nota tamen lector, quòd si opinio secunda est probabilis, multi casus in fauorem Dominorum Cardinalium resolui possunt, maximè quoad censuras,

ſuras, & ideo præter Sebaſtianum Cæſarem *vbi ſuprà*, aſſerunt Germonius *de ſacr. immun. lib. 3. cap. 6. nu. 56.* Zechius *de Republ. Chriſt. tit. 3. de Cardinal. n 9. priuileg. 11.* Manfredus *de Cardin. deciſ.* 191. Albanus *de Cardinal. quæſt.* 42. Laudenſis *de Cardin. quæſt. 62.* Iacobatius *de Concil. lib. 1. art. 12. lit. B.* Cucchus *in inſtit. Canon lib 2. tit. 4. num. 77.* Lecirierus *de primogen. lib. 1. art. 12. num. 32.* & alij, Cardinales non comprehendi ſub cenſuris, quæ imponuntur tranſgreſſoribus Pontificiarum conſtitutionum, niſi de illis fiat expreſſa mentio. Vnde, e.g. cogita ſi comprehendantur Cardinales ſub cenſura primi Canonis Bullæ Cœnæ contra legentes libros hæreticorum. Agit de hac quæſt. Merolla *tom. 1. diſp. 1. cap. 2. coroll. 7. diffic. 11. numer.* 147. & affirmatiuam ſententiam tamquam probabiliorem docet, ideo ſecundùm Merollam opinio negatiua eſt probabilis, quia ſecundùm aliquos lex illa eſt pœnalis & odioſa, & non prohibet aliquid iure naturali damnatum. ergo non comprehendit Cardinales, ex doctrina ſuperiùs allata, ſed communiter contrariam ſententiam tenent: vnde Filliucius *tom. 3. tract. 44. cap. 3. num. 79.* docet Cardinales eſſe comprehenſos in Paulina *Ambitioſæ, de rebus Eccleſiæ non alienandis*, licet in illa non explicentur. & circa præſentem quæſtionem præter Doctores citatos ne deſeras videre Azorium *tom. 1. lib. 5. cap. 11. quæſt. 5.* Lottherium *de benef. tom. 1. lib. 1. q. 8. numer. 85.* Albanum *de Cardinal. quæſt. 42. priuileg. 13.* & nouiſſimè Baldellum *in diſp. Theolog. tom. 1. lib. 5. diſp. 42. num. 4. & ſeq.* qui omnino videndus eſt.

Resol. XVII. *An Cardinales comprehendantur in regulis Cancellariæ, quæ odioſæ ſunt?*

NEgatiuam ſententiam aliqui tenent, aſſerentes in regulis Cancellariæ, quæ odioſæ ſunt, non cenſeri incluſos Cardinales, niſi de illis fiat ſpecialis mentio. Ita Abb. *in c. 1. de exceſſ. Prælat. in principio.* Ancharan. *conſ. 295. n. 5.* Gomez *in Proœmio reg. Cancell. q. 4.* Mandoſinus *regul. 19. de infir. q. 2. n. 4. in fine.* Romanus *conſ. 498. num. 1.* Gigas *de penſion. q. 9. n. 7.* Zechius *de Republ. Chriſt. tit. 3. de Cardin. priu. 11.* Manfredus *de Cardin. deciſ. 184.* Barbatius *de Cardin. q. 6.* Cucchus *in inſtit. can. lib. 2. tit. 4. n. 73.* & Azorius *tom. 1. lib. 5. c. 11. q. 5.* Siue, ait ille, hoc ſit, quia Cardinales cum Pontifice cæteros omnes iudicant, ſiue quia Pontifex non creditur eos velle comprehendere generali ſua conſtitutione, niſi cùm id exprimit. Vide etiam Ferrettum *vol. 2. conſ. 315. num. 7.* & Puteum *lib. 1. deciſ. 95. num. 1.*

Sed hæc opinio ita abſolutè prolata ab aliquibus non admittitur. ita ex multis Scortia *in Bulla Pontif. epit. 41. theorem. 114.* & in multis caſibus incluſos eſſe Cardinales in regulis Cancellariæ, tradit Gonzales *in reg. 8. Cancell. gl. 24. num. 15. & ſeq.* & Lottherius *de benef. tom. 1. lib. 1. quæſt. 8. num. 88.* quibus adde Filliucium *tom. 3. tract. 44. cap. 3. numer. 79.* vbi docet Cardinales teneri regulis Cancellariæ, illis nimirum, quibus agitur de vitanda fraude.

Resol. XVIII. *De qua natione aſſumendi ſint Cardinales.*

ELigendi ſunt ex omni natione, vt tradit Sixtus V. *in conſtit Poſtquam, an. 1586.* Moſconius *de maieſt. milit. Eccl. lib. 1. part. 1. cap. 5.* Mandoſius *conſ. 55. num. 22.* Laudenſius *in deciſ. Piſanis deciſ. 35. numer. 188.* Barboſa *de iure Pontif. lib. 1. cap. 3. num. 13.* Rouſſel *in hiſt. Pont. iur. lib. 2. cap. 10. numer. 20.* & ideo Cucchus *in inſtit. can. lib. 2. tit. 4. num. 112.* ſic ait. Cardinales ex omni lingua & natione eligi æquum & vſitatum eſt, & vnaquæque natio ſuum habeat in Curia Patrem tutelarem, quo cum poſſit deſideria ſua & negotia conferre, & ab eo præſidium præſentius ſumere, veluti linguæ, & morum, & negotiorum perito. Ita ille.

Non definam tamen hîc apponere dictum Hiſpani in fauorem Italorum. & is eſt Ioannes Garzias *de Nobilitate Hiſpan. gloſſ. 48. §. 3. numer. 54.* vbi ex D. Anton. docet, quòd Cardinales conuenientiùs aſſumuntur de terris Eccleſiæ, quia ſunt liberiores in ferendis ſuffragiis & ſententiis. Ita ille. & ante illum Iacobatius, quem affert Cherubinus *in compen. Bullæ tom. 2. Bulla 51. Sixti V. in ſchol. 1.*

Resol. XIX. *De qua ætate debeant eſſe Cardinales.*

EX *cap. cùm in cunctis, de elect.* nullus poteſt eſſe Epiſcopus ante trigeſimum ætatis ſuæ annum, qui debet eſſe completus, licet gloſſa *ver. compleuerint, in cap. vn. de ætate & qualitate in 6.* aſſerat ad Epiſcopatum promoueri poſſe qui trigeſimum ingreſſus eſt annum; ſed hoc hodie non eſt admittendum, ex Bulla Gregorij XIV. *in ſua conſtitutione publicata die 15. Maij 1591.* ibi, Annum trigeſimum expleuiſſe. Ita Armendariz *in addit. ad recopil. leg.* Nauarr. *lib. 1. tit. 2. leg. 1. num. 18.* Guttierez *in Canon. quæſt. lib. 1. quæſt. 26. num. 39.* Leſſius *lib. 2. cap. 34. dub. 20. num. 163.* Viuianus *in praxi iur. patron. part. 2. lib. 6. cap. 7. num. 4.* & alij.

Hanc igitur ætatem requiri etiam in iis, qui ad Cardinalatum aſſumendi ſunt, tenet Manfredus *de Cardin. deciſ. 244.* Henriquez *lib. 14. cap. 9. prope finem & lib. 10. cap. 19. nu. 3.* Azorius *tom. 2. lib. 6. c. 6. quæſt. 14.* & Campanili *in diuer. iur. canon. rubr. 7. cap. 6. numer. 47.* & Cardinalis Paleottus *de ſacro Conſiſt. part. 4. quæſt. 1.* qui optimè notat hoc procedere in Cardinalibus Presbyteris, nam de Diaconis ita Sixtus V. ſanciuit *conſt. 50. §. 6.* Neque poſthac quiſpiam in Diaconum Cardinalē aſſumi poſſet, niſi ſaltem in 22. ſuæ ætatis anno fuerit conſtitutus, ita vt omnino intra annum ad ſacrū Diaconatus Ordinem valeat & debeat promoueri, alioquin ſi anno elapſo ad ipſum Diaconatus Ordinem promotus non fuerit, eo ipſo tam in Conſiſtorialibus, & omnibus aliis actibus, & negotiis Cardinalitiis, quàm etiam iuxta cōſtit. fel. rec. Pij Papæ IV. Præd. noſtri ſuper reformatione Conclauis, editam in elect. Summi Pontificis, voce actiua & paſſiua omnino careat, ac priuatus exiſtat.

Nota tamen quòd ſuperiùs dicta procedunt de iure ordinario, nam poteſt Summus Pontifex minores ætate creare Cardinales, vt ſæpe fieri videmus,

mus,& latè comprobat Paleottus *de sacro Consist.p. 3. q. 4.* & ex Platina obseruat Mosconius *de maiest. milit. Eccl lib.1.p.1. cap.6.*Greg. XI. minorem 10 annis fuisse ad Cardinalatum assumptum, & Henriquez *lib.10.c.27.n.4.* obseruat quòd solet Papa nouiter electus suum Cardinalatum cõferre cognato,quamuis adolescenti, & quibusdam ob insignẽ nobilitatem & indolem, de quibus spes est, quòd multum sua auctoritate proficient Ecclesiæ.

RESOL. XX. *An Cardinales monasteria Monialium ingredi valeant?*

AD hoc dubium ita respondet Campanili *in diuer.iur.canon.rubr.12. cap.16. num.39.* Nullum reperi Decretum, aut Canonem de Cardinalibus loquentem in hac specie,sed tantùm in regula Monialium S. Claræ reperi ita scriptum. Si quis de S. R. Ecclesiæ Cardinalibus ad aliquod monasteriũ huiusmodi Religionis aliquando venire, & intra clausuram ingredi voluerit, cum reuerentia quidẽ est suscipiendus;rogandus tamẽ,vt cum paucis sociis ingrediatur. quæ verba refert præfatus Collector *in eodem loco, ver. sic octauus casus* & subdit alia verba,inquiens: Istud secundùm aliquos est intelligendum de Cardinalibus Protectoribus solùm. Nihilominus verior videtur altera sententia, vt de omnibus explicetur, ac verba facere intelligatur, ex quibus idipsum fortasse dicendum esset respectu aliorum monasteriorum alterius cuiusque Ordinis. Ita Campanili. Sed post Bullam Gregorij XIII.hæc opinio non potest amplecti,nam expressè in alia prohibetur, ne Cardinales ingredi valeant Monialium monasteria, nisi in casibus necessariis.

RESOL. XXI. *Vtrùm Cardinales teneantur impedire nominatum à Pontifice pro Episcopo, si alium digniorem arbitrentur?*

CAsus potest sæpiùs in praxi accidere, & ad illum Paleottus *de sacro Consist.part.4.quæst.1.* respondet, ad Cardinalium auctoritatem & officium non pertinere propriè aliquem ad Episcopatum admittere, sed tamquam Papæ Consiliarios non vlteriùs obligari, quàm vt ad eas res, de quibus à Papa requiruntur, & consuluntur, fidele præstent responsum,per *cap. fundamenta, §. decet, de elect. in 6.* Itaque cùm Pontifex in Episcoporum promotione non aliud ab ipsis Cardinalibus exquirat, quàm iudicium, si propositum Episcopali dignitate dignum arbitrentur; ideo non ad aliud obligantur, quàm ad interrogata respondere, illumque approbare, si ita credant. Immo & Cardinales omnes tutam respondendi, ferendique suffragij sui rationem colligerè posse, addit ex testimonijs quatuor Cardinalium in publicam formam redactis, & ab eis subscriptis, quibus inquisitio committitur de promouendi qualitatibus. Et ita hanc sententiam præter Paleottum docet etiam Campanili *in diuer. iur. can. rub. 7. cap. 6. num.72.*

RESOL. XXII. *De numero Cardinalium, & an expediat semper esse completum?*

TEmpore Pontiani Pontificis extitisse 236. Cardinales, testantur scriptores, & inter illos Laudensis *de Cardin.q.2.* Companili *in diuer.iur.can. rubr.7.c.6.n.48.*Sed hodie per constit. Sixti V. numerus Cardinalium ad 70.redactus est.Quam tamen constitutionem,vt rectè obseruat Paleottus *de sacr. Consist.p.4.q.1.*verbis negantibus vbi de numero agit,sapienter admodum idem Pontifex concepit,vt scilicet ostenderet non solum numerum septuagenarium non esse transiliendum,sed nec etiã semper æquandum, vbi pauciores possunt ad munera omnia sufficere, cùm, vt aiunt Iurisconsulti, non quidquid iudicis committitur potestati, illud etiam subiicitur necessitati.Ita ille.Rationem verò quare Sixtus V. voluit Cardinales esse tantùm 70. & non ampliùs,videbis apud Illephonsum de Lara *in compen.vitæ hominis,cap.29.num.20.*

RESOL. XXIII. *A quo lites & causæ inter Cardinales vertentes sint decidendæ?*

REspondeo per Summum Pontificem tantùm, priuatiuè quoad alios, appellatione remota ex Bulla Pauli IV.*sub die 9.Ian.an.1556.* & ita obseruat Barbosa *de iure Eccles.lib.1.cap.4.num.79.* cui ego addo Lotherium *de benef.tom.1.lib.1.quæst.8.n.48.*

RESOL. XXIV. *Quot testes requirantur ad damnandos Cardinales de crimine?*

REspondeo ex text.*cap. Præsul.2. quæst.4.* quoad Cardinales non possunt damnari nisi fuerint conuicti per 72.testes,si sunt Episcopi, & per 64.si sint Presbyteri,ac tandem per 27.si fuerint Diaconi.Ita Lorichius *in Thes. Theol. ver. Cardinalis. §.10.* Manfredus *de Cardinal. decis.142.* Sebast.Cæsar *relect.de Eccles.Hierarch.p.1.disp.2. §.5. n.2.* Iulius Clarus *in practica crimin. quæst. 66.num.5.* & Zechius *de Republ.Eccles.tit.3.de Cardin.num.9.priuileg.10.* licet obseruent hodie hoc non esse in praxi, quando Papa procedit contra Cardinales, quod etiam notauit Borrellus *in summa omnium decisionum tom. 2. tit. 5. num.78.*& Antonius Scappa *de iure non scripto lib. 1. quæst.10.num.14.*Sed quidquid sit de tali obseruantia,notandum est quod Zechius *vbi suprà*, Manfredus *de Cardinal. decis.* 181. & Barbatia *de Cardinal. quæst.11. num. 2.& 10.* asserunt Cardinales gaudere dicto priuilegio *cap. Præsul.* neque conuinci, aut damnari de delictis commissis ante Cardinalatum, licet contrarium videatur asserere Laudensis *de Cardinal.quæst.72.*Sed an Papa in puniendo & damnando Cardinali teneatur adhibere Collegium,vt simul cognoscat & iudicet,respondet negatiuè Iulius Clarus *in praxi criminali,quæst.35.num.11.*

RESOL. XXV. *An Cardinales possint habere priuatum carcerem ad suos familiares coercendos?*

LIbet huic dubio respondere cum verbis insignis Criminalistæ Iulij Clari *in praxi lib. 5. §. final.quæst.66.num.32.*vbi sic ait.Priuatum carcerem

exercens punitur pœna capitis, vt est text. *in lib.* 1. C. *de priuatis carcer.* & aduerte, quia ille, qui capit aliquem, & detinet ex iniusta causa, punitur pœna priuati carceris, etiamsi illum detineat minori spatio 20. horarum. Ille verò qui alium capit ex iusta causa, potest illum detinere spatio 20. horarum, & ipsum captum iudici præsentare, & ita concludunt omnes Doctores, vt dicit Cauens. *super* 56. *ritu Magnæ Curiæ, n.* 2. Scias tamen quòd dispositio illius legis non habet locum in Cardinalibus S. R. E. nam hodie quilibet Cardinalis habet priuatum carcerem ad puniendos domesticos, & familiares suos. Et ita vsum obtinuisse testatur Manfredus *in tr. de Card. c.* 8. *priuileg.* 19. Ita ille. & post illum Tuschus: *tom.* 1. *concl.* 100. *num.* 52. Cucchus *vbi infrà nu.* 92. cui adde Zechium *de Rep. Christiana tit.* 3. *de Cardin. nu.* 9. & ideo Barbosa *de iure Eccles. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 85. asserit Cardinales habere facultatem iudicandi priuatiuè quoad alios eorum familiares, & ita etiã docet Carolus de Grassis *in tr. de effect. Cler. effect.* 1. *nu.* 151. vbi sic ait: Familiares Cardinalium ex consuetudine remittuntur ad ipsos Cardinales, & ipsi Domini Cardinales sunt eorum iudices competentes. Ita ille. Et tandem Pereyra *de manu Regia to.* 1. *c.* 10. *n.* 13. & Carleualius, vir quidem doctus, *de iudiciis, l.* 1. *tit.* 1. *disp.* 2. *q.* 6. *sect.* 6. *n.* 509. Vnde, vt docet Albanus *de Cardin. q.* 42. *priuileg.* 15. & Laudens. *de Card. q.* 17. Barbatia *de Card. q.* 11. Gratian. *in disceptat. tom.* 2. *c.* 341. *n.* 16. Bagnus *de dignitatibus S. R. E. tr.* 11. *fol.* 183. Cucchus *in instit. can. l.* 2. *tit.* 4 *n.* 114. Manfredus *de Card. decis.* 140. Vicarius Papæ dictos familiares non iudicat, sed eos remittit suo Cardinali; & ideo non est audiendus Bonacina *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 16. *punct.* 3. *n.* 7. & Scaccia *de iud. caus. & c. to.* 1. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 22. qui hanc obseruantiam negant. Nota etiam hîc obiter cum Iacobatio *de Conciliis lib.* 1. *fol.* 38. *col.* 1. *lit. B.* posse Cardinales habere familiam armatam.

RESOL. XXVI. *An beneficia simultaneæ collationis Episcopis & Capitulo vacanti in mense Apostolico à Cardinali simul cum Capitulo prouideri debeant, & quid in beneficiis aliàs reseruatis?*

QVoad primum, respondeo à Cardinali simul cum Capitulo prouidenda esse. Ita Gonzales *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 24. *à n.* 52. qui *nu.* 61. dubitat an idem dicendum sit in beneficiis simultaneæ collationis aliàs reseruatis, ad quorum prouisionem Cardinalis Episcopus indultum à Pontifice obtinet, & affirmatiuè respondet, quia indultum non ampliat facultatem conferendi, sed solùm remouet obstaculum reseruationis, qua remota Cardinalis iure ordinario prouideret; sed in prouisione ordinaria Capitulum concurrit, vt suppono. ergo supposito hoc indulto concurrere debet.

Verùm mihi contraria sententia magis placet, quam tuetur Garzias *de benef. p.* 5. *cap.* 1. *n.* 628. scilicet solum Cardinalem virtute indulti beneficia aliàs reseruata prouidere posse, & non Capitulum, quia virtute indulti non cessat reseruatio, esto in ea dispensetur. Reseruatio namque horum beneficiorũ est lex omnes Cardinales astringens, à cuius legis obligatione Cardinales priuilegiati eximuntur: eximuntur, inquam, vi priuilegij manente reseruatione, sicuti cùm tempore interdicti conceditur tibi potestas audiendi Sacrum ob priuilegium Bullæ, priuilegium, inquam, Bullæ non tollit interdictum, sed illo manente tibi facultatem concedit Sacrum audiendi, ac si interdictum non esset, sic in hoc indulto prouidendi beneficia reseruata; perseuerante enim reseruatione concedit indultũ Cardinalibus facultatem prouidendi beneficia ac si reseruatio non esset. Ex quo fit Cardinales non iure ordinario, sed virtute indulti, vt à Sede Apostolica delegatos hæc beneficia prouidere. ergo, &c. Et ita hanc sententiam docet etiam Castr. Palaus *tom.* 2. *tract.* 13. *disput.* 2. *punct.* 22. §. 4. *num.* 4. Sed circa præsentem quæstionem vide etiam Mazzobrium *in praxi habendi concur. præl.* 26. *dub.* 35.

Notandum est etiam hîc obiter Cardinalem habentem facultatem conferendi beneficia reseruata, & in alium substituendi, posse substitutum dicta beneficia conferre, sicut potest Cardinalis. Ita Rota Romana coram R. P. D. Vbaldo *in vna Vlissipon.* 20. *Iunij* 1614. apud posthumas Farinacij *tom.* 1. *decis.* 595. *num.* 1.

RESOL. XXVII. *An Cardinalis Episcopus possit prouidere beneficia reseruata vacantia tempore sui antecessoris non Cardinalis?*

REspondeo vel habet indultum, vel non habet; si non habet, non potest, quia tale beneficium à puncto vacationis fuit Sedi Apostolicæ reseruatum: sed si Cardinalis habet indultum solitum ad conferenda beneficia, illud beneficium conferre poterit, dummodo indultum extendatur ad beneficia etiam vacantia, aliàs minimè. Ita Garzias *de benefic. part.* 5. *cap.* 1. *n.* 635. Massobrius *in praxi haben. concur. prælud.* 26. *dub.* 3. Gonzales *in reg.* 8. *Cancellar. gl.* 24. *à n.* 108. & Castrus Palaus *tom.* 2. *tr.* 13. *disp.* 2. *punct.* 22. §. 4. *n.* 7. qui tamen *n.* 8. contra Gonzales putat è conuerso vacante beneficio in mense aliàs reseruato, tempore quo Cardinalis erat Episcopus, quod durante vita Cardinalis non fuit prouisum, posse dictum beneficium ab Episcopo non Cardinali successore prouideri, non obstante *reg.* 2. *Cancell.* Sed sententiam Gonzales tenet Massobrius *vbi suprà dub.* 4. vnde puto vtramque sententiam probabilem esse.

RESOL. XXVIII. *An regula octaua Cancell. excipiens Cardinales, excipiat Cardinales à Curia absentes, & quid de Cardinalibus Titularibus de Vrbe?*

REspondeo Gonzales *in dicta regula glossa* 24. *à nu.* 21. excipere omnes Cardinales ordinarios collatores etiam à Curia absentes, exceptis illis sex Cardinalibus Titularibus de Vrbe, quorum Cardinalatibus Episopatus annexus est. Nam horum beneficia si vacent, in absentia Sedi Apostolicæ reseruantur, per *reg.* 7. *Cancell.*

Sed Castrus Palaus *tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 2. *punct.* 22. §. 4. *n.* 9. fatetur quidem per *reg.* 7. *Cancellar.* horum beneficia sic vacantia in absentia reseruari. Sed hoc non obstat quominus hæc regula 8. quæ est de mensibus, nullum Cardinalem comprehenderit, stat enim optimè, quòd nullus Cardinalis sit comprehensus in reseruatione mensium, & quòd

aliqui

aliqui Cardinales ſint cõprehenſi in reſeruatione facta pro beneficiis vacantibus tempore, quo à Curia fuerint abſentes. ergo, &c. Et huic ſententiæ conſentit etiam Garzias *de benefic. part. 5. cap. 1. à nu.* 638. Et ego libenter adhæreo.

RESOL. XXIX. *An condemnatus ſi obuium habet Cardinalem, liberandus ſit?*

NEgatiuè reſpondet Corſettus *in ſuis ſingul. verb. Cardinalis.* Barbatia *tr. de Cardinal. q. 9. num. 1. & ſeq.* & Farinacius *in frag. crimin. part. 1. num.* 631. vbi, quod valde miror, mordicus contendit hoc priuilegium Cardinales minimè habere, ſed ipſos ex conſuetudine hoc habere priuilegiũ, vt ſi obuij facti ſint condemnato, poſſint eum à morte liberare, tradit Baldus *in l. addictos. C de appellat.* & communiter Iuriſconſulti, quos affert Iul. Clarus *in pract. crim. lib. 5. §. fin. q. 98. n. 5.* Licet ipſe, ſi caſus contingeret, ſit in ſententia, vt poſſet pœna mortis mitigari, & reus ad triremes tranſmitti, & hoc niſi crimen, pro quo ille fuiſſet condemnatus, eſſet de atrociſſimis, vt crimen falſi læſæ Maieſtatis diuinę, & humanæ, proditionis patriæ, & huiuſmodi. Quod etiam docet Decianus *tom. 2. lib. 7. cap. 37. nu.* 27. & Villadiego *tract. de Cardin. quæſt. 13. n. 64.* Lorichius *in Theſaur. ver. Cardinales*, §. 7. Cucchus *de inſtitut. can. lib. 2. tit. 4. num.* 85. Lancellottus *in Templo iud. lib. 2. cap. 2. de Cardin.* §. 3. *num.* 30. Zechius *de Republ. Chriſtiana tit. 3. de Cardin. num. 9. priuileg. 7.* & Farinacius *loco cit.* Si, ait ipſe, opinio eſſet tenenda in fauorem Cardinalium, quam omnino tenendam eſſe puto cum Doctoribus, quos citat & ſequitur Barboſa *de iure Eccleſ. lib. 1 cap. 4. nu. 61.* quibus ego addo Anaſtaſium Germonium *de ſacra immun. lib. 3. cap. 6. num.* 52. qui hanc ſententiam tenet, quando Cardinalis caſu, non data opera, in reum incidit, cui ſine iuramento in hac re credendum eſſe docet. Non eſt igitur audiendus Farinacius, apud quem minimè eſſe deberent deterioris conditionis S. R. E. Cardinales, quàm olim apud Romanos fuerint Flamines Diales, & Virgines Veſtales, quarum auctoritas tanta fuit quòd ſi aliquis ad verberandum traheretur, & ſupplex ad Flaminem procumberet, eo die verberari piaculum eſſet, auctore Gellio *lib. 10. cap. 15.* vel ſi ad capitale ſupplicium aliquis duceretur, & caſu tranſiſſet aliqua Virgo Veſtalis, is necari non poſſet. Et ita hanc ſententiam docet Danza *in pugna Doctorum, de qualitate officialium, cap. 1. nu.* 16. Et ego abſolutè teneo in fauorem dominorum Cardinalium, atque illam præter Doctores citatos tenet etiam Albanus *de Cardinalibus, quæſt.* 47. in caſu contingenti omnino videndus, qui reſpondet ad argumenta quæ pro contraria ſententia docet Corſettus *vbi ſuprà.* Nec deſinam hîc apponere exemplum Cardinalis Ximenij Archiep. Toletani, qui, teſte Gomezio *de rebus geſtis Ximenij lib.* 3. & Rouſſellio *in hiſtor. Pontif. iur. lib. 2. cap. 10. nu.* 18. cùm audiret ſtrepitum trahentium quemdam ad furiuſſit illumcas, exolui; id permitti ſuæ dignitati aſſerens.

RESOL. XXX. *An Cardinales ſi ſint iudices recuſari poſſint?*

AFfirmatiuè reſpondet, ex iuſta cauſa, etiamſi ſit rũdex delegatus. Ita Rolandus à Valle *lib. 3. conſ. 19. num. 17.* vbi hoc etiam docet in Cardinali Legato à latere. Pariſius *lib. 1. conſ. 31. nu. 98.* Iacobus Laur. *de iudice ſuſpecto c. 2. nu. 13. & 14.* & Mandoſius *in praxi commiſ. in 8. formula, ver. Auditoris Camerę*, ita teſtatur. Et hanc ſententiam, præter Doctores citatos, docet etiam Gloritius *reſp. 11. num. 3.* Zechius *de Republ. Chriſt tit. 3. de Cardin. num. 9. priuileg. 4.* Laudenſis *de Cardin. q. 50.* & Barbatia *part. 2. quæſt. 3.*

Verùm non deſunt Doctores aſſerentes Cardinales non poſſe vt ſuſpectos recuſari, & ita tenet Præpoſitus *in c. poſtremo, n. 8. ver. & ideo cùm de Cardinalibus, extrà de appellat.* poſt Innocentiũ, Ioannẽ Andreã, & Hoſtienſem *locus ibi per eum relatis.* & *ibi* etiã Francus *n. 15.* & hanc ſententiã docet etiã Decianus *de probat. l. 2. c. 33. nu. 15.* & ex neotericis Guaſſinus *in defen. 1. c. 19. n. 102.* vbi ſic ait. Cardinales non dantur ſuſpecti, niſi eſſent iudices alterius Cardinalis. Sic ille. Vide etiam Scaccia *de appellat. q. 16. limit. 1. n. 17.*

Sed ſi eſſet tenenda prima opinio, dicendũ erit, quòd magna requiritur cauſa ad recuſandum Cardinalem. Ita Manfredus *de Cardinalibus, deciſ.* 151. & potentior, quàm in aliis. Ita Albanus *de Cardinal. q. 42.* Nam, vt obſeruat ex *cap. nouit, de appellat.* Decius, & ex *cap ad petitionem, de accuſat.* Hoſtienſis & Butrius, & ex ipſis Moneta *de iudic. conſeru. cap. 9. n. 21.* Cardinales non ita facilè recuſari poſſunt. Vide etiam Lancellottum *in Templo iudic. lib. 2. cap. 2. de Cardinalibus* §. 3. *num. 16.* & Zaſſonem *in Pragm. & Antifato ver. 2. obſeru. 2. num. 114.*

RESOL. XXXI. *An credendum ſit Cardinali teſtanti de aliqua re?*

NEgatiuam ſententiam, quando agitur de præiudicio tertij, docet cum multis Doctoribus Gloritius *reſp. 12. num. 84.* Barboſa *in Decretum Gratiani part. 1. diſtinct. 97. c. 3. n. 1.* Riccius *p. 4. collect. 1459.* & Zechius *de Republ. Chriſtiana tit. 3. de Cardin. nu. 9.* Sed quicquid ſit de iure, de conſuetudine Romanæ Curiæ credendum eſſe Cardinali aliquid aſſerenti etiam in præiudicium tertij, teſtatur Decius *in c. conſtitutus, n. 9. de appellat.* Ancharanus *in Clem. 1. n. 2.* & *ibid.* Bonifacius *n. 53. de probat.* & alij. Verùm has ſententias concordat & limitat Farinacius *q. 63. à num. 58.* Tuſchus *lit. C. concl.* 103. & Maſcardus *conſ.* 140. & 269. & ideo in caſu contingenti vide illos. Nec etiam deſeras videre Deciſionem Rotæ coram R. P. D. Dãmaſceno *die 5. Martij* 1618. apud poſthumas Farinacij *tom. 2. deciſ. 630.* & coram Seraphino *die 15. Octobris* 1571. *tom. 1. deciſ. 142. & dec. 133. part. 1 num. 1. & deciſ. 293. nu. 1. & part. 2.* diuerſorum Auditorum.

Nota tamen quòd Laudenſis *tr. de Card. q 56.* docet quòd creditur teſtimonio Cardinaliũ ſine iuramẽto, & Manfredus *de Cardinal. dec. 158.* firmat credendũ Cardinali de eo quod dicit factum à Papa viuæ vocis oraculo, etiamſi agatur de præiudicio tertij. Ita Puteus *l. 1. deciſ. 2.* Caputaquen. *p. 1. deciſ. 95.* Riccius *in collect. part. 4. collect. 1459.* Lapus *allegat. 33. n. 4.* & alij cũ Germonio *de ſacra immun. l. 3. c. 6. n. 43.*

Nota etiam quòd aſſertioni Cardinalis confirmanti ſtatutum de ſpeciali mandato Sedis Apoſtolicæ creditur. Ita ſacra Rota *die* 15. *April.* 1611. coram Marzanedo apud Farinacium *p.* 2. *deciſ.* 339. *n.* 1. & Cardinali aſſerenti ſe eſſe Legatum creditur circa ordinariam poteſtatem, etiamſi litteras legationis non exhibeat, vt tradunt Doctores, quos citat & ſequitur Barboſa *collect. in Cod. tom.* 1. *lib.* 1. *tit.* 15. *n.* 5.

RESOL. XXXII. *An Cardinales eo ipſo ſoluti ſint à patria poteſtate?*

REſpondeo affirmatiuè cum Lancellotto *in Templo iud. lib.* 2. *c.* 2. *de Cardin.* §. 3. *n.* 26. Couarr. *cap. quia nos, n.* 5. *de teſtam.* Laudenſi *de Cardin. part.* 2. *q.* 80. Manfredo *de Cardin. cap.* 8. *priuil.* 8. Albano *de Cardin. q.* 42. *priuileg.* 27. Germonio *tr. de indul. Card.* §. *quod tu Romanam, num.* 3. Molina *de iuſt. tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 229. *n.* 8. Azorio *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *q.* 20. *priuil.* 11. & Zechio *de Republ. Chriſtiana tit.* 3. *de Cardin. n.* 9. *priuileg.* 8. vbi ſic ait: Cardinales liberantur à patria poteſtate in his, quæ ipſis ſunt commoda, non ita tamen vt omittant ius ſuorum hæredum. Ita ille. Et reuera ſi hoc priuilegio gaudent qui à conſilio ſunt Imperatori, aut Regi, quanto magis illo gaudere debent qui à conſilio ſunt Summo Pontifici? & ita hanc ſententiam præter Doctores citatos tenet etiam Cucchus *in inſtit. can. lib.* 2. *tit.* 4. *num.* 87. vbi ſic ait: Fruuntur quoque hoc priuilegio Cardinales quòd abſoluuntur à patria poteſtate, non tamen vt iura ſuorum hæredum amittant, ſed hactenus dumtaxat, quatenus ipſis futurum eſt commodo; hinc etiam filiifamilias teſtari non prohibentur de bonis, quę habebant priùs, quàm efficerentur Cardinales, vel quæ ad eos peruenerint à coniunctis ſanguine.

RESOL. XXXIII. *An Cardinalibus egentibus teneatur Summus Pontifex ſubuenire? & curioſum notabile inuenies de ſanguinis miſſione Cardinalium.*

REſpondeo affirmatiuè cum Azorio *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *q.* 20. Albano *de Cardin. q.* 42. Manfredo *de Cardinal. deciſ.* 146. Lorichio *in Theſau. ver. Cardin.* §. 7. Bagno *de Eccl. dignit. tract.* 11. *fol.* 183. Lancellotto *in Templo iudic. lib.* 2. *c.* 3. §. 2. *n.* 21. Martino Laudenſi *de Card. q.* 6. & aliis communiter, caput enim membris ſuis indigentibus ſuccurrit. Vnde, vt obſeruat Cucchus *in inſtit. Can. lib.* 2. *tit.* 4. *n.* 132. non defuerunt qui opinati ſunt Cardinalibus indigentibus fiſci Apoſtolici redditus communicandos eſſe. Et ita tenet Dominicus *in cap. vbi periculum, de elect. in* 6. & Laudenſis *de Card. q.* 27. Et reuera ſi D. Paulus *ad Epheſ.* 5. ait; *Nemo carnem ſuam odio habet, ſed magis nutrit, & fouet eam*, vt etiam habetur *in cap. non aſtimemus* 15. *q.* 2. ſequitur quòd Pontifices egenis Cardinalibus non ſubuenientes, contra dictum D. Pauli, carnem ſuam odio habent, neque nutriunt, & fouent eam, quod apertè probatur. Nam Cardinales dicuntur inuiſcerati Papę, & dicuntur pars corporis Papæ & vna perſona cum illo, vt habetur *in cap. felicis, de pœnis in* 6. & docet Barbatia *tract. de Cardin. q.* 12. *n.* 6. Manfredus *de Cardin. cap.* 8. Iacobatius *de Conciliis, lib.* 1. *fol.* 89. *col.* 1. *lit. A.* Tuſchus *to.* 1. *concl.* 100. *num.* 13. Turrecremata *lib.* 1. *de Eccleſ. cap.* 81. Romanus *conſ.* 498. *num.* 7. Villadiego *de Cardin. quæſt.* 2. *n.* 11. & alij communiter. ex qua cauſa ego puto, quod eſt valde notandum, Cardinales ægritudine laborantes, non poſſe ſanguinis miſſionem pati, ſine ſpeciali licentia Papæ, vbi poſſet commodè haberi: vt ex Hoſtienſi docet Perez *in Pentateucho fidei, tr.* 3. *dub.* 3. *cap.* 8. *num.* 81. Villadiego *de Cardin. q.* 5. *n.* 13. Garzias *de nobilit. Hiſp. gl.* 48. §. 3. *num.* 47. Moſconius *de maieſtate militan. Eccl. lib.* 1. *p.* 1. *cap.* 5. Iacobatius *vbi ſupra, fol.* 34. *col.* 1. *lit. A.* & Manfredus *de Card. deciſ.* 180. Et reuera ſi dignitas Cardinalium tāta eſt, vt explicaui *in reſolut.* 1. & in tota ſerie huius tractatus, & ſit æqualis in omnibus, neſcio qua ratione vnus debeat abundare, & plures penuriam pati.

RESOL. XXXIV. *An Cardinalium domus gaudeant priuilegio immunitatis?*

AFfirmatiuam ſententiam ſępiùs docui, & nunc iterum doceo: & hanc ſententiam, præter Doctores alibi à me relatos, tenet nouiſſimè, me citato, Barboſa *de iure Eccl. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 80. cui nunc addo Iacobatium *de Conciliis, lib.* 1. *fol.* 38. *col.* 1. *lit. A.* Tuſchum *tom.* 1. *concl.* 100. *num.* 53. Cucchum *in inſt. can. lib.* 2. *tit.* 4. *nu.* 91. Sanch. *in opuſc. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 2. Manfredum *tr. de Cardinal. deciſ.* 147. & *cap.* 8. *priuileg.* 14. vbi ſic ait: Domus Cardinalis vbicumque fuerit, immunitate potitur Eccleſiæ, omneſque ibi confugientes tuti, & illæſi eſſe debent, neque iure vllo extrahi poſſunt, ſicuti neque ab Eccleſia. Ita ille. & licet Zechius *de Repub. Chriſt. tit.* 3. *de Card. n.* 9. *priuileg.* 9. aſſerat hoc priuilegium ſæpè à Pontificibus reuocari, hoc intelligendum in Vrbe, non autem extra.

RESOL. XXXV. *An Cardinales poßint aßiſtere in ſuis Eccleſiis, & dare licentiam aßiſtendi matrimonio?*

REſpondeo affirmatiuè, & ita docet in terminis Sanchez *de matrim. tom.* 1. *lib.* 3. *diſput.* 28. *n.* 7. & Baſilius Pontius *de matrimonio lib.* 5. *cap.* 10. *nu.* 6. quia, vt dictum eſt, in ſuis Eccleſiis habent Cardinales iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, text. *in c. his, quæ de maior. & obedien.* & *ibidem* Abbas, Felinus, Butrius, quibus adde Imolam *in Clem. ne Romani, 3. de Cardinal. num.* 9. *poſt* 11. *priuileg.* & ideo Rubeus *in Aphor. Epiſc. ver. Cardinalis, num.* 2. ſic ait. Cardinales in ſuis titulis habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & dant licentiam vt in eis coram Sacerdote non Parocho à ſuis ſubditis matrimonium contrahatur. Ita ille, & ego.

RESOL. XXXVI. *An liceat à ſententia Cardinalium appellare?*

ASſerunt communiter Doctores, non poſſe appellari à ſententiis totius cœtus Cardinalium, ſecus autem à ſententia vnius Cardinalis, nā ab illa datur appellatio. Ita docet Albanus *de Cardin. q.* 42. *priuileg.* 3. Iacobatius *de Concil. lib.* 1. *fol.* 38. *col.* 2. *lit. B.* Manfredus *de Cardinalib. in deciſ.* 30. Intriglio-lus *ſingul.* 130. *n.* 5. Laudenſis *de Cardin. quæſt.* 66. & 67. Azorius *tom.* 2. *l.* 4. *c.* 4. *q.* 20. Zechius *de Republ. Eccleſ.*

tit.

tit.3.de Cardinal.numer. 9.priuileg. 4. & Lorichius *in Thesau.ver. Cardinalis*,§.7.*priuil.* 10. Cucchus *in inst. canon.lib.2.tit.4.num.61.& 62.* & Ceuallos *de cognit. part.2.quæst.131.*

Sed non desinam hîc adnotare pro dignitate Dominorum Cardinalium,quòd aliquis posset dicere neque à sententia vnius Cardinalis dari appellationem,per textum iuncta glossa *in l.1 ff. de officio Prætoris*,vbi textus ait, à sententia Præfecti appellari non licere; & subiungit glossa Cardinalem Præfecto æquiparari. ergo illa glossa sic ad textum relata hanc quæstionem in fauorem Cardinalium determinat.& reuera si Ruginellus *tract.de appellat.* §.2.*cap.2.num.35.*Farinacius *q.*101. *limit.* 14. *num.72.* Rolandus à Valle *lib.1.cons.94. nu.1.* & alij communiter asserunt, quòd à Præfecto prætorio sententia non appellatur, quare appellandum est à sententia Cardinalium, qui Præfecto prætorio æquiparantur, vt docet Alex.*in rubr.de appellat.num.39. ver. sed quid de Cardinalibus.*

Imò si à sententia Regis non appellatur, vt obseruat Corsettus *de præst.Regis p 3.q 22.nu.18* Farinacius *vbi suprà*, & alij, neque à sententia Cardinaliũ videtur appellandum esse, quia Regibus æquiparantur. & ideò *in c.felicis,de pœn.in 6.*inferẽtes iniuriam Cardinalibus tanquam rei læsæ Maiestatis puniuntur,imò Reges vocantur,vt obseruat Gonzales *in regul. 8. Cancell glossa 24. num. 14.* Iason *in l. centurio,ff.de vulgar & pupill.substit.*& alij,quos citat & sequitur Barbosa *in collect.in Cod. tom.1. lib.1.tit.3. cap.21. num. 5.* & Bonacina *in tr.de elect.Summi Pont. disp.1.quæst.1.punct.1.§.2 num.2.*Sed,vt verum fatear, prima opinio est communis.

RESOL. XXXVII. *An quando mandatur causa Cardinali cum clausula* Appellatione remota,*censeatur exclusa etiam appellatio iusta?*

SVppono in rescriptis dictam clausulam apponi potiùs de stylo generali, quã de ministerio specialis, sonat enim potiùs in quamdam monitionẽ, videlicet vt non deferatur appellationi frustratoriæ, quàm quòd in alio deroget iuri communi; vnde talis clausula tollit solùm friuolas, non autem legitimas appellationes. Ita Cenedus *in qq. can. q. 45.num.43.*& Lancellot.*de attent.part.2.cap.12. limit. 8.num. 39. & 40.* & ideo ex Bartolo & Ripa docet Anton.Rippol *variar.resolut.c.2.de recus. omn. iudicũ, num. 222.*quòd prohibita appellatione, intelligitur solùm de friuola,non autem de vera & reali. Hoc tamen supposito, & non obstante,respondeo ad quæstionem propositam affirmatiuè, & ita docet Farinacius *in fragmen.crim.part.2.ver.iudex,num.963.* Tuschus *conclus.400.num.11.* Barbosa *clausul. 9. num. 17.*Cucchus *in instit. canon. lib. 2.tit.4. num.103.*Zechius *de Republica Christiana tit.3. de Cardinal.num.9.* vbi sic ait. Quando Cardinali causa mandatur appellatione remota non friuola tantùm, sed quæcumque appellatio vetita censetur iusta,vel iniusta. Ita ille,& ante illum Iacobatius *de Conciliis lib.1. fol. 38 col 1.lit. B.* Lorichius *in Thesaur. ver. Cardinalis §. 7.priuileg.9.*Manfredus *de Cardinal. decis. 156.* & Albanus *de Cardinal. quæst. 42. priuileg. 4.* vbi sic ait. Clausula, *Appellatione remota*, in commissionibus apposita friuolas tantummodo appellationes reiicere videtur;secus tamen est, quando in commissione Cardinali apposita esset.

Notandum est etiam hîc obiter pro præstantia Cardinalitiæ dignitatis, quòd causa semel commissa Cardinali,& ab eo non decisa, non committitur alteri inferiori à Cardinali, propter illius honorem. Ita Manfredus *vbi suprà decis. 179.* & Iacobatius *loco cit.* Item in signaturis, & iudicijs cùm Papa eis causas delegat,non solere apponere clausulam, vt iustitiam faciant, sed tantùm vt audiant & decidant ne eis cum his verbis iniuriam inferre videatur. Ita Zechius *de Repub. Christ tit.3.de Cardinal.numer 9.priuileg. 11.* Cucchus *in instit. can.lib.2. tit.4.num.77.*

RESOL. XXXVIII. *An Cardinales si sint in patrimonialibus diuites possint adhuc viuere de redditibus Ecclesiasticis?*

RESpondeo affirmatiuè cum Manfredo *de Cardinal.decis.183.* vbi sic ait. Cardinales possunt viuere de redditibus Cardinalatus, & conseruare patrimonium proprium, etiam quod esset amplũ, & possunt in victu vti pluribus ferculis. Ita ille, & ante illum hanc quæstionẽ fusè pertractauit Barbatia *de Cardinal.quæst.6.per totam* vbi pro negatiua sententia adducit plures textus. Sed tandem post multa *num.16.*affirmatiuæ adhæret, vbi *num.18* asserit quòd Cardinales honorabiliùs debent vestire familiam suam, quàm faciant alij Prælati inferiores, est enim eorum dignitas amplissima, vt visum est in prima resol.huius tractatus.Vnde rectè Germonius *de sacra immun.lib.3. cap.6.num.71.* asseruit, mirum non videri, si ad tantam dignitatis amplitudinem,grauitatem, & auctoritatem retinendam vario & sumptuoso ornatu in vestibus, familia & ædibus vti eos oporteat.

RESOL. XXXIX. *An vt maritus promoueatur ad Cardinalatum, opus sit vt vxor ingrediatur Religionem?*

CAsus est curiosus, & de illo ego olim interrogatus fui à magno quodam Dynasta vxorato, & affirmatiuam sententiã ex Anania docet Manfredus *de Cardinal. decis. 213.* vbi sic ait: Cardinalis non potest esse vxoratus nisi vxor Religionem profiteretur. Sic ille,& post illum Maiolus *de irreg. lib.1.c.34. nu.2.* & in hanc sententiam inclinat Ioan. Andreas *in c.sanè de conuers.coniugat.* & *ibi* Abbas *n.3.* Cardinalis *in fine*,& Ancharanus *in fine.*& ratio est, quia,vt habetur ex *d.cap.sanè*, & docent communiter Iurisperiti,& Theologi, vt maritus promoueatur ad Episcopatum, necessaria est professio vxoris in religionem: ergo & idem dicendum est,vt quis promoueatur ad Cardinalatum, quia, vt dictum est sæpiùs suprà, in suis titulis habent iurisdictionem Episcopalem.

Sed vt aliquis vxoratus ad Cardinalatum promoueatur, ego existimo cum Sanchez *de matrim. tom.2.lib.7. dub. 41.num.4.* non amplius desiderari, quàm ad Ordines à viro assumendos quia, vt verum fatear, non inuenio textum aliquem specialẽ in hoc casu differentem, & decidentem, neque ra-

tiones in contrarium conuincunt; ſufficeret igitur vt vxor Cardinalis remaneret in ſæculo cum voto caſtitatis, ſiue vetula, ſiue iuuenis eſſet, nam hoc tantùm ſufficit de iure, vt vir ad ſacros Ordines promoueatur, teſte ſapientiſſimo Baſilio Pontio *de matrim. lib. 7. c. 25. n. 7.* vbi ſic ait. Denique dixerim neque antiquo, neque nouo iure requiſitum fuiſſe, vt vxores eorum, qui ad alios ſacros Ordines, præter Epiſcopatum, promouebantur, Religionem profiterentur ſed tantùm vt continentiam in ſæculo vouerent, ſiue in ſenili, ſiue in iuuenili ætate eſſent conſtitutæ. nam textus *in d. c. ſanè*, ſolùm agit de his, qui Epiſcopi ordinabantur; textus etiam Alex. III. *in d. cap. coniugatus de conuerſ. coniugat.* in quo de aliis ordinatis agitur, ſolùm exigit vt continentiam profiteantur. ibi, *niſi ab vxore continentiam profitente fuerit abſolutus.* quo verbo gloſſa ibi intelligit ſimplex caſtitatis votum. Vnde in eo diſcriminantur vxores eorum, qui ad Religionem tranſeunt, quòd iſtæ profiteri Religionem compelluntur, niſi ſenes ſint. *c. cùm ſis de conuerſ. coniug.* At eorum, qui ad Ordines aſſumuntur, minimè diſcriminantur etiam vxores eorum, qui ad Epiſcopatum euehuntur, & qui ad alios Ordines aſcendunt, quòd illæ profiteri Religionem, iſtæ continentiam tantùm vouere coguntur, idque fortè ſic conſtitutum eſt ob maiorem reuerentiam ſtatui Epiſcopali debitam Ita Pontius, de rigore iuris loquendo.

Notandum eſt tamen hîc obiter quòd dignitas Cardinalatus ſtatim per contractum matrimonij per verba de præſenti expirat, tanquam dignitas Clericatui annexa. Ita Ricciullus *de iure perſonarum*, & c. *lib. 7. c. 1. nu. 16.* qui obſeruat hoc ætate noſtra contigiſſe.

RESOL. XL. *An Cardinalis iuſtè impeditus poſſit vices ſuas in creando Summo Pontifice alteri demandare?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Manfredus *de Card. deciſ. 280.* vbi ſic ait. Cardinalis iuſto detentus impedimento vices ſuas alteri in electione Papæ demandare poteſt. Ita ille. Probari poteſt hęc opinio ex *c. ſi quis iuſto, de elect. in 6.* & Paleottus *de ſacro Conſiſt. p. 5. q. 7.* notat abſentem poſſe conſtituere Procuratorem ad eligendum, & ſuffragium ferendum in ſcrutinio, & citat Mandagotum *de elect. Prælat. cap. 10. 11. & 12.*

Verùm negatiuam ſententiam docet ex Ancharano & Philippo Franco Azorius *tom. 2. lib. 4. cap. 2. quæſt. 9.* & Megalius *in promptuar. ver. Cardinalis, n. 19.* quia non eſt Cardinalibus id iure conceſſum.

RESOL. XLI. *An Cardinales ſoluantur legibus, quæ prohibent duo, aut plura beneficia ſimul habere? vt patet* in cap. de multa. & in Extrauagant. de Præbendis.

NEgatiuam ſententiam docet Abbas *in cap. bonæ memoriæ, de poſtulat. in cap. ex geſtis, de Cler. non reſiden. & in cap. Eccleſia veſtra, de elect.* cum multis aliis. Sed affirmatiuam ſententiam docet Hoſtienſis *in cap. Eccleſia veſtra, de electione*, & alij quos citat & ſequitur Barbatia *de Cardinal. quæſt. 12. nu. 6.* cui adde Hieronymum Manfred. *de Cardinal. deciſ. 208.* & Martinum Laudenſem *de Cardinal. quæſt. 42.* & ratio eſt, quia regimini Eccleſiæ vniuerſalis inuigilant, & conſequẽter cuiuſcumque particularis Eccleſiæ dicuntur deſeruire. Secundò Cardinales, vt ſuprà dictum eſt ex *cap. felicis, de pœnis in 6.* ſunt pars corporis Papæ: ergo iura prohibentia aliquem habere duas dignitates, non comprehendunt Cardinales: conſueuit enim Papa in conſtitutione ſua, quando vult comprehendere Cardinales, facere expreſſam mentionem de illis Venerandis Patribus, *cap. 1. de ſchiſmat. lib. 6.* Tertiò facit. Ad eum caſum non adaptatur conſtitutio, ad quem caſum non adaptantur verba ſua, *l. quod conſtitutum, ff. de teſtament. milit. cap. indemnitatibus. §. ſed cùm eas, de elect. lib. 6.* cum ſimil. Sed verba cap. *de multa, de præben. & dicti cap. dubium*, & illius Extrauagant. *Execrabilis*, non adaptantur ad Cardinales; ergo non habent locum in eis, per ſupradicta. ergo minimè debemus extendere illa iura ad Cardinales. *l. nominis & rei, §. verbum ex legibus, ff de verb. ſignif. l. ſi ſeruus, §. non dixit Prætor ff. de acquir. hæred.*

Sed ſi quis ſtare velit in prima opinione, dicendum eſt cum Azorio *tom. 2. lib. 4. cap. 5. q. 4.* & aliis, quòd in Cardinalibus iuſta ſubeſt cauſa, vt Romani Pontificis Indulgentia ab huiuſmodi legibus ſoluti plura Eccleſiaſtica beneficia conſequantur. nam, vt habetur *in Extrauagant. Execrabilis, de præb.* inter Extrauagantes Ioan XXII Cardinalibus conceditur, vt plura beneficia ſimul habeant. Item, vt *in cap multa de præben.* dicitur, iuſta cauſa eſt ad plura beneficia poſſidenda, ſi quis ſit doctrina, fama, induſtria, & prudentia clarus, cuius opera & diligentia maximè vtilis eſſe credatur; Eccleſia enim talibus viris indigere videtur, & ob id eis multa concedi poſſe conſtat, quæ cæteris meritò denegantur, vt inſinuat lex *in cap. cùm ex eo, de elect. in 6.* Nam idcirco egregiis, ſtrenuiſque militibus, & ducibus maiora ſtipendia & præmia tribuuntur, præſertim cùm ob ſplendorem & excellentiam perſonarum à rigore legum recedi poſſet, *l. ad beſtias, ff. de pœnis*, & Cardinales honoris, amplitudinis, & dignitatis authoritate præſtent. ergo, &c. Et hanc ſententiam docet etiam Sebaſtianus Cæſar *de Eccleſ. Hierarch. part. 1. diſput. 2. §. 5. num. 12.* vbi docet Cardinales plura beneficia incompatibilia poſſe facilè ex diſpenſatione obtinere.

Notandum eſt etiam hîc obiter, Cardinales habere priuilegium, quòd beneficia ſuorum familiarium non poſſunt conferri per Papam ſine conſenſu Cardinalis Patroni. Ita Ægidius Bellen. *conſil. 19. n. 2. verſ. 5.* vbi ſubdit quòd pari ratione Cardinalis Legatus. quamcumque ampliſſimam poteſtatem habens conferendi beneficia non confert vacantia per obitum familiaris Papæ, vel Cardinalis. Ita Cardinalis Tuſch. *tom. 1. lit. C. concl. 100. num. 41.* & poſt illum Barboſa *de iure Eccleſ. lib. 1. c. 4. nu. 84.*

RESOL.

RESOL. XLII. *An Cardinales poſſint in Curia conferre ſine concurſu, Parochialem Eccleſiam, quæ vacauit in ſua Diœceſi?*

REſpondeo poſſe, dummodo ille, cui confertur, fuerit examinatus ab examinatoribus deputatis à Papa, vel eius Vicario. Diſpoſitionem verò ſacri Concilij Trid. *c.18. de reform. ſeſſ.14.* ibi, *etiam ſi ipſa Parochialis reſernata*, &c. etiam vigore Indulti S.R.E. Cardinal. putat habere locum circa Indulta extraordinaria dumtaxat, vel niſi Indulta ſint extraordinaria, nimirum circa ea beneficia, quorum collationes ſpectant ad Cardinales ratione alicuius Abbatiæ, vel dignitatis, quas poſſident in aliena Diœceſi non autem circa Indulta ordinaria. & ita docet Germonius *tract. de Indul. cur. § quibuſuis, nu. 9.* & poſt illum Maſſobrius *in praxi habendi concurſ. requiſ. 7. dub. 42.* qui pro hac firmanda ſententia adducunt multas rationes.

RESOL. XLIII. *An Vicarius Cardinalis habens facultatem conferendi beneficia, poſſit illa conferre extra Diœceſim?*

DE Cardinalibus non eſt difficultas, quia Ordinarius poteſt extra territorium exercere ea, quæ ſunt voluntariæ iuriſdictionis, & cauſæ cognitionem non requirunt, ex *l.2. ff. de officio Proconſ. & Legat.* & ex gl. *in c. nouit, de officio Legat.* & latè Iaſon. *in l. extra territorium. ff. de iuriſdict.* extra territorium, ſeu Diœceſim poſſe conferre beneficia. Eſt igitur quæſtio, ſi Cardinalis Vicario generali ſuo dederit facultatem conferendi beneficia an poſſit idem Vicarius conferre extra Diœceſim? & poſt multa Germonius *tract. de Indulg. §. tibi, num. 85.* in affirmatiuam ſententiam tranſit.

Verùm Maſſobrius *in praxi habendi concurſ. præl. 26. dub. 5. num. 6.* diſtinguendum putat, ait enim, aut Cardinalis qui habet Indultum, reperitur in Rom. Cur. aut etiam eſt abſens à Curia, & Diœceſi, ſed cum licentia Papæ, & ſic poterit eius Vicarius etiã extra Diœceſim conferre. Aut eſt abſens ſine licentia, & tunc nequaquam poterit Vicarius conferre, ex prædictis, quia Cardinalis non potuiſſet id ei dare, nemo enim dat quod non habet. *can. Daibertum. 1. q. 7.* facit *c. nemo 79. de reg. iur. in 6.*

RESOL. XLIV. *An Cardinales poſſint conferre beneficia Epiſcopatuum à ſe reſignatorum, etiam poſt præconizationem reſignatarij, ſi nondum tamen fuerit adeptus poſſeſſionem?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Germonius *de Indulg. Cardin. §. nec non quarumcumque, nu. 22.* nam qui reſignauit Epiſcopatum in fauorem alicuius, eſt adhuc eius dominus, & poteſt conferre beneficia tum ratione indulti, tum poteſtate ordinaria, quia adhuc in poſſeſſione eſt; & quamquam dicatur per reſignationem eſſe priuatum, intelligi tamen debet de poſſeſſione iuris, quam perdit, non tamen poſſeſſione naturali, cui poteſt incumbere, donec ſciat præfatam rationem habuiſſe effectum, vt cenſet Innocent. *ad cap. qui in dubiis, de rer. permut.* & captam eſſe poſſeſſionem. Vnde Gomezius *ad reg. de publ. q. 15.* ſcribit eandem regulam non habere locum niſi tribus concurrentibus, videlicet quòd reſignatio non fuerit publicata, poſſeſſio petita, & quòd reſignans deceſſerit in poſſeſſione, & Puteus *deciſ. 337. n. 2. lib. 3.* ait, quòd tunc reſignatarius dicitur ciuiliter & naturaliter poſſidere, quando eſt apprehenſa poſſeſſio, & *in deciſ 158. nu. 3. eodem lib. 3.* quòd cùm ſit reſignatio in fauorem certæ perſonæ ante apprehenſionem, ſeu acquiſitionem, reſignans dicitur etiam poſſidere, & titulum coloratum habere. Hæc Germonius, cuius ſententiam ſequitur etiam Maſſobrius *in praxi habendi concurſ. præl. 25. dub. 6. num. 6.*

RESOL. XLV. *An Cardinalis ad Epiſcopatum aſſumptus, ſi nondum poſſeſſionem fuerit adeptus, poſſit adhuc beneficia conferre?*

NEgatiuè reſpondet Archidiaconus *in c. eum, qui, de præbend. in 6.* Dynus *ad reg. 1. nu. 17. de regulis iuris in 6.* Ripa *conſ. 11.* Rebuffus *in praxi benefic. tit. de ſimonia, in reſign. n. 44.* & alij. Ait enim Dynus canonicam inſtitutionem appellari illam, in qua omnia ſubſtantialia concurrant, videlicet inſtitutio, ſeu collatio, inueſtitura, ſeu collationis confirmatio, & miſſio in poſſeſſionem. Per inſtitutionem verbalem tribuitur ius proprietatis, per inueſtituram declaratur, & confirmatur: illius iuris collatio, vt *c. adhæc, § in quadam, & c. vt noſtrum, de offic. Archid. & c. cùm ex iniuncto, de hæret.* & per inductionem in poſſeſſionem tribuitur ius poſſeſſionis, vel quaſi, & ius adminiſtrationis, *d. cap. ad hæc, & cap. vt noſtrum*, ibi, *ponere Abbates, & Abbatiſſas in Sede*, ergo, &c.

Verùm ego affirmatiuæ opinioni adhæreo, quã docet Germonius *de Indulg. §. nec non, nu. 8.* vbi poſt multa concludit poſſeſſionis apprehenſionem eſſe vtique neceſſariam quoad ſolemnitatem, vt poſſit prouiſus oſtendere ſe eſſe in poſſeſſione, ſicque illatam moleſtiam repellere, inferendamve præcauere; non ſequi tamen quin ante adeptam poſſeſſionem poſſit adminiſtrare & exercere ea, quæ ſunt iuriſdictionis, dummodo tertio non præiudicet. Sed ſic eſt, vt notat Innoc. Hoſtienſis, Abbas *in c. tranſmiſſi, de elect.* cum Oldrado *conſ. 191.* quòd ſtatim ac quis eſt electus Epiſcopus, & confirmatus, poteſt exercere ea quæ ſunt iuriſdictionis, vti eſt beneficiorum collatio etiam extra Diœceſim, etſi nondum in eam ſe contulerit, ſic Eccleſia dicitur vacare vſque ad confirmationem, gl. *ad Clem. 1. ver. collatio, vt lite pendent.* & *ibi* not. Imola *n. 20. verſ. iuxta prædicta.* Felin. *ad c. cùm Bertoldus, col. 2. n. 3. verſ. dixit etiam, de re iudic.* Pauin. *de offic. & poteſt. Cap. Sed vac. prælud. 7. num. 16. in fine.* Franc. *ad c. quamuis. §. 1. num. 1. de elect. lib. 6.* Rota *deciſion. 6. verſ. hoc etiam, de elect. in nouiſ. deciſ. 182. diuerſ. p. 2.* quæ cùm luce clariora ſint, videtur dicendum non opus eſſe poſſeſſionis apprehenſione vt Cardinalis virtute indulti conferat, etiamſi eam & naturaliter & corporaliter nondum ceperit, vt ait Innocent. *in c. cùm ſuper, ibid. n. 17. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* ſequitur Abbas, cui adſtipulantur Gemin. & Pariſ. *ad cap. eum qui, de præben. lib. 6.* & ita hanc ſententiam ex neotericis, præter Germonium tenet etiam Maſſobrius *in praxi habendi concurſ. prælud. 26. dub. 6. num. 3.* quando Epiſcopus Cardinalis fuerit confirmatus, & quando

poſſeſſio talis Epiſcopatus fuerit vacua. nam ſi fuerit ab aliquo occupata, putat priùs poſſeſſorem expellendum eſſe iuſta ſententia.

Notandum etiam hîc obiter Cardinales poſſe conferre beneficia commendata ſiue ad tempus, ſiue ad vitam diſſoluta commenda, & idem de vnitis diſſolutis vnionibus. Ita Germonius *loco citat. §. quæ extra, num.* 18. & Maſſobrius *dub.* 15.

RESOL. XLVI. *An Cardinales includantur in ſententia ſuſpenſionis, vel interdicti à Summo Pontifice impoſita?*

REſpondeo negatiuè; ex *c. quia periculoſum, de ſententia excom. in* 6. qui quidem textus licet loquatur de Epiſcopis tantùm, Doctores illum extendunt etiam ad Cardinales non Epiſcopos, quia in ſua Eccleſia ſunt dignitate Epiſcopi, & ita ex Auila & Sayro docet Hurtadus *de Sacram. tr. de ſuſpenſ. diſſic. 9 n* 23. quibus adde Cornejo *in 3. part. tr. 5. de ſuſpenſ diſp 3. dub* 1. *q.* 2. Albanum *de Cardin. q.* 42. *priuileg.* 31. & Azorium *tom. 2. lib. 4. c. 3. q.* 20. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 34. *§ 2. in gloſſa lit. X.* Bagnum *de dignitate S. R. E. tract.* 11. *fol.* 183. & Bellettum *in diſq. Cler. part.* 1. *de diſcipl. Cler. §.* 2. *num.* 48.

RESOL. XLVII. *An Cardinales in Eccleſiis ſibi commiſſis poſſint conferre beneficia & exercere iuriſdictionem ante captam poſſeſſionem, & oſtenſionem litterarum?*

VIdetur negatiuè reſpondendum, & ideo Epiſcopus non poteſt abſque litterarum oſtenſione poſſeſſionem conſequi, vt docet Pariſius *de reſignat. lib.* 8. *q.* 5. *n.* 33. Azorius *p.* 2. *lib.* 3. *c.* 29. *q.* 9. & alij, nam quamuis iure communi, vbi quis erit canonica inſtitutione confirmatus, habeat ea, quæ ſunt iuriſdictionis, dignitatis, & de lege Diœceſana, *cap. tranſmiſſam. c. noſti; c. qualiter. de elect. c. inter corporalia, de tranſlat. Epiſc.* & ſtatim ac ſunt propoſiti in Conſiſtorio ſanctitatis ſuæ, dicantur electi, nominati, deſignati, præſentati, inſtituti, ac confirmati; nihilominus per *Extrau. iniunctæ, de elect.* inter communes, ſi velint prædicta exercere, debent obtinere prædictas litteras, aliàs poſſeſſionem Epiſcopatus conſequi non poſſunt.

His tamen non obſtantibus dict. Extrauag. *iniunctæ* non habet locum in Cardinalibus Epiſcopis, qui ante poſſeſſionem adeptam, & oſtenſionem litterarum iuriſdictionem exercere poſſunt, vt obſeruat Lauorius *in var. elucubr tit.* 4. *c.* 25. *nu.* 10. Gonzales *in reg.* 8. *Cancell. gl.* 24. *n.* 7. Barboſa *de poteſt Epiſc. part.* 3. *allegat.* 111. *nu.* 35. Bellenchus *de charitate ſubſi. qu.* 60. *num* 16. & alij.

RESOL. XLVIII. *An priuilegia Epiſcopis conceſſa extendantur ad Cardinales?*

FErè ſemper extendenda ſunt, & ſic ſuprà dictũ eſt Cardinales gaudere priuilegiis Epiſcoporum, *in c. quia periculoſum, de ſent. excom. in* 6. *& in c. fin. de pœnit. & remiſſ.* & ideo poſſunt eligere ſibi Confeſſarium, neque includuntur in generali interdicto, vel ſuſpenſione. & ſic non deſinam hîc apponere verba Pauli Layman *in Theol. morali, lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *c.* 2. *n.* 1. vbi ſic ait. Attenta praxi Eccleſiæ, priuilegia Epiſcopis propter ſtatus dignitatem conceſſa, ad Cardinales fermè extendi ſolent, propter maiorem eorum dignitatem. Ita ille, & ego: & ideo Manfred. *de Cardinal. deciſ.* 214. docet Cardinales habere illa ſex priuilegia Epiſcoporum, de quibus per gloſſam *in cap final. de priuileg. in* 6.

RESOL. XLIX. *An Cardinalis poſſit ſine ſcrupulo tacere, quando in Conſiſtorio aliquid non benè determinatur?*

DE hac quæſtione latè diſputat Albanus *de Cardin. q.* 10. *per totam*, vbi ex multis rationibus probat Cardinales ſemper, & quocumque caſu veritatem profiteri debere, eoſque citra peccatum, quod pro veritate ſentiunt, tacere non poſſe, quia qui de Collegio ſunt in his quæ ad vniuerſale cõmodum pertinent, ex vi officij ſui tacere non poſſunt. arg. *c.* 1. *de his quæ fiunt à maiori part. Cap.* Verùm ſi is, qui loqui tenetur, ſileat, in ſui præiudicium conſentire cenſetur. *l. de ætate, §. qui tacuit. ff. de interrogat. & reg. qui tacet, de reg. iur in* 6. & ita hac ratione motus dixit Abbas poſt Innoc. *in d. c.* 1. vbi quemlibet de Collegio ad liberè loquendum cogi docuerunt, & totis viribus reſiſtere, ſi quicquam aduersùs honorem, vel Capituli vtilitatem pertractaretur, aliter eum grauiter errare, & licet de Collegio ſimplici loquatur, idem tamen, & multo etiam magis de hoc ſacro Senatu reſpondendum eſt, cũ longè maioris ponderis ſit alius Collegiis inferioribus, quia minus peccatum & minor pœna, maior eſt in maiore, ait gl. *in c.* 2. *in ver. Sacerdotale, de offic. deleg. in* 6. & prædicta quæ per Innoc. & Abb. *in d. c.* 1. tradita ſunt, ſequutus eſt Abbas etiam *in c. continebatur, eodem tit. in c. dilectus el* 2. *de ſimonia, in cap. veſtra, de locat. & in cap. in cauſis. de elect.*

Nec valet dicere quòd quando maior Collegij pars contrarium approbat, vana futura eſſet oratio, nam reſpondeo eum omnino confidere debere ſe inuictam veritatem proferentem alios quoque in ſuam ſententiam adducturum, arg. *l. ſi in tres. ff. de arbitr.* Veritas enim omnia vincit, *c. conſuetudo* 8. *diſtinct.* & labium veritatis firmum erit in perpetuum, *Prou.* 12. tranſumptiuè *in c. qui ambulat.* 5. *q.* 5. & ſemper veritati locum eſſe ait Iuriſconſult. *in l. fin. ff. de probat.* qui autem veritati innititur, ei Deus qui eſt ipſa veritas, auxilio eſt. Ita Alban. *vbi ſuprà.*

Verùm mihi placet ad præſentem quæſtionem cum Azorio *tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 3. *q.* 17. diſtinguendo reſpondere. nam illud, quod proponitur in Conſiſtorio, aut certò & euidenter eſt contra commune Eccleſiæ bonum, & tunc tuta conſcientia tacere veritatem Cardinalis non poteſt, quamuis ſibi odium pariat; aut res dubia eſt, & tunc ſi maiori Cardinalium parti contraria ſententia placuiſſet, & nihil profuturam ſuam ſententiam Cardinalis certò, aut manifeſtò, aut ſaltem bona fide intelligat, tuta conſcientia contrariæ maioris partis ſententiæ adhærere poteſt; tunc enim non videtur errare, & in odium aliorum incideret, aut imprudens haberetur. Item ſuo ſuffragio nihil prorſus Cardinalis efficeret, & in dubiis prudenter aliorum conſilium ſequimur.

RESOL.

RESOL. L. *An Cardinales ex licentia Summi Pontificis possint testari de bonis perceptis Cardinalitij galeri?*

NEgat Barbatia *de Card. q. 4. nu.7.* vbi sic ait. Si quæritur vtrùm Papa possit concedere potestatem testandi Cardinalibus de rebus quæsitis intuitu Cardinalatus, & videtur dicēdum, quod potest haberi, habet enim potestatem supra ius positiuum *c. innotuit, de elect. c proposuit, de concess. præb.* cum similib. Sed iura positiua prohibuerint Clericos, Sacerdotes, Episcopos, Cardinales, & similes posse testari de rebus quæsitis ab Ecclesia: ergo Papa potuit circa illa iura dispositiua dispensare, & propter hoc seruatur communis moderna obseruantia, in quo videmus Summum Pontificem concedere huiusmodi potestatem. Aut quæritur, vtrùm Papa possit concedere potestatem Cardinalibus testandi super rebus quæsitis ex Cardinalatu, relinquendo illas extraneis, & præferendo eos Ecclesiæ, & tunc si hoc facere potest, sit ipse Deus iudex, qui omnia nouit, iuxta illud, Nouit ille, qui nihil ignorat. *cap. nouit, de iudic.* subiicio tamen me decisioni sanctæ matris Ecclesiæ. & pondera etiam, quia licet Papa concedat facultatem testandi Cardinalibus de rebus quæsitis intuitu Cardinalatus, debet restringi, & limitari illa potestas, videlicet ad benè meritos, vt superiùs in præcedenti quæstione dixi, vel ad pias causas, seu ad eleemosynas.

Verùm his non obstantibus affirmatiuam sententiam docet Azorius *tom. 2. lib. 4. cap. 3. q. 6.* quia hæc bona Cardinalibus non dantur ratione Ecclesiæ, vel beneficij Ecclesiastici, sed simpliciter ratione muneris & officij, quo apud Pontificem funguntur. Sed in hoc attendenda est consuetudo Romanæ Curiæ.

RESOL LI. *An Cardinales in testamentis gaudeant priuilegio militum?*

SVppono priuilegium militum consistere primò circa formam & solemnitatem testamenti, vt septem testes non requirantur, sed duo solùm, vel ad validandam dispositionem, si miles testetur in castris extra conflictum belli, vel ad verificandam scripturam militis testamentum facientis in conflictu belli, vt superiùs dictum est. Secundò circa substantiam & efficaciam dispositionis, quia miles potest decedere pro parte testatus, & pro parte intestatus, *l. miles ita ff. de milit. testam.* quod paganis non permittitur. Tertiò circa personam hæredis instituti, quia potest instituere etiam personam incapacem, vt est deportatus, *l. neque, §. & deportati, ff. de milit. test.* & ita docet Molfesius *in sum. tom. 2. tract. 12. cap. 2. n 59.* & alij communiter. Hoc supposito negatiuè respondet ad propositam quæstionem Iason *in l. quamquam, C. de test. mil.* qui ait ideo hoc priuilegium militibus concedi, quia simplices & ignari interpretatione iuris existimantur, quæ quidem ratio in Cardinalibus non viget, ergo, &c.

Sed his minimè suffragantibus asserunt Doctores, Cardinales habere priuilegium testandi iure militari, & ita docet Albanus *de Cardinal. quæst. 42. §. secundò principaliter*, vbi pro hac sententia citat Baldum. Item docet Manfredus *de Cardinal. decis. 221.* & Zechius *de Republ. Christ. tit. 3. de Cardin. num. 9 priuil. 11.* cum Gratiano *in disceptat. tom. 2. cap. 312. num. 11.* Germonio *de sacra immun. lib. 3. cap. 6. nu. 66.* & Bagno *de S. R. E. dignitatibus, tract. 11. fol. 182.*

RESOL. LII. *An Cardinales testantes ex facultate Pontificis, teneantur adhibere formulam iuris ciuilis, aut Canonici?*

AD hoc dubium respondet Azorius *tom. 2. l. 4. c. 3. quæst. 7.* facultatem dictam intelligi, vt testari queat seruatis, quæ Canonico iure, non ciuili, præscribuntur, & quia ius Canonicum, vt patet ex *cap. cùm esses, & cap. relatum, de testam.* solùm requirit duos, aut tres testes, ideo testamentum subsistit factum à Cardinali duobus, aut tribus testibus adhibitis, quamuis iure ciuili septem requirantur. Testamenta Cardinalium Romani Pontificis consensu facta iuxta Canones, non leges ciuiles metiri debemus. Hæc Azorius, qui malè pro contraria sententia citat Barbatiam *de Cardinal. quæst. 4. num. 9.* nam, vt legenti patet, apertè docet Cardinales testantes ex facultate Papæ validè testari cum formulis iuris Canonici, quod etiam nouissimè docet Bagnus *de dignitatibus Cardinalium S. R. E. tract. 11. fol. 180.*

Non desinam tamen hîc adnotare ea, quæ circa præsens dubium notat Germonius *tract. de indult. Cardinal. §. quod tu Romanum, num. 22.* vbi sic ait: Inanis redditur illa quæstio, an si Papa concedat Cardinali testandi facultatem, hæc facultas accipi debeat, prout ius ciuile disponit, aut prout Pontificium. In qua sanè controuersia mihi tempus conterere videntur interpretes nostri, quos citat & sequitur Andreas Barbatia *in dicta quæst. 4. num. 7. ver. sed potest quisquam, vsque ad finem*, nam si verum est, vt est vero verius, Cardinales posse de rebus propriis, patrimonialibus inquam, & ex propria industria acquisitis, vel ab amicis, affinibus intuitu personæ, non æquè dignitatis relictis liberè disponere, si verum quoque est, prout est, Principem concedendo testandi facultatem alicui videri concedere, quod ille non habet, videtur Pontifex Maximus Cardinali concedere, vt testari possit de acquisitis ex fructibus rerum Ecclesiasticarum, quæ sanè bona regulantur, vt nemo nescit, secundùm Pontificias dispositiones, non autem Cæsareas constitutiones. Atqui iure Pontificio cautum est, vt videas *in cap. cùm esset, cap. relatum 1.* vbi omnes notant, *de testam.* subsistere testamentum, in quo duo tantùm, vel tres fuerint adhibiti testes, cùm septem iure ciuili esse debeant. Vnde in ea sum sententia, vt existimem facultatem testandi Cardinali concessam, non de solemnitatibus intelligi debere, sed de dispositione bonorum, de quibus aliàs ipse testari non poterat, etsi idem Barbatius parum cautè post Salicetum putauerit *in d. quæst. 4. num. 9.* Cardinalem hac facultate habita quoad solemnitatem testamenti non teneri testes adhibere, licet teneatur quoad probationem, quæ quidem solutio absurda non videtur in eo, qui cùm liberam habeat testamenti factionem, facultatem testandi à Prin-

cipe

cipe obtinet quia licet tũc possit omittere solemnitates, præcipuè quoad numerum testium de iure communi necessariorum, rectiùs tamen fecerit si propter pleniorem probationem nos adhibuerit, ne in falsitatis discrimen veniat testamentum. Huc vsque Germonius.

RESOL. LIII. *An facultas concessa Cardinalibus testandi intelligatur pro prima vice?*

AFfirmatiuè respondet Cucchus *in inst. Can. l. 2. tit. 4 nu. 90.* & Zechius *de Republ. Christ tit. 3 de Card. num. 9. priuil. 8.* vbi sic ait. Solet à Pontificibus Cardinalibus concedi, vt de fructibus ex beneficiis quæsitis testari possint, quæ tamen licentia facto primo testamento extinguitur. Ita ille, qui pro sua sententia citat Decium *cons. 52.* & Socinum iuniorem *lib. 1. consil. 89.* & ita licentia vt aliquis monasterium Monialium ingrediatur, vel vt ad Vrbem accedat, intelligenda est vt semel tantùm introeat, vel in Vrbem veniat.

Verùm mihi contraria sententia placet, quam loquens in terminis de Cardinalibus docet Azorius *tom. 2. lib. 4. cap 3. quæs. 10.* vbi ex multis docet facultatem testandi per primum testamentum non expirare, non enim est idem iuris de testamento quod de aliis rebus, nam testamentum non nisi morte testatoris confirmatur, & hominis voluntas vltima non est ante mortem, vt cætera primo actu perficiuntur.

RESOL. LIV. *An licentia concessa Cardinalibus testandi expiret mortuo Papa, qui illam concessit?*

AFfirmatiuè respondet Cucchus *in instit. can. l. 2. tit. 4. n. 90.* & Zechius *de Rep. Christ. tit. 3. de Cardinal. num 9. priuil* 8. vbi sic ait. Solet à Pontificibus concedi Cardinalibus vt de fructibus ex beneficiis quæsitis testari possint, quæ tamen licentia extinguitur mortuo concedente testamento non facto. Sic ille, qui citat pro hac sententia Socinum iuniorem *lib. 1. cons. 89. num. 33.* & ratio est, quia est facultas ad actum odiosum, & iuri communi repugnantem.

Sed ego contrariam sententiam teneo, quia cùm testamentum vim non habeat, nisi post testantis mortem, illi cui testandi licentia concessa est, imputari nequit concedente superstite eum testatum non fuisse, siquidem longiorem vitam adeptus est, quam is, qui facultatem cõcessit, & ea facultas pro tempore mortis, à quo debet testamentum vim habere deseruit potissimum, & ita docet mutans sententiam Couarruuias *in cap. cùm in officiis, num. 8. de testam in 2. edit.* Guttierrez *in qq. pract. lib. 2. q. 75. nu. 1. & seq.* Bursatus *vol. 1. cons. 30.* Henriquez *lib. 7. c. 21. n. 6.* Molina *de iustitia, tom. 1. tract. 2. disp. 141.* & alij, quos citat & sequitur Sanchez *de matrim. tom. 2. l. 8. disp. 28 num. 82.* & hanc sententiam loquens in terminis de licentia data Cardinalibus testandi, tenet Megalius *in promptuar. ver. Cardinalis, num. 10.*

Notandum est tamen hîc obiter contra Barbatiam *de Cardin. q. 4.* & Nauarrum *de reddit. Eccles. q. 3.* posse Pontificem concedere facultatem testandi Cardinalibus, non solùm in pios vsus, sed etiam in quoslibet, dummodo liciti sint, & honesti, & Pontifex tales licentias sic concedere consueuit. Ita Azorius *tom. 2. lib. 4. c. 3. quæs. 12.* & Bagnus *de S. R. E. dignitatibus, tract. 11. fol. 180.*

RESOL. LV. *An Cardinales possint exigere à suis Ecclesiis titularibus charitatiuum subsidium?*

VIdetur negatiuè respondendum, quia charitatiuum subsidium solis Episcopis debetur, ex *cap conquerente de offic. ordin.* & ex *cap. cùm Apostolus, § probabimus, de cens.* est enim de lege Diœcesana, & ideo quia Papa est Episcopus totius Orbis & Diœcesanus ab vniuerso terrarum Orbe, potest charitatiuum subsidium exigere.

Sed posse Cardinales ab Ecclesiis titularibus sibi subiectis charitatiuum subsidium quærere, affirmat ex Chassanæo Remigius de Gonny *tract. de charitatiuo subsidio, q. 21.* & ex Bellen. Marcellus Megalius *in p. 2. lib. 2. cap. 15. quæs. 3. n. 13.* & Scipio de Rubeis *in Aphor. Episc. ver. charitatiuum subsidium, num. 9.* quia, vt sæpiùs dictum est, Cardinales in suis Ecclesiis titularibus Episcopalia iura habent, vt docet Butrius Imola & Abbas *in cap. his, quæ, de maior. & obedient.* Ioan. Andreas *in cap. dilecto. de officio Archid.* Geminianus *in cap. vnic. de maior. & obed in 6.* Suarez *de legibus, lib. 4. c. 5. nu. 4.* & Mandos. *ad reg. 1. Cancell. quæst. 2. num. 10.* ergo, &c.

RESOL. LVI. *An familiares Cardinalium in eorum causis sint testes idonei?*

VIdetur negatiuè respondendum, quia testes à iure repelluntur ex multis capitibus, & inter illa, vt notat Lessius *lib. 2. c. 30. dub. 5. n. 38.* quando testis est domesticus ipsius producentis.

Sed ab hac doctrina excipiuntur Cardinales, & ideo Albanus *de Cardinalibus, quæst. 42. priuil. 11.* sic ait. Iure optimo dicendum est Cardinalium familiares, qui ob dominorum dignitatem, ac de ipsis præsumptam integritatem boni & honesti interpretatione iuris existimantur ad perhibendum pro suis dominis testimonium non prohiberi, licet regulariter id vetitum sit. Ita ille, & reuera, si Felinus *in cap. in litteris, num. 7. de testibus*, hanc opinionem tenet quoad familiares Episcoporum, quantò magis hoc dicendum est de familiaribus Dominorum Cardinalium?

RESOL. LVII. *An Cardinales in eorum titulis possint commutare vltimas voluntates, in quibus possunt Episcopi respectu suorum subditorum?*

REspondeo affirmatiuè ex principio sæpiùs adducto, quia Cardinales de iure habent in suis titulis iurisdictionem Episcopalem, & præter iura, & Doctores sæpiùs citatos tenet Grilenzonius *cons. 63. num. 1. & seq.* Sbrozzius *de Vicar. Episcop. lib. 1. quæst. 3. num. 27. & seq.* Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 3. disput. 28. num. 7.* Gonzales *ad reg. 8. Cancell. glossa 13. num. 20.* Imola *in Clement. ne Romani, de elect.* & alij. Sed commutatio vltimarum voluntatum ad iurisdictionem pertinet, vt per se patet, atque adeò id ex iis est, quæ de lege diœcesana sunt, neque ex iis, quæ à iure diœcesano tantùm, vel sub commemoratione Diœcesis Episcopis cõceduntur, ergo, &c. Adde quòd Cardinales in suis titulis Presbyteralibus, vel Diaconalibus, possunt dici habere quamdam

dam Diœcesim, licet modicam, positam intra fines Romanæ Diœcesis propriæ Romani Pontificis, vt est Episcopus Lateranensis, habent enim pleraſque Cappellas sibi subiectas intra certos fines ac limites substitutas, & hæc omnia docet Moneta *de commut. vlt. volunt. c. 5. q. 13. concl. 1. num. 452.*

RESOL. LVIII. *An Cardinales in suis titulis possint dispensare in voto?*

SEcluſa consuetudine non posse Cardinales in suis titulis dispensare in voto, docet Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 6. cap. 10. n. 10.* & Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 4. c. 38. n. 2.* quia non habent in dictis titulis ius Episcopale.

Verùm mihi placet contraria sententia, quam tuetur Moneta *de commu. vlt. volunt. cap. 5. quæs. 13. concl. 1. n. 452.* quia, vt dictum est, Cardinales in suis titulis habent, & exercent iura Episcopalia, ex *c. his, quæ, de maior. & obed.* & nos suprà in multis resolutionibus vsque ad satietatem probauimus, & docet ipsemet Suarez *de legibus, lib. 4. cap 5. n. 4.* & Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 28. nu. 7.* vnde ex ipsis nutat fundamentum, ex quo moti sunt ad tenendum Cardinales non habere hanc auctoritatem in suis Ecclesiis titularibus. Quòd autem dispensatio in voto sit actus iurisdictionis spiritualis, nec ex se Pontifici reseruatæ, constat ex eodem Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 4. cap. 38. num. 6.* & Suarez *vbi suprà de Relig. cap. 10. n. 1.* quibus adde Lessium *lib. 2. cap. 40. dub. 12.* & alios. ergo, &c.

RESOL. LIX. *An Cardinales in suis titulis gaudeant priuilegio Episcoporum, ex Concilio Tridentino* sess. 24. cap. 6. de reformat.

NEgatiuè videtur respondendum, quia illæ dispensationes, quas ibi Concilium concedit Episcopis, conceduntur illis contemplatione plenæ ac propriæ Diœcesis, per ea, quæ adducit de Episcopo titulari, Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 11. n. 3.* & alij. & in Concilio traditur Episcopis hæc facultas respectu subditorum in propria Diœcesi tantùm, vt ex contextu apparet.

Verùm liceat mihi in gratiam Dominorũ Cardinalium pro affirmatiua sententia hìc tantùm, vt alij iudicent, rationem aliquam proponere, & hæc erit, quia Prælati Episcopo inferiores habentes quasi Diœcesim etiam intra fines Diœcesis Episcopi, atque adeò iurisdictionem quasi Episcopalem, possunt dispensare, & absoluere suos subditos in casibus à dicto Concilio *sess. 24. c. 6.* Episcopis concessis sub contemplatione Diœcesis. & ita docet Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 4. c. 38. n. 19. & de matrimon. tom. 3. lib. 8. disp. 2. n. 12.* Henriquez *lib. 14. c. 18. num. 2. & lib. 6. c. 16. n. 12.* Rodriquez *in qq. regul. tom. 1. q. 61. art. 9.* & alij. Si hæc ergo potestas conceditur supradictis Prælatis Episcopo inferioribus, quia habent quasi iurisdictionem Episcopalem, quare est deneganda Cardinalibus, quos eandem potestatẽ habere suprà satis probatum est. Vnde in suis Ecclesiis excommunicant, dant licentiam assistendi matrimonio, benedictionem solemnem exercere, & similia; & ideo hanc sententiam ex supradicta ratione in fauorem Cardinalium defendi posse, tradit Moneta *de commut. vlt. volunt. cap. 5. quæst. 13. concl. 1. num. 453.* licet ipse ibi contrarium teneat.

RESOL. LX. *Quamnam potestatem habeant Cardinales in suis titulis, qui sunt Monasteria Regularium?*

HOc dubium non à pluribus tangitur, & de illo tractat Mandosius *ad reg. 7. Cãcell. q. 2. n. 10.* vbi obseruat quòd cùm aliqui ex titulis Cardinalium sint Monasteria, prout sunt tituli sanctę Crucis in Ierusalem, S. Eusebij, S. Petri ad Vincula, & alij similes, satis dubitabile videtur decidere, quam potestatem in his titulis ac Monasteriis & Monachis Cardinales habeant, quodque ipsum decebat titularem S. Eusebij Ordinis Cælestinorum non habere iurisdictionem super eius Monachos, alioqui essent plura capita, videlicet Pater Abbas generalis, & Cardinalis titularis, quorum vterque in solidum & principaliter haberet iurisdictionem, quod non est dicendum. Ita Mandosius.

Sed obserua cum Moneta *de commut. vlt. volunt. cap. 5. q. 13. n. 441.* quòd fortè istæ Ecclesiæ nunc Regulares in constitutione titulorum fuerunt seculares: cum autem Cardinales hanc iurisdictionem in iure fundatam habeant, *c. his, quæ de maior & obed.* erit fauorabilis, & latè interpretanda, iuxta tradita per Cassiodorum *decis. 8. n. 6. de præb.* Caputaquensis *p. 2. dec. 88. nu. 6.* & alios relatos à Gonzales *in reg 8. Cancell. §. 6. proœm. n. 27. & 42.* ergo &c.

RESOL. LXI. *An Cardinales in suis titulis possint derogare fideicommissis ad eas Ecclesias pertinentibus?*

REspondeo affirmatiuè, quia, vt dictum est, Cardinales in suis titulis etiam Presbyteralibus, & Diaconalibus, habent iurisdictionem Episcopalem de iure communi, & notat Lorichius *in thesaur. ver Cardinalis, §. 7.* ergo, &c. Et ita hanc sententiam docet in terminis Moneta *de commut. vlt. volunt. cap. 9. concl. num. 634.*

RESOL. LXII. *An Cardinales aliquando possint conuocare Concilium?*

AFfirmatiuam sententiam docet Manfredus *de Cardinalibus, part. 1. cap. 13.* Didacus ab Alaua Episcopus Abulensis *de Conciliis, part. 2. c. 2. n. 4.* qui ponit casus, in quibus Cardinales possint Concilium congregare. Idem etiam docet Cucchus *in inst. Canon. lib. 2. tit. 4. n. 45. & tit. 3. num. 13.* Iacobatius *lib. 1. de Concil. à num. 1. vsque ad* 48. cum Albano *de Cardin. q. 42. priuileg. 14.* vbi sic ait: Orto schismate, vel alio casu eueniente, in quo Concilium conuocari debeat, si Papa in eo congregando negligens comperiatur, tunc ista conuocandi Concilij facultas ad Cardinales pertineret, vtpote ad maiores vniuersitatis, iuxta *l. 1. cum ibi notatis, ff. de alb. scrib.* ipsi enim cæteris omnibus dicuntur esse maiores, & post Summum Pastorem suprema dignitate funguntur. Ita ille, qui citat Ioannem Andream, Imolam, Romanum, Abbatem, & Decium.

Verùm mihi placet ad hoc dubium respondere cum doctissimo Antonio Perez, insigni Theologo Salmaticensi, ex Ordine D. Benedicti *in Pentateucho fidei, tr. de Conciliis, c. 8.* Dico igitur aliud esse loqui de Concil. generali. prout sic abstrahendo ab illegitimis,

gitimis,& legitimis, perfectis & imperfectis,aliud verò de legitimis, & perfectis. Quibus præmissis respondendum est,quòd si loquamur de Conciliis primo modo sumptis,certum est posse alios à Pōtifice rectè, & ritè Concilium congregare; secus verò si loquamur de illis in secundo sensu. Priorē partem huius decisionis probo, quia extrema necessitas maximè totius communitatis potior est omni positiuo iure.Secundam verò partem probo ex eo,quòd Concilij generalis legitimatio est propria Summi Pontificis,etiam in casu, quo de Pontificis incapacitate in Concilio ipso agendum est, vt patet ex *cap. Concilia, dist.* 17. Ibi enim refertur quòd cùm Symmachus Papa diffamatus esset de quibusdam criminibus, & Theodorus Rex Romam veniens Concilium congregaret, vt examinarentur ea,quę Pontifici obiiciebantur,tunc Episcopi ad Concilium vocati, postquam in vno congregati fuêre surgentes inclamarunt,opus esse authoritate ipsius Symmachi iudicandi ad hoc,vt ille Conuentus Synodus fieret, hoc est, legitimus & perfectus.

Est tamen notandum quòd non propterea huiusmodi Concilia imperfecta habenda sunt tanquam conuenticula, quia licet sint imperfecta, eo quòd carent prærogatiuis & priuilegiis, quibus gaudent Concilia legitima ad certò & infallibiliter definiendas res fidei,& ad alia huiusmodi, de quibus Pighius: ipsi tamen ratione sui muneris & instituti Conuentus venerabiles sunt, vtpote iure congregati ad subueniendū extremę necessitati Ecclesiæ, circa quam est authoritas defendendi se ipsam, & prouidendi sibi de capite. Vnde quamuis sine illo non possit statuere de multis, potest sibi prouidere & eligere caput, cum quo de illis statuat; & hæc omnia docet *vbi suprà* Perez, qui citat Caietanum & Bellarminum. Igitur possunt Cardinales Concilium congregare in sensu explicato à Perez *loco cit.* vide etiam Ioannē Wiggers *in* 2.2.*D. Thom. quæst.* 1.*art.* 10.*dub.* 2.*num.* 38.

RESOL. LXIII. *An Cardinales debeant eligere ad Pontificatum vnum ex sacro Collegio?*

NEgatiuam sententiam videtur docere Campanili *in diuer. iur. Canon. rubr.* 7.*c.* 6.*nu.* 71. & D. Antoninus *in summa tom.* 3.*tit.* 21.*c.* 2.§. 7. Castellinus *de elect. c.* 10. Petrus Nauarra *de rest. lib.* 2.*c.* 2,*n.* 170. & docet Sotus *de iust. lib.* 3.*q.* 6,*art.* 1.*ad* 4.*argum.* vbi sic ait: Cardinales in Pontificis electione ob summam Vicarij Christi dignitatem sanctiori fide perstringuntur optimum eligere, quapropter rumorem illum numquā persuadere mihi potui, videlicet statutum illis esse, non posse deligere nisi ex suo gremio,& tandem ab ipsis Dominis Cardinalibus audiui falsum esse. Enimuerò quòd actiuas voces ad ipsum sacrum Senatum Ecclesia retulerit, decentissima ratio persuasit 23. *dist. can. in nomine Domini, & c. licet,extrà de elect.* & *cap. vbi periculum,eo. lib.* 6. videlicet ne tantus Episcoporum cœtus à remotissimis regionibus Romam ad eligendum cogeretur, attamen cùm tanti referat optimum Episcoporum orbis ad summam Sedem euehere,quò intra paucos Vrbis passiua electio coërceatur,licet sit credibile inter eos nunquam defore dignum,certè sinceritas Euangelica non permittit. Vnde *in eo cap. in nomine Domini,* si in Romana Ecclesia non inueniatur idoneus,ex alia sumi iubetur. Ita Sotus.

Sed meritò aduersùs illum insurgit Salon. *in* 2.2.*D. Thom. q.* 63.*art.* 2.*contr.* 2.*concl.* 1. & primò quoad primum eius dictum non esse verum patet,quia *in cap. in nomine Domini,* non dicitur vt eligatur aliquis extra gremium Cardinalium, nisi quando inter illos nullus est dignus, tunc enim etiam si nullum esset decretum, non liceret eligere ex Cardinalibus,cùm indigni electio omni iure prohibita sit ad quodcumque beneficium,quanto magis ad supremum? Alterum verò dictum Soti,electionem actiuam conuenire Cardinalibus, non de iure, sed de facto, quia ita expedit, correctione etiam indiget, nam *c. licet,de elect.* supponit hoc ius illis conuenire, quo supposito statuitur electiones aliorum Prælatorum Ecclesiæ validas esse, modò fiant à maiori parte Capituli; electionem verò Papæ debere fieri à duabus partibus Cardinalium, qui ad illam conuenerint,& *in cap. vbi periculum,eodem tit.* præsupposito etiam eodem iure Cardinalium agitur de cōclaui, in quo manent recluſi Cardinales tempore electionis, & de aliis ad id negotij pertinentibus. Et tandem ad illud dictum Soti, quod pertinet ad nostram quæstionem, quòd etiamsi reperiatur dignus Pontificatu inter Cardinales,nihilominus ad tam sublimem dignitatem quærendum esse dignissimum ex tota Ecclesia, respondeo contrariū tenendum esse. Primò, quia quicumque ex Cardinalibus dignis, quorum multi reperiuntur in illo sacro Collegio, licet extra ipsos daretur alius sanctior & doctior,est quouis externo doctior & vtilior Ecclesiæ. Primò, quia ex his, quæ vidit,egit & expertus est in Romana Curia, & in isto Collegio, & Conciliis Pontificum prædecessorum nouit negotia Romanæ Curiæ,& Ecclesię gubernationem meliùs quàm quiuis alter. Secundò,quia electus vnus ex ipsis statim admouet manum operi, & gubernationi fidelium, electus autem externus esset conuocandus à longè, expectandoque illius consensum, & aduentum vacaret multo tempore Sedes B. Petri,quod, experientia teste, est maximum incommodum,semper enim ex diuturnis vacantibus multa sequuta sunt damna Romæ,& in Italia, imò & in tota Ecclesia,quo fit dignum inter ipsos esse vtiliorem quouis externo. Et hæc omnia aduersùs Sotum docet Aragon *loco citato*, cui adde Suarez *de fide disput.* 10.*sect.* 5. *num.* 19. vbi sic ait. Sed quæret aliquis,an electus debeat necessariò esse de numero Cardinalium? constat quidem id nō fuisse per se necessarium,attamen vsus Ecclesiæ ita habet ac fieri oportet, vt dixit Stephanus Papa cum Concilio *in cap. oportebat,& cap. nullus d.* 79. Cui adde Hieronymum Manfredum *de Cardin. decis.* 299. vbi sic ait. Cardinales potiùs debent eligere vnum de Collegio in Papam, quàm alium extra, dummodo idoneus ibi reperiatur, & hoc licitum est facere,etiamsi extrà magis idoneus reperiretur. Ita ille. Et tandem non desinam hîc apponere verba Henrici Villalobos *in sum. tom.* 2.*tract.* 8.*diffic.* 3.*n.* 18. vbi sic ait: [De la eleccion del Papa en lo que toca

a la

a la voz actiua, ſolamente la tienen los Cardenales, mas quanto à la voz paſſiua, dize Soto que no ſolo pertenece à los Cardenalès, ſino à qualquiera del gremio de la Igleſia, y que aſſi ſelo oyò dezir à ellos, y que por eſſo ſe dize en vn texto, que ſi entre los Cardenales no huuieſſe digno, ſe buſque de fuera. Salon y otros dizen, que ha de ſer del gremio de los Cardenales lo qual tengo por mas cierto: y eſtando en eſto ſe reſponde al argumento, que conuiene à la Igleſia, que los dignos del Collegio de los Cardenales ſe prefieran à otros mas dignos, por la experiencia que tienen de las coſas, que han viſto y tratado, y como eſtàn preſentes, luego ponen mano a la obra, lo qual es mas conueniente, que traer vn eſtraño de lexos e inſtruycle. Mayormente que ſiempre en aquel Collegio ſe hallan varones muy capazes, y de grandes prendas para eſto.] Vide etiam Burſatum *vol. 2. conſ. 126. num. 6.* Moſconium *de maieſt milit Eccleſ. l. 1. cap. 3.* Azorium *tom. 2. lib. 4. cap. 5. quæſ. 6.* Lauorium *in var elucubrat. tit. 4. cap. 2. n. 9.* Gundiſſaluum *de poteſt. Eccleſ. n. 31.* Barboſam *in Decret. Gratiani part. 1. diſt. 79. cap. oporteat, num. 1. & ibi* Acugnam.

Sed ſi aliquis curioſus inquirat, an ſi Cardinales eligerent in Papam aliquem extra eorum gremiũ, electio eſſet valida? Reſpondeo affirmatiuè cum Suarez *loco citato*, vbi ſic ait: Crediderim ſi aliquis extra Collegium Cardinalium legitimè eligeretur, electionem fore ratam & firmam, quia non video quo iure ita reuocata ſit electio paſſiua ad perſonas Cardinalium, vt aliàs nulla ſit habenda. Sic ille. & ideo ſi eligeretur in Papam aliquis extra gremium, electionem fore validam docet Acugna, Barboſa, Lauorius, & Azorius *locis citatis*, quibus adde Laudenſem *de Cardin. quæſt. 75.* & Doctores quos citat Cenedus *ad Decretum Collect. 18. n. 1.* & Bonacina *tract. de elect. Summ. Pontif. diſp. 1. quæſt. 1. §. vnico, num. 19.*

Non deſinam tamen hîc adnotare Lancellottum *in templo iudicum, lib. 2. cap. 1. de Pont. §. 2. quæſt. 4. num. 4.* docere electionem factam extra gremium Cardinalium eſſe inualidam poſt Decretum Stephani III. *in d. cap. oporteat.* Vnde apparet omnino eſſe reiiciendam opinionem Soti, quam ſuprà adduximus.

RESOL. LXIV. *An Cardinales Religioſi ſtatim ſoluantur à voto paupertatis?*

NEgatiuam ſententiam docet Barboſa *in iure Eccleſ. lib. 1. cap. 3. num. 24.* & alij penes ipſum, quibus ego addo Suarez *de Relig. tom. 4. lib. 3. c. 19.* vbi docet eandem eſſe rationem de Epiſcopo ac de Cardinali, ſed Epiſcopus Religioſus non liberatur à voto paupertatis, vt communiter aſſerunt Doctores, & nouiſſimè Lopez de Texeda *tom. 1. lib. 2. tract. 1. contr. 2. n. 3.* ergo neque Cardinalis. Et ita hanc ſententiam docet etiam Sanchez *in ſumma tom. 2. lib. 6. cap. 6. num. 34.* & amiciſſimus & doctus Lezzana *in qq regul. cap. 17. num. 5.* vide etiam Manfredum *de Cardinal. deciſ. 154.*

Verùm ego contrariam ſententiam probabilẽ eſſe exiſtimo ſecundùm quam dicendum eſt Religioſum creatum Cardinalem eximi à voto paupertatis, & effici verum dominum redditnum Eccleſiaſticorum inſtar Cardinalium ſecularium; & ideo ſuperuacaneè conſumpta, & in vſus illicitos non teneri reſtituere, atque ab ipſis accipientes, neque ad reſtitutionem aſtrictos eſſe. & ratio horum omnium eſt, quia etiam Regulares Epiſcopi non tenentur ampliùs ad votum paupertatis: ergo neque etiam effecti Cardinales. quòd autẽ Religioſi ad Epiſcopatum aſſumpti ſoluantur paupertatis voto, ego alibi probabiliter docui, & nunc etiam doceo cum Soto *de iuſtit. lib. 7. q. 4. art. 2.* Vaſquez *in p. 2. q. 96. art. 4. diſp. 165. cap. 8. num. 91. ad finem, & nu. 104. & in tract. de eleemoſyna.* Pro hac ſententia adduxi Petrum Hurtadũ de Mendoza, & alios, quibus nunc addo Michaëlem de Palatio, inſignem Theologum Salmãticenſem, *in 4. ſent. diſt. 38. diſp. 1.* & hanc ſententiam quoad Epiſcopos & etiam Cardinales probabilem eſſe fatentur ipſimet aduerſarij, vt Sanchez *loco cit.*

Notandum eſt tamen quòd ſtando in prima opinione, Cardinalis & Epiſcopus Religioſus licet non ſit dominus redditnum Eccleſiaſticorum, poteſt tamen de dictis bonis facere id, quod facere poſſunt alij Cardinales & Epiſcopi ſeculares, neque alia obligatione tenetur: nam quamuis careat dominio illorum habet liberam & abſolutam adminiſtrationem, & dominium, quod manet penes Eccleſiã, ita ſuppoſitum eſt eius voluntati, vt quicquid fecerit ratum habeatur, & validum, quoad dominij tranſactionem, ſiue peccet in erogando, ſiue non, niſi fortè expreſſa aliqua limitatio, aut conditio in ipſa collatione Epiſcopatus imponatur, & ita docet Lorca *in 2. 2. D Thom quæſt. 32. art. 9. ſect. 4. diſp. 4. mem. 1. n. 31.* Granadus *in 2. 2 contr. 3. tr. 11. diſp. 5. n. 2.* & nouiſſimè Andreas Duuallius *in 2. 2. tr. de eleem. q. 8. ar. 5. in fine.* Vnde apparet ex his nimis rigidè contra me & alios viros doctos inſurrexiſſe eruditum Yañez Fajardo *in reſol. de Epiſc. Regulari*, vt *in tract. de eleemoſ.* dicetur.

Non deſinam etiam hîc apponere id quod docet Laudenſis *de Card. q. 22.* & Cucchus *in Inſt. Can. lib. 2. tit. 4. n. 111.* Cardinales Religioſos recuperare facultatem teſtandi, & diſpenſandi de rebus ſuis, quam ex profeſſione Religionis amiſerant.

RESOL. LXV. *An Cardinales Religioſi teneantur ad vota, quæ præter tria ſubſtantialia emittuntur in Religionibus, iuxta eorum ſtatuta?*

VT, v. g. in Religione Minimorum emittitur quartum votum de ſeruanda vita quadrageſimali, & in Societate IESV Profeſſi emittunt votum, quo promittunt, ſe obedientia Pontificis coactos ad Epiſcopatum admittendum non detracturos audire conſilium Generalis Societatis, vel eius, qui ad id ſubſtituerit. Et affirmatiuam ſententiam docet Vaſquez *in 1. 2. diſp. 165. cap. 8. nu. 89. in fine*, & quoad Epiſcopos docet Laurentius de Peyrinis *in priuil. Mmm. tom. 3. cap. 14. nnm. 3.* ergo idem dicendum eſt de Cardinalibus.

Sed ego contrariam ſententiam probabilem eſſe puto, quam tuetur Sanchez *in ſumma tom. 2. lib. 6. cap. 6. numer. 34. iuncto numer. 15.* quia ad iſta vota non tenentur Religioſi ad Epiſcopatum aſſumpti;

ergo neque ad Cardinalatum promoti. Vide me ipſum *in tract. Miſcell.* vbi hanc ſententiam contra Peyrinum quoad Epiſcopos tenui, & nunc idem quoad Cardinales ſentio, quos ex Minimorum Ordine aſſumptos probabiliter puto ſtatim eſſe ſolutos à voto vitæ quadrageſimalis.

RESOL. LXVI. *An Cardinales Religioſi ſi deponant habitum ſuæ Religionis incurrant in excommunicationē?*

REſpondeo Cardinales teneri portare habitum ſuæ Religionis, vt ex multis tenet Suarez *de Relig.tom.4.lib.3.cap.19.nu.4.* & Pacianus *vol.1. conſ. 132.num.39.& 40.* Difficultas eſt, an ſi illum dimittant, incurtant excommunicationem latam *in cap. ne Clerici vel Monachi in 6.* & videtur affirmatiuè reſpondendum ex principio ſæpiùs dicto, quia Epiſcopi id facientes in excommunicationem incurrerent, vt radit Riminaldus *vol.1.conſ 6.n.7.* Pacianus *vbi ſuprà n.42.* Maiolus *de irregular.lib.2.c.1.n.13.* Surdus *de aliment.tit.8.priuileg.79 n.10.* & alij. Ergo idem dicendum eſt de Cardinalibus.

Sed ego contrariæ ſententiæ adhæreo, quam docet Sanchez *in ſumma to.2 l.6.c.6.n.54.iuncto n.23.* & Barboſa *de iure Eccleſ.lib.1.c.3.nu.25.* & Lezzana *in qq.canon.c.17 n.9.* quia Religioſi Epiſcopi id facientes non incurrunt in excommunicationem; ergo neque Cardinales; quòd Epiſcopi verò habitū ſuæ Religionis deponentes non incurrant dictam excommunicationē, probatur, quia nullo iure eſt excommunicatio indicta Monacho, qui prætextu Epiſcopalis dignitatis habitum dimittit, & Epiſcopalem iuduit, quia textus ille excommunicans clarè loquitur de Religioſo ſub Abbatis obedientia manente, eiuſque regulis aſtricto, atque ita eā rationem reddit, ne detur Monachis materia vagādi dimiſſo habitu, eo quòd à nemine cognoſcentur, quæ in Epiſcopo Religioſo deficiunt, vtpote qui non eſt ſub regulæ obedienria, & induens Epiſcopalem habitum minùs aptus erit ad euagandum, & ita hanc ſententiam loquens de Epiſcopis tenet etiam Rodriquez *in qq.regul.tom.2. q.58. art.3.* Tappia *in auth.ingreſſi, ver. ſua, cap.6. num.61.C.de ſacroſ. Eccleſ.* Lopez de Texeda *tom.1. lib.2. tract.1. contr.2. num.14.* & alij.

RESOL. LXVII. *An Cardinalis Religioſus poſſit eſſe compater in Baptiſmo,& Confirmatione?*

QVamuis Imola *in Clement.1.num.2.de ſtatu Monach.* dicat poſſe licere Epiſcopis hanc compaternitatem non ſuſcipiendo, ſed baptizando: vnde idem videtur dicendum de Cardinalibus; tamen ego puto abſolutè poſſe Epiſcopos & Cardinales tenere in Baptiſmo, & ſic eam compaternitatem contrahere, & patet exemplo Gregorij qui ex Religione promotus ad Cardinalatū factus eſt Mauritij Imperatoris cōpater, & ita de Epiſcopis docet Rodriquez *in qq.regul.tom.2.queſt.58.ar.3.* Barboſa *de officio Parochi,c.18.n.32.* & de Cardinalibus idem Barboſa *in iure Eccleſ.lib.1.c.3. n.26.* Sāchez *in ſumma, tom.2.lib.6 c.6.num. 34.* & ratio eſt, quia in Epiſcopis, & Cardinalibus nō ſubeſt familiaritatis nimiæ periculum, & inde incontinentię, ex quo Canones hoc officium facere Religioſis prohibuerunt.

RESOL. LXVIII. *An Cardinales teneantur ſoluere decimas pro generali aliquo ſubſidio à Pontifice impoſito?*

AFfirmatiuam ſententiam tenet Bellon. *tract.de ſubſidio charitat.queſt.66.* vbi contra Romanum *conſ.493.* probat quòd quando ſubſidium imponitur pro expeditione cōtra infideles, tenentur Cardinales ſoluere decimas, quia diſpoſitio fauorabilis comprehendit etiam Cardinales, ſed nullus maior fauor eſt, quàm fidei, vt patet ex *cap.2.de conuerſ.infidel.* ergo.

Sed negatiuam ſententiam Romani, quam ego teneo, docet etiam Manfredus *de Cardin. deciſ.171.* Lancelottus *in templ.iud.l.2.c.3.de Card §.2.n.20.* & Gigas *de penſion.q.59.nu.10.* vbi tuetur Cardinalem Penſionarium nō teneri contribuere ad Papalem decimam pro rata penſionis; & ratio eſt, quia in generali conſt. non cōprehenduntur, vt ſuprà probatum eſt, Cardinales, niſi de iis fiat ſpecialis mentio. & ad argumentum ſuperiùs adductum reſpōdet Moneta *de decimis c.9.q.3.n.110.* vbi hanc negatiuam ſententiam tenet. Vide etiam Bellettum *in diſquiſ.p.1.tit.de Clerico debitore §.11.n.25.*

RESOL. LXIX. *An Cardinales veniant appellatione Clericorum?*

REſpondeo in materia fauorabili venire. Ita Duardus *in Bulla Cœnæ,lib.2.can.11.q.6.n.11.* Alterius *de cenſuris,tom.1.lib.5.diſp.12.cap.3.* Trott *de vero & perfecto Clerico cap.7.n.3.* Bellettus *in diſquiſ. Cleric. p.1.tit.de diſcipl. Clericali,§.2.n.8.* Calderinus *in ca in noſtra,de reſcrip.* Secus autem dicendum eſt in materia odioſa; nam tunc appellatione Clericorū minimè Cardinales comprehendi tradit Iaſon *vol.4. conſ.117.* Ruinus *vol.5.conſ.4.n.6.* Cephalus *vol.1.conſ. 1.n.40.42.& ſeq.* Gigas *de penſion.q.9.nu.7.* Romanus *conſ.498.* Ferrettus *lib.2.conſ.315.nu.7.* & alij, quos citant & ſequuntur amiciſſimi Sanctarellus & Barboſa, ille *in var.reſol.p.1.q.38.n.13.* hic autem *in tract. de appell.verbor.&c.appellat.51.num.6.* Notandum eſt etiam hic Cardinales appellatione Curialium vrbis Romanæ in fauorabilibus contineri, ſecus autem in odioſis, & ita docet Manfredus *de Cardin. deciſ. 148.* Laudenſis *de Cardinal. queſt.24.* & alij.

RESOL. LXX. *An Cardinales poſſint ſuccedere in feudis?*

NEgatiuam ſententiam tenet Barbatia *de Cardinal.queſt.5.nu.13.* Intrigliolus *de feudis cent.2. art.1.n.161.& 162.* Riminald.iunior *lib.5. conſil.527. num.44.* Maſullus *in addit.ad Capycium,deciſ.70. n.5.* Menochius *lib.3.conſ.202.num.140.& lib.2. conſ.181. numer.71.* & alij penes ipſos, quia in iure Cardinales in materia feudorum non reperiuntur priuilegiati.

Verùm alij putant Cardinales poſſe in feudo ſuccedere provt alij laici nullum habētes impedimentū, quia tanta dignitas non debet eis detrimētum, ſed potiùs incrementū afferre, & ideo Cardinales in tali caſu admittūtur ad ſeruiendū per ſubſtitutū, & ita docet Iaſon *lib.4.conſ.119. & lib.1.conſ. 13.* Anna *ſing.70.* Syluanus *cōſ.3.n.54.* Marta *de iuriſd.*

part.

part.4.cent.1.caſ.97.n.5. Dueñas *regul.* 103. *fallent.* 14. Pancirolus *conſ.* 111. *n.* 2. & alij, quibus omnibus adde Anaſtaſium Germonium *de ſacra immun. l.3. c.6. n.66.* & Zechium *de republ. Chriſt. tit.3. de Card. nu.9. priuil.* 11. vbi aſſerunt Cardinales ſuccedere in feudis paternis, ſeu auitis. Vide etiam deciſionem Rotæ coram Eminentiſſimo & doctiſſimo Veroſpio *die* 14. *Ianuarij* 1616. apud Farinacium *tom.* 2. *deciſ.* 703. *num.6.*

RESOL. LXXI. *An Cardinales poſſint leges ferre in ſuis titulis ligantes in conſcientia?*

AFfirmatiuè reſpondeo, quia in illis habent iuriſdictionem Epiſcopalem. ergo. & ita docet Gordonus *tom.* 1. *lib.* 2. *q.* 10. *c.* 2. §. 4. *n.* 7. Caſtrus Palaus *to.* 1. *tr.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 23. *n.* 12. Suarez *lib.* 4. *c.* 5. *n.* 4. Salas *diſp* 8. *ſect.* 8. *n.* 45. Acugna *in Decretum Gratiani, p.* 1. *diſt.* 2. *c.* 1. *n.* 4. Granadus *in p.* 2. *contr.* 7. *tract.* 3. *p.* 1. *diſp.* 3. *ſect.* 2. *n.* 13. Merolla *tom.* 2. *diſp.* 4. *c.* 4. *dub.* 4. *n.* 18. & alij.

RESOL. LXXII. *An ſi duo Cardinales remanerent in Conclaui, poſſint adhuc eligere Summum Pontificem, & quid ſi remaneret vnus tantùm?*

CAſus magis eſt curioſus, quã practicabilis, lege tamen illum, & non pigebit. Negatiuam ſententiam docet Caſtrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 23. *num.* 20. vbi ſic ait. Aduertit Bonacina, ſi omnes Cardinales, vno excepto, è conclaui decedant, poſſe ab eo, qui remanſit, Pontificẽ eligi, quia omnes alij reputari debent ac ſi è vita diſceſſiſſent. Probabilius credo non poſſe, ſed reputandum eſt, ac ſi in conclaui nunquam fuiſſent Cardinales cõgregati, fauetque *c. vbi periculum, & Clem. ne Romani*, quæ ſemper loquuntur de numero plurali, imò de Collegio & cœtu, qui non videtur eſſe vnus, neque duo, ſed ad minus tres, *l. Neratius. ff. de verbor. ſignific.*

Verùm mihi magis placet ſententia Bonacinæ, quam docet *tr. de legib. diſp.* 1. *q.* 1. *punct.* 3. *nu.* 28. Dico igitur remanere facultatem eligendi Summum Pontificem, etiamſi tantùm duo Cardinales remanerent in Conſiſtorio, reliquis mortuis, vel abſentibus, ex *cap. Adrianus & c. non licet*, §. *his, diſt.* 63. *& c. Abbatem, cum duobus ſeqq.* 18. *q.* 2. quo caſu vnus poteſt eligere aliũ, ex Sylu. *excomm. 9. n.* 2. Ioan. de Anan. *in cap. fin. de appell.* Imò etiamſi vnus remaneat, ad illum ſpectabit electio, gloſ. *in Clem. ne Romani de elect.* Lauden. *de Cardin q.* 14. Pauin. *de offic. Cap. Sede vacant. præl.* 5. *n* 8. vbi dicit quòd ſolus Cardinalis in conclaui clauſus remanens, cæteris exeuntibus, vel negligentibus, Papam eligere poteſt. Manfred. *deciſ.* 296. ius enim & nomen vniuerſitatis in vno ſeruatur, *l. ſicut*, vbi Bartol. §. *in Decurionibus. ff. quod cuiuſque vniuerſ.* Alban. *q.* 23. Nec obſtat textus *in l. Neratius. ff. de verb. ſign.* gloſ. *in cap.* 1. *de elect. & c. licet, eodem*, quia etſi Collegium in vno conſiderari nequeat, tamen in vno virtualiter retineri poteſt, *d. l. ſicut, & l. ſi optio. ff. de opt leg.* gloſ. *in d. l. Neratius*, Abb. *conſ.* 15. *& conſ.* 38. *vol.* 2. An autem dictus Cardinalis ſolus poſſit eligere ſe ipſum, negat Abbas *in c. gratũ de poſtul. pralat.* tamen *in c. licet, in fin. de elect. in* 6. dat remedium quo poſſit ſe ipſum eligere, vt ſcil. totius ſacri Collegij nomine alteri eligendi poteſtatem demandet, qui veluti compromiſſarius ipſum eligat. Albanus autem *q.* 24. dicit opinonem Abbatis procedere quando ipſe ſolus remanſiſſet, cæteris exeuntibus, vel abſentibus, non autem mortuis. Et hęc omnia docet etiam Salas *de legibus tract.* 14. *diſp.* 8. *ſect.* 8. *n.* 4. Cucchus *inſtit. Canon. lib.* 2. *tit.* 4. *n.* 36. *&* 37. & Iul. Lauorius *in var. elucubrat. tit.* 4. *cap.* 6. *num.* 26. Vnde remanet ſatis firmata opinio Bonacinę contra Caſtrum Palaum, quam nouiſſimè poſt hæc ſcripta docet etiam Baldellus *tom.* 1. *lib.* 5. *diſp.* 7. *n.* 13. *& ſeq.* Vide etiam Caſtellinum *tr. de elect. c.* 5. *n.* 86.

RESOL. LXXIII. *An ſi Eccleſia vacaret tempore quo Concilium generale eſt congregatum, electio Summi Pontificis adhuc ſpectet ad Cardinales?*

HIc caſus accidit tempore Concilij Conſtantienſis, & res ex conſenſu communi ad concordiam redacta fuit; ſed quid ſentiendum de iure: Hanc quæſtionem latè tractat Albanus *de Cardin. q.* 35. in qua aliqui volunt, ad Cardinales ſpectare electionem, ſi Sedes vacat per obitum, vel renuntiationem; ſi verò vacet, vel quia Pontifex ab ipſa Sede ſit depoſitus, vel eius electio irrita, & nulla ab ipſo Concilio declarata ſit, putant eiuſdem Concilij eſſe eligere nouum Pontificem, tum quia cùm Concilium habeat poteſtatem Pontificem hæreticum deprehenſum deponendi, quod eſt plus, *c. ſi Papa diſt.* 40. multo magis debet illi concedi eligere quod eſt minus, ex *reg. cui licet, de reg. iur. in* 6. *& in l. non debet, ff. eodem tit.* & poteſtas conferendi videtur conceſſa illi, cui conceſſa eſt auferẽdi, *l. nemo qui condemnare. ff. de reg. iuris*; tum quia electio Rom. Pontif. ad Cardinales redacta eſt, habito reſpectu ad difficultatem congregandi Concilium ſtatim poſt obitum Summi Pontificis, quod ceſſat, dum Sedes vacat congregato Concilio. Vide Cucchum *in inſtit. Canon. lib.* 2. *tit.* 4. *num.* 30.

Verùm alij tradunt ius eligendi Pontificem in nullo caſu pertinere ad Concilium, nam vbi iura non diſtinguunt, nec nos diſtinguere debemus, neque Concilium poteſt hanc facultatem Cardinalibus auferre, quia non à Concilio, ſed à Sum. Pontifice acceperunt, licet Concilio approbante, vt patet *in cap. licet, & in c. vbi periculum, de elect. in* 6. ergo ſola Concilij authoritate poteſtas iure nequit auferri, niſi Romani quoque Pontificis conſenſus acceſſerit, & hæc opinio mihi magis placet cum Albano *vbi ſuprà*; & Azorio *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *q.* 13. cum hac tamen limitatione, vt eam poteſtatem Cardinalibus poſſit Concilium adimere, ſi iuſta alioqui cauſa ſubſit, vt ſi è munere & officio eſſet ob crimen hæreſis Pontifex deiectus, & Cardinales eſſent criminis participes, aut alia de cauſa ſuſpecti, aut veriſimiliter crederetur offenſionem oriturã, aut ſchiſma, vel magnam Eccleſiaſticæ pacis perturbationem; tunc enim ob Eccleſiæ communem ſalutem, iure poſſet ad tempus, non in perpetuum Cardinalibus ea poteſtas auferri, alioqui maximè.

Obiicies, generale Concilium potuit id iuris Cardinalibus concedere; ergo & auferre. Reſpondeo potuiſſe quidem, ſed non ſine iuſta cauſa, quæ quidem alicuius ponderis, & momenti eſſe videatur.

RESOL. LXXIV. *An Cardinales in electione Pontificis habeant vocem, etiamsi insignia Cardinalitia eis tradita non sint?*

ALiqui negant,eo quòd suffragium nõ sit proprietatis, sed possessionis fructus. ergo Cardinalis nondum possessionem assecutus in Comitiis suffragium non habet, & proinde Cardinalis digniratem quidem per electionem adeptus,nondum tamèn insignia, ac idcirco possessionem nactus suffragium habere non potest: alij tamen affirmant, quia eo ipso quòd est à Romano Pontifice electus & creatus, omnem potestatem administrandi Ecclesiam nanciscitur, si aliud iuris impedimentum non obstet. Deinde id colligunt à simili. nam Abbas etiamsi sacratus non sit, & nomen Abbatis habet,& Ecclesiam administrat, & pastorali baculo,annulo, mitra, & aliis Pontificiis insignibus vtitur. & hæc omnia docet Azorius *tom. 2. l.4.c.2.q.7.* & ante illum Albanus *de Card.q.17.* quorum opinio potest confirmari ex illo, quod de Canonico Doctores resoluunt Innocent.Butrius,Abbas,& alij,*in cap.transmissam, de elect.* nempe habere vocem in electione antequam in Choro possessionem nactus fuerit. Neque simile est de Episcopo, qui ante consecrationem à multis prohibetur, cõsecratio enim alium ordinem de nouo Episcopo confert,non ita verò insignia Cardinali aliquid addunt. Neque tandem aliquid facit pallij similitudo,ante cuius traditionem Archiepiscopus denominari non potest iuxta text.*in cap.nisi, de authoritate & vsu pallij*,quia,vt idemmet textus inquit,in pallio Pontificalis officij plenitudo cum Archiepiscopalis nominis appellatione cõfertur, quod non ita in traditione insignium contingit, & ita hanc opinionem tenet etiam Sebastianus Cæsar *in Relect. de Eccles.Hierarch.par.1.disput.2.§.4.num.7.*

Sed hodie cessat hæc quæstio, nam Pius V. *die 26.Ianuar.*1571.quodam particulari decreto,vt obseruat Lauorius*in variis elucubrat.tit.3.cap.3.n.16*,statuit Cardinales in electione Summi Pontificis etiamsi galerus & insignia tradita non sint,neque apertum os sit, posse adhuc vocem in electione Summi Pontificis habere, & verba Decreti sunt hæc.Pius Papa V.&c. Quia aliquando dubitatum fuit,vtrùm Cardinales, quibus os clausum esset, si antequam illud eis aperiretur,Sedis vacatio eueniret,vtrùm, inquam, in Summi Pontificis electione vorum haberent, sanctitas sua exquisitis RR. DD. sententiis de eorum assensu & consensu decreuit, quòd cùm potissima Cardinalis facultas in Romano Pontifice eligendo consistat, quæ sanè ipsis propter insignium, & ceremoniarum defectum auferri non debet,ob eam causam sanctitatem suã statuere, vt postquam aliquis S.R.E. Cardinalis creatus fuerit, honoremque acceperit, & consensum suum dederit, is statim vocem & ius eligendi Romanum Pontificem habeat, & consequatur, etiamsi Cardinalatus galerus nondum illi traditus sit,neque os clausum, aut si clausum fuerit, nondũ tamen apertum sit. Videri enim huiusmodi claudendi oris ritum ad præcipuam Cardinalium facultatem, quæ circa Summi Pontificis electionem versatur,non pertinere, sed ceremoniam quamdã esse ea de causa introductam, vt Cardinales antequam in Consistoriis & Congregationibus suffragium ferant de modestia,quæ ab ipsis in his,& aliis actibus adhiberi debet, quodammodo admoneantur.&c.*sub die 26.Ianuar.*1571. Et tandem idem statuit Gregor.XV.*in Bulla de Ceremoniali,Idus Martij* 1622.

Vnde ex his infertur offendentes & interficientes Cardinales,qui nondum capellum habuêre,incidere in censuram Bullæ Cœnæ,quia quando aliquis in Cardinalem nominatur, & assentit, verè Cardinalis efficitur, nam capellum accidentarium est,& ita docet Sousa *in Bulla Cœnæ,cap.12. disp. 60. concl.1.*Bonacina *in Bulla Cœnæ,disp.1.q.12.punct.2.n.3.* Duardus *lib.2.canon.11.q.6. n.1.* Vgolinus *cap.11.§.1. n.1.*Filliucius *tom.1.tract.16.cap.9. nu. 259.* Scortia *in Bull.Pontif.epitome 166.theorem.420.*Megala *in 3.part. lib.2.cap.9.q.1.num.10.*& alij.

RESOL. LXXV. *An Cardinales si non expectent alios intra tempus definitum, & eligatur Pontifex ex ipsorum omnium, vel duarum partium consensu, electio adhuc sit valida?*

SVppono, Cardinales præsentes debent per spatium decem dierum absentes expectare pro electione Summi Pontificis. Difficultas est, an si illum eligant infra dictum tempus,electio sit nulla? & talem electionem non valere respondet Albanus *de Card.q.14.*quia cùm tempus certum lex præscribit, ad substantiam spectare dicitur,ex *authent. quæ supplicat.C.de precib.Imper offerend.* sed hoc in electione statutum est.ergo,&c.

Sed talem electionem vim habere magis probabiliter tradit Azorius *tom.2.lib.4.cap.2.q.5.*& Lauorius *in var.elucubr.tit.4.c.7.n.4.*quibus ego adhęreo,nam glossa *in cap.vbi periculum,de elect.in 6.*sentit eam electionem ratam esse & firmam, quia in eo cap.generatim dicitur nihil excipi,aut opponi posse, si Pontifex eligatur suffragiis duarum partium Cardinalium.Item,quia si illi Cardinales prẹsentes quoque fuissent, & contradixissent, nihilominus ipsis inuitis electio consisteret. Nec diuersum ab his Philippus & Archidiac.docuerũt, putant enim ad substantiam electionis solùm requiri vt Pontifex à duabus partibus Cardinalium eligatur, cætera verò ad accidentia electionis attinere, nempe locum & tempus.ergo,&c.

RESOL. LXXVI. *An si Cardinales ita distent à Romana Curia vt omnino inter decem dies post mortem Pontificis accedere non possint, teneantur adhuc præsentes illos expectare?*

AFfirmatiuam sententiam docet Manfredus *de Card.decis.266.*vbi sic ait.Cardinales qui intra decem dies accedere non possunt, expectandi sunt.Ita ille, qui citat glossam, Francum, Baldum, Iasonem,Albanum,& Iacobatium.

Sed contraria sententia mihi placet, quam tuetur Albanus *de Cardin.q.13.*Azorius *tom.2.lib.4. c.2. q.5.* quibus ego addo Iulium Lauorium *in var. elucubr.tit.4.cap.7.n.11.*quia *in cap.vbi periculum,de elect. in 6.*decem dierum spatio præfigitur,ergo,&c.

RESOL.

RESOL. LXXVII. *An Cardinales gaudeant priuilegio in itinere celebrandi, vel sibi facere celebrari ante auroram, & post meridiem?*

EPiscopos gaudere hoc priuilegio docet Coninck *de Sacram. q. 83. art. 2. dub. 4. num. 217.* Azorius *tom. 1. lib. 10. c. 25. q. 5.* Emanuel Sà *ver. Missa n. 27.* Miranda *in Man. Prælat. tom. 1. quæst. 40. art. 10. concl. 1.* Barbosa *de offic. Episc. part. 2. alleg. 23. n. 5.* & alij. Si ergo Episcopi gaudent hoc priuilegio, quanto magis Cardinales gaudere debent, & ideo illos hoc frui priuilegio in specie notat Sotus *in 4. sent. dist. 13. q. 2. art. 2. ante finem*, & nouissimè Mauritius Alzedo *de præst. Episc. part. 2. cap. 13. nu. 13.* vbi sic ait. Cardinales S. R. E. gaudent priuilegio celebrandi ante auroram, vel post meridiem. Ita ille.

RESOL. LXXVIII. *An in pari causa sententia sit ferenda in fauorem Cardinalium?*

AFfirmatiuè respondeo cum Cuccho *in instit. Canon. lib. 2. tit. 4. n. 104.* vbi sic ait. Vbi partium jura sunt ambigua, nec satis liquet pro quo ferēda sit sentētia, in pari causa pro Cardinale potiùs sententia ferenda est. Ita ille. qui citat Romesium, & Manfredum.

RESOL. LXXIX. *An familiares Cardinalium in absentia gaudeant fructibus suorum beneficiorum?*

REspondeo affirmatiuè cum Cuccho *in Instit. Can. lib. 2. tit. 4. n. 69.* vbi sic ait, Cardinales possunt suorum beneficiorum fructus, etiam dum ab eis absunt, in Curia Romana existentes percipere, quia Romanæ Ecclesiæ, quæ cæterarum omnium est mater, deseruientes, aliis quoque Ecclesiis seruire videntur, & in suis beneficiis residere, quòd etiam de familiaribus eorum traditum est, cùm & ipsi eadem ratione, eisdem priuilegiis perfrui debeant. Ita ille, & ante illum Laudens. *tract. de Cardin. quæst. 69.* vbi citat pro hac sententia Ioannem Andream, & Butrium *in c. cùm dilectus, de Cler. non resid.* & hanc etiam sententiam docet Albanus *de Cardinalibus quæst. 42. priuileg. 6.* & alij penes ipsum.

RESOL LXXX. *An offendentes Cardinales incurrant in crimen læsæ Maiestatis? & quid si tantùm contra illos verba iniuriosa protulerint?*

OFfendentes Cardinales eos esse reos læsæ Maiestatis, patet ex *c. felicis, de pœnis, in 6.* vbi suprà dictis plurimæ infliguntur pœnæ, nempe 37. vt obseruat Manfredus *de Cardin. cap. 8.* & Lancellot. *in Templo iud. lib. 2. c. 2. de Cardin. §. 3. n. 26. in d. cap.* Cardinalem S. R. E. qui fuerit hostiliter insequutus, vel percusserit, aut cœperit, vel socius fuerit facienti, aut fieri mandauerit, vel factum ratum habuerit, aut consilium, auxilium, vel fauorem dederit, vel postea receptauerit, aut scienter defensauerit, sit reus læsæ Maiestatis, perpetuò infamis, dissidatus, & bannitus, non potest testari, nec succedere, etiam ab intestato, eius ædificia dari debent in ruinam nullo tempore reparanda, nullus ei obligatur reddere debitum, vel respondere in iudicio, eiusque bona applicantur fisco: fit ipso facto priuatus omni feudo, gubernatione, beneficio Ecclesiastico, de quibus Rector Ecclesiæ disponere poterit. Eius filij, nepotes, vel pronepotes per rectam lineam priuātur beneficiis, sine spe ascensionis ad dignitates, regimen, honores etiam mundanos; non sunt apti ad Ordines, nec ad testificandum, nec ad actus legitimos; & prædictus atque alij tanti mali participes sunt excommunicati, & singulis diebus festiuis vt tales publicari debent, dum sunt contumaces, nec absolui possunt nisi à Papa, præmissis fustigationibus in nudo ad cautelam, & vltra mare ad triremes relegari debent. Illum autem qui fuit simpliciter Consiliarius, vel fautor, iudex pro qualitate culpæ castigare poterit. Prædictæ item pœnæ per Papam extendi poterunt ad collaterales fratres, videlicet nepotes & pronepotes talium. Contra verò offendentes familiares Papæ, vel Cardinalis pœna imponi poterit pro qualitate culpæ. Tandem contra occidentes Cardinalem. vel dantes causam mortis, acriùs etiam à laicis & secularibus insurgi debet, qui si non fecerint hæc obseruari intra mensem, sunt excommunicati, & eorum ciuitas priuatur Pontificialibus, & est interdicta.

Sed de istis pœnis, & de tota hac materia videbis Farinacium *in Praxi crim. q. 112. à n. 75. vsque ad n. 131.* Barbosam *in Collect. Doctor. tom. 3. in 6. Decret. lib. 5. tit. 9. c. 5. per totum.* Azeuedum *in recopil. lib 8. leg. 1. tit. 18. n. 7.* & expositores Bullæ Cœnæ *in Can. 11.*

Verùm difficultas est, an qui iniuriam verbalem in Cardinalem protulit, incidat in pœnas *d. c. felicis*, ita vt dicatur incidisse in crimen læsæ Maiestatis? Hanc quæstionem latè discutit Albanus *de Cardin. q. 42. priuil. 7.* & licet pro affirmatiua sententia multas adducat rationes, tamen ipse in negatiua persistit, quam etiam tenet Couarr. *lib. 1. var. cap. 11. nu. 5.* Plazza *de delictis l. 1. c. 2. n. 5.* Diaz *in pract. crimin. c. 69. num. 3.* Naldus *in sum. ver. Bulla Cœnæ, nu. 45.* Alterius *de Censuris, tom. 1. lib. 5. disp. 12. cap. 4. quæst. 2.* Zechius *de Republ. Christ. tit. 3. de Cardinal. num. 9. priuileg. 3.*

Non desunt tamen Doctores (tanta est dignitas Dominorum Cardinalium) asserentes in tali casu Cardinalem iniuriantes pœnas dicti *cap. felicis*, non effugere & reos læsæ Maiestatis effici. & ita præter Ioannem Ananiam *in cap. 1. de maledictis, col. 4.* & Felin. *in cap. non dubium nu. 5. de sentent. excomm.* tenet hanc sententiam Hieronymus Manfredus *tract. de Cardinal. decis. 205.* & Iacobatius *de Conciliis lib. 1. fol. 39. col. 1. lit. B.* quia verbum *percussit* in d. cap. *felicis* positum duplicem sensum habet, verificari enim potest & in percussione verbali, & actuali: vnde ista constitutio licet pœnalis sit, attamen simul fauorabilis est, cùm præcipuè in fauorem Cardinalium edita sit, debet ergo hanc percussionem verbalem complecti.

Notandum est etiam hìc obiter, quia *in d. cap. felicis* nullus omnino excipitur, & ideò notat Gigas *de crimine læsæ Maiestatis lib. 1. q. 5. n. 10.* & Gambacurta *de immunit. lib. 5. c. 40. n. 5.* etiam Imperatorem ipsum offendendo Cardinalem aliquo modo *in d. c. felicis* expresso; esse reum læsæ Maiestatis, quod etiam tenet glossa *in cap. Apostolica, de sent. & re iudicata, ver. Cardinales.*

RESOL. LXXXI. *An ſi quis inſultum faciat ad domum Cardinalis, vt ex hoc ei verecundiam tantùm inferat, incurrat in excommunicationem Bullæ Cœnæ?*

NEgatiuè reſpondet Acoſta *in Bulla Cruc. q.* 65. Sayrus *lib.*3.*cap.*15.*n.*6. Filliucius *tom.*1.*tract.*16. *cap.*9.*n.*245. Duardus *in Bulla Cœnæ,lib.*2. *can.*11. *q.*7. *n.*3. Barboſa *in Collectan. Doct. in* 6. *Decretal. lib.*5. *tit* 9. *c.*5.*n* 7.& alij,quia in tali caſu ſic facientes non dicuntur Cardinales hoſtiliter inſequi, contra quos Bulla infert excommunicationem, & cap. *felicis* alias pœnas.

Verùm ſemper mihi magis placuit opinio Alterij *de cenſ. tom.*1.*lib.*5. *diſp.*12.*c.*4. *col.* 4.*fol.* 616.vbi ex multis validis rationibus probat ſic facientes in cenſuram Bullę incurrere, quia verba legis iuxta finem,propter quem edita eſt, intelligi debent,ex *l. in agris ff. de acquir. rer. dom. & cap. finali, de præb.* Sed finis Summi Pontificis in Bulla fuit prouidere dignitati Cardinalium,vt ab omnibus debito honore afficerentur, & à nemine læderentur. Verùm huic fini non ſatis proſpectum fuiſſet,ſi cenſura lata eſſet ſolùm in eos,qui Cardinales inſequerentur dum fugerent, vt euitarent manus inſequentium, niſi comprehenderet etiam illos, qui inſultum facerent in eorum domos,nam quamuis illa obſeſſio non ordinaretur ad pœnam, vel actum iudicialem contra illos, tamẽ reuera eſt ignominioſa ipſi Cardinali, neque fieret ſine graui eiuſdem Cardinalis iniuria. ergo, &c. Reliquas rationes videbis apud Alterium *loco citato.*

RESOL. LXXXII. *An ſi quis eiiciat Cardinales à terris,in quibus nati ſunt, aut domicilium habent incurrant excommunicationem ſi non exerceant legationem aliquam?*

NEgatiuam ſententiã docet ex Vgolino Duardus *in Bulla Cœnæ,lib* 2 *can.*11.*q* 6. *nu.*6. vbi ſic ait. Ad contrahendam prædictam excõmunicationem oportet,vt dicti Antiſtites eiiciantur à prædictis locis,dummodo ſua ſint, id eſt, in eis iuriſdictionem habeant ratione ſuarum dignitatum, ſiue iuriſdictio ſpiritualis ſit,ſiue temporalis. Nã quamuis pronomen illud *ſuum* ſit æquiuocum, vt habẽtur ex Bart. *l. cùm in teſtamento ff. de aur. & argent. leg.* & Iaſon *in l. pecunia n.*1. *ff. ſi cert. pet.* atque adèo aliquando ſignificet dominium & proprietatem, vt *in l.*2.*ff. de relig. & ſumq. funer.* aliquando id,quod de facto tenetur,vt ait Bart. *in reb. C. de verb. ſign. nu.*5. & aliquando id, quod ſub cura & adminiſtratione habetur,vt per gloſſ. *in c.* 2. *ver rebus ſuis.* vbi etiam Felin. *de iureiur.* nihilominus hoc loco per ly *ſuis*, ſignificantur diœceſes,territoria,& terræ,ſeu dominia,in quibus Cardinales,Patriarchę,Archiepiſcopi, & Epiſcopi Apoſtolicæ Sedis Legati, & Nuncii iuriſdictionem ratione ſuarum dignitatum obtinent,ſiue iuriſdictio ſit temporalis, ſiue ſpiritualis ſimul, qualis eſt quam habet Epiſcopus Imolenſis Bagnariæ,ſiue ſpiritualis tantùm,vt Epiſcopi in ſuis Diœceſibus, quas habent in locis aliorum Principum,& Legati ac Nuncij in ſuis locis. Vbi eorum munera obeunt Archiepiſcopi & Patriarchę in ſuis Prouinciis, & Cardinales in ſuis Eccleſiis titularibus,quoniam hoc priuilegiũ ob eas dignitates ipſis conceſſum eſt. Ita Duardus,cui addę Sousã *in Bullæ Cœn. c* 12.*ante diſp.*60.*n.*3. Coriolanum *in Bulla Cœn. excommun.* 4.& Filliucium *tom.*1.*tr.*16.*cap.*9. *n.*248. & Reginaldum *tom.*1.*lib.*9.*cap.*20.*num.*225.

Sed ego cõtrariæ ſententię adhæreo,quam tuetur Scortia *in Bulla Pontif epit.*166.*theorem* 420. Naldus *in ſum ver Bulla Cœnæ, num.* 46. Alterius *de cenſ. tom.*1.*lib.*5 *diſp.*12.*c.*4 & Bonacina *in Bull. Cœn diſp.*1. *q.*12.*punct.*1.*n* 17.& ratio eſt,quia in hoc caſu verificantur verba Canonis abſolutè excommunicantis eiicientẽ præfatos Cardinales, vel Prælatos à terris ſuis,terra enim quæ alicui titulo patrimonii,hæreditatis,originis,vel domicilij competit,iuxta communẽ & vulgarem loquendi modum dicitur ſua.

Sed obiicies, Papa iſtam excommunicationem impoſuit fauore dignitatum,alioquin ipſarũ mentio fruſtrà hîc facta fuiſſet;ergo vt quis excommunicationem contrahat,debet expellere Prælatum à loco,in quo ſpiritualem, vel temporalem iuriſdictionem habeat ratione dignitatis, non titulo patrimonij,aut alia ratione. Reſp. etiamſi Papa in gratiam dignitatis hoc priuilegium cõceſſerit, nihilominus cùm abſolutè & indiſtinctè loquatur, par non eſt vt nos hoc priuilegiũ ad terras ratione dignitatis ſubiectas reſtringamus, & in hoc caſu nõ ſolùm iudiçes & Principes. ſed etiã iuſſa exequentes in dictam excommunicationem incidunt, quia huiuſmodi cenſentur vna perſona cum mandante Cardinales eiici,& idem eſt vtriuſque delictum,vt patet ex ipſo Souſa *vbi ſup. n.* 4. *& c.*10.*diſp.*58.*concl.*3.

Notandum eſt etiam hîc obiter incidere in dictam excommunicationem ſi quis eiiciat Cardinales modo quo ſuprà,ſolis verbis comminatoriis, requiritur tamen effectus, id eſt, vt Cardinalis ob minas actu relinquat loca,vbi moratur & recedat. Ita Alterius *de cenſur. tom.*1. *lib.*5. *c.*4. *in fine.* Scortia, Duardus & Bonacina *vbi ſuprà*, quibus addę Filliucium *tom.*2.*tr.*16.*cap.*19.*n.*249.

RESOL. LXXXIII. *An offendentes Clericos familiares Cardinalium ipſorum intuitu incidant in excommunicationem Bullæ Cœnæ?*

NEgatiuè reſpondet Acoſta *in Bulla Cruc. q.* 65. Souſa *in Bulla Cœnæ.cap.*12.*diſput.*66.*n.*3. Duardus *lib.*2.*can.*11.*q.*10.*n.*1. Barboſa *in Collect. Doct. tom.* 3.*in* 6. *Decr. lib.*5 *tit* 9.*cap.*5.*n.*35. Alterius *de cenſ. tom.*1. *lib.*5. *diſp.* 12. *cap.*3. *dub.*7. & alij aſſerentes tales non incurrere in dictam excommunicationem, etiamſi offendant dictos familiares coram Cardinalibus, & ipſorum intuitu,& in contemptum, quia cenſura non ligat vltra mentem conditoris verbis expreſſam,ſed in Bulla exprimuntur tantùm Cardinales,& non eorum familiares.ergo,&c.

Sed eſt tanta dignitas Dominorum Cardinalium,vt propterea contrariam ſententiam docuerit ex Armilla & Viualdo, Greg. Sayrus *de cenſ. lib.*3,*c.* 15.*nu.*3. Sed quicquid ſit de hoc,certum eſt, offendentes Cardinalium familiares incurrere in excommunicationem reſeruatam Summo Pontifici *in cap. felicis, de pœnis, in* 6. & in Bulla Pij V. edita 14. *Kal. Ian. ann.* 1569. Ita Souſa *vbi ſuprà*, & Alterius *de cenſ. tom.*1.*lib.*5.*diſput.*12.*cap.*3.

RESOL.

RESOL. LXXXIV. *An Cardinales percutientes ſe ipſos incurrant in cenſuram Bullæ Cœnæ?*

AFfirmatiuam ſententiam tenet Duardus *in Bull. Cœn. lib. 2. cap. 11. quæſt. 22. num. 2.* & Vgolinus *in Bull Cœnæ cap. 11. §. 1 numer. 2.* ex Tabiena *ver. excommunicatio 1. caſ. 1. num. 32.* & ratio eſt, quia Clericus ſe ipſum percutiens incidit in excommunicationem latam *in cap. ſi quis ſuadente diabolo 17. q. 4.* ergo neque Cardinalis immunis erit ab hac excommunicatione Bullæ, ſi ſeipſum percutiat. Deinde hæc Bulla lata eſt in fauorem ſtatus Cardinalium. Ergo non poteſt Cardinalis cedere priuilegio huius Bullæ, quia eſt priuilegium conceſſum dignitati, & non perſonæ.

Verùm ego probabiliter contra Duardum cõtrariam ſententiam docui *in 3. part. tract 5. reſ. 81.* & docet Bonacina *in Bulla Cœnæ diſp. 1. qu. 12. punct. 3. nu. 3.* & ratio eſt, quia volenti, & conſentienti non fit iniuria, ex *lib. nemo præſumitur. ff. de reg. iur.* Deinde quod fauore alicuius inductum eſt, non debet in ipſius damnum retorqueri, ex *lib. nulla iuris ratio, ff. de legibus*, & tãdem, quia plures ex actionibus prohibitis in Bulla, & ſimiliter *in cap. felicis, & in Clem. ſi quis ſuadente*, nullo modo aptari poſſunt perſonæ iniuriam patienti; ſed neceſſariò requirunt cauſam efficientem extrinſecam, vt capere, carcerare, detinere, hoſtiliter inſequi, à Diœceſibus & terris eiicere. Nemo enim ſe ipſum eiicit, vel inſequitur, &c. ergo eodem modo accipiendæ ſunt aliæ actiones, ſcilicet vt intelligantur ſub excommunicatione prohibitæ, quatenus ab aliis inferuntur aduersùs dictas perſonas Eccleſiaſticas. Item ſi Cardinalis ſe ipſum percutiens incideret in hanc excommunicationem Bullæ; ergo idem dicendum eſſet *in Canone 9. de his qui veniunt ad Sedem Apoſtolicam, & in 10. de peregrinis ad Vrbem accedentibus*, ſi quis eorum in ſeipſum manus inferret contra diſpoſitionem Bullę. Eſt enim eadem & par ratio & tamen nemo id affirmat. Adde quòd ego ipſe ſatis etiam probabiliter vbi ſuprà firmaui, Clericum percutientem ſe ipſum non incurrere in excommunicationem *cap. ſi quis ſuadente.* & ita hanc ſententiam loquens in ſpecie de Cardinalibus ſe ipſos percutientibus, docet etiam eſſe probabilem Alterius *de cenſuris, tom. 1. lib. 5. diſp. 12. cap. 3. dub. 2.*

RESOL. LXXXV. *An Cardinales poſſint relinquere digniorem, & eligere dignum, quando pars ſufficiens ad electionem vult illum in Papam eligere?*

CAſus poteſt frequenter accidere, & videtur negatiuè reſpondendum, quia, vt latè probat Caſtellinus *tract. de elect. cap. 10.* Cardinales tenentur in conſcientia eligere digniorem in Papam, ex gremio tamen ſacri Collegij, vt ſuprà dictum eſt.

Sed in caſu propoſito ego puto Cardinales poſſe ſine vllo ſcrupulo conſcientiæ eligere dignum, prætermiſſo digniori, per ea, quæ adducit Villalobos *in ſum. tom. 2. tract. 8. diffic. 3. n. 8.* vbi ſic ait. [Porque ſi la mayor parte de los Electores eſtà ya reſuelta de eligir al menos digno, de tal ſuerte, que moralmente hablando ha de ſalir con la elecion, podrà la menor parte conformarſe con la mayor eligiendo al menos digno, como dize Bañez, que como en eſte caſo es impoſſible eligirſe el mas digno, no ay obligacion à votar por el, y conuiene à la communidad, que las elecciones ſe hagan pacificamente, porque el electo gouernarà mejor con eſſo, que ſi lo eligieſſen menos, y eſto es verdad, aunque juraſſen los Electores de eligir el mas digno, lo que ſe ha de entender, ſupueſto que lo pueden eligir.] Sic ille. & ante illum Io. Valerius *in differ. vtriuſque fori ver. electio differ. 1. nu. 1.* Riccius *part. 3. deciſ. 214. num. 3.* Io. de la Cruz *in direct. conſcien. part. 1. præcept. 7. q. 7. art. 2. dub. 9. concl. 2.* Syluius *in 2. 2. q. 63. art. 2. quæritur 4. concluſ. 3.* & alij.

Verùm quid dicendum, an peccet Cardinalis dignus ſi acceptet Papatum cognoſcẽs in electione prætermiſſum eſſe digniorem, & affirmatiuam ſententiam, loquens de Beneficiariis, docet Petrus Nauarra *de reſt. lib. 2. cap. 2. num. 63.* cuius opinionem probabiliſſimam putat Tannerus *in 2. 2. D. Thomæ diſp. 4. q. 8. dub. 2. nu. 15.* quia dignior habet iuſtitiam diſtributiuam ad beneficium, quam non habet minùs dignus, & ita communicaret peccato eligentium. ergo, &c. Verùm his non obſtantibus ego puto nullum peccatum admittere Cardinalem dignum ſi Papatum acceptet, prætermiſſo digniori, & ita tenet Sotus *de Iuſtitia lib. 3. quæſt. 6. art. 2. poſt 9. concluſ.* & Turrianus *tom. 2. in 2. 2. D. Th. diſp. 22. dub. 3. num. 8.* Vbi docent minùs dignum, etiamſi ſibi & electoribus notum ſit, digniorem in electione eſſe prætermiſſum, poſſe iuſtè prębendam acceptare, quia dignus ratione electionis comparat ius ad proprietatem, & poſſeſſionem ſumendam præbendæ; ergo facta electione vtitur iure ſuo acceptans illam. Nec valet dicere, iſte minùs idoneus non poteſt petere præbendam in prædicto euentu, vt diximus, ergo non poterit electionem acceptare, vtrumque enim videtur contra iuſtitiam, & vtriuſque videtur eadem ratio. Reſpondeo conſecutionem eſſe inefficacẽ, quia non ſunt res eodem modo ſe habentes, nam poſt electionem minùs idoneus habet ius ad comparandam proprietatem, & poſſeſſionem præbendæ, & ita acceptans electionem vtitur iure ſuo, quod non poſſet eſſe verum ſi faceret cõtra iuſtitiam, quod maximè obſeruandum eſt. ergo, &c. quæ omnia militant etiam in caſu, de quo loquimur.

RESOL. LXXXVI. *An offendentes perſonas Cardinalium gaudeant immunitate Eccleſiarum, maximè poſt Bullam Gregorij XIV.*

AFfirmatiuam ſententiam tenet Farinacius *in appen. de immun. cap. 14. nu. 185.* quia conſtitutio Greg. XIV. videtur reſtricta ad eos, qui fuerint rei læſæ Maieſtatis in perſonam ipſiuſmet Principis: offendentes autem Cardinales non dicuntur offendere perſonã Pontificis, ergo, &c. Et licet Cardinales Principes poſſint nuncupari, non tamen propriè Principes ſunt, illi præſertim, qui Superiorem non habent, & de quibus propriè Bulla Pontificia loquitur, vt inter alios obſeruat nouiſſimè Caſtrus Palaus *tom. 2. tract. 11. diſp. vn. punct. 9. n. 43.*

Sed his non obſtantibus Gambacurta *de immun. l. 5. c. 44. num. 5.* Marius Italia *lib. 1. cap. 5. nu. 16. & §. 7.*

*num.*21.cum noſtro Peregrino *cap.*11.*per totum*, docent talem reum minimè gaudere Eccleſiæ immunitate,non tantùm quia Cardinales ſunt Conſiliarij Papæ, & faciunt vnum corpus cum ipſo, ex *cap.felicis,de pœnis*, *in* 6. ſed quia ſunt Romanæ Eccleſiæ Principes, vnde & in iure Regibus æquiparantur,& ideo maieſtatem habent, & qui eos lædit,maieſtatem lædit, lædit autem eam in perſonã Principis,ergo caret immunitatis priuilegio, & includitur in verbis Bullæ Gregorianæ. quæ doctrina minimè applicari poteſt quibuſcumq; Cõſiliariis,licet intimis Principum ſecularium, nam illos offendens gaudebit vtique,vt alibi diximus,Eccleſiarum immunitate, vt tradit Palaus *loco cit.*& noniſſimè Marcellus Vulpe *in Praxi iudiciali c.*3. *nu.*15. Verũ quia opinio Farinacij habet aliquã probabilitatẽ,quando caſus (quem Deus auertat) in facti contingentia accideret, Epiſcopi, vel alij Prælati Eccleſiarum talem reum ad Eccleſiam confugientem ſecurè cuſtodiant,& illicò Summum Pontificem ne deſinant certificare, qui delinquentem brachio ſeculari tradendum eſſe iuſtè determinabit.

RESOL. LXXXVII. *An mandantes offendi Cardinales, ſi effectus non ſequatur,incidant in excommunicationem Bullæ Cœnæ, & priuentur immunitate Eccleſiarum?*

NOn priuari immunitate Eccleſiarum videtur reſpondendum, quia ex mandato mandans non obligatur niſi mandato executo, & §. *is qui exequitur,Inſtit.de mandat.* & ex *l.*3.*ff.eod.*quod magis cõfirmatur, quia mandans offendi Cardinalẽ non incidit in cenſuram Bullæ Cœnæ, ſi effectus ſequutus non fuerit, vt docet Vgolinus *in Bulla Cœn.part.*2.*cap.*11.*ver.nec non ea mandantes,*§.2.*num.*1. Alterius *de cenſ.tom.*1.*lib.*5.*diſp.*12.*cap.*6.*col.*4.Graffius *lib.*4.*deciſ.part.*1.*cap.*18.*num.*117.Sayrus *de cenſ.lib.*3.*c.* 15.*num.*9.Souſa *in Bulla Cœnæ,cap.*12.*diſp.*63. *concl.*1.*n.* 2.Barboſa *in Collect.Doct.tom.*3.*lib.*5.*tit.*9.*cap.*5.*num.*9. Bonacina *in Bulla Cœnæ,diſp.*1.*quæſt.*12.*punct.*3.*n.*8. & 9.cum aliis.ergo,&c. Vide etiam Scortiam *in Bulla Pont.epit.*109.*theorem.*297. *& epit.*166. *theorem.*420.

Sed ego affirmatiuam ſententiam tenendam eſſe puto, quam tuetur Peregrinus *tract.de immun. cap.*11.*num.*1.& ratio eſt,quia *in cap.felicis,de pœnis, in* 6.punitur etiam mandatum, vt obſeruat Monachus *ibi num.*1.*in verbo mandauerit,& n.*2. Archidiac. *ibi num.*11.*in eod.verb.mandauerit.*Io.Andreas *ibidem, ante num.*1.*in verbo facientes.* Afflictus *in tit. quæ ſint regalia,in verbo, & bona committentium num.*105. Gigas *de crimine læſæ Maieſt.lib.*1. *rubr.qualiter, & à quibus crimen læſæ Maieſtatis committatur q.*5. *nu.*13. quos refert,& ſequitur Farinacius *in ſua pract. crimin.p.*2. *tom.*2.*tit.de crimine læſæ Maieſt.q.*112.*n.*91.

Quòd autem mandans effectu non ſequuto non incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ, non eſt mirum, quia in dicta Bulla principaliter excommunicatur faciens, & ſecundariò mandans, & proinde non eſt mirum ſi mandans non excommunicetur niſi effectu ſequuto per mandatarium;ſed *in cap.felicis*,ita principaliter excommunicatur mandans & punitur, ſicut faciens, & ideo non eſt mirum ſi mandans immunitate Eccleſiaſtica non gaudeat etiam effectu non ſequuto per mandatarium. Adde quod noſter doctus & amiciſſimus P.Duardus *in Bulla Cœnæ lib.*2. *can.*11. *quæſt.*12.*num.*1.*&* 4.*& quæſt.*14 *num.*2. ſatis probabiliter docet, ex vi Canonis Bullæ Cœnæ excommunicari mandantes, offendi Dominos Cardinales æquè principaliter, ac facientes, & ideo incidere in excommunicationem, etiam effectu non ſequuto. quod probatur ex dictione illa, *nec non*, in textu poſita. nam Romanus Pontifex poſt excommunicationem latam contra dicta crimina committentes, extendens illam ad mandantes, rata habentes, in auxilium, conſilium, fauorem præſtantes, &c. ſic ait. Nec non ea mandantes, vel rata habentes, &c. At dictio illa, *nec non*, cùm ex duabus negatiuis conſtet, proculdubio affirmat, & copulat æquè principaliter, vt habetur ex text. *in* §. *cumq; hoc*, *in proœm. Inſtit.* & nos ſuprà diximus *can.*2.*q.*6. Confirmatur, quoniam dictio illa, *nec non*, æquipollet copulæ, *&*, quæ quidem facit venire copulatum principaliter, non autem acceſſoriè,vt per Abb.*in c.ſæpe n.*7.*de verb.ſign.& in c.querelam n.*5.ac latè Iaſonius cum aliis, quos allegat *in l.*1.*n.*5.*ff.de iuſt.& iur.*Nec mirum ſi ex ſolo mandato quis ligetur, quoniam hoc ipſum mandare eſt delictum conſummatum, vt habetur ex Ioanne Andrea *in add.ad text.in c.*1.*in ver.mãdauerit, de hom. lib.*6.& hanc ſententiam tenet gloſſa *in Clem.*1. *ver. mandauerit.de pœn.* Ergo etiamſi non ſequatur effectus, mandans inſequi & offendi Cardinales incurrit in excommunicationem Bullæ, & ita hanc ſententiam præter Duardũ docet Sebaſtianus Acoſta *in Bulla Cruciat.q.*65.Notandum eſt etiam hîc cum Peregrino *vbi ſuprà n.*2.eum,qui offenſionem nomine ſuo factam Cardinali ratam habuit, immunitate Eccleſiarum non gaudere, præter incurſionem excommunicationis latæ contra eum in Bulla Cœnæ,de qua vide citatos Doctores.

RESOL. LXXXVIII. *An qui offenſionem in Cardinalem, cùm poſſit, non impedit, incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ?*

NEgatiuam ſententiam docet Bonacina *in Bulla Cœnæ diſp.*1.*q.*12.*punct.*3.*n.*14. vbi putat eũ, qui non prohibet delicta, de quibus loquitur Bulla, non affici excommunicatione huius Canonis, non prohibendo præcisè, niſi fortè conſentiat cooperando,& auctoritatem præſtando. Ratio eſt, tum quia communiter approbati ſolet regul. iur. *in l. culpa caret.ff.de reg. iur.* in qua dicitur neminem ex ſola ſcientia & notitia criminis teneri;tum quia in hoc Canone excommunicantur patrantes delictum,vel præſtantes auxilium, conſilium, & fauorem ad illud patrandum; qui autem non impedit, propriè loquendo, non præſtat auxilium,conſiliũ, vel fauorem,cùm negatiuè ſe habeat:auxilium verò,conſilium & fauor poſitiuum influxum importare videntur, tum quia verſamur in materia pœnali,& odioſa,in qua ſtrictè interpretatio facienda eſt,tum quia dum Sum.Pontif.vinculo excommunicationis ligare intendit non impedientes, ſolet eos exprimere,vt *in c.quantæ,de ſent.excom.*

Verùm omnino contrariam ſententiam tenendam

dam esse puto, quam tuetur Alterius *de cens. tom.1. lib.5.disp.12. cap.6.col.10.* Duardus *lib.2. can.11. q.19. n.1.* & Vgolinus *part.2.cap.11.ver.vel fauorem, nu.3* & ratio est, quia fauere proculdubio is dicitur, quod vi dicti Canonis expressè prohibetur, quòd verè percutienti faueat. Probatur ex text. *in c.quanta, de sent.excommunic.* vbi habetur quòd hi delinquentibus fauere dicuntur, qui, cùm possint, manifesto facinori desinunt obuiare: si ergo fauere illi dicuntur, qui cùm possint manifestè facinori non obuiant, idem proculdubio dicendum est de non prohibente percuti Cardinalem, aut alium Antistitem cùm possit, atque adeò in supradictam excommunicationem incidit. Ampliatur hæc conclusio, vt non solùm locum sibi vendicet in Iudicibus ac Potestatibus, qui ad id ex officio tenentur, sed etiam in iis, qui iurisdictionem non habent. nā si possunt prohibere ne Antistites offendantur, & non prohibent, prædictam excommunicationem contrahunt, eo quòd text. *in d.c.quanta*, generaliter loquitur, vt benè declarat Vgolinus *loc. cit.* vbi etiam *n.4.5. & 6.* hoc idem dicendum esse ait, si quis sine suæ vitę periculo clamādo, poterat huiusmodi Prælatis opem ferre, & non clamauit: aut pecuniâ eos redimere, & non redemit, quia tunc in excommunicationem incideret, per ea, quæ docet Socinus *in c.ad audientiam, n.355.q.98. de homicidio.*

RESOL. LXXXIX. *An si quis tantùm sciens aliquos contra Cardinalem conspirasse, & illos non demutiet, & patefaciat, incidat in excommunicationem, & an illos teneatur reuelare, etiamsi per fraternam correctionem speretur emendatio?*

QVicquid sit de censura Bullæ Cœnæ, certum est, vt notat Peregrinus *de immun. cap.11.nu.4.* & alij, incidere in excommunicationem latam à Pio V. 14. *Kal. Ianuar. an.* 1569. occasione mortis attentatæ contra S. Carolum Borromæum, in qua Bulla præscribitur, vt quisquis quouis modo cognouerit, siue ex literis, scripturis, cœtu, conatu, cōcursu, insidijsque, aliisque signis, & indiciis, qualēcumque scientiam habuerit, vel etiam confecerit, vel intellexerit quempiam auctorum, administrorum, vel consciorum coniurationis, seu conspirationis, aut commissi, committendíve criminis in personam Cardinalis, teneatur quamprimum id Romano Pontifici, si in Curia fuerit; sin autem, Ordinario loci, vel si Cardinalis ipse Ordinarius extiterit, propinquiori Episcopo, & si crimen nondum commissum fuerit, etiamsi ipsi Cardinali quanto citiùs reuelare, & quicumque etiam non subditus, & omnino extraneus hac in re defecerit, cuiuscumque dignitatis fuerit, excommunicationis laqueo innodatus remaneat, pariterque maiestatis reus infamiam, & omnes pœnas *in cap. felicis, de pœnis in 6.* inflictas eo ipso incurrat. De supradictis verò pœnis, & de tota materia huius Bullę, vide Scortiam *in Constit. Pontif. epit. 109. theorem. 297.*

Sed difficultas est, an in tali casu sit adhuc reus reuelandus, si speretur per correctionem fraternā eius emendatio, & periculum non sit in mora? Negatiuam sententiam docet Duardus *in Bulla Cœnæ, lib.2. can.11. quæst.19. num.11.* vbi sic ait. Benè verum est, quòd si quis sciat aliquē parare insidias huiusmodi Prælatis, & probabiliter credat per secretam admonitionem illum recessurum à tali facinore, tunc debet præmittere secretam correctionem, cùm hæc iure diuino præcipiatur, vt *in c.si peccauerint 2.quæst.1. & cap. nouit, de iudic.* quod verum puto nisi ex dilatione denuntiationis talis criminis immineret periculum multitudini, quia tunc sine dilatione facienda est denuntiatio, quia bonum commune id postulat, & qui sic occultè peccat, nō solùm in re peccat, sed etiam in alios, iuxta ea, quæ docet D. Thom. 2.2. *q.33. art.7. in corp.* dum inquit, quòd si aliquis occultè tractet quomodo ciuitas tradatur hostibus, vel si hæreticus priuatim homines à fide auertat, oportet statim procedere ad denuntiationem, vt huiusmodi nocumentum impediatur, nisi fortè aliquis firmiter existimaret, quòd statim per secretam admonitionem posset huiusmodi mala impedire; ex quibus patet satis rigorosam esse Alterij sententiam, dicentis quòd si quis sciat contra Cardinalem, vel alios Prælatos hîc recensitos per aliquem machinari malum, quamuis eum monuerit, & speret emendarionem, tamen à reuelatione desistere non debet. Ita Duardus.

Verùm sententiam affirmatiuam Alterij, quam docet *tom.1. de cens. lib.5. disp.12. cap.6. col.20. fol.629.* tenet etiam nouissimè Martinus Bonacina *in Bull. Cœn. disp.1.q.12. punct.3. num.15.* quia quoties denuntiatio, vel accusatio præcipitur in pœnam delinquentis, & ob commune bonum facienda est, siue delinquens priuata correctione emendetur, siue non. In hac autem constit. Pij V. præscripta videtur reuelatio in pœnam delinquentis, & ob commune bonum, quod offensione Cardinalium violatur, vt colligitur ex verbis constit. quibus præcipiuntur delinquentes reuelari non solùm ante patratum crimē, verùm etiam crimine perpetrato. ergo, &c. ex quibus à fortiori, amice Lector, hîc aduerte, quàm verè ego *in 4.part. tract.5. resol.24.* docui, in delictis pertinentibus ad nostrum Tribunal S. Officij esse reos denuntiandos, etiamsi de illis speretur per correctionem emendatio, nam talis denūtiatio præcipitur in eorum pœnam, & ob publicum Reipublicæ bonum. Non nego igitur supradictis minimè adhibendam esse correctionem, si speretur; id quod constanter nego, est vt non sint post correctionem Tribunali denuntiandi. Vide meipsum, *vbi suprà.*

RESOL. XC. *An non reuelantes læsæ Maiestatis crimen in Cardinales perpetratum gaudeant immunitate Ecclesiarum?*

AFfirmatiuam sententiam docet Peregrinus *de immun. Eccl. cap.11. num.5.* vbi sic ait. Limitatur primò, nō procedere in eo, qui non reuelat coniurantes, vel conspirantes, vel machinantes in personam Cardinalis, ante, vel post delictum commissum & eorum fautores, receptatores. Nam licet per non reuelationem incidat in crimē læsę Maiestatis, vt patet ex Bulla Pij V. quæ incipit, *Infelicis seculi, vers. quicumque*, tamen non priuatur Ecclesiasticâ immunitate, quia crimen est omissionis, &

non

non commiſſionis contra perſonam Principis, & in præſenti conſtitut. Greg.XIV. excipiuntur ab hac immunitate delinquentes committendo(non autem omittendo) contra perſonam Principis, vt dictum eſt *ſuprà cap.*10.*n.*11.Ita Peregrinus.

Verùm hanc rationem,quam pro ſua firmanda ſententia adducit Peregrinus,non admittit Farinacius *in Append.de immun.Eccleſ.c.*14.*n.*186. & Marius Italia *de immun.lib.*1.*cap.*5. §.7.*nu.*52. aſſerentes læſæ Maieſtatis crimen in perſonam Principis non reuelantes, ſi ad Eccleſiam confugiant, illius immunitate non gaudere; ſed crimen læſæ Maieſtatis in perſonam Principis committit, qui offendit Cardinales, vt ſuprà probatum eſt, & docet ipſemet Peregrinus;ergo talem reum non reuelantem immunitate Eccleſiarum non gaudere dicendũ erit. Vnde ſi caſus acciderit, puto debere Epiſcopum ſtatim Summum Pontificem certiorare, & delinquentem interim cautè cuſtodire.

RESOL. XCI. *An receptatores & defenſores interficientium Cardinales incurrant in excommunicationem, & an gaudeant immunitate Eccleſiarum?*

QVoad cenſuram Bullæ Cœnæ, qui poſt commiſſum crimen receptat, vel defendit tales reos,ſiue vt amicos, ſiue formaliter vt criminoſos, non incidere in dictam excommunicationem; ſecus autem ſi illos ante commiſſum crimen receptet,& defendat,tradit Souſa *in Bulla Cœnæ,cap.*12. *diſp.*65.*num.*3.*&* 4 Duardus *lib.*2.*concl.*11.*q.*17.*nu.*6. Filliucius *tom.*1.*tract.*16.*ca.*9.*punct.*6.*n.*243. Alterius *de Cenſ tom.*1.*lib.*5. *diſp.*12.*c.*6. Suarez *de cenſuris diſp.* 21.*ſect.*2.*n.*72.Reginaldus *tom.*1.*lib* 9.*cap.*20.*nu.*314. & ratio eſt, quia qui poſt crimen patratum prædictos receptat,& defendit,ad ipſum patrandum auxilium,conſilium, vel fauorem non impendit, eſt enim in hoc caſu crimẽ iam perfectè commiſſum, nec in fieri perſeuerat. ergo huiuſmodi receptatores & defenſores ex vi huius Canonis nõ excommunicantur.Probatur conſequentia, quia poſtquã Summus Pontifex quas prohibet actiones numerauit,addit,*præſtantes in eis auxilium*, &c. quę verba non obſcurè oſtendunt in prædictis actionibus præſtandum eſſe auxilium,atque adeò illud debere antecedere : qui autem poſt actiones iam factas receptant, non in illis, ſed in re alia hoc loco non prohibita fauent, ad vitandum ſcilicet amicorum ſupplicium ; quòd autem receptatores approbantes ſic factum,non excommunicentur,ex diſp.præced.patet.Cùm enim illorum nomine crimen cõmiſſum non ſit,non dicuntur ratum habere in ordine ad excommunicationem incurrendam.

Sed difficultas eſt,an dicti receptatores,vt ſuprà, incidant in cenſuram latam *in c.felicis*, *de pœnis in* 6. videtur etiam ſub diſtinctione ſupradicta reſpondere Barboſa *in Collect. Doct. tom.*3. *lib.*5. *tit.*9. *cap.*5. *num.*14.qui citat Souſam *vbi ſupr.* nam Souſa negat quidem ſupradictos reos incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ recipientes poſt delictum commiſſum interfectorem Cardinalis, ſed ſimul docet incurrere in excommunicationem latam *in d.cap.felicis.* & ita etiam docet Bonacina *in Bulla Cœnæ,diſp.*1.*q.*12.*punct.*3.*num.*12.

Verùm an in tali caſu receptatores interficientium Cardinales gaudeant immunitate Eccleſiarum,diſtinguit Peregrinus *de immun.cap.*11. *num.*4. nam vel receptio redundat in fauorem delicti cõmiſſi contra Cardinalem, vt quia receptatio eſt facta,ne à ſatellitibus comprehendatur, vel ne à iudice puniatur, & in hoc caſu non excuſatur à pœna,nec immunitas Eccleſiaſtica ei ſuffragatur ; vel receptatio non redundat in fauorem delicti, ſed tantùm hoſpitij gratia facta eſt: & in hoc caſu mitiori pœna puniri debet, & immunitatem Eccleſiaſticam non amitteret. cui adde Megalium *in* 3. *p.lib.*3.*c.*9.*q.*1.*n.*3.

Sed hanc ſententiam tunc probabilem eſſe putat Duardus *in Bulla Cœnæ,lib.*2.*Can.*11. *q.*11. *num.*7. quando aliquis Cardinalis, vel ex dictis Prælatis turpiter inueniretur (quod abſit) eo modo, quo exemplificat Vgolinus *loco citato*;ſecus autem ſi ſolus cum ſola in loco ſuſpecto cõprehendatur.nam licet excuſaretur ab excõmunicatione, qui Clericum ſic inuentum incontinenti percuteret, iuxta ſententiam Nauarri;quam communem eſſe teſtatur ipſe *in Manuali c.*27.*n.*84. & Suarez *de cenſ. diſp.* 22.*ſect.*11.*ſub n* 37.id tamen ſatis non videtur in percutiente aliquem ex enumeratis in hoc Canone, quoniam propter dignitatem perſonæ, & munus quo fungitur, non redditur adeò ſuſpectus, ſicut ſimplex Clericus, maximè ſi de huiuſmodi genere criminis non ſit aliàs diffamatus.

Verùm,his non obſtantibus,ego teneo abſolutè contrariam ſententiam, nempe ſupradictos occidentes,vel percutientes Cardinales incurrere cenſuram Bullæ Cœnæ, & ita docet Alterius *de cenſ. tom.*1.*lib.*5.*diſp.*12.*c.*5.*dub.*3.& Bonacina *de cenſ.diſp.*1. *q.*12.*punct.*3.*num.*5.& ratio eſt, tum quia hic Canon abſolutè excommunicat offendentes Cardinales, & alios Prælatos hîc expreſſos abſque exceptione cauſarum *in cap.ſi verò* 1.*&* 2.*de ſent.excomm.*contentarum.ergo fruſtrà nos excipimus huiuſmodi cauſas,verba enim generaliter prolata, generaliter intelligenda ſunt iuxta propriam verborum ſignificationem, etiam in materia pœnali, & odioſa. *l. de pretio,ff de public.in rem action. & cap. ſolita, in fine, de maior. & obed.* tum quia percutientes Clericum turpiter inuentum cum filia ligaretur excommunicatione Canonis *ſi quis ſuadente diabolo* 17.*q.*4.niſi exciperetur *in c.verò* 1.*&* 2.*de ſent.excomm.* ergo etiam excommunicatione Bullæ ligatur percutiens Epiſcopum in huiuſmodicrimine inuentum, cùm hic nullibi exceptus reperiatur, & exceptio in vno caſu non ſit ad alium trahenda. Vnde ex his contra Peregrinum non audeo dicere ſupradictum reum gaudere immunitate Eccleſiaſtica;ſed in caſu occurrente puto conſulendum eſſe ab Epiſcopo Summum Pontificem.

RESOL. XCII. *An ſi quis percutiat Cardinalem percuſſione leuiſſima, incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ?*

AFfirmatiuè reſpondeo cum Scortia *in Bull. Pontif.epit.*166.*theor.*420.vbi ſic ait. Actiones principales quæ excommunicationi ſubiiciuntur contra offendentes Cardinales, ſunt hæ: Interfectio,

ctio, mutilatio, &c. Percuſſio iniuſta etiamſi phyſicè ſit leuiſſima, dummodo exiſtimetur ſecũdùm moralem opinionem grauis iniuria ratione honoris & dignitatis : vt ſi Cardinalis percutiatur chirotheca. Ita ille. Vide etiam circa præſentem quæſtionem Megalam *in 3.p.lib.3.c 9.q.1.nu.5.* qui *num.6.* notat incurrere cenſuram Bullæ, ſi quis habet animum percutiendi Cardinalem, ſi ictus ſolummodò veſtes tetigit, nam qui percutit veſtem, qua eſt indutus Cardinalis, formaliter illum percutit, & per accidens eſt, ſi ictus perſonam non tetigit. Adde quòd ex Alterio *de cenſ.tom.1. lib.5.diſput.12.cap.5. dub.5.* poſſet quis dicere incurrere etiam excommunicationem Bullæ Cœnæ eleuantem manum ad percutiendum Cardinalem, quamuis poſtea non percutiat.

RESOL. XCIII. *Quam fidem faciat Cardinalis deponens de facto proprio, vel ad fauorem ſui familiaru?*

REſpondeo quòd Cardinalis deponens in facto proprio facit pluſquam ſemiplenam probationem. Ita ſacra Rota *die 29. Ianu.1601.* coram Illuſtriſſimo Domino meo Coccino, litteris & virtute Vrbi & Orbi noto, *deciſ.19.n.1.* Reſpondeo ſecundò quòd atteſtatio Cardinalis ad fauorem ſui familiaris, quamuis non plenè probet, facit tamen magnũ admiraculũ. Ita etiam ſacra Rota *die 11. Martij 1615.* coram eodem Coccino apud Farinacium *tom.4. deciſ.556.n.9.* & apud Ludouiſium *deciſ.166. num.11.* vbi etiam docet, quòd ad effectum iuſtificationis plenè probat, quicquid ſit ad effectum reſeruationis. Notandum eſt etiam hîc quòd fides ſimplex extraiudicialis & ſine iuramento facta per Cardinalem, licet non probet concludenter, multum illi tribuitur, vt dictum eſt in Rota *die 26. Iun.1600.* coram eodem Coccino *deciſ.4.num.3.*

RESOL. XCIV. *An Cardinales quando patroni ſunt diſcordes, poſſint prouidere Eccleſiis iuriſpatronatus?*

VIdetur negatiuè reſpondendum, quia hoc, vt obſeruat Leſſius *lib.2.cap.34.dub.6.n.27.* & alij communiter, competit Epiſcopis, ex *cap.ſi verò, & c. quoniam in quibuſdam, de iure patron.* Sed ex hac ratione probatur poſſe Cardinales hoc efficere, quia, vt ſæpius ſuprà probatum eſt ſatis, Cardinales in ſuis titulis habent plenum ius Epiſcopale. Vnde Cardinalis *in Clem in Romani, §. irritum, q.3.* dicit, quòd tituli Cardinalium æquiparantur Eccleſiis Epiſcopalibus, & ſic habent iura Epiſcopalia, *c. conquerente, de officio Ordinarij,* & conſequenter poſſunt conferre beneficia ſuis titulis ſubiecta, vt ſuprà dictum eſt ; & ideo ad caſum propoſitum affirmatiuam ſentẽtiam ex rationibus adductis tenet Vinc. Grilenzon. *conſ.63.nu.9.* aſſerens quòd quando patroni diſcordant in præſentando, ſicut Epiſcopi, ita & Cardinales prouident Eccleſiis.

RESOL. XCV. *An Cardinales teneantur in ſui conſecratione præſtare iuramentum Romanæ Eccleſiæ?*

QVamuis omnes Prælati in ſua conſecratione teneantur Summo Pontifici iurare fidelitatem; Cardinales tamen ad tale iuramentum fidelitatis præſtandum non tenentur. Nam licet Pontifex ſit caput totius Eccleſiæ, eſt tamen ſpecialiori quadam ratione Cardinalium caput, & Cardinales eius membra ſpecialia reſpectu aliorum, dicũtur enim quaſi ipſi Pontifici inuiſcerati & quaſi vnum corpus adeò vnitum, vt ſi Pontifex ab illis fidelitatis iuramentum peteret, quodammodo à ſe ipſo petere videretur, contra deciſionem textus *in cap. final. de inſtit.* & ita docet Valboa de Magrouiejo *in lectionibus Salmaticenſibus, tom.2. c.4. de iure iuran num.4.* & communiter Doctores.

RESOL. XCVI. *An declarationes Congregationis Cardinalium ſint deciſiuæ?*

PRo parte affirmatiua & negatiua Barboſa noniſſimè *de iure Eccleſ. lib.1. cap.4.n.81.* adducit ferè omnes Doctores, quos ego ipſe ante adduxeram *in 1.p.tr.10. reſol.29.* quibus pro affirmatiua ſentẽtia nnnc addo ipſum Barboſam, Sarauiam *de iuriſd. adiunctorum, q.17. nu.31.* Hieronymum Rodriquez *in compen. qq. reg. reſol.18.n.22.* & Monetam *de iudic. conſer. c.6.n.66.* pro negatiua verò Antonium Yañez *in reſol. de Epiſcopo Regulari, à num.99. vſque ad num.104.* Molfeſium *in ſum. tom.1. tr.9 ca.13 n 43.* Hurtadum de Mendoza *in 2.2. D. Thom. vol.1. diſp.84. ſect.2. §.25.* Layman *in Theol. moral. lib.1. tract.4. c.7. §.7. num.28.* Nec deſinam etiam hîc apponere verba doctiſſimi Theologi Petri Ochagaúia *de Sacr. tr.2. de pœnitent. q.40. nu.12.* vbi ſic ait. Reſpondetur multas conditiones requiri vt declarationes Cardinalium vim habeant obligandi in conſcientia, ita vt vna deficiente non obligent. Prima ſit certa & indubitata, vt conſtet ſufficienti authoritate eſſe eas declarationes ſacræ Congregationis ; ſufficienter autem conſtabit ſi ea ſubſcribantur, vel rubrica aliqua ſignentur per Secretarium ſacræ Congregationis, vel per aliquem Cardinalem eiuſdem Congregationis, & cum ſigillo authentico, de cuius fidelitate & veritate non poſſit dubitari: & hoc neceſſarium eſt declarationibus, quę transferuntur ex declarationibus originalibus. Secunda conditio eſt, vt in ipſa declaratione referatur eam fuiſſe pronuntiatã cõſulto Pontifice, quia Sixtus V. quãdo huic Congregationi conceſſit facultatem interpretandi Cõcilium, dixit requirens conditionem neceſſariam, nobis tamen conſultis. Tertia conditio eſt, vt ſolùm Cardinales declarent & interpretentur, non verò diſpenſent, reſtringant aliquid, aut amplient vltra vim verborum, & regulas iuris. Hanc enim formam Cõgregationi præſcripſerunt in ſuis Bullis & Greg XIII. & Sixtus V. quòd ſi aliquid vltra limites prædictos præſtet Congregatio, neceſſum eſt in ea explicari id ortum habuiſſe ex peculiari commiſſione, aut voluntate Pontificis. Quarta cõditio eſt, vt declarationes obligent in foro interiori & exteriori, vt prædictę declarationes Cardinalium

lium constent notitia publica, qualis est illa, quam Episcopus potest præbere in suo Episcopatu, declarando illas forma iuridica, & quæ oriri potest ex fama publica, & certa; deriuata ex principio authentico. quam doctrinam veram reputat Franciscus Suarez, vt in specie huius casus mihi respondit consultus per epistolam. Huc vsque Ochagauia, & doctus Iurisconsultus Torreblanca *in pract. iur. Eccl. lib.* 14. *c.* 3. *nu.* 19. sic asserens. Verissimum est prædictas decisiones non solùm manuscriptas, sed impressas, nullam vim obtinere, nisi habeant requisita in Bullis Sixti V. Greg. XIII. & Vrbani VIII. scilicet primò fuisse pronuntiatas consulto Pontifice. Secundò, vt Domini Cardinales solùm declarent, & interpretentur, nec disponant, aut dispensent, aut restringant, aut amplient vltra vim verborum, & regulas iuris. Tertiò, vt exhibeantur in authentica forma solito sigillo, & subscriptione Eminentiss. Cardinalis Præfecti ac Secretarij eiusdem Congregationis. Ita Torreblanca, cui adde Coriolanum *de casib. reseruatis part.* 1. *sect.* 1. *art*, 21. *n.* 5. Hanc sententiam docet etiam Bossius *tract. de triplici Iubilæo, sect.* 3. *cas.* 2. §. 7. *num.* 255. Sancius *in selectis, disput.* 48. *num.* 1. & Merolla *in disput. Theolog. tom.* 2. *disput.* 4. *cap.* 4. *dub.* 12. *nu.* 173. Vbi probant tunc declarationes Cardinalium esse decisiuas, quando fiunt consulto Summo Pontifice, secus autem ipso inconsulto. nam in tali casu putant esse tantùm doctrinales. Vnde ex his infert idē Merolla *n.* 175. hanc conclusionem, quòd si reperiantur duæ declarationes, seu interpretationes contrariæ de eodem articulo, tunc si vtraque est authentica, seu iuridica, vtpote facta cōsulto Summo Pontifice potiùs secundæ, quàm primæ standū est, quia huiusmodi interpretationes ita se habent, ac si ab ipsomet Papa factæ fuissent. At quando reperiuntur duę leges Pontificiæ contrariæ, standum est secundæ, quoniam per editionem secundæ censetur Pontifex abrogare primam; ergo idem dicendum de his interpretationibus. Si verò altera tantùm facta est consulto Pontifice, illi standum est. quòd si neutra, tunc quia sunt interpretationes doctrinales tantùm, poterit quilibet amplecti, ac sequi quam maluerit, sicut dicunt communiter Doctores, quando sunt duæ opiniones probabiles contrariæ. Ita Merolla *loco citat.* vbi etiam addit, quòd tunc apparet declarationem Cardinalium factam esse consulto Summo Pontifice, quando in eius tenore id manifestatur per verba consensum Pontificis significantia. Et hæc sunt placita Doctorum circa præsentem quæstionem; verùm licet ego *vbi suprà in* 1. *part. tract.* 10. *resol.* 29. sententiæ negatiuæ adhæserim, asserenti dictas declarationes esse tantùm doctrinales, tamen nunc circa præsens dubium nolo iudicium meum interponere, optarem tamen decisionem huius difficultatis à Summo Pontifice ita definiri, vt in posterum ampliùs locus non esset Doctorum opinionibus adhærere.

RESOL. XCVII. *Notabilia quædam de Cardinalibus ex sacræ Rotæ decisionibus, in quibus fusè tractantur, collecta.*

I. ANvniri possint beneficia reseruata de tempore vnionis, si fiat vnio à Cardinali habēte Indultum? Rota coram Caualerio *decis.* 628. *n.* 3.

II. Indulta Cardinali concessa, an capiant beneficia electiua? Rota coram Puteo *lib.* 3. *decis.* 190.

III. Indultum Cardinalis quando non capiat vacationem? *ibid. lib.* 3. *decis.* 13.

IV. Indulta Cardinalium an respiciant beneficia de nouo erecta? *ibid. lib.* 2. *decis.* 194.

V. Indultum Cardinalis quòd cessantibus commendis & vnionibus prouidere possit, quomodo intelligatur? *ibid. lib.* 3. *decis.* 13.

VI. An Cardinales subiaceant Regulę de publicandis resignationibus? *ibid. lib.* 1. *decis.* 189.

VII. Derogatio Indulti Cardinalis ordinarij non datur nisi expressè dicatur, *ibidem lib.* 2. *decis.* 412.

VIII. Derogatio Indulti Cardinalis an intelligatur de Indulto Cardinalis extraordinario, non autem Cardinali ordinario concesso? *ibidem lib.* 3. *decis.* 93.

IX. Auditores Cardinalium quando & quomodo possint seruare terminos? *ibidem lib.* 2. *decis.* 17.

X. Cardinalium dicto quando credatur? Rota coram Seraphino *tom.* 1. *decis.* 354. *nu.* 12. & *decis.* 142. *num.* 1.

XI. Cardinales non ligantur dispositione Extrauag. *Iniunctæ*, & possunt etiam ante adeptam possessionem, Episcopatus beneficia conferre, *ibid. tom.* 2. *decis.* 1144. *n.* 3.

XII. Cardinalis Vicecancellarius, vel Camerarius, vel Pœnitentiarius non fortiuntur aliquam prærogatiuam in iis, quæ spectant ad officium Cardinalium in eorum Collegio. *ibidem decis.* 716. *num.* 6.

XIII. Cardinales sunt familiares Papæ, & non commensales, non veniunt appellatione Officialium, nec in generali dispositione, veniunt tamen in fauorabilibus, etiam in præiudicium concedentis. Rota coram Crescentio *decis.* 3. *n.* 1. 2. & 3.

XIV. Cardinales milites Religionis Ierosolymitanæ non sunt exempti ab oneribus impositis Cōmendis ab ea traditis. Rota coram Mantica *decis.* 230. *num.* 8.

XV. Cardinales sunt exempti ab oneribus impositis & imponendis pensionibus, quę eis à Pontifice conceduntur. *ibid. n.* 7.

XVI. Cardinalium litteræ priuatæ non probant. Rota coram Cæsare de Grassis *decis.* 172. *n.* 12.

XVII. Litteræ missiuæ Cardinalis nepotis Papæ, & Superintendentis loquentes de omnibus beneficiis extenduntur ad Canonicatus in Collegiata, & quare & quando derogent Breui Pontificio. *ibid. decis.* 112.

XVIII. Cardinalis potest nolle vti Indulto, sed magis vti mensibus Ordinariorum. Rota coram Achille de Grassis *decis.* 407.

XIX. Cardinalibus sex menses dati ad resignandum

dum beneficium minoris valoris 200. currunt à die prouisionis, non autem à die habitæ possessionis. *ibid. decis.* 1.

XX. Regula modificatoria Indultorum Cardinalium absentium dutantibus expectatiuis, vt habeant tantùm alternatos menses, procedit tam in Cardinalibus, qui semper fuissent absentes, quàm in his, qui à principio præsentes, postea cœperunt abesse. *ibid. decis.* 410.

XXI. Cardinalis non inhibet alteri Cardinali. Rota *in antiquis decis.* 31. *de dolo & contum.*

XXII. Cardinalibus ob reuerentiam non inhibetur. *ibid. decis* 25.

XXIII. Cardinales non gaudent Indulto, qui nunquam fuerunt in Curia. Rota *in decisionibus nouissimis part.* 3. *lib.* 3. *decis.* 1953.

XXIV. Cardinalis acceptans beneficium ita vt gratia familiaris non possit canonizari, cui ex fauore fuit postea beneficium collatum, non nocet per gesta à se ante præstitum consensum dicto familiari. *ibid. decis.* 538. *n.* 2.

XXV. Cardinalis gratia obtenta ius suum à se sine consensu Papæ abdicare non potest. *ibid. decis.* 358. *n.* 3.

XXVI. Cardinalium familiares descripti in matricula si inter eos non reperiatur descriptus, qui se dicit familiarem, an ob id non sit habendus pro familiari. *ibid. decis.* 416. *num.* 2.

XXVII. Cardinalis titularis habet de iure ius conferendi in sua Ecclesia; hæc tamen iuris assistentia non sufficit ad manutentionem, quando probatur alium esse in possessione. Rota apud Farinacium *decis.* 423. *n.* 3.

XXVIII. Indultum conferendi in mensibus reseruatis non suffragatur vbi Episcopus est Cardinalis, quia tunc nulli sunt menses reseruati. Rota coram Ludouisio *decis.* 91. *n.* 1.

XXIX. Indultum concessum alicui Cardinali intra alienam diœcesim, non comprehendit beneficia spectantia ad collationem Ordinarij. *ibid. decis.* 291. *n.* 8. & hoc est ita verum, vt etiamsi sedes Episcopalis vacaret, dum vacat beneficium in mense Ordinarij, non potest Cardinalis illud conferre. *ibidem*, & Rota *decis.* 442. *p.* 1. *dinerf.* Alia etiam priuilegia Cardinalium ex sacra Rota decerpta videbis apud Riccium *par.* 1. *collect.* 120. Et ne deseras in casu contingenti etiam videre duas magistrales decisiones Rotæ apud posthumas Farinacij *tom.* 2. *decision.* 403. *& tom.* 1 *decision* 464. vbi exactè explicatur, quando, quomodo, & ex quibus cēseatur probata familiaritas Cardinalium ad effectum reseruationis. Et hæc dicta sufficiant circa præsentem tractatum de sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus.

TRACTATVS TERTIVS
DE
CASIBVS OCCVRRENTIBVS
TEMPORE MORTIS.

RESOL. I. *An moribundo debeat Baptismus adhiberi in dubio si aqua est naturalis, puta in iure carnium, lixiuio, &c.*

RESPONDEO affirmatiuè, cum Iacobo Granado *de Sacram. in* 3. *part. controu.* 4 *tract.* 1. *disp* 3. *dub.* 2. vbi sic ait. In dubio autem an aliqua aqua sit naturalis, necne, non potest licitè adhiberi Sacramento, nisi in casu necessitatis, tunc enim sub conditione poterit conferri Baptismus, & iterum postea sub conditione poterit repeti, si baptizatus fuerit superstes. Ita ille. & idem etiam docet Chapeauilla *de sacramento Baptismi, quæst.* 15. Kellisonius *in* 3. *part. D Thom. quæst.* 66. *art* 4. Bonacina *de Sacram. disput.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 3. *num.* 9. Marchantius *in resolut. pastoral. de Sacram. tract.* 1. *cap.* 1. *q* 3. *& tract.* 2. *cap.* 1. *punct.* 1 *post cas.* 6. Hurtadus *de sacram Baptismi. disput.* 1. *diffic.* 2 Ludouicus de San Iuan *de sacrament. Baptismi, q* 1. *art.* 2. *diffic.* 2. *concl.* 1. Mercerus *de Sacrament. in* 3 *part. q.* 66. *art.* 4. Posseuinus *de Officio Curati, cap.* 6. *num.* 5. & Henriquez *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 2. Cui tandem adde Cabreram *de Sacram. in* 3 *part. q.* 66. *art.* 4. quorum doctrina à fortiori procedit, quando circa materiam Baptismi adsunt opiniones probabiles, tunc enim sub conditione Baptismus moribundo adhibendus est: vt, v. g. cum aqua ex sale resoluta, quam materiam aptam Baptismi esse tradit Ochagauia *de sacrament. Baptismi, tract. vn. q.* 3. *num.* 4. & Hurtadus *de sacram Baptismi, diffic.* 2. *disput.* 1. contra Coninck *de Sacram. quæst.* 66 *art.* 4. *dub.* 1. *num.* 22. & in casibus similibus. Sed ex his oritur in particulari pulchra quæstio.

RESOL. II. *An moribundo, deficiente aqua naturali, sit adhibendus Baptismus cum aqua rosacea, vel ex aliis herbis expressa, sub conditione exterius, vel mentaliter apposita, si materia hæc est idonea?*

CVriosum est dubium, (attendas quæso amice Lector,) & negatiuè respondet Coninck *de Sacram. q.* 66. *art.* 4. *dub.* 1. *num.* 23. vbi sic ait. Liquores ex plantis, aut herbis expressi non sunt materia Baptismi. Aliqui tamen putant hos in extrema necessitate posse adhiberi, quia non omnino constat an differant specie ab aqua naturali, idemq; quibusdā videtur de niue, quæ non facilè ausim approbare, quia Concilia requirunt aquam naturalem, qualis

non videtur artificialis expressa è plantis. Ita ille. Et reuera aquam rosaceam differre ab aqua naturali patet ex D. Thom. *in 3. p. q. 66. art. 4. ad 5.* & omnibus Expositoribus *ibi*, Kellisonio, Cabrera, Mercero, Syluio, Pesantio, & Nugno, quibus adde Vasquez *in 3. part. tom. 2. disput. 141. cap. 1. num. 9.* Ochaganiam *de Sacram. tract. vnic. de Baptismo q. 3. n. 5.* Moscosum *in summa tract. 2. c. 1. nu. 3.* Vultalobos *in sum. tom. 1. tr. 4. diffic. 3. n. 2.* Ledesmam *in sum. tom. 1. de sacr. Bapt. c. 3. concl. 1.* Ludouicum de San Iuan *in sum. de Bapt. q. 1 art. 2. dub. 1. concl. 2.* Hurtadum *de Sacram. tract. de Bapt. diffic. 2. in fine.* Reginaldum *tom. 2. li. 27. c. 3. n. 11.* Valentiam *tom. 4. disp. 4. q. 1. punct. 2.* Becanum *de Sacram. c. 8. q. 2. concl. 2. n. 2.* Ioannem de la Cruz *in Director. conscien par. 2 q. 1. de Bapt. dub 1. concl. 2.* Bizozerum *de Sacram. part. 2. cap 2. num. 5.* Zanardum *in Director. Theolog part. 1. de sacram. Bapt. cap. 3.* Muttinum *in Theologia mor. de sacram. Baptism q. 3. conclus. 3.* Zechium *de Sacram. cap 2. de Baptism.* Vegam *in speculo Parochorum part. 1. c. 8. §. 4. nu. 14.* Molfesium *in sum. tom. 1. tract. 4. c. 1. n. 33.* Lorichium *in Thesaur Sheol. ver. sacramentum Baptismi, §. 4. in fine.* Bonacinam *de Sacrament. disput. 2 q. 2. punct. 3 num. 2.* Bartholomæum ab Angelis *in exam. Confess. dial. 2. §. 82.* Henriq. *lib. 2. cap. 6. num. 2.* Fernandez de Heredia *in disput. Theol. ad repet. textus in can. 1. de Consecrat. dist. 4 part. 3. dub. 1. nu. 13.* Fernandez de Moure *in Medulla cas. conscient. part. 3. ca 2. §. 2. n. 3.* Michaelem Zambranum *de casibus tempore mortis, cap. 1. de Baptismo, n. 2.* Binsfeldium *in Enchirid Theolog part. 1. c. 4. §. 2.* Homobonum *in consult. cas. conscien. tom 2. resp 3.* Pirigianum *in 4. sent. to. 1 dist. 3. q. 3. art. 3. concl. 2.* Ragucium *in lucerna Parochi de sacram. Baptismi. q. 11.* Yribarne *in 4. sent. to. 1. disp. 10. sect. vn. §. Quartò dico.* Petrum à sancto Ioseph *de Sacram part. 2. disp. 1 sect. 2. § hinc collige primò.* Vallensem *in Decret. lib. 3. tit. 92. nu. 3.* Posseuinum *de officio Curati, c. 6. q. 2.* Marchantium *in Candelab. Sacram. resol. qq pastor. tract. 2. de Baptismo cap. 1. q. 1. cas. 3.* Rodriquez *in sum. tom. 1 c. 25 num. 1.* Barbosam *de officio Parochi c. 18. num. 43.* Guilielmum Estium *in 4. sentent. dist. 3. §. 7.* Archangelum Rubeum *de Sacram. disp. 3 §. aqua duplex.* Layman *in Theolog. moral. lib. 5. tract. 2. cap. 3. num. 1.* Granado *in 3. part. D. Tho. cont. 4. tract. 1. disput. 3. num. 2.* Alabardum *in Tyrocinio Sacrament. de materia Baptismi, fol 162.* Philippum de la Cruz *en su Norte de Confessores, tract. 10. §. 1.* Petrum Milhardum *en la Guide des Curez part. 1. de sacrament. Baptism. cap. 8. numer. 4.* Philippum Gamachæum *in summa Theologica, tom. 3. q. 66. cap. 2.* Ioan. Baptistam Conradum *in respons. cas. conscien. par. 2. q. 78.* Carillum *in Itinerario Ordinandorum, sect. 3. cap. 2. num. 12.* Victoriam *in summa de Sacrament. q. 12.* Angles *in floribus, tom. 1. q. 1. de Baptism. art. 2. conclus 3.* Antonium de Litteratis *in sum. part. 1. cap. 6. num. 2.* Viualdum *in Candelabro tit. de Baptismo. § de materia, num. 3.* Berarducium *in summa Corona. part. 4. cap. 2. num. 4.* Sotum *in 4. dist. 3. q. vn. art. 4.* Martinũ Funes *in speculo morali, part. 2. c. 2. n. 1.* & alios. Dicendum est igitur, nullam aquam, vel succum ex herbis, floribus radicibus, frõdibus, aliisque mixtis perfectis per distillationem elicitum posse esse materiam Baptismi, quia nempe substantialiter succi huiusmodi differunt ab elementari aqua, materia necessaria sacramenti Baptismi ex Concilio Florentino sub Eugenio IV. & Trid. *sess. 7. de fide Catholica.* Et sicuti materia idonea Eucharistiæ nequit esse nisi panis, & vinum vniuocè non verò illa, quæ sunt æquiuocè talia; sic materia Baptismi nihil poterit esse, nisi id, quod est aqua vniuocè; sed artificiales, vt rosacea, &c. quæ fiunt per stillicidia, æquiuocè sunt aquæ, & non vniuocè: ergo.

His tamen non obstantibus non desinam hîc adnotare ad dubium præsentis resolutionis, affirmatiuè respondere aliquos Doctores recentiores, vt Ioannem Puteanũ Professorem Regium sacræ Theologiæ in Academia Tholosana *in 3. p. D. Thom. q. 66. art. 4. n. 5.* vbi sic ait Moneo, si daretur, v. g. aqua rosacea, & nullo modo aqua naturalis, nec posset haberi, & periclitarerur baptizandus, posset Baptismus conferri in aqua rosacea, quia licet Concilia exigant ad validitatem Baptismi aquas naturales, quales sunt pluuiales, maris, & quorumcumque fontium, & fluminum, non tamen definiuit hactenus Ecclesia in nullo planè casu vllam aliam aquã à naturali non sufficere ad validitatem Baptismi. Deinde, quia aqua rosacea maiorem affinitatem videtur habere cum aqua naturali, quàm aqua quorumcumque fontium. Ita Puteanus.

Nec solus Puteanus supradicta docet; sed nouissimè hanc sententiam tenet Ioannes Præpositus *in 3. part. D. Thom. q 66. art. 4 n. 22.* vbi sic asserit. Aduerte quòd quia Baptismi sacramentum est maximæ necessitatis, si occurrat extrema necessitas Baptismi alicui conferendi, vtpote aliàs sine illo morituro, posset Baptismus saltem sub conditione eidem conferri in materia dubia, deficiente indubitata, quia nulla irreuerentia censeretur irrogari Sacramento, quòd proximo alioquin morituro per medium etiam dubium succurratur, & de cætero charitas in tali circumstantia obligat, vt adhibeamus omne medium, quo fortè poterimus eidem proximo succurrere. Hinc est, quòd licet ea, quæ notabili secundo diximus, non esse materiam conuenientem Baptismi, sint conformia communiori Doctorum sententiæ, quia tamen de quibusdam aliqui dubitant, vt de aqua rosacea, &c. in extrema necessitate deficiente materia certa, liceret in huiusmodi baptizare saltem sub conditione, sublato tamen periculo, Baptismus saltem sub conditione esset repetendus: Hęc Prępositus Societatis Iesv insignis Theologus, *vbi suprà.* Et hanc sententiam ex eadem Societate docet etiam Adamus Tannerus *in Theol. Schol. tom. 4. disp. 4. q. 1. dub. 2. n. 41.* quibus etiam adde Chamerotam *de Sacram. tract. 2. de Baptism. cap. 2. dub. 2.* vbi sic ait. Est opinio recentiorum posse per elambicum, vel per artificialem stillationem ex succis herbarum elici aquam veram elementarem, licet admixtã secundis qualitatibus; & ego vrgente necessitate in his aquis baptizarem, sed rebaptizatem cum conditione, aduenient aqua elementari. Sic ille. Vnde secundùm hanc opinionem si aliquis deficiente aqua naturali periclitaretur, baptizari posset sub conditione, non solùm cum aqua rosacea, vel aliorum florum per distillationem elicita, sed etiam cum succo expresso ex herbis, & frondibus, vt

obseruat

obseruat Tannerus *loco citato*. Et hæc dicta esse volo secundùm mentem supradictorum Doctorũ: nam ego prorsus puto non esse discedendum à prima sententia negatiua.

Non desinã tamen hîc adnotare, rectè P. Ioannem de Lugo *de Sacram. disp. 8. sect. 9. n. 140.* docere in extrema necessitate, non inuenta aqua certa, sed liquore aliquo, de quo dubium esset, an esset aqua, nec posset id examinari, pone enim esse locum obscurum, nec odore, aut gustu posse id percipi, posse in tali casu existentem in periculo mortis sub conditione baptizari. Quia cùm præceptum illud non baptizandi absque tali materia oriatur ex reuerentia sacramenti, sequitur, vt in prædicto casu non obliget tale præceptum, eo quòd summa indigentia proximi, cui aliter subuenire non possumus, præponderet illi reuerentiæ, & reddit licitam talem operationem, propter necessitatem.

RESOL. III. *An in extrema necessitate deficiente aqua naturali sit adhibendus Baptismus sub conditione cum glacie, rore, vel niue, quamdiu resoluta non sunt?*

NEgatiuam sententiam docet Petrus à Sancto Ioseph *de Sacr. part. 2. disp. 1. sect. 2. in fine.* vbi sic ait. In necessitate potest assumi materia dubia, & tunc Baptismus conferri. Non probo tamen, quod nonnulli dicunt, satius esse in extrema necessitate, deficiente aqua, Baptismum applicare cum niue, aut glacie. Ita ille. Et ratio est, nam glacies, pruina, grando, nix, quamuis sint substantialiter aqua, attamen quando talia sunt, & non resoluta, materia Baptismi esse non possunt, quia non sunt apta materia ad abluendum. Et ita docent ferè omnes Doctores in superiori resolutione pro prima sententia adducti, & in specie Coninck *de Sacram. q. 66. art. 4. dub. 1. n. 23.* & hanc sententiam ego teneo.

Sed his non obstantibus affirmatiuam sententiam docet Puteanus *in 3. p. D. Thom. quæst. 66. art. 4. dub. 1. n. 5.* vbi sic ait. Extra controuersiam est, glaciem, niuem, grandinem, & salem non sufficere ad confectionem Baptismi, licet enim hæc sint eiusdem rationis cum aqua naturali, non tamen apta sunt ad abluendum proximè: est autem simpliciter necessarium ad hoc vt aliquid rationem Baptismi habeat, quod proximè possit abluere. Probatum est enim Baptismum esse ablutionem, in extrema tamen necessitate satius esset applicare cum niue, vel glacie sacramentum Baptismatis, quàm administrationem prætermittere. Ioannes enim maior, & alij putant sufficere ad validitatem Baptismi, quòd aqua attingat baptizatum, etiamsi eumdem non abluat. Ita Puteanus. quod etiam loquens de niue docet Ioannes Præpositus *in 3. p. D. Thom. q. 66. ar. 4. num. 22.* & nouissimè doctus Hurtadus *de Sacram. tract. de Baptism. disp. 1. diffic. 2.* vbi sic asserit. In extrema necessitate licitum est vti aqua, quamuis notabiliter permixta, imò & dubia, vt niue nondũ resoluta sub hac conditione siue exteriùs; siue mentaliter tantùm apposita, nempe si materia hæc est idonea, quia extrema necessitas excusat irreuerentiam, quæ aliàs fieret conficiendo Sacramentum sub conditione. Sic ille.

Sed ex his oritur alia curiosa dubitatio, an si in ipsa applicatione nix, seu glacies resoluantur, sint materia sufficiens sacramenti Baptismi? Adamus Tannerus *in Theol. Schol. tom. 4. disp. 4. quæst. 1. dub. 2. num. 44.* respondet, quòd si dum subsunt manibus adhuc vel applicationi baptizantis resoluãtur antè ipsam receptionem in corpore baptizandi, tunc vtique docet, sufficientem fore materiam Baptismi; si verò resolutio primùm fiat in corpore baptizandi, tũc nõ videtur valere Baptismus, quia reuera is, qui baptizat, non adhibet materiam ablutioni aptam, ideoq; nec propriè abluit, sed si qua fit ablutio, fit potiùs ab eo, qui baptizatur. Ita Tannerus.

Verùm non desunt Doctores asserentes materiam proximam Baptismi sitam esse in ablutione, vt passiua, & non vt actiua, & ita docet Suarez *in 3. p. tom. 3. disp. 20. sect. 2.* Sotus *in 4. dist. 3. art. 1. §. ex quo fit*, & alij. licet, Vasquez *in 3. part. tom. 2. disp. 141. c. 2.* Petrus Ochagauia *de Sacram. tract. de Baptism. q. 3.* Coninck *de Sacram. q. 66. art. 4. dub. 2.* & alij asserant ablutionem tam vt actiuam, quàm vt passiuam, vtrouis modo esse materiam Baptismi. Vnde vtraque opinio est probabilis.

RESOL. IV. *An infans, v. g. moribundus, sit baptizandus in qualibet minima parte sui corporis?*

REspondeo affirmatiuè cum Basilio Pontio *de matrim. l. 4. c. 25. n. 7.* & Ochagauia *de Sacr. tr. vn. de Bapt. q. 4. n. 3.* vbi sic asserit. Ablutio cuiuscumque partis etiam minimæ, sufficit ad hoc vt sacramentũ Baptismi valeat. Probatur, quia illa ablutio sufficit ad rationem Baptismi, per quam homo absolutè, & simpliciter dicitur ablutus, seu tinctus; sed contingente aqua quamlibet minimã partem hominis, homo dicitur simpliciter lotus, & tinctus: ergo ablutio cuiuslibet minimæ partis sufficit ad valorem Baptismi; quæ doctrina adeò extendenda est, vt ad valorem Baptismi sufficiat aquam cõtingere tantùm capillos, vt notarunt Sotus *in 4. dist. 3. q. vnic. art. 7. §. 3. arg.* & Vasquez *tom. 2. in 3. part. disp. 146.* Non quia capilli viuant, cùm non augeantur per intus sumptionem, vt loquuntur Philosophi, disputantes de augmentatione viuentium, qua ratione augẽtur viuentia; sed augentur per iuxtapositionem, sicut augentur omnia nõ viuentia, sed ex eo capillorum ablutio satis apta ad Baptismũ iudicatur, quia illi reputantur tanquam partes hominis; vnde illis ablutis homo simpliciter dicitur ablutus. Ob quam etiam rationem, si aqua Baptismi solùm contingeret vngues, qui non viuunt, conficeretur verum Baptismi sacramentum; & eodem modo iudico affirmãdum puerum nascentem inclusum in pelle, quam Medici *secundinam* appellãt, baptizari validè posse, etiamsi aqua tantùm eam pellem attingeret, quia pellis illa secundina reputatur veluti pars pueri, & veluti cutis eius, & ea lota puer dicitur lotus. Huc vsque Ochagauia.

Et licet aliqui supradicta non esse vera contendant, vt Villalobos *in summ. tom. 1. tr. 5. diffic. 4. num. 2.* Zambranus *de sacr. Bapt. c. 1. dub. 1. num. 7. & seq.* cum alijs, tamen concedendum est tempore mortis sic adhibendũ esse Baptismum cũ conditione, & ideo

Ioan. Præpositus *in 3.p.q.66.art.8.dub.3.n.90.* sic ait. Tempore necessitatis, quando maior pars corporis aqua tingi non potest, estque periculum, ne infans aliàs decedat absq; Baptismo, potest sine vllo peccato in manu, pede, similique parte minori baptizari, imò & debet, quia nulla irreuerentia erga Sacramentum censebitur committi, quòd proximo alioquin perituro consulatur per medium probabile, quamuis incertum; cùm melius sit puero tale medium adhibere, quòd fortè poterit prodesse, quàm nullum; si tamen puer euaderet periculum, esset saltem sub conditione baptizandus, ne eius salus magno periculo exponatur, si fortè prior Baptismus fuerit inualidus. Idem dico de digito; licet de ea parte maius sit dubium, & aliqui asserentes de manu, negent de digito quia ex eius ablutione homo non videtur posse dici simpliciter ablui. Dico tamen, vrgente necessitate, de qua suprà, posse puerum in digito baptizari, si solus is appareret, propter sententiam variorum, quæ in re satis obscura non est improbabilis, transacto tamen periculo longè potiori iure in hoc casu repetendus erit Baptismus. Idem dico de capillis. Ita varij. quāuis enim communi sententia Philosophorum non sint animati, sunt tamen hominis pars, & illis aspersis homo dicitur ablui; vnde in necessitate non occurrente parte certiore, potest in illis baptizari, qua transacta Baptismus, vt suprà, est repetendus. Posset etiam inuolutus secundinis in necessitate baptizari, quia huiusmodi pellis, & tegumentum censetur pars hominis, & ea abluta homo censetur ablui. Et hæc omnia docet Prepositus *vbi suprà.* vide etiam Granadum *de Sacram. in 3. parte controu. 4. tract. 1. disput. 4. num. 10.* Hurtadum *de sacram. Baptismi, disp. 1. diffic. 6.* Cabretam *de Sacrament. in 3.part. q.66. art.7.* Moscosum *in summ. tract. 2. cap 2. nu. 1.* Layman *lib. 5. tract. 2. cap. 3. num. 3.* &, me citato, Torreblancam *in pract. lib. 2. cap. 4. num. 32.*

Notandum est etiam hîc obiter, cùm puer est in mortis periculo, posse baptizari cum forma dubia, si nemo adest, qui sciat formam certam. Ita Ochagauia *tract. de Sacram. in gen. q.5 n.17.*

Resol. V. *An sufficiat ad baptizandum infantem moribundum vna gutta aquæ?*

Affirmatiuè respondeo cū Mæratio *in D. Thom. tom 3. de sacram. Baptismi, disp. 2 sect. 4.* Ochagauia *de Sacram. tr. vn. de Bapt. q.4. num.8.* vbi sic ait. Quæres secundò quæ quantitas aquæ sit necessaria ad valorem Baptismi? Respondeo cum Panormitano & Innoc. IV. *in c. debitum, de Bapt.* quācumque guttam aquæ sufficere ad valorem. Probatur, quia quæcumque gutta aquæ satis est vt dicatur homo ablutus, & tinctus aqua. ergo quælibet gutta aquæ sufficit ad valorem Baptismi: debet tamē aqua per corpus, vel per aliquam partem eius defluere, aliàs nō lauabit, neq; enim immota aqua dicitur corpus lauari. Ita ille, & alij, quos ego alibi sum sequutus.

Sed licet hanc opinionem aliqui non admittāt, vt Granadus *de Sacr. in 3.p.cont. 4 tr. 1. disp. 4. n. 12.* Gamacheus *in sum. Theol. tom. 3. in 3.p.q.66. art.7.* Moscosus *in sum. tr. 2 cap. 1. n. 4.* Layman *lib. 5. tract. 2. c. 3. num. 1. concl. 3.* Zambranus *de sacram. Baptismi, cap. 1. dub. 4.* tamen tempore mortis posse cum gutta aquæ Baptismum ministrari concedunt. & ita docet Hurtadus *de sacram. Baptismi, disput. 1. diffic. 6.* & supponit Ioannes Præpositus *in 3. part. de Sacram. q.66. art.8 dub. 3. n 93.* quia ex opinione probabili in tali administratione Sacramenti nulla ei fit iniuria, & moribundo datur remedium eo modo, quo dari potest, si, v.g. alia quantitas aquæ non adesset.

Resol. VI. *An baptizati in periculo mortis debeant postea in Ecclesiu cærimonias omissas supplere?*

Respondeo affirmatiuè, vt constat ex vsu Ecclesiæ & colligitur ex *c. 1. de Sacram. non iterandis.* Atque hoc etiam de exorcismis intelligendum esse docet Richardus *in 4 disp 6. art. 6. q. 1.* Viualdus *in candelabr. de Bapt. c. vlt. num. 18.* Victoria *de Baptism n. 38.* & habetur in Pastorali Romano, eo obseruato, vt cùm minister homini baptizato dæmonis eiectionem, atque gratiæ cælestis donum precatur, intentionem suam referat ad perfectiorem diaboli, qui numquam omnino infestare desistit, repulsam, vberioremque gratiæ cælestis communicationem; vt proinde non intelligam, cur dixerit Paulus Comitolus *lib. 1. respons. moral. q. 12.* sacrilegium fore, & maximam Sacramenti iniuriam, si Parochus puero priuatim baptizato, postea in Ecclesia exorcismos ad dæmonem profligandum adhibeat; atque hæc quidem doctrina de supplendis cæremoniis obseruari debet tempore pestilentiæ cessantis; cùm enim infantes ex matribus peste infectis editi, in magno repentinæ mortis periculo versentur, frequenter accidit, vt priuatim baptizari debeant, neque tunc vacat semper Sacerdotibus omissas cæremonias in templo supplere, ideoque post pestilentiam, si superuiuant, ad Ecclesiam ducendi erunt. & hæc omnia docet Layman *lib. 5. tract. 2. c. 8. n. 9.*

Notandum est tamen Posseuinum *de Officio Curati, c. 6. n. 23.* docere, quòd si quis omitteret supplere in Ecclesia solemnitates, omissas in priuato Baptismo, secluso contemptu non esse nisi peccatum veniale.

Resol. VII. *An infanti moribundo, quando confertur Baptismus, sit adhibendus patrinus?*

Respondeo quòd nullum est Ecclesiæ præceptū, vt in tali Baptismo patrinus adhibeatur. Ita Sotus *in 4. dist. 42. q. 1. art. 1.* Henriq. *lib. 2. c. 18. in fin.* Sanchez *lib. 7. disp. 62.* Suarez *q. 67 art. 8.* Rodriquez & Sambranus. Cùm enim in tali casu necessitatis parentes ferme non possunt viros idoneos eligere ad munus patrini, credibile non est Ecclesiam talem eis obligationem imponere voluisse. Sed etsi aliquis in hoc casu materialiter teneat infantem baptizandum, non ideo patrinus eius efficitur. Verùm si aliquis in priuato Baptismo infantem teneat ex proposito, vt patrini munus obeat, verus patrinus efficitur, atque cognationem spiritualem contrahit. Ita Coninck *de Sacr. disp. 32. dub. 2. concl. 5.* & Layman *l. 5. tr. 2. c. 9. n. 5.* qui citat Nauarrū, Viualdū, Armillam, Suarez, & Zambranum.

Non desinā tamen hîc adnotare id, quod alibi docuimus, nempe Sanchez *de matrim. tom. 2. lib 7. disp.*

disp. 62. n. 15. & alios docere, quòd si verè & propriè in Baptismo collato ex periculo mortis adhibeatur patrinus, & tenens velit munus susceptoris obire, adhuc non cõtrahi cognationem spiritualẽ, cùm non sit in potestate tenentis situm hanc cognationem contrahere, nisi petita ab Ecclesia seruentur: at munus susceptoris non obitur propriè, nisi quando Baptismus est solemnis, vt docent Sotus, Gallegus, Emanuel, Vega, & ipsemet Suarez. Nec obstat baptizantem in ea necessitate contrahere, quia baptizans confert verum sacramentum: at qui sic tenet, vel susscipit, non dicitur propriè tenere, vel susscipere eo modo, quo ab Ecclesia statutum est. Susceptio enim est cæremonia ab Ecclesia instituta ad Baptismũ solennem, ac proinde solennitate deficiente, deficit quoque vera susceptoris ratio. Vide etiam Granadum *de Sacram. in 3. part. contr. 4. tract. 2. disp. 5. n. 4.*

RESOL. VIII. *An debeat omitti Baptismus propter periculum infantis morituri?*

VT, v.g. si puer sit ita tener, & delicatus, vt credatur Baptismum fore causam mortis illius, & tunc si Baptismus differri sine periculo potest, licitum imò & obligatorium est: si verò sit periculũ in mora, Sotus *in 4. d. 3. quæst. vn. artic. 8. in fin* & Ledesma *1. 4. quæst. 7. art. 8. dub 3.* cum Scoto, Maiori, & Gabriele, existimant non licere tunc baptizare puerum, saltem, si propterea mors nimium acceleranda sit, afferriq́ue possunt Sotus *dist. 5. quæst. 3.* & Gabriel *dist. 4. quæst. 2. art. 3. dub. 4.* dicentes non esse baptizandum infantem, quando inde mors esset prouentura. Existimo tamen longè probabilius puerum in prædicto casu posse baptizari, licet propterea mortis acceleratio magna futura esset. Ita sentiunt Paludanus *in 4 dist. 3 q. 3 nu. 9. in fine.* Zambranus *cap. 1. de Baptismo dub 12.* & docti recentiores. Pro cuius explicatione & probatione aduertẽdum est, esse posse aliquos baptizandi modos, qui directè, & per se videntur ordinari ad occidendũ infantẽ v.g. abluere aqua omnino venenata, proiicere in flumen, & similes, & hi numquam licent, quia directè occidere innocentem, est intrinsecè malum, numquam autem sunt facienda mala, vt veniant bona temporalia, aut spiritualia. Deinde certum est, curandum esse diligentissimè, vt tam in modo abluendi, quàm in quantitate, aut qualitate aquæ naturalis prospiciatur vitæ infantis, cui sanè vix potest moraliter nimium nocere Baptismus, si circumspectè fiat. In casu ergo, quo adhibita omni diligentia crederetur mortem illius accelerandam propter Baptismum, licebit nihilominus eum baptizare, si alioqui credatur absque Baptismo moriturus. Probatur, quia id non est directè occidere, sed indirectè, permittendo scilicet vitæ detrimentum, quod aliqua ratione proueniet ex actione bona, nempe ex Baptismo; rectè autem potest quis exponere vitam manifesto vitæ discrimini, propter maximum bonum spirituale. Cùm ergo ex Baptismo pendeat in prædicto casu salus æterna infantis, licitè permitti potest vitæ temporalis detrimẽtum. Confirmatur, quia licitè potest Parochus audire confessionem hominis, qui alioqui morietur in statu peccati mortalis, licet sciat inde sibi mortem prouenturam, vt bene Nauarra *lib. 2. de restit. cap 3. part. 1. diff 3.* ergo licebit etiam ne puer in originali decedat, baptizare illum, quamuis propterea sit moriturus, ipse enim infans si foret sui compos, deberet ita velle, ac proinde nulla ei irrogatur iniuria. Et hæc omnia docet Granadus *de Sacram. in 3. par contr 4. tract. 4. disp. 4. n. 6. & 7.* & ante illum Zambranus *de sacram. Baptismi cap. 1. dub. 2. num. 11.* & Moscosus *in summa tract. 2. c. 1. nu. 5. in fine*, sic ait. [Si por desnudar vn niño para bautizarle en el cuerpo, o por echarle agua en la cabeca peligrasse su salud, o vida, no se ha de dexar de bautizar, porque està muy puesto en razon, que se posponga su salud, y vida temporal en peligro, por alcançar la eterna.] Ita ille. Vide etiam circa præsentem quæstionem Cabretam *de Sacrament. in 3. part. quæst. 66. art. 8. dub. 1. num. 84.* Ex his sequitur baptizantem in nostro casu non esse irregularem. Ita Zambranus *vbi suprà num. 76.* & alij.

RESOL. IX. *An propter imminentem mortem liceat adulto differre susceptionem Baptismi, aut illam omnino prætermittere?*

VT, v.g. si quis minaretur mortem adulto, si baptizetur, cùm tamen alioqui posset vitam conseruare, si Baptismum omittat. Et in hoc euentu certum est in primis licere differre Baptismum propter vitandum eiusmodi periculum, si postea creditur adfuturam occasionem recipiendi hoc Sacramentum. Deinde licet certò sciretur postea non fore susciendũ Baptismum, nemo, per se loquẽdo, obligaretur illum recipere cum tanto vitæ periculo; quod quidem ferè omnes Doctores sentire, affirmat Suarez *disp. 31. sect. 3. paulo post initium*, probariq́ue potest, quia adulto non est medium necessarium ad salutem Baptismus in re susceptus, sed in voto sufficit, vt suprà dictum est; ergo cùm aliunde amor vitæ maximus sit, & magna obligatio illam prudenter conseruandi, non tenebitur adultus subire manifestũ vitæ discrimen, vt sacramentum recipiat, sed satis erit si eliciat contritionẽ, qua tunc sufficienter disponetur ad iustificationem, & poterit æternã adipisci salutem. Denique addo in prædicto casu non teneri adultum omittere Baptismum. Et quidem si ex Baptismi omissione proueniret graue aliquod incommodũ contra Catholicam Religionem, crearetuŕque aliqua infamia Ecclesiæ, non solùm posset, sed teneretur non omittere Baptismum, quia maioris momenti est honor fidei nostræ, quã vita vnius, imò & plurium hominum; propterea q́ue dicebã, per se loquendo, non teneri adultum ad Baptismum cum vitæ discrimine, quia per accidens teneri posset, vt in prædicto, & similibus casibus. Verumtamen licet nullum eiusmodi incommodũ ex omissione Baptismi proueniret, non videtur homo teneri omittere hoc Sacramẽtum propter periculum mortis, si certò sciat non habiturum postea copiã Baptismi. Probatur, quia hoc non est sibi ipsi mortẽ inferre, quod est intrinsecè malũ, sed mortem ab alio infligi permittere; quod quidẽ sæpè licitũ esse, constat ex materia de homicidio, quan-

do occurruat graues causæ eiusmodi permissionis; in præsenti autem grauis causa occurreret, quia licet Baptismus in re susceptus, non sit adulto omnino necessarius ad salutem, sed cõtritio possit eius defectum in necessitate supplere; adhuc tamen est multo facilius per ipsum Baptismum iustificari, & sæpe valde incertum an homo habeat contritionem, præsertim quãdo de nouo accedit ad fidem, & priùs fuerat infidelis: ergo vt in tanto negotio prospiciatur vitæ spirituali; & eligatur medium longè securius ad salutem, non erit illicitum contemnere vitam temporalem alioqui incertam. Et hæc omnia docet Iacobus Granado *de Sacram. contr. 4. tract. 4. disp. 2. num. 8.*

RESOL. X. *An in mortis periculo filij infidelium sint inuitis parentibus baptizandi?*

AFfirmatiuam sententiam, cum formidine tamẽ, docet Sotus *in 4. dist. 5. in fine, art. 10.* Sed valde miror. Dico igitur audacter in tali casu filios infidelium esse inuitis parentibus baptizandos. Et ita ex Soto, Aragonio, Acosta, Suarez, Henriquez & D. Antonino docet Iacobus Granado *de Sacram. in 3. part. contr. 4. tract. 4 disp. 5. sect. 4. nu. 19.* quia cùm est in mortis articulo, censetur extra parentum potestatem, quia quod parum distat, nihil distare videtur, nec timeri potest periculum apostasiæ, & deceptionis, præsertim cùm puer tunc sit in extrema necessitate spirituali, in qua non est censendus ita dependens à parentibus, vt propter illorum contradictionem damnandus sit in æternum. Et ita hanc sententiam præter Doctores citatos docet etiam Hurtadus *de sacram. Baptismi, disp. 3. diffic. 3.* qui etiam *diffic. 5.* rectè probat cum Coninck *de Sacram. q. 97. a. 10. dub. vn. n. 76.* Valentia *tom 4. disput. 4. q. 3. punct. 3.* Zambrano *de sacram. Baptismi, cap. 1. dub. 11. nu. 5.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 25. q. 10.* secluso periculo mortis illicitum esse inuitis parentibus baptizari à dominis filios seruorum infidelium.

RESOL. XI. *An qui recipit ex periculo mortis Baptismum ex opinione probabili, v. g. in digito, capillis, pedibus, manibus, &c. in materia dubia cum gutta aquæ, &c. debeat si vixit, iterum sub conditione baptizari?*

ALiqui videntur negare, quia satisfecit obligationi suscipiendi Sacramentum, suscipiens illud iuxta sententiam probabilẽ, & ita ex Vasquez docet doctus Hurtado *de sacram. Baptismi, disp. 1. difficult. 12.* Sed contrarium videtur omdino verius. nam qui recipit dubium Sacramentũ, cùm teneatur Sacramentum suscipere, videtur grauiter peccare; ergo etiam is, qui in eo dubio permanet. Cõfirmatur, nisi moraliter constet de valore Baptismi, alia Sacramenta sacrilegè recipientur; igitur ad hęc sacrilegia impedienda homo tenetur Baptismum iteratò sub conditione recipere.

Dices, aliquis in sua operatione potest sequi sententiam probabilem. ergo, &c. Respondeo negando consequentiam, & dico, assumptum præsenti proposito minùs solidè applicari; nam cùm Doctores asserunt aliquem relicta sententia probabili posse adhærere contrariæ etiam probabili, non volunt id esse verum, quando probabilitas solum versatur circa rei naturam, aut conditionem, sed quando sententiæ inter se sunt contrariæ in ordine ad praxim, quarum vna asserit aliquid citra peccatum fieri posse, alia negat; in nostro verò casu Doctores non censent aliquem (saltem extra casum necessitatis, quando Sacramentum non potest aliter conferri, vel recipi) posse absque peccato conferre, vel recipere Baptismum in solo digito, v. g. capillis, manibus, &c. Sed solùm asserunt esse probabile talem Baptismum esse validum, quo nõ obstante homo potest obligari ad suscipiendum iteratò saltem sub conditione, propter rationes allatas; & ita docet Ioannes Præpositus *in 3. par. q. 66. art. 9 dub. 2. n. 101.* cui etiam adde omnino videndũ Ochagauiam *de sacram. Baptism. tract. vnico, q. 11. n. 11.* & Coninck *de Sacram. q. 66. art. 9. dub. vnico.*

RESOL. XII. *An pueri, si in vtero matris moriantur, possint ibi baptizari?*

NEgatiuè videtur respondendum, ex Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 5. diffic. 4. num. 4.* vbi sic asserit. [Los niños, que estan en los vientres de sus madres no se pueden alli bautizar.] & ideo Ochagauia *de Sacram. tr. vn. de Baptismo, q. 4. num. 5.* ita asserit. Puer dum est in vtero matris, etiamsi arte obstetricis eũ aqua pertingat, nequit baptizari, quod expresè patet ex *cap. qui in maternis, de consecr. dist. 4.* vbi dicitur, non posse renasci secundùm Deum, qui non est natus secundùm Adam. Hæc ille. & plures discipuli D. Thom. cum ipso *in 3. part. q. 68. art. 11.*

Sed ego puto cum Ioanne Præposito *in 3. part. quæst. 66. art. 8. dub. 3. num. 91.* quòd si actio ministri possit ad ipsum puerum, etiam in vtero matris existentem, peruenire, nihil obstaret, quo minus posset baptizari; vt si fistula possit pertingere ad ipsum infantis corpusculum, vel si propter apertam matris cicatricem aspersio aquæ possit ad illud pertingere. Probatur, infans in eo statu est homo distinctus à matre, & sufficienter natus ex nihilo, contraxitque peccatum originale; igitur si in eo statu aqua possit ad eum pertingere, baptizari potest. Vnde sequitur, quòd in necessitate posset hoc modo baptizari, quãdo scil. non affulget spes, quòd proles possit viua educi ex vtero, & iuxta modum à nobis positum possit illi succurri. Ita Præpositus. Vide etiam Marchantium *in resol. Pastoral. de Sacra. tr. 2. cap. 1. quæst. 2. cas. 4.* vbi testatur aliquos Theologos hanc sententiam docere.

Non desinam tamen hîc adnotare eundem Præpositũ docere, quòd licet mater viua exscindi non possit, vt proles baptizetur, quia non licet directè aliquem occidere, vt etiam bono spirituali eiusdem, vel alterius prospiciatur, possit tamen baptizari eo modo, quo diximus, si aqua ad eum pertingere valeat, etiamsi mors matris inde sequatur, & præuideatur sequutura, quia in nostro casu actio ministri non respicit interitum matris pro suo termino, sed in executione habet alium terminum, scilicet ablutionem prolis, quæ in ratione ablutionis materialis, est quid indifferens: in ratione verò

cære-

cæremoniæ sacramentalis est honesta, & subsequens mors matris solùm est permissa, atque adeò non imputatur ad peccatum; imò mater eo casu tenetur permittere, vt proles baptizetur, nam si cũ certo vitæ corporalis periculo tenemur succurrere saluti proximi, quando moraliter certum est nos posse succurrere, & certum est eum aliàs perituru̇m, eadem ratione tenemur in similibus circumstantiis permittere, vt cum aperto nostræ vitæ periculo alius succurrat; quamdiu tamen ex vna parte non apparet morale periculum, quòd proles non poterit nasci viua ex vtero, & ex altera parte moralis spes, quòd efficaciter poterit ei succurri in vtero, Baptismum re ipsa conferendo, mater non tenetur sese aperto vitæ discrimini exponere, & proinde rarò tenetur exponere se isti periculo, cùm rarò omnes illæ circumstantiæ occurrant. Huc vsque Præpositus.

Resol. XIII. *An mater ad mortem damnata, si morbo letbali corripiatur, liceat eam secare, vt infans etiam morituru̇s baptizetur?*

AD hanc qnæstionem affirmatiuè respondet Ochagauia *de Sacram. ar. vn. de Bapt. q. 4. num. 6.* vbi sic ait. Neque mater etiam volens esset secanda, & aperienda, etiamsi sit in articulo mortis, vt filius eruatur, & baptizetur, quia non sunt facienda mala, &c. si tamen esset ad mortem damnata mater, esset́que periculum ne ex aliquo morbo ante partum vnà cum prole moreretur, posset seruato iuris ordine priùs secari, si esset spes quòd proles hoc modo baptizaretur. Ita ille, qui citat Suarez & Coninck alibi à me citatos *in 1. part. tract. 1. Miscel. resol. 44.* quibus etiam addo Ioan. Præpositum *in 3. part. q. 66. art. 8. dub. 3. nu. 93.* & Layman *lib. 4. tr. 2. cap. 3. num. 2.*

Non desinam tamen hîc adnotare contrariam sententiam docere Episcopum Moscosium *in sum. tr. 2. c. 2. n. 2.* vbi sic ait. [Estando la madre preñada y condenada à muerte, el derecho ciuil dispone que no se execute la sentencia hasta despues del parto, y si por alguna graue enfermedad, ò per razon del mal parto esta en peligro declarado de muerte, y los Medicos dizen, que no puede viuir en ninguna manera se ha de abrir, para sacar puera la creatura, aunque no hayan faltados algunos Doctores, que digan lo contrario.] Ita ille.

Resol. XIV. *An si Tyrannus velit infantem occidere, vel si, dum agit animam, alio modo non possit baptizari, liceat eum in puteum, vel flumen proiicere? & an ita sit baptizatus?*

TAlem non esse baptizatum docet Cabrera *de Sacr. in 3. part. q. 66. art. 7. n. 17.* Ledesma, Henriquez, Sylvester. & Sotus penes Villalobos, *in sum. tom. 1. tract. 5. diffic. 4. n. 7.* Sed ipse meritò affirmatiuam sententiam tenet, cui adde Ochagauiam *de Sacram. tr. vn. de Baptismo, q. 6. n. 2.* & Ioannem Præpositum *in 3. part. q. 66. ar. 8. dub. 1. n. 81.* vbi citat Suarez, Vasquez, Gabrielem, & Victoriam. Idem etiã docet Ludouicus de San Iuan *q. 1. art. 3. de sacram. Baptism. dub. 1.* Gamachæus *in summ. Theol. tom. 3. in 3 p. q. 66. cap. 2.* Layman *lib. 5. tract. 2. cap. 3. num. 5.* Mæratius *in 3. part. tom. 3. tract. de Sacram. Baptism. disp. 2. sect. 3.* & ratio est, quia in hoc casu non deest forma, vt supponitur ab omnibus, nec deest materia, nec sufficiens intentio ministri ad Baptismum conferendum. ergo. Secunda pars antecedentis probatur. Materia huius Sacramenti est ablutio, quæ, vt ostensum est, potest inueniri sine emersione, & absque eo, quòd pars, quæ dicitur ablui, detegatur aqua; ergo ex parte materiæ in eo casu nihil deest. Vnde ex his contra Scotum *in 4. distinct. 5. q. 3.* Paludanum *distinct. 6. q. 1. art. 3.* Marsilium *q. 4. art. 4.* Sotum *distinct. 3 quæst. vnic. art. 8.* & Syluestrum *ver. Baptismus, q. 10.* sequitur quòd ad valorem Baptismi, qui submersione fit, non sit necessaria emersio ipsi submersioni succedens, vt tradunt Rosella *ver. Baptismus 4. num. 1.* Suarez *in 3 part. tom. 3. disp. 20. sect. 3.* Vasquez *disput. 145. cap. 3.* Coninck *de Sacram. q. 6. art. 7. dub. 1.* & alij, quia submersio corporis, quamuis ei non succedat emersio, seu extractio illius, est vera ablutio, quia tunc aqua ita mouetur supra superficiem corporis, dum eam intrat, vt si sordidum esset, verè illud emundaret: ergo sufficiens est ad valorem Baptismi.

Sed difficultas est in casu, de quo loquimur, an licitè dictus infans in puteum, vel in flumen proiiciatur? & affirmatiuam sententiam docet Ochagauia *de Sacram. tract. vn. de Baptism. quæst. 7. num. 2.* vbi sic asserit. Cùm puer baptizandus iamiam animam agit, & non est alia via illũ baptizandi, nisi is in puteum suffocandus proiciatur, tunc licitè potest in puteum proiici cum intentione eum baptizandi. Ita communiter Doctores, & præsertim insinuat Vasquez *tom. 2. in 3. part. disp. 145. cap. 3.* & probatur ratione, quia in moralibus parum pro nihilo reputatur; ergo illa parua, & penè insensibilis mortis acceleratio nihili pendenda est in isto casu, & idem credo propter eandem rationem posse contingere in adulto catechumeno, quia ei difficilis est per contritionem iustificatio, & medio Baptismo facilis. Ita Ochagauia. Sed aduersùs illũ insurgit Hurtadus *de sacram. Baptismi disp. 1. diffic. 2.* Gamachæus *in summ. Theolog. tract. 3. in 3. part. D. Thom. q. 66. cap. 2.* Layman *lib. 5. tract. 2. c. 4. nu. 5.* Mæratius *tom. 3. de sacram. Baptismi, disput. 2. sect. 4.* & Præpositus *in 3. part. q. 66. art. 8. dub. 1. num. 83.* sic asserens. Petes an liceat puerum animam agentem aliàs sine Baptismo moriturum proiicere in flumen, vt baptizetur, & saluetur? Respondetur non licere, vt communiter Doctores. Ratio est, quòd nulli liceat priuata authoritate quempiam occidere citra sui defensionem, etiamsi alteri commodum aliquod accidat, cùm non liceat facere mala, vt eueniant bona: si tamen aqua non posset aliter haberi, posset puer per funem, vel canistrum in aquam demitti, & forma prolata extrahi. Hæc Ioannes Præpositus.

Resol. XV. *An in articulo mortis infans sit baptizandus in vmbilico, & sepeliendus Ecclesiastica sepultura?*

REsolutio huius casus accipi potest ex Iacobo Marchantio *in Candelabr. Sacram. de resolut. qq. pastoral. tract. 2. de Baptismo, cap. 1. q. 1. cas. 2.* vbi sic ait. Quædam obstetrix retulit mihi se, cùm non posset

extra vterum habere aliam partem, quàm vmbilicum, per quem infans sugit alimentum à matre, & illi coniungitur, baptizasse infantem in vmbilico, an sit validus Baptismus? Existimo quòd non, quia vmbilicus non censetur pars hominis, ideoque præscinditur. Sed quærebatur, an talis infans deberet priuari Ecclesiastica sepultura? Consequenter respondendo videtur, quòd sic. Tamen contrariam opinionem posset quis cum aliqua fortè probabilitate tueri, dicendo vmbilicum nō minus censeri aliquid infantis in tali statu, quàm capilli censeantur aliquid hominis, licet sint quædam excrementa, sicut & vmbilicus, & ita sicut per capillos censetur homo ablutus (vt multi docent) similiter videtur per vmbilicum dici posse infantem ablui, tamquam per aliquid sui, quia etiam per illum aqua ad corpus infantis censeri posset pertingere. Ob has & similes rationes, quæ afferri possent in fauoré pueri, & Baptismi dati, non planè condemnarim, si talis sepeliatur in loco sacro, quia saltem apparens aliquod ius ei possit adscribi ratione talis Baptismi disputabilis. Et quamuis longè infirmior sit pars fauens, cur tamen debeat priuari iure loci sacri, nisi manifestè, & irrefragabiliter constet priuandum, siue illi tale ius non competat? Sic ille.

RESOL. XVI. *An in aliquo casu cum vitæ periculo teneatur quis baptizare puerum moribundum?*

AD hanc quæstionem ita respondet Ochagauia *de Sacram tract. vn. de Baptismo, q. 7. nu.* 3. Sit casus, quem adducit Syluester *in sum. ver. Bellum* 2. Sacerdos vult baptizare puerum animam efflantem in eo casu, quo nullus alius adsit, & tunc inuaditur ab hostibus qui iniustè volunt eum occidere, si se defendat fugiendo, vel alia via puer moritur sine Baptismo, quòd si baptizet puerum, non potest se defendere, sed sine dubio occidetur ab hostibus. Ad hunc casum respondetur primò tunc non esse necesse Baptismum cum solemnitate ministrare, sed sine illa posse licitè ministrari quia Ecclesia non obligat ad cæremonias illas accidentales, quę in Baptismo solemni reperiuntur cum tanto periculo obseruandas, cùm Ecclesia in suis præceptis mitissima sit. Secundò respondetur si mors Sacerdotis immineat, etiam ministrando Sacramentum sine solemnitate, tunc potius Sacerdotem debere eligere mortem propriam corporalē pati, quàm alienam spiritualem pueri prætermittere eum non baptizando, quia vita spiritualis pueri in tanto periculo constituti pluris facienda est, quàm vita corporalis propria. Ad quod Parochus ex iustitia obligabitur ratione officij, alius verò quilibet ex charitate. Imò addit Syluester *vbi suprà*, si tantùm esset dubium probabile de morte pueri sine Baptismo decessuri è vita in eo casu, quo Sacerdos defenderet se, & aliàs si non se defenderet, sed baptizaret puerum, certò sequeretur mors Sacerdotis, adhuc Sacerdos potius teneretur subire mortem, quàm puerum sine remedio Baptismi relinquere, propter rationem proximè assignatam. Quā resolutionem ita ego intelligendam puto, scilicet dummodo puer ille non habeat vsum rationis, si enim talē vsum haberet, & instructus esset in fide, posset sine Baptismo relinqui, vt Sacerdotis vitæ consuleretur, tunc enim puer sine Baptismo, & per contritionem iustificari posset apud Deum, aliàs si non esset puer instructus in fide, & animam ageret, deberet eum Sacerdos instruere in rebus fidei cum periculo propriæ vitæ in prædicto casu, præcipiendo ei vt haberet actum contritionis, si eum propter periculum mortis non posset baptizare. Et hæc omnia docet Ochagauia *vbi suprà*, cui adde Iacobum Granado *de Sacram. in* 3. *part. cont.* 4. *tract.* 4. *disp.* 4. *num.* 5.

Non desinam tamen hîc adnotare verba Emanuelis Sà *ver. charitas*, vbi sic asserit. Infantem alioqui moriturum sine Baptismo, teneris cum tuæ vitæ periculo baptizare, secundùm quosdam, quod alij probabiliter negant, nec enim cum tanto detrimento debetur ei tale officium, alioqui & mater grauida teneretur permittere se secari vt fœtus baptizaretur, aliàs sine Baptismo moritutus, quod nemo dicet. Ita ille, cui adde Sotū *de secret. memb.* 2. *q.* 2. *post.* 6. *conclusionem*. Arealum *de correctione fraterna*, & Sancium *in selectis disput.* 10. *num.* 9. docentem non aduersari D. Thom. 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 5. asserentem obstrictos esse nos plus proximi animam amore prosequi, quàm proprium corpus, id est, vitam. Nam intelligi debet, quòd quis amore suæ conseruandæ vitæ proximo non præstet consilium patrandi scelus, siue quòd positiuè ad necem spiritualem ipsius non concurrat, quia tunc amans vitam corporalem, æternam perdit peccato deprauati consilij intercedente: at quòd non omittat prouidere animæ proximi ob conseruandam propriam vitam, non affirmat D. Thom. nisi fortè in casu, quo pactum interfisset de non omittenda cura animæ proximi, etiam cum periculo propriæ vitæ, sicut deuinctus esset ratione pecuniæ acceptæ prospicere vitæ corporali proximi, etiam cum periculo amittendi propriam, qua ratione Parochos reddi obnoxios Sacramenta ministrare suis ouibus cum periculo vitæ, præcipuè pœnitentiæ, cùm ob id decimas & cętera percipiant emolumenta, censent DD. vnde tenemur ob propriam vitam conseruandam damnum spirituale proximo non inferre, non autem illud impedire, nisi intercedat cōuentio. Vnde DD. indistinctè loquentes de obligatione diligendi vitam spiritualem proximi, posthabita propria corporali, aberrant sanè, & quod ipsi nequaquam exequerentur, cæteros exequi obnoxios esse docent. Hæc Sancius.

Sed supradictæ sententiæ aduersatur Ledesma *in summa tom.* 2. *tract.* 4. *cap.* 4. *concluf.* 15. vbi sic ait. [Acerca desto queda toda via difficultad si vn niño se està muriendo, y con pecado original, si estarà obligado vn hombre particular à bautizarle, aunque probablemente tema que algun tirano le quitara la vida, y le matara porque le bautiza: la razon de dudar es, porque entonces aquel niño està en estrema necessidad espiritual. A esta duda se responde, que de lo dicho se conuence, que estoy obligado à bautizarle no obstante el tal peligro. Antes parece que estoy mas obligado à socorrer al niño, que al adulto, que està en estrema necessidad espiritual,

espiritual, porque el abulto tiene otro remedio, que es disponerse por sus proprias obras, y no ay certidumbre que aprouechara la correcion fraterna, como la ay, de que aprouechara el bautismo.] Sic ille, & Bañez *in* 2.2. *quæst.* 26. *art.* 2. & hæc sunt placita Doctorum.

RESOL. XVII. *An si finita forma, antequam finiatur ablutio, infans moriatur sit adhuc baptizatus?*

QVando verba formæ prolata sunt, sed ablutio continuatur, adhuc Paludanus *in* 4. *distinct.* 3. *q.* 3. *ad fin.* existimauit non haberi Sacramentum ante perfectam ablutionem; seu vltimam immersionem, quod etiã docere videtur *ibi* S. Thom. *art.* 4. *q.* 3. *ad* 3. suadetiqúe potest, quia ad minimum pertinet determinare quantitatem materiæ, & illi applicare formam: ergo quamdiu ipse continuat ablutionem, censetur nondum applicuisse formã, sed adhuc intendere illam applicare vlteriori ablutioni; ergo donec perficiatur ablutio, non est integer Baptismus, nec proinde sortitur effectum. Cõfirmatur primò, quia in cõsecratione minister potest determinare hanc, vel illam panis quantitatem, & consecratio non cadit nisi supra materiam ab ipso designatam: ergo in Baptismo similiter potest determinare ablutionem, & supra illam solùm cadet forma; sed eo ipso quòd continuet ablutionem, censetur totam illam determinare vt materiam Sacramenti. ergo donec perficiatur, non est Sacramentum perfectum. Confirmatur secundò, quia si peracta prima immersione, v.g. perfectum esset Sacramentum, conferretque suum effectum, frustrà adderentur aliæ duæ. ergo donec accedat vltima, non consistit Baptismus.

Sed his non obstantibus contrariam sententiãm tenendam esse puto, quam tuetur Hurtadus *de sacram. Baptismi, disput.* 1. *difficult.* 6. Ochagauia *de Sacram. tract. vn. de sacram. Baptism. q.* 4. *nu.* 9. Granadus *de Sacram. in* 3. *part. contr.* 4. *tract.* 1. *disp.* 4. *num.* 14. vbi citat Suarez, Caietanum, Sotum, Valentiam & alios. Nam eo ipso quòd finitur forma Baptismi perficitur Baptismus, antequam finiatur ablutio, si quando finitur forma, sit ablutio inchoata, quamuis post finitam formam perseueret, quia quæcumque pars ablutionis, vtpote homogeneæ, est vera ablutio, positis autem forma, & sufficienti materia, statim perficitur Sacramentum, ita vt non sit in potestate Ministri perfectionem Sacramenti, seu sacramentalem significationem differre. Et idem sentiendum est de sacramento Confirmationis, & Vnctionis, cùm enim primò habetur vnctio sufficiens ad Sacramentum, & prolata est forma, intelligitur perfectum.

RESOL. XVIII. *An quando baptizatur aliquis in periculo mortis, debeant adstantes seruare ordinem inter eos sub pœna peccati mortalis?*

SVppono teneri seruare ordinem eos, qui non sunt Sacerdotes, quando in necessitate ministrandus est Baptismus, ita vt Diaconus præferatur Subdiacono, Clericus laico, vir fœminæ, &c. Sed difficultas est an peruertere hunc ordinem sit peccatum mortale? & affirmatiuè respondet Vasquez *in* 3 *part. tom.* 3. *disp.* 147. *c.* 5. §. *Postremò hoc idem.* Mæratius *tom.* 3 *tract. de sacram. Baptism. disp.* 5. *sect.* 5. Valent. *tom.* 4 *disput.* 4. *q.* 2. *punct.* 1. Turrianus *in summa part.* 2 *c.* 13. *dub.* 4. *concl.* 2. quibus adde Ochagauiam *de Sacr. tract. vn. de Baptismo, q.* 12. *num.* 19. quia prædictum ordinem in baptizando seruandum esse nõ iure aliquo humano, quin potiùs diuino, statutum est, quia cùm ius diuinum ob necessitatem extremam concedit, vt licitè baptizent illi, qui aliàs baptizare non poterant licitè, sine dubio hanc facultatem ideo concedit, vt qui magis aptus est, inepto præferatur in administratione Baptismi; vnde videmus in præsentia Sacerdotis Diaconum baptizare non posse; sed mulier minùs apta est, quàm vir; & laicus quàm Clericus; & Clericus, quàm Sacerdos: ergo in præsentia aptoris minùs aptus nõ potest baptizare sub pœna peccati mortalis, quia materia hæc grauis est, & cadens sub præcepto diuino. Ita Ochagauia.

Secunda opinio docet inuersionem, qua inferiores Diacono ei præferuntur, esse mortalem, non verò inter alios Diacono inferiores. Ita Hurtadus *de sacram. Baptism. disp.* 2. *diffic.* 3. Coninck *de Sacram. q.* 67. *art.* 5. *dub.* 2 Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 27. *c.* 6. *n.* 44. & Præpositus *in* 3. *part. q.* 67 *art.* 5. *dub.* 2. *num.* 7. quia ex vna parte Diaconus iure diuino præfertur aliis inferioribus se, quia ex vi sui Ordinis est magis aptus ad id, quàm alij inferiores, & ex altera hæc prælatio est materia grauis, & considerabilis; ergo opposita inuersio & prælatio erit mortalis, vtpote grauis vsurpatio cuiusdam prælationis, & inchoationis officij.

Tertia opinio sentit in tali inuersione non adesse peccatum mortale, etiamsi negligatur Diaconus. Ita Sotus *in* 4. *distinct.* 4. *q. vn. art.* 2. §. *circa tertiam.* Suarez *in* 3. *part. tom.* 3. *disput.* 31. *sect.* 4. §. *Vnde tertiò addendum.* Layman *lib.* 5. *tract.* 2. *c.* 7. *num.* 4. Zambranus *de sacram. Baptism. cap.* 1. *dub.* 15. *nu.* 3. Ioannes Henriquez *in comp. cap.* 31. *num.* 4. Granadus *de Sacram. in* 3. *parte controu.* 4. *tract.* 2. *disput.* 2. *nu.* 6. vbi sic ait. Non est mortale hunc ordinem inuertere, vt si laicus coram Diacono, vel fœmina corã viro ministraret Baptismum, quia cùm nullus istorum sit ex officio minister Baptismi, quòd vnus potiùs, quàm alter baptizet, non est grauis inordinatio. Sic ille. Atque hanc opinionem docet etiam doctus Episcopus Moscosus *in summ. tract.* 2. *c.* 4. *num.* 2. vbi ita asserit. [Tambien me parece que pecaria mortalmente el lego bautizando delante de vn Presbitero consagrado, y con potestad de Ordenes para aquel ministerio, mas si el lego fuesse mas habil, como vn Doctor Iurista, que el Sacerdote, no pecaria bautizando delante del, pero entre los Diaconos, y Subdiaconos, y Clerigos de menores ordenes, y seglares hombres, y mugeres, atento que ninguno dellos es ministro propio, ni consagrado para este ministerio, no parece seria pecado mortal bautizar contra el orden arriua dicho, sino indecencia grande. Mas lo que en este caso conuiene aduertir, es consejo laudable, y saludable, y acertado poner los ojos en la persona que sepa mejor administrar este Sacramento, paraque la tal le administre,

miniſtre, y por eſta razon algunas vezes, y no pocas eſtando preſentes diuerſas perſonas, y aun graues, las comadres dieſtras en eſte miniſterio ſon las que bautizan los niños, quando eſtan en peligro de muerte.] Ita Moſcoſus. & huic tertiæ ſententiæ ego libenter adhæreo. Vide etiam me ipſum, & Doctores, quos citaui *in 3. part. tract. 4. reſol. 4.*

Cauendum eſt igitur maximè ex his, ne ille à quo petitur vt miniſtret in periculo mortis Baptiſmum, propter ſcrupulos, relinquat morientem ſine Baptiſmo, expectãs miniſtrum magis idoneum, ſed ſi dubitet an opportunè veniet, vel non, talis idoneus miniſter Baptiſmum, quia ea pars eſt tutior. Et idem eſt ſi dubitet an ſit periculum mortis, vel non, & ſi pro rei qualitate & tempore non poſſit rem examinare, numquam diſcedat à loco, in quo eſt baptizandus periclitans, ſed mittat alium, qui vocet idoneum miniſtrum, vt ſi interim neceſſitas vrgeat, ipſemet baptizet. Deinde notandum eſt etiam, vt quando baptizat aliquis idiota, dicat formam vulgari ſermone potiùs, quàm Latino, ne erret, niſi conſtaret Latinè bene proferendam. & hæc omnia docet Zambranus *de ſacram. Baptiſmi, c. 1. dub. 15. num. 5. & 7.*

RESOL. XIX. *An infans moribundus ſi ad illum non eſſet acceſſus, ſit baptizandus, aſpergendo eum aqua?*

REſpondeo affirmatiuè cum Chapeauilla *de ſacram. Baptiſm. q 19.* vbi etiam docet, quòd ſi Paſtor certò ſibi perſuadeat ſe caput pueri aquâ aſpergere poſſe, licebit illi ad vitandum contagionis periculum huiuſmodi baptizare, quia tunc ceſſat periculum nullitatis Baptiſmi, cùm conſtet per veram aſperſionem verum conferri Baptiſmum.

Dicendum eſt igitur quamcumque ablutionem ſiue fiat immerſione, vel infuſione, ſiue aſperſione, quantum ex ſe ſufficere ad valorem, & eſſentiam Baptiſmi, quia quæcumque ex his eſt vera ablutio, quæ verbis formæ Baptiſmi ſignificatur, quod etiam conſtat ex vſu Eccleſiæ, quæ omnibus dictis modis vſa eſt baptizare, nempe infuſione vt modò fit, & immerſione, vt olim fiebat, & vt modò in Manuali Romano fieri permittitur, & aſperſione, vt ex ſancto Laurẽtio *in eius Legenda* dicitur inſtãte martyrio quemdam aſperſione aquæ baptizaſſe, & de Apoſtolis creditur aſperſione batpizaſſe, quando vna die quinque milia baptizarunt, vt dicitur *Actor. 4.* & idem eſt de ablutione facta tinctione. & idem docet Hurtadus *de ſacr. Baptiſm. diſp. 1. diffic. 4.* & alij communiter. In praxi tamen, ſecluſo, vt diximus, caſu neceſſitatis, vt ablutio licitè fiat, ſeruãdus eſt modus in vnaquaque Eccleſia pro tempore præſcriptus, & vſitatus, licet Poſſeuinus *de officio Curati, cap. 16. num. 6.* Sotus & Henriquez, vt obſeruat, nec improbat Granados *de Sacram. contr. 4. tr. 1. diſput. 4. nu. 6.* doceant non eſſe peccatum mortale vno, vel altero modo baptizare, ſecluſo cõtemptu. Sed hanc ſententiam non approbat Ochagauia *de Sacram. tract de Baptiſmo, q. 5. n. 8.*

Notandum eſt tamen conſuetudinem Eccleſiarum baptizandi per immerſionẽ ſeruandam eſſe, vt obſeruat Layman *lib. 5. tract. 2. cap. 4. num. 4.* excepto caſu neceſſitatis, propter quam affuſione aquæ vtendum etiam in Eccleſiis, quibus alioquin ordinarius baptizandi modus eſt per immerſionem, ſicuti ſuprà ex S. Thoma intelleximus. Deinde ſi in aliqua Eccleſia trina merſio vſitata ſit, vna tantùm adhiberi poterit cum integra prolatione formæ ob periculum moræ, ne infantem priùs mori contingat, quàm tres merſiones fiant. Ita etiam docet Zambranus *de ſacr. Baptiſmi, c. 1. dub. 12. n. 9.*

RESOL. XX. *An tempore mortis ſit præmittenda inſtructio infidelibus baptizandis?*

REſpondeo ſupradictos debere inſtrui, & ptobari per aliquot menſes ante Baptiſmum, vt dicitur *de conſ. d. 4. c. ante Baptiſmum, & ſeq.* ſi tamen vrgeat neceſſitas obſidionis, vel naufragij, vel ſimilis periculi mortis, tunc expoſita fide, vtcumque ſi petens Baptiſmum aſſentiatur eſt baptizandus. & ita docet Zambranus *de ſacram. Baptiſm. c. 1. dub. 14.* vbi citat Toletum, quibus ego addo Sancium *in ſelect. diſp. 44. num. 41.*

RESOL XXI. *An ſi vnius teſtis etiam Paganus dicat moribundum poſtulaſſe Baptiſmum, iſte ſit batizandus?*

REſpondeo affirmatiuè cum Ioanne Sancio *in ſelectis diſput. 44. num. 39.* vbi ſic ait. Baptizandus eſt adultus, etiamſi vnius teſtis aſſertione Baptiſmum poſtulaſſe conſtet, quod docet Zambranus *de Baptiſmo, cap. 1.* quamuis etiam ſit infidelis teſtis ille eo modo, quo diximus *diſput. 34. num. 8.* miniſtrandam fore Euchariſtiam publico peccatori in extremis degenti, licet ſigna pœnitentiæ ſolùm coram vnico teſte prẽſtiterit, & ſicut aſſeruimus adeſſe obligationem abſoluendi illum, qui ſigna doloris oſtendere non poteſt, vnico tantùm teſte teſtimonium ferente ea manifeſtaſſe, eſt enim par ratio in vtroque caſu, imò maior in baptizando, nam in Baptiſmo actus ſuſcipientis illum non ſunt materia Sacramenti ſicut in confeſſione. Vnde æquius dubitari poſſet, an valeat impendi abſolutio pœnitenti nulla ſigna doloris oſtendenti, quantumuis teſtis affirmet illa tradidiſſe, quàm dubitari queat, an baptizari poſſit, qui Baptiſmum de prẽſenti non petit, dum adſit teſtis affirmans illud petiuiſſe. Quapropter omnes Doctores affirmantes poſſe pœnitentem abſolui, teſtificante alio ſigna doloris manifeſtaſſe, tenentur fateri poſſe adultum baptizari, teſte affirmante Baptiſmum ab illo poſtulatum fuiſſe. Confirmantur ſupradicta ex his, quæ ego adduxi *in 3. part. tract. 3. reſol. 5.* & Reginaldus *in praxi tom. 1. lib. 8. cap. 3. num. 8.*

RESOL. XXII. *An ſi teſtis dubitet, an adultus moribundus petierit Baptiſmum, ſit adhuc baptizandus?*

REſpondet affirmatiuè Ioannes Sancius *in ſelectis diſp. 44. n. 40.* vbi ſic ait. Et ſi dubitetur, ſitne mortuus adultus, vel non, baptizandus erit, ex *c. de quibus, de Baptiſmo.* Et hinc oritur inſtructio baptizandi ſub conditione ex quocumque capite oriatur dubitatio, cùm ratione dubij licitè fiant, quæ

aliàs

aliàs non fierent, vt notat gloss. *ibi*. Immo etsi testis dubitet, petierit, necne adultus Baptismum, sub conditione baptizandum fore iudicamus, cùm vndequaque oriatur ambiguitas apposita conditione sit vincenda. Præterea si post petitionem Baptismi se iam nolle illud dicat adultus, dubitetur tamen, præsertim à Medicis ex phrenesis læsione, an renuat baptizari, sub conditione baptizandus est, vt docet Henriq. *lib. 2. c. 24, n. 4.* Item si dubitetur de veritate testis, an verum dicat, vel non de expostulato Baptismo, sub conditione erit baptizandus, aut si audientes non recordentur satis, an testis asseruerit expostulatum esse, vel minus Baptismum, nec compareat testis, à quo sciscitentur; sub conditione erit ministrandum.

Nec obstat si dicas adultum illum non valentem per se ipsum Baptismum petere baptizari non deberi, quia vt baptizaretur opus erat explicitè credere in Trinitatis mysterium, & Incarnationis, vt docèt Sanch. *in sum. lib. 2. cap. 3. num. 24.* Villalobos *tom. 2. tract. 1. diffic. 4. num. 13.* eo quòd in illa mysteria credere sit necessarium medium ad salutem. Non, inquam, obstat hoc, quia sunt aliqui non requirentes explicitam fidem illorum mysteriorum, vt medium necessarium, vt docet idem Villalobos *tom. 2. sum. tract. 1 diffic. 3. num. 7.* alios adducens. tum quia esto necessaria esset explicita fides, non incumbit baptizanti in articulo mortis de illa rogare, quando infirmus respondere non potest, & præsumi debet explicitè actum credendi in mysterium Trinitatis & Incarnationis habuisse adultũ, cùm auidè Baptismum postulasset. Et cùm opinionum varietas versetur, an sufficiat implicita, vel explicita fides, sub conditione saltem baptizari debere non dubito, & constat manifestè in Christum implicitè credere, qui ipsi incorporari per Baptismum exoptat. Huc vsque Sancius *loco cit.* cui adde Henriquez *lib. 2. cap. 24. num. 4.* vbi asserit, quòd si in dubio sit coniectura, vt moribundus petierit Baptismum, baptizandus sit sub conditione.

RESOL. XXIII. *An moribundus, qui postulauit Baptismum, si in amentiam, vel lethargum postea incidit, sit adhuc baptizandus?*

AFfirmatiuè respondeo cum Zambrano *de sacr. Baptismi dub. 8. c. 1. n. 2.* vbi sic ait. Furiosi, amẽtes & priuati vsu rationis, si priùs illum habuerunt, & significauerunt voluntatem Baptismi, sunt baptizandi in periculo mortis, credendo eam voluntarem perseueraſe, quando de contraria non constat. habetur *c. maiores, de Baptismo, fine.* Sic ille. & post illum Sancius *in selectis disp. 44. num. 42.* Suar. *in 3. part. tom. 3. disput. 24. sect. 1. concl. 2.* Henriquez *lib. 2. c. 24. num. 4.* qui addit supradictum esse baptizandum, licet in furia resistat. Vnde docet Sancius *numer. 42.* posse ligari, vt sic baptizari valeat. Vide etiam circa præsentem quæstionem Ludouicum Mæratium *tom. 3. tract. de sacram. Baptism. disp. 6. sect. 4.*

RESOL. XXIV. *An non solùm Sacerdotes, sed etiam laici baptizantes in peccato mortali infantem moribundum, peccent mortaliter?*

PEccare mortaliter docet ex Vasquez Hurtadus *de Sacrament. in gen. disput. 4. difficult. 9.* Mæratius *tom. 3. tract. de Sacram. in gen. disput. 8. sect. 2.* Ochagauia *de Sacram. in gen. q. 19. numer. 6.* Durand. *in 4. distinct. 5. q. 6.* Gabriel *quæst. vnic. art. 3. dub. 2.* Adrianus *in 4. q. 3. de Baptismo, §. ad rationem,* qui est *in fine q. ver. si obijciatur.* Kellisonius *in 3. part. tom. 2. q. 64. art. 6. dub. 2.* & alij, quia quicumque validè efficiens Sacramentum, quamuis laicus, & in extrema necessitate, est minister à Christo deputatus, & institutus ad id, & est contra reuerentiam Sacramenti ipsum effici à Ministro instituto ad id in statu peccati mortalis, quod maiorem vim habet in Sacerdote peccatore efficiente Sacramentũ, quamuis in extrema necessitate, & quamuis non solemniter, quia etiam efficitur à Ministro non solùm ad id instituto, sed etiam ad id consecrato.

Sed licet hæc opinio sit probabilis, contrariæ tamquam probabiliori adhæreo, quam ex Caietano, Soto, Valentia, Henriquez, Suarez, & Sayro tuetur nouissimè Iacobus Granado *de Sacram. in 3. part. contr. 3. tra. 3. disp. 5. n. 6.* cui adde Ioannem Præpositum *in 3. part. q. 64. art. 6. dub. 1. n. 36.* Marchantiũ *in resol. pastor de Sacram. tract. 1. cap. 3. q. 1.* Mercerum *de Sacrament. in 3. part. q. 64. art. 6. dub. 1.* Zannerum *tom. 4. disput. 3. q. 4. dub. 2. num. 63. & 64.* & Petrum de Cabreta *de Sacrament. q. 64. art. 6. disput. 1. §. 4. nu. 17.* vbi sic ait. Minister necessitatis, siue sit laicus, siue Sacerdos, qui in mortali administrat Sacramentũ, etiamsi videns, & sciens faciat, non peccat mortaliter, immò verò neque venialiter, si aliqualem adhibeat reuerentiam, & cum aliquo timore, & pudore id faciat. Sic est communiter receptum à Theologis, paucis exceptis. & probatur, quia omnia argumenta adducta ad probandum esse peccatum mortale ministrare Sacramenta in culpa mortali, procedunt tantùm de Ministro, qui ex officio, & cum solemnitate religiosa ministrat Sacramentum; ergo sine ratione dicitur Ministrum necessitatis peccare mortaliter, aut venialiter. Probatur etiã efficaci ratione insinuata à D. Thom. *ad 3.* quia minister necessitatis ministrans Sacramentum, non se gerit vt Ministrum Christi & Ecclesiæ, sed tantùm vt Ministrum necessitatis: ergo obligari non debet, vt conformetur sanctitati Christi & Ecclesiæ, & de laico est quidem euidens, cùm ipse nullam gratiam susceperit vt Sacramenta conferret, ac proinde non tenetur tam arctè similitudinem principalis agentis imitari, sicut Sacerdos, qui est minister Sacramentorum ex officio. Idem autem dicendum est de Sacerdote ministrante Baptismum in casu necessitatis, quia licet Sacerdos sit minister ex officio, in casu autem necessitatis non ministrat Baptismũ, vt minister ex officio, sed vt minister necessitatis, sicut laicus & fœmina. Et character sacerdotalis non concurrit ad illud ministerium, sed habet se quasi per accidens, & concomitanter, & ideo Sacerdos in eo casu non aliter se habet, quàm laicus. Etenim is dicitur Sacramentum

ex

ex officio ministrare, qui actionem sacram ita exercet, vt nullus eam saltem illo modo exercere queat, nisi eam consecrationem habeat. Cùm igitur Sacerdos in necessitate baptizat sine solemnitate, eo dumtaxat modo baptizat, quo laicus baptizare potest, & ideo non baptizat ex officio; id est, vt minister Ecclesiæ peculiari consecratione ad sic ministrandum Sacramentum deputatus, ac propterea non peccat mortaliter.

RESOL. XXV. *An pater baptizans, vel tenens filium in periculo mortis, impediatur postea petere debitum ab vxore?*

AFfirmatiuè respondet, si suscipiat filium, Henriquez *lib. 2. c. 18. n. 3.* & etiamsi baptizet ex malitia, vel ignorantia extra necessitatem, docent Doctores, quos citat Zambranus *de modo ministrandi sacramentum Baptismi, c. 1. dub. 18. n. 8.* Sed ipse ibi meritò contrariam sententiam docet, & ideo *num. 24.* sic ait. Ex dictis patet, quantum errent aliqui minùs docti, examinando nimis scrupulosè eos, qui bona fide baptizarunt in necessitate, vel susceperunt proprium filium, an talis necessitas esset præcisa, vel omnino ignorantia inuincibilis, vt negent eis petitionem debiti, cùm constet ex dictis, etiamsi ex malitia processerint, peccare quidem grauissimè, esseque puniendos, satis tamen probabiliter non impediri à petitione debiti. Sic ille. Cui adde Iacobum Granado *de Sacram. in 3. part. controu. 4. tract. 2. disp. 5. n. 5.* & Præpos. *in 3. part. q. 67. art. 6. dub. 2. num. 7.*

RESOL. XXVI. *An tempore mortis, si quis ad puerum accessum non haberet, posset de longinquo proferre formam, & iubere vt alius illum aqua abluat?*

HVnc Baptismum esse inualidum, probatur ex D. Thom. *in 3. part. q. 67. art. 6. ad 3.* & ex tribus absurdis, quorum vnum est, validum quoque fore Baptismum, illo modo collatum extra casum etiam necessitatis, cùm ex supradictis constet eam materiam & formam, quæ aliquo in casu ad Baptismi validitatem sufficit, ad ipsam quoque quouis alio in casu sufficere. Alterum est dici pari ratione debere validum fore Baptismum sine verbis vllis ore prolatis, aut in alio, quàm naturalis aquæ liquore collatum in eo extremæ necessitatis casu, quo vel elementaris aqua deesset, sed adesset alius liquor, quo puer mox moriturus tingi posset, aut quo nullus adesset, qui puerum abluens loqui posset. Si enim, quia Baptismus puero ad salutem necessarius est eo casu, quo non aliter ipsi conferri potest, quàm vno abluente, altero formæ verba proferente validus est, ob eandem causam validus esse debebit eo casu, quo non nisi in alio, quàm naturalis aquæ liquore, vel per eum, qui solis nutibus, & huiusmodi signis loqui potest, conferri poterit. Tertium est, eadem ratione validum Baptismum futurum, qui à tribus ministraretur, vno abluente, altero verba hæc proferente, *Ego te baptizo*; tertio ista subiungente, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, qua validus foret, qui ministraretur à duobus, vno abluente, altero formam proferente, quoniam disparitatis nulla legitima ratio adferri potest. Sicut autem Baptismus sic à tribus ministratus omnium iudicio esset inualidus, quia idem, qui verbis iis, *Ego te baptizo*, profitetur se aliquem baptizare, profiteri etiam debet se eum, non in suo, sed in sanctæ Trinitatis nomine baptizare; ita sic ministratus à duobus censeri pari certitudine debet inualidus, quia idem, qui abluit, significare verbis debet se abluere, & qui hoc verbis significat, re ipsa debet abluere. Et tandem hæc sententia probatur. Nam qui verba formæ proferret, nec exteriùs ablueret, falsitatem diceret, & ideo nullum efficeret Sacramentum, vtpote cuius ad essentiam, validitatemque formæ veritas necessaria est, ideo autem non nisi falsò proferret, quia siue diceret, *Ego te baptizo*, siue, *Nos te baptizamus*, siue more Græcorum, *baptizetur seruus Christi*, semper his verbis significaret, se externæ ablutionis actum exercere, neque tamen exerceret. Et ideo hæc omnia docet doctus Mæratius *in D. Thom. tom. 3. tract. de Baptism. disp. 5. sect. 3.* & Hurtadus *de Sacram. disp. 2. diffic. 6.* vbi citat Vasquez, Suarez, & Coninck, quibus etiam adde Iacobum Granado *in 3. part. de Sacram. contr. 4. tract. 2. disput. 3. num. 9. dub. 2. n. 13.* Tannerum *tom. 4. disp. 4. quæst. 2. dub. 1. num. 17.* & Filliucium *tom. 1. tract. 2. c. 5. nnu. 77.*

Sed his non obstantibus, in periculo mortis ita puerum esse sub cõditione baptizandum, adnotaui *in 3. part. tract. 4. resolut. 11.* docuisse Fernandez de Heredia, cui nunc addo Caietanum *in 3. part. q. 67. art. 6.* teste Hurtado *vbi suprà*, ac Marsilium *in 4. sent. quæst. 4. art. 6. dub. 11.* putantes fore talem Baptismum validum in casu extremæ necessitatis, vt si puero mox morituro nullus adesset præter duos, quorum vnus mutus esset, alter membris omnibus captus, hoc enim formæ verba proferente, illo altero abluente, validum fore Baptismum affirmant, & casus posset occurrere: & ideo etiam hanc sententiam docet nouissimè Ioannes Chapeauilla *de modo ministrandi Sacramenta tempore pestis, quæst. 20. de Baptismo.* vbi sic ait. Potest occurrere casus, quo Pastor non possit abluere, possit autem formam proferre, puta si nullus sit accessus ad puerum, quia ædes infectæ sunt à Magistratu occlusæ, neque permittit accessum, quamuis iniustè, vel si ipse truncatus sit manibus, & alter qui adest non possit formam proferre, illo casu extremæ necessitatis licebit iuxta alteram sententiam hoc modo conferre Baptismum, quia melius est in tali extrema necessitate accipere Baptismum dubium, & aliquo modo probabilem, quàm nullum. Erit tamen ille Baptismus sub conditione iterandus, si postea occurreret opportunitas recipiendi indubitatum Sacramentum ab vno & eodem Ministro.

Dices, iure Canonico ordo datus ab Episcopo & Presbytero simul, Episcopo videlicet imponente manus, Presbytero autem benedicente, seu proferente formam, irritus esse declaratur; ergo nulli licebit hoc modo baptizare, vt vnus abluat, alter verò formam proferat. Respondetur, negando consequentiam, non enim similis est casus ei, de quo agimus, quia in sacramento Ordinis conferendo Presbyter non potest esse Minister, & ideo cum Episcopo non potest componere vnum Ministrum

strum; & ex hoc solo capite euidens est illam ordinationem fuisse irritam, & nullam; in nostro autem casu quælibet persona concurrens posset esse sufficiens Minister sacramenti Baptismi. Hæc omnia docet Chapeauilla *vbi suprà*, & hęc sunt placita Doctorum circa præsentem quæstionem, de qua tamen infrà *in tract. de mutis*, iterum sermo redibit.

RESOL. XXVII. *An in naufragio, vel alio casu ob periculum mortis possit quis plures baptizare?*

REspondeo affirmatiuè cum D. Thom. *in 3. part. q. 66. art. 5. ad 4.* quia in tali casu nihil deficit, ad valorem Sacramenti & extrema necessitas facit, quòd talis modus baptizandi sit licitus. Et ita hanc sententiam docet Coninck *de Sacram. q. 67. artic. 6. dub. 2. num. 51.* vbi sic ait. Vrgente graui necessitate, vt quando immineret subitò multis mortis periculum, licitè hoc modo plures baptizantur. est communis Doctorum. Ratio est, quia cùm Baptismus possit validè ita conferri, nulla fit ei irreuerentia, si in tanta necessitate contra consuetum ritum cõferatur. Ita ille, licet Sotus *in 4. sentent. dist. 4. q. vn. art. 4. §. secundò sequitur*, etiam extra casum necessitatis existimet plures baptizantes non peccare mortaliter, si citra scandalum fiat, sed hanc sententiam refellit Coninck *vbi suprà*, & Hurtadus *de sacram. Bapt. disp. 2. diffic. 7.* vbi etiam docet ex communi Doctorum sententia, in tali casu adesse plures Baptismos, & plura Sacramenta, quia sunt plures ablutiones formaliter & expressè, & sunt plures formæ, quamuis non formaliter & expressè, sed æquialenter, quia, Ego vos baptizo, æquialet his, Ego te baptizo, & Ego te baptizo, æquialet illis, Ego vos baptizo. quia illis verbis, Ego vos baptizo, verè significantur omnes ablutiones, quibus Minister sub his verbis baptizat, quod sufficit, vt ex dicta forma, quæ æquialenter est plures, & ex dictis pluribus ablutionibus plures fiant Baptismi, & plura Sacramenta.

Sed in hoc casu si esset vera sententia Vasquez, & aliorum asserentium etiam laicos ministrantes in periculo mortis Baptismum in peccato mortali, peccare mortaliter; si, inquam, vera esset hæc sententia, posset quis quærere, an si quis plures baptizaret in statu peccati mortalis, committeret tot peccata, nam, vt dictum est, in tali casu sunt plures Baptismi, & plura Sacramenta. Verùm, saluo meliori iudicio, etiam in sententia Vasquez, puto in tali casu non adesse nisi vnum peccatum mortale, quia illa plura Sacramenta conferuntur per modum vnius.

RESOL. XXVIII. *An Diaconus si baptizat aliquem in periculo mortis, possit aliquando solenniter illum baptizare?*

AFfirmatiuam sententiam docet Suarez *in 3. p. tom. 3. disput. 23. sect. 3.* vbi sic ait. In ordine ad solennem Baptismi administrationem hæc ex rationabili causa potest Diacono committi in casu necessitatis, imò si necessitas vrgeat, & Sacerdos sit absens, potest ipse iure suo ministerium vsurpare, vt docet glossa *in cap. Diaconos, ver. necessitas 93. dist.* Ita Suarez.

Sed hanc sententiam refellit Coninck *de Sacrament. q 67. art. 5. dub. 3. n. 27.* ex *cap. Diaconos*, vbi clarè innuitur sine commissione Sacerdotis Diaconum non aliter posse baptizare, quàm laicos baptizare posse; nec glossa contrarium docet; sed tantùm ait hoc casu posse eum suo iure baptizare, imò docet potiùs in Ecclesia, siue solenniter sine commissione non posse baptizare. Et ratio videtur esse, quam insinuat Caietanus, quia nimirum Diacono propriè conuenit inseruire Sacerdoti, atque ita quæcumque facit vt Diaconus, debet ea facere vt inseruiens Sacerdoti; quòd si autem aliquando sine commissione posset solemniter baptizare, non faceret hoc vt inseruiens Sacerdoti, sed quasi suo iure. Nam ea in re non posset dici inseruire Sacerdoti, secus est, quando id facit ex commissione Sacerdotis, quia tunc quodãmodo ei inseruit, dum eius mandato obsequitur. Nec refert, quòd in extrema necessitate possit baptizare sine commissione non solemniter, quia hoc non facit propriè vt Diaconus, cùm eo casu etiam laici possint baptizare, si ipse abesset: quòd autem cæteris omnibus præferatur, hoc non facit vt ille actus sit Ordinis. Quare Diaconus sine commissione solenniter baptizans esset irregularis, quia vsurparet actionem Ordinis, quem non habet, neque necessitas excusat, quia nulla est necessitas baptizandi solenniter. Et hæc omnia docet Coninck *loco citato*, & post illum nominatim contra Suarez tenet etiam hanc sententiam Gaspar Hurtadus *de sacrament. Baptismi, disp. 2. difficult. 4.* Nota tamen, quòd Coninck, *vbi suprà num. 26.* suam opinionem vocat tantùm probabiliorem, ergo videtur sententiam Suarez tamquam probabilem admittere.

RESOL. XXIX. *An habens infantem baptizandum morti vicinum, & Sacerdos recuset eum baptizare, nisi detur quantitas pecuniæ, nec alia via possit conferri Baptismus, licitum sit ei præbere pecuniam?*

NEgatiuam sententiam docet D. Th. *in 4. dist. 6. q. 2. art. 2. & dist. 25. q. 3. art. 3.* & insinuat *in 2. 2. q. 100. art. 2. ad 1.* Idem docet Alexander de Ales *part. 2. quæst. 187. memb. 3. artic. 1. §. 1.* Richardus *in 4. dist. 25. art. 2. quæst. 1.* Paludanus *eadem dist. q 8.* & alij. & ratio est, quia emere Sacramentum est intrinsecè malum, sicut & vendere. ergo nullo casu erit licitum.

Verùm his non obstantibus affirmatiuam sententiam tenendam esse puto, quia si in ista pecuniæ enumeratione aliqua esset inordinatio, in hoc esset, quòd numerando pecuniam videtur quis consentire venditioni rei spiritualis & pretium temporale exæquare rei spirituali; sed neutrum est in hoc casu, non enim numerans consentit magis venditioni, quàm petens mutuum consentit iniquæ voluntati vsurarij, & si consentiret, tantùm consentiret tanquam in minus malum, minùs enim malum est vt Sacerdos vendat Baptismum, quàm vt infantem in æternum perire sinat. Neque etiam censetur æquare pecuniæ summam, quamuis notabilem Baptismo, quia non dat illam, vt pretium Sacramenti, sed vt medium necessarium ad

alliciendum Sacerdotis illius animum, & Sacramentum obtinendum. Et confirmatur, quia si alius Sacerdotem impediret, ne Baptismum conferret, posset ei dari pecunia, vt cesset impedire, cur non etiam posset dari ipsi Sacerdoti, vt tollat impedimentum, quod ipse sibi per malitiam, & auaritiam suam posuit? Confirmatur secundò, licet Sacerdotem illum secundùm Adrianum inducere minis precibusque, cur nō & pecunia? Confirmatur tandem, quia omnia bona temporalia concessa sunt homini vt iuuent eum ad salutem consequendam; ergo si Sacramentum ad salutem mihi necessarium, non possim propter malitiam Ministri aliter obtinere, quàm dando mea temporalia, nihil inordinatum committam. Et ita hanc sententiam docet Lessius *lib.2.cap.35.dub.7.n.13.* Igitur in tali casu licitum est offerre pecuniam, non quidem tamquam pretium Sacramenti propriè, sed tamquam medium alliciendi animum alterius ad dandum Sacramentum. Vnde ex dictis sequitur non solùm pro infante, sed etiam pro adulto posse dari pecuniam ad alliciendum animum Sacerdotis, si alioquin absque Baptismo moriturus esset, quia illa necessitas sufficiens est ad tollendam irreuerentiam, & non minus censetur dari ad redimendam vexationem, quàm in casu infantis, quia est iustus metus damnationis. Idem dicerem quando agitur de absolutione in extrema necessitate.

RESOL. XXX. *An adultis in articulo mortis possit ministrari sacramentum Confirmationis?*

REspondeo affirmatiuè cum Sancio *in select. disput.40.n.4.* Igitur ægroti in periculo mortis, si antea confirmati non fuerint, optimum esset eos per Episcopum confignari, *c. vt Episcopi, de Consecrat. dist.5.* Idem docet Hugo à S. Vict. *2. de Sacr. part.7. cap.3.* D. Thom. *hic art.8.* D. Bonauentura, Soto, & alij *in 4. dist. 7.* fauetque ratio: nam etiamsi fortè non conualescant, tamen Sacramentum iis prodest simpliciter ad augmentum gratiæ, quæ est per se aliquid prestantissimum, prodest quoque ad pugnam cum carne propria, & cum dæmone ipso in articulo mortis, imò ad molestias morbi faciliùs tolerandas: quamuis enim fateamur aliud Sacramentum fuisse institutū contra tentationes mortis, nimirum extremam Vnctionem, sed tamen bonum bono additū efficit aliquod melius, & funiculus duplex fortiùs adstringit. Adde quòd morbi aliquando sunt valdè diuturni, & multorum nunc mensium, nunc annorum. Aliqui citant hîc Innocentium I. *ep.1.* sed malè, non enim ibi agit de sacramento Confirmationis, sed extremæ Vnctionis; quod quidem ait Episcopos ægrotis conferre posse. & licet vtatur vocabulo *Chrismatis*, tamen vel accipit Chrisma impropriè pro qualibet sacri olei vnctione, vel intelligit Episcopos vti posse sacro Chrismate ad extremam Vnctionem, quod non licet Sacerdotibus. Vnde ex his Adrianus *in 4. de Confirmatione, art.1.* putat obligari sub mortali infirmos sacramentum Confirmationis sumere, vbi esset consuetudo obligatoria, sed Zambranus *de sacram. Confirm. cap.2. dub.5. nu.4.* credit dictam consuetudinem modò non reperiri alicubi.

Sed dices, non solùm ex consuetudine, sed ex præcepto teneri adultos Confirmationem sumere, vt docet Scotus *in 4. distinct. 7. quæst.2.* D. Bonauent. *art.3. quæst.2.* D. Anton. *in 3. part. tit. 14. cap.14.* VValdensis *lib.2. de Sacrament. cap.111.* Syluester *ver. Confirmatio, num.3.* Hugo de S. Victore *lib.2. de Sacrament. part.3. cap.3.* & Petrus Sotus *lect.2. de Confirmatione.* & probatur ex D. Cypriano *ep.70.* vbi ait, necessarium esse, vt baptizati vngantur Chrismate: ista enim necessitas præ se fert aliquod præceptum; eodemque modo loquitur D. Melchiades *ep. ad Episcopos Hispaniæ.* Etiamsi morituris sufficiant regenerationis auxilia, tamen victuris necessaria sunt Confirmationis beneficia: & duo hæc Sacramenta ita iuncta sunt, vt ab inuicem, nisi morte præueniente, separari nullatenus possint, & vnum sine altero ritè perfici nequeat. *cap. de his, de consecrat. distinct.5.* Concilium Aurelian. *can.3.* baptizatus non censetur Christianus, nisi post Confirmationem Episcopalem, intellige plenè ac perfectè Christianus. Huc quoque pertinet *cap. omnes fideles, de Consecrat. distinct.* 5. ex Epistola Vrbani. Omnes, inquit, fideles post Baptismum debent accipere Spiritum sanctum per impositionem manuum Episcopi, vt plenè Christiani inueniantur. Accedit ratio, etenim vita hæc plena est innumeris tentationibus, & militia est vita hominis super terram. ergo qui potest hoc Sacramentum suscipere, nec tamen vnquam suscipit, per totam vitam exponit se periculo, ac proinde peccat nunc mortaliter, nunc venialiter ratione circumstantiarum, sicut res morales cum circumstantiis accipiendæ; peccat, inquam, nisi per aliquam ignorantiam excusetur. Taceo quòd Sacramentum hoc non videtur omitti posse deliberatè per totum vitæ tempus sine aliquo contemptu, aut scandalo. Et ita hanc sententiam ex rationibus supradictis tenet nouissimè ex insigni Vniuersitate Sorbonica Philippus Gamachæus *in summa Theolog. tom.3. q.69. cap.9.*

Verùm his non obstantibus, ego puto nullum adesse præceptum per se suscipiendi Confirmationem, adhuc data opportunitate. Ita D. Thom. *in 3. part. quæst.72. art.8. ad 4.* Ochagauia *de sacrament. Confirm. quæst.12. nu.3.* Præpositus *in 3. part. quæst.72. art.8. num.38.* Granadus *de Sacrament. in 3. part. controu.5. tract.4. disp.1. num.4.* & ita etiam ex Soto, Couarruuia, Vasquez, Suarez & Coninck tenet Hurtadus *de sacrament. Confirmat. difficult.11.* quia prædicti Pontifices non agunt de necessitate simpliciter, quæ efficit præceptum, sed de necessitate secundùm quid, quæ indicat quamdam vtilitatem. Præterea hoc præceptum nec Scriptura, neque Ecclesia imposuit, quia Ecclesia circa Sacramenta tantùm solet determinare tempus, in quo debeant recipi, vt videmus in Sacramento Eucharistiæ, & Pœnitentiæ. Sed circa hoc sacramentum nullum tempus determinauit Ecclesia, in quo debeat recipi; ergo non est aliquod præceptum obligans ad receptionem illius.

RESOL.

RESOL. XXXI. *An infantibus ante vsum rationis morituris possit conferri sacramentum Confirmationis?*

VIdetur negatiuè respondendum. nam hisce temporibus prohibitum esse videtur ministrari sacramentum Confirmationis infantibus ante vsum rationis.eam amplecti videtur Gregor. de Valent.*quæst.2.de Confirm.punct.2.* quatenus absolutè negat pueros esse confirmandos ante vsum rationis.fauet Suarez *disp.35.sect.2.§.vtraque*, ex his opinionibus, quatenus in fine ait. Non admodum peccaturum Episcopum si ex sola beneuolentia, aut ob aliam similem causam confirmet infantem, ex quo videtur inferri aliquantulum saltem peccaturum,ac proinde venialiter,& consequenter id esse saltem leuiter prohibitū. Afferri etiam potest Petrus de Ledesma *in sum. de Confirm. c.70.* quatenus ait oportere infantes non confirmari, licet nō sit peccatum mortale ; indicat ergo esse veniale. Probatur primò authoritate Pontificalis Romani, vbi sic habetur. Nullus Christianæ fidei rudimentis non edoctus ingerat se ad percipiendum hoc sacramentum Confirmationis. Præcipitur ergo confirmandis vt sciant doctrinam Christianam, quam ante rationis vsum non possunt addiscere: similiter præcipit, vt accedant ieiuni, quod in infantes non aptè conuenit ; idemque Episcopus instruitur vt alapam leuem impingat confirmato, scilicet vt recordetur Sacramenti : infans autem non videtur percutiendus, vt non excidat memoriâ,quod non intelligit. Secundò probatur authoritate Concilij Mediolanensis I. quod sic habet. Minori septennio nemini præbeatur Confirmatio.Infantes autem,qui septennium attigerunt, ratione vtuntur, saltem regulariter loquendo ; ergo ante vsum rationis nemo est confirmandus. Tertiò probatur, quia consuetudo obtinet vim legis; sed hac tempestate consuetudo fert, vt ante vsum rationis non confirmentur pueri, ergo lex est id præcipiens,ac proinde obligans,saltem sub veniali, imò cùm materia sit magni momenti, censendum est præceptum graue, ac proinde obligans sub mortali.

Sed his non obstantibus in casu nostro affirmatiuam sententiam docet Zambranus *de sacr. Confirmationis,cap.2.dub.5. nu.4.* cui adde Granadum *de Sacr.in 3.part.controu.5.tract.2.disp.2.n.10.* vbi sic ait. Placet mihi quod tenet Suarez,nimirum in articulo mortis expedire Confirmationem ministrare eiusmodi infantibus,si commodè fieri posset, quia quamuis non sint professuri fidem coram Tyranno, recipient gratiam sanctificantem, cui maior gloria respondebit, & non est cur tanto beneficio priuentur. Ita ille, & ante omnes Magister omnium,D.Th.*in 2.2.q.72.art.8.ad 4.* quem citat,& sequitur Layman *lib.5.tract.3.cap.5. n.3.* cum Sancio *in select.disp.40.*

Non desinam tamen hîc obiter adnotare, quòd confirmare infantes non est prohibitum, etiam sine causa.Ita Hurtadus *de sacrament. Confirmat.difficult.10.*& Granadus *vbi suprà.*

RESOL. XXXII. *An in aliquo casu in articulo mortis teneatur quis sumere sacramentum Confirmationis?*

HAnc quæstionem non ita facilè apud multos inuenies, & ad illam affirmatiuè respondet Ochagauia *de sacr.Confirm.q.12.n.4.* vbi sic ait.Absolutè,& simpliciter loquendo, neque erit peccatū mortale, neque veniale, omittere hoc Sacramentum, quia nullum extat præceptum de illo recipiendo : per accidens tamen poterit esse peccatum veniale,omittere Confirmationem,si censeatur esse aliqua prodigalitas in ea omittenda, vel nonnulla temeritas in aggrediendo sine illa, pericula mortis, imò erit peccatum mortale, si relinquatur Confirmatio per contemptum, aut si quis eam relinqueret in articulo mortis,quando haberet conscientiam peccati mortalis, & non posset recipere aliud Sacramentum, quia tunc cum sola attritione existimata contritione posset saluari per hoc Sacramentum: quia maxima temeritas videretur remedium ita facile relinquere, & expectare contritionem,quæ valdè difficilis est. Ita Ochagauia.

RESOL. XXXIII. *An qui manè communicauit, vel Missam dixit, & postea eodem die incidit in periculum mortis, possit adhuc non ieiunus sacrum viaticum sumere?*

HIc casus in facti contingentia accidit his diebus, & negatiuam sententiā mordicus sustinent Suarez *in 3.part.tom.3. disput. 69.sect.3.* Fagundez *de præcept.Eccl.pr.3.lib.1. cap.3. num.7.* Raucius *in praxi Confessar.nu.32.fol.* 189. Faustus *de Euchar.lib.1. q.247.*Granadus *in 3.part.D.Thom.controu.6.tract.10. disp.3.num.9.*Mæratius *in D.Thom.tom.3.disp.35.sect.2. num.* 4. Michaël Zambranus *de Sacram. ministrant. tempore mortis,cap.3. dub.1. num.* 1. *&* 6.Pitigianus *in 4.sentent.tom.1.distinct.9.quæst.3. artic.7.* Mercerus *in 3.part. quæst.* 80. *artic.* 11. *quæritur tertiò.*Coninck *de Sacram.q.80.art.11.dub.3.num.100.*& alij communiter;quia primò ex prohibitione Ecclesiæ non licet bis in die communicare, ex *c. consuluisti, de celebratione Missarum,*ex *cap.sufficit,de consecrat.dist.* 1. & docet D.Thom.*in 3. par. q.* 80.*art.11.* Alensis *in 4.part. quæst.52.memb.3.* & alij. Secundò, quia talis in substantia satisfecit præcepto communicandi in articulo mortis per modum viatici, est enim sensus huius præcepti, hominem teneri paulò ante mortem communicare, nam finis præcepti videtur esse, vt per communionem homo se ad transitum ex hac vita præparet, quod satis assequitur paulò ante mortem communicando, sicut qui audiuisset Sacrum in die festo ignorans tunc esse Festum, talis non teneretur eodem die iterum aliud Sacrum audire postquam cognouit esse diem festum. Tertiò, quia cùm tempus fuerit breue à morbo,moraliter talis, quando manè sumpsit Eucharistiam,sumpsit illam in periculo mortis, vnde mors moraliter tunc imminebat, licet ignorabatur,& ideo iam aderat obligatio præcepti, quamuis,vt dictum est,ob ignorantiam hoc non erat cognitum ; quod tamen non obstat, quominus per communionem eo tempore factam, aliquis illi obli-

obligationi satisfaciat, quia vnusquisque in suis actibus censetur habere intentionem virtualem, vel implicitam implendi omnem obligationem, quam potest & debet, licet fortè illam ignoret. Hæc opinio est probabilis, & ego à fortiori illam docui *in part. 3. tract. 4. resol. 40.*

Verùm quia maximam consolationem, vt patet, ægrotus haberet, si in tali casu posset iterum communicare, ego puto contrariam sententiam etiam probabilem esse. Dico igitur non solùm posse, sed etiam teneri, quia in articulo mortis tenentur omnes communicare per modum viatici, vt ex hac vita securiùs migrent: sed qui modo antè dicto communicauit, non sumpsit Eucharistiam vt viaticum, eo quòd ille, qui nihil cogitans de morte, sumit hoc Sacramentum, non sumit illud vt viaticum, hoc enim tantùm datur proficiscentibus ex hac vita, ille autem, qui bene valet, non dicitur proficisci ex hac vita, siquidem nullus satisfacit alicui præcepto antequam obligatio illius incipiat; ergo morbo adueniente, & periculo mortis instante, tenetur iterum Eucharistiam & viaticum sumere. Confirmatur, quia hæc obligatio est propria illius temporis, quo adest tale præceptum, nec orta fuerat quamdiu periculum non imminebat: ergo illi satisfacere non potuit per communionem priùs factam, sicut è contra si existente periculo mortis homo peccaret communionem omittendo, & postea periculum euaderet, non teneretur priorem obligationem implere, quia iam cessauit. & ita hanc sententiam in terminis, vt dici solet, terminantibus docet nouissimè ex Societate IESV doctus Hurtadus de Mendoza *de Sacrament. disputat. 10. de Eucharist. difficult. 2.* cuius verba ego adduxi *in 4. part. tract. 4. resol. 197.* & etiam pro hac firmanda sententia facit ex Theologis Complutensibus, qui typis scripta sua mandarunt, Turrianus *in summa part. 2. cap. 58. dub. 2. num. 3.* & ex Theologis Salmaticensibus, Petrus de Ochagauia *de Sacrament. tract. de Eucharistia, quæst. 14. num. 7.* vbi docent, quia præcepto Eucharistiæ non satisfacit ille qui proximè ante articulum mortis recipit communionem, siue tunc valeret, siue ægrotus esset, dummodo non esset constitutus in articulo mortis. & hanc sententiam præter Doctores citatos docet etiam Kellisonius *in 3. part. tom. 2. q. 80. art. 11. notab. 2.*

Restat modò respondere ad argumenta contrariæ sententiæ, & ad primum assero, quòd quando concurrunt duo præcepta, maius præponderat, & est anteponendum; sed cùm in nostro casu concurrat præceptum Ecclesiasticum de non sumenda Eucharistia bis in die, & præceptum diuinum de communicando tempore mortis, hoc posterius præualere debet tanquam maioris ponderis, vt rectè obseruat Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 1. c. 10. num. 17.* vide etiam Gamachæum *in 3. part. D. Thom. post q. 79. de sacrificio Missæ c. vlt.* & alios. Nec valet dicere quòd hoc præceptum non sit diuinum, teste Alezandro *4. part. q. 11. memb. 2. art. 4.* Bonauentura *in 4. dist. 12. part. 2. dist... art. 1. quæst. 1.* Ferrariense *lib. 4. contra Gentes c. 61.* Sylueſt. *ver. Eucharistia 3.* D. Th. *in 4. dist. 6. q. vlt. art. 1.* Gabriele *in Canone Missæ*, & aliis. Non, inquam, hoc valet dicere, nam contrariã sententiam tenet D. Th. *in suo vlt. testam.* quod est *3. pars q. 80. art. 11.* & ibi Tannerus, Syluius, Nugnus, Valentia, Coninck, Kellisonius, Suarez, & alij expositores, quibus adde Durandum, Paludanum, Gabrielem, Sotum, & Victoriam, quos citat & sequitur Præpositus *in 3. part. q. 80. art. 11. dub. 1. num. 51.* & probat ex Ioanne 6. *Nisi manducaueritis*, &c. ex Luca 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* ex 1. ad Corinth. 11. *Dominus Iesus in qua nocte*, &c. & ex Concilio Trident. *sess. 13. cap. 2.* dicente, & in illius (scilicet sacramẽti Eucharistiæ) sumptione colere nos sui memoriam præcipit. Nec etiam valet dicere cum Bizozero *de Sacr. part. 4. cap. 8. num. 5.* Naldo *in sum. ver. Eucharistia, num. 5.* Caietano *in sum. ver. Communio sacramentalis.* Ledesma *tom. 1. part. 4. quæst. 21. artic. 2. dub. 11.* Sylueſtro *ver. Eucharistia 3. in princip.* Armilla *ver. communio. num. 4.* Emanuele Sà *ver. Eucharistia, numer. 1.* Victoria *in summa numer. 86.* Rodriquez *in summ. tom. 1. cap. 64. numer. 3.* & Ioan. Franc. Suarez *in Enchirid. cas. consc. lib. 5. ver. Eucharistia*, eum, qui tempore Paschatis communicauit, ampliùs non teneri, secluso scandalo, in articulo mortis communicare, quia Christus non præcipit frequentiam sacramenti Communionis, sed communionem, qui autem in Paschate communicauit, verè dicitur communicasse. ergo, &c. Sed hæc opinio non est admittenda, & ideo contrariam docet Durandus *in 4. distinct. 9. q. 2.* Gabriel *q. 2. art. 2. concl. 3.* Sotus *dist. 12. quæst. 1. art. 11.* Valentia *tom. 4. disp. 6. q. 8. punct. 4.* Syluius *in 3. part. q. 80. art. 1. quæritur 1. conclus. 1.* Molfesius *in summa tom. 1. tract. 3. cap. 8. num. 95.* Reginaldus *in praxi tom. 2. lib. 29. n. 64.* Vasquez, Suarez, Coninck, Præpositus *locis citatis.* quod aptè probatur ex praxi Ecclesiæ, & ex Concil. Carthagin. IV. *can. 77.* quod à Leone IV. approbatum fuit, dum absolutè & absque vlla limitatione præcipitur eis, qui in infirmitate (subintelligo periculosa) sint, vt viaticum accipiant. Dicendum est igitur extare præceptum diuinum de sumenda Eucharistia pro articulo mortis; vnde cùm in nostro casu concurrat eodem tempore cum præcepto Ecclesiastico de non sumenda Eucharistia nisi semel in die, apparet obligare magis præceptum diuinum, quàm Ecclesiasticum.

Ad secundum argumentum respondetur, quòd licet finis præcepti ieiunij sit maceratio carnis, tamen quis non adimpleret substantiam talis præcepti, si non ieiunaret die statuto; sic est in nostro casu, licet finis huius præcepti sit, vt per sumptionem huius Sacramenti cõtra diaboli insulta Christianus roboretur, tamen huic præcepto non satisfaceret, si extra periculum mortis communicaret; nam, vt optimè notat Vasquez *in 3. part. vbi infr. n. 15.* ille adimplet præceptum, qui non solùm efficit id quod præcipitur, sed etiã in tempore quando præcipitur. Nec valet argumenti confirmatio de audiente Sacrum in die festo, & ignorante esse diem festum, qui tamen non tenetur audire aliud Sacrũ, nam in tali casu quis adimplet substantiam præcepti in tempore stabili & statuto ad audiendum Sacrum, quod non accidit in casu nostro, in quo quis nõ sumit Eucharistiã tempore à præcepto statuto.

Adde,

Adde, quòd Lopez *lib.1.de contractib.c.53.*Petrus Ledesma *in sum.tract.2.de Euch.c.27.post 10.concl.* & alij asserunt, aliquem qui ignorantia præcepti id impleuit, non satisfacere nisi antea intentionem aliquam generalem habuisset volendi quocumque opere ignoranter facto satisfacere præceptis.

Ad tertium argumentum, quòd cùm tempus valde proximum est periculo mortis, iam periculum mortis imminet, & ita eo tempore videtur impleri posse præceptum obligãs in periculo mortis. Resp. cum Ochagauia & Kellisonio *locis citatis*, quòd cùm præceptum recipiendi Eucharistiam in articulo mortis impositum sit tamquam onus illius temporis, apertè sequitur tempore proximo antecedenti neque impleri posse, neque habere vim obligandi. Vnde licet tempore proximo antecedenti articulũ mortis dicatur moraliter periculum mortis imminere, hoc tamen non sufficit vt eo tempore obliget præceptum Eucharistiæ, quia hoc præceptum tantùm obligat præcisè in periculo mortis physicè considerato, & non moraliter: quemadmodum præceptum recitandi horas canonicas, præcisè & physicè loquendo, obligat à media nocte vnius diei vsque ad aliam mediam noctem eiusdem diei. & hæc omnia docet etiam Vasquez *in 3.p.tom.3.q.80 art.11.disp.214 cap.1.nu.13.* & 14. vbi etiam respondet ad intentionem virtualem, quam censetur habere adimplendi præceptũ, qui paulò ante ægritudinem sumpsit Eucharistiam; nam vt quis impleat præceptum, non ad intentionem implendi illud, sed ad substantiam operis quod præcipitur, & tempus in quo obligat, attendendum est. Adde, vt idem obseruat Vasquez, quòd si hoc præceptum sumendi Eucharistiam obligat in articulo mortis, nemo etiam expressa intentione posset illud implere anticipando tempus, sicut nec præcepto audiendi Missam in die festo satisfaceret quis, si pridie illam audiret, & per eam tali præcepto satisfacere expressè vellet, quanto magis per voluntatem solam implicitam, quam virtualem vocant, vt minùs probabiliter putauit Suarez, & alij DD. in principio huius resolutionis citati. Patet igitur ex omnibus supradictis satis probabiliter posse, imò teneri aliquem secundum hanc posteriorem sententiam in eodem die sumere iterum Eucharistiam, si incidat in periculũ mortis, siue violentæ, siue naturalis, dummodo tamen prudenter timeatur eodẽ die moriturus, vel quòd alio die non sit futurus potens communicare. Itaque cùm hæc opinio probabilissima sit, puto in casibus contingentibus, in praxi deducendam esse, cùm sit multum fauorabilis, & consolatoria animarum, dum ægroti secundùm hanc sententiam possint in illis angustiis & horroribus mortis aduersùs diabolicas suggestiones iterum se sacra munire communione, quam scimus in illa hora maiori cum reuerentia, humilitate, & præparatione ab omnibus sumi. & ita ego sentio aduersùs Suarez, & alios DD. negatiuæ sententiæ.

Nec valet dicere, quòd hæc opinio imponit onus morientibus: nam respondeo illos lętanter hoc onus suscipere, & si contraria opinio esset vera & tenenda, magnam eis, & meritò, afflictionem afferret; igitur, me consulente, & impellente, ne desinant Parochi nostram sententiam in praxim deducere. Nota tamen quòd post hæc scripta inueni Ioannem de Lugo *de sacrament.Euchar. disp.16.sect.3. n.52.* negatiuam sententiam docere, quam, vt dixi, probabilem esse puto; sed tu ne desinas etiam nostram tanquam probabilem in consolationem infirmorum sectari, quam etiam sequuntur multi viri docti ex Societate IESV de hac re à me consulti.

RESOL. XXXIV. *An in articulo mortis, si laicus non possit deglutire particulam Eucharistiæ, ministranda sit ei species sanguinis?*

NEgatiuam sententiam docet Fagundez *de præcept.Eccles.præc.3.lib.3.cap.4. nu.20.* Pitigianus *in 4 sentent.tom.1.dist.8.q.3.art.6.* Suarez *in 3.part. tom.3. disp.80 sect.3.in fine.* Mercerus *in 3.part.de Sacr.q.80. art.12.propos.2.in fine.* & Syluius *in 3.part.q.80. art.12. quæritur quartò, in fin.* vbi sic asserit. Si contingeret moribundum non posse hostiam deglutire, relinquendus esset absque viatico potiùs, quàm ei daretur species vini. Ita ille. Et ratio est, quia in tali casu ius diuinum non obligabit ad sumptionem Sacramenti, & infirmus excusabitur à sumptione, & Minister à dispensatione; & difficulter potest euenire vt ægrotus non possit deglutire exiguam speciem panis cum vino non consecrato, vel cum aqua.

His tamen non obstantibus absolutè affirmatiuam sententiam tenet aduersùs Suarez ex Theologis Salmaticensibus Petrus Ochagauia *de Sacrament.tract.2.de Euch.effectibus.q.18. num.9.* vbi sic ait. Cùm infirmus in tali esset casu constitutus, quòd hostiam consecratam traiicere in stomachum non posset, si vinum tamen consecratum traiicere rectè posset, Suarez sentit non posse Sacerdotem tunc temporis ministrare speciem sanguinis, ne præbeatur occasio indiscretis Ministris frangendi eam legem, quæ prohibet communionem sub specie vini; quare asserit iste Doctor tunc infirmum non obligari pręcepto Eucharistię. Sed probabilius mihi videtur cum recentioribus debere tunc ministrari Sacramentum sub specie vini. Probatur ex eo, quia tunc in articulo mortis obligat præceptum diuinum Eucharistiæ, quod præterendum est humano præcepto de non sumenda specie vini à laicis. Ministri autem sibi consulant in quibus casibus possint præbere sacramentum Eucharistiæ sub speciebus vini. Ita Ochagauia, cui adde Didacum Nugnum *in 3.part.tom.1.q.80.art.12.concl.3.* qui tamen putat in casu contingenti adhibendum esse consensum Episcopi.

Sed quidquid sit de hoc casu, certum est contra Sotum *in 4. dist. 13. q. 2.art.6.* si contingat Sacerdotem sacrificantem mori post consecratum, & ante assumptum sanguinem, nullumque adesse Sacerdotem, à quo possit consumi, posse laicum sumere sanguinem si seruari non possit, nisi cum periculo, vt species acescerent, & corrumperentur, aut in manus infidelium deuenirent, aut aliquid simile. Ita Vasquez *in 3.part.tom.3.disput.216.cap.4. num.47.* & alij *vt suprà.*

Resol. XXXV. *An Sacerdos non ieiunus posit celebrare Missam pro consecranda particula ad communicandum moribundum?*

NEgatiuam sententiam docet Nugnus *tom. 1. in 3. part. q. 80. art. 8.* Marchantius *de Sacram. in resol. qq. pastor. de Euchar. tract. 4. c. 2. q. 4. cas. 5.* Tannerus *tom. 4. disp. 5. q. 8. dub. 4. n. 87.* Hurtadus *de sacram. Eucharist. disp. 9. diffic. 17.* Præpositus *in 3. part. q. 80. art. 8. dub. 2. n. 47.* Mercerus *de Sacr. in 3. part. q. 80. art. 8.* & Ochagauia *de Sacram. tract. 2. de Euch. q. 12. nu. 13.* vbi sic ait. Nec pro communicando ægroto in extremis licet Sacerdoti non ieiuno Missam celebrare; quia licet præceptum non communicandi in ægritudine sit diuinum, & præceptum de seruando ieiunio ante communionem sit Ecclesiasticum; ægrotus in hoc casu non tenetur communicare, quia tunc nullam habuit copiam Sacramenti, Sacerdos verò non tenetur ei ministrare Sacramentum in eo casu, quia solùm illud potest ministrare iuxta ritum & ordinem Ecclesiæ; Ecclesia verò solùm ostendit debere Sacerdotem celebrare ieiunum cum vestibus sacris, &c. & hunc ordinem seruare magis interest, quàm sine illo exhibere Sacramentum, quod tunc necessarium non est. In quo casu, quia præceptum de ieiunio est iuris communis, non potest Episcopus, vt malè aliqui docent, dispensare. & ideo hanc sententiam præter DD. citatos tenet etiam Kellisonius *in 3. part. tom. 2. quæst. 80. art. 8. cas. 7.* & alij, quos ego ipse citaui *in 1 part. tract. 14. resol. 66.* &, me citato, docet nouissimè Ioannes de Lugo *de sacram. Euch. disput. 15. sect. 3. num. 68.*

Sed ibi pro contraria sententia adduxi Zambranum, Zanardum & Maiorem, quibus nunc addo ex Societate Iesv insignem Theologum Iacobum Granado *de Sacram. in 3. part. contr. 6. tract. 10. disp. 8. n. 12.* vbi sic ait. Vtrùm autem possit Sacerdos celebrare non ieiunus ad communicandum aliquem in articulo mortis, dissensio est. nam licet conueniant Authores id licere Sacerdoti, vt se ipsum in articulo mortis communicaret, plerique tamen negant id posse fieri, vt alteri det Eucharistiam. Suarez licet in hanc communem sententiam magis videatur propendere in illa *disp. 68. sect. 5.* dicit oppositum videri sanè probabile, idque absolutè amplectitur Maior *in 4. dist. 9. q. 3. ad 5.* ait enim licere Sacerdoti post meridiem consecrare, vt deferat Eucharistiam ægroto, consulit tamen vt id faciat non celebrando Missam, & sine vestibus sacris, quod nimia licentia est, & apud Zambranum *c. 3. de Euch. dub. 6.* legi possunt plura in fauorem huius doctrinæ, quæ inde confirmari potest, quòd lex charitatis, vtpote diuina, videtur magis obligare Sacerdotem, vt succurrat morituro, illique det viaticum in maxima necessitate, quàm præceptum Ecclesiasticum ieiunij, quod non obligat in tot casibus hactenus explicatis. Sic etiam alia præcepta non seruantur, vt in extrema hac necessitate succurratur infirmis, potest enim Sacerdos se ipsum morituram extra Missam communicare, si alius Minister desit, potest bis celebrare Sacrum in eodem die ad communicandum infirmum, ergo poterit etiam non ieiunus, ob eamdem rationem, celebrare. Huc vsque Granado, cuius sententiam, quando infirmus moriturus aliud Sacramentum, videlicet Pœnitentiæ, aut extremę Vnctionis suscipere non possit, & scandalum cesset, admittunt Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. 21.* & Faustus *de sacram. Euchar. lib. 1. q. 393.*

Resol. XXXVI. *An Sacerdos non ieiunus posit in articulo mortis celebrare, vt se communicet?*

REspondeo affirmatiuè, si aliunde sacram Eucharistiam habere nequeat, & ita docet Ioannes de Lugo *de sacram. Euch. disp. 15. sect. 4. nu. 69.* vbi sic ait. Si ponatur Sacerdos ipse moriturus, vel occidendus, nec posset aliter viaticum sumere nisi ipse celebret, tunc potest ipse non ieiunus celebrare ad communicandum pro viatico, quia non plus est celebrare, quàm communicare absque ieiunio, quare dispensatus ad hoc, videtur etiam dispensatus ad illud. Idem etiam docet Layman *lib. 5. tract. 4 cap. 6. nu. 20.* & ante illum Zambranus *de sacram. Euchar. cap. 3. dub. 6. num. 1.* vbi sic ait. Sacerdos sine dubio potest celebrare non ieiunus, vt se ipsum communicet propinquum morti vel naturali, vel violentæ. Ita ille. & hanc sententiam videtur etiam docere Nugnus *tom. 1. in 3. part. q. 80. art. 8.* vbi docet quòd præceptum diuinum debet præualere Ecclesiastico, quando vtrumque in eadem persona cadit: sed in nostro casu præceptum diuinum cõmunicandi concurrit in eadem persona cum præcepto Ecclesiastico non sumendi Eucharistiam post cibum: ergo, &c. Sed non desinam hîc adnotare hanc sententiam non approbare, malè tamen, Faustum *de sacram. Euch. lib. 1. q. 393.*

Notandum est etiam hîc obiter quòd necessitas dandi viaticum moribundo sufficit vt Sacerdos, si non habet copiam Confessarij, possit sine confessione celebrare. Et ita ex Suarez & Coninck docet Ioannes de Lugo *de sacr. Euchar. disp. 4. sect. 5. nu. 107.* qui etiam *num. 111.* docet hanc sententiam procedere etiam quoad Sacerdotem excommunicatum, qui pro viatico alteri ministrando, potest absque absolutione celebrare, quando necessitas vrget, sicut potest, vt dictum est, absque confessione id facere, qui mortaliter peccauit. Vide etiam Syluium *in 3. part. q. 80. art. 4. dub. 2.* vbi sic ait: Si Sacerdos, vel laicus sint in periculo mortis, nec adsit qui eos sacramentaliter absoluere valeat, possunt communicare sine confessione: & si non essent hostiæ consecratæ, posset Sacerdos celebrare, non solùm pro sui, sed etiam pro alterius periclitantis necessitate. Sic ille, & ego.

Resol. XXXVII. *An infirmo non ieiuno in periculo mortis posit sæpius viaticum præberi?*

NOn desunt nostræ ętatis prętantissimi Theologi, qui hoc posse minimè fieri constanter doceant, & hi sunt Gamachæus, Doctor Sorbonicus *in summ Theol. tom. 3. de Sacrificio Missæ, c. vlt. circa fin.* Kellisonius *tom. 2. in 3. part. q. 80. art. 8.* Ochagauia *de Sacram. tract. 2. de Euchar. q. 12. num. 10.* Coninck *de Sacram. q. 80. art. 8. num. 52.* Hurtadus *de Sacrament. disp. 9. diffic. 16.* Præpositus *in 3. part. q. 80. art. 8. dub. 2.*

num.

*num.*43. & alij. & ratio est, quia infirmus pro periculo mortis excusatur à prohibitione Ecclesiastica sumendi Eucharistiam post fractionem ieiunij, quando aliter nequit commodè, quia occurrit cum præcepto diuino communicandi pro eo periculo, quod præferendum est dictæ prohibitioni Ecclesiasticæ, sed postquam infirmus semel pro periculo mortis communicauit, ita satisfecit præcepto diuino communicandi, vt pro eodem periculo non teneatur ex diuino illo præcepto iterum communicare, quamuis post primam sumptionem Eucharistiæ mortaliter peccauerit. Ergo postquam infirmus semel pro periculo mortis communicauit, nequit iterum pro eodem perseuerante non ieiunus communicare, quia post primam sumptionem nullum extat diuinum præceptum iterum communicandi, quo excusari possit à prohibitione Ecclesiastica communicandi post fractionem ieiunij. Et ideò hanc sententiam præter DD. citatos tenet Vasquez & Ioannes de la Cruz, quos retuli *in* 1.*part.tract.*14.*resolut.*75.

Sed ibi contraria opinio mihi magis placuit cum multis Doctoribus, quibus nunc addo, me citato, Ioannem de Lugo *de sacr.Eucharist.disp.*15 *sect* 3. *num.*64. Marchantium *in resol.pastor. de Sacr. tract.*4. *c.*2.*q.*4.*cas.*1. Mercerum *de Sacram.q.*80.*art.*8.*num.*3. Tannerum *vbi infrà num.* 85. Fagundez *præc.*3.*lib.*3. *cap.*5.*num.*20. Granadum *in* 3 *part.controu.*6.*tract.*10. *disput.*8.*num.*9 vbi rectè ex Suarez notat, quòd licet infirmus expectare posset ieiunus per vnam aut alteram horam post mediam noctem, adhuc non esse obligationem in ea intempestiua hora sumendi Eucharistiam, sed posse differri ad aliud tempus, in quo non sit ieiunus: quod etiam docet Tannerus *tom.*3.*disp.*5.*q* 8 *dub.*4.*num.*84. Quænam verò temporis intercapedo sit adhibenda in tali casu inter vnam & alteram communionem, vide me ipsum *in* 1.*part.tract.*14.*resol.*77. *& in* 3.*part. tract.*4. *resol.*44.

RESOL. XXXVIII. *An damnato ad mortem sit danda Eucharistia, etiamsi non sit ieiunus?*

REspondeo affirmatiuè cum Zambrano *de sacr. Euchar.cap.*3 *dub.*8.*num.*6. vbi citat Nauarrum, Suarez, Henriquez, Sà, & alios, quibus ego addo Ioannem de Lugo *de sacram.Eucharist.disp.* 15. *sect.*4. *num.*72. Fagundez *præc* 3 *lib.*3. *cap.*5. *nu.*21. Præpositum *in* 3.*part.q* 80 *art.*8. *dub.*2. *num* 42. Granadum *de sacram.in* 3.*part.controu.*6.*tract.*10.*disput.*8. *num.*9. Tannerum *tom* 4.*disput.*5.*q.*8 *dub.*4. *nu.*84. & Hurtadum *de sacram.Euchar.disput.*9.*difficult.*16. quia supradicti tenentur ex præcepto, cùm sint in articulo mortis, sumere communionem, neque violenta mors tollit eis hanc obligationem, si iudex alium diem pro executione expectare nolit.

Nec valet dicere indecenter recipi Eucharistiã in die ipso quo reus iustificandus est, nam ego hanc sententiam *in* 3. *part. tract.* 6. *resol.*59. satis reprobaui, & reprobat Sancius *in selectis disput.* 40. *num.*4. & alij penes ipsum, qui quidem notat, quòd quamuis pridie ad mortem esset sumpta Eucharistia à damnato, si tamen deuotionis causa ipso die mortis vellet iterum communicare, minùs pium esset communionem impedire; imò pij iudices ad suscipiendam hortari deberent, vt puniendi tolerabiliùs mortẽ patiantur, & dæmonis tentationes illa hora maximè turbantes faciliùs superent. Et quamuis lex Castellæ conuenientius iudicet ipso die mortis Eucharistiam non ministrari damnatis ob reuerentiam Sacramenti, contrarium fortè decerneret modò ad vtilitatem damnati animaduertens. Nec ex eo reuerentia Sacramenti minuitur, cùm Christus illud instituerit ad nostram vtilitatem: & non cohærent, irreuerenter suscipi, & ob nostram vtilitatem sumi, si aliàs communicans debitam dispositionem habeat. Vellem hæc à Principibus, iudicibus & Magistris prænotari. Ita Sancius. Vnde ego in praxi, si iustitia rei differri non posset, illum communicarem, etiamsi post horam ad patibulum esset ducendus. Ita Sancius *loco citat.* & ego ipse, *vbi suprà*, omnino videndus. Notandũ est etiam hic obiter, quòd reo expetenti, vel non recusanti confessionem, & Eucharistiam, iudex ad confitenda peccata, & ad Eucharistiam recipiendam tenetur dare sufficiens tempus. Patet, nam *in Clementina cùm secundùm, de pœnit. & remiss.* præcipitur Episcopis, vt suadeant iudicibus, &, si necesse sit, compellant eos ad concedendum tempus sufficiens ad confessionem sacramentalem efficiendã. Eadem autem est ratio de Eucharistia, quia quando dicitur non denegandam pœnitentiam, aut concedendam pœnitentiam, hoc est, Pœnitentiæ sacramentum, consequenter intelligitur neque etiam Eucharistiam esse denegandam, vt patet ex *cap. quod in te, de pœnitent. & remiss.* ibi in illo verbo, *per quod pœnitentiam morientibus non denegamus*, viaticum etiam, quod verè pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus. Imò reo non est denegandum prædictum tempus, etiamsi timeatur inde fore, vt eripiatur è carcere. Ita docet Syluester *ver. iudex primo, quæst.*11. *dicto* 6. & Petrus Nauarrus *lib.*2. *de restit. cap.*3.*num.*226. Tum, quia d. Clement. absolutè præcipit iudices esse compellendos, tum quia minùs inconueniens videtur dicta ereptio quæ reparari potest, quàm æterna damnatio quæ non potest reparari. Quòd si ex tali ereptione non timeatur damnum Reipublicæ, & sit spes, quòd recipiet Eucharistiam differendo suspendium, & confitebitur intra tres dies vel quatuor, differendum est supplicium ex lege charitatis, vt succurratur ruinæ spirituali proximi. Et hæc omnia docet Ochagauia *de Sacram.tract.de Euchar.q.*14.*num.*10.

RESOL. XXXIX. *An pro euitando mortis periculo possit quis celebrare non ieiunus?*

AD hanc quæstionem respondeo non posse Sacerdotem in eo casu celebrare Missam, cùm celebratio exigeretur in contemptum Ecclesiæ, & præceptorum eius, quia tunc esset intrinsecè mala; quando verò exigeretur ad alios fines, vt ad audiendam Missam, tunc respondemus secundò cum Sylueſtro *in sum. ver. Eucharistia* 2.*num.*10. posse Sacerdotem in eo casu celebrare, quia iura positiua excusant à culpa eos, qui in his strictis casibus agunt contra sua statuta, quod potest probari à simili: nam qui excommunicatus etiam nominatim

denuntiatus ob fugiendum mortis periculum celebraret,non peccaret,vt constat ex *cap. Clerici, de Clerico excommunicato ministrante*, in quo culpa temeritatis requiritur ad hoc vt affectus censura Ecclesiastica celebrando peccet, quæ temeritas non reperitur instante ea necessitate;ergo etiam Sacerdos non ieiunus,qui prædicta necessitate coactus celebraret,excusaretur à culpa. Secúdò probatur, quia præcepta positiua Ecclesiæ non obligant cum tanto rigore:neque obstat *cap. Apostolicæ, de Clerico excommunicato ministrante*.in quo denotatur suspensum celebrantem cum ignorantia,peccatum committere. Respondetur enim ibi esse sermonem de ignorantia culpabili , quam quisque debuit tollere,quamque textus ille appellauit crassam & supinam,aut erroneam,cum qua non est mirum hominem peccare celebrando, si eo modo ignorauit suspensionem.At verò ex hoc non sequitur peccatum committere eum , qui censura aliqua ligatus celebrat ad euadendam mortem, quia tunc est in maxima necessitate constitutus,& eadem est ratio de celebrante ad euadendum simile periculum cùm ieiunus non est.Hæc Ochagauia *de Sacramentis,tract.2.de Eucharistia,quæst.12.n.15.*

Resol. XL. *An pro communicando infirmo periclitante liceat in mari celebrare Missam, & an hoc etiam sit licitum in diebus festiuis?*

COmmuniter Doctores negatiuam sententiam tenent,tum ob consuetudinem, tum ob periculum versandi sanguinem, tum quia vix est locus honestus in mari, in quo decenter Sacerdos possit Missam celebrare.Ita D.Anton *part.3.tit.13.cap.6.§.4.*Nauarrus *cap.25.num 82.* Suarez *in 3.part. tom.3. disp.81.sect.3.*Kellisonius *in 3.part.quæst.83.art.3.dub.1.* Angelus *ver.Missa,n.40.* Syluester *eodem ver.quæst 5. dict.2.* Vasquez *in 3. par.tom.3.disp.233.c.1.§.cæterum.* Præpositus *in 3.part. quæst.83. art.3. dub.1. num.148.* Tannerus *tom.4.disp.5.quæst.10.dub.2.nu.28.*Armilla *ver.Missa. §.4.*Sotus *in 4.dist.23. art.3.* & *ibi* Paludanus *quæst.2.*& Villalobos *in sum.tom.1.tract.8. diffic. 23.num.4.*Lezzana *in qq.regular.c.71.num.16.* Filliucius *tom.1.tract.5. cap.4. num.116.* Molfesius *in sum. tom.1.tract.3.cap.10.num.32.*Reginaldus *tom.2.li.29. cap.7. sect.3. numer.179.* Homobonus *in exam.Eccles. part.1.tract.4. c.14. quæs.137.* Azorius *p.1.lib.10.c.26. quæs 6.* Pitigianus *in 4.tom.1.dist.13. quæst.2. artic.2.* Ioan.de la Cruz *in direct.consc.part.2.quæs.3. de sacrificio Missæ,dub.1.concl.2.* Chamerota *de Sacram.tract. 4.de sacrificio Missæ, dub.15.* Tabiena *ver. Missa* , §. 8. Summa Astensis *par.1.lib.4.tit.14.art 4.quæst.2.* Bartholomæus ab Angelis *in exam. Confess.dial.5.§.620.* Zanardus *in direct.Theol.part.1.de sacram.Euchar.c.14.* Ledesma *in sum.tom.1.tract.de sacramento Eucharistiæ, cap 20.dub.4.*Henriquez *lib.9.cap.27.§.3.*Faustus *de Euchar.lib.2.quæst.173.*

His tamen non obstantibus,non desunt Doctores affirmatiuam sententiam docentes , & ita nouissimè hanc sententiam tenet Iacobus Granado *in 1.part. D.Thom. de Sacram.contr.6.tract.14.disp.13. num.2 & seq.*vbi citat Durandum *in ration.lib.4.c.1. num.41.*Scortiam *de sacrificio Missæ , lib.2.cap.13.nu.5.* Valterum *de triplici cœna cap.4. cœna 3.* quibus ego addo ex eadem Societate Paulum Laymã *in Theol. moral.lib 5.tract.5.cap.5 num.6.*Gasparem Hurtadum *de Sacram.disp.4.de sacr.ficto Missæ,diffic.5.* vide etiam Sà,& Graffium , quos citat, & videtur sequi Mercerus *de Sacram.quæst.83.art.3. propos.1.* Itaque si in flumine,aut mari magna tranquillitas sentiatur, vt nullum sit procellæ aut tempestatis indicium, vel quidquam aliud,quod nauim vel triremem possit in vnam vel alteram partẽ notabiliter mouere, & aliunde præter celebrantem sit alius Sacerdos,qui manu firmiter teneat Calicem post consecrationem, non videtur , moraliter loquendo, accidere posse,vt in eo breui tempore, quod est à consecratione ad sumptionem,accidat sanguinis effusio; & si præter spem in rarissimo casu eueniret,non ideò priuandi sunt nautæ in mari diebus festiuis , & in mortis articulo,tam singulari solatio & remedio.

Adde quòd in triremi , vel in naui , præsertim magna,potest facilè designari non minùs,sed magis fortasse decens, quàm multa Oratoria in quibus celebrari solet,& quàm tentoria, & maris littora vbi necessitate vrgente celebratur , & ipsa platea nauigij potest mundari & ornari , odoriferisque rebus dissici fœtor picis , vel alius quilibet malus odor. Et , quod hac in re præcipuum est, erigi potest Altare,quod ornetur sericis ornamentis , mappisque mundissimis , vbi Altare portatile reponatur cum suis corporalibus, & vestibus non minùs pretiosis, quàm quæ sunt in Ecclesiis, & sacellis. Vnde patet responsio ad rationes, quæ pro contraria sententia adducuntur.

Nota tamen quòd Coninck *de Sacram. quæst.83. art.3 dub.1.num.226.* docet per nullum inferiorem Papã , ob quamcumque necessitatem posse alicui concedi facultatem celebrandi in naui existente in mari, aut flumine, posse tamen hanc licentiam Papam concedere, tradit etiam Turrianus *in sum. part.2.cap.70. dub.1. conclus.4.* Verùm Iacobus Granado *vbi suprà num.6.* tenet hanc licentiam posse in casu necessitatis concedere Episcopum cum cautione iam declarata, quã tamen non facilè ait esse concedendam, nec cuiuslibet Sacerdoris, aut nautæ iudicio committendam, cùm res sit magni momenti.Necessitas autem erit, ne magna multitudo in nauigiis non audiat Sacrum diebus festiuis, cùm ad terram descendere nequeat, aut infirmitas aliquorum , qui sine viatico discederent, si non celebraretur in mari.

Nota etiam ex dictis , licere etiam deferre sacram Eucharistiam in nauigiis, quia id minus difficultatis habet, dummodò capacitas sit sufficiens, vt locus decens & separatus illi designetur. Ita Iacobus Granado *loco cit.num.7.* Et omnia superiùs dicta in præsenti resolutione , dicta esse volo ex mente supradictorum Authorum: quibus adde nouissimè post hæc scripta visum Ioannem de Lugo *de sacram.Euchar.disp.20.sect.3.num.80.* adi illum, & non pigebit,etenim doctè,vt semper solet,hanc pertractat quæstionem.

RESOL. XLI. *An qui paulò ante, v.g. 8. vel 15. dies communicauerat, teneatur iterum in articulo mortis communicare?*

NEgatiuam sententiam docet Marchantius *de Sacram. in resol. qq. pastoral. de Eucharist. tract. 4. cap. 1. quæs. 2. & tract. 6. sect. 3. fol. 387.* Paludan. *in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 2.* Angelus *ver. Eucharistia* 3. Tannerus *tom. 4. disp. 5. quæst. 8. dub. 5. num. 110.* Reginaldus *tom. 2. lib. 29. num. 65.* Iacobus Granado *de Sacram. in 3. part. contr. 6. tract. 10. disp. 3. num. 9.* Henriquez *lib. 8. cap. 5. num. 3.* Mercerus *de Sacram in 3. part. quæst. 80. art. 11.* Chapeauilla *de sacram. Euchar. q. 10.* & alij. & ratio est, quia tunc præceptum sumendi Eucharistiam tempore mortis, videtur moraliter impletũ; & hanc sententiam nouissimè, me citato, docet Ioannes de Lugo *de sacram. Euchar. disp. 16. sect. 2. nu. 37.*

Sed licet suprà cum Vasquez & aliis contrariam docuerim sententiam, non audeo tamen hanc, tamquam improbabilem, damnare, quam ego alibi tamquam probabilem etiam docui, propter Doctorum multitudinem in eam conspirantem, & quia rationibus Vasquez à me suprà adductis aliquo modo potest satisfieri; quamuis enim ante morbum non vrgeat præceptum, si tamen tam paruo intercedente interuallo sumpta sit Eucharistia, potest dici sumptum re ipsa viaticum, & quod est vtile pro vnione, & confortatione in morbo, & proinde cessare obligationem vlterioris communionis. Quemadmodũ si quis creditori obligetur tantùm post annum centum reddere, si reddat ante tempus obligationis, omnino liberatur à debito, aliter se res habet in aliis præceptis, in quibus omnium iudicio est onus tẽpori annexum. Et ita hanc sententiam probabilem esse admittit Prępositus *in 3. part. quæst. 80. art. 11. dub. 1. n. 54.* Verùm magis difficilis quæstio resoluenda est, ideo quæro,

RESOL. XLII. *An qui sumpsit Eucharistiam tempore Paschatis, teneatur sub mortali illam sumere in articulo mortis?*

SEcluso contemptu negatiuè respondet Caietanus, Armilla, & Sà, quos citaui *in 3. part. tract. 4. resol. 40.* quibus nunc addo Martinum Ledesmam *in 1. part. q. 21. art. 2. dub. 11.* Victoriam *in sum. nu. 86.* & hanc sententiã probabilem esse docet ex Suarez Adamus Tannerus *tom. 4. disp. 5. quæst. 8. dub. 5. n. 109.*

Verùm ego contrariam sententiam teneo cum Granado *de Sacram. in 3. part. contr. 6. tract. 10. disp. 3. num. 9.* Prępositio *in 3. part. quæst. 80. art. 11. dub. 1. n. 54.* Hurtado *de sacr. Euchar. disp. 10. diffic. 2.* & aliis. Dico igitur quòd si quis in Paschate communicauit, qui post menses incidat in mortis periculum, per similem communionem non satisfaciet obligationi communicandi in articulo mortis, quia ea communio morali iudicio non potest dici habere rationem viatici; vnde si quis data copia communicandi negligat, mortaliter peccat, & qui ita se gereret, malè audiret.

Et pro suprà dictorum confirmatione, nota, quòd adest præceptum diuinum, quod obligat sumendi Eucharistiam tempore mortis, etiamsi tempore Paschatis fuerit sumpta. Ita contra Caietanum, Syluestrum, Armillam & alios docent Hurtadus *vbi suprà*, & communiter DD. ita vt Ochagauia *de Sacram. tract. 2. de Eucharistia, q. 14. num. 4.* asserat hanc sententiam neminem sine temeritate negare posse. Probatur hæc opinio ex Concilio Carthag. IV. *can. 77.* quod à Leone IV. approbatum fuit, dum absolutè, & absque vlla limitatione præcipitur eis, qui in infirmitate, (subintellige periculosa) sint, vt viaticum accipiant, & non leuiter deducitur ex Concilio Nicæno I. *can. 12.* qui refertur *can. de his 26. quæst. 6.* dum Eucharistia sumenda in fine vitæ dicitur viaticum necessarium, & ex consuetudine Ecclesiæ, in qua Eucharistia in articulo mortis sumitur, tanquam quid ex obligatione necessarium, etiamsi tempore Paschatis sumpta fuerit. Consuetudo autem, qua aliquid fit tanquam ex obligatione necessarium; vel supponit præceptum antea latum, vel si non supponit, ipsa consuetudine introducitur.

RESOL. XLIII. *An qui in articulo mortis sumpsit viaticum, teneatur iterum illud sumere, si peccauit mortaliter?*

AFfirmatiuam sententiam docet Sotus *in 4. dist. 12. q. 1. art. 11.* Tabiena *ver. communio, nu. 16.* Armilla *eodem ver. nu. 11.* Sed ego negatiuè respondeo cum Hurtado *de sacram. Euchar. disp. 10. diffic. 2.* Kellisonio *tom. 2. in 3. part. quæst. 80. art. 11. not. 2.* Ioanne de Lugo *de sacram. Euchar. disp. 16. sect. 3. n. 46.* & Ochagauia *de Sacram. tract. 2. de Euchar. quæst. 14. n. 8.* quia est maxima differentia inter sacramentum Eucharistiæ, & sacramentum Pœnitentiæ. Nam si quis in articulo mortis semel susceperit absolutionem sacramentalem, vt satisfaciat præcepto illius temporis, & postea peccet mortaliter in eodem articulo, tenetur iterum recipere absolutionẽ sacramentalem, quia talis absolutio est medium necessarium ad salutem pro omni tempore, quo quis lapsus sit in peccatum mortale. At verò si quis in articulo mortis receperit Eucharistiam, non tenetur eam iterum in eodem articulo recipere, licet postea inciderit in graue peccatum, quia Eucharistia non est necessaria necessitate medij ad salutem, sed solùm necessitate præcepti, quod præceptum imponitur in articulo mortis, vt Eucharistia sumatur tamquã viaticum, & in memoriam passionis Christi, quod cùm iam semel præstitum sit præceptum, iam deinceps non obligat pro illo articulo, sed pro alio.

RESOL. XLIV. *An Eucharistia danda sit in articulo mortis puero capaci rationis, & confessionis?*

AFfirmatiuè respondeo cum Prępositio *in 3. part. quæst. vnic. de sacram. extremæ Vnctionis, dub. 7. n. 58.* Caietano *in summa ver. communionis minister, in fine.* Armilla *ver. communio, nu. 10.* Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 79. sect. 1. in fine.* Castro Palao *tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 24. §. 2. num. 7.* Perlino fusè *de sacro Conuiuio, dist. 2. cap. 5. per totum.* Baldello *tom. 1. lib. 5. disp. 30. num. 16.* Salas *de legibus, disput. 14. sect. 13. num. 127.* Bonacina *de Sacram. disp. 4. quæst. 7. punct. 2.* Reginaldo *tom. 2. lib. 29. nu. 82.* Henriquez *lib. 8. cap. 42. nu. 4.* Zambrano *de sacram. Eucharistiæ, cap. 3. dub. 2. num. 14.* Nugno *tom. 1. in 3. part. quæst. 80. art. 11. diffic. 2. ad 3.*

Fausto

Fausto *de sacram. Eucharistiæ, lib.* 1 *quæst.* 262. Tannero *tom.* 4 *disp.* 5 *quæst.* 8. *dub.* 5 *num.* 116. & aliis asserentibus, puerum præditum vsu rationis, capacem confessionis, & extremæ Vnctionis teneri ex præcepto diuino communicare in articulo mortis. Et ratio est, quia præceptum communicandi in articulo mortis est præceptum diuinum, vt constat ex dictis, quod præceptum ab Ecclesia nō limitatur; ergo ex præcepto diuino tenetur in articulo mortis communicare; quamuis nondum teneatur ex præcepto Ecclesiæ. & hanc sententiam ita mordicus tenet Arboleda *in pract. sacram. Euchar. not.* 13. vt dicat nullū esse auctorem, qui contrariam teneat.

Sed immeritò quidem; non enim desunt Authores, & præstantissimi quidem, contrariam sententiam asserentes, vt Ochagauia *de Sacram. tract.* 2. *de Euch. quæst.* 14. *num.* 11. Kellisonius *tom.* 2. *in* 3 *part. q.* 80. *art.* 11. *in fine.* Corduba *in summa quæst.* 60. Præpositus *in* 3 *part. q* 80. *art.* 11. *dub.* 1. *n.* 56. Vasquez *in* 3. *part. tom.* 3. *disp* 214 *cap.* 4. *nu.* 40. & Hurtadus *de sacramento Eucharistiæ, disp.* 10 *diffic.* 4. vbi sic ait. Obseruandum est pueris priùs aduenire tempus obligationis præcepti confessionis, quàm Eucharistiæ adhuc pro articulo mortis sumēdæ, quia minor discretio sufficit, vt quis confiteri, quàm cōmunicare teneatur, quia ad obligationem confitendi sufficit, vt quis sic inter malum & bonū discernat, vt possit mortaliter peccare, ad quod minor discretio sufficit, quàm ad perfectè discernendum inter panem cæleſtem & communem, & ad iudicandū de præparatione ad illum panem cæleſtem dignè recipiendum requisita, quod requiritur ad obligationem communicādi adhuc in articulo mortis. Vnde contingere potest, vt puer in articulo mortis existens teneatur confiteri, & non teneatur communicare. Hęc Hurtadus. Cui etiam adde nouissimè Ludouicū Mæratium *in D. Thom. tom.* 3. *tract. de Euchar disp.* 35. *sect.* 4. *n.* 5. & Iacobum Granadum *de Sacrament. in* 3. *part contr.* 6. *tract.* 10. *disp.* 3. *n.* 11. iuncta *disp.* 4 *n.* 2. Verùm quia sententia affirmatiua tot habet Auctores, tutò in praxi deduci potest, illamq; nouissimè docet Ioannes de Lugo *de sacrament. Euchar. disp.* 13. *sect.* 5. *num.* 37. qui etiam *num.* 44 plus addit, (attendas quæso amice Lector) nempe pueris posse dari Eucharistiam, etiam quando dubitatur an sint doli capaces, & discernant sufficienter hoc Sacramentum, quod etiam ante illum inuenio docuisse Posseuinum *de officio Curati, cap* 8. *n.* 10.

Resol. XLV. *An infidelis in articulo mortis naturali, vel violento, conuersus ad fidem statim post Baptismum sit communicandus?*

Respondeo affirmatiuè: instruatur igitur infidelis in tali casu eo modo, quo fieri potest, & post Baptismum ei sacra Eucharistia porrigatur, & ita ex plurimis rationibus docet Ioannes Sancius *in selectis disp.* 40 *n.* 3. *& seq.*

Resol. XLVI. *An qui in amentiam & phreneſim inciderunt, sint in articulo mortis communicandi?*

NEgatiuam sententiam docet Emanuël Sà *ver. Eucharistia, num.* 3. vbi sic ait. Non est in vsu vt amentibus etiam in mortis periculo detur Eucharistia ob irreuerentiæ periculum. Ita ille, & ante illum Molanus *de Eucharistia, tract.* 4 *cap.* 8. Sed ego puto considerandum esse, verēne subsit tale periculum, vt benè obseruat Syluius *in* 3. *part. quæst.* 80. *art.* 1. & ideò, quòd si is, qui in amentiam incidit, fuit aliquando sui compos, & tunc Eucharistiam aliquo modo desiderauit, porrigenda est illi in mortis articulo, & ita præcipitur in Concil. Carthagin. IV. *cap.* 76. & Arausicano I *can* 3. vt refertur *can. his qui, & can. qui recedunt* 26. *quæst.* 6. & ita fieri supponitur in Concilio Toletano XI. *cap.* 11. Accedit denique ratio, quia in eiusmodi hominibus est virtualis saltem deuotio erga Eucharistiam, & magnam ex eius perceptione vtilitatē percipere possunt. ergo in mortis articulo illis tribuenda est, quando nimirum diuino præcepto ad Eucharistiā accedere tenebantur: extra articulum verò mortis non est illis concedenda, quia neque Doctores, nec Ecclesiæ vsus id permittunt.

Notat etiam S. Thom. si in articulo mortis timeatur periculum vomitus, vel expuitionis Eucharistiæ, non esse illis porrigendā, quia sacramentum nō est absolutè necessariū in re ipsa, & aliunde eius excellentia postulat vt quàm reuerenter tractetur.

Quæret verò quispiam non immeritò, quid requiratur vt eiusmodi amentes censeantur Eucharistiam desiderasse, quando erant sui compotes, & sic esse dispositi ad communionem.

Respōdetur in primis necessarium esse vt quādo in amentiam inciderunt, non constet eos fuisse aliqua graui culpa infectos, quia cùm in amentia non potuerint eam expiare, absolutè censentur indigni hoc Sacramento; si verò sint baptizati, & Christianam vitam egerint, nec constet de tali graui culpa, eo ipso pietas Ecclesiæ iudicat eos esse sufficienter dispositos ad Eucharistiam, & aliqua ratione virtualiter ipsam Eucharistiam desiderasse. & hæc omnia docet Granadus *de Sacram. in* 3. *part. contr.* 6. *tractat.* 10. *disp* 5. *num.* 3. *&* 4. vbi citat D. Thomam, Sotum, & Valētiam, quibus ego addo Ioannem de Lugo *de sacrament. Eucharist disp* 13. *sect.* 3. *nu.* 24. *&* 25. Marchantium *in resol. pastor. de Sacrament. tract.* 4 *cap* 3 *quæs* 1. *cas.* 1. Reginaldum *tom.* 2. *lib.* 29. *n.* 79. Suarez *in* 3 *part. tom.* 3. *disp.* 69. *sect.* 2. Vasquez *disp.* 214. *nu.* 33. Kellisonium *tom.* 2. *in* 3. *part. quæst.* 80. *art.* 11 *dub* 1. *n.* 56. Mæratium *tom.* 5. *de sacram. Euchar. disp* 35. *sect.* 4. *n.* 2. Chapeauillam *de sacram. Euchar. q.* 8. qui docet in tali casu posse hostiam in vino præberi infirmo, vel, vt alibi diximus, *in* 1. *part tract.* 14. *resol.* 78. sumatur particula non consecrata, & detur infirmo amenti, qui illam deglutiat, detur postea particula consecrata. & ita docet Zambranus *de sacram. Euchar. dub.* 4. *c.* 3. *n* 5. &, me citato, nouissimè Ioannes Sancius *in selectis disp.* 38. *n.* 2. *&* 3.

Resol. XLVII. *An laicus in articulo mortis, si Sacerdos non adsit, possit se ipsum communicare, vel alios?*

NEgatiuam sententiam docet Hurtadus *de sacram. Euchar. disp.* 11. *diffic* 3. Præpositus *in* 3. *part. q* 82. *art.* 3. *dub.* 1. *num.* 11. Faustus *de sacra Euchar. lib.* 1. *q.* 112. Tannerus *tom.* 4. *disp.* 5 *quæst.* 8. *dub.* 8. *num.* 182. Fagundez *pr.* 3. *lib* 3. *cap.* 1. *num.* 10. & Ochagauia *de Sacram. tract.* 3. *de Euchar. quæst.* 4. *num.* 7. Probatur ex

canone

canone 38. *Concilij Carthag.* vbi cùm solùm in casu necessitatis concedatur facultas ministrandi sacramentum Diacono, expressè videtur etiam in casu necessitatis denegatam fuisse facultatem Subdiaconis & alijs inferioribus ministrandi hoc sacramentum aliis. Huius autem conclusionis ea est ratio, quia cùm hoc sacramentum non sit medium necessarium ad salutem, potiùs seruandum est ius humanum constituens ministrum legitimũ huius sacramenti, quàm ministrando illud in articulo mortis ad augendam gratiam ægroti, quia præceptum diuinum Eucharistię in eo casu non obligat. Quod ex eo apparet satis esse probabile, quia aliàs ne ægrotus isto augmento gratię priuaretur, & vt impleret præceptum Eucharistiæ, posset Sacerdos sine veste sacra, & extra officium Missæ sacramentum Eucharistiæ conficere, quia hæc tantùm sunt constituta de iure humano, quod nullus audebit affirmare. Aliqui recentiores aduersantur huic conclusioni, & opponunt nobis Reginam Scotiæ, quæ cùm ad martyrium duceretur, Eucharistiam, quam seruauerat, deuotè sumpsit. Verumtamen propter hęc nostram resolutionem deserere non debemus, huiusmodi enim Regina potuit sibi Eucharistiam dispensare, vel bona fide credens id sibi licere, vel media dispensatione ad id concessa. Huc vsque Ochagauia.

Sed ego cum multis Doctoribus *in 3. part. tract. 4. resol.* 47. affirmatiuam sententiam tenui, quam probabilem esse fatentur ipsimet aduersarij, vt Faustus, Tannerus, & Præpositus *vbi suprà* Et hanc sententiã tenent etiam Mercerus *de Sacram. qu.* 82. *artic 3. numer. 3.* Chapeauilla *de sacram. Eucharistiæ, quæst.* 6. Reginald *tom. 2. lib. 29. cap. 5. quæs 5. num. 93.* &, qui apud me instar multorum est, Iacobus Granado *de Sacram. in 3 part. contr. 6. tract. 12. disp. 1 nu. 4.* vbi contra Sotum, Henriquez, Syluestrum, & alios docet probabile esse non solùm Subdiaconum, sed etiam laicum infirmo morienti posse dispẽsare Eucharistiam, quia licet ministrare Eucharistiã ex officio conueniat soli Sacerdoti, non constat ex diuino iure prohibitum laico in casu necessitatis, & sine solemnitate. Ius verò Canonicũ id non prohibuit in simili necessitate, nam licet administratio Eucharistiæ absolutè prohibeatur laicis in illo canone *Peruenit*, eodem modo prohibetur omnibus qui non sunt Sacerdotes: ergo sicut Diaconi excipiuntur in necessitate, excipi poterunt laici, vt succurratur infirmo morienti. Confirmatur primò, quia olim Eucharistia per laicos deferebatur ad infirmos, vt testatur Eusebius *lib. 6 hist. c.* 34. ergo eodẽ modo liceret in extrema necessitate, etiam si Sacerdos eam non mitteret. Confirmatur secundò, quia propter periculum irreuerentiæ potest laicus Eucharistiam tangere, imò & se ipsum communicare, ne Eucharistia veniat in manus infidelium, à quibus indignè tractetur: ergo etiam ad succurrendum infirmo morituro licebit laico tangere, & dispensare sacram Eucharistiam. Ex quo sequitur, posse laicum in mortis articulo sibi ipsi porrigere Eucharistiam. Et hæc omnia docet Iacobus Granado *vbi suprà*. Vnde satis remanet probabilis sententia affirmatiua, quam ego olim docui, licet contra me insurgat nouissimè Pater Ioannes de Lugo *de sacramento Eucharistiæ, disp. 18. sect. 1. n. 22.* Sed, vt dixi, nostra sententia est satis probabilis.

Nota etiam, laicum in tali casu ministrantem Eucharistiam moribundo in statu peccati mortalis, non peccare mortaliter. Ita Suarez, vt obseruat Tannerus *vbi suprà*, & docet etiam Chapeauilla, & apud me certum est, qui teneo etiã Sacerdotes Eucharistiam ministrantes in peccato mortali, non peccare mortaliter. Vide Ochagauiam *de Sacramentis, tract. de Eucharistia quæst. vlt. n. 2.*

RESOL. XLVIII. *An Sacerdos in articulo mortis debeat sibi ipsi ministrare Eucharistiam si Diaconus adsit?*

AD hunc casum ita respondet Præpositus *in 3. part. quæst. 82. art. 3. dub. 1. nu. 11.* Petes, an si Sacerdos ægrotet, nec adsit alius Sacerdos qui ei ministret Eucharistiam, possit Diaconus illi ministrare? Aliqui negant. Sed respondetur posse, quia est magis congruum vt Diaconus ministret, quàm vt ægrotus propriis manibus sumat. Ita ille. Sed Durandus *in 4. dist. 13. quæst. 4.* & Chapeauilla *de sacram. Euchar. quæst. 17.* putat in tali casu Sacerdotem propriis manibus debere accipere Eucharistiam. At mihi magis placet prima opinio: vnde Ochagauia *de Sacram. tract. 3. de Euchar. quæst. 4. num. 6.* sic ait: Si Diaconus sacramẽtum Eucharistiæ alicui Presbytero in casu necessitatis dispensaret, posset illud propriis manibus in os Presbyteri immittere; quia in casu necessitatis (quo nomine comprehendimus eum casum, in quo desit Presbyter, qui possit dispensare Eucharistiam, & adsit ægrotus, qui ratione articuli mortis tenetur Eucharistiam recipere) absolutè conceditur Diacono dispensatio Eucharistiæ, & ex vi suę ordinationis aliquid habet, quo redditur capax huius potestatis delegatæ: ergo suis propriis manibus potest sacramentum in os Presbyteri immittere.

RESOL. XLIX. *An in articulo mortis, si alius non adsit, possit sumi Eucharistia à Sacerdote excommunicato, nominatim publico Clerici percussore, &c.*

VIdetur negatiuè respondendum ex Kellisonio *in 3. part. quæst. 82. art. 3. in fine*, vbi sic ait. Quando periculũ esset, ne aliquis moreretur sine viatico eò quòd Pastor non adsit, nec ab eo possit peti venia, tunc quilibet Sacerdos censura non impeditus posset ministrare. Ita ille. quia licet Eucharistia sit necessaria, non tamen est ita necessaria sicut Baptismus, & Pœnitentia, & ita non debet concedi administratio Eucharistiæ cum indecentia Ministri prohibiti ab Ecclesia.

Sed his non obstantibus, putat Zambranus *de sacram. Euchar. cap. 3. dub. 7. num. 2.* quòd si infirmus periclitans possit recipere Eucharistiam, & non pœnitentiam, nec aliud sacramentum, vt si Sacerdos esset mutus, tunc posset licitè Eucharistiam recipere, etiam ab excommunicato nominatim, & ab alio quocumque, à quo posset recipere in tali articulo absolutionem sacramentalem. Et in hoc tantùm casu admitto sententiam Suarez 3. *part. tom. 3. quæst. 82. art. 3. disp. 72. sect. 4 in fine*, & Ledesmæ *de extrema Vnctione, cap. 5. dub. vlt.* asserentium absolutè

lutè posse recipi Eucharistiam à quocumque ministro, à quo posset recipi absolutio (quæ quidem sententia sic generaliter proposita non est improbabilis, etiamsi possit recipere aliud sacramentũ.) Probatur, quia necessitas caret lege, *cap. sicut, de consecrat. dist.* 1. Sed in dicto casu, in quo non potest recipi aliud sacramentum, est summa necessitas, quia non ita facilè haberi solet vera contritio sine sacramento, ab iis maximè, qui spiritualibus exercitijs non sunt dediti; ergo in tali casu danda est Eucharistia etiam à Ministris aliàs prohibitis. Hac enim ratione verior, & communior sententia, magisque Tridentino conformis id admittit de sacramento Pœnitẽtię pro articulo mortis. Et hæc omnia docet Zambranus *vbi suprà*. Cui adde Chapeauillam *de sacram. Euchar. quæst.* 4. vbi sic ait. Sicut pro sacramento Pœnitentiæ in necessitate vocantur quicumque Sacerdotes, quantumuis præcisi, & hæretici, ita etiam vocari poterunt pro sacramento Eucharistię. Neque hoc in fauorem hęreticorum, & huiusmodi malorum Ministrorum, sed solùm ipsorum fidelium in necessitate existentium, sic enim censurę latæ sunt in odium iniquorum, vt non cedant in grauissimum detrimentum bonorum fidelium. Ita ille, quæ intelligenda sunt seçluso scandalo, aut infamia Religionis.

RESOL. L. *An peste laboranti prope mortem liceat ministrare Eucharistiam super folio pagina, & postea illud comburere?*

AFfirmatiuam sententiam docet nouissimè Iacobus Mancinus *in tract. visitandi infirmos, pract.* 8. *dub.* 18. vbi sic ait. Non erit incongruum cum decenti instrumento, & debita reuerentia absque scandalo hoc sacramentum tempore pestis ministrare. Accedit vsus assiduus, quem tenet Reuerendissimus Dominus D. Petrus de Marchis, Archiepiscopus Smyrn. in sua Diœcesi, in qua assiduè pestis vrget, estque huiusmodi. Post illorum confessionem Sacerdos ponit reuerenter particulã consecratam super folium paginæ albæ extensæ super scabellum ad id paratum, & dictis verbis, Domine non sum dignus, &c. infirmus accedit, & lingua particulam reuerenter sumit, accipitque purificationem. Interim Clericus candela accensa in summitate virgæ paginã comburit, quem vsum probabilem puto, tutaque cõscientia teneri posse tẽpore pestis tantùm, & nouissimè Iacobus Marchantius *de Sacr. tract. 6. de extr. Vnct. lect. 3 fol.* 388. alios modos ponit, & approbat ministrandi Eucharistiam infectis absque quod imponatur ori ab ipso Sacerdote.

Sed ego *in* 4. *part. tract.* 4. *resol.* 114. similes modos ministrandi Eucharistiam infirmis reprobaui, tanquam irreuerentes huic venerabili Sacramento, & ideò pro negatiua sententia *vbi suprà* adduxi Chapeauillam, Marchinum & alios, quibus nunc addo Bartholomæum à S. Fausto *de sacram. Euchar. lib.* 1. *quæst.* 212. vbi sic ait. Infertur non esse licitum tempore pestis Eucharistiam in loco decenti ponere, vt inde ab ipsis peste infectis ore, vel propriis manibus capiatur. Et ratio est, quia hoc est cõtra vsum & praxim Ecclesiæ, quæ praxis, vsus, mos, & consuetudo Ecclesiæ vim legis habet, & quia in maximã cedit irreuerentiã tanti sacramenti. Sic ille. Nec auctoritas Posseuini pro contraria sententia adducta multum valet. Nam ipse *in c.* 9. *nu.* 22. postquam disputatiuè potiùs, quàm resolutiuè vsum huiusmodi instrumenti approbare visus est, tandem hæc verba subiecit. Ego tamen nõ recederẽ à communi vsu Ecclesiæ, qui est ministrare immediatè manu, & qui aliter ageret præter peccatũ posset etiam ab Episcopo puniri. An autem talis mortaliter peccaret dubito, quia contraueniret graui cæremoniæ Ecclesiæ vniuersalis. Hæc Posseuinus. Ad doctrinã verò Archiep. Smyrnensis, respondeo quòd magis præualere debet auctoritas 15. Episcoporum, qui in Conc. V. Mediolanensi à Summo Pontifice approbato modum similem ministrandi Eucharistiam reprobarunt. Et peto à Marchino si in illo folio chartæ forsitã (vt facilius accidere potest,) remaneret aliquod paruum fragmentum particulæ cõsecratæ, ad quid deseruiet combustio? Meritò igitur Chapeauilla *de sacram. Euchar. q.* 33. *& seq.* damnauit hos modos ministrandi Eucharistiam peste infectis; vt qui non audens accedere peste infectũ propter periculum contagionis à longè positus proponit ægris ex mensa ad hoc composita sumendam. Et qui proponit ægris sumẽdam ex scutellis. Nec non ille, qui pani vsuali, & communi inuolutum ministrat. Et ille, qui oblongiori forcipe Eucharistiam tenet, & sic ægro ministrat. Et ille, qui spatulæ oblongiori Eucharistiam infigit, & sic in os peste infecti immittit.

RESOL. LI. *An in articulo mortis absente Parocho, si periculum est in mora, licitum sit Religiosis ministrare viaticum?*

NEgatiuam sententiam docet Toletus *in summ. lib.* 1. *cap.* 36. *num.* 2. vbi sic ait. Secunda excommunicatio habetur *in Clement. Religiosi, de priuil.* vbi Religiosi contrahunt Papalem excommunicationem, qui Clericis, aut laicis sacramentum extremæ Vnctionis, vel Eucharistiæ ministrant, vel matrimonia eorum solemnizant, non habita priùs parochialis Presbyteri licentia speciali; & hoc procedit etiamsi administratio fieret in articulo mortis, secundùm Cardinal. *in d. Clement. quæst.* 1. etiam in defectu Parochi, vt notat Sylvest. *ver. excommun.* 7. *cas.* 14. Ita Toletus, & alij apud Rodriquez *in qq. regul. tom.* 1. *quæst.* 56. *art.* 5. & apud Fagundez *lib.* 3. *pr.* 3. *cap.* 2. *num.* 19.

Sed affirmatiuam sententiam tenendam esse puto, quam tuetur Ioannes Præpositus *in* 3. *part. q.* 82. *art.* 3 *dub.* 2. *num.* 17. vbi explanans dictam Clement. à Toleto adductam, sic ait. Notandum primò eam non habere locum in Religioso ministrante Eucharistiam alteri Religioso, quantumuis in eo peccaret, quia per Clericos passim intelliguntur Clerici seculares parochis subiecti. Notãdum secundò Religiosum bona fide procedentẽ, & ex præsumpto consensu Pastoris præbentem hoc sacramentũ laico, &c. non incidere in Canonem, quantumuis fortè Pastor nõ consentiat, quia canon requirit præsumptionẽ, quæ eo casu non interuenit. Imo ne quidem incidere si procedat ex ignorantia crassa, quia talis ignorãtia nõ sufficit ad præ-

præsumptionem, ad quam requiritur notitia, vel saltem ignorantia affectata ipsius legis, per quam fertur censura. Notandum tertiò neque incurrere censuram eum qui in necessitate ministrat infirmo sacramentum, quia videlicet abest Pastor, vel alius ab eo delegatus, vel quamuis adsit, iniustè negat viaticum, quia in eo casu minister non peccat: nec potest dici præsumere cùm facultatem tacitam ab Ecclesia habeat. Huc vsque Præpositus. Et ita hanc sententiam docet etiam Ioannes de Lugo *de sacram. Euchar. disp.18.sect.2.num.53.* Fagundez *l.3.pr.3. cap.2.num.20.* Hurtadus *de sacram. Euchar.disp.11.diffic.6.* Tannerus *tom.4.disp.5.q.8.dub.8. num.185.* Peyrinus *in priuil. Minim. tom.1. constit.26. Leonis X.§.9.num.15.* Suarez *de Religione tom.4.tract.3. lib.9.cap.3.n.2.* Ochagauia *de Sacram. tract.3.quæst.4. num.14.* qui asserit in tali casu adueniente Parocho non teneri infirmum iterum Eucharistiam ab illo recipere. Vnde rectè infert Zambranus *de sacram. Euchar. cap.3. dub.7.num.7.* Regulares & alios etiam Sacerdotes teneri se conformare nostræ sententiæ, quando infirmus non posset recipere aliud sacramentum, quàm Eucharistiam, ne exponat morientem in periculo æternæ damnationis.

RESOL. LII. *An in articulo mortis Regulares possint ministrare viaticum suis familiaribus sine licentia Parochi?*

AFfirmatiuè respondeo, & ita docet Iacobus Mancinus *in pract. visitandi infirmos, pract. 8. dub.2.* Vnde *in compendio nostrorum priuilegiorum, ver. communicare, §. 3.* sic habetur. Presbyteri nostræ Congregationis sacramentum Eucharistiæ etiam pro viatico constitutis in articulo mortis, & sacramentum extremæ Vnctionis ministrare possunt cæteris Clericis & Fratribus nostræ Congregationis, item mercenariis, famulis, operariis, & seruis nostræ Congregationis quos tunc reperiri contigerit, & in mortis articulo, & quoties de illo dubitari contigerit, etiam Diœcesanorum locorum, & Sacerdotum curatorum quorumcumque, etiam in quorum ciuitatibus & Diœcesibus ac Ecclesiarum parochialium respectiuè Ecclesiæ, & loca ipsius Congregationis tunc & pro tempore fuerint, aut aliorum quorumcumque licentia minimè obtenta, nec petita, & in casu, quo non daretur licentia petendi spatium propter repentinam necessitatem possunt sacramenta supradicta ministrare etiam aliis quibuscumque personis infirmis, etiam in mortis articulo constitutis vbique in casu necessitatis supradicto, etiam nulla ad hoc per nos petita, nec nobis concessa licentia. Pius IV. nostræ Congregationi. Et confirmatum à Pio V. *anno Domini* 1567. *Idibus Februarij*, vt patet in nostris priuilegiis *m.5.* & in Bullario Romano *tom.2.Bulla 31. sub Pio V.§.17.fol.216.* quæ incipit, *Ad immarcescibilem*, &c.

RESOL. LIII. *An in articulo mortis tempore pestis teneatur Parochus Eucharistiam infirmis ministrare?*

AFfirmatiuam sententiam tenet Mancinus *in practica visitandi infirmos, pract.8. dub.18.* vbi docet quòd quamuis non sit necessarium simpliciter hoc sacramentum, tamen est necessarium moraliter, quia auxilium, quod per hoc sacramentum datur, moraliter necessarium censetur ad perseuerandum in iustitia per pœnitentiam recuperata, & vincendas tentationes illo tempore occurrentes. Vel etiam, quia potest conferre gratiam primam, quam imperfecta pœnitentia priùs non contulit. Et hanc sententiam docet etiam Iacobus Marchantius *in candelabr. Sacram. tract. 6. de extrema Vnctione, lect.3. fol.* 387. Filliucius *tom. 1. tract. 3. cap.5.nu.99.& 100.* & alij quos ego alibi adduxi, & adducit Philibertus Marchinus *de bello diuino part. 3.cap.2.num.2.*

Sed ipse ibi *num.4.& seq.* & meritò, contrariam sententiam docet cum Philiarcho *de officio Sacerdotis, lib.4.cap.3.* Maiolo *de irregular. lib.2. cap.20.nu.3.* Benzonio *in speculo Episc. lib.1.disp.1.quæst.1.concluf.6.* Tabiena *ver. Episcopus. num.* 5. & aliis. Et ita definiuit Greg. XIII. *anno* 1572. *die* 10. *Decembr.* in quadam Epistola ad Cardinalem sanctæ Praxedis Carolum Boromæum, nunc inter Diuos euocatum, auditis Cardinalium votis sequentis tenoris *die* 10. *Decembr.*1577. Facta Sanctissimo relatione in Consistorio, Sanctissimus decreuit scribendas esse simpliciter litteras ad Cardinalem sanctæ Praxedis, die 13. eiusdem mensis Congregatio censuit scribendas esse litteras in hanc formam. Parochi tempore pestis teneantur omnino residere in suis Ecclesiis Parochialibus, & si non resideant, agendum contra eos ex decreto *c. 1. sess. 25.* & seruata forma ibi præscripta; ministrent verò Parochianis peste infectis sacramenta Pœnitentiæ & Baptismi per alios, licet Alciatus diceret quòd ex duobus vltimis verbis videatur prohiberi, ne Parochi etiam volentes per se ipsos, hæc duo sacramenta ministrent, tamen tota Congregatio dixit quòd ista erat mens Sanctissimi in prohibendo hæc Parochis ad commodum Parochianorum, qui sani essent. Hi enim verisimiliter nollent conuersari cum Parochis euntibus ad infirmos peste. Ita sacra Congregatio. & hæc opinio intelligenda est, vbi Parochus pestilentum confessiones audiuit, & absoluit; secus autem si infirmus non valuit confiteri, quia amisit loquelam, vel est surdus, vel si adsit tantùm Diaconus pro administratione huius Sacramenti.

RESOL. LIV. *An si in campo particula non inueniretur, posset Sacerdos dare partem suæ hostiæ moribundo?*

REspondeo affirmatiuè cum Paludano *in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 5. concluf. 2.* Sylueſtro *verf. Euchar. 2. q.10. §. 7.* Antonino *part. 3. cap. 6. §. 3.* Henriquez *lib.9. cap.30. num. vlt.* Chapeauilla *de sacram. Euchar. quæst. 28.* & Iacobo Granado *de Sacrament. in 3. part. contr. 6. tract. 13. disp. 3. num. 3.* vbi sic ait. Et quidem si infirmus esset in mortis articulo, nec formula inueniretur, posset sine dubio Sacerdos partem hostiæ reseruare, & infirmo porrigere. Ita ille. vbi *num.* 4. rectè docet, quod etiam ego docui *in 1. part. tract. 14. de celebratione Missarum, resol. 32.* cum multis Doctoribus, hoc etiam in aliis casibus extra periculum mortis li-

cere, dummodo rationabilis causa subsit; vt si quispiam magna deuotione ad Eucharistiam accederet, & non esset formula, quæ illi porrigi posset, quia hoc non obstat integritati sacrificij, ad quam solùm pertinet consumere illud sub vtraque specie; quòd verò aliqua pars vnius speciei alteri tribuatur, licet sine causa malum sit, quia est contra Ecclesiæ morem, & minùs perfectam consumptionem hostiæ immolatæ, potest tamen cohonestari aliquo rationabili fine. Neque contra hanc doctrinam vrget vllo modo, quod legitur in Missali *titulo de defectibus in ministerio occurrentibus, vers. si Sacerdos.* Nam ibi solùm dicitur. Si Sacerdos, qui iam consecrauerat saltem vnam speciem, in morbum incidat, perficiendam esse ab altero Sacerdote Missam, qui illum priorem, si adhuc viuat, efficiet participem hostiæ ab ipso consecratæ, porrigendo illi partem, & sumendo sibi aliam, quamuis si sit alia formula consecrata, hæc potiùs infirmo porrigenda sit. Vbi planè loquitur de Sacerdote, qui dum celebrat in morbum incidit, nec negat in aliis casibus posse dari partem hostiæ volentibus Eucharistiam suscipere.

Nec valet dicere quòd Gelasius Papa *de consecr. dist. 2. c. comperimus,* scribens Maiorriuo, & Ioanni Episcopis, arguit quosdam in sacrificio Missæ integra sacramenta non sumentes, & mandat vt vel integra sacramenta percipiant, vel ab integris arceantur; ergo non debet hic modus dispensandi tolerari. Respondetur ibi Pontificem arguere quosdam, & meritò, qui in sacrificio alteram tantùm partem, videlicet corporis Christi, accipiebant, & ab altera, videlicet cruoris sacri, abstinebant, qui longè diuersi sint ab illis, qui vtramque partem sub vtraque specie sumunt, sed vnam particulam alterius speciei pro ægro reseruant, vt ex antè dictis facilè colligi potest.

Non desinam tamen hîc adnotare aliquos docere Sacerdotem non peccare mortaliter, qui cùm particulam communicaturo porrigere facilè possit, dat partem paruam ex sua hostia consecrata. Cuius sententiæ est nouissimè Ioannes Sancius *in selectis, disp. 22. nu. 21.* vbi sic ait. Quapropter constitutio synodalis edita *anno 622.* à Sereniſſimo Infante Cardinali, prohibens ex hostia diuidi particulam ad laici communionem, intelligi ad summum debet, quando facilè aliæ formulæ apponi possent. Imò nec in hoc casu inuenio culpam, cùm nullo præcepto sit prohibitum ex hostia diuidi particulam, nec quidquam interest, quòd possit vitari diuisio ex eo quòd aliæ supersessent formulæ. Sic ille.

Verùm contrarium ego teneo cum Granado *vbi suprà,* & Emanuele Sà *ver. Eucharistia, nu.* 15. vbi sic ait. Potest Sacerdos communicaturo dare partem suæ hostiæ, si alia non est. Ita ille. Vide etiam Ochagauiam *de Sacram. tract. de Euchar. quæst. 4. nu.* 12. & Posseuinum *de officio Curati, c. 8. nu.* 13.

RESOL. LV. *An moribundo sit danda Eucharistia cum periculo vomitus?*

HIc casus potest frequenter accidere, & ad illum respondet Ioannes Sancius *in selectis disp.* 38. *num.* 2. vbi sic ait. Notandum duplicem vomitus speciem ex mente Medicorum posse infirmũ pati. Primam quæ neutiquam aduenit nisi sumpto cibo, vel potu. Secunda quæ ex sola corporis ægritudine absque aliqua sumptione oriatur. Signa autem differentiarum vomitus tunc efficacia erunt, quando infirmitas talis qualitatis sit, vt cibum sumptum indiscriminatim, siue modicum, siue multum, non patiatur stomachus retinere, sed statim expellat in propria specie, aut per vomitum, aut per secessum, & tunc administranda non est Eucharistia. Si verò modicum retineat cibum, Eucharistia ministrari poterit. Imò & si modicum non retineat, aut statim credendum eiiciendam Eucharistiam, præsertim si hostia consecrata adeò exiguæ sit quantitatis, quòd iudicio Medicorum credatur non motura stomachum, cùm parum pro nihilo reputetur. Porrò ad capiendam huius experientiam, vt securiùs ministretur, porrigatur hostia non consecrata, qua eiecta, minimè consecrata offeratur. Sic ille, qui in nouissima editione quoad hanc experientiam citat me ipsum *in prima part. tract. 4. resol. 78.* & subdit postea quòd si vomitus, vel secessus secundo contingat modo, & talis naturæ sit, vt etiam nullo sumpto cibo perduret, ministrari nullo modo debebit Eucharistia, à quo vomitu tamen, si cessauerit ægrotus per sex horas, iudicet Medicus, num Eucharistia possit ministrari. Quòd si Medicus absit, quia fortè opidum exiguum est, vel alia de causa, non timerem Eucharistiam porrigere, cùm tunc prudenter iudicetur vomitum cessasse, licet non omninò, in melius tamen abire saltem per tempus opportunum, quo prudenter possit iudicari, nec etiam intra aliam horam redieturum vomitum. Sic censent Medici doctiores, quos consului in hac Curia Mantuana; vnica verò spatium sufficiens est, quo species sacramentales digeri possent; quòd si contingat statim sumpta sacra buccella vomitum redire, per accidens erit, & euenire posset, etiamsi infirmus numquam vomitum passus fuisset, tuncque Eucharistia accipiatur, & in sacro aliquo loco reponatur, & postquam constet verisimiliter corruptas iam esse sacras species, in Sacrarium proiiciantur.

RESOL. LVI. *Quidam in platea recepit vulnus lethale, si Confessarius illum audiat, non posset mederi; si medetur, non potest confiteri. quid ergo faciendum?*

CAsus potest frequenter accidere, & est curiosus. Ego verò, quicquid in contrarium asserat Posseuinus *in officio Curati, cap. 7. num.* 80. vnum saltem peccatum secretè audirem, & statim illum absoluerem, vt Medici postea vulnerato mederentur, & postquam medicamenta applicata fuissent, integram confessionem audirem, & illum denuò absoluerem. Sed quid faciendum si Medici nollent à medicamentis desistere, & interim periculum est, vt vulneratus moriatur? Sufficit, asserunt aliqui, vt alta voce dicat se peccatorem esse, & tunc potest Confessarius illum absoluere. & ita docet Sanchez *in select. edit. Lugdun. disp.* 44. *num.* 35.

num. 53. vbi sic ait. Si in specie possit dicere aliquod peccatum, tamen assistentes infirmo recedere non valeant, quia videlicet vulneri inflicto medentur, sat erit infirmo dicere se peccatorem esse vt absolui possit, cùm cõstrictus neutiquam sit coram aliis peccata sua, etsi leuia, manifestare. Ita Sanchez.

Neque desinam hîc apponere praxim, quam pro hoc casu & similibus affert Mancinus in practica visitandi infirmos, *pract.* 4. *dub.* 16. vbi sic asserit. Quid faciendum, quando Confessarius accedit ad audiendã confessionem alicuius, qui non potest solus relinqui, nisi adiuuetur à circumstantibus, vt sunt recenter vulnerati, vel mulieres parturientes, & periculum est in mora? Respondeo quòd relinquat solũ personas necessarias ad hoc, atque potiùs viros, quàm mulieres, quos moneat, vt aures claudant, oculosque auertant à facie confitẽtis, & Confessarij, & sic omni meliori via illum interroget, & audiat, quandoque per signa sufficientia peccata accipiat, & absoluat; monendo etiã adstantes teneri sub peccato mortali secretum seruare, si aliquid obiter audierint. Sic ille. Sed hæc non satis viris doctis placent.

Obseruat tamen Sancius *vbi suprà*, quòd si eueniat infirmum signa dedisse doloris, nullus tamen id testetur, non ob id poterit Confessarius eum absoluere sub conditione, dicendo, Te absoluo, si fortè signa præstitisti: quia confessio debet fieri Confessario per pœnitentem, vel interpretem, vt possit ipse absolutionem præstare. In illo autem euentu non fuit facta confessio, nec coram Confessario, nec coram interprete, qui certiorem reddat Confessarium de confessione. Nec opus erit interpretem in præsentia infirmi testificari de signis doloris. Cùm enim interpres coram Confessario comparet, confessio fit in præsentia Sacerdotis. Nec infirmo, qui in re signa doloris exhibuit, & aliquis testetur mendaciter se signa vidisse, proderit absolutio exhibita à Sacerdote. Non enim fit per Sacramentum per interpretem falsum formaliter, quamuis materialiter dicat verum; sicut enim proprius pœnitens si mentiretur formaliter, licet materialiter verum assereret, sacrilegium committeret, confessionem irritans; pariter interpres, qui loco pœnitentis penitus subrogatur. Sed de his difficultatibus vide me ipsum *in* 3. *part. tract.* 3. in quo omnes casus enumero, in quibus impertienda sit moribundo non valenti confiteri, absolutio, quos postea recenset, & sequitur, me citato, Cælestinus *in Compendio Theologiæ moral. tract.* 1. *cap.* 25. *per totum.* & Peyrinus *in Formulario Prælatorum lit. A. cap.* 6. *num.* 7.

RESOL. LVII. *An Sacerdos nominatim excommunicatus, vel publicus Clerici percussor, hæreticus, vel schismaticus, habeat potestatem in articulo mortis absoluendi moribundum?*

SVppono in articulo mortis posse simplicem Sacerdotem absoluere moribundum à quibuslibet peccatis, & censuris reseruatis, ex *cap. pastoralis, de officio Ordinarij*, & Concilio Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. Sed difficultas est de supradictis. Et negatiuam sententiam docet Medina *Cod. de Confess. q.* 32. *cui debeat fieri confessio.* & Couarr. *in cap. Alma mater* 2. *part.* §. 6. quia per excommunicationem aufertur omnis iurisdictio, saltem Ecclesiastica. & ideò D. Thom. *in* 4. *dist.* 19. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *ad* 3. dixit non posse recipi Sacramentum hoc validè ab excommunicato non tolerato. Et idem de hæreticis, vel schismaticis docuit Sotus, Nauarrus, & Ledesma, quos ego citaui *in part.* 4. *tra.* 4. *resol.* 235. quibus nunc addo Coriolanum *de casib. reseruatis, part.* 1. *sect.* 2. *art.* 16. *num.* 10.

Verùm meritò contrariam sententiam ibi docui cum multis Doctoribus, quibus nunc addo Trullenck *in Bulla Cruciatæ, lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 5. *num.* 2. Floronum *de casibus reseruatis, part.* 1. *cap.* 4. *Paragraph.* 18. *numer.* 3. Finellium *de casibus reseruatis, cap.* 8. *numer.* 4. Cælestinum *in Compen. Theol. moral. tract.* 1. *cap.* 13. Turrianum *de sacram. Pœnit. disput.* 23. *dub.* 3. Valboa *in lect. Salmat. tom.* 2. *c. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss. num.* 34. Iacobum Granado *de Sacr. in* 3. *part. contr.* 7. *tr.* 10. *disp.* 4. *sect.* 2. *num* 9. Ludouicum Mæratium *in D. Thom. tom.* 3. *tract. de sacram. Pœnit. disp.* 31. *sect.* 4. *num.* 3. Tannerum *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 9. *dub.* 3. *numer.* 62. Kellisonium *tom.* 2. *in* 3. *part. quæst.* 8. *art.* 6. *dub.* 1. Ochagauiam *de Sacram. tract.* 2. *de confess. quæst.* 31. *numer.* 4. Hurtadum de Mendoza & alios penes ipsos. Dico igitur post Tridentinum facultatem absoluendi in articulo mortis competere omnibus supradictis; quia particula *omnes* hunc sensum recipit, & proinde in ea amplitudine potest intelligi. Confirmatur, per particulam *quoslibet*, & *quibusuis*, quilibet fideles absolui possũt ab omnibus prorsus peccatis, ergo similiter per particulam *omnes* quilibet Sacerdos, nullo excepto, potest absoluere. Secundò id aliquo modo postulat motiuum Concilij, vt sc. animarum saluti in tali necessitate consulatur. Ecclesia ergo voluit in hoc casu summum fauorem fidelibus præstare, & concedere iurisdictionem omnibus, qui ex suo gradu illius sunt capaces, quales sunt omnes Sacerdotes. Et quoad hæreticos non grauabor hîc apponere verba Hurtadi de Mendoza *vol.* 1. *de fide. disput.* 84. *sect.* 8. §. 139. & 140. vbi sic ait. Hæreticus ratione Sacerdotij habet radicalem iurisdictionem in peccata, proximè autem illi est concessa vel à Pontifice immediatè, vel alia ratione (de quo non est quæstio) vt in eo articulo possit pœnitens absolui. Nec enim potestas data est Ecclesiæ in perniciem animarum, sed in salutem: at tunc iurisdictionis ademptio esset in animarum perniciem, & grauissimè peccaret Papa, qui eam conaretur adimere. Ex parte autem pœnitentis ipsa necessitas se purgandi Sacramento est satis excusationis, hæreticus enim tenetur sanctè Sancta tractare, si aliter agit, est eius vitio, quod pœnitens cum tanto discrimine non tenetur vitare. Hîc primùm obserua fugiendum esse periculum deceptionis. Quapropter ego monerem pœnitentem, ne hæretico permitteret verba facere de fide, aut errore, sed eum cogat ad audienda & absoluenda crimina. Si verò ille nolit pœnitentem absoluere, nisi priùs verbis de suis erroribus factis illum audiat qua potuerit distractione. Quòd si prudenter timeat imminere sibi periculum

riculum deceptionis, tenetur illum non audire, nec adhibere, nisi certus, ab hæretico nulla de fide verba facienda. Tunc autem det operam contritioni, aderit enim præstò Deus fugienti Sacramentum eo dumtaxat animo ne Deum offendat. At periculum deceptionis debet cadere in virum constantem; alioquin facienda est confessio ob imminens vitæ discrimen. Si autem Sacerdos erret in forma, aut intentione Sacramenti, non est adhibendus ad confessionem, nisi prius contestetur se vsutum intentione, & forma legitima, de quo debet ægro esse prudens persuasio. Huc vsque Hurtadus.

Resol. LVIII. *An moribundus possit, quando aliùs non adest Sacerdos, petere à Sacerdote excommunicato hæretico, &c. absolutionem, etiamsi sciat supradictos cum peccato Sacramentum administraturos?*

Respondeo quòd quamuis dicti Sacerdotes præcisi possint, vt in superiori resolutione probatum est, validè pœnitentes absoluere, vt tamen licitè possint, necessarium est quòd sint à peccato mortali contritione, aut aliter iustificati, nisi quando periculum ægroti ita vrget, vt ob ipsum statim audiendum nequeant conteri, nec aliter iustificari, quia tunc licitè possunt, quamuis sint in peccato mortali. Et quamuis Sacerdos non sit licitè administraturus absolutionem, quia iustificari potest, & non vult; tunc pœnitens in articulo mortis existens potest ab illo absolutionem petere (quando pœnitens non timet subuersionem ob communicationem cum eo Sacerdote, & quando ob communicationem cum eo non apparet profiteri errorem aliquem illius Sacerdotis) quia tunc petit quod Sacerdos ille potest licitè facere, si velit; quod etiam est verum, quamuis Sacerdos ille non sit paratus ad illicitè absoluendum, quia regula illa, nempe quòd nequeat quis inducere aliquem ad id in quo peccaturus est, quando qui inducitur non est paratus ad id, tantùm est vera quando inducenti non est in præcepto id ad quod inducit, confessio autem & receptio sacramentalis absolutionis in dicto articulo est pœnitenti in præcepto, imò etiam ipsi Ministro est in præcepto auditio & absolutio. Et hæc omnia docet Hurtadus *de sacramento pœnit. disput.* 10. *diffic.* 8. doctè, vt semper solet. Cui adde Præpositum *in* 3. *p. quæst.* 7. *de ministr. sacram. Pœnit. dub.* 5. *numer.* 42. vbi sic ait. In necessitate Sacramentum posse peti à non parato, etiamsi putetur peccaturus, scilicet quãdo deest alius, nam potest actum exercere absque peccato, & vrget necessitas talem actum petendi, propter quam pœnitens non censetur Confessarium ad peccatum inducere, vel eius peccato cooperari. Imò quando desunt alij, pœnitens non tantùm potest, sed etiam debet petere hoc Sacramentum ab excommunicato, imò hæretico, si non sit periculum scandali peruersionis, &c. quia cùm communior sententia teneat eum posse absoluere, vt constitutus in articulo mortis suæ saluti consulat, & vt præcepto confessionis satisfaciat; tenetur tali confiteri. Huc vsque Præpositus. Cui etiam consentit Kellisonius *in* 3. *part. tom.* 2. *quæst.* 8. *art.* 6. *dub.* 1. & Cælestin. *in Compend. Theol. moral. tract.* 1. *cap.* 13.

Resol. LIX. *An non solùm existentes in articulo mortis, sed etiam in periculo, possint absolui à quocumque Sacerdote ab omnibus casibus?*

Negatiuam sententiam docet Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 4. Canus *de Pœnit. part.* 5. Couarr. *in cap. Alma mater, part.* 1. §. 11. *numer.* 8. & Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 8. *punct.* 2. quia Trident. *in cap.* 7. *sess.* 14. vbi præbet talem iurisdictionem, loquitur tantùm de pœnitentibus existentibus in articulo mortis.

Sed affirmatiua sententia tenenda est, quam tuetur Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *coroll.* 3. *num.* 92. licet immeritò me citet pro negatiua sententia; nam ego in loco à meipso citato non loquor, vt legenti patet, de absolutione à censuris & reseruatis, sed de applicatione Indulgentiarum, quas modò etiam teneo posse applicari in periculo mortis. Præpositus *in* 3. *part. quæst.* 7. *de ministro sacramenti Pœnitentiæ dub.* 6. *num.* 43. Vasquez *in* 3. *part. tom.* 4. *quæst* 93. *art.* 1. *dub.* 5. Coninck *de Sacr. disp.* 8. *dub.* 2. *numer.* 16. Iacobus Granado *de Sacrament. in* 3. *part. controu.* 7. *tract.* 10. *disput.* 4. *sect.* 20. *numer.* 10. Bellochius *de casib reseru. part.* 1. *quæst.* 2 *num.* 125. Floronus *de casibus reseruatis part.* 1. *cap.* 4. §. 20. *numer.* 3. Vgolinus *de cens. tab.* 1 *cap.* 4 §. 5. *num.* 9. Sayrus *de censuris lib.* 2. *cap.* 20 *nu.* 28. Coriolanus *de taubsi. reseruatis part.* 1. *sect.* 2. *art.* 16. *num.* 3. Filliucius *de casib. reseru. cap.* 8. *n.* 8. Cælestinus *in compen. Theol. moral. tract.* 1. *cap* 13. Tannerus *tom.* 4. *disput.* 6. *quæst.* 9. *dub.* 3. *nu.* 75. Suarez *tom.* 4. *disput.* 26. *sect.* 4. *numer.* 3. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 11. Turreblanca *in pract. iuris spirit. lib.* 14. *cap.* 6. *num.* 24. Turrianus *de pœnit. disp.* 23. *dub.* 3. Valboa *in prælection. Salmaticen. tom.* 2. *cap. omnis vtriusque sexus de pœnit. & remiss num.* 35. Verùm Sanchez *in Summa tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 3. Trullenck *in Bulla Cruciatæ lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 4. *num.* 6. Ludouicus à Cruz *in Bulla Cruciatæ disput.* 1. *cap* 3. *dub.* 28. *num.* 4. & alij limitant hanc sententiam, dum absoluendus morali necessitate coactus bellum, v. g. seu nauigationem aggreditur, secus si voluntate propria id faciet, tunc enim non dicitur propriè in mortis periculo constitutus, cùm ipse sponte velit se constituere.

Resol. LX. *An simplex Sacerdos possit præsente Confessario iurisdictionem habente absoluere moribundum?*

Prima sententia absolutè negat. Secunda affirmat. Vtramque verò probabilem esse puto ex rationibus & auctoritatibus adductis *in part.* 1. *tract.* 5. *resol.* 5.

Non desinam tamen hîc adnotare, doctum Hurtadum de Mendoza *volum.* 1. *de fide disputat.* 82. *sect.* 6. §. 163. & *sequent.* quandam tertiam sententiam docere, & ideo ponit duas conclusiones. Prima, quòd simplex Sacerdos præsente approbato diœcesano non habet iurisdictionem ad absoluendum moribundum. Secunda, quòd omnis Sacerdos diœcesanus approbatus etiam præsente Prælato potest facultate non petita absoluere moribundum à quouis crimine & censura in foro con-

conscientiæ, & pro hac firmanda sententia ingeniosas & probabiles adducit rationes. Libet etiam hîc apponere ea, quæ dictus Hurtadus docet §. 145. & 146. vbi quærit in concursu simplicis Sacerdotis & excommunicati nominatim, aut publici Clerici percussoris, vter sit præferendus? Respondet simplicem præferendum, quia excommunicatus, dum excommunicatione tenetur, est simplex Sacerdos, & alia ex parte vitandus cùm commodè potest: ergo simplex est præferendus, tum quia ipse excommunicatus tenetur neminem absoluere, nisi in necessitate extrema, quia illi interdictus est Sacramentorum vsus; tunc autem nulla est extrema necessitas: simplici verò Sacerdoti non est interdicta confessionis exceptio de peccatis venialibus, vnde in vsu Sacramenti est melioris conditionis excommunicato. Item illi est priuatiuè negata facultas, id est, non est concessa, sed nec negata contrariè ob delicta; excommunicato autem est negata contrariè, quapropter deterioris conditionis est simplici Sacerdote. Concurrente excommunicato cum irregulari non excommunicato præferendus est irregularis excommunicato vitando: suspensus autem, aut interdictus carens excommunicatione vitandorum est præferendus irregulari, & ij omnes degradato, & hic hæretico. Igitur vltimum locum habet hæreticus, cui præferendi sunt omnes Catholici, inter quos locum vltimum tenet degradatus, cui præponendi sunt cæteri Catholici. Suspensus, aut interdictus meliorem locum obtinet irregulari, & hic excommunicato nominatim, qui solis hæretico & degradato præponitur, cæteris postponitur: omnibus autem aliqua censura ligatis præponitur Sacerdos simplex omni censura solutus.

Notat etiam idem Hurtadus, concurrente Sacerdote simplici cum approbato in alia diœcesi dumtaxat, præferendum esse extradiœcesanum approbatum, secundùm Suarez, & Sanchez, quia ad id munus est approbatus ab Ecclesia, quod putat esse probabile, sed non probari argumento efficaci, & ideo contrariam sententiam ego teneo cum Trullenck *in Bull. Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 5. numer. 4.* quia approbatus extradiœcesanus est simplex in aliena diœcesi: est igitur ille concursus duorum Sacerdotum hîc & nunc simplicium; cur ergo præferendus est extradiœcesanus? etenim ab Ecclesia est approbatus in aliena diœcesi, non in hac, in qua nulla penitus iurisdictione gaudet magis, quàm simplex. Si autem ob approbationem id dicunt, quia illa est argumentum scientiæ in approbato, potest illa coniectura superari, si pœnitens sciat simplicem esse doctiorem & dexteriorem, item dum satis noscatur esse sufficiens, non videtur esse cur alter sit necessariò præferendus.

Sed quid dicendum si cum approbato adsit Sacerdos habens priuilegium absoluendi à censuris, & à reseruatis? Suarez *tom. 4. disput. 30. sect. 2. num. 5.* & Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 10. numer. 1. in glossa lit. D.* asserunt hunc non esse præferendum exposito, quia illud est veluti priuilegium, quod nullus sequi tenetur, eo quòd in illo articulo cessat reseruatio. At contrarium tenet Corduba & Nauarrus, quos citat & sequitur Sanchez *in Summa tom. 1. lib. 2. cap. 13. numer. 11.* cui videtur adhærere Trullenck *in Bulla Cruc. lib. 1. Paragraph. 7. c. 2. dub. 5. num. 4.*

RESOL. LXI. *An damnati ad mortem sint in articulo mortis, ita vt possint absolui modo quo suprà dictum est de aliis moribundis?*

AD hunc casum ita respondet Hurtadus de Mendoza *vol. 1. de fide, disput. 84 sect. 8. Paragrap. 125.* Afficiendi vltimo supplicio sunt in mortis articulo, lata igitur sententia, & instante executione, sunt in eo mortis articulo, in quo nulla est reseruatio. Nec tenentur mittere Confessarium, vt petat à Superiore facultatem, quia rectè monet Pater Sanchez illud futurum oneri Confessario potiùs, quàm pœnitenti, qui quidem adire non potest. Addo eum non teneri eum Superiorem adire, quamuis posset. E g. sint simul in eadem domo Prælatus & subditus, hic habeat crimina reseruata Prælato, non tenetur illum adire magis, quàm si esset ex morbo moribundus. Ad hoc autem eum non teneri, ostendam *Paragraph. 149.* Ratio est, quia ex sententia iusta, aut iniusta, violentia hîc est in articulo mortis, non secus ac qui ex morbo Hæc autem immunitas à reseruatis non oritur ex hac aut illa occasione periculi, sed ex ipso mortis articulo, vt in eo homo sine vlla difficultate sit expeditus ad se reconciliandum Deo, & cùm iam sit excessurus è viuis, non eget eo reseruationis fræno, nec cum illo agitur more cæterorum. Ita Hurtadus, cui adde Floronum *de cas. reseru. part. 1. cap. 4. Paragraph. 20. num. 3.* Finellium *de cas. reseru. cap. 8. num. 7.*

RESOL. LXII. *An remigantes sint in articulo mortis, ita vt possint absolutionem obtinere, ac cæteri moribundi?*

AGit de hoc casu Hurtadus de Mendoza *vbi suprà vol. 1. de fide disput. 84. sect. 8. Paragraph. 126.* & sic asserit. De remigibus est controuersia, sintne in mortis articulo? Sà *ver. absolutio, num. 4.* censet eos esse in vitæ discrimine. Sanchez *eo cap. 13.* censet oppositum. Ego modò componam vtrumque, quando aggredienda est longa, ac biremibus periculosa nauigatio; remiges sunt in mortis articulo, vt de cæteris cum simili periculo nauigaturis dixit rectè Sanchez & Suarez *disput. 21. sect. 4. num. 23.* Ratio est, quia homines frequenter pereunt in ea occasione, & est omnibus periculum pereundi; licet enim non sint omnes perituri simul, at certè omnes simul sunt in periculo, nec scitur quis sit euasurus. Nec expectandum est, vt suboriatur procella, tunc enim & Confessarij sunt pauci, & multa pœnitentium turba, & postponuntur remiges cæteris nauigantibus, quia sunt fæx biremium. Nec confessio tunc fit integra; tutius ergo est confessione integra præire periculo, quàm

eam in tempestate dimidiare, vbi totum animum occupat præsens mors intenta procellis. Ego quidem existimo, qui eiusmodi ineunt nauigationes teneri per se lege charitatis ad se Deo reconciliandos, excusari autem nonnullos ex ignorantia, aut inconsideratione. Item cùm imminet pugna naualis, remiges sunt in periculo mortis. In his occasionibus accipiendus est Pater Sà, in quibus Pater Sanchez non aduersatur. extra hos casus non sunt remiges in mortis articulo, sicut nec quiuis miles prælidiarius est in eo, sed illi dumtaxat, qui prælio sunt vicini, longè enim absente occasione certaminis, non sunt in vitæ periculo. De iis loquitur Pater Sanchez, de quibus non est accipiendus Pater Sà. & hæc omnia docet Hurtadus *loco citat.* Sed circa præsentem quæstionem ne deseras videre Bellochium *de casibus reseruat. part. 1. quæst. 2. numer. 130.* & Finellium *de casib. reseru. cap. 8. num. 8.* Torreblancam *in pract. iur. spir. lib. 4. cap. 6. sum. 24.* & 26. quibus adde post hæc scripta visum Ægidium Trullenck *in Bulla Cruciatæ lib. 1. Paragraph. 7. cap. 2. dub. 8. numer. 5.* vbi sic ait. Damnati ad triremes non censentur in hoc periculo, quidquid dicat Sà *ver. Absolutio numer. 4.* quia id periculum non est proximum, & si aliquando contingat periculum, Sacerdos in triremibus ire solet confessiones periclitantium excepturus; atque sæpè triremes ad portum accedunt, in quo est Sacerdotum copia. Ita Trullenck.

RESOL. LXIII. *An prægnantes sint in articulo mortis, ita vt absolui debeant, ac alij moribundi?*

NOn desinam hîc apponere opinionem eiusdem Hurtadi de Mendoza *loco citato de fide vol. 1. disp. 84. sect. 8. Paragraph. 126.* vbi sic ait. Primis gestationis mensibus prægnantes non esse in articulo mortis ob præcisam rationem prægnationis, quia tunc per se nullum imminet periculum, gestatio enim non minatur periculum, nisi in partu. Vt ergo qui lethali morbo premuntur, lento tamẽ, eos non interrupturo, tam citò non possunt absolui à priuato Sacerdote ante tempus morti vicinum, ita nec prægnantes ante tempus partui vicinum, qui est mensis octauus completus, ineunte iam nono, partus enim septimestris est rarus, quapropter si ante id tempus vrgeat confessionis præceptum, aut velit ipsa accipere Eucharistiam, est confessio facienda ac si non prægnaret, nisi per accidens esset in aperto vitæ discrimine. At omnes prægnantes esse in mortis articulo, est probabile, dum sunt iam parituræ; nec est discrimen inter expertas & inexpertas, imò inexpertæ sunt apertiùs in periculo, ob quod plures pereunt in primo partu, quàm secundo, aut tertio. His diebus in hac vrbe interîêre duæ primo partu repentè criminibus inexpiatis confessione, & quæ multos partus felices sunt expertæ, tandem in officio moriuntur. Partus enim multas ob causas æquiualet graui morbo, & dum minùs de morte cogitatur, repentè eam minatur. Opinor item omnem mulierem parituram teneri per se ad expianda crimina, antequam partu periclitetur, excusari autem per accidens ex ignorantia, aut inconsideratione, quia cùm multæ quotidie pereant, nesciunt an ea fors eas contingat, & quidem nulla prudens & timens Deum non se comparat ad moriendum, antequam se partui committat. Ita Hurtadus. Sed hæc opinio videtur aliquibus nimis rigida, nam mortis articulus est ille, in quo frequenter moriuntur, sed in partu mulieres non frequenter pereunt; ergo dicendum est non omnes prægnantes iam parituras esse in articulo mortis, sed illæ tantùm quæ difficilem expertæ sunt partum, vel ad plurimum quæ primò pariunt, vt ego alibi probabiliter cum multis Doctoribus probaui: quibus nunc addo Sanchez *in Summa tom. 1. l. 2. cap. 13. num. 4.* Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 12. num. 13.* Sotum *in 4. dist. 18. quæst. 1. artic 5.* Graffium *part. 1. lib. 1. cap. 11. numer. 7.* Floronum *de casibus reseru. part. 1. cap. 4. §. 20. num. 4.* Tannerum *tom. 4 disput. 6. quæst. 9. dub. 3. numer. 74.* Marchinum *de peste part. 2. cap. 1. nu. 24.* Posseuinum *de officio Curati cap. 7. num. 77.* Alterum Hurtadum *de sacram. Pœnit. disput. 10. diffic. 9.* Finellium *de casibus reseruatis cap. 8. num. 8.* & Fagundez *pr. 2. lib. 1. cap. 1. num. 7.* vbi docet tunc prægnantes esse in articulo mortis, quando numquam pepererunt, & quando partus difficiles expertæ sunt. Et ideo Trullenck *in Bull. Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 4. num. 5.* sic ait. Indifferenter verum non videtur id, quod docet Syluester *ver. absolutio 1. §. 10.* omnes prægnantes posse absolui ab omnibus reseruatis, nisi quando difficiles partus solent habere. Ita ille. cui adde Ludouicum de la Cruz *in Bulla Cruc. disput. 1. cap. 3. dub. 28. num. 6.*

Verùm his non obstantibus sententiam Hurtadi de Mendoza tenet etiam Abb. *in cap. pastoralis num. 3. de officio ordinarij*, & nouissimè docet illam Petrus Bellochius *in praxi morali Theol. part. 1. quæst. 2. num. 129.* vbi sic ait. Hæc de mulieribus prægnantibus sententia indistinctè admittenda est hoc modo in iam ita partui propinqua, quæ dolores sentiat, & eo casu nulla est expectanda Superioris licentia; si verò non sit ita partui propinqua, tunc est expectanda facultas à Superiore, quia non subest mortis periculum. Sic ille.

RESOL. LXIV. *An bannitus, qui impunè vbique potest occidi, sit in periculo mortis, ita vt possit absolui vt moribundus?*

REspondet affirmatiuè Naldus *in summa ver. absolutio à censuris num. 5.* Floronus *de casibus reseruatis part. 1. cap. 4. §. 8. nu. 9.* & Bellochius *in praxi Theol. moral. part. 1. quæst. 2. num. 135.* vbi sic ait. Addo absolutionem ab omni peccato & censura posse dari per quemcumque Confessarium illi bannito, qui potest vbique impunè occidi: & ratio est, quia vbique & semper versatur in periculo mortis, non potest tamen illi dari absolutio si haberet saluum conductum. Ita ille.

RESOL.

RESOL. LXV. *Quando censeatur non adesse copia Superioris habentis potestatem in censuras & peccata reseruata, vt possit constitutus in articulo mortis absolui à quocumque Sacerdote?*

ALiqui dicunt, vbi ipse ægrotus, etsi illum adire nequit, nec potest accersere, potest tamen Confessor illum adire, ac petere facultatem: & tunc dicunt non dici deesse copiam Confessoris superioris, & ob id volunt, vt debeat procurare ægrotus per litteras, per Confessarium, aut per alium facultatem. Mihi verò admodum placet, vt verè dicatur non adesse copia, quando nec constitutus in eo periculo potest personaliter Superiorem adire, neque eum commodè accersere, quia aut non veniet, aut magna nota erit. Nam ius non obligat pœnitentem, vt se per tertiam personam Superiori præsentet sed per se ipsũ; & quando per se ipsum non potest, illum impeditum iudicat. *cap. quamuis, de sent. excommun.* & ita tenet Sanchez *in summa tom.2.lib.2.cap.13. num.14.* nec est grauamen Confessoris adeundi Superiorem pro facultate, sed pœnitentis in pœnam sui delicti; & ob id, dum non potest eo modo quo dictum est, dicitur verè impeditus, & tunc caret copia Confessoris. Et hæc omnia docet etiam Floronus *de casibus reseru.part.1. cap.4. §.19. num.9.* cui adde Trullenck *in Bull. Cruc. lib.1. §.7.cap 2.dub.5.num.6.* & Henriquez *lib.6. de pœnit. cap.9. numer.7. & lib.13. cap.29. num.3.*

Sed supradicta procedunt in opinione illorum, qui asserunt in articulo mortis adhibendum esse Prælatum ad confessionem, si fieri potest, vel ab eo petendam facultatem: quam sententiam Suarez *tom.4.disput.26.sect.4.num.4 & tom.5. disput.22.sect.1. num.62. & de fide disput.21.sect.4. num.22.* cum aliis DD. quos citat, & sequitur Sanchez *in Sum.tom.1. lib.2. cap.13.numer.7.* Sed quia ego contrariam sententiam probabilem esse puto, dico quòd in tali casu non tenetur mittere Confessarium, vt petat à Superiore facultatem, quia hoc esset onus magis Confessarij quàm pœnitentis, neque eum teneri Superiorem adire, quamuis posset. E.g. sint simul in eadem domo Prælatus & subditus, hic tamen habeat crimina reseruata Prælato, non tenetur illum adire. Et ita præter alios docet Hurtadus de Mendoza *vol.1.de fide disput.84. sect.8. §.125. iuncto §.149.*

Nec valet dicere, quòd finis auferendi reseruationem in mortis articulo fuit, ne cui reseruatio esset causa æternæ ruinæ; sed præsente Superiore, aut proprio sacerdote, nulla est occasio ruinæ, quia adest copia Confessoris: ergo tunc non potest quilibet adhiberi. Respondeo ex ipsis authoribus, cessante priuatiuè fine legis particulari, non cessare vim legis ipsius; cessante verò contrariè, cessare vim legis: sed in eo casu cessat finis legis priuatiuè, non verò contrariè, cessat enim occasio ruinæ, non tamen imminet ruina, si confessio fiat apud alium præter Sacerdotẽ proprium: ergo non cessat vis legis. Deinde non cessat omnino finis legis, occasio enim æternæ ruinæ non solùm oritur ex inopia Confessoris, sed ex difficultate, quam communiter homines sentiunt in adeundo Prælato. Ecclesia verò omnem difficultatem voluit in eo articulo remouendam, vt quàm maxima facilitate moribundus anteactæ vitæ rationem cum Deo componat. Quòd si quando hominibus volentibus aperit Ecclesia benignitatis thesauros, ablata criminum reseruatione, quid agendum est à pia matre cum filio, vltimum spiritum exhalante? an cum illo duriùs aget, quàm cum valentibus agendum censet interdum? Ad hæc nec opus erat reseruationem auferre; posset enim æger indirectè absolui à quouis Sacerdote in absentia Prælati, tunc autem nulla esset occasio ruinæ, quia æger Deo reconciliaretur. Voluit ergo Ecclesia omni benignitate tractare morti vicinos, illorum supremos miserata dolores.

Ad argumentum in forma distinguo maiorem: Finis fuit, vt nulla esset causa ruinæ præcisè; nego maiorem; ne esset causa ruinæ, nec occasio, nec difficultas ad salutem, concedo. Sic distinguo minorem: non est causa absolutè, concedo minorem; non est occasio orta ex difficultate, nego minorem, & consequentiam. Item, ille est finis, quo priuatiuè cessante, non cessat legis vis. Et hæc omnia docet Hurtadus *vbi suprà*, cui adde Tannerũ *to.4. disp.6.q.9.dub.3.numer.67.* Coriolanum *de casib. reseru. part.1. sect.2. artic.8. numer.7.* Finellium *de casib. reseru. cap.8. num.3.* Vnde ex his refellenda est opinio Zambrani *de sacrament. Pœnit. capit.4. dub.4. num.15.* vbi docet in articulo mortis, si infirmus habeat casum reseruatum, mittat per litteras, vel Confessarium pro eius licentia, non nominando personam pœnitentis; sed hęc, vt dixi, ex supradictis satis remanet labefactata, & illam reprobat Marchinus *de peste part.3.cap.3.numer.25.* Trullenck *in Bull.Cruc.lib.1.Paragraph.7.cap.2.dub.5. numer.3.* & Ludouicus de la Cruz *in Bulla Cruc. disput.1. cap.3. dub.15.num.6.*

RESOL. LXVI. *An si Sacerdos simplex cœpit audire confessionem moribundi, acceden Confessario approbato, teneatur desistere ab auditione?*

HIc casus non habet difficultatem, supposita opinione, quòd simplex Sacerdos in mortis articulo possit absoluere moribundum præsente approbato, vel Prælato; sed stando in contraria sententia respondeo negatiuè ad casum propositum cum Iacobo Granado *de Sacrament. in 3. part. controu.7. tract.10. disp.4.sect.2. num.12.* vbi sic ait. Si petas, an in euentu, quo Sacerdos non approbatus cœpisset iam audire confessionem existentis in articulo mortis, accederet legitimus Sacerdos, teneretur cessare ab audienda confessione, & illam remittere legitimo Ministro. Respondetur mihi videri probabilius non teneri, sed posse absoluere, quia iura fauent rei inceptæ, voluntque ab eo perfici à quo cœpta est, & alioqui non leue grauamen imponeretur pœnitenti, præsertim moribundo, si obligatus esset ad repetenda alteri Sa-

cerdoti ea peccata, quæ iam confessus fuerat. Ita ille, qui citat Sanchez & Henriquez, quibus adde Trullenck *in Bull. Cruc. lib.* 1 §. 7. *cap.* 2 *dub.* 5. *num.* 5. Ludouicum de la Cruz *in Bulla Cruc. disput.* 1. *cap.* 3. *dub.* 15 *numer.* 10. Sancium *in selectis disp.* 44. *num.* 6. Præpositum *in* 3. *part. q.* 7. *de Ministro Pœnitent. dub.* 5. *numer.* 41. Floronum *de casibus reseru. part.* 1. *cap.* 4. §. 19 *numer.* 10. Marchinum *de peste part.* 3. *cap.* 3. *num.* 13. Vnde non est audiendus Zambranus *de sacrament. Pœnitent. cap.* 4. *dub.* 5. *numer.* 5. qui in hoc casu circa materiam absoluendi moribundum nimis strictè locutus est. Et nota hîc obiter, quòd si contingat simplicem Sacerdotem iudicare infirmum esse in extremis dum incipitur confessio, & postea ante absolutionē ita in melius abiisse, quòd extra periculum esse iudicetur, adhuc tenebitur illum absoluere, quia sufficit confessionem inceptam fuisse in periculo præsumpto, sicut diximus licentiam ad tempus non expirare incepta iam cōfessione, aliàs ægrotanti graue onus iniungeretur, videlicet bis crimina confitendi.

Sed quid agendum si in eo articulo contingat pœnitentem Sacerdoti simplici inualidè forsitan confiteri, quia in ea confessione mentitus est, & consequenter fuit inualidè absolutus, cupiente autem illo denuo confiteri eidem Sacerdoti superueniat legitimus Confessarius. Respondeo posse illum detecto eo mendacio à prædicto simplice Sacerdote iterum absolui, quia is reuera habuit iurisdictionem ad priorem illam confessionem, & dum absolutio non est validè præstita, non censetur finita. Secus autem dicendum est, si æger validè confessus sit, & velit postea aliqua peccata oblita confiteri, nam hæc non possent absolui, nisi à legitimo superueniente Confessario. Et hæc omnia docet Ludouicus de la Cruz *in Bull. Cruc. disput.* 1. *cap* 3. *dub.* 15. *numer.* 13. & Trullenck *in eadem Bulla lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 5. *numer.* 5. qui contra Sanchez optimè docet, quòd in tali casu si pœnitens haberet excommunicationem reseruatam, & ante absolutionem superueniat reseruator, posse, hoc non obstante, inferiorem Confessarium absoluere ab illa, dummodo imponat onus pœnitenti, vt infrà dicetur, vt Superiori se præsentet.

Notandum est tamen hîc quòd qui absolutus est in prædicto articulo, vel periculo mortis à casibus reseruatis, non teneri postea recurrere ad Superiorem si fortè periculum euadat, vt iterum ab illis absoluatur, quia Tridentinum ait pro eo tempore nullam esse reseruationem, & ita proinde se habent tunc peccata alioqui reseruata, ac si reseruata non essent. Solùm aduerte si casus habeat adnexam censuram, debere se præsentare postea Superiori, vt præcipitur *in cap. eos, qui de sentent. excommunic. in* 6. non quidem vt à Superiori absoluatur, quia iam à censuris & à peccatis absolutus est, sed vt se obedientem præbeat Ecclesiæ, & paratum implere aliam pœnitentiam, si à Superiori iniungatur, quod si non faciat, pœnitens reincidit in censuram. Ita Granado *vbi suprà num.* 13. cui adde Præpos. *loco citat.* Ludouicum de San Iuan *quæst.* 5. *art.* 17. *de sacram. Pœnitent. difficult.* 12. *concl.* 1. & 2. Finellium *de casib. reseru. cap.* 8. *numer.* 10. Sanchez *in summ. tom.* 1. *libro* 2. *cap.* 3. *numer.* 27. Coriolanum *de casib. reseru part.* 1 *sect.* 2. *art.* 16. *nu.* 9. & Hurtadum de Mendoza *vol.* 1. *de fide, disp.* 84. *sect.* 8. §. 130. qui etiam §. 135. optimè obseruat cum Sanchez, eum qui virtute Bullæ absoluitur in mortis articulo à casibus in Bulla Cœnæ reseruatis, non teneri ad comparendum, nec posse illi id onus imponi, quia Bulla aliquod ei priuilegium donat distinctum ab his, quæ habet in ipso mortis articulo, alioquin quæ gratia donatur per Bullam? sed in eo articulo nulla alia gratia donari potest, nisi obligatione comparendi solui, quia absolutio directa iam ei erat licita ipso mortis articulo: ergo soluitur onere comparendi. quòd si in mortis articulo fuit absolutus cum onere comparendi, quia non habebat Bullam, potest ea habita iterum absolui in eodem vel alio mortis articulo, & eo onere solui.

Resol. LXVII. *Quomodo simplex Sacerdos absoluat moribundum ab excommunicatione?*

QVando simplex Sacerdos in articulo mortis absoluit pœnitentem ab excommunicatione maiori, caueat ne absoluat nisi præmissa satisfactione, si forsan ea fieri debeat, iuxta *Clem.* 1. *de hæret.* quod si commodè fieri non potest, absoluat cum debita cautione, secundùm gloss. *eiusdem Clem* §. *verum. vers. ea tunc.* quæ cautio fiat vel per fideiussores, vel cum pignore, si eam potest dare; si minus, det eam quam potest dare saltem, videlicet iuratoriam; si verò articulus necessitatis vrget, nihilque horum fieri potest, absoluat, cùm ad impossibile nemo teneatur. *l. impossibilium, ff. de reg. iur.* At si Confessarius omittat, vel obliuiscatur petere cautionem satisfaciendi, valebit absolutio. Insuper debet Cōfessarius in tali casu imponere onus pœnitenti, vt cessante morbo se præsentet Superiori, qui extra eum casum de iure poterat illum absoluere, commonefaciendo, quòd si non se præsentauerit, in eamdem censuram incurret, quod onus secundùm Sanchez *tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 13. *num.* 26. sub iuramento imponendum erit ex *c. quamuis, & cap. ea noscitur, de sent. excomm.* Sed ego cum Trullenck *in Bulla Cruc. lib.* 1. §. 7 *cap.* 2. *dub.* 5. *numer.* 9. contrarium teneo; nam dispositio Canonum cùm sit odiosa, & pœnalis, non est extendenda ad casum non expressum, sed solùm ad percussionem Clerici. Et pro confirmatione supradictorum vide etiam Bellochium *in praxi Theol. moral part.* 1. *quæst.* 2. *num.* 136. & Finellium *de casibus reseruatis, cap.* 8. *num.* 9. quibus adde Zambranum *de sacram. Pœnit. cap.* 4. *num.* 6. vbi etiam notat ita posse angere articulum mortis, vt prætermittenda sit etiam cautio iuratoria in excommunicato, antequam absoluatur, & nihilominus sic absolutus tenetur, si conualuerit, se præsentare, vt notat Palatius *in* 4. *dist.* 27. *disp.* 7.

Nota etiam cum dicto Zambrano *n.* 5. vt posset ita vrgere necessitas articuli mortis vel absoluentem, vel pœnitentē, vt sufficiat vnico verbo dicere,

Absol-

Absoluo te, intendendo absoluere priùs à censuris, & postea à peccatis.

Nec desinam hîc obiter adnotare, quod Henriquez *l.3.de pœnit.c.9.n.5.* docet in articulo mortis posse simplicè Sacerdotem absoluere, etiã ab irregularitate, quæ cõtrahitur ex peccato, eò quòd aliqui hanc existiment esse censuram; & priuilegium Tridentini, cùm sit fauorabile, & non distinguat, est latè interpretandum. & ita hãc sententiam esse probabilem putat Trullenck *in Bulla Cruc. lib.1.Paragraph.7.c.2.dub.5. num.7.* licet ipse verius censeat oppositum.

RESOL. LXVIII. *Quando puer sit absoluendus in articulo mortis?*

POst septennium completum absoluendus est puer saltem sub conditione, nisi constet non habere vsum rationis, maximè in articulo mortis, quia stat pro illo iuris præsumptio de vsu rationis. Ita Zambranus *de sacrament. Pœnit. cap.4. dub.3.nu.4.* vbi *num.8.* asserit, quòd si æqua sit pro vtraque parte probabilitas, quia Confessarius æquè sentit puerum habere vsum rationis, & non habere, si tamen talis puer fateatur peccatum veniale, vel mortale, absoluendus est necessariò sub conditione in articulo mortis. Ita Barth. de Medina, & multi viri docti. Probatur, quia hæc pars est tutior, cùm certum sit damnandum esse puerum si in peccato mortali discedat, in quo potest esse, licet illud non cognoscat, & irreuerentia sacramenti tollatur conditione apposita. Ergo, &c. vide etiam Chapeauillam *de sacrament. Pœnitent. quæst.14. per totam.* Turreblancam *in pract. iuris spirit. lib.14. cap.6.num.59.*

RESOL. LXIX. *An absolutio à reseruatis, quæ potest, vt dictum est suprà, impendi à quolibet Sacerdote in periculo mortis, possit dari à prima die infirmitatis, quæ ponit infirmum in tali periculo?*

PRo sententia affirmatiua *in part.4. tract.4. resol.57.* adduxi Sancium *in select. disp.12. num.5.* & nouissimè, me citato, hanc sententiam docet etiam Cælestinus *in compen. Theolog moral. tract.1. c.13. quæst.1.* vbi ait, absolutionem à reseruatis posse impendi à prima die infirmitatis periculosæ, vt doloris lateris, pleuritidis, idque siue periculum mortis quis adeat propria sponte, siue causa aliqua vrgente, seu morali necessitate coactus. Sic ille.

RESOL. LXX. *An Sacerdos pro audienda confessione infirmi moribundi possit relinquere Missam inchoatam etiam post consecrationem?*

AD hunc casum, qui faciliter euenire potest in villis, sic respondet Zambranus *de sacram. Pœnitentiæ, cap.4. dub.6. numer.5.* Si quis Sacerdos quando est celebrans, petatur pro confessione alicuius pœnitentis in articulo mortis, si non sit alius, potest Missam inchoatam etiam post consecrationem relinquere, seruante interim aliquo Eucharistiam, & secum deferat aliquam formam consecratam, & extremam Vnctionem ad infirmum, & audita eius confessione, & data Eucharistia & extrema Vnctione (remissis tamen Psalmis pœnitentialibus ad Ecclesiam post Missam) reseruatur ad perficiendum Sacrum. quod si confessio fuerit ita longa, vt media hora perfici nequeat, transacta dicta media hora Sacerdos absoluat dictum moribundum, eo monito, vt post dictum Sacrum aliqua occasione eum accersat, & postea illum de nouo audiat, & absoluat. Ita Zambranus *loco citato.*

RESOL. LXXI. *An cùm periculum vitæ imminet, vt in naufragio, peste, bello, tunc possint simul dicere aliqua peccata, & simul omnes absolui?*

NEgatiuam sententiam docent aliqui apud Villalobos *in summ. tom.1. tract.9. difficult.33. num.6.* vbi sic ait. [Manuel Rodriguez y Nauarro tienen lo contrario desta resolucion, y dizen, que es necessario confessar enteramente los que pudiere, aunque los demas se queden por confessar. El fundamento desta opinion es, porque deue el Confessor hazer entero juyzio, loqual no podrá dexar por respeto de los otros por vn principio comun, que dize, Non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona.

Sed ipse ibi meritò respondet affirmatiuè. & sic docet Philippus de la Cruz *in Norte de Confessores tract.1 §.1.* vbi sic ait: [Hase de saber, que en ninguna ocasion ha de oyr de confession à muchos juntos, ni absoluerlos, solo en vn caso, como quando ay peligro de muerte en guerra, y naufragio, que entonces bien puede absoluer à muchos.] Ita ille. & Layman *lib.5. tract.6. capit.13. num.5.* Zambranus *de sacrament. Pœnitent. capit.4. dub.6. numer.14.* Valboa *in lect. Salmat. tom.1. cap. omnis, &c. num.37.* Cælestinus *in compen. Theolog. moral. tract.1. cap.10. cas.4. in fine.* Henriquez *lib.2. de pœnitent. cap.12. num.3.* Sotus *in 4 distinct.18. qu.2. art.5.* Angelus *ver. Confessio 1.num.18.* & alij.

Vasquez *in 3. part. tom.4. quæst.91. art.4. dub.3.* Coninck *de Sacrament. disput.5. dub.10.* & alij putant in tali casu supradictos non teneri publicè confiteri, cùm remedium habeant contritionis, sed posse id facere si volunt, & tunc solùm dimidiatur confessio materialiter ex iusta causa, non autem formaliter, quia intentio illorum erat omnia confiteri si possent. Verùm an teneantur ita publicè confiteri, quando sciunt, aut dubitant probabiliter se veram contritionem habere, est dubium. Multi absolutè dicunt neminem teneri publicè, aut per interpretem confiteri, sed non loquuntur speciatim de articulo mortis, & casu præsenti, in quo de sua contritione dubitant probabiliter, & hi sunt Toletus *lib. 3. summ. cap.6.* Sotus *in 4. distinct.18. quæst. 2. art.6.* Victoria, Valentia, Canus, & alij, quos citatos inuenies apud Auctorem *Annotationum in Tolet. c.6. lib.3.* & certè ambiguè in præsenti casu loquitur Henriquez *lib.2.de pœnit. c.2.* Dicendum tamen est in præsenti casu, in quo quis in mortis articulo dubitat an verã habeat contritionẽ, teneri vel publicè vel per interpretem saltem aliqua peccata minora, scandali confiteri propter periculum salutis æternæ, maius est enim periculum salutis æternæ,

quàm

quàm infamiæ, & maior iactura illius, quàm famæ temporalis amissio. & ita docet Fagundez *pr. 2. lib. 3. cap. 3. numer. 11.* qui citat Suarez, Petrum Sotum, Canum, & Sylvestrum, quibus ego addo Granadum *de Sacram. in 3. part. contr. 7. tract. 9. disp. 4 num 2.* Sed ego, vt verum fatear, semper puto in tali casu probabiliter dubitandum esse de contritione, per ea quæ ipse *contr. 7. tract. 1. disp. 9. sect. 6. num. 28.* asserit, vt infrà dicam: ergo facienda videtur confessio, & sufficeret vnum solum peccatum declarare, omissis etiam grauioribus, vt docet Hurtadus *disp. 8. diffic. 2.* Imò plus addo, quòd si in particulari non possent supradicti peccatum aliquod declarare, sufficeret vt omnes cum aliquo signa significent se peccasse. Sed audiamus doctum Hurtadum *de Sacram. Pœnit. disp. 9. diffic. 10.* vbi sic ait. In periculo mortis, vt in peste, bello, aut naufragio, quando periculum imminens aliud non permittit, possunt omnes simul signo aliquo, vt genuflexione, significare se peccasse sic in communi, & de eo dolere, vt contingit, si Confessarius dicat, Omnes qui volunt à peccatis absolui, genuflectant, & tunc etiam possunt omnes simul absolui à Confessario, dicente, Ego vos absoluo à peccatis vestris. Ita Hurtadus, quod est valdè notandum.

Resol. LXXII. *An in articulo mortis teneatur quis confiteri per interpretem?*

NEgatiuam sententiam docet Vasquez *in 3. p. tom. 4. quæ. 99. art. 4. dub. 3* Coninck *de Sacram. disp. 8. dub. 10. n. 75.* & alij. Probatur ex *c. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* vbi dicitur, *Omnis fidelis vtriusque sexus &c. tenetur solus confiteri sua peccata proprio Sacerdoti.* vbi illa particula *solus* satis indicat neminē teneri per interpretem cōfiteri, vt patet ex Concil. Trident. *sess. 14. cap. 5.* vbi dicitur neminem teneri confiteri nisi secretè apud solum Sacerdotem; & ratio est, quia præcepta Ecclesiastica non obligant cum tanto onere; & confirmatur, quia si scirem quòd Confessor vni soli meum peccatum esset reuelaturus, non tenerer ei confiteri, vt Doctores cōmuniter asserunt, etiamsi ille teneatur ad sigillum, quando sibi constat quòd Sacerdos confessionem reuelat: ergo eodem modo non tenebor illud confiteri, quando vel vnus alius præter ipsum Sacerdotem hoc debet audire.

Sed aliqui putant in mortis articulo homines obligari ad confessionem per interpretem, quando nullo alio modo potest quis aliquod saltem peccatum immediatè declarare Confessario, quod probatur authoritate Angelici Magistri D. Thom. *in addit. ad 3. part. q. 9. art. 3. ad 2.* vbi affirmare videtur præceptum confessionis obligare vt medio interprete quis cōfiteatur, cùm aliter non potest, quod in aliquo casu verum esse debet, ne alioqui à tanto Doctore recedamus. Canus autem existimat S. Thomam in hoc tantùm casu fuisse locutum. Idem docet Sylvester, ex Dominicana familia. Secundò probatur ratione, nam ipsum naturæ lumen, & multò magis gratiæ, manifestat teneri hominem in articulo mortis diligentiorem suæ salutis curam gerere, posthabito mundano honore, aut alia difficultate: ergo si reus sit culpæ lethalis, tenetur eam confiteri Sacerdoti medio interprete si aliter non possit. Probatur consequentia primò, quia aliter non exiguo damnationis periculo exponetur, nam sine confessione non deletur culpa lethalis, nisi per contritionis actum (saltem si non recipiat aliud Sacramentum.) contritionem autem veram habere valdè difficile est, præsertim in articulo mortis, cùm ex vna parte corporis imbecillitas impediat animi promptitudinem; ex altera timor gehennæ ad attritionem alliciat. Si autem confiteatur, certum est sufficere attritionē, saltem si existimetur contritio, quamuis reuera contritio non sit; & ita docet Iacobus Granadus *de Sacramentis in 3. part. contr. 7. tract. 1. disput. 9. sect. 6. num. 28.* vbi citat Suarez, & Canum.

Notandum est tamen etiam stando in prima sententia, quòd si pœnitens existens in peccato mortali habet probabilē existimationē de sua contritione, nec ex præcepto propriæ charitatis, tenetur in articulo mortis confiteri per interpretem, quia tunc non videtur ea confessio moraliter necessaria ad salutem, nec Deus videtur obligare cum tanto onere, & quia ille modus confessionis de se est publicus: si autem probabiliter dubius est de sua contritione, tunc ex præcepto diuino & naturali propriæ charitatis tenetur confiteri per interpretem, ne se exponat periculo æternæ damnationis, quia cùm absolutè teneatur Deo satisfacere, meritò in casu dubio obligatur. Potest tamen tunc pœnitens ea peccata confiteri, quæ cum minori infamia explicare potest, tacitis iis, ex quibus notabilis infamia vel sibi, vel alteri sequi potest; non enim in eo casu tenetur facere confessionem materialiter integram, sed formaliter. & ita docet Fagundez *pr. 2 lib. 1. cap. 6. num. 8.* Hurtadus *de sacram. Pœnit. disp. 8. diffic. 2.* Præpos. *in 3. part. quæst. 4. de confess. dub. 1. num. 68.*

Resol. LXXIII. *An in articulo mortis sit confessio facienda laico, quando non adest Sacerdos?*

NOn desinam hîc apponere verba Philippi Gamachæi *in summa Theolog. tom. 3. de sacram. Pœnit. cap. 16.* vbi sic ait. Respondemus peccatorum confessionem posse aliquando fieri apud laicum, modò id prudenter, & seruatis seruandis; non tamen fieri eo sensu, eoque animo, vt sit verè sacramentalis, & laicus det absolutionem, id enim dicere esset hæreticum. Legatur Concilium Tridentinum *sess. 4. c. 10.* & qui peteret absolutionem à laico, esset sacrilegus, & laicus præsumens dare, fieret irregularis. probant Doctores ex *cap. si quis, & c. ex litteris, extrar. de Clerico nō ordinato.* Potest igitur solùm fieri talis confessio ad maiorem humilitatem & contritionem ad placandam iram Dei, ad redimendam aliquam partem pœnæ peccatis debitæ; siquidem erubescentia, & confusio cùm sit res valde difficilis, plurimum iuuant, fauēte charitate, ad minuendam eiusmodi pœnam, estque magna pars pœnitentiæ, vt eodē loco habet S. August. Imò concedimus peccatorem non solùm posse, sed aliquando etiā debere confiteri laico in articulo mortis, quādo non potest vllum inuenire Sacerdotē, & tamē ex hypothesi iudicat se consilio

indigere

indigere ad ſalutem ſuam, nec aliud occurri conſilium, quàm laici viri prudentis ac probi, vel quia fortaſſis quæſtio eſt de rebus ad lites ad reſtitutionem aliquam pertinentibus, vel agitur de admonenda tertia perſona, vt furtum reſtituat, reſipiſcat, ſibi caueat, veniam concedat; ſi ægrotus fuerat illi cauſa peccandi & perditionis; hæc enim omnia poſſunt fieri conſilio, & miniſterio laicorum, quale etiam eſt, ſi ægrotus offenderit alterum, & graues cum eo geſſerit inimicitias, nempe vt tunc ſtudeat, quantum in ſe eſt, ei reconciliari, ſiue præſenti, ſiue abſenti, & palàm id profiteatur, remouendo ſcandala, quæ olim præbuiſſet, ad id enim iure diuino & naturali obligatur; aut ſi ægrotus experiatur vehementes tentationes, timeatque præſens naufragium vel præſumptionis, vel deſperationis, niſi conſulat virum prudentem, à quo auxilium, & conſolationem accipiat, tunc enim tenetur vlcus aperire laico, ſi deſit Sacerdos, aliàs non tenetur cõmuniter. Huc vſque Gamachæus. Cui adde Turrianum *de ſacram. Pœnitent. diſput. 23. dub. 1.* Coninck *de Sacrament. diſput. 8. dub. 1. numer. 6.* Hurtadum *de ſacram. Pœnitent. diſput. 10. difficult. 1.* Præpoſitum *in 3. part. quæſt. 7. de Miniſtro Pœnitent. dub. 1. numer. 20.* & Iacobum Granado *de Sacram. in 3. part. contr. 7. tract. 10. diſput. 1. numer. 8.* qui benè obſeruat talem confeſſionem ex humilitate, vel ad capiendum conſilium faciendam laico tempore mortis fieri debere non ſine delectu, & maturo conſilio. Imò non videtur approbare Sahagun de Villa-Sante in *in cap. decernimus, numer. 113. de iudiciis.* Vaſquez *in 3. part. tom. 4. quæſt. 93. art. 1. dub. 2. numer. 2.* & ego apertè reprobo cum Marchino *de peſte part. 3. cap. 11. numer. 7.* Vnde cum Fagundez *præc. 2. lib. 7. cap. 31. numer. 8.* puto ineptam prorſus eſſe confeſſionem illam, quam quidam nautæ in tempeſtatibus, & periculis extremis deficiente Sacerdote efficiunt alij aliis peccata ſua confitentes, cùm neque valida ſit, neque ad capiendum conſilium neceſſaria, & ideo hic abuſus omnino euellendus eſt, & eis conſulendum, vt in eo periculo de ſalute curent per veram contritionem.

Neque obſtat Concilium Conſtantienſe *in Bull. Martini V.* in qua condemnantur hæreſes Ioann. Wicleph. & Ioann. Hus, & inter alias interrogationes, quæ ibi proponuntur pro iis, qui ſunt ſuſpecti de illa hæreſi, vnam eſſe, vtrum credant quòd Chriſtianus vltra contritionem cordis habita copia Sacerdotis idonei, ſoli Sacerdoti de neceſſitate ſalutis confiteri teneatur, & non alteri, nec laicis, quantumcumque bonis & deuotis. vbi cùm additur, habita copia Sacerdotis idonei, videtur indicari in abſentia illius eſſe neceſſarium confiteri laico. Dicendum tamen eſt, argumentum à contrario ſenſu licet alioqui ſit magni ponderis, nihil tamen valere, quando id, quod à contrario infertur, eſt prohibitum & definitum. Vnde cùm in Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 6. can. 10.* definitum de fide ſit ſolos Sacerdotes, & non alios eſſe Miniſtros huius Sacramenti. Si quis dixerit Sacerdotes, qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi & ſoluendi non habere, aut non ſolos Sacerdotes eſſe miniſtros abſolutionis, &c. anathema ſit. nullius eſt momenti argumentum quod infertur à contrario, maximè quia in Concilij Conſtan. Bulla ſolùm proponitur interrogatio de eo, quod ad fidem pertinet, cætera ad quæſtionem Theologicam dimittens.

RESOL. LXXIV. *An tempore peſtis poſſit quis audire aliqua peccata, & confeſſione non finita moribundum abſoluere?*

NEgatiuam ſententiam mordicus ſuſtinet Philippus Marchinus *de peſte part. 3. c. 4. n. 5. & ſeq.* vbi ex ſeptem argumentis conatur hanc ſententiã ſtabilire, adi illum, & non pigebit.

Non deſunt tamen Doctores affirmatiuam ſententiam ſuſtinentes, licet conſulant Confeſſarios integram confeſſionem audire. Et ita docet Zambranus *de ſacram. Pœnit. c. 4. dub. 6. num. 12.* vbi ſic ait: Si quis non audeat tempore peſtis audire infectũ, quia timet probabiliter ſibi periculum mortis ex infectione, audiat ſaltem non integrè, ſe accommodando opinioni iuniorum aliquorum, aſſerentium poſſe fieri licitè, quia ſicut ſecundùm omnes excuſatur pœnitens ab integritate, quando ex illa ſibi timet damnum corporis, vel rei familiaris, vel honoris; quia ſcilicet Confeſſarius ille iniuſtè pœnitenti inferret aliquod ex prædictis damnis, ſi ille integrè confiteatur; ita etiam excuſatur Confeſſarius ab audienda integra confeſſione, ex qua ſibi mortem timet. Ita ille, & poſt illum Chapeauilla *de ſacram. Pœnit. quæſt. 26. in fine*, vbi ita aſſerit. Quid ſi æger velit integrè confiteri? Reſpondeo, ſi Paſtor timet probabiliter periculum mortis ex infectione peſtilentis, non tenetur audire, ſed excuſatur, ſecundùm multos recẽtiores Doctores eruditos & pios, quorum ratio videtur eſſe, quia ſicut ſecundùm omnes excuſatur pœnitens ab integritate confeſſionis, quando ex illa ſibi timet damnum corporis, vel rei familiaris, vel honoris, quod ſcilicet Confeſſarius ipſi iniuſtè inferret, ſi illi integrè confiteretur; ita etiam excuſatur Confeſſarius ab audienda integra confeſſione, ex qua ſibi à confitente mortem timet. Quod noto in ſolamen Paſtorum, & eorum, qui necdum tanta charitate ardent, vt periculum vitæ corporalis pro maiori quiete ſpirituali proximi adire audeant. Hęc Chapeauilla, & ideo hanc ſententiam docet etiam Iacobus de Granado *de Sacr. in 3. p. D. Tho. contr. 7. tract. 9. diſput. 5. ſect. 3. num. 20.* Layman *l. 5. tract. 6. cap. 13. num. 4.* Coninck *de Sacr. diſp. 7. dub. 9. num. 75.* Hurtadus *de ſacr. Pœnit. diſp. 9. diffi. 10.* Turrian. *de pœnit. diſp. 30. dub. 1.* Suarez *in 3. part. tom. 4. diſput. 23. ſect. 1. numer. 1.* & alij. Et hæc opinio magis procederet ſi Confeſſarius audiendo alicuius moribundi integram confeſſionem, alij ſine confeſſione morerentur. Vnde Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 9. diffi. 33. n. 6.* ſic ait. [El Confeſſor que confieſſa los que eſtan en tormenta, baſta que oyga dos ò quatro pecados, ò cada vno, y aſſi los abſuelua, ſino puede oyrlos enteramente, como dize Suarez cõ mucha probabilidad, y ſe puede ſeguir. La razõ es, porque vno puede callar el pecado por el daño temporal que ſe ſigue à otro, como diremos abaxo, luego mejor podrà por el peligro eſpiritual

ritual de los otros, que si no es assi, no se pueden confessar.] Ita ille, cui adde Ioannem de la Cruz *in direct. conscien. part. 2. de sacra. Pœnitent. q. 3. dub. 5. conclus. 3.* vbi sic asserit. Aliquando per accidens licitè dimidiatur confessio. Primò si pœnitens ex defectu loquelæ, aut infirmitate vexatus, non potest omnia peccata confiteri. Ita Medina *in summa lib. 2. cap. 8.* Secundò si Confessor timet, quòd audiendo integram pœnitentis confessionem eius mortali morbo inficietur, aut si sint multi infirmi, & si Cõfessor audit integram confessionem vnius, alij morientur sine confessione. Hæc Ioannes de la Cruz.

Et tandem non desinam hîc apponere verba Gabrielis Vasquez *in 3. part. tom. 4. quæst. 91. artic. 2. dub. 2. num. 2.* vbi sic ait. Licitum est aliquando integram non facere confessionem ex parte etiam aliorum, qui expectarent idem beneficium absolutionis ab eodem Sacerdote, vt in bello, aut peste, vbi videremus plurimos periclitantes hoc remedio indigere, & alios priuare illo; si vnius confessio integrè exciperetur, imò in hoc casu tenetur Sacerdos ex misericordia, vt aliis subuenire posset, confessionem non perficere, imò ipse si non vellet, qui forsan scrupulo detineretur, aut alia de causa pœnitens qui videret aliorum periculum, posset non perficere confessionem, imò teneretur, quia teneretur alij succurrere, nec detinere Sacerdotem; secus verò quando Sacerdos timens adhuc infectionem periculosam nollet relinquere confessionem, sed eam integram audire, si enim non tantùm pœnitens non teneretur eam non perficere, sed nec posset, quia quamuis Sacerdos posset, nec teneretur cum tanto periculo integram excipere confessionem, tamen posset etiam simile subire periculũ, vt integram confessionem audiret, & consolaretur ægrotum, & ita iam posset ægrotus integrè confiteri: quod si posset, teneretur, vt constat. Huc vsque Vasquez *vbi suprà.*

RESOL. LXXV. *An Sacerdos ferens infirmo communionem, si ei dicat velle reconciliari, & in reconciliatione inueniat illum multas confessiones inualidas fecisse, quid facere debeat Confessarius?*

HVnc casum scio in praxi quodam in oppido accidisse, & ad illum ita respondet Zambranus *de sacram. Pœnit. cap. 4. dub. 6. num. 6. & 7.* vbi sic ait. Quando Sacerdos fert infirmo Eucharistiam, infirmusque ei dicit se velle vnum verbum reconciliare, & in reconciliatione dicit se longo tempore mentitum fuisse in confessione, vel ex alia causa sit futura longissima confessio præter intentionem, quia dixit se tantùm velle dicere vnum verbum. Tunc si infirmitas sit ita periculosa, vt meritò timeri possit mors, si confessio & absolutio differantur in aliud tempus, faciat Confessarius diligentias aliquas audita confessione per dimidiam horam, & crassa accusatione de aliis peccatis modo ibi explicato, conueniat, vt dixi, cum pœnitente de eius reditu ad perficiendam dictam confessionem, sumpta occasione alicuius negotij. Probatur, quia sic occurritur omnibus incommodis. nam & subuenitur infirmo absolutione sacramentali, præmissa confessione possibili pro temporis opportunitate, & ministratur Eucharistia necessaria, & vitatur scandalum. Et nota quæ esset si longissimo tempore expectaretur à multis sanctissimum Sacramentum comitantibus perfectio exactæ confessionis. Si autem infirmitas non sit ita periculosa, & confessionem per dimidiam horam integrè fieri posse tolerabiliter non speretur, tunc curet Confessarius, vt faciat actum veræ contritionis propter Deum super omnia dilectum, & det ei Eucharistiam, monens illum de obligatione, quam habet integrè confitendi eo, vel sequenti die, accersito Confessario prætextu alicuius negotij. Probatur, quia tunc esset scandalum si non communicaretur; & ex alia parte est minus inconueniens communicare sine confessione præmissa, quàm ea facta præproperè, & non integrè; sicut de eo qui est proximus communioni, & iam accessit ad linteum, dicunt aliqui Doctores. Huc vsque Zambranus, cui etiam adde Iacobum Granadum *de Sacram. in 3. part. D. Thom. contr. 7. tractat. disput. 5. section. 3. numer. 20.* Et ideò præcipuè in villis & paruulis oppidis aduertant omnes Confessarij antequam deferant infirmo sacram communionem, aliquem mittere, qui illum interroget, an velit de aliquo crimine se reconciliare, vt supradicta incommoda omnino euitentur.

RESOL. LXXVI. *An in articulo mortis teneatur quis elicere actum contritionis, ita vt non sufficiat attritio cognita cum Sacramento?*

AFfirmatiuam sententiam tenet Iacobus Granado *de Sacra. in 3. p. controu. 7. tract. 3. disput. 3. sect. 4. num. 17.* Tannerus *tom. 4. disput. 6. quæst. 6. dub. 3. num. 66. & 68.* & Præpos. *in 3. part. quæst. 2. de contr. dub. 5. num. 57.* vbi sic ait. Aduerte tamen in fine vitæ hominem videri ex charitate erga se teneri ad perfectam contritionem procurandam, licet enim aliæ sententiæ non appareant probabiles, si tamen prima ex quocumque demum capite fortè sit vera à parte rei ex eius neglectu, sequetur malum irreparabile, charitas autem erga se videtur hominem obligare vt malum illud quantum in se est, euitet, enitendo etiam ad aliquid, ad quod per se loquendo, non obligaretur extra huiusmodi circumstantiam. Ita ille, & alij, quos ego citaui *in part. 3. tra. 4. resolut. 98.* Sed ibi pro sententia negatiua, quam ego teneo, plures alios Doctores adduxi, quos, si lubet, videbis.

RESOL. LXXVII. *An si non adsit Sacerdos, liceat laico absoluere moribundum à censuris, vt non careat Ecclesiastica sepultura?*

PRo sententia affirmatiua, & negatiua plures Doctores adduxi *in 3. part. tractat. 4 resolut. 133.* & *ibi* affirmatiuam sententiam etiam probabilem esse docui, & docet etiam Layman *lib. 1. tractat. 5. part. 2. cap. 6. numer. 2.* vbi negatiuam sententiam, quam ipse tenet, vocat tantùm probabiliorem, & pro affirmatiua adducit glossam, Abbatem, Syluestrum, & Armillam, quibus ego addo Philippum de la Cruz *in Norte de Confessores, tractat. 1. §. 1.* vbi sic

sic ait. [No hablo aqui de la absolucion de las censuras, que puede absoluer dellas en el articulo de la muerte no solo el aprobado, ni el simple Sacerdote, pero qualquier fiel bautizado, aunque sea herege, con la comun, como lo dizen Siluestro, y Couarr. La razon aunque breue es, que el Clerigo de prima tonsura puede absoluer de la descomunion, y assi por la misma razon ha de poder qualquier bautizado. Porque estando en derecho diuino, ambo son capazes de la tal iurisdicion, como es cierto, que al de primera tonsura no sele da facultad para absoluer al descomulgado por ella que no siendo Orden, nole prouiene della. Y assi hemos de conceder lo general, en que pueden absoluer en tal caso de las descomuniones todos los fieles, siendo bautizados, aunque son hereges, no obstante que otros digan lo contrario.] Sic ille. Et post hæc scripta inueni hanc doctrinam docere nouissimè Philibertum Marchinum *in suis Commentarijs de bello diuino, seu de peste part.3.cap.12.num.3. & seq.* vbi probat non solùm licere sequi hanc sententiam, cùm sit probabilis, sed etiam teneri omnes illam sequi, quia cùm ista absolutio lata à non Sacerdote, vel à laico, non possit nocere, sed valdè prodesse morituro, vt in loco sacro sepeliri, atque communibus Ecclesiæ suffragijs gaudere possit, charitas Christiana postulat, vt data probabilitate huius sententiæ non illum in tanto periculo, & necessitate spirituali deseram absque vllo meo incõmodo. Et reuera si Ecclesia pro articulo mortis confert iurisdictionem absoluendi à censuris & peccatis cuilibet capaci talis iurisdictionis, hoc enim postulat Ecclesiæ benignitas, & fauor animarum; sed laicus est capax iurisdictionis absoluendi à censuris, si Papa velit eam illi demandare, quod à nemine negatur: ergo conijciendum est illam eidem demandasse, atque hanc esse piam illius mentem, ne excommunicatus priuetur post mortem communibus Ecclesiæ precibus, suffragijs, atque Missę sacrificio. Cæteras rationes videbis apud ipsum.

Sed obseruandum est cum Trullenck *in Bull. Cruc. lib.1.§.7.cap.2.dub.5.n.7.* & Sanchez *in summa tom.1.lib.2.cap.13.num.13.* quòd licet supradicta opinio, nempe laicum deficiente Sacerdote posse absoluere à censuris, sit probabilis, expedit tamen quoties à Sacerdote absolutio obtenta non est, vt post mortem prosit absoluto, obtineatur noua absolutio ab illo, cui excommunicatio erat reseruata, si commodè fieri possit, quia si opinio dicta non sit vera, carebit absolutio valore suo, ac proinde postea non proderunt absoluto Ecclesiæ suffragia.

RESOL. LXXVIII. *An hæretico negatiuo iam destinato ad comburendum sit absolutio impertienda?*

PRo parte negatiua *in part.1.tract.5. resolut.8.* adduxi Sanchez; pro affirmatiua verò Portel; sed pro curiosis non desinam modò hîc apponere sententiam Hurtadi de Mendoza *de fide vol.1. disp.86. sect.2.§.29.* vbi sic ait. Dubium occurrit, quid agendum sit cum hæretico negatiuo? an ei possint sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ conferri, an ei sint neganda. Ego distinguo duas rationes ei sacramenta conferendi. Prima est ex authoritate iudicis accersentis Sacerdotem, vt ei ministret confessionem, eumque absoluat, & det Christi corpus. Secunda est sine iudicis authoritate, vt si Sacerdos à iudice adhibitus velit iudice inconsulto audire peccata negatiui: ex cuius sacramentali confessione colligit prudenter eum esse innocentem, & ne falsum quid dicat, esse paratum ad supplicium. Pater Suarez *disput.23.sect.2.num.5.* supponit eum non esse donandum Sacramentis, in quo est deterioris conditionis hæretico confesso. Ego hanc sententiam interpretor de prima ratione conferendi Sacramenta, idque probat ratio Patris Suarez, eum non debere in Ecclesia tolerari, quia non est illi reconciliatus, quæ clara sunt in reconciliatione & tolleratione iuridica, siue forensi, quia leges fori sunt illi aduersæ. At non video cur Sacerdos priuatim non possit illum absoluere, imò videtur ad id teneri, quia priuatim leges fori non præiudicant legibus conscientiæ: potest enim quis innocens in conscientia, esse reus in foro. Demus Sacerdoti constare euidenter de innocentia negatiui, vel quia testes confessi sunt crimen falsi testimonij, vel quia decepti sunt in persona accusata, vel aliam ob causam. Hic tenetur negatiuum absoluere, quia omnia argumenta videt veræ pœnitentiæ, & alioquin exponeretur periculo damnationis. Idem dico etiamsi Sacerdos non sit certus de falso crimine, quia in foro sacramentali standum est confessioni ipsius pœnitentis, dum non conuincitur mendacij à ministro Sacramenti, tunc autem non conuincitur; ergo tenetur stare illius confessioni. Igitur dum prudenter credit negatiuum esse verè pœnitentem, tenetur illi dare sacramentum Pœnitentiæ, priuatim tamen & occultè, iudice vt iudice inconsulto, quia vt iudex id tenetur prohibere. Confirmatur, quia collatio Sacramenti nulli periculo tunc exponitur: negatio autem Sacramenti est exposita periculo damnationis æternæ negatiui; ergo est administrandum id Sacramentum, quod censeo de ipso iudice Ecclesiastico; si enim præter illum nullus adesset Sacerdos, tenetur excipere confessionem sacramentalem negatiui, & illum absoluere, si prudenter senserit illum esse ritè confessum, nec licitè potest id prohibere Sacerdotibus, quamuis in foro agant cum negatiuo more in pertinaces seruato. Huc vsque Hurtadus.

Notandum est etiam hîc obiter id, quod docet Masinus *in pract. Inquis. part.10.num.57.* vbi sic ait. [L'heretico, il quale in articulo mortis viene assoluto deue, s'haura con la sua falsa dottrina ingannato alcuni promettere di satisfare, cioè scuoprir loro la frode. La qual cosa non s'intende hauer luogo qualcunque volta egli habbia di gia sodisfatto, ô non possa in verum modo sodisfare, ô perche gli ingannati siano assenti, ô perche egli poco stante debba esser condotto alla morte, eccessa altresì la necessità di tal cautela, quando per altra via sia stato à gli ingannati scoperto l'inganno.] Sic ille.

RESOL. LXXIX. *An Sacerdos infirmis peste morientibus possit Sacramentum extremæ Vnctionis ministrare virgula argentea oblonga*, &c.

AFfirmatiuam sententiam olim docui *in 3.part. tract.4.resolut.167.* cum Syluio & Chapeauilla; quibus nunc addo Victorellum *tract.de sacram. extremæ Vnctionis, fol.68.* & Marchinum *de peste part. 3.cap.5.num.1.* vbi sic ait. In magno vitæ discrimine non esse incongruum ministrari à Parochis extremam Vnctionem à longè virgula quadam, siue argentea, siue lignea, siue ex alia materia confecta ad pestem euitandam; & ratio afferri potest, quia ex vna parte huiusmodi instrumenti vsus non infert aliquam huic Sacramento irreuerentiã, ex alia magnum nobis à natura ius tribuitur conseruandæ vitæ. Sic ille. Idem etiam docet Ioannes Præpositus *in 3.part. quæst. vnic. de sacram. extr. Vnct. dub.6. num.48.* Barbosa *de officio Parochi, cap.22.num.16.* Iacobus Mancinus *in practica visitandi infirmos, pract.8. dub.18.* vbi ita asserit practicasse D. Petrum de Marchis Archiepiscopum Smyrnensem, vide etiam Suarez *tom.4.disput.44 sect.3.num.20.* Sed an in tali casu liceat Parocho ministrare extremam Vnctionem, vngendo quidem omnes quinque sensus, sed vnam aurem, vnum oculum, vnam narem, pedem, manum, & deinde vtendo hac forma omnes singulas partiales sub vna totali amplectente: Per istas sacras vnctiones indulgeat tibi Deus quidquid per visum, auditum, olfactum, gustum, & tactum deliquisti. & affirmatiuè respondi *vbi suprà resolut.168.* cum multis Doctoribus, quibus nunc addo Marchinum *loco cit.cap.7.* cum Filliucio *tom.1.tract.3.c.5. num.129.* vbi sic asserit. In casu necessitatis, quando nimirum esset vel periculum contagij, vel vt infirmus antè moriatur, sub conditione mente concepta posset Minister vnica actione attingere quinque sensus, vngendo vnum oculum, vnam aurem, & vnam manum, &c. & super hanc totam vnctionem proferre formam, quæ omnes quinque comprehendat dicendo: Per has sacras Vnctiones indulgeat tibi Deus quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum peccasti. Sic enim faciendo, nec fit iniuria Sacramento, & proximo potest esse valde vtile, fortè etiam ita saluabitur, qui aliàs condemnandus fuisset, vt si esset tantùm attritus, & confiteri aliàs non posset. Ita Filliucius. Sed maior difficultas est in casu sequenti.

RESOL. LXXX. *An liceat ministrare infirmo peste laboranti extremam Vnctionem, vngendo vnicum corporis sensum, v.g. manum solam, vel oculum solum, ac vti forma verborum generali: Per istam sacram Vnctionem indulgeat tibi Deus, quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum & tactum deliquisti?*

NEgatiuam sententiam docet Philibertus Marchinus *de peste part.3. cap.6 num.16.* vbi docet multo verius esse ac tutius, vnctionem quinque sensuum esse de necessitate Sacramenti, consequenter etiam grassante peste omnes quinque vnctiones esse adhibendas, vel potiùs hoc Sacramentum omittendum. Huic conclusioni multum suffragatur Florentinum in Decreto Eugenij, vbi agens de hoc Sacramento tradit, materiam illius remotam esse oleum oliuarum, proximam esse vnctiones in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibi vigentem. Probatur etiam ab eodẽ hæc opinio, quia mortale est, applicare morituro materiam vel formam Sacramenti dubiam; etenim qui sic se gerit, primò exponit se periculo irritandi Sacramentum contra reuerentiam Sacramentis debitam; deinde exponit periculo salutis infirmum, si fortè non erat attritus, contra charitatem proximo debitam in tanta necessitate constituto. Altera ratio est, quia non est verisimile in tota Ecclesia hanc vngendi quinque sensus consuetudinem perpetuò viguisse, cuius initium non extat, nisi ex Apostolica traditione haberemus has quinque vnctiones esse huic Sacramento substantiales.

Verùm his non obstantibus contrariam sententiam probabiliter ego tenui *in 3 part.tract.4.resolut.* 168. cum Syluio, cui nunc addo Iacobum Granado *de Sacr. in 3.part.contr.8.tract. vnic. disput.7 n.12.* vbi loquens de Pastorali Mechlinienſi, vbi dicitur, In morbis contagiosis sufficere vngi organum sensus magis obuium, dicendo formam: Per istam, &c. sic ait. Puto hanc doctrinam non esse damnandam, & posse ita sine peccato ministrari hoc Sacramentum saltem sub conditione, cùm aliter non fuerit inuentus qui ministret, vel certè propter morbum contagiosum imminuerit periculũ Sacerdoti, qui magis detineretur, vt omnes vnctiones perficeret. Recolendum ergo est duos doctos recentiores, nempe Suarez & Henriquez, probabile existimare in singulis vnctionibus conferri partem aliquam gratiæ, & consequentes aliqua auxilia actualia, quæ sunt effectus extremæ Vnctionis: quæ doctrina licet vera nobis visa non fuerit, non est digna vlla nota, nec censeri debet improbabilis iuxta illam: ergo potuit prædictum Pastorale præscribere, vt in morbis contagiosis, ne inficerentur Parochi peste, dum detinentur in vngendis quinque sensibus, & pronũtianda forma in singulis vnctionibus, vt solùm vngerent vnum vel alterum sensum magis peruium, & proferrent verba illi vnctione respondentia. Sic enim quamuis non reciperet ægrotus Sacramentum integrum, certè reciperet partem illius, & cum aliqua parte gratiæ, quæ sufficit ad tollenda peccata lethalia, & insuper aliqua auxilia, quibus roboraretur aduersùs tentationes, & fastidium ex peccatis relictum, quod licet non sit certum, est tamen non improbabile; & aliunde, cùm extrema Vnctio non sit de necessitate salutis, non irrogaretur ægroto iniuria, nec ipsi Sacramento, præsertim si apponeretur conditio, saltem intra mentem Sacerdotis ministrantis, & aliunde obuiaretur periculo mortis, quod ipse Sacerdos subire posset. Concludo ergo, non definiri ab hoc Pastorali, nec ab Vniuersitate Louanienſi quidquam cõtra assertiones huius nostræ disputationis; nõ enim affirmant non esse necesse vngi organa sensuum, & repeti verba formæ ad integrũ Sacramentũ extremæ Vnctionis, sed solũ licere in casu necessitatis

ministrare

ministrare hoc Sacramentum, quasi dimidiatum, applicando partem illius, quia non est improbabile sic obtineri aliquam gratiam habitualem & actualem, imò & corporis sanitatem, & alioqui cùm nō sit Sacramentum necessarium ad salutem, excusari potest Parochus ab obligatione conferendi illud integrum, & certum, ne alioqui peste inficiatur. Huc vsque Granadus. Et hanc sententiam nouissimè sustinet Iacobus Marchant. *in Candelabr. de Sacr. tr.6.lect.3.fol.388.* vbi sic ait. Quæritur quantū ad extremam Vnctionem, an in periculo contagij sufficiat vnica vnctio in aliqua corporis parte? Respondeo hanc opinionem probabilem omnino esse, tum ob auctoritatem Doctorum, tum ob multiplicem rationem, ideoque à multis hoc tempore in praxi vsurpatur. Ita ille.

Notandum est tamen, stando etiam in prima sententia, quòd quoties vrget periculum præuisum vel ex parte infirmi, quòd morietur ante quinque vnctiones, vel ex parte Ministri, quia timet contagium, si pestiferatum vngat quinque vnctionibus, vel dum timet, si vnum quinque vnctionibus vngat, alios ægrotos in maiori mortis articulo constitutos absque vlla vnctione decessuros. In his tribus casibus Sacramentum istud posse à Sacerdote per vnam vnctionem perfici, dummodo vel ipse intendat, vel saltem à Christi institutione non discedat, quia sine intentione Ministri non perficitur Sacramentum. Ita Marchinus *vbi suprà, num.26.*

RESOL. LXXXI. *An excommunicatus nominatim, vel suspensus possit in articulo mortis ministrare infirmo sacramentum extremæ Vnctionis?*

CEnset Suar. *in 3.p tom.8.disp.44.sect.2.num.6.* excommunicatum non posse, posse verò suspensum, quia hæc censura nō priuat actu ordinis. Verùm id videtur, pace viri docti, minùs solidè dictū, quia vel suspensio est totalis, quam communi iudicio constat prohibere etiam exercitium ordinis, vel est partialis ab officio vel ordine, quo casu etiā prohibet functionem ordinis, & administrationem Sacramentorum; vel est tantùm à beneficio, vel iurisdictione, & eo casu etiam nominatim suspensus potest Sacramentum ministrare, quia suspensio à iurisdictione solùm prohibet actus, qui sunt intrinsecè actus iurisdictionis, vt excommunicare, non verò qui sunt actus solius Ordinis, quamuis requirant in Pastore iurisdictionem, vt licitè exerceantur. Itaque respondeo quo casu suspensus ab ordine potest hoc Sacramentum ministrare, posse etiam excommunicatum; vnde dico si Sacramentum sit infirmo ad salutem extremè necessarium, iuxta modum superiori dubio positum, desitque copia alterius Sacerdotis, posse, imò debere Pastorem nominatim excommunicatum, vel suspensum ministrare, neque eo casu rigorem Ecclesiasticæ censuræ habere locum, cùm ea, quæ pro disciplina Ecclesiastica sunt instituta, non debeant vergere in apertum detrimentum animarum. Et hæc omnia docet Ioannes Præpositus *in 3 part.q. vnic.de sacram. extrem. Vnctionis, dub.6.n.144.* qui etiā in eodem loco putat hanc doctrinam esse fortè veriorem, etiamsi hoc Sacramentum non esset ad salutem infirmi necessarium, quia videlicet fuerit confessus; nam licet in tali casu non sit ad salutem necessarium, est tamen maximè vtile, & conducens ad remissionem venialium, & ad robur contra diabolicos insultus maximè necessarium: ergo Ecclesia, quæ propter longè inferiorē vtilitatem permittit commercium cum nominatim excōmunicato, non cēsetur in nostro casu illud prohibere, & proinde licet Pastori in fauorem alterius Sacramentū ministrare. Nota tamen quòd contrariam sententiam tenet cū Suarez Ochagauia *de sacr.extr.Vnct.q.10.n.3.* Sed tu ne deseras sententiam Præpositi.

RESOL. LXXXII. *An si ægrotus sit morti proximus, & non inueniatur Parochus, possit simplex Sacerdos etiam Regularis sacramentum extremæ Vnctionis infirmo ministrare?*

HIc casus accidit in quadam villa, & ad illum libet respondere cum verbis Iacobi Granado *de Sacr.in 3.part.controu.8.tract.vn.disp.8.n.5.* vbi sic asserit. Dubitari potest, an sufficiat licentia tacita, vel præsumpta proprij Pastoris, vt Sacerdos secularis, vel religiosus possit alicui ministrare hoc Sacramentū. Respondetur cum Soto *in disp.23.q.2.art.1.* quando clarè præsumitur proprium Pastorem id velle, tunc posse licitè ministrari hoc Sacramentū à quolibet Sacerdote; vnde rectè addunt Suarez *disp.44.sect.2.* & Henriquez *cap.13.§.4.* si ægrotus sit iam proximus morti, & obtineri nequeat licentia à Parocho proprio, siue quia abest, siue quia nō vult illam concedere, posse alium Sacerdotem conferre illi hoc Sacramentum, quia proprius Parochus non est rationabiliter inuitus, & saltē credi debet Summū Pontificem id tunc velle, ne æger priuetur hoc Sacramento, quod licet non sit de necessitate salutis, est valde vtile, & accidere potest, vt ab eo pendeat salus æterna, si nimirum virtute illius Sacramenti cōsequatur remissionem peccatorum mortalium, vt aliquando obtineri potest. Ita Granadus. Vnde nō est audiendus Gauantus *in Enchirid.Episc. ver.extrema Vnctio, n.3.* vbi docet Religiosos non posse ministrare hoc Sacramentum, nec etiam in necessitate; sed tu contrarium tene cum Ioan. Præposito *in 3.p.q.vnic. de sacr.extr.Vnct.dub.6.num.45.* & Antonio Fernandez *in Medulla casuum conscient. p.3.c.10.§.1.n.8.* vbi tamē aduertit, si extra casum necessitatis absente Parocho Sacerdos infirmum vngeret, in excommunicationem præter peccatum mortale incurreret, quod etiam docuit Valentia *tom.4.disp.8.q.2.punct.1.* Sed amicissimus Andreas Victorellus *in Appēd.ad Possevin.de officio Parochi,c.9.* putat contrarium quoad excommunicationem, nam Clement. loquitur tantùm de Religiosis, & pœnæ sunt restringendæ.

RESOL. LXXXIII. *An ægrotus si non fuerit confessus, & sit in articulo mortis, teneatur Parochus cum periculo vitæ sacramentum extremæ Vnctionis illi ministrare.*

REspondeo negatiuè cum Hurtado *de sacram. extremæ Vnct. diffic.12. in fine.* vbi sic ait. Obseruandum est, Parochum ex iustitia aut ex fidelitate teneri conferre extremam Vnctionē ægroto eā indigenti,

digenti, eamque saltē interpretatiuè petenti, quia tenetur non solùm necessaria, sed etiam vtilia rationabiliter petenti conferre, præsertim in periculo mortis, nihilominùs ad id non tenetur, quando ipsi imminet periculum mortis ex administratione, vt ob pestem infirmi, aut aliter, quamuis infirmus sit absque extrema Vnctione decessurus, & quamuis nullum aliud Sacramentum susceperit, quia ex vna parte potest infirmus absque extrema Vnctione per contritionem saluari, & ex altera parte non satis constat extremam Vnctionem sufficere ad delenda mortalia quoad culpam. Ita Hurtadus, cui adde Adamum Tannerum *in suis eruditissimis commentarijs ad D. Thom. tom. 4. disp. 7. q. 1. dub. 3. n. 62.* Sed hoc intelligendum esse docet Iacobus Granado *de Sacram. in 3. p. contr. 8. disp. 8. num. 6.* nisi Parochus certò sciret ægrotum esse in statu peccati mortalis, & hoc remedio liberandū esse probabiliter sibi persuaderet: nam in hoc casu, qui certè metaphysicus est, patitur æger extremam necessitatem spiritualem, cui etiam cum periculo vitæ corporalis subueniri tenetur. Ita Granadus, Et aliū casum similem ponit etiam Præpositus *in 3. part. quæst. vnic. de sacr. Vnct. dub. 6. num. 47*, vt, v.g. si aliquis est infectus peste, qui antequam incideret in amentiam, incidit in peccatum mortale, de quo solùm habuit attritionem: tunc enim putat Parochum teneri cum periculo vitæ hoc Sacramentum ei ministrare, nisi Pastor esset valde necessarius, ex cuius morte multis immineret periculum spirituale, non teneretur cum periculo vitæ illud ministrare, imò nec videretur posse; cùm imminens graue malum spirituale communitatis cui obligatur, præponderet malo vnius, & magis obligetur ipsi cōmunitati, quàm singulis in particulari; vnde non potest eum graui detrimento communitatis priuatis consulere, v.g. in locis hæresi infectis, vel vicinis hæreticis, pro quibus vix possit vllus Pastor inueniri, saltem mediocriter idoneus Pastor, cuius vita est necessaria ad conseruandos subditos in fide, nō potest cū aperto vitæ periculo sacramentū extremæ Vnctionis ministrare, etiā in casu suprà posito.

RESOL. LXXXIV. *An illis qui inciderunt in amentiam sit in periculo mortis ministranda extrema Vnctio?*

REspondeo affirmatiuè cum Ludouico Mēratio *in D. Thom. tom. 3. tr. de extrema Vnctione, disp. 9. sect. 2. n. 6.* vbi sic ait. Secundum dubium est, an ministrari possit quibuslibet infirmis de vita periclitantibus etiam non petentibus, imò nec petere, vel ob amentiam in qua tunc sunt, vel ob aliud impedimentum valentibus. Communis sententia est posse, non modò si antea petierint, nec contraria voluntate suam illam priorem voluntatem postea retractarint, quod certum est, sed etiam dum licet numquam expressè petierint, aliquam tamen habent illud suscipiendi intentionem, vel formalem & expressam, vel virtualem & interpretatiuam, quam semper habent ij, qui debitè Sacramenta alia perceperunt, vel de commissis à se peccatis contriti sunt, aut saltem attriti, quod de quolibet, de quo contrarium non constat, semper est præsumendū, quia qui non probatur malus, bonus præsumi debet; & ita docet etiam Filliucius *tom. 1. tract. 3. cap. 5. num. 101.* Ochagauia *de sacramento extremæ Vnctionis, q. 7. num. 2.* Ludouicus à San Iuan *de sacrament. extrem. Vnct. quæst. vn. art. 6. diffic. 2 conclus. 2. & 3.* & Vega *in speculo Curati, tom. 2. cap. 13. §. 3. n. 15.* vbi sic ait. [Este Sacramento es ordenado tambien para curar los pecados veniales, y las reliquias de los pecados mortales: por tanto à los locos y furiosos y simples de su nacimiento, que no supieron nunca pecar, y no pueden tampoco tener deuocion, como se ha de tener à este Sacramento, no se deue administrar. Otra cosa es, si tuuieron luzidos interualos, o enloquecieron por alguna enfermedad, y le pidieron antes, o le desearon expressamente, o tacitamente, o alomenos le huuieran pedido, si huuieran aduertido; porque à estos les puede ser administrado.] Sic ille. Cui adde Præpositum *in 3. part. q. vnic. de sacram. Euch. dub. 7. num. 59.* Granadum *de Sacram. contr. 8. tract. vnic. disput. 6. num. 4.* Zambranum *de sacramento extremæ Vnctionis, cap. 5. dub. 2.* qui *num. 3.* vt ego alibi notaui, putat in tali casu phreneticum, vel furiosum, si resistat, esse ligandum, vel fortiter tenendum, vt recipiat extremam Vnctionem, excluſis tamen laicis ad tollendum scandalum. & sanè non dubito id esse necessarium, quando phreneticus non posset recipere aliud sacramentum. Ita ille, & nouissimè, me citato, Barbosa *de officio Parochi, cap. 22. num. 31.*

RESOL. LXXXV. *An pueri tunc in articulo mortis sint vngendi, quando sunt capaces sacramenti Eucharistiæ?*

SOtus *in 4. dist. 23. quæst. 2. art. 2.* & Viualdus, teste Hurtado *de sacramento extremæ Vnctionis, diffic. 10.* affirmatiuam sententiam docuerant, sed ipse ibi meritò sententiam negatiuam docet; quia, ait ille, ad excipiendam extremam Vnctionem non requiritur tanta discretio, quanta ad receptionem Eucharistiæ, sed sufficit illa quæ sufficit ad receptionem sacramenti Pœnitentiæ, cuius extrema Vnctio est consummatiua. Et ita docet etiam Baldellus *tom. 1. lib. 5. disp. 30. num. 16.* & Ioan. Præpos. *in 3. part. quæst. vnic. de sacram. extremæ Vnctionis, dub. 7. num. 57.* vbi sic ait. Pueri, qui sunt capaces confessionis instituendæ, & absolutionis, sunt capaces huius sacramenti, quia sunt capaces effectus illius: imò licitè potest eis conferri, etiamsi nondum soliti sint communicare. Vnde Pastores possunt talibus hoc sacramentum præbere, quia non habet talem cum Eucharistia connexionem, vt hæc necessariò debeat præcedere. Ita ille, & fusè docet hanc sententiam Ioan. Sancius *in select. disp. 27, num. 6.* & alijs penes ipsum, quibus adde Nugnum *in 3. part. tom. 2. quæst. 32. art. 4.* & nouissimè Iacobum Marchantiū *de Sacram. lib. 5. de extr. Vnct. cap. 1. quæst. 1.*

Notandum est tamen, quòd si dubitetur puerum non habere vsum rationis, esse adhuc sub conditione vngendum, vt ex Sancio & Zambrano docui *in 3. p. tract. 4. resol. 169.* &, me citato, docet nouissimè Ioannes de Lugo *de sacram. Euchar. disp. 13. sect. 4. num. 41.*

RESOL.

RESOL. LXXXVI. *An extrema Vnctio sit ministranda adulto in periculo mortis statim post Baptismum susceptum?*

AFfirmatiuam sententiam puto tenendam & practicandam, quam præter Doctores, quos citaui *in 3. part. tract. 4. resol. 172.* docet etiam Molfesius *in sum. tom. 1. tract. 4. c. 3. n. 42.* & Ludou. à San Iuan *q. vnic. art. 6. de sacr. extr. Vnct. dub. 3. concl. 4.* vbi sic asserit. [A todos los adultos se ha de dar este Sagramento, si estan en el articulo de la muerte, aunque esten rezien bautizados; porque aunque à estos se les ayan perdonado todos sus pecados por el bautismo, quanto à la culpa y pena, toda via les quedan las reliquias y resabios del pecado, que es la torpeza para el bien, y pronteza para el mal.] Et ita hanc opinionē tenet Præpos. *in 3. part. q. vnic. de sacram extremæ Vnct. dub. 7. n. 61.* & ratio est, quia hoc sacramentum habet duplicem proprium & infallibilem effectum; vnus est auxilia, quibus homo potest in illa extrema lucta corroborari; alter est remissio peccati, ita vt hi effectus sint disparati, & vnus ab altero non dependeat, possitque vnus conferri ei, qui non sit alterum recepturus: quisquis autem est capax alterutrius, est capax sacramenti. cùm ergo is, qui numquam peccauit, potest tamen peccare, per intrinsecam dispositionem possit recipere auxilia, quibus possit corroborari, potest hoc sacramentum recipere, ergo, &c. Vide etiā Mercerum *in D. Thom. tom. 3. tract. de extr. Vnct. disp. 9. sect. 3. n. 2.* Vnde satis remanet fundata nostra sententia, & ideo Parochi, me consulente, ne deserant infidelibus baptizatis in articulo mortis statim sacramentum extremæ Vnctionis ministrare.

RESOL. LXXXVII. *An si Sacerdos vngendo infirmum moriatur, possit alius perficere vnctiones prætermissas?*

NEgatiuam sententiam docet Philippus Faber *in 4. sent. dist. 23 q. vnic disp. vnic cap. 4.* vbi sic ait. Differt extrema Vnctio ab Eucharistia, quia si vnus Sacerdos conficiat corpus, & non sanguinem, posset alius Sacerdos perficere illud sacramentum cōsecrando vinum tantùm, quod ab alio omissum fuerat; vel incipiendo à principio consecrationis sumere aliam hostiam, eamque consecrare, deinde consecrare sanguinem, & perficere sacramentum, vt obseruauit Sotus ex D. Thom. *dist. illa 23. art. 1.* In extrema autem vnctione, si vnus Sacerdos faciat duas vel tres vnctiones, & deficiat, alius non potest exordiri à capite, & vngere easdem partes, quia esset ac si super eamdem hostiam consecratam consecrationem repeteret, quod non est vllo modo faciendum, debet ergo persequi alias vnctiones quæ omissæ fuerant.

Sed contrariū docet Molfesius *in summa, tom. 1. tr. 4. c. 3. n. 54.* Turrianus *in sum. part. 2. c. 135. dub. 2. n. 2.* Tannerus *tom. 4. disp. 7. q. 1. dub 3. n. 85.* & Ochagauia *de sacr. extr. Vnct. quæst. 8. n. 5.* vbi ait. Validum est hoc sacramentum si aliquæ vnctiones cum suis formis respondentibus fiant ab vno Sacerdote, & aliæ ab alio, quia ex eo quòd vnus Sacerdos cōfecit priores vnctiones cum suis formis, & posteriores non confecit, quia non potuit, propter mortem suam, non debet infirmus priuari hoc sacramento: potest ergo ab alio exhiberi non repetendo primas vnctiones, quia illæ fuerunt validæ, integræ, & cōpletæ, & non possunt repeti iterum; sicut neque hostia semel consecrata potest iterum consecrari. ergo ille alius Sacerdos, qui subsequitur, debet solùm posteriores vnctiones cum suis formis efficere. Confirmatur, quia quamuis in alijs sacramentis sacramentum inceptum ab vno Ministro, non posset consummari ab alio, vt in Baptismo, &c. ex eo est, quia non cōsistunt in pluribus materijs, & formis partialibus, sed in vna tantū materia & forma: at hoc sacramentum habet plures materias & formas partiales; ergo licet quædam vnctiones fiant ab vno Sacerdote, aliæ tamen possunt fieri ab alio Sacerdote. Sicut in sacrificio Missæ, si Sacerdos moriatur post consecrationem hostiæ, alius Sacerdos debet consecrare calicem, & prosequi sacrificium, & quidem extra casum necessitatis graue peccatum committetur eo modo diuidendo vnctiones, propter rationem suprà allatam; in casu verò necessitatis nullum. Ita Ochagauia, qui citat D. Thomam, Durandum, Sotum & Syluestrum, quibus ego ex neotericis addo Præpositum *in 3. part. quæst. vnic. de sacr. extremæ Vnctionis, dub. 5. num. 37.* & Emanuel Sà *ver. extrema Vnctio, num. 11.* vbi sic ait: Potest Presbyter vnus partem vnam vngere, & alius aliam in necessitate.

Dices numquam adesse hanc necessitatē, quòd multi Sacerdotes possint conferre hoc sacramentum, cùm illud non sit necessitatis possitque aliquis sine eo saluari. Respondeo posse interdū maximam esse necessitatē, vt si quis inciderit in amētiam, qui ante eam peccauit mortaliter, cuius quidē habuit attritionem, non tamen perfectam contritionem, ratione cuius sit gratiam consecutus, nec petierit cōfiteri, & proinde non possit absolui, non possit etiam illi præberi Eucharistia propter periculū vomitus, huic ita necessaria est extrema Vnctio, vt sine illa sit in æternum perieturus, cū illa saluandus, vt est omnino probabilius: ergo potest occurrere moralis necessitas adhibendi plures Ministros huius sacramenti. Ita Prępositus *vbi supra, n. 39.*

Sed licet hæc sint satis probabilia, obseruat tamen Ludouicus Mæratius *in D. Thom. tom. 3. tr. de ext. Vnct. disp. 10. sect. 2. n. 8.* cùm non sit certū, vt visum est, sacramentum extremæ Vnctionis sic à duobus ministratum validum esse, si contingeret Sacerdotem, qui cœpisset infirmum vngere, mori antequam omnes vnctiones absolueret, alteri licitum esse vnctiones à principio repetere, perinde atque si prior ille nihil earum inchoasset. Id Theologi docent communiter. Et ratio est, quia id infirmo multo est vtilius, cùm sic sacramentum certissimè recipiat. Fateor tamen S. Thomam in citata ad tertium responsione videri sentire id esse illicitum, & posteriori Sacerdoti esse progrediendum in eo quod prior inchoauit, quod proculdubio intelligendum est, dum mora inter singulas vnctiones factas à duobus interposita tanta non esset, vt obstare posset validitati sacramenti, si perfectè omnes ab vno fuissent. Hæc Mæratius.

RESOL. LXXXVIII. *An in aliquo casu licitè possint plures Sacerdotes ministrare simul extremam Vnctionem alicui moribundo?*

SVppono cum Tannero *to.4.disp.7. quæst.1.dub.3. num.85.*& Mœratio *in D.Thom. tom.3.tract. de extrema Vnct.disp.10.sect.1.num.1.* quidquid in contrarium non bene asserat Turrianus *in summa, part.2. cap.135.dub.2.concl.1.* validum fore hoc sacramentũ si plures Sacerdotes ita inter se conuenirent, vt dum vnus oculos inungit,formamque profert isti vnctioni respondentem , alter aures inungeret, formamque proferret, tertius nares, & ita de cæteris sensibus, nam inter has partiales vnctiones nullus est ordo essentialis,id est,necessarius ad validitatem sacramenti.Ita Mæratius,qui tamen subdit,hunc modum ministrandi extremam Vnctionem esse illicitum, & quòd nulla vmquam potest esse eius necessitas.

Sed ego puto posse interdum esse necessitatem, & ita non solùm validè,sed etiam licitè,modo quo suprà,ministrari aliquando hoc sacramentum. & ita docet Præpositus *in 3.part. quæst. vnic. de sacram. extremæ Vnctionis,dub.5.num.37.* vbi sic ait. Aliquando licitè plures possunt concurrere ad confectionem huius sacramenti, non solùm in casu si minister deficiat antequam perfecerit omnes vnctiones,sed etiam quando periculum esset ne hoc sacramentum relinqueretur imperfectum, eò quòd ægrotus agat animam.Ita ille,cui adde Suarez *to.4. disp.44.sect.2.num.8.*Barbosam *de officio Parochorum, cap.22.num.9.*Filliucium *tom.1.tract.3.cap.5.num.94.* Villalobos *in summa,tom.1.tract.10.difficult.6.num.4.* & Victorellum *tract. de extrema Vnctione,fol.74.*

Notandum est etiam hîc obiter secundùm Suarez *tom.4.disp.40.sect.2.num.4.* satis non esse in ministratione huius sacramenti vnicam guttam olei stillare,quia id vel non est vngere,vel certè est res aliquo modo dubia , sed oportere partem corporis oleo linire , aliquid per illam diffundendo, hoc enim est propriè & in rigore vngere. Sed hoc improbat,& meritò,Tannerus *tom.4.disp.7.quæst.1. dub.3.num.16.*& si diffusio olei necessaria esset,sanè ampulla olei facilè breui vacuaretur & vsu loquendi,& operandi:quæuis enim etiam gutta olei ad veram vnctionem aliquantæ partis corporis sufficit, vt etiam in Confirmatione ob balsami raritatem parcissima vnctio adhibere solet , nec plus in Ritualibus exigitur. Vnde non est audiendus Marchinus *de peste , part.3. cap.6. num.14.* & Filliucius *tom.1.tract.3. cap.4.num.78.* asserentes non satis esse vnam olei sancti guttam in membro pestiferati stillare.

RESOL. LXXXIX. *An in articulo mortis aliquando sit ministranda Vnctio ab excommunicato denuntiato, & hoc etiam tempore interdicti?*

NEgatiuam sententiam docet ex Suarez Villalobos *in summa , tom.1.tract.10. diffic.6. num.6.* vbi sic ait. [Ha se de aduertir, que el Sacerdote que està descomulgado,no puede administrar esse Sagramento por necessidad que aya del , segun sentencia probable , que pues la Iglesia no permite que se dè este Sagramento en tiempo de entredicho;lo mismo parece se ha de dezir en este caso , y por el consiguiente que el enfermo no le puede recebir del descomulgado.] Sic ille,cui adde Filliucium *tom.1.tract.3.cap.5. num.97.* Sed ego contrariam sententiam teneo cum Trullenck *in expos. Bullæ Cruc. lib.1.§.3.dub.7.num.2.*qui ait: In articulo mortis , quando aliud sacramentum non est possibile,non est improbabile posse ministrari extremam Vnctionem etiam ab excommunicato denuntiato,& tempore interdicti,quia tunc videtur habere locum sacramenti Pœnitentiæ,& potest facere de attrito contritum.Quòd possit in eo casu à denuntiato ministrari, docent Coninck 3. *part. quæst.64.art.6.dub.2.num.48.*& Auila *de censur. 2.part.c.6.disp.3.dub.3. concl.4.* Si enim à denuntiato potest tunc ministrari , poterit etiam tempore interdicti, in quo potest pœnitentia , cuius locum in eo casu extrema Vnctio tenere videtur , v.g. si postquã ostendit signa contritionis, amisit vsum rationis,ob idque non potest confiteri , & iamiam moritur, videtur tunc posse illi etiam tempore interdicti ministrare extremam Vnctionem ; quia tunc locum pœnitentiæ habere censetur. Ita Trullenck *vbi suprà* , quidquid in contrarium asserat Tannerus *tom.4. disp.7. quæst.1.dub.3.num.64.* & Ludouicus de San Iuan *q.vnic.art.1. de sacram. extr. Vnct. diffic.1.* vbi docet tempore interdicti non esse ministrandam moribundo sacram Vnctionem. [Porque este Sagramento en ningun acontecimiento es Sagramento de necessidad, ni ay precepto diuino ni Ecclesiastico de recibirle, luego la prohibicion de la Iglesia se estiende à estos casos.] Sed tu ne deseras in casu contingenti tenere sententiam affirmatiuam.

RESOL. XC. *An moribundo sit ministranda extrema Vnctio cum oleo alterius anni?*

LIcet non videatur à peccato excusandus Sacerdos, qui ministraret hoc sacramentum cum oleo veteri,nam debet esse benedictum eo anno, vt habetur *in cap. literis , de consecr. dist.3.* tamen vbi necessitas vrgeret , poterit Parochus vngere moribundum oleo veteri. & ita declarauit sacra Congregatio Episc.*die* 20.*Martij* 1590.teste Gauanto *in Enchir. Episc. ver. extrema Vnctio , num.10.* & docet Emanuel Sà *ver.extrema Vnctio,num.6.* Zambranus *de sacrament. extrem. Vnct. cap.5. dub.4. num.15.* & doctissimus Barbosa *de officio Parochi, cap.22.num.25.*vbi *num.30.*rectè aduertit cum multis Doctoribus, in casu necessitatis,eò quòd periculum sit in mora , posse Sacerdotem sine culpa inungere vnam aurem , vnam manum , aut vnum oculum , & tunc causa celerandi propter periculum instantis mortis vnctiones sine cruce fieri nihil obstat. & ideo non grauabor etiam hîc apponere auctoritatem Villalobos *tom.1.tract. 10.difficult.3.num.5.* vbi sic ait. [Que harà el Sacerdote,quando vè al enfermo que està agonizando con peligro de morirse antes de recebir todas estas vnciones?Respõdo,que en tal caso vnja todos los organos de los cinco sentidos, los quales estan en la cabeça,excepto el tacto,y para el basta vngir

vna

vna mano, diziendo: Per istam sanctam vnctionem,& suam pijssimam misericordiam,indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum, auditum,gustum,odoratum, & tactum. Io qual puede hazer breuemente, tocando los organos de los sentidos, sin detenerse à hazer cruzes:y en tal caso las preces que se auian de dezir primero, las dirà despues. Mas esto no lo ha de hazer comunmente,sino en caso de tan grande aprieto,como queda dicho,y si tuuiere lugar añade, Quidquid peccasti per gressum,y vnja vn pie,que ay sentencia de algunos Doctores que diga,que esso es necessario.] Ita ille. Vide etiam me ipsum *in 3.part.tract.4.resolut.168.* & Tannerum *tom.4. disput.7. quæst.1. dub.1. num.19.* vbi docet vrgente articulo mortis perfici posse sacramentum extremæ Vnctionis breuissima & tenui linitione vnius oculi,auris,manus,narium & oris, etiam absque signo crucis, & sub vna formula communi: Per hanc sacram Vnctionem,&c.

Resol. XCI. *An si Parochus portet domi oleum extremæ Vnctionis,timens de nocte ad moribundum vngendum vocari,secluso scandalo, peccet mortaliter?*

NEgatiuè respondet Barbosa *de officio Parochi, cap.22.num.44.* vbi docet non debere Parochum sine lumine extremam Vnctionem deferre, obseruando in hoc proprij Episcopatus constitutiones, & existimat venialiter tantùm peccare illum, qui sic ferret sine causa; qui verò cum causa, nullatenus. Et addit, (secluso Episcopi constitutione) non benè agere eumdem Parochum timentem de nocte se vocandum pro infirmo periculoso, si vespere ferat oleum extremæ Vnctionis ad suum cubiculum,vt vocatus expeditiùs vadat,vel si de nocte reuersus ab vnctione infirmi, vt se citiùs expediat,oleum non referat ad solitum locum,sed retineat domi vsque manè, nullum tamen credit peccatum mortale contrahere citra scandalum,vel periculum alicuius irreuerentiæ. Ita Barbosa.

Notandum est etiam hîc obiter,quod ex multis docet Tannerus *tom.4.disp.7.quæst.1.dub.3. num.85.* vrgente periculo mortis posse Sacerdotem sine ministro administrare hoc sacramentum,atque etiam sine alia solita precatione præuia.

Resol. XCII. *An confessio sit præmittenda antequam Parochus inungat moribundum?*

REspondeo quòd confessio non est necessariò præmittenda, quantum est ex ordine Sacramentorum,nam ad dignè illud suscipiendum satis est ad summum contritio, vel attritio putata contritio:aliunde tamen potest esse obligatio,vt si post viaticum peccasset mortaliter, & post vnctionem timeretur tempus defuturum pro confessione, tunc enim hæc prætermittenda esset, & absoluendus perfectè, etiamsi tempus elaberetur pro vnctione, priùs enim sumenda sunt Sacramenta necessaria,& deinde vtilia. Et hæc omnia docet Filliucius *tom.1.tract.3.cap.5.num.114.* vnde ex his putat Barbosa *de officio Parochi.c.22.num.36.* non esse peccatum mortale conferre sacramentum extremæ Vnctionis infirmo,antequam susceperit sacramentum Pœnitentiæ & Eucharistiæ,quia infirmus potest per contritionem se disponere ad suscipiendũ hoc sacramentum,tum quia aliquando fieri potest, vt quis recipere possit extremam Vnctionem,non verò Pœnitentiam vel Eucharistiam,vt quando aliquis patitur vomitum,aut ita repentè morbo preuenitur,vt non dederit signa sacramenti Pœnitentiæ. Nec etiam desinam hic apponere verba Henrici Villalobos *tom.1.tract.10.diffic.5.nu.3.* vbi sic ait. [Tampoco es necessario recebir la comunion antes de recebir este Sagramento, que no ay precepto dello,aunque ordinariamente se haze assi. Mas caso podria auer,en que conuiniesse darle la extrema Vncion primero,como si huuiesse peligro de la vida,y no se pudiesse traer tan presto el Sagramento de la Eucharistia.] Ita ille.

Resol. XCIII. *An Parochus tempore pestis teneatur cum periculo vitæ ministrare sacramentum extremæ Vnctionis?*

REspondeo negatiuè, quia non est sacramentum necessitatis, & alioquin sufficienter subuenitur necessitati infirmi per alia duo sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ,vt ego ipse docui *in 3.part.tract.4.resol.174.* Imò Filliucius *tom 1.tract.3. cap.5.num.99.* putat in aliquo casu posse excusari Parochum à ministratione sacramenti Pœnitentiæ,vt quando esset certus moraliter infirmum non habere conscientiam peccati mortalis, & alioquin periculum vitæ magnum esset. Vnde non est audiendus Turrianus *in sum.part.2.cap.136.dub.3.conc.1.* asserens Parochum teneri ad ministrandum hoc sacramentum subdito laboranti morbo contagioso, etiam cum periculo contagij & mortis. & ita nostram sententiam tenet etiam Tannerus *tom.4. disp.7.q.1.dub.3.n.62.*

Resol. XCIV. *An Sacerdos moribundus possit se ipsum vngere?*

VIdetur affirmatiuè respondendum, quia, vt suprà satis probatum est, Sacerdotem moribundum posse se ipsum communicare;sed respondeo negatiuè,quia S.Iacobus satis indicat diuersas esse personas infirmi & Presbyteri vncturi.Secundò,quia forma mutaretur substantialiter quoad significationem verborum,non enim idem est, Indulgeat tibi Deus,quidquid deliquisti;&,Indulgeat mihi quidquid deliqui,&c.sicut esset mutatio substantialis,si quis diceret,Baptizo me,vt docet S.Th. *q.69 art.5.ad 4.* Tertiò,quia sacramenta quæ perficiuntur ipso vsu,requirunt ministrum à suscipiente diuersum.Aliud est de Eucharistia,quæ est sacramentum in re permanenti consistens. & ita docet Mercerus *in 3.part.de Sacram.q.32.art.5.*

Resol. XCV. *Quonam tempore infirmitatis debeat Sacerdos inungere moribundum?*

LIbet huic dubitationi respondere cum verbis Kellisonij *tom.2.in 3 part.q.32.art.3.* vbi sic ait. Notandum est, quòd sicut non est conferendum sacramentum hoc nisi ijs, qui probabiliter præsumuntur extremè laborare, & quasi in exitu huius vitæ constitui,ita non esse nimis differendum hoc sacramentum.In quo peccant Ministri,qui non ad-

hibent hoc sacramentum, vel amici infirmi, qui Ministrum non accersunt, donec infirmus iamiam exhalaturus est animam, & vsu omni rationis destituitur, quia vsus rationis & deuotio infirmi plurimum confert ad effectum huius sacramenti; & hoc sacramentum confert vires contra tentationes, quæ solent præcedere priuationem vsus rationis, cùm destitutus ratione non sit capax tentationum, neque leuaminis contra vim morbi. Quocirca hac in re prudenter procedendum est, & neque nimium festinandum, (cùm non omnis ægrotus sit capax huius Sacramenti, vt suprà,) neque nimium tardandum, cùm vsus rationis, & deuotio infirmi multum conferat. Quocirca mentitur Caluinus *lib. 4. instit. cap. 19. tit. de vltima vnctione, num. 25.* quando asserit, Iacobum omnes infirmos inungi voluisse, Catholicos non infirmos, sed semimortua cadauera sua inficere pinguedine, cùm iã anima in primoribus labris laborat, vel, vt ipsi loquuntur, in extremis. Neque enim omnes Ministri differunt hoc sacramentum donec infirmus mortuus pene sit, vel ratione destitutus, & si qui differant, ab Episcopis reprehenduntur, & puniuntur. Vide etiam Philippum Fabrum *in 4. sent. disp. 23. q. vnic. disp. vnic. cap. 4.*

Resol. XCVI. *An in eadem infirmitate possit Sacerdos aliquem denuo inungere?*

HOc sacramentum non respicit tantùm infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum, quo secundùm humanam æstimationem infirmus appropinquat morti, quocirca cùm infirmitas non est diuturna, & vnum tantùm est periculum mortis, non debet hoc sacramentum iterari. Quando verò morbus est diuturnus, vt est hectica, & hydropisis, tunc si videtur periculum, vel articulus mortis, debet infirmus inungi, & si postea euadat hoc periculum, & durante illo morbo iterum recurrat idē periculum, debet iterum inungi.

Notandum, hoc sacramentum, vt suprà, esse medicinam, non solùm contra infirmitatem animæ, sed etiam corporis, si illa expediat, quocirca recurrente periculo mortis, repetēda est medicina. Non est autem necessarium, quòd infirmus recuperet sanitatem, & postea incidat in similem vel alium morbum, & simile periculum; sed satis est si manente infirmitate, v.g. hectica vel hydropisi, euadat periculum mortis, & post aliquod tempus (quod relinquitur iudicio prudentis viri) iterum incidat in periculum mortis. Tunc enim toties quoties hoc accidit, potest iterari hoc sacramentum, vt infirmus habeat leuamen in articulo mortis. Quocirca Concil. Trid. *sess. 14. cap. 3. de extrema Vnctione*, sic pronuntiat. Quòd si infirmi post susceptam hanc vnctionem conualuerint (hoc est, vel omnino recuperauerint valetudinem, vel ad tempus melius se habent, & euaserint periculum mortis) iterum huius sacramenti subsidio iuuari poterunt, cùm in aliud simile discrimen inciderint. Vide Kellisonium *tom. 2. in 3. part. q. 33. art. 2.* Ludouicum de San Iuan *quæst. vnic. art. 7. de sacram. extrem. Vnct. dub. 5. concl. 2.* Victorellum *tract. de sacram. extr. Vnct. fol. 70.*

Resol. XCVII. *An sit absoluendus moribundus, qui non vult recipere extremam Vnctionem?*

VIdetur negatiuè respondendum ex auctoritate Scoti *in 4. distinct. 7. quæst. 2.* Richardi *art. 5. quæst. 1.* Waldensis *de Sacram. tom. 2. cap. 111.* & Petri Soto *lect. 2.* asserentium esse peccatum mortale omittere ex negligentia graui sacramentum Confirmationis. Ergo erit etiam mortale omittere ex negligentia extremam Vnctionem. nam qui commodè potest recipere sacramentum, & non vult, censetur illud contemnere. Et ideo Toletus *lib. 2. cap. 14. in fine*, sic ait. Hoc autem sacramentum non est necessarium necessitate salutis, potest enim homo saluari absque Confirmatione, tamen ipsum ex contemptu relinquere, peccatum est. Est autem contemptus secundùm aliquos, cùm tempore Confirmationis apto occurrente, & commoditate oblata suscipiendi, non susciperetur, maximè si probabilitas adsit non futuræ commoditatis. Sic Toletus. cui adde Bellarminum *tom. 1. lib. 1. de Sacr. in genere, cap. 22.* vbi postquam distinxerat necessitatem medij & præcepti, subdit, v.g. sacramentum Confirmationis est præceptum, sed non medium ad salutem simpliciter necessarium, ideo qui negligit accipere eiusmodi sacramentum, peccat, sed si ex legitima causa non accipiat, nec peccat, nec impeditur à salute. Ita ille, & ideo hæc doctrina videtur etiam militare, quando ex graui negligentia data opportunitate infirmus noller sumere sacramentum extremæ Vnctionis. Imò Turrianus *in summa, part. 2. cap. 136. dub. 1. concl. 1.* putat probabile esse, quòd adsit præceptum sumendi extremam Vnctionem tempore mortis.

Sed his non obstantibus, in rigore loquendo, puto non peccare mortaliter infirmum nolentem sacramentum extremæ Vnctionis sumere, secluso tamen contemptu, & graui scandalo, vt ego cum multis probaui *in 3. part. tract. 4. resol. 170.* & probant Doctores, quos citat & sequitur Tannerus *tom. 4. disp. 7. quæst. 1. dub. 3. num. 56.* vbi rectè aduertit, quòd non censetur contemnere hoc sacramentum hoc ipso quòd sciens & prudens illud prætermittit. At licet hoc verum sit, tamen quia asserit Ludouicus de San Iuan *quæst. vnic. art. 7. de sacr. extr. Vnct. dub. 2. concl. 2.* [Ha se de notar, que quãdo el enfermo està en peligro de muerte, y no quiere recebir este sagramento estando en su iuyzio cabal, se presume del que lo menosprecia, y escandaliza à los fieles, pues no quiere recebir en semejante passo vna cosa tan prouechosa, que perdona pecados, da gracia y socorro sobrenatural contra las tentaciones.] Ideo curet Parochus ne infirmus sine hoc sacramento moriatur, & hortetur illum vt illud sumat.

Resol. XCVIII. *An in articulo mortis Parochus possit celebrare matrimonium sine testibus & denunatitionibus?*

REspondeo quòd si in articulo mortis quis velit contrahere cum aliqua, vel ad legitimandam prolem ex ea susceptam, vel ad tollendam infamiam, & dedecus feminæ, vel simile incommodum,

dum, possunt licitè omitti monitiones ex licentia Parochi, si Ordinarius adiri commodè nequeat, quia tunc est euidens epikia intentionis Concilij pro necessitate illius articuli: non tamen ex hoc sequitur, licere in articulo mortis vnquam contrahere sine Parocho & testibus, neque ad hoc potest dare licentiam Episcopus; quia hoc numquam concessit Concil. Trid. Episcopo; imò tacitè negauit, dum concessit posse remittere denuntiationes, & nihil concessit circa præsentiam Parochi & testium, quod est verum, etiamsi prius matrimonium fuerit contractum inualidè coram Parocho & testibus, si impedimentum est publicum, vel dispensatio est obtenta in foro exteriori. & ita docet Zambranus *de sacram. matrim. c. 7. dub. 3. num. 1. & 2.* Cui adde Doctores, quos citat & sequitur Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 17.* quibus ego addo Marchinum *de peste part. 6. cap. 4. num. 5.* vbi docet, quòd si pestiferatus in articulo mortis velit concubinam ducere vel ad prolem legitimandam, vel ad maiorem suæ conscientiæ tranquillitatem, esse denuntiationes relinquendas. Vide etiam Homobonum de Bonis *in consult. tom. 2. part. 5. resp. 310.* Marchantium *in resol pastor tract. 8. de Denuntiat. cap. 1. q. 1.* Guttierrez *de matr. cap. 61. num. 4.* Hurtadum *de matrim. disp. 3. diffic. 3.* Coninck *de Sacram. disp. 27. dub. 1.* Vnde est refellendus Sotus *in 4. distinct. 22. q. 1. art. 2.* existimans esse casus aliquos, in quibus valeat clandestinum coniugium etiam sine Parocho & testibus celebratum, quem etiam sequitur Iacobus à Graffis *lib. 2. decis. aur. cap. 86.* Primus est, quando virgo sub tutela est iniqui tutoris, & clandestinè contrahit, ne tutor eam tradat viro ignobili. Item si quis lethaliter vulneratus feminam concubinam, vt filios legitimos reddat, & faciliorem viam paret ad salutem, clandestinè cum illa contrahat, quia copia Parochi & testium haberi non potest. Tertiò, si concubinarij iter facientes, vel alia ratione comprehensi, si in pericula ob concubinatum inciderent, subitò matrimonium contraherent secretò, vt affirmarent se esse coniuges. Quartò, si aliqui, quibus maximè expediret nubere, & valde metuerent illo tempore impediendos esse, ne contrahere possint, tunc secretò in matrimonium consentirent animo postea publicandi. Sed hæc omnia refelluntur à Pontio *de matrim. lib. 5. cap. 6. num. 3.*

RESOL. XCIX. *An qui in ipso actu venereo correptus morbo amisit loquelam, & paulò pòst expirauit, sit priuandus Ecclesiastica sepultura?*

REspondet negatiuè Hurtadus de Mendoza *in 2. 2. disp. 76. sect. 1. §. 21.* vbi sic asserit. Eritne peccatum, tumulare hæreticum in templo? est enim publicus peccator absque pœnitentiæ signo. est autem eadem ratio de quouis peccatore publico non pœnitente exteriùs, vt qui in torneamentis occumbunt, aut in aliqua actione moraliter mala; censeo eiusmodi homines (nisi se ipsos occiderint) posse licitè donari Ecclesiastica sepultura, quia *c. 2. de vsuris in 6.* facta restitutione permittitur sepultura vsurario absque discrimine quòd egerit vel non egerit pœnitentiam exteriùs, imò & pro eiusmodi peccatore video offerri sacrificia (non ago de excommunicato) quia non sumus certi de eius damnatione, potuit enim conuerti absque signis exteriùs. Ita ille qui §. 22. contra Suarez *in 3. part. tom. 5. disp. 31. sect. 2. num. 8.* rectè docet etiam pro supradictis posse suffragia offerri, quia Ecclesiæ constare non potest vtrùm internam non egerint pœnitentiam, & orationes publicæ & priuatæ sunt ex hypothesi, quòd ij pro quibus offeruntur, sint in statu in quo illis prosint.

Non desinam tamen hîc apponere verba Villalobos *in sum. tom. 2. tract. 31. diffic. 3. num. 10.* vbi sic ait. [Ay vna duda, y es, de vna muger publica que se hauia confessado, y comulgado la Pascua, y fue hallada muerta à puñaladas en casa de su amigo, y no constò si muriò contrita o no. En este caso se duda si se le deue negar la sepultura Ecclesiastica. Y aunque parece que si, por vn texto donde se niega la sepultura al que fue muerto estando hurtando, donde se colige, que el que verisimilmente muere en pecado mortal, no ha de ser enterrado en lugar sagrado: y segun Abad y Ananias no se presume que muera contrito el que muere estando cometiendo el pecado. Con todo esto Nauarro responde, que no se le deue negar à este la sepultura Ecclesiastica, porque no se sabe el intento con que el amigo la llenò à su casa, pues la matò; y se ha de presumir que dixo IESVS, quando le dieron las puñaladas, y mostrò otra señal de contricion, y suelen estos dezir: Encomendados à Dios que os tengo de matar, con lo qual no se le deue negar sepultura Ecclesiastica: y el texto citado habla del que fue muerto estando cometiendo el hurto. Y assi diria yo por esse texto, que quando el marido hallò al amigo de su muger en fragante delito, y los matò ambos, no deuen ser enterrados en lugar sagrado.] Ita ille. Sed in vltimo casu aliqui discrepant, nam, vt dicebat Nauarr. in alio casu, præsumendum est tales aliqua signa contritionis fecisse, nemo est enim in illo casu immemor suæ salutis, imò, vt ait suprà Hurtadus, potuerunt conuerti absque signis externis, ideo asserunt contra Villalobos, vxorem & amasium in flagranti à marito occisos non esse puniendos priuatione Ecclesiasticæ sepulturæ. Verùm his non obstantibus Iacobus Marchantius *in resol. pastor. tract. 5. de moribund. cap. 5. quæst. 4. fol. mihi 636.* docet priuandos esse sepultura omnes qui moriuntur in peccato mortali notorio, seu manifesto, sine signis pœnitentiæ, vt meretrices, concubinarij, vsurarij, & qui in flagranti delicto occiduntur. Addit tamen, quòd sufficit vnus testis fide dignus, qui attestetur dedisse signa contritionis, vt possint sepeliri.

Notandum est etiam hîc obiter, morientem extra locum duelli esse sepeliendum in Ecclesia, vt alibi cum aliquibus Doctoribus satis probaui, quibus nunc addo Hurtadum *in 2. 2. disp. 170. sect. 1. §. 178.* vbi sic ait. Negare tamen non possum, has leges, quamuis iustissimæ sint, esse quidem pœnales, & maximè acerbas, ac propterea accipiendas quàm strictissimè. Cùm igitur Concilium Lateranense dixerit, si ibi moriatur, accipiendum videtur de ipso loco pugnæ Physico, & in sensu Physico qua-

quapropter si quis extra palæstram moriatur, iam non moritur ibi. Confirmatur, quando in vrbe ponitur interdictum Ecclesiasticum, non ponitur in suburbijs, quamuis vrbi sit attiguum, quia suburbia sunt extra vrbem, odia autem sunt restringenda: ergo eadem ratio militat de loco palæstræ. Cõflictus item Tridentinus videtur accipiendus physicè, ita vt ibi moriatur paululum post acceptum vulnus, ità vt inter illud & mortem vix sit locus breui confessioni sacramentali, qui ita moritur in conflictu; qui verò ita non moritur, moritur extra conflictum. Cui fauet phrasis communis. Hæc sunt aptissima ad euellendos omnes scrupulos in duellatoribus & torneatoribus humandis, quæ non audeo dicere non esse probabilia. Ita ille.

Resol. C. *An si quis reperiatur laqueo suspensus, vel mersus in puteo, debeat sepeliri in loco sacro, & quid si in Paschate non communicauit?*

Respondeo quoad primum negatiuè. Nec desinam hîc apponere verba Villalobos *in sum. tom. 2. tract. 31. diffic. 3. num. 4.* vbi sic ait. [Acerca desto se ha de aduertir mucho, que no por hallar à vno en vn pozo ahogado, o hallarle ahorcado, se le ha de negar luego la sepultura Ecclesiastica. Porque esta es pena, y en materia criminal, y no se deue dar, si no es, quando la culpa es clara y euidente, de manera que se entienda que el mismo se desesperò; porque en causas criminales han de ser las prouanças mas claras que la luz del medio dia, como consta del derecho; y ya que no pueden aqui ser tan claras, ha de hauer fortissimas coniecturas, pues se procede sin oyr la parte, y assi pudiendo ser que diessen à vno garrote, y le ahorcassen despues, pòr deslumbrar la justicia, o echassen al otro en el pozo, no se ha de juzgar lo contrario, y si el vulgo se escandalizare, instruyrle, que es facil hazerlo vn Predicador docto en vn sermon. Para esto es muy notable vn consejo de Nauarro, que refiere tambien el Padre Fray Manuel, cuyo caso es de vn religioso que se hauia confessado por la mañana y absuelto, y toda la mañana y tarde estuuo alegre, y despues fue hallado en su celda colgado de vn lazo al cuello, ni bien colgado, ni echado, sino medio de rodillas ahogado cerrada la puerta, y preguntado si pudia o deuia ser enterrado en lugar sagrado, respõdiò Nauarro, que intrepidamente se deue dezir, que no se le deue negar à este la sepultura Ecclesiastica, porque no se deue negar à ningun Christiano, sino en los casos que estan expressos en derecho, y deste non consta que el se ahorcasse, ni se ha de presumir delito conforme à derecho, mayormente vn delito tan graue, y contra la inclinacion humana, y yo verdaderamente creyeria, mas ay que este auia perdido à caso el iuyzio, que no el contrario. Y Couarruuias siguiendo à Socino junior dize, que el que se halla echado en el pozo no ha de ser priuado de sepultura Ecclesiastica, que no se presume hauerse echado el, y al fin dize, que si con algunas conjeturas se pudiere presumir que no se matò el, o que estaua fuera de si, no se le deue negar la sepultura Ecclesiastica, lo qual se ha de notar mucho, porque se han visto en esto muchos yerros, y ha de hauer mucha euidencia para presumir de nadie que se matò el mismo, estando en su juyzio: y digo mas, que si sucediesse que el Prelado supiesse el secreto, que el mismo se hauia ahorcado, o echado en el pozo, no le deue negar la sepultura Ecclesiastica, porque no le puede cõdenar por lo que el sabe en particular, conforme à lo que se dixo arriba; y mas que deue hazer en este mucha prouança primero que le condene, y hazer el aqui las partes del reo, sino es, que aya abogado, que buelua por el, que quando esso falta, ha lo de suplir el juez, como dize vna ley.] Ita Villalobos, cui adde Marchantium *in resol. pastoral. tract. 5. cap. 3. q. 4. cas. 3.* Genuensem *in praxi Archiep. c. 61. n. 16.* Barbosam *de officio Parochi, c. 26. n. 49.* & Iulium Lauorium *in varijs elucubrationib. tit. 2. cap. 12. num. 31. & 32.* qui etiam docent, quòd si publicè constet aliquem non sumpsisse in Paschate Eucharistiam, priuandum esse Ecclesiastica sepultura, secus autem si hoc esset occultum. & ideo Villalobos *vbi supr. n. 5.* sic ait. [Se niega la sepultura al que es cierto y manifiesto que no se confessò, o no comulgò vna vez el el anno, conforme à vn texto; saluo si mostrasse señales de contricion, o de la emienda, y bastaria que esto se prouasse con vn testigo, conforme à lo que dize Syluestro con otros. y en otro caso lo dize vna glosa. Mas hase de aduertir, que no luego que se sabe que no comulgò, o no se confessò, le deuen negar la sepultura, que pudo confessarse con algun religioso, y mandarle que no comulgasse, y en duda no se ha de presumir, que se oluida nadie de su salud.] Quando verò vsurarius manifestus careat sepultura Ecclesiastica, quia casus non est ita practicabilis, nihil dicam: si fortasse acciderit, consule Vgolinum *tract. de vsura, cap. 24. §. 4. & seq.*

Resol. CI. *An Religiosus si persuadeat moribundo vt sepulturam eligat in sua Ecclesia, incidat in aliquam pœnam?*

Respondeo quòd Religiosus, vel Clericus suadens alicui vouere, iurare, vel promittere quòd sepelietur apud suas Ecclesias, vel mutabit sepulturam iam alibi ab ipso electam, peccat mortaliter, & incurrit excommunicationem Bonifacij VIII. *compend. ver. sepelire, §. 6.* & si contrà actum fuerit, electio sepulturæ non valet, neque eligens potest in illa sepeliri, etiamsi iurauerit. Et ita docet Portel. *in dubiis Regular. ver. sepult. num. 3.*

Nota verò cum Toleto *lib. 1. cap. 36. num. 3.* quòd si Religiosus induceret moribundum ad sepeliendum se in aliena Ecclesia, etiam medio iuramento, seu voto, in nullam censuram incurreret, nec vllum committeret peccatum.

Resol. CII. *An liceat absoluere infirmum moribundum, qui vult prabere eleemosynam pro sepultura in loco magis honorifico?*

Negatiuam sententiam docuit inclytus Iurisconsultus Valboa de Magrouiejo *in Prælect. Salmaticen. tom. 2. cap. 4. de iudicijs, num. 69.* vbi sic ait. Infertur tutum non esse à simoniæ labe pro loco magis honorifico sepulturæ pretium accipere, v. g. intra

intra Ecclesiam, & non in cœmiterio, vt aduertit Antoninus 2.*part.tit.*1.§.22.Syluest.*ver simonia,q.*11. Ratio est manifesta,nam ibi tota ratio pretij est loci sanctitas,vel respectus ad maiorem sanctitatem. Fateor tamen, aliquos Theologos dixisse talem venditionem licitam esse, quasi ibi solùm quidam humanus honor vendatur in hominum apprehensione solùm consistens. Hanc tamen opinionem non admitto. Nam licet motiuum ementis sit honor ille humanus, id tamen, quod venditur,sanctum est, & honor ille annectitur spirituali, sicut etiam honor humanus est quid annexum dignitati Ecclesiasticæ,& sicut in hoc casu committeretur simonia,similiter & in illo: nam huiusmodi maior honor humanus non ex alio prouenit, quàm ex maiori loci sanctitate: ergo ea ratione locum vendere erit simonia, certissimum tamen erit sub Ecclesiæ prohibitione contineri.Sic ille. Sed his non obstantibus absoluat Confessarius moribundum in casu supradicto,per ea quæ ego docui *in part.*1. *tract.*1.*Miscell.resol.*57.&,me citato,adducit Barbosa *de officio Parochi,cap.*26.*num.*16.*& seq.*

Resol. CIII. *An lethaliter vulneratus, vel aliàs moribundus teneatur remittere inimico actionem iniuriarum,vulgò dicimus,*farci la remissione?

NEgatiuam sententiam docet Emanuel Sà *ver. iniur.n.*1.Bañez & Aragon *in* 2.2.*quæst.*25.*art.*9. Sayrus *in Claui Regia,lib.*11. *cap.*8.*num.*11. & alij, per ea,quæ adducit Lessius *lib.*2.*cap.*27.*dub.*4.*num.*24 *& seq.* Vnde Iacobus Mancinus *in practica visitandi infirmos,pract.*7.*dub.*5.*num.*7. sic asserit. Quapropter non bene agunt aliqui Confessarij pœnitentes scrupulis afficientes, dum dicunt illos non posse saluari, nisi etiam coram iudice actiones iniuriarum remittant,cùm hoc liquidè falsum sit, vt patet. Sed notandum quòd quando læsus causam lædenti dedit, v.g. si læsus fuit primus & iniustus aggressor, & ille ad se defendendum percussit,vel quia læsus inuentus fuit cum vxore,vel consanguinea lædentis, & similia, tunc læsum remissionem coram iudice in conscientia facere debere asserо: & ratio est, quia lædens iustè se defendit, & non sibi damni causa, imputare debet, sed aggressori danti operam rei illicitæ,iuxta illud: Qui causam damni dat,damnum dedisse videtur. Hæc omnia Mancinus.

Verùm licet hæc omnia in rigore sint vera,non desinam tamen apponere hîc verba Henrici Villalobos *in sum.tom.*2.*tract.*3.*diffic.*6.*num.*11. vbi sic ait. [Nadie està obligado à perdonar al enemigo la satisfacion,aunque le pida perdon. Assi lo tiene vna glosa,Syluestro,Bañez,Aragon,y la comun. La razon es,porque si yo puedo en juyzio pedir à mi amigo,que me pague lo que me deue,tambien podrè hazer lo mismo con el enemigo, pidiendo la satisfacion, y assi lo haze Dios, que aunque nos perdona la culpa en el Sagramento de la Penitencia,pide satisfacion, o en este mundo,o en el Purgatorio. Bien es verdad,que seria muy loable perdonar del todo al enemigo que pide perdon, y aun acontece muchas vezes que como la persona,y la obra andan tan juntas,piensa vn hombre, que aborrece la obra del enemigo, y la persona, como dize Aragon. y dize muy bien Bañez acerca desto, que es muy difficultoso, y casi no ocurre moralmente hablando, que vno no quiera perdonar la pena del cortar la mano o cabeça al enemigo, y que no le tenga odio; y assi este tal no es creyble,que està en bueno estado,saluo si sucediesse caso que la familia del ofendido quedasse infamada,si no le cortassen la mano,o le hiziessen desdezir, que entonces bien podria perirse sin odio.] Hæc ille. Sed,vt dixi,absolutè & in rigore loquendo, offensus tenetur, nec aliter potest absolui, remittere odium, & rancorem contra inimicum,& signa externa rancoris, non autem remissionem iniuriarum; conentur tamen Confessarij, si cum auxilio Dei possunt,hoc etiam efficere.

Resol. CIV. *An infirmus debeat statim ante mortem restituere pecuniam,& famam ablatam.*

AD hunc casum ita respondet Villalobos *in sum.tom.*2.*tract.*3. *diffic.*27. *n.*3. [Aduiertan que si tienen deudas,las paguen luego,aunque vendan algunas alhajas, si lo pueden hazer sin gran detrimento de su casa. Lo vno, porque la restitucion obliga luego,como se dixo arriba, pudiendose hazer. Lo otro,porque lo que el testador no quiere hazer importandole tanto, por ventura no lo querra hazer el heredero, que ay muy poco que fiar el dia de oy.] Ita ille. Cui adde nostrum Leonem *de officio Confess.recollect.*26.*num.*103.vbi sic asserit. Infirmo potente commodè restituere non sufficit, vt ipse possit absolui, quòd demandauit hæredibus restitutionem. Ratio est, quia iste habet voluntatem conditionalem,si moriatur,restituendi,aliàs non vult restituere ergo indispositus. Probat etiam Guttierrez experientia, quia videmus quotidie hæreditatem alijs obuenisse, quàm ijs quibus relicta fuit à testatore, & moueri lites, ita vt restitutio non possit fieri ab hæredibus: & dato quòd dicti hæredes obtineant hæreditatem,etiam non curant dictas restitutiones facere. Vnde quotidie videmus patres in articulo mortis relinquere filijs, vt faciant restitutiones sibi demandatas ab eorum antecessoribus, & isti nepotibus. Huc vsque Pater Leo,qui citat Guttierrez,Azorium, Reginaldum & Sayrum.

Vnde apparet, rectè refellendam esse opinionem Ioannis Baptistæ Poza *in pract.bene moriendi,in Proœmio,mandam.*8 *post.*§.6. vbi sic asserit. [Porque ordinariamente acontece à los enfermos, que infamaron o injusta o falsamente, atestiguaron en delitos infames,o qualidad de linages,que antes se dexaran condenar para siempre,que desdezirse, y reparar el ageno honor, deuense les proponer los tormentos,y infamia mayor,à que para siempre se obligan, y juntamente se les facilitarà esta satisfacion, diziendoles que por lo menos satishagan al honor quitado por escrito autentico, y secreto, dexandole al Confessor, o otra persona de confiança paraque le escriua à la parte interessada despues de auer muerto de la presente enfermedad. Porque estando ya fuera de la Republica de los viuos, no se auerguencerà de los dichos de los hom-

hombres, ni tendrà empacho de la region de los viuos destos rumores, y fama, que tan presto se oluidan, y desuanecen.] Hæc ille. Sed, vt dixi, hæc opinio non est admittenda, quia restitutio famæ ex communi Doctorum opinione statim est facienda. ergo qui illam sine iusta causa vult differre, est in statu peccati mortalis, nec potest absolui; & infirmus, qui post mortem vult famam à Confessario nomine suo restituendam, signum est non esse benè dispositum, quia non vult satisfacere præcepto restitutionis famæ, restituendo statim ac habet commoditatem.

Resol. CV. *An si moribundus committat vxori, filio, vel alteri electionem suæ sepulturæ, talis electio fieri debeat eo viuente?*

Affirmatiuam sententiam docet Geminianus *in cap. is qui. §. mulier, num. 6. de sepult.* Lapus *in ca. 1. de sepul. in 6.* quia talis commissio expirat morte mandantis, & licet electio committi potuerit, & ipse committens decesserit commissione iam facta, non tamen decessit facta electione. & ideo acquisitum fuit ius Ecclesiæ, in qua debebat sepeliri non electa sepultura; aliud enim est eligere sepulturam, aliud eius electionem committere, & ita Neapoli seruatur, vt docet Genuensis *in Praxi Archiep. cap. 61. num. 2.*

Verùm Guttierrez *de sacram. Confirm. part. 2. c. 4.* Menochius *cons. 60. num. 6.* Ancharanus *cons. 214.* & alij, docent tenere huiusmodi electionem etiam post mortem committentis. vide illos; sed ad tollendas lites, supradicta electio efficiatur ante mortem committentis.

Resol. CVI. *An si quis testatur infirmum dixisse se velle in tali Ecclesia sepeliri, sit in illa sepeliendus?*

Respondeo negatiuè, nam ad probandam electionem sepulturæ requiruntur saltem duo vel tres testes, cùm sit species vltimæ voluntatis, & agatur in ea de præiudicio Ecclesiæ parochialis, sicut quælibet dispositio ad causas pias requirit numerum duorum vel trium testium, *cap. cùm esses, de testam.* & ita docet Genuensis *in praxi c. 61. num. 10.* & Iulius Lauorius *in var. elucubr. tit. 2. c. 11. num. 18.* vbi addit, probari sepulturam etiam codicillo inualido, vel per scripturam manu propria subscriptam, & etiam per testes singulares, vt si deponat audiuisse electam sepulturam à Francisco in tali loco, sed diuersis temporibus. Imò in tali casu sufficere dictum Confessarij tantùm, tradit Molfesius *in sum. tom. 2. tract. 13. cap. 8. n. 32.* & ita practicari in Curia Archiepiscopali Neapolitana, testatur Lauorius *vbi suprà num. 20. in fine.*

Resol. CVII. *An si filius & seruus impuberes moriendo non elegerunt sepulturam, pater, vel dominus possit illam eligere?*

Ad hunc casum ita respondet Villalobos *in summ. tom. 2. tract. 31. diffic. 2. num. 2.* [No vale la elecion que el padre haze de la sepultura à su hijo impubere, sino es, hauiendo costumbre en contrario à la tierra (laqual creo ay en todas partes) como expressamente lo dize vn texto, por el qual lo tienen Siluestro y Nauarro contra Hostiense, y otros que tuuieron lo contrario, fundados en que el padre puede hazer testamento por su hijo impubere, y sustituyrle, aunque sea en los bienes de su madre, y està obligado à hazer el gasto de los funerales. Lo qual no obsta por hauer texto expresso en contrario, y los Doctores que tuuieron la otra opinion, escriuieron antes que Bonifacio VIII. que fue autor de aquel texto, el qual ordenò assi, porque las otras cosas que puede hazer el padre por el hijo impubere, son temporales, y esto es cosa espiritual, y lo mismo que dezimos del padre, se ha de dezir del abuelo en este caso: y lo mismo es del señor, respeto de su esclauo impubere, como dizen los Doctores citados.] Ita Villalobos, cui adde Bonacinam *de contract. disp. 3. q. 21. punct. 3. num. 8.* Bellettum *in disquisit. Cleric. part. 1. tit. de Clerico debitore, §. 3. n. 17.* Genuensem *in praxi cap. 61. n. 4.* licet obseruet hanc consuetudinem non adesse in ciuitate Neapolitana, vnde standum est consuetudinibus locorum. Verùm post hæc scripta inueni sacram Congregationem Episcoporum *in vna Faglinen. 27. Octobr. 1587.* decreuisse sepulturam pro filio minori posse patrem in vita, non autem post mortem eligere. Nota etiam dictam sacram Congregationem decreuisse, quòd facultatem non habens eligendi sibi sepulturam, in maiorum suorum sepultura humari debet, vt obseruat Barbosa *de officio Parochi, cap. 26. num. 28.* vbi sic ait. Cùm filia Antonij Scarpellini in minori ætate ex hac vita migrasset, Præpositus S. Martini sub noui Ritualis prætextu in eius Ecclesia illà sepeliri prætendebat, non obstante, quòd illius maiorũ sepultura in Ecclesia Fratrum Minorum Conuentualium S. Francisci existeret. Quapropter sacra Congregatio Cardinalium negotijs Episcoporum & Regularium Præpositorum *in vna Asculana 21. Octobris 1616.* dictæ filiæ cadauer dictorum Fratrum Ecclesiæ restituendum censuit, cùm qui sepulturam sibi eligendi facultatem non habet, in maiorum suorum sepultura humari debeat.

Resol. CVIII. *An si filius pubes moriatur sine sepulturæ electione, si maiores sint sepulti in diuersis locis, iste vbi erit sepeliendus?*

Tractat hunc casum optimè, vt semper solet, Villalobos *in summa tom. 2. tract. 31. diffic. 2. n. 4.* vbi sic ait. [Duda es, si estuuiesse el padre enterrado en vna Iglesia, y en otra el abuelo, y en otra el bisabuelo, o estuuiessen vnos en vna, y otros en otra, que se hauia de hazer en este caso? A lo qual respondo, que si el padre y el abuelo estuuiessen enterrados en vna Iglesia, allì se deue enterrar, aunque los demas mayores estuuiessen enterrados en otra, como tienen Oldrado y Siluestro, porque el derecho de la sepultura para los defuntos es como el domicilio entre los viuos, y consigue cada vno el domicilio o naturaleza del padre o abuelo, y no de los demas antepassados, como dizen los Doctores; Tanbien porque el adunarse las sepulturas nace del mucho amor, y este ay el mayor con los padres y abuelos, que con los demas ascendientes. Mas si el padre està enterrado en vna

Iglesia,

Iglesia, y los demas antepassados en otra, deue enterrarse en la de sus antepassados, y no en la de su padre,como tiene vna glosa, que sigue Abad y Sylvestro,y lo coligẽ de algunos textos. y si en vna sepultura està el padre,y en otra el abuelo,y en otra el bisabuelo,de suerte que en ninguna ay mas que vno de los mayores,en tal caso de derecho se auria de enterrar en la Paroquia,porque no tiene sepulcro de sus antepassados,mas de costumbre se ha de enterrar con el padre,de la qual testifica Iuan Andrez, y passa con ella Gregorio Lopez, y refiere Abad, que dize que tambien es derecho.] Hæc Villalobos, cui addendus est Barbosa *de officio Parochi,cap.26.num.31.* & Iulius Lauorius *in elucubrat. tit.2.cap.11.num.113.* & 114. Ex his apparet non esse admittendam opinionem Lapi *allegat.59.* vbi docet, quòd si filius pubes moriatur sine electione sepulturæ, esset sepeliendus in Ecclesia parochiali, non autem in sepultura maiorum.

Notandum est etiam hìc obiter, vxorem esse sepeliendam in sepulchro viri, si sepulchrum non elegisset:at si datur casus vt mulier duos vel plures habuerit viros, sepelienda est in sepulchro vltimi viri,*cap.is qui,*§.*mulier, de sepulturis, in 6.* Ex quo sequitur, vxorem, quæ in aliena Parochia mortua est, & sepulturam non elegit, transferendam esse ad tumulum sui viri. Ita Molfesius *in sum. tom.2. tract.13. cap.8.num.22.* & alij penes ipsum, quibus adde Bellettum *in disquisit. Cleric.part.1.tit de Clerico debitore*, §.*3.num.15.* & *16.* vbi etiam *num.18.* docet quòd frater fratri eligere sepulturam nequit,pater filio puberi,nec mater filijs,nec tutor pupillo, nec auus nepoti, *cap. licet,* vbi Farinacius, *de sepult. in 6.* Vbaldus *de Canon.Paroch.cap.11.num.2.* Medices *de sepult.q.8.* Io. Asinius *in lib. familiaria sepulchra, ff.de relig. & sump. funer.* Butsatus *d.cons. 226. num.18. vol.3.* neque amicus amico sepulturam eligere potest. Riccius *in praxi resolut.part.1.resolut.567.num.1.* nisi aliud existeret de consuetudine. Gratian. *lib.1. discept. forens.cap.94.* post Franc. *in d.cap.licet, num.3.*

RESOL. CIX. *An Nouitij morientes possint eligere sibi sepulturam?*

ITa ad hunc casum respondet Iulius Lauorius *in elucubrat. tit.2.cap.11.num.99.* & 100. Regulares, qui decedunt intra probationis annum,non sepeliuntur in Monasterio, quia non censentur plenè translati ad Monasterium, cùm possint redire ad sæculum. *cap.statuimus, de Regular.* & sic sepeliuntur in Ecclesia,in qua sepeliri debuissent, si ad Monasterium non fuissent translati. Archidiac. *cap. cùm quis,de sepult.in 6.*quod intellige,nisi se aliter habeat consuetudo, ex Sylvestro *ver. sepultura.* Alij autem distinguunt;aut enim fuerunt in proposito redeundi ad sæculum, & tunc si sunt impuberes,debent sepeliri in sepultura maiorum suorum, si puberes, in sepultura electa; aut non fuerunt in tali proposito, & tunc sepeliuntur in proprijs Monasterijs. & hæc opinio concordat cum supradicta, dum loquitur de translatis. Nouitij tamen non possunt eligere sepulturam, etiam ante emissam professionem, neque post,licet secùs alij sentiant. Ita Lauorius,sed confusè,& sibi contrariando.

Audiamus igitur Villalobos *in summ. tom.2. tract.31. diffic.2. num.13.* vbi sic ait. [Los Nouicios se han de enterrar en los Monasterios donde son Nouicios, como està en costumbre, y lo dize Sylvestro.y el Padre Fray Manuel dize,que es conforme à los priuilegios de las Religiones, y esto aunque muriessen en casa de sus padres, estando allà con el habito y licencia de su Prelado, como dize el mismo Padre Fray Manuel, aunque de derecho se auian de enterrar en los sepulcros de sus mayores, y no los auiendo en la Paroquia, como dize Archidiacono. Mas ha se de aduertir, que los Nouicios pueden elegir sepultura, como pueden dexar el habito, y boluerse al siglo.] Notandum est etiam hìc obiter cum Portel *in dub. regular.ver. sepultura, num.2.* quòd possunt Religiosi suos familiares intra claustra morientes in sua Ecclesia sepelire.

RESOL. CX. *Religiosi morientes extra Monasterium vbi sint sepeliendi?*

REligiosi cùm non habeant electionem sepulturæ, sepeliendi sunt in proprijs Monasterijs, *cap.vlt.de sepult.lib.6.*Emanuel *quæst.regul.tom.3.q.60. art.1.* & 2.Vgolinus *de offic.Episc cap.17.num.9.* latè Sanchez *in pract. Decalogi,tom.2.lib.6.cap.14.* nouissimè Aloys. Riccius *in praxi rerum fori Eccles. part.4. resol.293. num.39.* etiamsi extra claustra decedat, quia tunc etiam Parochis inconsultis ad eorum Ecclesias deferri debent,vt censuit sacra Congregatio Emin. Cardinalium Concil. Trident. Interpretum,*sub die 2.Iulij* 1620. vt refert Laurentius de Peyrinis *in constit.sui Ordinis Minim. tom.2.constit.7. Pij V.num.13.vers.ad decimum,pag.194.*nisi sint ita remoti à proprijs Monasterijs, vt commodè portari nequeant, quia tunc possunt eligere sepulturam, *d.cap.vlt.*Nauarr. *com.2.de regularibus, num.43.* Emanuel *d.q.60.art.2.vers. Aduertendum tamen est.* Sanchez *d.cap.14.num.3.* si verò in partibus sic remotis à Monasterio moriantur,non electa sepultura, sepeliendi sunt in Ecclesia parochiali, in qua decesserint,instar sæcularium in itinere morientium,vt tenent Ancharan.& Franch.*in d.cap.vlt.*Sanchez *d. cap.14.num.4* subdens contra glos. *ibi*, in casus positione sepeliendos adhuc in Ecclesia parochiali, quamuis ibi sit Monasterium aliquod sui Ordinis, nisi ibi fuerint causa perpetuæ residentiæ,& *num.5.* subdit, quòd tenetur expensas factas in Monachi sepultura soluere. & hæc omnia docet etiam Barbosa *de offic.Parochi,c.26.num.30.* cui adde Villalobos *in summ. tom.1.tract.31.diffic.2.n.12.*& Bellett.*in disq. Cler.part.1.tit.de Clerico debitore,*§.*3.num.39.*

RESOL. CXI. *An Canonicus si non eligat sepulturam sit sepeliendus in Parochia, vel in Ecclesia Cathedrali?*

AD partes hanc quæstionem pertractat Iul. Lauorius *in elucubrat. tit.2. cap.11. à num.62. vsque ad num.85.* Bonacina verò *de contract. disp.3.q. 21. punct.3.num.6.*§.10. vult Canonicum Ecclesiæ Cathedralis sepeliendum esse in Cathedrali, quia hæc est ipsius Parochia. & circa præsentem quæstionẽ in casu occurrenti,vide Lapum *alleg.63.*

*num.*4. Ancharanum *cons.*369. Tuschum *tom.6. lit. I. concl.99 n.*5. Archid. *in c. statutum. §. cùm verò, de rescript. in* 6. & alij penes ipsos.

RESOL. CXII. *An pueri baptizati in secundina, si illico moriantur, sint in Ecclesia sepeliendi?*

QVi negant Baptismum collatum infanti secundina induto esse validum, vt Valentia *tom.* 4 *disp.*4.*q.*1.*punct.*2. & alij, negabunt in loco sacro sepeliendum esse. Ego verò, qui cum Vasquez *tom.* 3 *disp.*145.*num.*31. & alijs *vbi suprà*, in hoc tractatu citatis, teneo hunc Baptismum esse validum, existimo consequenter talem puerum esse in Ecclesia sepeliendum. nec aliter tenendum est; nam cùm pro validitate Baptismi adsit saltem opinio probabilis, qua ratione dictus infans debet carere sepultura Ecclesiastica?

RESOL. CXIII. *An peregrini morientes sine electione sepulturæ sint in Parochia, vel Ecclesia Cathedrali sepeliendi?*

SI commodè possent transportari ad sepulcra maiorum suorum, id fieri debet, aliàs sepeliuntur in Parochia in qua moriuntur, vt docet Syluester *in ver. sepultura, q.*8. quem probat Iodoc. *in eodem ver. num.*5. §.2. quamuis Zabarella *cons.*90.*n.*1. quem probat Tuschus *in ver. sepeliri concl.*189.*num.*5. affirmet in Ecclesia Cathedrali sepeliendos esse, quia tanto minori spatio non possunt dici facti Parochiani, & idem probat de vagabundis; sed si Parochia administranit illis Sacramenta, ad ipsam spectat ius sepeliendi, nam sepultura magis accedit ad communionem Sacramentorum, quàm ad communionem diuinorum Officiorum. Et ita docet Molfesius *in summa tom.*2.*tract.*13.*cap.*8.*num.*30. vide etiam Gratianum *cap.*298.*num.*15. *& sequent.* Seraphinum *decis.* 1035. & Bellettum *in disq. Clericor. part.*1.*tit. de Clerico debitore,* §.3.*num.*21.

Notandum est tamen hìc obiter, quòd qui in villam ruralem se transtulit recreationis causa, ibique mortuus est, non electa alibi sepultura, hic sepeliendus est in Parochia ciuitatis, si ad eam commodè transferri potest. Ita Panorm. *in cap. in nostra, n.*10. *de sepult.* & alij.

RESOL. CXIV. *An si moribundus non vult hæredem instituere fratrem, sed extraneum, sit absoluendus?*

NEgatiuè videtur respondendum, per ea quæ adducit Faber *in §. intestatorum, Instit. de hæred. quæ ab intestato deferuntur*, tenet in hoc casu fratrem non posse præterire sine peccato fratrem suum inopem. sequitur Guiliel. *cap. Raynutius, in ver. testament um* 10.*n.*7. Ripa *in l. nemo potest, n.*99. *ff. de leg.*1. Albericus *in dictionario ver. testamentum* 10. Suarez *in l. quoniam in prioribus, limitatione* 1. *C. de inofficioso testamento.* Antonius Gomez *in l.*8. *Tauri, num.*4. & hæc communis iuuatur per textum *in c. si quis reliquerit, distinct.* 30. *& in cap. est probanda* 86. Nec est nouum, vt actus valeat, & peccatum ex eo resultet, vt videmus in deceptione intra dimidium iusti pretij, in mat. *l.*2. *C. de rescind. vendit.*

Sed his non obstantibus, in rigore loquendo non peccat, & ideò est absoluendus infirmus, qui in articulo mortis constitutus instituit in hæredem extraneum, relicto fratre paupere. Et ita hanc opinionem non solùm Theologi, sed etiam Iurisconsulti docent, vt Gaspar Pegadus *in repet. ad lib. inter catera, ff. de liberis & posthum. part.*2.§.3.*num.*12. *& seq.* Probatur ex *lib. frater, C. de inofficioso testam.* & ex glossa *in cap. quæ in Ecclesiarum, ver. constituerunt, de constit.* vide etiam Afflictum *lib.*1. *constit. rubr.*82. *num.*2. & Couarr. *part.*2. *de sponsal. cap.*7.§.7.*num.*8. *&* 13. Malderum *in* 2.2. *tract.*1. *cap.*11. *dub.*8. Layman *lib.*3. *sect.*5. *tract.*5. *cap.*5. *num.*15. Rationes verò pro hac firmanda sententia videbis apud Pegadum *loco citato*, & ne deseras etiam videre me ipsum *in* 1. *part. tract.*8. *resol.*83. vbi inuenies patrem esse absoluendum, si vult relinquere filium hæredem tantùm in legitima. Vnde licet Confessarij debeant persuadere moribundis, vt filios & fratres hæredes instituant, tamen si infirmi nolunt hoc agere, immeritò à secularibus afficiuntur iniurijs, cùm voluntas hominis, & maximè moribundi, sit persuadenda, non autem cogenda.

RESOL. CXV. *Si non expediat vt moribundus declaret in testamento aliquas restitutiones, vel alimenta filiorum, quid sit faciendum?*

FAciat capitulum in testamento quòd hæredes dent tantam pecuniarum summam Confessario, vel alicui amico, vt supradicti illam expendant secundùm voluntatem testatoris eis manifestatam ore proprio, vel per scripturam in confidentia relictam, & quòd de dicta pecunia hæredes non possint expensionem poscere. Potest etiam Confessarius in articulo mortis, ne passim Notarius vocetur cum molestia infirmi, & timore hæredum, in confectione testamenti proponere ægrotanti, si velit vt apponat in dicto testamento capitulum, in quo dicatur quòd testator relinquit schedulam manu propria firmatam apud suum Confessarium, vel alium amicum, quæ quidem schedula vult vt habeatur ac si fuisset inserta in dicto testamento, mandando hæredibus, vt illam per omnia exequantur, & quòd in iudicio fidem faciat, ac si in testamento, vt dictum est, contenta fuisset & expressa. Nam facto hoc capitulo in testamento, si postea infirmus debeat in conscientia aliquid declarare, vel si alicui vellet aliquid relinquere, aut legatum facere, & similia, tunc scribantur hæc omnia in schedula, quæ quidem subscribatur ab infirmo, & postea suo tempore à Confessario manifestetur. Et ideo Villalobos *in sum. tom.*2. *tract.*30. *diffic.* 5. *num.*6. sic ait. [Quando vno en su testamento dize que dexa vna cedula firmada de su nombre en poder de su Confessor, ò otra persona, la qual contiene ciertas mandas ò legados, y que quiere, y manda, y es su voluntad, que se cumpla todo lo en ella contenido, como si fuera puesto de verbo ad verbum en su testamento, vale lo contenido en ella, loqual es llano.] Ita Villalobos.

Vnde pro confirmatione supradictorum ponam hìc pulchrum dubium, quod apponit Gaspar Pegadus *in repet. ad l. inter catera, ff. de liber. & posth. part.*3. §.6. vbi sic ait. His quidem mihi proximum

visum

visum est tractare an valeat hæredis nominatio relata ad schedulam, quam penes aliquem probatum virum scriptam relinquere dicit testator, & tamen quoad legata & alia extra hæredis institutionem omnes probant valere. De hæreditatis autem institutione plerique dubitant: cæterùm receptius & probabilius est institutionem valere, ex *l. hoc art. 29. ff. de hæredibus instituendis.* & tunc dici potest eam scripturam tanquam testamenti partem valere, & defendi posse, non aliter quàm codicillum testamento confirmatum, argumento *l. quod per manus 10. & l. quidam 14. vers. nimirum ff. de iure codicillorum.* & potuit testator ita nomen hæredis testibus celare. & hæc est communis sententia cum Bart. *in l. si ita scripsero ff. de conditionibus & demonstrationibus* & cum multis resoluit Ioan. Guttier. *in l. nemo potest. ff. de legatis 1.* tenuit idem Paulus *in d. l. si ita scripsero.* Bald. *in l. asse toto. ff. de hæred. instituend.* Paul. *in d. l. hac consultissima*, per nuncupationem, *& in l. hæredes palam ff. de testament. & in l. vbi autem non apparet, §. sed qui vt num ff. de verborum obligat.* Alex. *cons. 186. volum. 5. incip. Viso processu 2. col. ad fin.* sequitur idem Iason *in l. ait Prætor, §. si Iudex, ff. de re iudicata, num. 3.* Thelus Fernandez *in l. 3 Tauri 5. part. num. 2.*

Nota hîc obiter, certũ esse quòd si in dicta schedula vel testamento dicat testator, velle se centum, v.g. erogare per Confessarium, vel per alium illis personis, quas ei in secreto dixit, non teneri supradictas tales personas hæredibus declarare. Ita ex multis Figuerius *in Introduct. vlt. volunt. lib. 2. c. 7. n. 13.*

Resol. CXVI. *An si bona hæreditaria non sufficiant ad soluenda debita, possint adhuc deduci expensæ necessariæ ad funus debitoris iam mortui?*

Respondeo deduci posse moderatas expensas necessarias ad funus debitoris iuxta qualitatẽ ipsius, antequam fiat solutio creditoribus, etiamsi creditores habeant hypothecam in bona debitoris sepeliendi, seu defuncti. Ratio est, tum quia impensæ funeris præcedunt omne debitum, *l. penult ff de religiosis & sumptib. funerum, & l. at si quis §. 1. tit. eodẽ.* tum quia grauis necessitas excusat à restitutione, tũ quia creditores censentur hoc rationabiliter permittere pro re tam necessaria, præsertim cùm illa bona censeantur adhuc esse ipsius debitoris. & ita in hoc casu hæres præferatur cæteris creditoribus. Vide Molfesium *in summ. tom. 2. tract. 13. c. 8. num. 43.* Petrum Nauarra *de restit. lib. 4. c. fin. n. 27.* qui addit expensas superfluas ad honorẽ & pompam mundanam tuta conscientia hæredem facere non posse, quæ quidem verba, vt apparet, non negant quòd hæres non possit facere expensas moderatas, vt dixi, iuxta qualitatem mortui in numero Clericorum & Religiosorum in quantitate luminum, vel culturæ, &c.

Resol. CXVII. *An quis incurrat irregularitatem, si voluat, v.g infirmum, si cibum ei exhibeat & similia faciat, ex quibus sequatur mors, aut eius acceleratio?*

Scio aliquos Religiosos ex his actionibus abstinere metu irregularitatis, sed immeritò. Ideo asfero cum Auila *de cens. part. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 8.* quòd si quis bona fide det aliquid moribundo, ex quo sequatur mors, vel acceleratio, licet aliqua sit culpa, non erit irregularis, nisi sit culpa lata. & si habet scrupulum, deponat illum consilio viri prudentis. Vnde in tali casu non facilè formandus est scrupulus. Idem dicendum est de illo, qui bona fide reuoluit infirmum, vt commodiùs cibum subministret, vel magis quiescat. nam licet acceleretur mors, non erit irregularis, nisi ex lata culpa nimis acceleraretur. Ita Sotus *lib. 5. de iust q. prima, art. 9. col. 4.* Caiet. *2. 2. q. 64. art. 8.* qui infert. quod est valde notandum, Sacerdotes & Religiosos seruire infirmis etiam constitutis in vltimo vitæ, & eos voluere in lecto, & reliqua exhibere cum prudentia, quæ in huiusmodi consueta est; nam quidquid in hoc licet laicis, licet etiam Clericis. Ita Auila; cui adde Bonacinam *de Cens. disp. 7. q. 4 punct. 7. num. 12.* Henriq. *lib. 14. c. 15. n. 5.* Suarez *de cens. disp. 47 sect. 7. num. 3.* Vgolinum *de cens. cap 19. §. 3.* & alios penes ipsos.

Resol. CXVIII. *Quæ liceant, vel non liceant agere cum infirmo tempore mortis, quando conficit testamentum?*

Ad hunc casum ita respondet Villalobos *in summ. tom. 2. tract. 30. diff. 9. n. 4.* vbi sic ait. [Ha se de aduertir, que el que por buen modo haze que el testador mande la hazienda à alguno, y no à otro, persuadiendolo por buenas razones sin engaño, ni mentira, no peca, ni està obligado à restituyr. Y si lo hiziesse con odio del heredero o legatario, con animo de dañificarle, no auiendo mentira, dolo, o fuerza, pecaria contra caridad, mas no estaria obligado à restituyr, porque no peca contra justicia, como dize Nauarro. Tampoco està obligado à restituyr el que por blandicias o halagos atrae à vno para que lo dexe por heredero, como suelen hazer algunas vezes los maridos acariciando à sus mugeres, o las mugeres con ellos. La razon es, porque esto no causa inuoluntario, como prueua Molina por el derecho. Infiere se tambien, que quando huuiesse ruegos importunos, los quales se equiparan à fuerça, y con ellos persuadiesse que le dexasse el otro por heredero, seria pecado mortal, y tendria obligacion à restituyr quien esto hiziesse, como dizen Gutierrez, Molina, y Sanchez, que lo mismo es en las donaciones. Lo mismo se ha de dezir del miedo reuerencial que la muger tiene al marido, ò el hijo al padre, en especial si le buelue el rostro, y le da à entender que siente que haga testamento, no le dexando por heredero o legatario, o que haga el testamento cerrado en especial, que pueden estos juntamente temer, que el tal marido, o padre los tratarà mal en el discurso de la vida; y assi esto que quitan la libertad pecan mortalmẽte, y estan obligados à restituyr.] Hæc ille, & cõmuniter Doctores.

Resol. CXIX. *Si quis moriatur in loco, vbi non posset condere testamentum, & vellet relinquere aliquid Ecclesiæ, an valeat tale legatum si relinquat scripturam subscriptam manu propria?*

Respondeo saltem in foro conscientiæ affirmatiuè, & quidem quomodo non valebit scriptura in his terminis, si valet confecta ab alio, deponentibus duobus testibus illam esse ipsius voluntatem?

luntarem? Certè magis cõstat de voluntate defuncti, qui conficit scripturam videntibus testibus, quàm si ab alio conficiatur dictante testatore coram testibus, præcipuèjcùm testes in his terminis non requirantur pro solemnitate testamenti. Et licet Iul. Clarus contrariam opinionem, imò tale testamentum esse inutile, ab omnibus magis communiter receptum esse affirmaret, & ideo in iudicando & consulendo non esse ab ea recedendum, tamen nec sibi, inquit, nec amicis consulturum, bona in tali schedula Ecclesiæ relicta posse ab hærede salua conscientia retineri. Ita ille, *in § testamentum, q. 7. num. 2.* cui adde Emanuelem Figuerium *in Introduct. vltim. volunt. lib. 3. cap. 14. num. 22.* & Ioannem Valerum *in different. ver. fori. ver. testamentum differ. 1. num. 2.* vbi docet, quòd in foro conscientiæ sufficit hæredi habere prædictam scientiam priuatam, vt in conscientia teneatur adimplere voluntatem testatoris; & consequenter tenebitur executioni mãdare quidquid sibi constiterit per litteras & papyros testatoris manu eius conscriptas velle fieri. Vide etiam Velascum *consult. 67.*

Posset etiam Confessarius in tali casu non solùm pro legatis ad pias causas, sed etiam absolutè, si adessent duo testes facere, vt moribundus testamentum conficiat. nam testamentum factum coram Parocho & duobus testibus, valet in vtroque foro in terris Ecclesiæ, ex *cap. cùm esses, de testam.* & vbique terrarum valere tale testamentum in foro conscientiæ, probat latè Paulus Comitol. *lib 7. q. 1 à num. 5.* (etiam sine præsentia Parochi) & docet D. Anton. *3. part. tit. 1. cap. 3. §. 14* Syluester *ver. testamentum 1 q. 5. not. 4. & ver. Alienatio § 13 & ver. restitutio 5. §. 8* Hadrian *Quolib. 6. art 1 conclus. 2.* vbi optimè Angelus *ver. Testamentum, §. 5. & ver. Alienatio §. 14.* Tabiena *eod. ver. §. 15.* Armilla *ver. Legatum, §. 51.* & dicunt communem Couarr. *d. c. cùm esses.* Vide etiam Valerum *vbi suprà differ. 2. qui in differ. 8.* probat, testamentum ad pias causas manu testatoris factum sine testibus, esse validum in foro conscientiæ, & ideò in casu contingenti videbis illum. Imò testamentum etiam ad causam profanam sine solennitate iuris valere in foro conscientiæ, ego alibi fusiùs tradidi, & tradit Becanus *part. 2. tom. 3. cap. 7. quæs 3 concl. 1.* Ex quibus infert primò, hæredem ab intestato, si sciat voluntatem defuncti, tenieri restituere hæreditatem, & soluere legatarijs, quibus testamento minùs solenni debentur. Secundò, si dubius sit de voluntate testatoris, debet cum illis componere ratione dubij. Ita Molina *disp 81.* Ratio est, quia cùm nec ipse, nec alij cœperint adhuc possidere bona fide, in dubio par est eorum conditio Tertiò, si hæres ab intestato retineat hæreditatem & legata, possunt illi, quibus aliquid per tale testamentum est relictum, vti occulta cõpensatione. Ratio est, quia reuera res relictæ sunt ipsorum. Quartò, si hæres ab intestato fateatur mentem testatoris fuisse, vt hæreditatem nomine fideicommissi alteri traderet, vel legatum aliquod solueret, aut si oblato iuramento iurare noluerit, cogendus etiam in foro externo hæreditatem tradere (detracta tamen quarta parte, quam vocant Trebellianam) & soluere legatum, vt patet *Inst. de fideicommiss. hared § vlt & l. quæstionem, C. de fideicommissis.* Hæc probabiliter dicta sunt, nam contraria opinio est etiam probabilis.

Resol. CXX. *An damnatus ad mortem propter aliquod facinus possit testari?*

Respondendum videtur negatiuè in foro externo, ex *l. deportati. l in metallum, Auth bona dãnatorum, C de bonis proscript.* & ex *l. quidam sunt*, ex *l. qui vlt.* & *ibi* Bart. *ff. de pœnis.* & ratio est, quia tales per præfatam sententiam perdũt ea quæ iuris sunt ciuilis vt *d. l. quidam.* & consequenter amittunt testamenti factionem, quæ est iuris ciuilis, *l. testam. ff. de testam.* In foro verò conscientiæ si testetur coram duobus testibus, validum erit testamentum, id est, tuta conscientia poterit hæres bona retinere, dum non compellitur per iudicem bona fisco tradere. Et ita docet Valerius *in differ. ver fori. ver testamenti in, differ. 7. num. 2.* Sed aduertit optimè Lessius *lib 2. cap. 19. dub. 4 num. 49.* & Becanus *part. 2. tom. 3 cap 7. q. 4.* in testamento damnatorum ad mortem habendã esse rationem locorum & consuetudinis, quia ius Codicis vbique non seruatur. Imò ex Iulio Claro aduertit Malderus *in 2. 2. tract. 1. cap. 11. dub. 3.* consuetudinem esse in contrarium: vbique enim ea ferè obtinet, vt quando damnati bona non publicantur, condere valeat testamentum, & firmum maneat priùs conditum, imò si non condat, hæredes ab intestato habeat successores. Vide etiam Layman *lib 3 sect. 5 tract. 5. cap. 3 num. 3.*

Resol. CXXI. *Quid liceat, vel non liceat moribundo in relinquendo aliquid filio spurio?*

Ad hunc casum libet respondere cum verbis Henrici Villalobos *in sum tom. 2. tract. 30. diffic. 13. n. 15* vbi sic asserit. [Se ha de aduertir, que quando el padre busca vn amigo fiel à quien tiene por hombre honrado, y le dexa por heredero, creyendo del que dará la hazienda à su hijo espurio, lo puede hazer, y aun podria declararle su concepto, diciendole: Señor, yo os tengo por hombre honrado, y assi fio de vos, que dareys la hazienda que os dexo à mi hijo, aunque yo no puedo obligaros à ello. En este caso este es verdadero heredero, y si quisiere, podrà restituyr la haziẽda al hijo espurio; mas si no lo quisiere hazer, podrà retenerla con buena conciencia, aunque no lo haria como hombre de bien. Mas la duda es, si le diò palabra el heredero de restituyr la hazienda al hijo espurio. En este caso dize Soto, que no vale la donacion, y assi que està obligado à restituyrla. Mas otros tienen, que este es verdadero heredero; loqual me parece que lleue mejor camino. Assi lo tienen Couarr. Ledesma y Lesio. La razon es, porque no ay ley que haga è este inhabil para recibir el dominio de la herẽcia, sino solo en pena de la palabra que diò, le priuan della: à lo qual no està obligado antes de la sentencia del juez. Mas toda via queda duda, si el que diò esta palabra està obligado en conciencia à restituyr la hazienda al hijo espurio. A lo qual dizen Couarruuias y Lesio, que no està obligado à ello; porque aquella promessa fue nula por ser contra la ley, y assi solo està obligado à cunplir la fi-

lidad,

lidad, pero no de justicia, porque la condicion o grauamen que pone el testador, siendo contra ley, se juzga como si no fuesse puesta en las vltimas voluntades; conforme à vna ley; y tambien lo tiene Bañez, aunque Ledesma dize, que està obligado à cumplir la palabra de justicia, porque con essa carga le dieron la herencia, y dize, que lo tiene Orellana, y comunmente los Tomistas, lo qual parece probable; aunque tengo por mas probable lo que queda dicho. Hæc omnia Villalobos.

Verùm Becanus *part. 3. tom. 3. cap. 7. q. 6. num. 2.* & alij docent, quòd si pater hæredem instituens, roget eum, vt hæreditatem restituat spurio, & ille promittat se id facturum, non teneri illum hæredem implere promissum, quia promissio fuit nulla, vtpote contra legem. Vnde potest hæreditatem sibi retinere, tamquam verus hæres à testatore institutus. : conditio enim & grauamen appositum à testatore cùm sit contra legem, censetur tamquã non appositum in vltimis voluntatibus, vt patet ex *l. impossibilis, ff. de verb. obligat.*

Nec valet dicere, quòd hæres tenetur restituere fisco, quia bona illa hoc ipso, quòd hæres promittit se daturum ea spurio, sunt confiscata, vt patet ex *l. penult. ff. de iure fisci, & l. Prætoris, ff. de petitione hæreditatis.* nam respondetur, non teneri ante sententiam, quia est pœna constituta hæredi à legibus in punitionem illius promissionis iure prohibitæ: pœna autem non debetur ante sententiam condemnatoriam. Vnde si à iudice interrogetur, an tale quid promiserit testatori, non tenetur fateri, nisi præcesserit infamia. Ratio est, quia agitur de crimine occulto, ob quod grauiter, si verum fateatur, mulctabitur, nempe confiscatione non solùm illius hæreditatis, sed etiam omnium bonorum, & deportatione in insulam, eo quòd sponte non reuelauerit, vt patet *l. vn. C. de his, qui se deferunt.*

Et licet omnia supradicta vera sint, si hæres tamen institutus nihil promisit testatori de hæreditate restituenda spurio, potest eam restituere ex sua liberalitate, & spurius potest eam accipere, qui accepit eam voluntate veri domini nulla lege vetante. Si verò tacitè vel expressè promisit testatori id petenti, peccauit quidem mortaliter promittendo, sicut & testator ita disponendo; si tamen illa bona tradat, potest ea spurius retinere. Ita Couarr. Quòd mortaliter peccarit, patet, quia leges sub grauissima pœna talem promissionem vetant. Quòd tamen promissio valeat, patet, quia fit ab eo qui est dominus bonorum, & lex, etsi prohibet promissionem factam testatori, non tamen prohibet, quin hæres, qui est verus dominus illorum, possit ea dare, & tradere spurio. Vide etiam Lessium *lib. 2. cap. 19. dub. 6. num. 59. & sequent.*

Nota verò, quòd licet pater nõ possit relinquere aliquid filio spurio, ex *l. licet. C. de nat. lib.* in illis verbis, *qui ex damnato sunt coitu, omni prorsus beneficio secludantur.* tamen hoc non intelligitur de alimentis, quia sunt de iure naturæ debita. Nec valet dicere, quòd iure ciuili vetitum est, ne proles ex damnato concubitu alatur à patre, vt pater *Authent. ex complexu, C. de incestis nupt.* nam respondeo, Ius canonicum illud sustulit, tanquam minùs consentaneum naturali pietati.

Nota etiam, quosdam sentire (quibus accedit Emanuel Sà *ver. Hæreditas,* & Henriq. *lib. 1. de matr. cap. 21. num. 1.*) spurium posse retinere ea quæ matet ipsi reliquit, donec per iudicem priuetur, modò notabiliter non noceat legitimis liberis. quæ sententia mihi videtur non improbabilis, præsertim de matre non illustri. nam si quis benè expendat iura, quibus Doctores probent matrem non posse aliquid ei relinquere, non omnino vrgent. Authentica enim *licet.* & *Nouella 74.* loquuntur aperte de patre; similiter Authentica *ex complexu, C. de incestis nupt.* vbi dicitur, *Ex complexu nefario, aut incesto, seu damnato, liberi nec naturales sunt nominandi, omnis paternæ substantiæ indigni beneficio, vt nec alantur à patre*; cur hos extendamus ad substantiam maternam, cùm odia sint restringenda, *in d. lib. si qua illustris 5. C. ad SC. Orficianum*, solùm dicitur mulierem illustrem, si habet proles legitimas, non posse quidquam dare, vel testamento relinquere suo spurio. Hinc tamen non sequitur, quin mulier non illustris id possit, etiamsi alias proles habeat. Item non sequitur, illustrem non posse, si alijs liberis careat. & hæc omnia docet Lessius *vbi supr. lib. 2. cap. 19. num. 66. dub. 6.* Sed an filius spurius possit hæres institui sub conditione, cùm capax erit, siue cùm à Principe legitimabitur, vide doctum & amicissimum Iurisconsultum Antonium de Marinis *quot. resol. cap. 254. num. 19.* vbi negatiuam sententiam tenet.

RESOL. CXXII. *An sit absoluendus moribundus, qui vult mutare testamentum, quod in vita fecit cum iuramento?*

AFfirmatiuè videtur respondendum, ex doctrina Gomez *in l. 3. Tauri, n. 99.* Bart. & aliorum, quia iuramentum contra bonos mores non obligat, vt habetur *in reg. 6.* Sed testamentũ iuratum est contra bonos mores, quia præbet hæredibus occasionem desiderandi mortem testatoris. Item, quia pactum, quo aliquis dicit, Instituo te hæredem, & nisi præstitero, spondeo tibi tantam pecuniam, est iniquum, estque non obseruandum, quia est contra libertatem naturalẽ testandi. *l. stipulatio hoc modo, ff. de verb. oblig.* sed idẽ fit per testamentũ iuratũ. ergo.

Sed his non obstantibus, dico primò, quòd malè dispositum, & continens aliquid contra leges iustas, etiamsi iuramento confirmatum sit, reuocandum est. Ratio, quia iuramentum in re illicita non obligat, hinc dici solet iuramentum non debere esse vinculum iniquitatis.

Dico secundò, quòd testamentum benè dispositum, & ex omni parte perfectum, ita vt nulla possit de nouo occurrere iusta causa mutandi, si iuratum est, & à testatore reuocetur, erit de facto reuocatũ, & posterius in vtroque foro valebit; peccabit tamen grauiter reuocans, & erit periurus.

Dico tertiò, quòd testamentum benè dispositũ, sed tamen imperfectum, id est in quo non est benè omnibus futuris euentibus præuisum, si sit iuratũ, & nulla de nouo iusta causa subsit illud mutãdi, & à testatore reuocetur, reuocatio valebit, & reuocans erit periurus: si autem iusta causa subsit, licitũ

erit absque vllo peccato illud reuocare.

Prima pars patet ex secunda conclusione. Altera probatur, quia qui condit testamentum imperfectum, & illud iurat, vel ita iurat vt statuat non mutare illud, etiamsi iusta causa se postea offerat, vel statuit non seruare illud quando noua causa se offert, quæ secundùm rectam rationem exigat aliquam mutationem, si primum iuramentum fuit iniquum, & non obseruandum. Si secundum, testator prudenter retinuit facultatem mutandi testamentum oblata iusta causa, quod cum laude præstat adueniente tali causa. & hæc omnia docet Becanus *in sum. part.2. tom.3. c.7. q.8. per totam.* Ex quibus cõclusionibus Confessarius videbit, quando moribundus peccet vel non peccet mutando testamentum iuratum. Vide etiam Lessium *lib.2. cap.19.dub.8.* Villalob. *in sum. tom.2.tract.3.diffic.22. n.7.* & Malderum *in 2.2.tract.1.c.11.dub.10.* & Sanchez *in opusc. tom.2.lib.4.cap.1.dub.17.num.5.*

Resol. CXXIII. *An Confessarius tempore pestis debeat facere, vt moribundus testetur, etiamsi non adsint testes sufficientes?*

Videtur negatiuè respondendum, per ea quæ docet Fulgosius, Paulus, Alexander, & Corneus *in lib. fin. C. de testam. & in l. conficiuntur*, §.1. *ff. de iure codic. illorum*, per quę iura docemur, quòd si casu vel necessitate testes reperiri non possint, corruet testamentum. Tenuit etiam hanc opinionem Alexand. *cons.78. num.16. lib.2.* prout refert Ripa *de peste, in priuil. vlt. vol. num.7.* Marcus Antonius *in* §. *sed hæc quidem, Institut. de testament. num.23. cum sed.* Gomez *in l.3. Tauri, num.48.* Burg. de Paz plures referens *in l.3. Tauri, num.655.* Vide etiam Afflictum *decis.28. n.2.* & Boërium *decis.228.*

Sed his non obstantibus in tali casu Confessarius faciat vt moribundus disponat ea, quæ in conscientia tenetur, & quæ vult; nam tale testamentũ esse validum, docent Baldus, Salicetus, & Iason *in d. l. fin. C. de testam.* Ripa *num.11.* Parisius *lib.2. cons.32. n.6.* & ita fuisse decisum in Senatu Lusitano, testatur Gama *decis.81. & decis.310.* & hanc sententiam mordicus sustinet Pegadus *in relect. ad l. inter cætera, de lib. & posth. par.2. cap.1.* §.2. Sed non desinam hîc apponere verba Malderi *in 2.2. tract.1. cap.11. dub.6.* vbi sic asserit. Quæres, an tempore pestis testamentum, vt sit probatorium in foro externo, indigeat solemnitate testium? Respondet Iul. Clarus *q.57.* tunc loco septem testium sufficere quinque, si testator verè sit peste correptus, & plures accedere ægrè vellent. & hæc est communis opinio, vt testatur Decius apud eumdem Clarum; qui tamen fatetur, non deesse qui teneant, quòd tunc duo sufficiant. quod sanè probabile est, modò idonei sint, est enim valde æquum in eiusmodi necessitate testamentum valere, si habeat numerum testium, qui requiritur iure gentium. Sanè Molina in Lusitaniæ Regno tres testes tunc sufficere concedit, *disp.127.* Confirmatur, quia Imperator *l. vltima, C. de testamentis*, ad Dei humanitatem, vt dicit, respiciens, laxauit solemnitatem ruri degentium, vt suprà diximus. Eadem certè hîc humanitas & epiɛikɛia postulat, vt si non statuatur minor iusta probatio, sufficere vt factum est in testamento militis, saltem ea sufficiat quæ iure gentium sufficit, & admittitur in pijs causis. Vide etiam Vasquez *opusc. de testam. cap.1.* §. *4. dub.2.* Molfesium *in summ. tom.2. tract.13. cap.2. num.137.* Comitolum *in respons. moral. lib.7. q.1.* & Layman *lib.3. sect.5. tract.5. cap.2. num.16.*

Resol. CXXIV. *An filius familias Clericus si moriatur possit testari?*

Conueniunt communiter DD. quòd filius familias, si fiat Clericus per primam tonsuram, aut, vt certiùs alij, per Ordines saltem minores, quamuis adhuc maneat in patria potestate, possit testari etiam sine consensu patris de bonis aduentitijs, etiam ante clericatum acquisitis; estque apertus textus, *Authent. Presbyteros, C. de Episcopis & Clericis.* Debent tamen eiusmodi Clerici ascendentibus aut descendentibus relinquere legitimam, quoad alia æquiparantur ipsorum aduentitia quasi castrensibus, de quo videre licet Panormitanum *in cap. quia nos, de testamentis.* Non tamen absoluuntur à solemnitatibus iuris communis. *Inslit. de militari testamento,* §. *sciendum tamen.* Filius familias miles testari potest de eo quod in castris acquisiuit. quod extenditur etiam ad veteranum, siue dimissum à militia, instituto eodem. & hæc omnia docet Malderus *in 2.2. tract.1. c.11. dub.3.* qui etiam *dub.6.* quod est valde notandum, docet, secluſa consuetudine Clericos eo ipso quòd gaudent priuilegio fori, gaudere etiam priuilegio *cap. cùm esses, de testament.* nempe eorum testamentum esse validum, licet non adsint solemnitates iuris ciuilis.

Notandum est tamen hîc, quòd in aliquibus Regnis Clerici possunt testari etiam de fructibus beneficiorum ad vsus non pios, tamen hoc procedit in foro exteriori, secùs autem in conscientia; & ideo hîc non desinam apponere aliquas conclusiones, quas circa præsens dubium docet Villalobos *in summ. tom.2. tract.30. difficult.11. num.3. & seq.* vbi sic ait. [De costumbre pueden los Clerigos hazer testamento de la dicha renta, la qual costumbre es muy antigua en estes Reynos; de suerte, que en todos sus bienes, aunque sean de rentas Ecclesiasticas, se suceda ex testamento y ab intestato como en los otros bienes, que ellos tuuieren. Peca però mortalmente el beneficiado, que de los bienes que vamos hablando, manda en su testamento notable cantidad à vsos profanos, de suerte que para no pecar, ha lo de mandar à causas pias. De lo dicho se infiere, que el Clerigo, que por negligencia se dexa morir sin hazer testamento, paraque sus herederos ab intestato le sucedan, peca mortalmente segun Lesio, y otros] Ita ille, & ante illum Molina *tom.1. tract.2. disp.147. n.31.* vbi post hanc sententiam satis probatam mox addit: qui ergo confessiones beneficiariorum tempore mortis audiunt ad hanc nostram conclusionem attendant. Ita ille, quæ licet sint vera, tamen affero cum Maldero *vbi suprà in 2. 2. tract.1. cap.11. dub.3.* per modum limitationis licere Clericis testari etiam ad vsus non pios, quando id fieret per modum iustæ remunerationis, siue consanguineis, siue famulis, siue alijs benè meritis, illud enim excipitur *d. cap. relatum*, etiam pro eo

tempore

tempore, quo in vigore erat prohibitio testandi, vel ad pias causas; de mentis tamen non statur confessioni testatoris, sed aliter debent probari.

RESOL. CXXV. *An Clericus vel Episcopus possit licitè testari in fine mortis in vsus non pios, si habeat licentiam disponendi in quoscumque vsus voluerit?*

AD hunc casum ita respondet Malderus *in 2.2. tract.1.cap.11.dub.3.* etiamsi Papa dicat se dare facultatem disponendi de bonis Ecclesiasticis ad quoscumque vsus, non intelligit tamen alios, quàm pios vsus, nisi disertè addat etiam in profanos; & etiamsi Pontifex concedat facultatem testandi Clerico aut Episcopo in diuites cognatos sine pietatis intuitu, hoc non erit accipiendum, nisi quoad forum exterius. Ita Malderus.

Sed Molina *de Iustit.tom.1.tract.2.disput.147.n.33.* docet fas esse Summo Pontifici ex rationabili causa concedere beneficiariis etiam Episcopis facultatem testandi ad vsus profanos, vt si quasi in remunerationem pro munere optimè administrato, aut propter obsequium aliud Ecclesiæ impensum, id moderatè, attentis circumstantiis concurrentibus, concederet, aut aliqua alia iusta de causa. Probatur, quoniam habet plenissimam potestatem, non quidem ad dissipandum, sed ad dispensandum eiusmodi bona, atque adeò ex legitima causa, quæ in bonum & ædificationem cedat Ecclesiæ, poterit id concedere. Ita Molina, qui etiam *num.35.* licet doceat, quòd esto facultas concedatur testandi ad quoscumque vsus, si non exprimitur, ad profanos, intelligenda est solùm de non profanis, tamen id solùm credit esse verum, quando nulla apparet legitima ratio concedendi eam ad vsus profanos, aut aliunde res est dubia.

RESOL. CXXVI. *An moribundus cœpit facere testamentum, & non potuit perficere, sit irritum quoad pias causas?*

SI morituras cœpit facere testamentum, vel codicillum, & morte præuentus non absoluit, licet secundùm alia irritum sit, *l.si is qui, ff. qui testamenta facere possunt*, valet tamen quoad relicta pia, quæ in sua illa imperfecta dispositione iam expressserat. Tametsi enim voluntatem suam mutare potuerit testator, cùm tamen re ipsa nullam mutationem significarit, naturali pariter ac Canonico iure firma manere debet. vide Malderum *in 2.2.tract.1. c.11.dub.8.* Layman *lib.3.sect.5.tract.5.c.2.n.6.* & alios penes ipsum.

RESOL. CXXVII. *An moriturus possit ad pias causas committere alicuius arbitrio suum testamentum?*

RESpondeo validum esse testamentum ad pias causas, etsi alterius arbitrio cõmittatur, itemque legatum ad pias causas, etsi in liberam alterius voluntatem conferatur. v.g. Instituo hæredes bonorum meorum pauperes, quos Titius elegerit. Vel, lego centum aureos alicui puellæ in dotem, si Titius, aut si hæres meus voluerit. quæ est communis DD. sententia *in c.cùm tibi, de testament.* Iul. Clar. *quæst.6.num.5.* Tiraquel. *priuil.64.* Lessius *lib.2.c.19. dub.2.in fine.* Molina *disp.134.in fine, & disp.157.§.legatum.* Adde secundùm quosdam, si testator ita dixerit: Committo omnia bona mea arbitrio vel dispositioni Titij, tunc Titium hæredem nudum, ac solo nomine censeri, atque obligatum esse totam hæreditatem in causas pias distribuere, quæ videtur esse decisio citatorum ibi, interprete Innocentio, & Abbate cit. *num.4.* & consentit Clarus *loco cit.* Couarruuias *num.13.* Ait enim Innocent. III. Qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus, quia, vt in rubrica dicitur, talis videtur testatus ad pias causas, & præter DD. citatos hæc omnia docet Layman *lib.3.sect.5.tract.5.cap.2.n.6.& 7.*

Notandum est etiam hîc obiter, posse morituram in suo testamento committere etiam fratribus Minoribus nominationem executorum sui testamenti, & ipsi nominare possunt cum licentia Superioris. Vide Sanchez *in sum.tom.2.lib.6.cap.11. n.41.* contra Molinam *tom.1.tract.2.disp.247.*

RESOL. CXXVIII. *An religiosi tempore mortis cum licentia Superioris possint aliquid donare?*

NEgatiuam sententiam docet Graffius *in decis. part.1.lib.3.c.5.n.58.* Nauarr. Rodriquez, Præpositus, & alij, quos citat Sanchez *in sum.tom.2.lib.7. c.8.n.10.* quia talis donatio esset vltimæ voluntatis species, & qui non potest de iure testari, neque potest donare causa mortis.

Sed contrariam sententiam docet Suarez *vbi suprà n.11.* & post illum Layman *lib.3.sect.5.cap.3.n.4.* vnde filiusfamilias, qui ne patre quidem consentiente testamentum facere potest, tamen mortis causa donare cum patris consensu permittitur. *l.tam in, ff. de mortis causa donationibus*, siquidem testamentum plus iuris ac legitimæ facultatis postulat, donatio verò mortis causa ad naturam dispositionis inter viuos plurimum accedit.

Et ideò ex his infertur, non esse integrum Prælatis dare licentiam monacho scribendæ schedulæ, qua disponat, quid de suis bonis faciendum sit post mortem, eo animo vt vim habeat testamenti aut codicilli ea dispositio, secùs quando non eo animo, sed solùm rogat Prælatum, vt sic disponat pro sua libera voluntate. Cùm enim liberum maneat Superiori sic disponere, & quod postea fecerit, vim non habeat ex defuncti dispositione, non est testamentum, nec codicillus, quare id licitum est etiam Fratribus Minoribus. Addit tamen Nauarr. Graffius & Rodriquez, id non esse integrum, si ea schedula vim habeat donationis causa mortis, sed dicti Auctores loquuntur consequenter ad sententiam quam suprà diximus eos docere: at, tenendo nostram, liceret donare causa mortis ex ea licentia, ex qua posset similia Religiosus donare inter viuos.

Notandum est tamen hîc obiter, quòd potest aliquid relinqui monacho cum facultate tempore mortis disponendi de eo inter consanguineos, non per testamentum aliquod solemne, sed per electionem personarum, ad quas debeat pertinere quod ita relictum fuerit. atque ita non disponet tamquam testator, sed tamquam personarum electo.

Et ita docet Fuluius Pacianus *conſ.36.num.103.vſque ad num.108.* cum Sanchez *loco citato num.8.*

RESOL. CXXIX. *An commendatarij D.Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, de Auu, &c. morituri poſſint teſtari de fructibus Commendarum in vſus non pios?*

NEgatiuam ſententiam docet Motta *de conſirm. Ord. D.Iacobi lib.2.cap.2.§.26. num.21.* Nauarr. *comm.2.de Regul.num.56.* & Azorius *tom.1.lib.13.c.4. quæſ.8.& cap.5.quæſ.2.* quia dicti Equites non ſunt veri domini, ſiue patrimonialium quocumque tempore acquiſitorum, ſiue reddituum Commendarum ratione voti paupertatis. Hæc ſententia eſt nimis rigida.

Et ideo cum Sanchez *in ſumm.tom.2.lib.7.cap.8. num.30.* puto ſupradictos Equites poſſe quoque liberè teſtari, non minùs quàm alios, ſeculares, tam de bonis patrimonialibus, quàm etiam de redditibus harum Commendarum. conſtat ex dictis *num. præced.* ſic enim receptiſſima conſuetudo apud eos obtinuit. & quamuis olim teſtari non poterant, at Innoc. VIII. & Clem. VII. in hoc diſpenſarunt. Nec obſtat Pium V. reuocaſſe licentias his conceſſas ad teſtandum, quia benè Molina Societatis IESV, & Manuel ſtatim allegandi, eum Motum proprium receptum non eſſe quoad alios Commendatarios, præterquam D.Ioannis, nec Pium V. reuocaſſe ſimpliciter facultatem teſtandi, ſed eam dumtaxat quæ à priuilegijs Apoſtolicis dimanabat: quare permanet facultas, quam ex conſuetudine antiquiſſima teſtandi habent, & inſuper ad maiorem ſecuritatem Greg. XIII. reuocauit Motum proprium Pij V. concedens illis facultatem teſtandi iuxta priſtinam eorum conſuetudinem, & de bonis patrimonialibus hoc verum eſſe docet Molina *de primog.lib.2.cap 9 num.69.* licet dubitet quoad redditus Commendarum. Sed tu tene ſententiam Sanchez, qui etiam, & optimè, addit poſſe hoc Commendatarios de vtriſque bonis maioratum inſtituere, non ſecùs ac alios ſeculares. Et poſt hæc ſcripta inueni noſtram ſententiam docere etiam Villalobos *in ſumm. tom.2.tract.3.diff.10. num.13.* vbi ſic ait. [Los Comendadores que ſe pueden caſar, como ſon los de Santiago, Calatraua, y Alcantara, ſon ſeñores de ſus bienes, y pueden teſtar dellos; mas los Comendadores de ſan Iuan nó pueden teſtar, conforme à vn Motu proprio de Pio V.] Sic ille.

RESOL. CXXX. *An ſit facienda difficultas moribundo, qui vult relinquere vni filio plus quàm alteri.*

VIdetur affirmatiuè reſpondendum ex Laymã *lib.3.ſect.5.tract.5. cap.5.num.13.* vbi ſic ait. Licet ſecundùm ius ciuile parentes liberis ſingulis non niſi certam portionem relinquere cogantur, ideoque vni plus quàm alteri conferre poſſint, peccant tamen plerumque ſi ſine iuſta cauſa, & ex inordinato affectu inter liberos (quorum natura communis eſt) ſucceſſionis inæqualitatem conſtituant, v.g. quia ex diuerſis matrimonijs nati ſunt, quorum vnam matrem magis quàm alteram teſtator dilexit. Ita ille.

Sed, moraliter loquendo, ſemper adſunt iuſtæ cauſæ id faciendi ſine vllo peccato, quæ quidem ſunt, ſi inter eos aliqui de teſtatore domeſticis obſequiis, aliiſve officiis magis meriti fuerint, ſi qui plus indigere videantur, quia bonis aduentitiis carent, ſi adhuc puſilli magno ſumptu in ſtudijs educari debeant: denique ſi ſecundùm gentis conſuetudinem priùs geniti aliis, aut maſculi feminis in ſucceſſione præferantur.

RESOL. CXXXI. *An moriturus filio ſpurio poſſit relinquere ſolùm alimenta, quæ pertinent ad neceſſitatem ſui ſtatus?*

VIdetur affirmatiuè reſpondendum, ex Caſſanæo *conſ.39.num.55.* Palacio Rubeos *cap.per veſtras, de donat.notab.3.§.24 num.3.* & Baëza *de non melior.filiab.cap.48.num.30.*

Sed ego puto teneri patrem exhibere alimenta filio ſpurio ſecundùm dignitatem ſtatus, & ideò in illis ſtatuendis habenda eſt cõſideratio non ſolùm ad perſonam ſpurij, ſed etiam ad omnes perſonas, quibus filius ſpurius tenetur alimenta præſtare. Et ita docet Tello *lib.10.Tauri, n.20.* Mattienzo *lib.5. ord.tit.8.l.8.gloſſ.1.& 10.* Molina *lib.2.de primog.c.15. n.55.* & alij, quos citat & ſequitur Sanchez *in opuſc. tom.2.lib.4.cap.3.dub.34.n.2.& 3.* Probatur hæc opinio ex *l.ſed & ſi quid.§ ſufficienter.ff.de vſufruct.* & rationi aduerſatur, filio viri nobilis ſolùm præſtari à patre panem & olera, quæ ad naturæ ſolius ſuſtentationem ſufficiunt.

Notandum eſt etiam hîc, poſſe patrem in teſtamento relinquere filio ſpurio vltra alimenta aliam pecuniarum ſummam, propter benè merita filij, quia hæc non cenſetur donatio, ſed remuneratio, & inter eos, inter quos eſt prohibita donatio, non cenſetur prohibita donatio remuneratoria, modò tamen de meritis conſtet, & donatio ſit æqualis meritis. Ita plures, quos citat & ſequitur Bojas *in Epit.ſucceſſor.cap.25. n.1. & ſeq.* Obſeruat tamen, & optimè Sanchez *vbi ſuprà, dub.38.n.2.* quòd vt dicatur donatio remuneratoria, debent eſſe talia merita, ſiue ſeruitia, ad quæ donatarius aliàs non tenebitur: quæ enim debentur ex neceſſitate, vel officio, iubente lege, non debent cenſeri beneficia quæ exigant præmium, ſiue remunerationem, v.g. vxor & filius debent viro & patri certas operas & obſequia, ea ſi præſtita fuerint, non habentur pro meritis.

RESOL. CXXXII. *An Medicus poſſit adhibere moriturо medicamentum dubium, & ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori?*

REſpondent aliqui, quòd Medicus in caſu dubio, an medicamentũ ſalutare ſit vel noxium, non exiſtente alio certiori, & aliunde æger deſperetur de vita, licitè poteſt dictum medicamentum præbere. Sufficit etiam vt medicamentum æquè probabiliter ſit profuturum. & hæc ex multis tenet Alphonſus de Leone *de offic. Confeſſ. relect. 2. num.193.& 194.* qui ſubdit quòd ſi circa medicamenta adhibenda adſint opiniones Doctorum, quarum vna ſit probabilior, alia minùs probabilis, tenetur Medicus ſub peccato mortali ſequi probabiliorẽ. & hoc vltimum differt à primo, quia ibi agitur

gitur de ægro desperato, pro cuius remedio offertur vnum tantùm medicamentum dubium, an profuturum, vel nociturum. Hìc agitur de omnibus ægris, pro quorum remedio offerentur plura medicamenta, quorum aliud secundùm probabilem opinionem tantùm est profuturum, aliud secundùm magis probabilem. Vnde non solùm Medicus tenetur sequi probabiliorem & tutiorem opinionem, vbi contraria opinio probabilis est, quòd medicamentum sit noxium, sed etiam vbi certum sit non nocere, sed sit de eo opinio quòd magis prosit. & ita etiam docent Doctores, quos citaui *in part. 1. tract. 13. resol. 6.*

Sed ibi pro affirmatiua sententia non paucos adduxi, asserentes, quando nullum medicamentum est certum, sed variæ inter Medicos intersunt opiniones circa medicamenta illi morbo applicanda, & aliunde salus ægroti non est desperata, licere Medico sequi opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori, quia quod ex probabili ratione efficitur, temeritate ac imprudentia vacat; ergo & culpâ.

Nota etiam, quòd stando in opinione contraria docet Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 1 cap. 9. num. 41.* non esse contra obligationem iustitiæ ex Medici officio debitam, vti opinione illa minùs probabili, sed contra debitam charitatem proximo indigenti exhibendam, quæ petit, vt certiori medio, quo possumus, ei subueniamus. Sicut idem Auctor dicit de Ministro Sacramentorum eligente opinionem minùs probabilem. Sed hoc vltimum non admittit Merolla absolutè *tom. 1. disp. 2. cap. 4. coroll. 5. num. 198.* & existimat tunc esse tantùm verum, quando Medicus non habet propriam opinionem circa medicamentum morbo applicandum, an sit salutiferum vel noxium, ita vt neutri parti contradictionis simpliciter adhæreat, sed solùm iudicet vtramque partem esse probabilem ob diuersas aliorum Medicorum opiniones. Nam si ipse in ea esset opinione, vt existimaret medicamentum noxium fore, peccaret contra iustitiam, præbendo id medicamentum, iuxta opinionem probabilem aliorum, sicut dixi *nu. 162.* de iudice qui fert sententiam secundùm aliorum opinionem, relicta propria. Ratio est, quia eo ipso quòd infirmus vocat ad se potiùs hunc Medicum, quàm alium, tacitè vult ab eo curari secundùm propriam opinionem, quia de illius scientia confidit. ergo iniuriam facit Medicus infirmo si det illi medicamentum, quod existimat fore noxium, quamuis opinionem aliorum Medicorum dicentium esse salutiferum, probabilem iudicet. Probatur consequentia, nam si iuxta aliorum Medicorum opinionem medicamentum præberet, non tam ipse, quàm alij dicerentur infirmum curare, sicut diximus supra de iudice, qui ferret sententiam secundùm opinionem aliorum. Et post hæc scripta inueni circa dubium præsentis resolutionis sic asserere Malderum *in part. 2. quæst. 19. art. 5. disp 86. §. 7.* Peccat Medicus qui adhibet medicamentum probabile, cùm possit certum adhibere: item si illud adhibeat, de quo vtrimque sunt æquè probabiles opiniones, quòd multùm proderit, aut nocebit, etiamsi nullum certius adhibere possit, nisi fortè in certissimo alioqui æger versetur periculo, cui expediat vel hoc periculoso remedio succurri. Rectè tamen monent DD potiùs standum esse experientiæ, quàm opinionibus. Sequitur hæc assertio satis ex præcedenti; vna enim ratio quæ ibi vrgebatur in medicina spirituali Sacramentorum, etiam hìc locum habet. Sicuti enim ibi Sacerdotis officium postulat, vt certam relicta incerta adhibeat spiritualem medicinam, ita Medicus certissimum remedium adhibere debet. quare si secundùm probabiliorem opinionem medicamentum sit lethale, peccat mortaliter id applicans Medicus. Item si dubitet an ne profuturum sit, vel nociturum, etiamsi intendat eius virtutem experiri. Neque enim Medicus, vt benè Plinius potest discere periculis ægrorum & experimenta per mortes agere. Imò etiamsi probabilius sit non nociturum, sed profuturum, modò verè periculum probabile sit quòd nocebit, non licebit eo vti, etiamsi certum non suppetat, nisi in casu, quo certissima mors impenderet ægro, quo casu existimant etiam illud licere adhibere, quod probabilius est nociturum, modò verè probabile sit profuturum. Ita Malderus.

RESOL. CXXXIII. *Quomodo sit applicanda morituris Indulgentia Bullæ Cruciatæ?*

NOn est necessarium, vt habens Bullam hanc, consequatur Indulgentiam, quòd expressè & formaliter petat sibi eam à Confessario applicari, sed sufficit quòd reuera applicetur à Confessario, & ex parte pœnitentis virtualis petitio, seu interpretatiua voluntas petendi hanc Indulgentiæ applicationem, id est, quòd si aduertisset, aut potuisset, eam postulasset. Ita Nauar *not. 30. num. 12.* Suarez *infrà n. 8.* Imò nec est necessarium, vt is, cui talis Indulgentia conceditur, percipiat & intelligat sibi cõcedi, vt docet Suarez *4. tom in 3. p. disp. 56. sect. 1. n. 7.* Quare si quis repentè omnem sensum & rationem amittat, constituaturque in mortis articulo, nullumque signum confessionis vel contritionis in ordine ad confessionem dederit, quamuis non possit sacramentaliter absolui, si tamen habeat indultum Indulgentiæ, & aliquibus coniecturis constet illum esse in statu gratiæ, poterit ei à Ministro designato Indulgentia applicari. Ita tenet Suarez *vbi suprà n. 7.* Corduba *de indulg. q 36. pun. 2.* & Henriquez *lib. 7. cap. 6. n. 4. lit. Q.* Vnde non oportet vt infirmus pro Indulgentiæ consecutione priùs petierit & designauerit Sacerdotem Confessarium in particulari, sed sufficit illa interpretatiua voluntas, sic enim Eucharistia & extrema Vnctio datur infirmo, quia eo ipso quòd Christianè vixit, censetur in eo articulo interpretatiuè petere hæc Sacramenta & indulgentias, quæ sunt remedia salutis, vt dictum est, & tenet Henriquez *lib. 3. de pœnit. c. 9. num. 4.* vbi dicit. Nec oportet vt infirmus pro eius Indulgentiæ consecutione designauerit Sacerdotem in particulari. & hæc omnia docet etiam Trullenck *in expos. Bullæ Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 19. num 5.* qui *num. 13.* optimè obseruat, quòd si infirmus iamiam moritur, estque periculum in mora, his duobus verbis, *Absoluo te*, potest absolui à peccatis,

catis,& applicari Indulgentia, & à censuris absolui,si id absoluens intendat,quod semper intendere præsumendum est,dum non habet contrariam intentionem, quia semper intendet efficere quidquid potest,nam verbum *Absoluo* ex se indifferens est ad absolutionem à peccatis, censuris,& Indulgentia: ergo potest ad omnia hæc ex intentione absoluentis determinari, & omnia illa comprehendere, præsertim cùm non oporteat vt absoluens suis verbis exprimat totum effectum,& modum Indulgentiæ, nam satis est vt pœnitens practicè & humano modo intelligat voluntatem & actionem absoluentis. Vnde ex his idem Trullenck ex Suarez infert,posse Confessarium huiusmodi Indulgentiam concedere per verba absolutionis sacramentalis, etiamsi nihil sciat de indulto pœnitentis, neque ipse pœnitens ex obliuione vel inaduertentia Indulgentiam petat, dummodo Confessarius intendat absoluere non solùm à culpa,sed etiam à pœna,quantum potest quocumque titulo; quia,vt dictum est,absolutionis verba ad vtrumque determinari possunt.Et ex parte recipientis sufficit virtualis, imò interpretatiua voluntas consequendi quantam remissionem potest, sicut ad extremam Vnctionem recipiendam sufficit voluntas interpretatiua, quam quidem interpretatiuam voluntatem aliquis infallibiliter haberet, si animaduerteret,aut interrogaretur de huius Indulgentiæ consecutione. Ego autem dictas Indulgentias post sumptum Sacramentum extremæ Vnctionis applicare soleo.

RESOL. CXXXIV. *An laicus absente Sacerdote possit morituris supradictas Indulgentias applicare?*

NEgatiuam sententiam docet Ludouic. de la Cruz *in Bulla Cruc. disp.1. cap.8. dub.14. num.2.* quia in Bulla habetur,quòd semel in articulo mortis possit Confessarius Indulgentiam plenariam impendere,ergo qui non fuerit Sacerdos,non poterit id præstare. Patet consequentia, quia cùm Indulgentiæ sint stricti iuris,in propria sua significatione sunt verba eius accipienda, & secundùm ius; sed nomine Confessarij propriè intelligitur Sacerdos habens facultatem confitendi à iure,vel ab homine; ergo cùm huic dumtaxat concedat Pontifex in Bulla facultatem impendendi Indulgentiam,nullus alius præter Sacerdotem id poterit præstare.

Verùm his non obstantibus affirmatiuam sententiam,me consulente & impellente, ne timeant in praxim deducere non solùm Clerici tonsurati, sed etiam laici,si Sacerdos tamen non adsit, & ita hanc opinionem præter Ioannem Valerum, quem citaui *in 1.p.tr.11.ref.106.* tenent DD. quos citat & sequitur Trullenck *in Bull.Cruc.lib.1.§.7.c.7.dub.19. n.6.* vbi sic ait. In absentia Sacerdotis hanc Indulgentiam in mortis articulo probabile est applicare posse etiam simplicem tonsuratum. Ratio est,quia absolutio & remissio pœnæ,quæ fit per Indulgentiam,non est absolutio à peccatis,nec ab ea dependens, neque requiritur quòd concedens Indulgentiam aut eam executioni mandans, sit Sacerdos, vt communiter DD. Quare sicut in tali articulo potest primò tonsuratus à censuris absoluere, ita & applicare hanc Indulgentiam, qui quoad hunc effectum latè dicitur Confessarius. quòd si in tali articulo nec Clericus haberi possit, existimat Nauar. posse laicum Indulgentiam hanc applicare. Pia quidem sententia,& propter tanti Doctoris auctoritatem probabilis, & quæ si non potest prodesse, saltem obesse non poterit.Ita Trullenck. Et hanc sententiam ex Theologis Societ. docet etiam Reginald. *tom.1.lib.7.c.13.n.157,* Vnde hæc opinio satis remanet probabilis aduersùs Ludou. de la Cruz *vbi suprà.*

Notandum est tamẽ hîc obiter vnum notabile, quod nescio an alibi à me adnotatũ sit,nẽpe quòd aliquando hæc Indulgentia in articulo mortis in casu licet raro, videtur posse applicari absenti, videlicet si Parochus postquam Vnctionem extremam contulit pœnitenti egrotanti,oblitus est hanc applicationem, & infirmus iamiam moritur, nec potest Parochus eum adire,poterit è domo sua infirmo tali absenti applicare Indulgentiam, quia si hæc potest applicari extra confessionem infirmo, qui nullum signum dederit contritionis,nec huius applicatio dependet ab absolutione sacramentali, & ex alio cap. hic est capax Indulgentiæ, eo quòd supponimus esse in statu gratiæ constitutum per confessionem, quid mirum si in tali casu possit applicari in absentia, sicut etiam absens à censuris absolui,præsertim cùm nulla scientia,nec formalis petitio,requiratur ex parte eius,cui est hæc Indulgentia applicanda. ergo,&c.Et ita hanc sententiam docet Trullenck *vbi suprà in Bulla Cruc.lib.1.§.7.c.2. disp.19.num.7.*

RESOL. CXXXV. *An morituro liceat respuere medicamenta dum adest spes salutis?*

REspondeo negatiuè.Notandum est tamen hîc obiter,licitum & meritorium esse viris perfectis respuere medicinam in aliquibus morbis, & doloribus grauibus non afferentibus periculum mortis, v.g. in dolore passionis iliacæ remedia omittere ad profectum spiritualem & carnis mortificationem,& ad experiendum dolores Christi in passione.

Nota etiam,quòd si infirmus comedat vel bibat rem nociuam,putans, vel non aduertens quòd ei nocebit,nõ peccat mortaliter, imò etiamsi credat, quòd ob id eueniet ei aliquod nocumentum, sed non magnum,vt dolor aliquis capitis,vel maior aliqua febris,non peccaret mortaliter, quia nocumentum non est magnum,imò licet ex intentione illud intenderet,neque etiam peccaret mortaliter. Sic docti iuniores. & hæc omnia docet Sanchez *in opusc.tom.1.lib.5. cap.1. dub.33.n.& 8.* cum Nauarr. *cap.11.n.41.* Caietano *in 2.2.q.97.art.1.* & alijs.

Non desinam tamen hîc adnotare,quòd infirmus non tenetur parere Medico applicanti medicinas distincto præcepto obedientiæ, sed tantùm præcepto, quo est adstrictus propriam conseruare vitam.& ita docet Sancius *select. disp.13.n.8.* & Salas *de legib. disp.10.sect.1.n.2.*

RESOL.

RESOL. CXXXVI. *An Carthusianus in articulo mortis teneatur edere carnes?*

ALiqui negatiuè respondent, asserentes in extrema necessitate ab intrinseco non teneri Carthusianos edere carnes, licet in secreto & sine scandalo vesci possent. Probatur, quia ille in tali casu naturaliter moritur ex morbo, cuius ipse non est causa, nec ipse censetur se occidere, sed tantùm non prolongare vitam comedendo carnes: non tenetur autem quis prolongare vitam omnibus medijs possibilibus. ergo. Secundò, quia non tantùm pro virtute, sed etiam pro virtutis augmento potest quis exponere periculo vitam corporis, & augetur Carthusiano virtus abstinentiæ abstinendo in tali casu, & crescit bonum totius Religionis; & si in tali necessitate id liceret, sequeretur dissolutio Religionis, & traheretur idem ad minores necessitates. & ita docet ex Victoria, Ledesma, & alijs, Thomas Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 34. num. 6.* qui tamen *n. 7.* addit posse illos in tali necessitate edere, si velint, carnes, quia non habent votum non edendi, nec statutum obligans ad pœnam: at poterunt puniri pœna statuti. Sic Sanchez. licet Vasq. *disp. 162. in p. 2.* quem sequitur Iacobus Granadus etiam *in p. 2. contr. 7. tr. 3. p. 1. disp. 8. sect. 5. num. 7.* contendant legem, seu consuetudinem Carthusianorum eos simpliciter obligare, ita vt non possint etiam in articulo mortis vesci carnibus, quia sc. spectat ad magnum & publicum illius Religionis spirituale bonum, vt cum tanto rigore illa obseruantia vigeat; potest autem lex humana ob commune bonum, quando opus est, obligare etiam cum dispendio vitæ. Fatetur autem, non peccare Medicum, aut alium ministrum, qui Carthusiano ægrotanti & inscio præberet cibos aliquos ex carnibus. Sed sententia Sanchez, videlicet posse in tali casu Carthusianos edere carnes, sed non teneri, docet etiam Lorca *in p. 2. disp. 23. de legib.* cum Montesino *disp. 23. q. 10.* & alijs, quibus nouissimè adde Duuallium *in p. 2. D. Th. tract. de legib. q. 5 art. 4.* vide etiam circa præsentem quæstionem Baldellum *in Theol. mor. lib. 5. disp. 26. n. 15.* Azorium *part. 1. lib. 5 cap. 6. q. 7.* Salas *de legibus, disp. 11. sect. 2.* & alios penes ipsos.

RESOL. CXXXVII. *An si ægritudo Monialis sit talis grauitatis, vt iudicio Medicorum credatur moritura, si non exeat, posit tutò è Monasterio exire?*

AD hoc dubium respondet Granadus *in p. 2. contr 7. tr. 3 p. 1. disp. 8. sect. 5. num. 13.* asserens Moniales teneri non egredi Monasterio propter ægritudinem, etiamsi certò sciretur eas aliter morituras, quia tanti momenti est clausura earum, vt meritò præponderare censeatur periculo vitæ etiam euidentissimo; & sanè alioqui daretur multis Monialibus occasio exeundi Monasterio, nam periculum mortis sæpe crederetur imminere, & medici frequenter id consulerent. Nec obstat dispensatio illa, quam affert Nauarr. nam eâ potiùs nostra sententia confirmatur; dispensauit enim Pontifex in sua lege cum aliquibus Monialibus, sed inde non infertur exire posse sine dispensatione, imò potiùs colligitur dispensationem esse necessariam: & sine illa peccare lethaliter Monialem, quæ propter morbum lethalem egrederetur: loquimur autem de morbo lethali, non contagioso, nam si prudenter timeretur infectio, vt si pestis grassaretur per Monasterium, nec aliter posset impediri, liceret Moniali peste infectæ egredi Monasterio, nam tunc bonum totius communitatis præponderaret. & ita in hoc & similibus casibus dispensauit Pius V. in suo Motu. Hæc omnia Granadus, qui citat Sanchez & Lorcam.

Sed ego cum Suarez & alijs *in 3. part. tract. 2. resol. 105.* probabiliter docui iustè posse concedi Moniali infirmæ licentiam exeundi claustro causa medendi morbo ita periculoso, vt eius salus desperaretur, ea non egressa. & hanc opinionem probabilem putat Ioann. de la Cruz *de statu Relig. lib. 1. cap. 5. dub. 4. concl. 2.* quia casus iste est similis exceptis in supradicto Motu Pij V. imò vrgentior, cùm de tuenda Monialis vita in eo agatur: ergo à dicto Motu proprio non censetur excluſus. Consequentia est manifesta ex doctrina suprà tradita. Cæteras rationes videbis penes me *loc. citat.* concedo tamen contrariam sententiam probabiliorem esse, quam præter Granadum, Lorcam, & Sanchez tenet Faustus *in Thesaur. Relig. lib. 6. q. 163.* Miranda *de Monialib. q. 4. art. 4.* Barbosa *de potest. Episcop. part. 3. alleg. 102. num. 20.* Bonacina *de Clausura, q. 1. punct. 9. num. 18.* & alij penes ipsos.

RESOL. CXXXVIII. *An fœminæ etiam ignobili in periculo mortis liceat non ostendere verenda Chirurgo?*

RESpondeo affirmatiuè, cum Ioanne Sancio *in select. disput. 3. in 2. editione.* vbi sic ait: Ratione pudoris potest fœmina recusare membri pudendi curationem cum probabili vitæ periculo. Ita ille. & idem nouissimè docet Sanchez *in opusc. tom. 1. lib. 1. cap. 4. dub. 13.* vbi docet fœminam cancro, vel alio morbo grauissimo in verendis laborantem, non teneri sustinere curari à chirurgis, quia cùm pudicitia sit tantum bonum, potest illam præferre vitæ; licet possit sine peccato permittere curari. vide etiam Lessium *lib. 4. c. 3. dub. 8. n. 60.* vbi sic asserit. Contactus partium verendarum si fiat causa medendi, vel alia quæ censeatur necessaria aut iusta, nullum est peccatum: est communis sententia DD. talis enim contactus est honestus moraliter, quia consentaneus rectæ rationi. Nec refert quòd interim aliqua delectatio, vel motus turpis suboriatur, quia id est planè inuoluntarium. Aduerte tamen, mulieres, præsertim virgines, non teneri huiusmodi genus medendi in locis secretioribus à viris admittere, vt rectè docet Nauarr. *d. cap. si cui, n. 13.* Ratio est, quia nemo tenetur admittere curationem, à qua non minùs abhorret, quàm ab ipso morbo, vel morte: at multæ virgines pudicæ malunt tolerare morbum, vel mortem, quàm à viris contingi. Deinde nemo tenetur admittere id, cui coniunctum est periculum turpis motus, aut delectationis carnalis, imò ad heroicum castitatis gradum pertinet malle mori, quàm permittere in se turpes imagines, aut sensum vllum libidinis. Hæc

Les-

Lessius,cui etiam adde nouissimè Baldellum *tom.1. lib.3.disp.15.num.5.* & Turrianum *vbi infrà concl.10.*

Nota tamen,quòd si medicamenta possent adhiberi ab obstetricibus, vel alijs feminis, tunc vtique tenerentur feminæ, etiam nobiles,illa sufferre,& verenda supradictis obstetricibus ostendere, nam cessant in hoc casu rationes pro affirmatiua sententia adductæ,cùm medicamenta non à viris, sed à mulieribus adhibeantur, ex quorum contactu nec verecundia, nec motus sensualis oriri potest. vide Turrianum *in Summa part.1.cap.263.dub.5. concl.11.*

RESOL. CXXXIX. *An in articulo mortis possit dari professio Nouitijs, qui si moriantur sine testamento,an succedat in bonis Monasterium?*

AD hoc dubium ita respondet Hieron. Rodriquez *in Compen.qq.regul.resol 101.n.40.* Nouitij Ord. S.Dominici habentes legitimam ætatem ad profitendum,in articulo mortis constituti possunt professionem emittere non completo anno probationis,ex Pio V.apud Bullar. Sed hoc ad consolationem spiritualem in foro tantùm interiori cõcessum est, scilicet ad consequendam indulgentiam plenariam. Vnde virtute huius professionis non potest peti hæreditas Nouitij defuncti, sed ad suos hæredes ab intestato pertinet. Nec hoc priuilegium est reuocatum per Greg. XIII. in reuocatione generali eorum, quæ sunt concessa à Pio V. contra ius & Concil. Tridentinum, quia non reuocauit in sua constitutione indulta pertinentia ad forum conscientiæ, quale est supradictum priuilegium, quo quidem gaudent per communicationem Nouitij & Nouitiæ aliarum Religionum. Aduerte tamen, quòd Nouitius vel Nouitia conualescens de infirmitate tenetur continuare, seu complere residuum anni integri probationis, ac iterũ profiteri,*ibid.art.6.& tom.1.q.8.art.9.* & addit Sum. *tom.4.cap.63.n.4.& 5.* Idem docent Henriq. *lib.13.de exiom.c.40.n.2.in comment.lit.R.* Sanchez *vbi sup.n.16.* vbi existimat contra nostrum Authorem Monasterium succedere tali Nouitiæ defunctæ eo modo,quo succedit in bona professorum legitimo anno Nouitiatus peracto. Sed immeritò,quia nullo nititur sufficienti fundamento: nam,vt constat, ex tenore dictæ concessionis,ea fuit facta ob solatium, & fructum spiritualem Nouitiæ, nempe ad consequendum meritum professionis, & Indulgentias,neque vmquam Pontifices suis priuilegijs intendunt præiudicare iuri alterius, nisi expressè id declarent,quod hîc non fit,vt benè notat Pater Miranda *tom.1.manual.q.12.art.10.* Vnde professio sic emissa non est simpliciter & verè professio,nisi tantùm quoad dictum effectum expressum in Bulla Pontificis, aliàs si de infirmitate conualescceret Nouitia, non egeret noua professione, quod est contra mentem & verba Papæ concedentis, qui expressè restringit suum priuilegium ad effectum consequendi meritum professionis,& fructum Indulgentiarum. Atque ita communiter sentiunt omnes super hac re scribentes.Huc vsque Hieron. Rodriq. cui præter DD.quos *vbi inf.* citaui,addendus est Bart.de Vecchis *in praxi Nouit.disp.13.dub,11.*

Sed ego aduersùs sententiam supradictorum latè disserui *in 3.p.tract.2.resol.17.* & ideo cum multis DD. ibi docui in tali casu conferri Nouitijs veram professionem.Vnde si sanarentur,non egerent alia professione,& è vita decedendo Monasterium in eorum bonis succederet. Et hanc sententiam tamquam probabilem tenet etiam doctus & amicissimus Pater Lezzana *in Sum.qq.reg.c.25.n.39.* licet dicat cautè in hoc procedendum esse,cùm feratur aliter decisum fuisse à sacra Congregatione. Verùm cùm de tali decisione non constet authenticè,non recedo à mea sententia.

RESOL. CXL. *An excommunicatus toleratus moriens sit priuandus Ecclesiastica sepultura.si publicè innotuerit fuisse excommunicatum?*

AFfirmatiuam sententiam docet Auila *part.2. c.6.disp.9.dub.6.& disp.4.dub.concl.2.* & nouissimè hanc sententiam docet in sua erudita tractatione de Monitorijs Theophilus Raynandus *p.2. c.3.n.7.* vbi sic ait. Et admodum probabile,quoscumque excommunicatos, etiam si dum viuerent toleratos,nunc quoque post Martini V. decretum prohiberi sepultura in loco sacro, dummodo tamen publicè innotuerit eos fuisse excommunicatos; nam iure antiquo hæc pœna cadebat in excommunicatos toleratos; nec potest negari quin sit bonum quoddam,nec exiguum mortuorum,vt in loco sacro condantur. Sed Ecclesia non intendit vllum fauorem excommunicato ipsi præstare, quando indulsit ne vitaretur.ergo,&c.Sed ego puto non esse recedendum à negatiua sententia, quã tuetur Suarez *in 3.part.tom.5.disp.13.sect.4.num.4.& tom.3.disp.81.sect.4.* Henriquez *lib.13.cap.7.num.2.* Toletus *lib.1.c.13.num.10.* Guttierrez *in qq. Can.l.1. cap.1.num.30.* Ricciullus *de iure person. lib.4.cap.60. num.4.* licet nouissimè sententiam Raynandi doceat etiam Blondus *de censuris disp.4. art.14.assert.3.*

RESOL. CXLI. *An qui à duello vno aut altero die superuixerunt,aut etiam vna hora, & confessi sunt,possint in loco sacro sepeliri?*

NEgatiuam sententiam docet Duuallius *in 2.2. D.Thomæ tract.de charitate,quæst.17.art.1.circa finem.* putat tamen,Episcopum iustis de causis,& arcenta contritione & absolutione quam consecutus est,posse in hoc dispensare; quamuis enim huiusmodi prohibitiones sint à Concilijs & à Sum. Pontificibus, quia tamen tantùm fit mentio eorum qui in duello obierint,& non eorum qui post duellum mortui sunt, nec etiam quòd pro hac sepultura, & alijs in Ecclesia pro defunctis fieri solitis,recurrendum sit ad Sum. Pontificem, potetit ipse Episcopus, si æquum iudicauerit,cum ijs contritis & confessis dispensare.Ita Duuallius.Sed ego absolutè affirmatiuam sententiam sine vlla Episcopi dispensatione docui *in 2.part.tract.2.Miscellan. resolt54.* & in fortiori casu quid faciendum quando quis contritus vel confessus decedat in loco conflictus,vide me ipsum *in 4.part.tract.4.resol.192.*

TRACTA-

TRACTATVS QVARTVS
DE
HOMICIDIO
ET RESTITVTIONE
PROPTER IPSVM.

RESOL. I. *An licitum sit occidere inuasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ?*

QVIDQVID in contrarium asserat Accursius & glossa *in l. vim vi, ff. de iustit. & iure*, Richardus de S. Victore *opusc. de Charitate.* Ioan. Gerson. *in tractat. de Eucharist.* Augustin. de Ancona *l. de potestate Ecclesiæ, quæst. 2. artic. 3.* Hugo *distinct. 50. cap. de his Clericis.* Abulens. *in cap. 5. Matth. quæst. 109.* dicendum est firmiter, licitum esse occidere inuasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ita omnes Doctores *vbi infrà.* & probatur ex *Exodo cap. 22.* ex iure Canonico *in cap. significasti 2. de homicidio, in cap. si verò, de sent. excommunic. in Clem. si furiosus, de homicidio,* & ex iure Ciuili *in l. 1. C de vi & vi armata, in l. scientiam, § qui cùm aliter, ff. ad leg. Aquiliam, & in l. vim vi, ff. de iustitia & iure.* & docet ipsa natura, teste Tullio *in orat. pro Milone*, qui omnino videndus est. Vnde ex D. Antonino, Angelo, Sylvestro, Panormitano, Socino, Manilio, & aliis docet Petr. Binsfeldius *de iniuriis & damno dato, cap. 1. cap. 5. concl. 5.* quòd si quis Sacerdotem inuadat stantem in Altari, & diuina celebrantem, Sacerdos potest intermittere officium, & se defendere, & si cum moderamine iusto talem offendentem occidat, Missam perficere licitum erit ei, quoniam talis Sacerdos sic occidens non peccat. Quando verò aggressus dicitur occidisse cum moderamine inculpatæ tutelæ? Respondeo cum Molina *tom. 4. tract. 3. disput. 11. num. 5.* quando aggressus videt, aut rationabiliter timet sibi inferri posse mortem, nisi aggressorem interficiat, nihilque tunc ei occurreret, neque facilè, si voluisset, potuit occurrere, attenta perturbatione illius conflictus, circumstantiisque concurrentibus, quod (saluo suo honore, quem decens erat ipsum tunc seruare) efficeret, vt se ipsum tutò à periculo sine aggressoris morte liberaret, in tali dicendum est cum moderamine inculpatæ tutelæ interfeciisse. Et non desinam hîc apponere verba Alphonsi de Vega *in summ.* vbi *tom. 1. cap. 127. cas. 12.* sic ait: [Paraque vno se defienda con la moderacion deuida, son necessarias dos cosas: la primera, que no se pueda defender el acometido de otra manera; para conocimiento de lo qual basta vna probable coniectura, y no es necessario examinar si de otra manera podra huyr el peligro, porque en semejantes encuentros falta la consideracion para examinar esto. La segunda, que no ponga mayor diligencia de la que probabilmente es necessaria para defenderse.] Sic ille. Et hæc omnia vera sunt, non solùm vt quis se defendat à morte, sed etiam à vulnere, & à quacumque alia graui iniuria, vt infrà videbimus. Et tandem pro fundamento infrà dicendorum notandum est, quòd quilibet inuasus potest licitè occidere inuadentem se, etiam cùm liberum illi fugâ euadere, si tamen fuga esset illi dedecorosa, quod non esset in Religioso, Clerico, & homine inferioris notæ. Ita Hurtado de Mendoza *in 2. 2. disp. 170. §. 135.* & communiter Doctores, & nos *infrà.*

RESOL. II. *An sit licitum occidere inuasorem, si ex eius morte sequatur notabile damnum Reipublicæ, quia est persona valde necessaria?*

NEgatiuè respondent communiter Doctores, & ideo Bannez *de iust. q. 64. art. 7. concl. 2.* sic ait: Quando ex morte aggressoris sequitur notabile damnum Reipublicæ, tunc tenetur homo potiùs pati mortem, quàm occidere inuasorem cum tanto damno boni communis, & hoc ipsa natura nos docet; experimur enim, quòd grauia elementa proprios motus deorsum obliuiscuntur, & ascendunt sursum, ne detur vacuum, quod esset maximum damnum vniuersi. Sed nihilominùs dicimus, quòd si occiderit inuasorem defendẽdo propriam vitam cum moderamine inculpatæ tutelæ, non peccat contra iustitiam commutatiuam per compatationem ad inimicum occisum; sed peccat mortaliter contra charitatem & pietatem; contra patriam, & insuper contra iustitiam commutatiuam per comparationem ad Rempublicam, cui maximum infert detrimentum. Ita ille.

Sunt tamen Doctores, quibus durus videtur hic sermo: & licet fateantur, heroicum fore, permittere priùs te occidi, quàm occidas eo casu, v. g. te inuadentem Principem, dicunt tamen non te obligari ad eiusmodi duram conditionem, & ideo non desinam hîc adnotare Petr. Binsfeldium *de iniuriis, & damno dato c. 1. q. 5. concl. 6.* hanc sententiam mordicus docere. sic enim ait. Sexta conclusio. Contra quemcumque iniustè inuadentem licet se defendere, etiam occidendo cùm debito moderamine. contra Dominicum à Soto *l. 5. de iust. & iure q. 1. a. 8.* qui existimat, quòd si aggressor esset Rex vel Dux, vel alia persona Reipublicæ valdè necessaria,

inuasus autem esset persona valdè vilis, cuius vita ad bonum commune parum referret, quòd tum inuasus ille charitate cogatur mortem potiùs ferre, quàm alteri inferre. Conclusionem tradunt Angel. *in ver.defensio.in princ.* S.Anton.*in 3.p.tit.4.c.3.§.1.* Syluester *in ver.Bell.2.q.5.* Aurea Armilla *in ver.defensio, n.4.* dum volunt talem defensionem esse licitam contra quoscumque etiam Superiores & maiores. Vasquius *lib.1. illustrium contr.c.18.n.8.* Marsil.*in d. cons.4 n.6.*& Card. Zabarella *in Clem.1.de pœnis.* dum docent,quòd licet absque censura excommunicationis,*c.si quis suadente*, percutere Pontificem pro defensione necessaria, & allegat Marsil. pro hac doctrina Innoc.*in c.quantæ,de sent.excom.*& hæc cõmunis est opinio, à qua non est recedendum, cùm non solùm lex naturalis dictet,sed omnia iura vim vi repellendam permittant, nec distinguant; vbi ergo leges & iura non distinguunt,nec nos distinguere debemus,per *l.de pretio ff.de publ.in rem action.* gloss.Bartol.Alber.& alios ibidem. Cùm enim talis defensio sit iuris naturalis,conuenit vnicuique, vbique,semper, & contra quamcumque personã. Vnde etsi persona sit publica,& Reipublicæ necessaria, si iniustè aliquem inuadat, inuasus potest se defendere,etiam occidendo, modò moderamen iustum non excedat,si alius modus non sit elabendi: nec in hoc læditur charitas,quæ quando est ordinata, incipit à se ipso, ita vt possim vitam meam præferre vitæ alterius cuiuscumque personæ. Et hæc omnia docet Binsfeldius *vbi suprà.* Quam sententiam antea docuerat Paulus Comitolus *in resp. mor.lib.4.q.10.n.15.*& Emanuel Rodriq.*in sum.to.1. c.220.n.8.* vbi ita asserit.[Por defender la vida licito es matar al Principe, porque aunque los vassallos deuen anteponer la vida del Principe à la suya propia,esto se ha de entender,quãdo està el Principe en estrecha necessidad puesto,no pudiẽdo huyr el peligro en que està, empero poniendose de su voluntad à este peligro,del qual si quiere se puede librar,no estan sus vassallos obligados à poner su vida al tablero por la suya. Verdad es, que si el Principe no solamente es bueno, mas aun es muy necessario para el Reyno, tanto que de su muerte probablemente se siguirian muchos males,en este caso haria vna obra heroyca el vassallo, no se defendiendo, como lo dize Cord.*l.1.qq.q.38.* contra Soto que le obliga à no matarle por su defension, porque poner obligacion à vn hombre que viẽdo la muerte al ojo, no se defienda della,es negocio graue.]Ita Rodriquez. Sed horum DD.sententiam in vno casu tantùm admittunt aliqui, quando inuasus à Principe probabiliter sibi metueret ex subitanea nece periculum animæ. Ita Malderus *in 2.2. D.Th.tr.3.c.1.dub.7.assert.3.* qui citat Sotum & Toler. Verùm ego primam sententiam omnino tenendam esse puto cum Molina *to.4.tr.3.disp.14.concl.2.* Lessio *lib.2.c.9.dub.8 n.42*,quando ex interitu Principis sequerentur bella ciuilia ob successionem.

RESOL. III. *An liceat occidere inuasorem, si inuasus fuerit in culpa vt aggrederetur ipsum?*

REspondeo affirmatiuè cum Villalobos *in sum. tom.2.tr.12.diffic.10.n.7.* Vega *in sum.tom.1.c.127. cas.11.* Petr.Nauar.*de rest.l.2.c.3.n.361.* Salonio *in 2.2. q.64.art.7.contr.1.concl.2.* Molina *tom.4.tr 3.disp.15.* Bannez *de iust.q.64.art 7.concl.3.* vbi sic ait.Licitum est occidere inuasorem,etiamsi ille, qui inuaditur, fuerit in culpa priùs vt alter aggrederetur ipsum. Etenim, v.g. adulter ex iniuria quam facit marito, non amittit ius naturale defendendi propriam vitam. Præterea ipse inuasor iniuriam & vim facit, etiamsi priùs fuerit lacessitus factis aut verbis; ergo licitum est vim illam & iniuriam repellere. Et confirmatur à simili. Si meus proximus sua culpa & prodigalitate deuenit in extremã necessitatem, ego teneor illi succurrere: ergo etiam si ego mea culpa me constituerim in illo periculo,non tamen poterit alter me occidere,& ego possum licitè me defendere.Obseruandum est tamen quòd si adulter, vel lacessitor præuidit pericula mortis futura ex actione propria,peccat certè peccato homicidij in corde suo, quando tale periculum præuidens nihilominus statuit se in illo constituere. At verò postea in ipso periculo positus, non amittit ius defendendi se; imò tunc illi est maior ratio se defendendi,donec doleat de peccato, quod non est ita facile in illo conflictu & perturbatione animi. Ita Bannez.Et post illum Rodriq.*in sum.to.1.c.220.n.2.* vbi sic ait.[Puede cada vno matar al que le acomete,no pudiendo de otra manera librarse,aunque le aya dado ocasion para le acometer, llamandole cobarde, desiasiandole con palabras de afrenta. Esta conclusion tiene Mercado contra Nauarr.la qual se prueua;porque aunque el acometedor tuuo ocasion para salir, empero injusticia y pecado comete en ello.Y aunque la parte acometida hizo mal en darle ocasion tan vrgente, empero justamente se defiende; y assi si el que acomete lo haze justamente, como lo hazen los ministros de justicia, acometiendo à los delinquentes que dieron ocasion con sus delitos para ello,no es licito al acometido de defenderse. Y notese esta razon,porque es eficaz,y no responde à lo que trae Nauarro. porque se funda en vna autoridad de Cayetano, mal entendida del,como lo aduierte Nauarra. Ni mi intento aqui es gastar tiempo en declarar à Cayetano, sino en declarar las razones que dan luz al Confessor.] Ita Rodriquez, quidquid in contrarium asserat Nauarrus *cap.15.n.7.*

RESOL. IV. *An licitum sit viro honorato occidere inuasorem qui fustem vel alapam conatur ei inferre?*

NEgatiuè respondet Syluius *in 2.2.D.Th.q.64. art.7.quæritur 9.* Tannerus *tom.3.disp.4.quæst.8. dub.4.n.74.* vbi sic ait.Non etiam placet fas esse viro honorato occidere inuasorem,qui fustem vel alapam nititur impingere, vt ignominiam inferat, si aliter vitari hæc iniuria nequit.Tum,quia fieri potest,quòd si res in occulto agatur, ea re parum honor lædatur.Tum,quia etiam læsus honor aut viâ iuris aut aliis modis recuperari potest. Ita ille. & hanc sententiam docet etiam Malderus *in 2.2.tr.3. c.1.dub.7.assert.1.* vbi sic asserit.Rectè illud notandũ, moderamen tutelæ non seruari quando iniuria tanta non est in se considerata,& ratione materiæ, vt cum tanto nocumento proximi iustè potuerit

pro-

propulsare, non enim vtcumque baculo inuasus, mox poteris inuasorem gladio cõfodere. Hæc ille. & ante omnes Ioannes Maior *in 4. sent. dist. 15. q. 20.*

His tamen non obstantibus affirmatiuam sententiam docet Sotus, Nauarrus, Sylvester, Lopez, & alij, quos citat & sequitur Lessius *de iust. lib. 2. cap. 9. dub. 12. n. 77.* quibus ego addo Villalobos *in sum. to. 2. tr. 12. diffic. 10. n 5.* Hurtado de Mendoza *in 2. 2 disp. 170. sect. 16. §. 137.* Marchãtium *in sum. ad qq. pastor. super Decal c. 5. q. 1. cas. 2.* Philippum Fabro *de restit. in 4. sent. dist. 15. q. 3. disp. 52. c. 1. n. 30.* Filliucium *tom. 2. tr. 29. c. 3. n. 50.* Strouersdorf *in 2. 2. D. Th. de iust. & iur. q. 64. art. 7. concl. 5.* Azorium *tom. 3. lib. 2 c. 1. q. 16.* Becanum *in 2. 2. D. Thom. de homicidio q. 8. concl. 2.* Molfesium *in sum. tom. 1. tr. 11. c. 19. n. 73.* Angelum Vantium *in disciplina Cleric. lib. 4. de homicidio fol. 363. §. Nota præterea.* vbi sic ait. Si aggressor noluisset aliquem occidere, neque mutilare, sed tantùm verberare baculo, vel alapis, posset aggressus hostem interimendo repellere, cùm præsertim in aliquibus regionibus maximum sit dedecus alapam vel verbera, absque vulneribus aut mortis vindicta relinquere. Sic ille. Et ratio huius sententiæ est, quia talis conatur auferre honorem, qui pluris meritò apud homines æstimatur, quàm damnum multarum pecuniarum. Ergo si potest occidere, vt infrà dicemus, ne damnum pecuniarum accipiat, potest etiam, ne hanc ignominiam cogatur sustinere. Sed hanc opinionem non admitterem in hominibus infimæ conditionis, qui ex alapis & verberibus non magnam sustinerent ignominiam.

Resol. V. *An liceat præuenire aggressorem, & eum priùs quàm inuadat occidere?*

NEgatiuè respondet Syluius *in 2. 2. D. Th. q. 64. art. 7. quæritur 6.* Præuenire enim inimicum nõ te inuadentem, non est te defendere; nemini autẽ priuato licet alium occidere, nisi in necessariã defensionem; ergo non licet inimicum præueniendo ipsum occidere. Maior patet, quia defensio fit per repulsionem violentiæ, vbi autem necdum infertur violentia, ipsa non propriè repellitur. Confirmatur, qui præuenit inimicum dumtaxat paratum, nondum patitur vim; si ergo illum occidat, non dicetur vim vi repulisse, ac per cõsequens non occiderit vim vi repellendo. Cæterùm hæc nõ ita sunt accipienda, quasi is qui iustè est se defensurus teneatur expectare vt priùs percutiatur ab inuasore, sed tantùm dicimus, quòd non possit præuenire illum, qui solùm est paratus ad inuadendum, nullo autem modo inuadit, nec inuadere incipit; si verò inuasor aliquid agat quod meritò censeri possit aggressio, vel aggressionis inchoatio, inuasus potest se tueri moderatè, & si aliter euadere nequeat, potest ipsum interficere. Quando autẽ hoc sit, ex rerum, temporum, personarumq; circumstãtiis iudicabit prudens Confessarius, neque potest vna quãdam regula doceri. Ita ille. & ante illum Nauar. *c. 15. n. 2.* & Salonius *in 2. 2. q. 64. art. 7. contr. 1. concl. 3.*

Sed affirmatiuam sententiam docet Molina *de iust. tom. 4. tr. 3. disp. 12. n. 2.* vbi probat, quòd quando aliquis nondum aggreditur homicidium, aggredi tamen & exequi illud decreuit, fas sit illum interficere, antequam aggrediatur, quando nisi ita interficiatur, periclitetur vita eius quem aggredi decreuit, qui vel postea non effugiet eam mortem, vel maximum est periculum quòd eam non effugiet. Dicendum est igitur ad dubium propositum, fas esse interficere eum, qui nos interficere decreuit, quando aliter non patet via euadendi mortem, grauéve periculum mortis, quod nequitia illius ex decreto nobis imminet, siue qui id ita decreuit, dicendus iam aggressor sit, siue non, id enim quæstio est de vocabulo. Huius sententiæ videtur esse Couart. *Clement si furiosus, part. 3. §. vn. num. 3.* cum multis alijs, quos citat. & Tullius *in orat. pro Milone*, vbi ait. Obliuisci non potestis, iudices, insidiatorem iure interfici posse. Eam verò apertè probat ratio, quam præcedente disputatione confecimus. Vnicuique enim id licet efficere iure naturali, quod alterius nequitia medium est effectum necessarium ad suæ propriæ vitæ conseruationem, nihil impediente, quòd id sit auferre ab illo alio vitam, eo quòd charitatis ordine præferre vnusquisque possit conseruationem suæ vitæ propriæ, vitæ alterius, præsertim quando nequitia illius alterius factum est id medium necessarium ad propriam vitam cõseruandam: quo fit, vt quando iniusto alterius decreto, quo iniustè auferre decreuit ab illo vitam, factum est huic medium necessarium ad suam vitã conseruandam, eámve à verisimili mortis periculo eruendam, illum anteuertere interficiendo illum priùs, licitum id huic sit, siue ille alius ob id decretum dicendus sit aggressor, siue non. Neque enim idcirco fas est interficere iniustum aggressorem, quia aggreditur, sed quia aggressione constituit iniustè in discimine vitam aggressi, ita vt nulla alia pateat via ad eam eruendam ab eo periculo, nisi illum interficiendo: quo fit, vt si solo decreto, aut quacumque alia ratione similiter ponat quis iniustè vitam alterius in discrimine, neque alia pateat huic via ad eam ab tali discrimine eruendã, quàm illum interficiendo, possit licitè eum interficere. Et hæc omnia docet Molina *vbi suprà.* ex qua doctrina solues aliqua dubia in particulari. Quæro igitur

Resol. VI. *An si Petrus per famulum vel sicarium statuat Paulum occidere, licitum sit Paulo, si non habeat vllam spem euadendi, præuenire, & occidere Petrum?*

NEgatiuam sententiam docet Malderus *in 2. 2. D. Th. tr. 3. c. 1. dub. 7. assert 1.* vbi sic ait. Verius videtur si dominus vocet famulum vt te occidat, nõ tibi licere dominum nece præuenire, quidquid nonnulli dixerint, famulum tamen, qui iussus iam accederet, aut in insidijs positus reperiretur, liceret præuenire, imò etiam si solùm se pararet, modò aliud non sit effugium. Sic ille. & post illum Syluius *in 2. 2. Th. q. 64. art. 7. quæritur 5.*

Sed affirmatiuam sententiam tenet Bannez *in 2. 2. q. 64. art. 7. concl. 2.* vbi sic asserit. Postquam iam aggressor fecit aliquam actionem parando mihi insidias, quas ego aliter effugere non possum, nisi occidendo illum, tunc licitũ est mihi medio tempore, antequam meum instet damnum, occidere insidiantẽ, etiamsi pro tunc quietus sit. Ratio est,

quia tunc,propriè loquēdo,est defensio vitæ meæ: nam profectò,moraliter loquendo,ille est actualis aggressor,& sic,v.g.potest mulier adultera occidere maritum,de quo certa est, quòd iam habet vel venenū paratum,vel gladiū,aut aliquod simile; tunc enim vim repellit, moraliter loquendo,quāuis physicè pro tunc ipse maritus nihil agat.Similiter licitū esset mihi occidere hominem qui vocat seruum vt me occidat, si non habeā aliud mediū, quo vitam seruem incolumē. Item si quis vadit vt soluat,vel irritet canem contra me,licitum est mihi illum occidere antequam soluat canem. Hæc Bannez.& post illum nouissimè Iacob. Marchantius *in sum.qq.pastoralium ad Decal.c.5.q.2.cas.3.* & Io. Franc.Suarez *in Enchir.casuum conscient.l.7.ver.homicidium,§.7.*vbi sic ait. Parantē te occidere omnino potes priùs occidere,quàm inuadaris,si aliter euadere nō potes.Ita ille.& Reginaldus *in praxi tom.2. l.21.c.5.num.57.*ita ait.Si famulos voces ad me occidendum,nec aliter saluus esse possum quàm te occidendo,possum te occidere.

Et tandem ex schola S.Th.hanc sententiā docet etiam Io.de la Cruz *in direct.consc.p.1.prec.5.q.1.dub.5.* vbi sic ait.Intelligitur conclusio etiam ante actualē aggressionem, quia etsi non possimus præuenire occisionem eius,quem timemus fore inuasorem;at si iam fecit aliquam actionem in ordine ad aggressionem,vt parando insidias , ensem acuendo, aut si iam sit animo paratus ad id,si aliter non possum fugere, licitè eum occido antequam instet meum damnum,quia tunc, moraliter loquendo, iste est inuasor,& ego mei defensor. Ita ille.

Verùm Lessius *l.2.c.9.dub.8.n.46.*& Syluius *in 2. 2.D.Th.q.64.art.7.quæritur 6.* asserunt in praxi hanc sententiam difficulter practicari posse,ob periculū abusus , & quia perrarum est vt non suppetat alia ratio mortis euadendæ. Sed ego in hoc tractatu intendo solùm proponere speculatiuè varias sententias Doctorum circa dubia occurrentia,munus postea prudentis Confessarij erit maturè consideratis omnibus circumstantijs , hanc , vel illam opinionem in praxi pœnitenti consulere.

Resol. VII. *An liceat occidere falsum testem euntem ad testificandum falsum contra aliquem , & quid dicendum de accusatore?*

NEgatiuè respondet Turrianus *in 2.2.tom.2.disp. 27.dub.2.n.10.*Salonius *in 2.2.q.64.art.7.contr.1. concl.3.* Corduba *lib.1.q.38 dub.1.*Sotus *lib.5.q.1.art.8.* Syluius *in 2.2.q.64.art.7.quæritur 5.* & Malderus *in 2.2.tract.3.c.1.dub.7.* quia talis testis non potest dici inuasor , licet contra ius faciat falsum deponendo, sed non contra ordinem iuris,est enim de ratione aggressionis vt contra ordinem iuris iniuriam inferat , id est , propria auctoritate : iste autem non propria auctoritate , nec vt priuata persona,sed per iudicem seruato iuris ordine occidit , licet iniquè. ergo,&c.

His tamen non obstantibus non desunt Doctores affirmatiuam sententiam tenentes,vt Io.Franc. Suarez *in Enchir. cas.consc.lib.7.ver. homicidium,§.13.* vbi sic ait. Licet occidere testem euntem ad testificandum falsum contra me vbi agitur ad mortem, nihil enim differt armis , vel alia iniusta via me inuadat , si certò scio gladio oris eius me fore occidendum.Sic ille. Idem docet Bannez *de iust.& iur. q.64.art.7.dub.4.concl.2.* his verbis. Similiter dico quòd si is qui vadit ad iudicem, fuerit admonitus, & noluerit retrocedere,poterit is,qui iniuriam patitur,occidere illum,defendendo se,vel sua,si aliter non potest. quam sententiam tenet etiam Tannerus *tom.2.disp.4.q.8.dub.4.n.83.* Strouersdorf *in 2.2. D.Th.q.64.art.7.concl.5.*Reginald.*tom.2.lib.21.cap.5. n.57.*& tanquam probabilem defendit Petr.Nauar. *de rest.lib.2. c.357. & seq.* vide etiam Vegam *in sum. tom.1.cap.127.cas.11.*

Quod autem dictum est de teste, Marchantius *in sum.resol.pastoral.ad Decal.c.5.q.2.cas.4.* Molina *de iust.tom.4.tr.7.disp.12.n.1.*& Bannez *vbi suprà*, docet etiam de accusatore si falsis criminationibus , vel falsis testibus vitam alicuius in iudicio impeteret, nec alia sit ratio effugij , nam in tali casu licitum esset eum occidere,& idem Bannez docet *de Accusatore*, qui contra iustitiam legalem pandit crimen occultum , sic enim ait. Sed rogat quis,quid agam ego , si quis vadit ad me accusandum de crimine vero , sed occulto, ex cuius accusatione mihi certum periculum creatur mortis , vel infamiæ. Respondetur quòd si ille non habet ius ad me accusandum,neque procedit secundùm iustitiam legalem,ita me possum defendere ab illo, sicut ab imponente falsum crimen. Ita Bannez , & post illum Hurtado de Mendoza *in 2.2.disp.170. sect.8 §.62.* Nota etiam quòd Bannez hoc extendit non solùm quando falsus testis,vel accusator impeteret in iudicio vitam alicuius , sed etiam bona temporalia; nam,vt infrà videbimus,licitum est cum aliquibus circumstantijs pro defensione rerum temporalium inuasorem occidere.

Aduertit tamen quod Rodriquez *in sum.tom.1. cap.220.n.18.*& Lessius *lib.2.c.9.dub.8.n.47.*putat in praxi hanc opinionem non esse admittendam , ob incommoda,quæ ex ea sequi possunt ; sed Bannez respondet,hæc incommoda non prouenire ex ipsa doctrina,sed ex hominum malitia litigantium,qui non prudenter examinabunt circumstantias , in quibus licitum est falsum accusatorem,vel falsum testem occidere.Sed,vt verum fatear,circa præsentem quæstionem placet mihi opinio Coninck,quā adduxi *in p.3.tr.5.resol.97.*& quam etiam,me citato, obseruat nouissimè Ioan. Escobar *p.2.de puritate & nobilitate probanda,q.1.gloss.4. num.14.* quamuis ipse in rigore putet affirmatiuam sententiam esse veram,licet non consulendam.

Resol. VIII. *An reclusus in aliqua domo videns inimicum ad occidendum eum expectare,possit præuenire & interimere illum,si aliter saluari non potest?*

NEgatiuam sententiam docet Salonius *in 2.2. tom.1.q.64.art.7.contr.1.concl.3.*& Syluius *in 2.2. D.Thom.q.64.art.7.quæritur 5.*quia numquam licitū est præuenire inimicum,quantumuis paratum,donec actu inuadat,& aggrediatur.

Sed contrariū docēt Doctores citati in superiori resolutione,& in terminis,vt dici solet,terminantibus affirmatiuè ad hunc casum respondet Azor.

*tom.3.lib.2.c.1 q.12.*Reginald *tom.2. lib.21.c.5.n.57.*vbi ſic ait. Si accedas catapultam diſploſurus ad me occidendum, nec poſſim aliter mortem euadere niſi præueniam occidendo te, poſſum præuenire, quia erit defenſio vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ. Similiter ſi nondum accedis quidem, tamen iam es ad occidendum inſtructus, meque ſic concluſum, obſeſſumque tenes, vt non poſſim euadere niſi te occidendo præueniam. Ita ille. Idem etiam docet Pitigianus *in 4.ſent. tom.2 diſt.15.q.3.art.2.* vbi ita aſſerit. Si quis recluſus in domo viderit inimicum inſidias parantem vt eum interficiat, quando exiret, poteſt, ſi aliud remedium euadendi non habet, antequã è domo exeat, inimicum occidere.

Hinc Leſſius *lib.2.c.9. dub.8.n.45.* ait. Si nondum accedis, tamen inſtructus es ad inuadendum, nec poſſum euadere, niſi præueniã, tunc enim poſſum præuenire. & ponit exemplum de marito; qui pugionem condidit ſub ceruiculo vt vxorem interficiat, quem vxor, id certò ſciens, ſi aliud nõ ſupereſt remediũ, poteſt præuertere. Et idẽ docet de eo, qui alteri parauit venenum, poteſt enim illud ex induſtria conuerti in auctorẽ, ſi alia ratio euadendi nõ ſuperſit; & hæc duo exẽpla ponũtur & admittũtur cõmuniter à DD. licet de illis dubitet Sylu. *vbi ſup.*

Ex his infertur rectè ex Iaſone & Alexandro de Næuo, Iulium Clarum *in pract. lib.5. §. homicidium, n.33.* adnotaſſe, quòd qui præparabat offendere, iudicatum fuit impunè poruiſſe occidi; ſed pro caſibus particularibus abſolutè quærendum eſt,

RESOL. IX. *An liceat in foro conſcientiæ occidere aliquem pro defenſione honoris?*

NEgatiuam ſententiam mordicus defendit Syluius *in 2.2.D.Th.q.64 artic.7 quæritur 9.concl.2.* Binsfeldius *in commen. de iniuriis & damno dato.c 1. q.5.concl.8.* Baldus *lib.4.conſ.312.* & alij. Et ratio eſt, quia defenſio honoris cum occiſione in noſtro caſu non eſt iuris naturalis, nec ex eo iure deſcendit. Ergo eodem titulo qno defenſio vitæ confirmatur, non poteſt hæc defenſio honoris ſtabiliri. Antecedens probatur ad hominem. Si eſſet iuris naturalis, aut ab eo iure deſcenderet, æquè Clericis & laicis competeret, quia ea, quæ ſunt iuris naturalis, conueniunt toti ſpeciei hominis, vt patet. & ea eſt ratio quare vnicuique competat contra quemcumque defenſio vitæ cum occiſione, quia eſt iuris naturalis vim vi in tali caſu repellere, quæ defenſio nec ab Imperatore, nec à Papa tolli poteſt. ergo, &c. Cæteras rationes videbis apud Syluium. Vnde Andreas Gail *obſerv.100. num.8.* dixit contrarium ſentientes magis politicè, quàm Chriſtianè ſcribere & diſputare.

Sed parum modeſtè hæc dicit, nam affirmatiuã ſententiam modo quo infrà explicandam puto Chriſtianam & probabiliſſimam eſſe, quam tuentur Sotus, Nauarrus, Nauarra, Valentia, Bannez, Salonius, & Aragonius, quos citat & ſequitur Zannerus *tom.3 diſp.4.q.8.dub.4.n.73.* quibus ego addo Turrianum *in 2.2.tom.2.diſp.28.dub.3.n.1.* & me citato Eſcobar *part.1 de puritate & nobilitate probanda, q.1.§.8.n.13.* Azorium *tom.3.l.2.c.1.q.14.* & Molinam *tom.4.tr.3.diſp.17.* Dico igitur pro defenſione honoris, qui alicuius ſit momenti, ratione habita perſonarũ ac circumſtantiarum concurrentiũ licitum eſſe interficere aggreſſorem, quando aliter honor conſeruari non poteſt, vt ſit homo ingenuus, cui dedecori ſit fugere, quando alius eum aggreditur, tunc eſto fugiẽdo & vitã propriam & aggreſſoris poſſet conſeruare, non tenetur fugere, ſed defendendo propriam perſonã, & proprium honorem, interficere poteſt iniuſtum aggreſſorẽ, quãdo aliter nõ poteſt ſimul vtrumq; conſeruare. Ita Sotus *de iuſt q.1.art.8.* Nauar. *in man.c.15.n.3.* Ant. Gom. *3.to. var.reſol.c.3.n.23.* & Doctores cõmuniter, Couatr. autẽ *Clement. ſi furioſus.p.3.§.vn.n.4.* anceps eſt, tametſi in eandẽ partem inclinare videatur. Probatur hæc ſententia, quoniã pro defenſione bonorũ externorum licitum eſt occidere inuaſorẽ; ſed honor pretioſior eſt bonis externis. ergo pro defenſione honoris; quãdo alicuius eſt momenti, neque aliter defendi poteſt, ſed amitteretur, licitũ eſt interficere iniuſtum aggreſſorẽ. Dictum eſt quando alicuius eſt momenti, habita ratione perſonarum ac circumſtantiarum concurrentium. Quoniã ſi perſonę non ſit dedecori fugere, vt quia eſt perſona Eccleſiaſtica, aut religioſa, cui dedecus eſt arma ſumere, tenetur fugiendo cõſeruare vitam propriã ac proximi. Item quoniã ſi inuaſus perſona ſit de infima plebe: ac talis, cui dedecus non ſit fugere, aut parũ admodum, tenetur etiam fugere. Ingenuus etiã ſi ſine vllo dedecore poteſt ſe recipere antequam aduerſarius aduenial, tenetur etiam id efficere. Ratio autẽ horum omnium eſt, quoniam ſi cum modico ſuo detrimẽto poſſit mortem proximi vitare, tenetur id efficere. Inter milites autem, eſto inuaſus humili loco ſit natus, & aggrediens ſit ingenuus, regulariter non tenetur inuaſus fugere, quoniam id magno illi eſt dedecori, habita ratione ſtatus, militariſq; diſciplinæ, quam ſequitur. Quando ex fuga magis periclitaretur inuaſus, quàm ſi non fugeret, quia aggreſſor maiores vires aſſumeret, aut a tergo ita fugiens faciliùs interficeretur, vel incideret in inſidias ei paratas, non teneretur fugere, eſto eſſet perſona Eccleſiaſtica, aut alia, cui fugere non eſſet dedecus: & hæc omnia docet Molina *loc.cit.* Notandũ eſt tamen hîc obiter nunquã licere ebrium, aut furioſum inuaſorem interficere, quando potes fugere; quia talem fugere non probroſum, ſed potiùs non fugere. Ita ex Baiardo rectè docet Malderus *in 2.2.D.Th.tr.3.c.1.dub.12.* Item tenentur fugere filij patrem & auum, frater minor natu fratrẽ maiorem, fuga enim iſtorum non timiditati, ſed pietati adſcribitur. Ita Hurtado de Mendoza *in 2.2. diſput.170.ſect.16.§.136.*

RESOL. X. *An qui minatur mortem liceat eum occidere?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Io. Franc. Suar. *in Enchir. caſuum conſc. lib.7 ver. homicidium. §.7.* ſi talis ſolitus ſit minas executioni mandare; vnde ex Afflicto & alijs obſeruauit Iulius Clarus *in pract. crim. lib.5 §. Homicidium, num.33.* abſolutum fuiſſe quemdam Nobilem, qui alium ſibi minantem interfecerat.

Verùm ego contrarium teneo cum Maldero *in*

2.2.*tract.*3. *cap.*1. *dub.*7. vbi ſic ait. Si quis tibi minatur mortem verbis ſolis, non licet eum occidere. igitur affirmatiua ſententia procedit forſitan in foro exteriori.

RESOL. XI. *An licitum ſit ad honorem tuendum inuaſorem poſt impactam alapam, vel fuſtem, fugientem inſequi, & repercutere, vel occidere, ſi hoc opus eſt ad honorem recuperandum?*

PRo affirmatiua ſententia plures Doctores adduxi *in* 1.*p.tr.*1. *Miſcell.reſol.*15. quam probabilem eſſe concedunt etiam ipſimet aduerſarij, & ideo Villalobos *in ſumm.tom.*2. *tract.*12.*diff.*12.*n.*3. ſic ait. [Quando el aggreſſor ceſſa ya de la injuria, o ſe fue huyendo, no ſera licito ſeguirle ſegun la opinion mas probable que diximos arriba, aunque tambien tiene probablidad el dezir, que allì luego incontinente, o immediatamente yendo huyendo le puede ſeguir y herirle, o injuriarle, quando es neceſſario para recuperar la honra, como el que ſigue al ladron para recuperar la hazienda, porque el que le quitò la honra en ſu manera ſe la tiene injuſtamente, y moralmente hablando todo aquello es vn miſmo acto. Deſte parecer es Nauarro, Enrique, y Pedro de Nauarra, Victoria, y otros que citan. Mas ha ſe de entender que no ſea con animo de vengarſe, ſino de cobrar, o defender la honra, que aun entonces no parece que eſtà acabada de perder, y que ſea en caſo que el otro no le ofrece la ſatisfacion deuida, como ſuele acontecer. Y tambien que como dize Pedro de Nauarra con S. Antonino, no ſe eſtienda eſto al tiempo, quando el agreſſor eſtà quieto en ſu caſa o ſe diuirtiò à otro negocios, porque de otra manera ſe abriria camino para muchas perturbaciones, eſcandalos, aſſechanzas, enemiſtades, y venganzas.] Ita ille.

Et ita hanc ſententiam abſolutè tanquam probabiliorem amplectitur nouiſſimè Marchantius *in ſum.reſol.paſtor. ad Decal.c.*5.*q.*3.*caſ.*3. Philipp. Faber *de reſt. in* 4.*ſent. diſt.*15.*q.*3.*diſp.*5.*c.*1.*n.*29. vbi ita aſſerit. An liceat ſolùm occidere, quando durat congreſſus, vt cùm fur accipit rem alienam, vel aliquis afficitur iniuria, aut alapa, vel fuſte cæditur, an etiam poſtquam re ablata & inflicta iniuria fugit, eſt dubium. Soto & Molina *diſp.*17.*n.*8. tenent licere quidem inſequi furem, quando res eſſet magni valoris, & exigua ſpes eſſet recuperandi, impunè poſſe occidere; quoad honorem verò nequaquam. Quia, inquiunt, qui alapa, vel fuſte percuſſus eſt iam amiſit honorem, ideo ſi perſequendo occidat, eſt vindicare honorem. At vindicatio non pertinet ad perſonam priuatam, ſed ad Principem. Nauarr. verò *in Man.c.*15.*n.*4. aſſerit poſſe inſequi, & occidere licitè. Et hæc opinio mihi probabilior videtur, intelligendo hoc de incontinenti perſecutione: vt ſi quis infligat vulnus, vel alapam, aut fuſte quem percutiat, & ſtatim fugiat. nam in hoc caſu ſi offenſus inſequatur, & occidat, cenſetur occidere in actu ipſius congreſſus; neque enim iudicandum eſt hos eſſe duos congreſſus, alterum quo quis iniuriam intulit, alterum, quo ſtatim eum inſequens interficit, ſed eſt vnus, & idem, ideo licitè occidit. Secus ſi perſecutio nõ ſtatim & continuato tempore inſequatur, ſed qui percuſſit, iam abijt, & qui vulneratus eſt, vel affectus iniuria, non eſt inſecutus continuatè, ſed interpoſito tempore; tunc enim videntur diuerſi congreſſus, & ſecundus videtur ordinatus ad vindictam. Accedit quòd perſequendo fugientem defendit honorem ſuum, cuius magnam iacturam faceret, ſi fugientem non perſequeretur. & hæc omnia docet Faber *loc. cit.* vide me ipſum *vbi ſuprà.*

RESOL. XII. *An liceat occidere contumelioſum quando aliter ea iniuria arceri nequit?*

AFfirmatiuè reſpondet nouiſſimè eruditus & doctus Ioan. de Eſcobar *p.*1. *de puritate & nobilitate probanda, q.*1. *gl.*4. *n.*14. Petr. Nauarr. *de reſt. lib.*2. *c.*3. *n.*376. & Henric. Stouersdorf *de iuſt. & iure in* 2. 2. D. *Th. q.*64. *art.*7. *concl.*5. vbi ſic ait. Poteſt etiam interfici, qui virum aliquem honoratum conuicijs, & maledictis afficit, nec poteſt aliter cogi vt taceat, talis enim eſt inuaſor honoris. Ita ille. quod intelligunt hi auctores, quando contumeliæ ſunt atroces, &, vt dictum eſt, alia ratione vitari nequeunt. Ratio enim naturalis dictat licitã eſſe eam defenſionem, quæ neceſſaria ſit ad contumeliam depellendam, & comprimendam, alioqui daretur licentia improbitati optimos viros contumelijs vexandi, quæ tamen multo, quàm damna rei familiaris ſunt acerbiora, & magis affligunt animum. & ita hanc ſententiam docet etiam nouiſſimè Baldellus *in Theolog. mor. lib.*3. *diſp.*24. *num.*24.

Verùm his non obſtantibus hanc ſententiã non approbat, & meritò, Hurtado de Mendoza *in* 2.2. *diſp.*170. *ſect.*15. §.123. *& ſeq.* Petr. Binsfeldius *de iniurijs & damno dato, c.*1. *q.*9. *concl.*4. Molfeſius *in ſumm. tom.*1. *tr.*11. *c.*19. *n.*74. Leſſius *l.*2. *c.*9. *dub.*12. *n.*78. Filliucius *to.*2. *tr.*29. *c.*3. *n.*49. Azorius *tom* 3. *l.*2. *c.q.*17. & alij; quia verbales iniuriæ verbis repelli poſſunt, quæ eſt legitima vindicta, tũ quia ſic repelli ſolent etiã apud viros honoratos; quare ſi factis repellerẽtur, iã fieret exceſſus in defenſione, cùm aliter & poſſint & ſoleãt repelli. Sed vt verũ fatear, Baldellus & alij primã ſententiam docent in caſu quo aliter contumelia tolli non poſſit, niſi interficiendo calumniantẽ, quia id ſolum eſt vim vi repellere, & honorem tueri contra iniuſtum, & violentum dehonorantẽ. vide Baldellum *vbi ſup.* Ego verò nõ recedo à ſecunda ſententia, ex qua oritur de particulari cõtumelia quæſtiuncula quædã. Quæro igitur,

RESOL. XIII. *An ſi quis dicat viro honorato, Mentiris, liceat illum occidere?*

SI hoc in aliqua regione eſſet valde probroſum, affirmatiuè reſpondet Henricus Strouersdorf *de iuſt. & iur. in* 2.2. D. *Th. q.*64. *art.*7. *concl.*5. vbi ſic ait. Poteſt etiam interfici qui virum honoratum baculo, vel pugno conatur percutere, nec poſſet aliter impediri, imò dicere, Tu mentiris, vbi hoc valde probroſum eſt. Ita ille.

Sed merito hæc ſententia impugnatur ex dictis in ſuperiori reſolutione, & in ſpecie illam improbat Azorius *tom.*3. *lib.*2. *c.*1. *q.*17. vbi ſic aſſerit. Quæritur an ſi inuaſor ſolùm lædat verbis contumelioſis, v.g. dicens, Tu mentiris, licitum ſit occidere, vbi

hoc

hoc verbum, *mentiris*, eſt valde ignominioſum. Dico non eſſe licitum, quoniam huiuſmodi contumeliæ aliter repelli poſſunt & ſolent apud homines. ita Azorius. Quando verò licitum ſit contumelioſo dicere, mentiris, vide Hurtado de Mendoza *in* 2.2. *tom.*2. *diſput.*170. *ſect.*14.§. 116. & Criſpotium *in caſibus militaribus, caſ.*12. *per totum.*

RESOL. XIV. *An in aliquo caſu teneatur inuaſus occidere aggreſſorem?*

SVprà ſatis viſum eſt inuaſum poſſe licitè occidere aggreſſorem, nunc videndum eſt an aliquando teneatur? Et quidem Sotus *de iuſt. lib.*5. *q.*1. *art.*8. Syluius *in* 2.2. *D. Th. q.*64. *a.*7. *quæritur* 1. Aragon *in* 2.2. *D. Th. q.*64. *a.*7. & alij aſſerunt, poſſe contingere caſum vt teneatur inuaſus ſub pœna peccati mortalis ſe defendere; vt ſi Princeps, aut quæuis alia perſona Reipublicæ perquam commoda ab impio aliquo & ſceleſto impeteretur, tunc enim prodigalitas eſſet vitæ ſuæ, non ſe iniuria laceſſitum defendere.

Sed hanc opinionem non ſatis fundatam eſſe docet Petr. Binsfeldius *de iniurijs & damno dato, c.*1. *q.*5. *concl.*7. & inuehitur contra Sotum, quia cùm Scriptura hortetur nos ad ponendam vitam etiam pro inimicis, non diſtinguit de perſona publica & priuata.

Verùm Soti ſententiam ego puto cum Molina *de iuſt. tom.*4. *tr.*3. *diſp.*14. *num.*1. probabiliſſimam eſſe. Dico igitur quòd quando aggreſſus perſona eſſet, cuius vita multum Reipublicæ vel in ſpiritualibus, vel in temporalibus referret, teneretur ſub reatu culpæ lethalis interficere aggreſſorem ſi poſſet, vt vitam ſuam conſeruaret. Probatur, quoniam agitur de communi maximo bono, in cuius præiudicium non poteſt ſine culpa lethali non conſeruare ſuam vitam medio illo illicito, neque ad id cenſenda eſt facta ei facultas à Deo, cuius quoad dominium eſt vita ipſius, nihil impediente damno inuaſoris in quod ſua culpa incidit. Idem videtur eſſe ſi eius morte ſequeretur maximum detrimentum familiæ, vt vxori ac filijs, quos alere teneretur, quamuis enim cedere poſſit iuri ſuo, permittendo ſe ab aggreſſore interfici, ne aggreſſor damnum mortis temporalis & æternæ incurreret, non tamen poſſet cedere iuri ſuorum, quibus vita ipſius eſt neceſſaria, & quibus alimenta, educationem ac protectionem debet, quæ à vita ipſius pendent. In his omnibus conſentit Sotus, &c. Hæc Molina.

RESOL. XV. *An miles qui certò ſcit bellum eſſe iniuſtum, licitè poſſit ad ſe defendendum occidere militem contrarij exercitus à quo inuaditur?*

CAſus erit frequentiſſimus, & hæc quæſtio ita difficilis eſt, vt Molina *de iuſt. tom.*4. *tr.*3. *diſp.*15. *num.*5. anceps remanſerit in eius reſolutione, quia cùm ille alius miles ius habeat ad eum interficiendum, non ſecus ac miniſtri publici ius habent ad malefactores interficiendos; ſanè quemadmodũ non poſſunt malefactores in ſui defenſionem percutere miniſtros publicos; ſic miles terga vertens, de quo loquimur, interficere in ſui defenſionem non poteſt militem iuſtè inſequentem, alioquin daretur bellum iuſtũ ex vtraque parte, pulſa prorſus ex vtraque parte ignorantia, quod videtur omnino abſurdum. ergo, &c.

Sed ſi hæc opinio eſſet ſequenda, væ væ multis militibus; ideo mihi placet opinio affirmatiua, quã tuetur doctiſſimus Soto *de iuſt. l.*5. *q.*1. *a.*7. & poſt illum Azorius *in.*3 *p. lib.*2. *cap.*1. *q.*5. dummodo moneat, ſi poteſt, & procuret, vt miles aggrediens deſiſtat ab aggrediendo, quod ſi nolit, tunc inuaſus ius habet tuendi ſe, & alterum occidendi pro ſua defenſione, nèque ex hoc ſequitur, quòd daretur bellum ex vtraque parte iuſtum; nam reſpondetur quòd Princeps non gerit iuſtum bellum; ſed iſte miles iure tuetur ſe, poſtquam alterum militem monuit vt deſiſtat, & noluit. Vide etiam Philippũ Fabrum *de reſt. in* 4. *ſent. diſt.*15. *q.*3. *diſp.*52. *c.*1. *n.*17.

RESOL. XVI. *Quando quis interficit inuaſorem, an liceat intendere mortem eius, vt medium ad ſui defenſionem?*

CAietanus *in* 2.2. *q.*64. *a.*7. Victoria *in relect. de homicidio à num.*17. Bannez *de iuſt. q.*64. *art.*7. *dub.*5. Syluius *in* 2.2. *q.*64. *a.*7. *quæritur* 5. & alij negatiuam ſententiam docent. Antonius verò Cordubenſis *lib.*1. *q.*38. Aragon *in* 2.2. *q.*64. *art.*7. aſſerunt licitum eſſe ſcienter occidere inuaſorem, & id cõfusè velle, quomodo, Deus ſcit, ſibi licitum eſſe, neque oportet conſiderare qua intentione actualiter fiat.

Sed deferendo has Metaphyſicas, duo cum Molina *de iuſt. tom.*4. *tr.*3. *diſp.*11. *num.*4. poſſe aggreſſum per ſe intendere mortem aggreſſoris petendo ictu cor, aut iugulum aggreſſoris animo eum proſternendi ac necandi, quando videt ita ſibi eſſe neceſſarium ad tutè euadendum manus illius. Ratio namque quam confecimus ad probandum noſtrũ communeque omnium aſſertum, ſanè probat, poſſe velle ac intendere etiam mortem illius in ſui defenſionem conſeruationemque ſuæ propriæ vitæ, tanquam in finem vlteriorem, quando iudicat mortem ad eum finem eſſe neceſſariam. Metaphyſica verò, quam impugnamus, ad aliud non deſeruit, quàm ad moralem doctrinam turbandam, ad erroneas conſcientias in materia ſatis lubrica gignendas, lethaliſque peccati ſcrupulos minimè neceſſarios illis injciendum, qui iuſtè ac licitè ſe defendunt. & ita docent etiam Philip. Faber *de reſt in* 4. *ſent. diſt.*15. *q.*3. *diſp.*52. *cap.*1. *num.*18. Rodriquez *in ſum. tom.*1. *cap.*220. *num.*3 Villalobos *in ſum. tom.*2. *tr.*32. *diffic.*10. *num.*9. Soto *de Iuſt. lib.*5. *q.*1. *art.*8. Petrus Binsfeldius *de iniurijs & damno dato, cap.*1. *q.*5. *concl.*3. & alij communiter.

RESOL. XVII. *An licitum ſit occidere inuaſorem pro defendendis proprijs bonis?*

ID non licere in conſcientia, ſed ſolùm permitti impunè iure humano, tenet Accurſius, & alij, quos citat Nauarrus *in Man. cap.*15. ſic etiam tenet Archidiac. & Panormitanus, quos citat Sylueſter *ver. Homicidium,* 1. *q.*4. & idem ſentire videtur Tabiena *ver. Homicidium, q.*7. *& ver. Irregularitas* 2. *n.*25. & negant abſolutè Ioan. Gerſon *in tract. de Euchar.* Auguſt. de Ancona *opuſc. de auctoritate Eccleſiæ*, &

Abulenſ. *in cap.* 15 *Matth.* & ratio eſt, quia ordine & lege charitatis vita proximi corporalis præponenda eſt bonis noſtris externis; ergo pro illorum defenſione nefas erit proximum interficere. Et ideo Felinus *in cap.* 2. *de Homicidio, poſt n.* 4. ex communi ſententia affirmat, non licere de iure Canonico occidere furem pro ſeruandis rebus ſuis.

Verùm contrariam ſententiam tenent communiter DD. & ita docet Tannerus *tom.* 3. *diſp.* 4. *q.* 8. *dub.* 4. *n.* 81. qui citat Sylueſtrum, Nauarra, Sotum, Valentiam, Aragonium, Bannez & Leſſium, quibus ego addo Turrianum *in* 2. 2. *tom.* 2. *diſp.* 27. *dub.* 2. *num.* 15. Marchantium *in ſummar. reſol. paſtor. ad Decal. cap.* 5. *q.* 5. Baldellum *tom.* 1. *lib.* 3. *diſp.* 26. *num.* 10. Layman *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 3. *num.* 4. Petrum Binsfeldium *in comment. de iniuriis & damno dato, c.* 1. *q.* 5 *concluſ.* 3. Molinam *tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 16. *num.* 1. Azorium *tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 1. *q.* 19. & Filliucium *tom.* 2. *tract.* 19. *cap.* 3. *num.* 3. vbi docet, abſolutè loquendo, quòd etiam pro bonis ſuis temporalibus defendēdis, ſi alicuius momenti ſunt, & aliter recuperari non poſſint, licitum eſt inuaſores fures occidere. Et ratio eſt, quoniam bona externa ſunt media ad ſuſtentationem vitæ, ac ad ſtatus honoriſque conſeruationem. Ergo ſicut pro defenſione vitæ licitum eſt occidere aggreſſorem, ita etiā pro defenſione bonorum externorum, quæ vitæ conſeruationi deſeruiunt; hinc res externæ dicuntur ſanguis & vita hominis, vt docet gloſſa iuncto textu *in l. Aduocati*, C. *de Aduoc. diuer. iudic.* Et hæc opinio non ſolùm eſt vera quoad laicos, ſed etiam quoad Clericos, contra Roſellam *ver. Homicidium*, §. 3. & Panormitanum *in cap. ſuſcepimus, de homicidio*, vt aſſeruit Molina *vbi ſuprà*, & alij. & patet *in cap. olim*, 1. *de reſtit. ſpoliat.* vbi fundatur licitum eſſe etiam Clericis res ſuas defendere, & in earum defenſionē occidere, ſi id neceſſarium foret. Sed difficultas eſt quoad Religioſos. Petrus Binsfeldius *vbi ſupr. concl.* 4. ex D. Antonino negat id licitum eſſe Religioſis, quia non poſſunt habere proprium. ergo non poſſunt gaudere iure defenſionis rerum externarum, vt laici & Clerici. Verùm ego affirmatiuā ſententiam teneo cum Tannero *to.* 3. *diſp.* 4 *q.* 8. *dub.* 4. *n.* 77. Syluio *in* 2. 2. *D. Th. q.* 64. *art.* 7 *quæritur.* 8. Leſſio *lib.* 2. *c.* 9. *dub.* 11 *n.* 72. & Maldero *in* 2. 2. *D. Th. tract.* 3. *c.* 1. *dub.* 13. Becano *in* 2. 2. *D. Th. tom.* 2. *q* 7. *de homicidio, concl.* 2. *num.* 5. non enim refert quòd Religioſi non habeant proprium, vnuſquiſque enim habet ius defendendi non ſolùm ea, quæ poſſidet propria, ſed etiam ea, quæ poſſidet in communi, vel quorum vſus, aut cuſtodia ipſi eſt commiſſa. Reſtat modò reſpondere ad argumentum adductum pro contraria ſententia. Dico igitur quòd etſi vita proximi præferenda ſit bonis temporalibus, quando ex natura rei id contingit, tamen ſi id prouenīat ex malitia inuaſoris, non eſt neceſſe; ſed in caſu, de quo loquimur, ex malitia inuaſoris id accidit, ergo, &c.

Notandum eſt etiam hîc obiter contra Couarruuiam *in Clement ſi furioſus, part.* 3. §. *vnico, num.* 6. eſſe licitum occidere, v. g. ſagitta, vel catapulta furem, ſi cum re furata fugiat, quia inuaſio rei durat donec ſe in tutum recipiat, vbi quietè poſſidere incipiat, & quia niſi id licitum eſſet, defenſio rerum maxima ex parte eſſet inutilis, poſſent enim fures quidlibet rapere, & ſtatim fuga ſe proripere, in fuga enim, ſecundùm opinionem Couarruuiæ, eſſent tuti. Ita Doctores citati.

Notandum ſecundò, quod aliqui aſſerunt, vt ad defendendam rem propriam quis interficiatur, nō ſolùm eſſe neceſſarium, vt res illa non poſſit aliter recuperari. Verùm Henricus Stroersdorf *de Iuſtit. & iur. in* 2. 2. *D. Thom. q.* 64. *art.* 7. *concl.* 3. probabilius putat aliquando ſufficere, quòd non poſſit aliter cuſtodiri, etiamſi poſſet poſtea recuperari, quia nemo videtur obligatus eſſe pati rem ſibi eripi, propterea ſolùm, quòd poſtea recuperari poterit, quia non ſolùm habet ius recuperandi, ſed cuſtodiendi, & retinendi quod ſuum eſt. Ita ille. Sed tu cogita.

RESOL. XVIII. *Quanti valoris oportet ſit res, pro cuius defenſione interficere liceat?*

AD hoc dubium difficile quidem ſic reſpondet Malderus *in* 2. 2. *D. Th. tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 13. Quando res, quæ inuaditur, parui momenti eſt, nō licet pro eius defenſione furem occidere. Ita paſſim Theologi. Limitandum tamē, quando qui rem paruam ſuſtulit ne reddat, incipit ferro inuadere repetentem, qui caſus eſt *in l. ſi ex plagis*, §. *tabernarius ff. ad l. Aquiliam.* Nocturnum etiam furem quidam hîc excipiunt, verùm neque is ob rem modicam, quando aliud ſcitur non ablaturus, occidi poteſt. Denique fieri poteſt, vt res modica magni momenti ſit reſpectu poſſeſſoris, quod hîc conſiderandum monent additiones Iulij Clari, quæ fortè cauſa eſt quare non exprimant Doctores certam quantitatem, ob quam liceat inuaſorem occidere. Annotationes tamen ad Aretinum *de maleficiis*, monent non debere eſſe minoris valoris, quàm duorum aureorum. Ita ille, & Iaſon etiam *in l. vim vi ff. de iuſt. & iure. num.* 25. & Matheſilanus *in ſing.* 135. dicunt quòd res vilis ad hunc effectum eſt à duobus aureis. Sotus etiam *de Iuſt. lib.* 5. *q.* 1. *art.* 8. Aragon *in* 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. & Binsfeldius *de iniuriis & damno dato, cap.* 1. *q.* 6. *concl.* 1. exiſtimant pro re vili, nempe pro valore duorum, vel trium aureorum, non eſſe licitum hominem occidere. Vnde videtur hos DD. aſſerere, quòd ſi fur iniuſtè aggrediatur accipere rem aſcendentem ad ſummam quatuor, vel quinque ducatorum, reſiſtente domino poſſe illum interficere.

Sed plus addit Molina *de Iuſtit. & iure*, *tom.* 4. *tract.* 3. *diſp* 16. *num.* 7. vbi ſic ait. Quando autem quis iniuſtè aggreditur vſurpare rem etiam valoris vnius aurei, vel minoris adhuc valoris, reſiſtente domino, aut cuſtode illius, certè neque ad culpam, neque ad pœnam auderem damnare, qui illam defendendo interficeret cum moderamine inculpatæ tutelæ iniuſtum aggreſſorem; quidquid in contrarium cum Baldo & Angelo dicat Carerius. Ita Molina, & poſt illum Bonacina *de contract. diſp.* 2. *q. vlt. ſect.* 1. *punct.* 10. *num.* 1. & ratio eſt, quia in tali caſu inuaſor non ſolùm rem aufert, ſed etiam magnam infert contumeliam, quæ poteſt per vim repelli.

Verùm has ſententias ego non approbo, nimis enim laxæ videntur; quis enim concederet pro vno, vel duobus aureis vitam hominis licitè eripi poſſe?

poſſe? Nam licet te tuaque tuendi ius habeas; conferendum tamen eſt damnū quod tibi caues, cum illo, quod das, quamuis innocentis cōditio melior ſit. Dico ergo cum Strouersdorf. *de Iuſt. & iure, in* 2. 2. *D. Thom. q.* 64. *art.* 7. *concl.* 3. & alijs, rem propter quam alter interficiendus eſt, debere eſſe magni momenti vel ex ſe, vel in ſuo pretio, vel ex ſuo conſequente, alioquin iniquum eſſet valde pro re parua eripere vitam hominis. Si tamen, ait Leſſius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 11. *num.* 68. verteretur tibi probro, niſi rem minimam furi extorqueas, tunc poſſes conari, & ſi opus eſſet occidere, tunc enim non tam rei, quàm honoris eſſet defenſio. Ita ille, qui citat Sotum.

RESOL. XIX. *An liceat pro defenſione vitæ proximi occidere iniuſtum inuaſorem?*

REſpondeo affirmatiuè, quia lege charitatis licitum eſt alijs facere, quod pro ſe ipſo quiſque poteſt: at pro ſe poteſt quis occidere inuaſorem, vt ſuprà viſum eſt; ergo poterit & proximo: & confirmatur, quia talis cenſetur innocens, etiam ſi fortè cauſam dederit inuaſioni, ſemper enim inuaſio iniuſta eſt: innocens autem licitè defendi poteſt. ergo, &c. Ita Filliucius *tom.* 2. *tract.* 29. *cap.* 4. *num.* 54. Malderus *in* 2. 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 15. Molina *de Iuſt. tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 18. Azorius *tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 1. *q.* 21. & alij communiter.

Sed difficultas eſt, an ad id teneatur? Molina *de Iuſt. tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 18. *n.* 3. & 4. Faber *de reſtit. in* 4. *ſentent. diſt.* 15. *q.* 3. *diſp.* 52. *cap.* 1. *num.* 34. affirmatiuè reſpondent; quod tamen intelligunt, ſi abſque notabili damno ſui ipſius id præſtare poſſit, quia vnuſquiſque tenetur magis ſe ipſum & ſua curare, quā ea quæ ſunt proximi. Verùm Filliucius *loco cit. n.* 57. & Leſſius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 13. *n.* 92. docet, quòd priuatus non tenetur tueri vitam alterius, quando nō poteſt ſine occiſione inuaſoris; quia nemo tenetur tueri vitam ſuam per mortem alterius. Ergo neque alienam. Aliqui tamen limitant hanc ſententiam, videlicet quando perſona defendenda non eſſet maximè neceſſaria Reipublicæ, vel Princeps, vel proprius pater, mater, frater, filius, vxor: nam pro his defendendis non ſolùm liceret, ſed etiam teneretur quis occidere inuaſorem; & hoc etiam aſſerunt, quando ex officio promiſſo, aut contractu obligatur quis ad cuſtodiam proximi: & ita ex Aretino & Suarez docet Malderus *in* 2. 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 15.

Sed dices, quid ſi inuaſus cedat iuri ſuo? Reſpondet Malderus *vbi ſuprà*, poſſe adhuc licitè occidi inuaſorem proximi, cùm enim non ſit dominus vitæ ſuæ, poſſum etiam eo inuito velle cuſtodire, tamquam mandatarius Domini, qui vnicuique mandauit de proximo ſuo. Idem docet Tannerus *tom.* 3. *diſp.* 4. *q.* 8. *dub.* 4. *num.* 80. ſed limitatur hæc opinio, niſi inuaſus ſeriò dicat ſe nolle defendi, ſed velle potiùs mori, quàm occidatur inuaſor in peccato mortali.

RESOL. XX. *An liceat occidere inuaſorem pro defenſione rerum externarum proximi?*

REſpondeo affirmatiuè, nam in omnibus euentibus, in quibus dictum eſt aliquem ſe, aut ſua defendendo poſſe *licitè* interficere iniuſtum inuaſorem, in eiſdem dicendum eſt eſſe licitum cæteris ſuum proximum defendendo interficere eumdem aggreſſorem, quando ita neceſſarium eſt ad talem proximi bonorumve illius defenſionem. Atque id licebit non ſolùm in præſentia illius, eum adiuuando, ſed etiam in illius abſentia ex præſumpta illius voluntate, bona illius defendendo. Ita Molina *de Iuſt. tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 18. *num.* 11. & alij communiter.

Difficultas eſt an ad id teneatur? Molina *vbi ſup. num.* 4. negatiuè reſpondet quoniam lex charitatis non tam arctè obligare videtur; vt cum tanto inuaſoris detrimento teneatur quis conſeruare bona proximi longè inferioris ordinis, præſertim cū ſi inuaſor tunc interficiatur, regulariter vnà cum corporali vita amittet æternam. Adde quòd ea interfectio non fieret ſine maximo horrore, ac difficultate interficientis: lex autem charitatis non eſt cenſenda obligare id horroris ac difficultatis ſubire, vt cum tanto detrimento inuaſoris bona longè inferioris ordinis defendantur. Ita Molina, qui aſſerit ſuam doctrinam intelligendam eſſe de his, qui non tenentur ex officio, vel iuſtitiæ lege, vt miniſtri publici, &c. defendere proximum.

His tamen non obſtantibus affirmatiuam ſententiam tenet Philipp. Faber *de reſtit. in* 4 *ſent. diſt.* 15. *q.* 3. *diſp.* 52. *cap.* 1. *num.* 3. vbi ſic ait. An verò pro conſeruandis bonis externis proximi teneatur tertius occidere iniuſtum inuaſorem, eſt res valde dubia. Nam quòd teneatur denuntiare Principi & iudici, qui eum puniat vitæ ablatione, ſi opus ſit, non eſt dubium propter præceptum correctionis fraternæ; ſed an per ſe ipſum liceat eum occidere pro bonis externis, quæ ſunt ordinis inferioris, quàm vita, eſt dubium. Vnde aliqui tenent partem negatiuam, & ratio deſumpta à differentia bonorum corporis & externorum nulla eſt, quia in hoc caſu pari pede currunt cum bonis corporis, quia iam ſuprà conceſſit etiam Molina licere vnicuique occidere inuaſorem tam pro defenſione ſuæ vitæ, quàm ſuorum bonorum. ergo eadem ratio militat in defenſione proximi. Cùm ergo ſacra Scriptura obliget vnumquemque ad defendendum proximum innocentem, iuxta illud Ezech. 17. *Vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo.* & Prou. 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & eos qui trahuntur ad interitum liberare non ceſſes.* & hæc ſit lex naturæ, ſequitur quòd pro liberandis bonis externis proximi innocentis, teneatur occidere iniuſtum aggreſſorem, cùm aliter non poteſt innocentem liberare. Et cōfirmatur per rationem quam adducit Papa *in cap.* illo *Dilecto*, adducto. Qui enim non auxiliatur proximo ad repellendam iniuriam, videtur iniurianti fauere, ac eſſe particeps culpæ, ideo tenetur vitare culpam, & proinde ſi non poſſit aliter iniuriam proximi propulſare, tenetur occidere aggreſſorem, ne fiat particeps culpæ eius. Ita Faber.

RESOL.

RESOL. XXI. *An liceat priuato homini occidere gladio, veneno, proditione, insidiis, alióve quouis modo Regem tyrannicè dominantem?*

DIcunt aliqui primò, non licere priuata auctoritate occidere tyrannum, qui est legitimus dominus; & contrarium dicere est hæreticum, vt probat Castro *lib.14. de Hæresibus, ver. Tyrannus*, & definitum est in Concilio Constantiensi *sess. 15.* Dicunt secundò, Tyrannus qui vi vel fraude regnum inuasit, potest priuata auctoritate occidi, seruatis tamen duabus conditionibus. Prima est, si aliter non possit Respublica liberari à tyrannide. Secunda, si non timeantur maiora damna. Ratio est, quia talis non est verus Princeps & dominus subditorum, sed hostis. At hostem licet occidere tempore belli, ergo & Tyrannum. Consequentia patet, quia talis tyrannus gerit quasi continuum bellum cum Regno vel Republica. Ita Henricus Strouersdorf *de Iust. & iur. in 2.2. D.Th. q.64. art.3. q.3.* Caietanus *in 2.2. q.64.art.3.* Salonius *ibid. contro.1.* Sotus *de Iust.lib.5.q.1.art.3.* Malderus *in 2.2.D. Th.tract.3.cap.1.dub.4* Lessius *de Iust. lib.2.c.9. dub.4. num.7.* Molina *tom.4. tract.3. disp.6. num.2.* & ante omnes D.Th. *in 2.sent.dist.vlt.q.2.art.2.in corp. & ad 3. & lib.2.de regim. Principum, cap.6.* Couarruuias *in lib.4.Decret. de matrim.part.2.cap.3.§.4.num.6.* & alij communiter.

Sed his non obstantibus mihi placet sententia Filliucij *tom.2.tract.28.cap.1.num.14.* vbi docet, quòd si prædicta sententia intelligatur pro eo tempore, quo tyrannus aliquis inuaderet alienum regnum, & in ipso actu inuasionis, sic videtur opinio satis probabilis, nec vlli Principi præiudicium afferens, supponi enim deberet contra eiusmodi tyrannum, subditos regni quod inuaditur, iure posse bellum agere, & se defendere ab iniusta inuasione, & cùm expeditior via soleat esse de medio tollere ducem aduersarij exercitus, si hæc executioni demandetur, non apparet in quo redargui possit. Si verò etiam extendatur ad eumdem tyrannum qui inuaserit regnum, & retineat qualemcumque possessionem Principatus, & administrationem, sic dubia & suspecta mihi est, & nemini iure consulenda, tũ quia nullus deiici à possessione debet, nisi priùs audiatur & iudicetur, tum quia euidentia patrati sceleris, quamuis accusationem & probationem non requirat, exigit tamen sententiam delaratiuã, ex glos. *in cap.euidentia, de accus.* Tum denique, quia priuato cuiusque iudicio tam grauis res minimè concedenda est, sed publicum iudicium postulat, & tamquam vltimum remedium adhibendum, cùm alia non ptofuerint. Et hæc omnia Filliucius *loco citato*, quæ ante ipsum docuerunt Azorius *tom.2.lib.11.cap.5.q.10.* & videtur etiam docere Syluius *in 2.2.D.Th.q.64.art.3.concl.2.* vbi tunc ait, licitum esse occidere tyrannum quando nullum habens ius ad Regnum illud per vim inuadit, seu occupat, loquitur igitur in ipso actu inuasionis, in quo etiam Filliucius & Azorius concedunt licere tyrannum interficere.

RESOL. XXII. *An iudex secundùm allegata & probata possit occidere reum, quem scit ex priuata scientia esse innocentem?*

AFfirmatiuè respondet D.Th. *in 2.2.q.67. art.2.* & *ibi* Caietan. Bannez, Salonius, & Aragon, Sotus *de iust.lib.5.q.4.art.2.* Valent, *tom.2.disput.5.q.11. punct.2.* Sayrus *in Claui Regia, lib.12. cap.8. num.13.* Strouersdorf *de Iust.& iure, in 2.2. D.Thom.q.67.art. 2.concl.2.* Tannerus *tom.3.disp.4.q.4.dub.2.num.51.* & ratio est, quia iudex in iudicando publicam personam, & quidem ipsius communitatis sustinet: ergo debet vti scientia tantùm publica, quæ ipsi communitati probabilis reddatur. Adde, quòd homo in iudicando non debet vti ea scientia, cuius vsu iuxta mores hominũ aperiretur via infinitis fraudibus, talis est priuata scientia. ergo, &c.

Sed his minimè obstantibus contrariam sententiam tuentur docti recentiores. Syluius *in 2.2. D.Thom.q.66.art.2.concl.2.* Petrus Nauarra *de restit. lib.2.cap.3.num.161.* Malderus *in 2.2.tract.6.cap.1.dub. 13.* Lessius *lib.2.cap.29.dub.10.num.78.* & alij. Et ratio est, quia directè & ex intentione occidere innocentem est per se malum, & aduersatur non modò charitati, sed etiam iustitiæ; ergo iudex non potest innocentem morti adiudicare, quantumuis probatur nocens. Alias quinque rationes adducit Syluius, quas omnino videbis. Vnde in casu contingenti secundùm hanc posteriorem sententiam iudex debet à principio conari auertere actorem ab accusatione, quod si non obtineat, sedulam operã det, vt actor litem cœptam non prosequatur, curetque siue ipsum siue testes secretò admoneri per doctos & prudentes de sua falsitate, vereanturque Dei iudicium. Si nihilominus nolint desistere, litẽ protrahat, testes bis, ter, quater seorsim per interualla diligenter examinet super circumstantiis, facti, per earum species, partes & accidentia ad deprehendendam variationem eorum, siue à se ipsis, siue inter se, nec facilè permittat, vt quæ variatio fortasse deprehenditur, censeatur esse dumtaxat de impertinentibus: sicut Daniel non censuit esse impertinentem circumstantiam in facto Susannæ, quòd testium vnus diceret contigisse sub scino, alter sub pino. Quòd si hac via non proficit, si commodè absque scandalo queat, carcerem curet manere apertum, vt reus fugiat; si ne hoc quidem succedit, ad superiorem iudicem remittat. Partibus autem pro sententia instantibus dicet iudex inferior se in ista causa difficultatem inuenire, nec posse iudicare, sed eundum esse ad Superiorem, quem ipse secretò benè informet, secumque (si habeat) alium testem producat, qui apud illum Superiorẽ cum ipso testificetur de innocentia rei. Si non habeat alium testem, ipse solus assumet personam testis super innocentia accusati, quando viderit hoc posse prodesse. Supremus verò iudex ab eo iudice inferiore benè informatus dicat, se ex causis sibi cognitis nolle istum reum adiudicare morti, vel mutilationi, pœnamque (si videbitur expedire) suprema sua authoritate relaxet. Præterea toto tẽpore, quo negotium istud agitatur, ardentes ad Deum preces tam iudex quàm reus fundant pro auxilio

auxilio, & ſi profuturum videatur, iudex affirmet ſe certò ſcire quòd reus ſit innocens, & quòd teſtes falſum deponant. Si, inquam, videatur profuturum; alioquin contra teſtes nihil dicat, ne difficultatem creet ſibi nocituram, & reo nihil profuturam. Verùm ſi poſtquam omnes vias tentauerit ad innocentem liberandum, & nihil profecerit, deponat officium potiùs, quàm eum condemnet, etiam cum periculo vitæ. Ita Doctores citati, qui hanc doctrinam extendunt etiam ad miniſtrum iuſtitiæ, & dicunt non poſſe mandare executioni ſententiam mortis, quam certò nouit eſſe iniquam. Sicut enim intrinſecè malum eſt te iubere occidi eum, quem ſcis innocentem, ita malum eſt te hæc iuſſa exequi, quod confirmatur, quia ſubditus qui certò nouit bellum eſſe iniquum, non poteſt inſcribi, & militare (quod eſt ſententiam Principis contra hoſtes exequi) etiam ſi Princeps iubeat: ergo ſimiliter ſi ſciat certò hunc iniquè damnatum, non poteſt ſententiam exequi. Secùs autem ſi non eſſet moraliter certus de innocentia, vel iniqua damnatione, tunc enim debet credere potiùs Superiori, quàm ſibi. Ita Leſſius *num.* 83.

Sed quid ego ſentiam in præſenti quæſtione, exponam breuiter. Dico igitur, quòd ſi iudici adhibitis ſupradictis diligentijs magnum damnum & incommodum obueniret ex depoſitione officij, non tenetur illud deponere, ſed ſequendo primam ſententiam, condemnare poteſt reum ex publica notitia talem repertum. vide Filliucium *to.2.tract.* 48.*cap.6.num.*171. & alios.

RESOL. XXIII. *An liceat occidere innocentem ad poſtulationem inimici, qui minatur vrbi excidium, niſi talis interimatur.*

DIgladiantur Doctores in hac quæſtione, vt videre eſt apud Turrianum *in* 2.2.*tom.*2.*diſp.*26. *dub.*1.*num.*8. Leſſium *lib.*2.*cap.*9.*dub.*7. Azorium *tom.* 3.*lib.*2.*cap.*1.*q.*21. Malderum *in* 2.2.*tract.*3.*cap.*1.*dub.* 20. Sotum *lib.*5.*q.*6.*art.*7. Valentiam, Bannes, Aragon & Salonium, *in* 2.2.*D.Th.q.*64.*art.*6. Lorca *in* 2.2. *D.Thom.ſect.*3.*diſput.*28.*memb.*3. *n.*47. Becanum *in* 2.2.*tom.*2.*de Iuſt.q.*10.*de homicidio.* Ego autem paucis me expediam.

Dico igitur primò. Poteſt eiuſmodi innocens, imò tenetur, ſemetipſum tradere tyranno id poſtulanti pro ſalute patriæ, quæ alia ratione ſalua eſſe non poſſit, non ſolùm quia tenetur quiſque pro bono communi Reipublicę etiam temporali mortem oppetere, ſed etiam, quia aliàs hoc ipſo talis incipit eſſe pernicioſus ciuis, & cauſa moralis interitus ipſius Reipublicæ.

Dico ſecundò. Hoc ipſum etiam ei à Republica præcipi, imò ad hoc cogi poteſt, adeoque ſi obtemperare nolit, vel inuitus tyranno tradi, quia Reſpublica ad quoduis debitum & ſibi neceſſarium virtutis officium cogere poteſt ſubditum ciuem.

Dico tertiò. Poteſt talis, ſi contumaciter reſiſtat, etiam ab ipſa Republica occidi. Ita Bannes *loco tit.* quia talis reuera non eſt ampliùs innocens, ſed maximè nocens. Et hæc omnia docet Tannerus *tom.*3. *diſput.*4.*quæſt.*8.*dub.*4.*num.*54. & 55. quæ licet ab aliquibus non approbentur, & præſertim dictum tertium, tamen mihi probabiliſſimum videtur, quod etiam docet Filliucius *tom.*2.*tract.*28.*c.*1.*n.*11. *in fine.* quidquid in contrarium aſſerat Bonacina *de Contract.diſp.*2.*q.vlt.ſect.*1.*punct.*7.*num.*1. & Molina *tom.*4.*tract.*3.*diſp.*10.*num.*1. cum alijs, quia in tali caſu ille non eſt ampliùs innocens, vt dictum eſt, ſed nocens. ergo, &c.

RESOL. XXIV. *An liceat ſine peccato occidere bannitum extra territorium proſcribentis?*

NEgatiuè reſpondet Filliucius *tom.*2. *tract.*28.*c.* 2.*n.*24. Bonacina *vbi infrà n.*2. Emanuel Sà *ver. Homicidium, n.*10. Layman *lib.*3.*ſect.*5.*tract.*3.*cap.*2.*n* 3. Homobonus *in reſponſ.caſ.conſcient.tom.*1.*part.*2.*reſp.* 118. Reginald. *tom.*2. *lib.*21. *cap.*2. *num.*18. Azorius *tom.*3.*lib.*2.*cap.*2.*q.*3. & alij, quia cùm ſit extra iuriſdictionem proſcribentis, non extenditur ad illum eius poteſtas, niſi adeſſet licentia expreſſa, vel tacita, vel rationabiliter præſumpta alterius Principis, in cuius iuriſdictione moratur bannitus. Et niſi reus eſſet bannitus à Summo Pontifice, qui cùm habeat iuriſdictionem illimitatam, & per vniuerſum Orbem, poteſt mandare occiſionem hominis à ſe proſcripti in alieno territorio.

Non deſinam tamen hîc adnotare, aliquos DD. aſſerere, licitum eſſe occidere bannitum extra proſcribentis territorium. & ita abſolutè docet Lactantius Finellius *de caſ.reſer.caſ.*4.*num.*41. & Graffius *part.*2.*lib.*2.*cap.*62.*num.*57. Megalius verò *var. reſol.tom.*1.*reſol.*60.*num.*5. aliquos etiam enumerat caſus, in quibus extra territorium bannitos licet occidere.

Sed an liceat proponere præmium occidenti bannitum? Sotus *de Iuſt. lib.*5.*q.*1.*art.*3. & Bonacina *de contract.diſp.*2.*q.vlt.ſect.*1.*punct.*2.*n.*3. non admodum probant hunc morem: ſed quidquid ipſi dubitant, alij omnes approbant. vide Filliucium, Homobonum, Azorium *vbi ſuprà num.*25. Megalium *reſol.*59.*per totam*, & alios; non eſt tamen facilè hæc facultas concedenda.

Et tandem pro coronide huius reſolutionis illud cum Molina *de Iuſtit.tom.*4.*tract.*3.*diſp.*7.*num.*1. admonuerim *in l.*1.*C.quando liceat vnicuique ſine iudice*, &c. videri concedi interficere graſſatorem, qui vias publicas tenet, quoniam id in defenſionem ſuam & aliorum, quibus ille mortem & alia damna parat, licere cuique videtur, & in iuſtam vindictam videtur ibi publica auctoritate concedi.

RESOL. XXV. *An liceat occidere bannitum proditoriè, & per inſidias?*

MEnochius *de arbitr. lib.*9.*q.*90.*num.*49. Bonacina *de contract.diſput.*2.*quæſt. vlt.ſect.*1.*punct.*2. *num.*3. Homobonus *in conſult.caſ.conſcien.tom.*1.*part.* 2.*reſponſ.*118. & alij in negatiuam ſententiam inclinant propter periculum damnationis, cui frequenter exponitur bannitus ſi occidatur in eo ſtatu proditoriè. hoc etiam tenent Doctores, quos citat Iul. Clarus *in praxi crim.lib.*5. §.*Homicidium, num.*61. & eius additionator *littera M M M.*

Sed ego contrariam ſententiam teneo cum Molina

Molina *de Iuſt. tom.4.tract.3.diſp.7.num.1.* Filliucio *tom.2.tract.28.cap.2.num.25.* Azorio *tom.3.lib.2.cap.2. q.3.* & alijs, quoniam ſua culpa ceſſare à peccatis nõ vult, maiorque ratio habenda eſt boni publici, quã particularis illius, qui ſibi proſpicere poteſt, & non vult. vide etiam Megalium *tom.1.reſol.59.n.7.* Hinc patet, proſcriptos poſſe ſe ipſos inuicem etiam proditoriè & per inſidias occidere, propter præmium à Principe, vel ob promiſſam ſibi libertatam, ſic enim expedit communi bono.

Nota tamen, quòd licet, iuxta ſententiam Bartoli, Gomez & aliorum, liceat filio occidere patrẽ bannitum; mihi verò magis placet opinio Iulij Clari & Bonacinæ *locis citatis*, aſſerentium, non licere, non enim filius in tali caſu amittit obligationem naturalem, qua tenetur erga patrem.

RESOL. XXVI. *His diebus Angli cum triremibus Tunetanis dimicantes ignem pulueri iniecerunt, ſeq; in mari commiſerunt, magno triremium damno: quæſierunt tunc à me, an hoc facere licitum foret Chriſtianis?*

AFfirmatiuè videtur reſpondendum ex Syluio *in 2.2.q.64.art.5.ad 4.* Marchantio *in reſol.paſtor ad Decal. cap.5.q.8.caſ.4.* & Leſſio *in lib.2. cap.9. dub.6.num.34.* vbi ſic ait. Excuſari poſſunt noſtri milites & ſocij nauales, qui ſæpe fortiſſimè cum hæreticis prælio nauali dimicantes, cùm iam vident nauim in poteſtatem hoſtium venturam, communi conſenſu ignem pulueri iniiciunt, & ſe mari cõmittunt, ne ipſi & nauis veniant in hoſtium poteſtatem; non enim intendunt ſui interitus, ſed ne hoſtis naui cum publico damno potiatur, & vt ſe ipſos ſi qua ratione poſſint, morti certiſſimæ ab hoſte inferendæ eripiant. Ita ille, & poſt illum Malderus *in 2.2.tract.3.cap.1.dub.19.* ſic aſſerens. Quando nauis ab hoſte eſſet occupanda, & qui inſunt occidendi, poſſunt ei ignem inijcere, & ipſi in mare deſilire, cenſebuntur enim non tam ſibi inferre, quàm fugere mortem.

Sed his non obſtantibus, ad caſum propoſitum negatiuè ego reſpondi, quia DD. citati ſupponunt, milites eſſe neceſſariò occidendos ab hoſtibus, quod in noſtro caſu non accidit, imò contrarium moraliter certum eſt. nam barbari illi prædantur, vt poſtea captiuos vendant, vel ſe ipſos redimant. Adde, quòd Iacobus Gordonus *in Theol.moral.tom. 1.lib.5.q.4.cap.1.§.2.num.4.* abſolutè dubitat de iſto caſu, an ſit licitus? & Syluius *vbi ſuprà*, docet eſſe illicitum, ſi in naui manerent; quia id eſſet directè velle ſe occidere.

RESOL. XXVII. *An quis teneatur ſub mortali non bibere aquam, vel vinum niue refrigeratum, quia exinde præuident Medici quòd citiùs moriatur?*

AD hoc dubium negatiuè reſpondet Martinus Bonacina in editionibus nouiſſ. *tom.2. de controuerſ. diſp.2.q. vlt. ſect.1. punct.7. num.9.* vbi ſic ait. Nonnulli Doctores, quibus adhæret Rodriquez *de perfectione ſtatus religioſi*, eos à mortali excuſant, qui niuem ad tollendum vini calorem adhibent, etiamſi inde præuideant fore vt citiùs pereant. hæc enim videtur leuis & indirecta cooperatio ad mortem. Ita ille. vide *infrà*.

RESOL. XXVIII. *An liceat exponere propriam vitam pro conſeruanda amici vita?*

PRima opinio negat. Ita Durandus *in 4.diſp.17.q. 6.* Richardus *diſt.15.art.2.q.5.* Gabriel *diſtinct.16. q.3 art.1.not.4.* Paludanus *diſtinct.15.quæſt.3.art.2.concluſ.3.* Bellarm. *de bonis operibus lib.3.cap 8.tom.3.* aſſerentes de his, quæ ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria ſunt, non licere eleemoſynam facere extremè indigenti. Vnde D. Auguſt. *lib.de Mendacio, cap.6.* ſic ait. Si quis vitam corporalem pro vita corporali amici perdat, non diligit proximum ſicut ſe ipſum, ſed pluſquam ſe ipſum, quod doctrinæ regulam excedit. Et ratio eſt, quia, vt docet Scotus *in 3.diſt. 29.in arg. ad oppoſitum.* menſura eſt perfectior menſurato, ſed dilectio ſui eſt menſura dilectionis proximi, iuxta illud Matth.22. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Ergo nemo poteſt ponere vitam ſuam pro amico, quia poneret perfectius pro imperfectiori, quod repugnat rectę rationi. Et ita hanc ſententiam mordicus ſuſtinet doctus Hurtado de Mendoza *in 2.2.diſp.144.ſect.4.§.42.* vbi ſtatuit, peccatum eſſe, aliquem mortem obire pro vita temporaria hominis priuati ſibi æqualis.

Secunda ſententia affirmat. Ita Azorius *tom.3. lib.2.cap.3.q.2.* Sotus *de Iuſt.lib.5.q.1.art.6.* Victoria *relect.de Homicidio num.25.* Corduba *lib.1 q.38.ad 4.* & alij. quia non eſt contra ordinem charitatis, ponere vitam corporis pro amico: nam ordo charitatis exigit, vt bona gratiæ vel virtutis priùs velimus nobis, quàm proximo; non tamen exigit, vt cætera bona, nimirum vel vitæ corporalis, vel famæ, vel honoris, vel bonorum temporalium priùs velimus nobis, quàm alteri proximo.

Tertia opinio diſtinguit. Ita Faber *de reſtit.in 4. ſent. diſt.15.q 3.diſp.52.cap.1.num.41.* vbi ſic ait. Ego in hac re diſtinguendum puto, quòd cùm quæritur, an quis licitè poſſit ponere vitam pro amico & bonis ſuis, hoc poteſt contingere duobus modis. Vno modo præcisè accipiendo vitam corporalem proximi, & bona eius externa præcisè, & tunc eſt dicendum non licere, quia ſic ageretur contra ordinem charitatis, & regula eius tranſgrederetur, quod nulli dubium eſt eſſe malum & illicitum, & hoc modo concludunt rationes pro ſecunda ſententia. Alio modo poteſt conſiderari vita proximi corporalis, & alia eius bona externa ſimul cum aliqua virtute, pro qua ſeruanda ſimul cum corpore & bonis proximi vita corporalis exponitur, vt pro ſeruanda iuſtitia ſimul cum corporali vita proximi, nimirum, quia videt quis proximum iniuſtè interfici, & lædi in bonis, vel pro ſeruanda pietate: vt cùm quis videt patrem ſubire periculum mortis, & filius ſe exponit periculo mortis, vt patrem à morte tueatur. Et denique cùm quis nititur ſaluare vitam corporalem proximi & bonorum, eſt actus pietatis, vt ait Scotus *in 3.diſtinct.30.§.quantum ad hoc, in fine.* Vnde pium eſt laborare pro vita corporali proximi ſaluanda, quia ſupponendum eſt, quòd ſi eſt bonus, erit melior, & valebit ſibi & alijs ſua bonitas; & ſi eſt malus, ſupponendum eſt quòd corrigetur, hoc enim eſt piè iudicare, ſcilicet interpretari ſemper melius, quando non eſt oppoſitum

mani-

manifestum. Cùm ergo pietas sit virtus, qui laborat pro seruanda vita corporali proximi, laborat simul pro virtute seruanda, & sic est licitum, & hoc modo concludunt rationes pro prima opinione, quæ est Soto & aliorum, in omnibus enim illis argumentis supponitur exponi vitam pro saluanda vita proximi simul cum aliqua virtute, saltem amicitia, quæ data quòd non sit virtus, est tamen virtuti coniuncta, vt proprietas, vel vt effectus eius, & sic conciliatur D. August. qui contraria dixisse videtur, ponere enim vitam pro amici vita temporali, sine aliqua virtute, videtur dementia. Ita Faber, & ante illum Valentia *tom. 3. disp. 3. q. 4. punct. 3.*

Quarta sententia est Petri Lorcę *in 2. 2. q. 26. art. 5. sect. 3. disp. 28. memb. 3. num. 55.* vbi sic asserit. Ego tamen, perspectis vtriusque sententiæ fundamentis, censeo hoc modo exponere vitam pro alio, quandoque esse opus egregiæ fortitudinis, & debitum: vt si exponatur pro Republica; quandoque esse laudabile, sed non debitum, vt si exponatur pro patre, aut pro amico, cum quo interueniat magna & honesta amicitia, sed quandoque etiam erit non laudabile, & inordinatũ, vt si exponatur pro quocumque alio homine. In quo casu mihi probabilius apparet esse imprudentem vitæ effusionem & prodigalitatem, quæ à culpa excusari non possit, multò potiùs quàm si quis omnes facultates suas ignoto homini daret, qui manifestè esset stultus & prodigus; & hoc modo interpretor sanctum Thomam pro prima sententia allegatum, qui solùm censet illicitam esse eleemosynam de necessario vitæ, quando subtrahatur sibi, vel suis æquè indigentibus, nihil autem dicit, quando subtrahatur sibi vt detur suis. Itaque solùm cõparauit se, & suos ex vna parte cum extraneis, inter se autem & suos non fecit comparationem. Permittit ergo opinari fas esse subtrahere sibi vt detur suis, non tamen sibi, vel suis vt detur extraneis; inter suos autem verus amicus computari potest. Hæc Lorca.

Sed quia secunda sententia affirmatiua satis est probabilis, ex illa infero licere homini constituto in naufragio dimittere tabulam in qua potest euadere, vt alter eam apprehendat & saluetur, vt infrà fusiùs dicetur.

Eodem modo fatentur hominem constitutum in extrema necessitate posse relinquere cibum vnicum, & necessarium, vt alter eodem modo indigens eum sumat; & pari ratione censetur licitum occurrere hostibus, vel bestiæ furenti, vt interdum amicus euadat. Sic etiam licet non se defendere occidendo inuasorẽ, quamuis possit. Idem dicendum est, qui in bello equum habet, posse alteri tradere ad fugam capessendam. Idem in itinere per media frigora, & niues vestem suam alteri præbere, & sic in similibus. vide Bouium *part. 2. lib. 12. cap. 4. q. 4.*

Resol. XXIX. *An liceat exponere propriam vitam pro alio inferiori bono amici, vt pro honore, vel facultatibus?*

AD hoc dubium ita respondet Lorca *in 2. 2. D. Th. sect. 3. disp. 28. memb. 3. num. 60.* Duobus modis potest exponi vita periculo certo, & absque occasionis spe. Vno modo negligendo medium quo conseruari possit. Alio modo offerendo se euidenti mortis occasioni, vt obiiciendo se hosti paratò ad interficiendum. Dico primò, priori modo licet negligere vitam pro honore, vel facultatibus amici. v. g. si ego occidendus sim nisi amicus aliquid agat, quod in magnũ eius dedecus vergit, vel nisi magnam partem suarũ facultatum expendat, possũ pati mortem ne ille hæc detrimenta incurrat.

Dico secundò, non licet obiicere se morti euidenti pro defensione honoris, aut facultatis alterius, v. g. si latrones diripiant alicuius domum, & si me illis obiiciam occidendum, interim impediri poterit furtum, non existimo honestã causam subeundi mortem. Et idem omnino censeo de expositione vitæ pro proprio honore, vel facultatibus. Nam quamuis fas sit non vti medio ad vitæ conseruationẽ, quod sine ignominia, vel magnis sumptibus exequi non possum, non tamen licebit opponere me interficiendum vt honor, vel substantia conseruetur. Differentia autem inter vtrumque casum inde constat, quia plus agit contra propriã vitam, & manifestiùs eligit mortem, & præfert bona illa, pro quibus moritur, propriæ vitæ, qui ita se obiicit morti, quàm qui non curat difficilia media, quibus eam conseruet. Et ideò primus censetur vitam pro honore commutare, & ex intentione perdere, secundus præcisè non conseruare. Et hæc omnia docet Lorca *loco cit.*

Sed Sotus, ornamentum Dominicanæ familiæ, *de Iustitia, lib. 5. quæst. 1. art. 6.* affirmatiuam sententiam absolutè docet, quia sicut licitum est pro defensione proprij honoris, aut facultatum vitam exponere; ita licitum erit etiam pro bonis & honore amici.

Resol. XXX. *An aliqui ex ignorantia inuincibili excusentur ab homicidio suiipsius?*

NEgatiuè respondet Caiet. *in 2. 2. q. 124. art. 5.* Verùm mihi placet affirmatiua sententia, quam tuetur Sotus *de Iust. lib. 5. q. 1. art. 5. in fine.* Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 6. num. 23.* Becanus *in 2. 2. de Iust. & iure, q. 11. de Homicidio, concl. 1.* Malderus *in 2. 2. tract. 3. cap. 1. dub. 17.* Filliucius *tom. 2. tract. 29. cap. 4. num. 67.* & Molina *de Iust. tom. 4. tract. 3. disp. 9. num. 5.* vbi sic ait. Quando quod de iure est naturali occultam, subtilem, minimeque facilè peruiam habet rationem, in id cadere potest ignorantia inuincibilis, quicquid alij in contrarium dicant, maximè quando id æstimatoribus huius mundi virtutis actus laude & honore dignus communiter reputatur. Neque est improbabile ignorantiam excusasse à culpa lethali actum, quo Lucretia se ipsam interfecit, similesque alios actus ab Ethnicis hominibus perpetratos. Ita Molina. Igitur dicendum est, quòd quamuis homicidium sit contra lumen naturæ secundarium, hoc est, contra conclusiones deductas ex principiis notis lumine naturali, tamen potest cadere ignorantia in eiusmodi veritate, præsertim in aliquo casu, v. g. ad vitandam ignominiam, vel seruandam castitatem.

Resol. XXXI. *An ſaltem ſi non licet occidere directè ſe ipſum, liceat tamen propriæ morti cooperari, aut eius periculum ſubire?*

CAſus eſt frequentiſſimus: dico igitur quòd etſi non liceat directè ſe ipſum occidere, licitum tamen eſt, ſi iuſta cauſa adſit, aliquid facere, vel omittere, vnde certò mortem ſecuturam conſtat. Poteſt hoc explicari multis caſibus. Primò, miles poteſt, & tenetur non deſerere ſtationem in periculo communi, etſi certus ſit ſe occidendum. Secundò, reus poteſt non fugere ex carcere, quamuis certò ſciat ſe morte plectendum, vt multi Martyres fecerunt. Imò poteſt malefactor zelo iuſtitiæ & exempli publici ſe offerre iudici puniendum, vt docet Petr. Nauar. *lib. 2. c. 3. n. 73.* quia ob iuſtam cauſam poteſt aliquis deſiderare mortem, & eam procurare legitimo modo ſicut alteri, ita & ſibi. Tertiò, condemnatus ad mortem per famem poteſt abſtinere à cibo clanculum allato, vt docet Henricus *quodlib. 5. quæſt. 31.* & infrà videbimus, quod mirum eſt negari ab Aragon. & Victoria, cùm doceant reum teneri bibere venenum ſi ad hoc condemnetur, qui enim haurit venenum, poſitiuè ſibi infert aliquid directè interimens, qui autem non comedit, nihil ſibi infert, ſed permittit calore interno vitam abſumi. Quartò, poteſt ſe quis obiicere telo ad conſeruandam vitam Principis, & etiam ad conſeruandam vitam amici. Imò ſi amicus ſit condemnatus ad mortem, poteſt ſe pro illo occidendū offerre, vt inquit Toletus. Quod intellige, ſi iniuſtè ſit condemnatus, ſi enim iuſtè, alliceret alterum ad peccatum. Quintò, potes ſeruire infectis peſte, etſi putes te moriturum. Sextò, potes iniicere ignem in puluerem tormentarium ad euertendā turrim hoſtilem, etſi certum ſit momento te diſſipandum, neque enim tu te interficis propriè, ſed ignis impetus, vel ruina turris, quibus te ob iuſtiſſimam cauſam exponis, non ſecus ac is, qui ſe obiicit telo, vt corpus Principis ſaluet. Et hæc omnia docet Becanus *de Iuſt. & iure, in 2. 2. D. Thom. q. 11. de Homicidio, concl. 2.* & ante illum Leſſius *lib. 2. cap. 9. dub. 6. n. 26.* & Malderus *in 2. 2. tract. 3. cap. 1. dub. 19.* & Molfeſius *in ſum. tom. 1. tract. 11. cap. 19. n. 156.*

Sed aliqui non admittunt multos ex ſupradictis caſibus, & ideò Philippus Faber *de reſtitut. in 4. ſentent. diſt. 15. q. 3. diſp. 52. cap. 1. num. 46.* ita aſſerit. Idem dicendum ad dubium de eo, qui damnatus eſt ad mortem, & commodè abſque vlla vi, & detrimento alterius poteſt fugere, ſi enim non fugit, directè ſe occidit, quia auxiliatur quodammodo miniſtris iuſtitiæ in ſua interfectione, qui autem præbet auxilium alteri ad occidendum aliquem directè, præſumitur occidere: qui autem iuſtè damnatus eſt ad mortem, non poteſt licitè auxiliari carnifici ad ſuam mortem, ſed ſolùm tolerare patienter. Dictū eſt enim ſuprà ſecundùm omnes, quòd nemo poteſt ſe directè occidere, etiam pro vitando peccato mortali, & proinde multò minùs poteſt quis directè auxiliari miniſtris ſuæ mortis, vt iuſta ſententia habeat locum. Quod verò adducunt Soto, Azorius & alij, licere Martyri non fugere ex carcere pro bono fidei & religionis, nihil obeſt. Primò, quia eſt generalis regula quòd nemo debet dare alteri occaſionem martyrij, & proinde Dominus in Euangelio *Matth. 5.* dicebat, *ſi vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* ideò ſi poteſt commodè & ſine ſcandalo fugere, tenetur. Secundò, quia ſi Martyr non fugiat, non intendit directè non fugere vt mortem ſubeat, ſed vt confeſſionem Chriſti publicè faciat, & proinde facit quod debet, quòd ſi alius iniuſtè agat, dando ſibi mortem, hoc non debet Martyri imputari, qui ei nullam licitam occaſionem dat talis mortis. Qui autem non fugit ex carcere, vt iuſta ſententia mortis contra ſe ipſum habeat locū, directè vult mortem ſuam, quod eſt illicitum. Similiter quod ait Soto *eodem loco*, ſceleroſum ſuorum criminum cōſcium ſcientem prætorem venire ad capiendum ſe, licitè poſſe illum expectare, atque in aperto carcere ſine vllis vinculis mortem expectare, quam meretur, falſum videtur; etenim ſi poteſt commodè fugere, & vitare mortem, omnes iudicabunt ſtultitiam & vitium eſſe expectare prætorem & mortem. Nam licet ſit ſceleroſus, non debet pro pœna ſuorum criminum velle pœnam mortis publicam, ſed ſolùm pœnitentiam coram Deo agere, & vitam corporalem propriam directè conſeruare. Denique hæc regula generalis ſemper eſt ſeruanda, ne quis voluntariè directè velit mortem, quia hoc eſt homicidium voluntarium. Huc vſque Faber *loco citato.*

Sed circa præſentem quæſtionem ne deſeras videre Baldellum *in Theol. Mor. lib. 5. diſp. 44. à n. 3. vſque ad num. 7.* Salas *de Legibus diſp. 15. ſect. 7. à n. 85.* & Vaſquez *in p. 2. diſp. 173. cap. 3. & 4.*

Resol. XXXII. *An aliquando licitum ſit ſe mutilare?*

REſpondeo affirmatiuè, quando ſalus totius corporis abſciſſionem requirit, neque contra Sotum *de Iuſt. lib. 5. q. 2. art. 1.* Sayrum *in Claui Regia, lib. 7. cap. 9. num. 167.* Salon. Aragon, & alios, diſcrimen hîc facio, an illa dependētia ſalutis totius corporis à membri detruncatione ex naturali cauſa proueniat, puta quia cancer membrum inuaſit, aut vipera momordit, an ex violentia & voluntate alterius, aut alia cauſa extrinſeca, puta quia tyrannus te occidet, niſi manum tibi amputes, nam etiam tunc licere exiſtimo cum Petro Nauarra *de reſtit. lib. 2. cap. 3. num. 98.* Maldero *in 2. 2. tract. 3. cap. 1. dub. 20.* Molfeſio *in ſum. tom. 1. tract. 11. cap. 19. num. 168.* & aliis. Imò ego etiam puto cum Petro Hurtado de Mendoza *de ſpe & charitate, tom. 2. diſp. 170. ſect. 5. §. 126.* in tali caſu ſi, v. g. Antonius non poſſit ſe ſecare, aut non audet, poſſes ex eius conſenſu illum ſecare, quia quod Antonius poteſt licitè in ſe facere ad vitandam mortem, poſſum ego facere ex eius conſenſu.

Notandum eſt tamen hominem teneri permittere ſibi membrum ſecari, ſi Medici id iudicent neceſſarium, nec magni dolores ſint perferendi, ſi tamen ingentes eſſent cruciatus tolerādi, vt in depoſitione tibiæ, &c. non tenetur permittere, neque poteſt ad hoc cogi, etiāſi eſſet Religioſus, & Superior id ei præciperet, & ratio eſt, quia nemo tenetur

cum

cum tanto cruciatu vitam ſuam ſeruare. Ita Sotus & Malderus *vbi ſuprà*, quibus adde Syluium *in* 2.2. *q.*65.*art.*1.*concl.*2.Azorium *tom.*3.*lib.*2. *cap.*3.*q.* 12.& Leſſium *lib.*2.*cap.*9 *dub.*14. *n.* 96. qui excipit vnum caſum, niſi vita alicuius cenſeatur bono communi neceſſaria, tunc enim ob bonum commune tenetur, & poſſet cogi à Republica : quod docet etiam ex multis Molfeſius *loco cit.num.*170.

Sed hîc oritur illa quæſtio, an Carthuſiani teneantur in periculo mortis abſtinere ab eſu carnium? Vaſquez *in part.*2.*D.Thom.diſp.*162.Granado *in part.* 2.*contr.*7.*tract.*3.*part.*1.*diſp.*8.*ſect.*5 *n.*27. contendunt legem & conſuetudinem Carthuſianorum eos ſimpliciter obligare, ita vt non poſſint etiam in articulo mortis veſci carnibus; quia ſcilicet ſpectat ad magnum & publicum illius Religionis ſpirituale bonum, vt tanto rigore illa obſeruantia vigeat. poteſt autem lex humana ob commune bonum, quando opus eſt, obligare etiam cum diſpendio vitæ. Fatetur autem non peccare Medicum, aut alium, qui Carthuſiano ægrotanti & inſcio præberet cibos ex carnibus.

Verùm ego puto Carthuſianos ſecluſo ſcandalo & contemptu poſſe in tali caſu veſci carnibus, etiam ſi habeant alios cibos, non tamen teneri. Ita Victoria *relect.de temperantia,num.*8. Lorca *in part.*2. *diſp.* 23. *de leg.ad* 4. *exemplum.* Monteſinus *tom.* 2. *in p.*2.*diſp* 23.*q.*10.*num.*177.

Et tandem pro coronide huius reſolutionis nota quòd probabiliter quoque licet ligato propriam manum, vel pedem, etſi ſanum, abſcindere, vt per fugam imminentem mortem euadat. Ita Sotus, Toletus, Salon. Bannes, Aragon, Valentia; licet aliqui negent. Imò probabiliter etiam non ligato, ſi alter violenter mortem minitetur, niſi id facias, ſicut etiam eruere vnum oculum, ne tibi alter duos eruat, vt docet Tolet. & ſequitur Leſſius; licet Sotus, Bannes, Aragon, & Salon. negent. Certè quidem ſi illud licet, cur hæc non etiam licita ſint, non video; vt etiam rectè dixit Sà *ver. homicidium.* Ratio generalis eſt, quia homini vt cuſtodi, & gubernatori ſuorum membrorum, licet de iis diſponere provt rati & ſalus totius, ad quod ordinantur, poſtulant. Et hæc omnia docet Tannerus *tom.* 3. *in* 2.2.*diſp.*4.*quæſt.*8.*dub.*5.*num.*100.

RESOL. XXXIII. *An liceat vigiliis, pœnitentiis, &c. vitam ipſam abbreuiare?*

HAnc quæſtionem tractant omnes Doctores citati, ſed mihi viſum eſt hîc apponere verba Iacobi Granado *in* 2.2.*D.Thom.contr.*3.*tract.*6.*diſp.*2. *ſect.*3.*nu.*12.vbi ſic ait. Huius loci eſt indagare an, & quando contra charitatem ſit vitam ipſam abbreuiare laboribus, vigiliis, pœnitentiis, aut etiam aliis exercitiis. Qua in re nihil certiùs affirmari poteſt, quàm id arbitrio prudentis definiendum eſſe, cùm enim homo ex vna parte non ſit dominus ſuę vitæ, peccare grauiter poteſt, nimis eam abbreuiando, cùm id perinde ſit, ac partem vitæ ſibi auferre; ex altera verò cùm ſit veluti adminiſtrator, poteſt eam exercere, & veluti atterere, præſertim cũ conditus ſit ad promerendum gloriam, qui finis multa exigit, non ita accommodata ad vitam protrahendam. Res ſanè non eſt ſcrupulosè accipienda, præſertim ab iis, qui ob diuinum obſequium, & ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis valde corpus affligunt, ratò enim, aut potiùs numquam damnandus eſſet, tamquam culpæ mortalis reus, qui propterea vitam valdè abbreuiaret. Et quidem Victoria ait, licet Medicus dicat fore vt vita alicuius protrahatur ad decem annos, ſi vinum bibat, poſſe nihilominùs à vino abſtinere, & alij dicunt non eſſe illicitum pœnitentiis affligi, licet propterea vitæ duodecim annos amiſſurus ſis. Et idem Victoria ait, licet ægrotus, de cuius ſalute deſperatur, poſſet aliquot dies pharmaco pretioſo protrahere vitam, non teneri illud emere, & alibi nullum teneri quærere ciuitatem ſalubriorem.

Dices, ſi homo, cui vna tantùm dies vitæ ſupereſt, ſe ipſum occideret, peccaret lethaliter. ergo potiori iure cenſebitur graue peccatum ita affligere corpus, vt vita abbreuietur per aliquot annos. Patet conſequentia, quia plus temporis vitæ auferetur hoc modo. Reſpondetur conceſſo antecedente negando conſequentiam, cuius probatio non vrget. nam malitia occiſionis non conſiſtit in eo, quòd vna, vel plures dies vitæ auferantur, ſed in modo auferendi, ille enim qui iam proximus morti auferret diem vitæ, quæ illi ſupererat, foret abſolutè occiſor ſui, ille autem qui paulatim abbreuiat vitam, non eſt ſui occiſor, ſed veluti adminiſtrator & gubernator ſuæ vitæ; ad gubernationem autem pertinet ita ſe gerere, vt vel magis, vel minùs viuat, præſertimque non poteſt non eſſe laudabile in obſequio diuino, quod ſæpe conſiſtit in rebus vitæ contrariis eam imminuere, aut coarctare, pro quo facit, quòd cùm tempus vitæ noſtræ incertũ ſit, & fortaſſe illi, qui nunc agit annos adoleſcentiæ, & robuſtiſſimus eſt, exiguum tempus ſuperſit, non eſt cenſendus ſibi inimicus, aut contra rationem agens, ſi vt carnem ſpiritui ſubiiciat, ſe exerceat in operibus quæ alioqui minùs accõmodata videntur vitæ conſeruationi. Hæc omnia Granado. Sed in hoc optimũ conſilium erit, nihil facere ſine conſilio prudentis Confeſſarij, & Superioris.

RESOL. XXXIV. *An qui inuaditur, poſſit ſe tueri cum periculo mortis alicuius innocentis?*

NEgatiuè reſponpet Samuel de Lublino *in ſummula caſuum, ver. Bellum, n.*3. vbi ſic ait. Qui de exercitu equo fugit inimicum, & videt puerum, aut quemuis hominem in via iacentem, quem neceſſe eſt conculcare, aut ſi fugiens gradum ſiſtat in manus inimici venire, non licebit eum conculcare, & occidere, ne ipſe fugiens occidatur. Ratio eſt, quia puer iacens in via, vel dormiens, eſt iuſtus poſſeſſor viæ, locique communis, in quo iacet, ſicut ille fugiens. Ergo iniuſtè alius ſcienter & actu directo eum proterit, vel occidit.

Nec licet occidere innocentẽ in caſu, quo aggreſſor te inuadat, & occidere minetur, quem tu volens occidere non poſſes, niſi ſimul quemdam interimas, à cuius tergo aggreſſor ſemper exiſtit, vt eo veluti quodam ſcuto ſe defendat, & nihilominus te de medio tollere affectet. Ita ille, & ante illum Sayrus *in Claui Regia, lib.*7. *cap.*12.*num.*17. &

ex parte Petrus Nauarrus *de reſtit. lib. 2. cap. 3. nu.* 135. & Turrianus *in 2. 2. tom. 2. diſp. 26. dub. 2. n. 28.*

Sed ego puto in his caſibus poſſe inuaſum occidere innocentem, ſi aliter vitam ſuam defendere non poſſit. Et quoad primum caſum ita docet Corduba *lib. 1. q. 38. dub. 2.* & Leſſius *lib. 2. cap 9. dub. 9. num 59.* & ratio eſt, nam iſte ius habet ad fugam via publica, quo iure non poteſt priuari in tanto diſcrimine ratione infantis, vel claudi, ibi fortè cõſtituti, ſicut ſi fugienti amens quiſpiam, vel ebrius ſe obiiceret, non teneretur cum certo vitæ periculo aliò deflectere; ſufficit igitur in tali caſu vt eam circumſpectionem adhibeat, quam pro tempore & loco poteſt ne noceat, quòd ſi læſio, vel mors ſequuta fuerit, non cenſebitur ab ipſo intenta, ſed ſolùm permiſſa. nam vtitur iure ſuo extremè ſibi neceſſario ea circumſpectione, qua poteſt. Si tamen infans ſine Baptiſmo eſſet moriturus, eo euentu lege charitatis teneretur potiùs ſe permittere occidi.

Quoad ſecundum caſum, etiam affirmatiuam ſententiam teneo cum Maldero *in 2. 2. D. Th. tract. 3. c. 1. dub. 12.* vbi ſic ait. Si inuaſor tibi obiiciat innocentem tamquam clypeum ſuum, vt poſt eum latitans impunè te interimat, & fugere non poſſis, non teneris mortem ſubire, ſed potes inuaſori & innocenti inferre cum moderamine te defendendo. Ita ille, Rodriquez *in ſumma tom. 1. cap. 220. num. 7.* & alij.

Non deſinam etiam hîc adnotare id quod docet Molina *tract. 3. diſp. 30. num. 9.* & Baldellus *tom. 1. lib. 3. diſp. 26. n. 13.* quòd ſi quis aggrediatur aliquem iniuſtè, & alius ſe interponat, vt rixam diuidat, & ille ad fugiendum ictum rixantis protegat ſe retro hunc mediatorem, & ſic ille ictum excipiat, & moriatur, nullam culpam committeret, dummodo ille non fuerit author rixæ, nec moderamen exceſſerit, nec mediatorem per vim oppoſuerit ad ictum excipiendum, ſed tota culpa & pœna eſt referenda in alterum, qui inuaſit.

RESOL. XXXV. *An ſit licitum occidere obſides, quando aduerſarij non ſtant promiſſis?*

AFfirmatiuè reſpondet Azorius *tom. 3. lib. 2. c. 7. q. 16.* vbi ſic ait. Quæritur an licitum ſit occidere obſides, ſi hoſtes fidem fregerint? Reſpondeo eſſe licitum, nam ea conditione dantur obſides, vt hoſtes fidem ſeruent, item quia aliter pax & ſecuritas ex bello haberi non poſſet: item quia aliter hoſtes ſemel deuicti in officio contineri non poſſent. Ita ille.

Non deſinam tamen hîc adnotare Bonacinã *de contr. diſp. 2. q. vlt. ſect. 1. punct. 7. n. 2.* contrariũ docere, ſic enim aſſerit. Patet neque licitũ eſſe occidere obſides innocentes, licet qui eos miſerunt, nõ ſtent promiſſis. Ratio eſt, quia intrinſecè malum eſt occidere directè innocentem. Hæc ille, qui pro hac ſententia citat Victoriam & Leſſium; qui quidem de hoc caſu in particulari nihil agunt, ſolùm ibi aſſerunt innocentes non eſſe occidendos, quod Azorius non negat; difficultas eſt an in tali caſu qui occidunt obſides, dicantur innocentes occidere, & hoc probare debebat Bonaçina.

RESOL. XXXVI. *An liceat pro defenſione pudicitiæ occidere inuaſorem?*

VIdetur dubitare D. Augu. *lib. 1. de libero arbitrio, c. 5.* vt obſeruat Tannerus *tom. 3. diſp. 4. q. 8. dub. 4. n. 68.* Sed ipſe meritò cum communi DD. ſententia affirmatiuè reſpondet, quia, vt ait præſertim Syluius *in 2. 2. D. Thom. q. 64. art. 7. quæritur 9. concl. 1.* ſic occidens vim vi repellit in re magni momenti; cũ pudicitia, ſecundùm ſe magis æſtimetur, quàm multæ opes, præterquam quòd in ipſius violatione magnum ſit peccati periculum, ne is qui vim patitur ob delectationem maximam tali actui coniunctam ad aliquem in eam conſenſum pertrahatur. Addunt aliqui poſſe illum, qui vi opprimeretur, ab alio iuuari, & ipſius adiutorem non peccaturum, etiam ſi occideret aggreſſorem ſeruato omni moderamine, quia iure naturæ licet iuuare innocentẽ vim & iniuriam patientem. Si tamen illa cuius pudicitia tentatur nollet iuuari, ſed in violationem conſentiret, priuatus quiſpiam nõ poſſet pro ipſius defenſione occidere violatorem, cùm enim illa conſentiret, non pateretur iniuriam.

Sed non deſinam hîc etiam apponere verba Rodriquez *in ſum. tom. 1. cap. 220. num. 14.* vbi ſic ait. [Por defenſion de la caſtidad licito es matar al que acomete, aſſi lo tienen Corduba, y Mercado. Verdad es, que la muger acometida eſtà obligada a reſiſtir por otra via; porque no reſiſtiendo ſino con mucha tibieza, y floxedad, ilicito le es à matar al acometedor, porque aunque peque, no peca contra juſticia, pues ella conſiente, no reſiſtiendo como deue. Y Pedro de Nauarra añade que ſi eſta muger calla, y no reſiſte, porque teme que reſiſtiẽdo, lo que es ſecreto, ſe harà publico, aborreciendo con todo eſto la carnalidad, le ſerà licito à matar el acometedor. Lo qual tengo pro muy probable, porque aunque por conſeruar ſu fama, conſientan en lo exterior en lo acto, empero en lo interior ſe le haze gran violencia por ella lo aborrecer, y por cauſa deſta violencia ſe puede defender. De aqui ſe infiere, que puede vn hombre matar a otro, aunque ſea clerigo o frayle, acometiendole con el peccado nefando, no ſe pudiendo defender de otra manera.] Sic ille.

RESOL. XXXVII. *An ſi iudex deſit, poſſit quis intrare in locum, vbi rem furatam in pacifica poſſeſſione fur conſtituit, & illum occidere cum moderamine, &c.*

REſpondeo affirmatiuè cum Tannero *tom. 3. diſp. 4. q. 8. dub 4. n. 82.* vbi ſic ait. Si iudex deſit, poteſt ſpoliatus locum, in quo res depoſita eſt, ingredi, eamque ſibi vendicare, & ſi prohibeatur vim vi repellere. Ita ille, & ante illum Leſſius *lib. 2. cap. 9. dub. 11. n. 75.* vbi ita aſſerit. Si re certo loco depoſita volentem ingredi in eum locum vi impedias, tunc videtur conceſſum vt vim vi repellam, meamque rem recuperem; ſi tamen deſit iudex cuius ope id poſſum conſequi. Hæc Leſſius, & ita etiam hanc ſententiam docet Malderus *in 2. 2. tract. 3. cap. 1. dub. 13. §. dico ſextò.*

RESOL.

RESOL. XXXVIII. *An licitum ſit ſumere venenum vt experiatur virtus theriacæ?*

AD hunc caſum ita reſpondet Malderus *in* 2. 2. *tr.*3 *c.*1.*dub.*19. Non licet ſumere venenũ vt experiaris theriacam, niſi euidẽs neceſſitas fuerit capiendi eiuſmodi experimenta, aut ſatis certus fueris non ſubire in eo periculũ, quod quia moraliter vix cõtingit, verius ſimpliciter Lopez negat. Ita ille.

Sed non deſinam hic apponere verba Rodriquez *in ſum. tom.*1.*cap.* 221.*num.*3. vbi ſic ait. [No es pecado mortal tomar vno veneno o cõſentir que le muerda vna vibora para experimentar la virtud de la triaca, y eſto concurriendo eſtas condiciones. La primera que el que la compone ſe tenga por hombre que lo ſabe bien hazer. La ſegunda que ſe prueue primero ſu virtud en vn bruto, y que el que la toma crea ſer buena, y que no ſe pone à peligro. Aſſi lo tiene Nauarro, porque ſi eſtà en duda, ſi ſe pone à peligro, ilicito es tomarle.] Sic ille.

RESOL. XXXIX. *An damnatus vt veneno pereat, poſſit illud haurire?*

AFfirmatiuè reſpondet Victoria *relect. de homicidio.n.*30.*ad arg.*6. Aragon *in* 2.2. *D.Thom.q.*69. *art.* 4. & Corduba *lib.*1.*q.*36. Etenim, ait Victoria, ſicut ſunt alia ſupplicia decreta contra nocentes, quare non poſſet id inſtitui, vt veneno tolleretur, quòd ſic illud ſupplicium poteſt eſſe iuſtum, cùm aliter illa pœna irrogari non poteſt, niſi vt illud venenum epoter, nihil videtur quòd non liceat ei haurire venenum, ſicut licet damnato ad ſupplicium aſcendere ſcalas, & ei qui damnatus eſt gladio parare iugulum, neque enim vnus magis cooperatur morti ſuæ quàm alius. Ita ille.

Sed aduersùs illum inſurgit Comitolus *in reſp. mor. lib.*4.*q.*10.*nu.*6. vbi ſic aſſerit. Ex quo intelligi poteſt abſurdè opinatũ eſſe Victoriam iuſtè reum ab iudice hoc mortis genere multari poſſe, vt epoto veneno ſe ipſum perimat, errat vehementer Victoria, id enim eſſet ſe ipſum occidere, perinde ac ſe pugione perfoderet. Itaque D. Thom. *in* 2. 2. *quæſt.*69. *artic.*4. apertè ſcribit, neminem à iudice condemnari poſſe, vt ſibi mortem inferat, ſed vt mortem patiatur. Hæc ille. Et ante illum Sotus *de iuſtit. lib.*5.*q.*6.*artic. vltim.* Petrus Nauarra *de reſtit. lib.* 2. *cap.*3.*n.*81. Et ratio eſt, quia veneni ſumptio ideo homini lege naturæ interdicta eſt, quia eſt occiſio ſui ipſius, atque illam deformitatem non exuit cogente alio homine, aut iubente, ſicuti nec ſciſſio ventris, aut alia ſimilis ſua occiſio. ergo nullo caſu licebit venenum ſumere.

Notandum eſt tamẽ in tali caſu reum non peccare ſi ad hoc coactus permittat vt ſibi venenum applicetur merè paſſiuè ſe gerendo. Ita Malderus *in* 2. 2. *tract.*3 *c.*1.*dub.*18. & poſſe in tali caſu reum os aperire vt venenum infundatur, docet Leſſius *lib.* 2. *c.*9 *dub.*6. *n.*25. quod tamen negat Syluius *in* 2. 2. *q.*69. *art.*4. *quæritur* 4. vbi tenet reum debere quamdiu in poteſtate ſua eſt, in ventrem non traiicere venenũ à miniſtro iuſtitiæ in os miſſum. Sed Azorius *p.*3. *lib.*2. *c.*3. *q.* 10. putat eſſe licitum haurire venenum ſibi à miniſtro iuſtitiæ miniſtratum.

RESOL. XL. *An ſi reus dum iam carnifex funem collo appoſuit, poſſit ſe ex ſcala præcipitem dare?*

DE hoc caſu olim interrogatus fui, & negatiuè reſpondi, quia hęc actio eſſet occiſio ſuipſius, ideo non à reo, ſed à carnifice facienda eſt, & ita docet Syluius *in* 2. 2. *D. Thom. q.*69. *art.*4. *quæritur* 4. vbi ſic ait. Obſeruandum eſt actiones mortem violentam præcedentes eſſe duplicis generis. Quædã ex ſe ſunt cauſatiuæ mortis, veluti ſe præcipitem dare, ſeu ex patibulo proiicere cum fune collum ſtringente, item venenum mortiferum haurire, & venam tunc aperire, quando non eſt permiſſio ad eam ſtatim occludendam, vt proinde totus ſanguis ſit emittendus. Aliæ actiones non ſunt ex ſe cauſatiuæ mortis, ſed diſpoſitiones ad eam vel ſimpliciter, vel faciliùs patiendam, vt aſcendere ſcalam patibuli, aut collum extendere; quæ ſunt prioris generis, iudex non poteſt condemnare reũ vt eas faciat, quia non poteſt condemnare vt ſe interficiat. Ad eas autem quæ ſunt poſterioris generis, poteſt ipſum condemnare, & generaliter condemnare illum poteſt, vt faciat eas omnes quæ non poſſunt commodè fieri à carnifice, modò non ſint illicitæ. Hæc Syluius.

RESOL. XLI. *An condemnatus ad mortem per famen poſſit abſtinere à cibo clanculum oblato?*

NEgatiuè ex neotericis reſpõdet Philippus Faber *de reſtit. in* 4. *ſent. diſt.*15.*q.*3.*diſp.*52.*cap.*1.*n.*46. vbi ſic ait. Dicendum eſt eum, qui iuſtè condemnatus ſit vt fame moriatur, ſi ſibi cibus ſubminiſtretur, teneri ad comedendum, quia ſi nollet cõedere, etiam ea intentione, vt locum haberet iuſta ſententia, peccaret, quia directè ſe occideret. Deinde etſi teneatur ſubire mortem iuſtè inflictã à iudice, non tamen debet ipſe ſibi illam infligere, ſed tolerare à miniſtris iuſtitiæ illam ſibi infligi. Ita ille, quod docuerat antè Couarr. *lib.*1.*var. c.*2.*n.*10. Caietan. *in* 2.2.*q.*69.*art.*4. & videtur ita ſentire Caſtrus *lib.*2.*de lege pœnali, cap.* 8. & Corduba *lib.*1.*q.*36. & omnium Magiſter S. Doctor *in* 2.2.*q.*69.*art.*4. *ad* 2. quem citat & ſequitur Comitolus *in reſp. moral. lib.*4.*q.*10.*num.*6.

Verùm contrariam ſententiam tenent docti neoterici, vt Malderus *in* 2.2.*tract.*3 *c.*1.*dub.*19. Azorius *p.*3 *lib.*2.*c.*3.*q.*6. Leſſius *l.*2.*c.*9.*dub.*6. *n.*29. Sotus *lib.*5.*de iuſt.q.*6.*art.*4. & alij. & ratio eſt, quia qui nõ comedit poſitiuè, nihil ſibi infert ad mortem, ſed ſolùm permittit calore interno vitam abſumi; itaque ſolùm non conſeruat vitam, & hoc vt faciat, ſatis grauem cauſam habet, nempe vt ſe iuſtæ ſententiæ conformet. Et ex veteribus hanc opinionem docuit Ioan. Maior *in* 4. *diſt.*15. *q.*22. & Henricus *quodlib.*5.*quæſt.*31.

RESOL. XLII. *An in mari tabulam à te occupatam poſſis alteri concedere?*

NEgatiuam ſententiam docet Sotus *lib.*5. *de iuſt. q.*1.*art.*6. Vega *in ſum. tom.*1.*c.*127.*caſ.*7. & Rodriquez *in ſum. to.*1.*c.*221.*n.*6. vbi ſic ait, [Si alguno eſtà pueſto en vna tabla en la mitad del mar, no es licito ſalirſe della, para que otro ſe ponga en ella,

y ſe ſalue, mas ſino eſtà metido en ella, ſino que la tiene para aquella neceſſidad, puede la dexar a otro, aunque ſepa que de alli ciertamente le ha de ſucceder la muerte, porque en eſte caſo ſolamente es vna cauſa negatiua reſpeto de ſu muerte. Eſta ſentencia es de Soto, y quiere dezir, que no es licito ſalir de la tabla eſtando metido en ella, porque eſto es matarſe poſitiuamente; mas es licito no tomarla teniendola delante los ojos, porque es ſolo auerſe negatiuamente, y no cooperar de ſu parte para ſu muerte. Lo qual es licito para hazer bien à ſu proximo, principalmente ſi es perſona a la qual deue mucho, y ſi eſta razon penetrara Nauarro no ſe apartara de la opinion de Soto.] Sic ille.

Sed probabiliter dicendum eſt contra Rodriquez, Petrum Nauarra *de reſtit. lib. 2. c. 3. n. 66. & 67.* à Soti ſententia diſceſſiſſe, & affirmatiuam ſententiam in caſu propoſito docuiſſe, quam præter illum tuetur etiam Malderus *in 2. 2. tract. 3. cap. 1. dub. 19.* Leſſius *lib. 2. cap. 9. dub. 6. n. 21.* Azorius *tom. 3. lib. 2. c. 3. q. 5.* & ſapientiſſimus Victoria *relect. de homicidio, n. 26. ad 5. arg.* vbi ſic ait. Credo quòd in iſto caſu ſeruus poſſit relinquere tabulam certum mortis, & non ſolùm pro Rege hoc eſſet laudabile, ſed pro quocumque etiam amico & proximo. Sic ille. & ratio eſt, quia hoc facere non eſt directè ſe occidere, ſed non tueri ſe cùm poſſit, nam ſi eſſet directè ſe occidere, numquam eſſet licitum id facere pro alio: at prima opinio fatetur id eſſe licitum pro Rege, Duce, aut alia perſona, maximè vtili Reipublicæ. Ergo reuera non eſt directè ſe occidere, ſed ſolùm non tueri ſe cùm poſſit: at non tueri nos cùm poſſumus, licitum eſt nobis, quando id fieret propter bonum amici. ergo, &c.

Notandum eſt tamen hîc cum Leſſio pro praxi, quòd qui prior tabulam occupauit in naufragio, non tenetur alterum admittere in dicta tabula, ſed poſſe illum impedire ne aſcendat, niſi vtrique ſufficiat. & ſi ſimul illam occuparunt ſorte dirimendũ, niſi alter alteri, vt dictum eſt, ſponte cedere velit.

RESOL. XLIII. *Quæ pœnitentia iniungenda ſit à Confeſſario ei, qui hominem necaſſet.*

AD hoc dubium ita reſpondet Comitolus *in reſponſ. moral. lib. 4. q. 11. n. 8.* Hæc, meo quidem animo, ſalutaris eſſet, vt interfecti propinquis ſupplicem ſe abiiceret, delictíque veniam deprecaretur, vt iiſdem illata damna ſarciret, vt pro ſalute occiſi ſingulis hebdomadis per annum integrum vnum ſaltem ſacrificium, ſi tantum ei ſit in bonis, fieri curet, vt ſingulis item hebdomadis eleemoſynam aliquam pro illius anima totum annum largiatur egentibus, vt per eundem annum aut litanias, ſi legendi gnarus ſit, aut ſi ignarus Beatiſſimæ Virginis Orarium, ſeu coronam quotidie flexis genibus recitet; vt octauo quoque die per annum ſacramento Pœnitentiæ ſua peccata expiet, & ſingulis menſibus Euchariſtiam ſumat; vt in omni vita quotidie ſemel orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam pronuntiet, terram genibus tangens pro anima occiſi. Ita Comitolus. Vide etiam Homobonum *de caſib. reſeru. p. 2. caſ. 3.*

RESOL. XLIV. *An ſi aliquis occidat inuaſorem, excedens moderamen iuſtæ tutelæ, teneatur ad reſtitutionem?*

CLarum eſt non teneri ad vllam reſtitutionem ſi quis occidat inuaſorem cum moderamine iuſtæ tutelæ ad tuendam vitam, libertatem, honorem, diuitias, &c. vel ſuas, vel proximorum innocentium, de quibus caſibus ſuprà ſatis dictum eſt. Difficultas oritur quando in dictis caſibus non fuiſſet ſeruatum moderamen iuſtæ tutelæ? & affirmatiuam ſententiã ex Nauarro docet Rodriquez *in ſum. tom. 1. c. 122. n. 1.* Vaſq. *opuſc. de reſtit. c. 2. §. 3. dub. 4.* Petrus Nauarra *de reſtit. lib. 4. c. 1. n. 92.* Sanchez *in opuſc. to. 1. lib. 1. c. 4. dub. 9. n. 3.* Fauſtus *de reſtit. diſp. 2. q. 10. n. 4.* Turrianus *in 2. 2. to. 2. diſp. 28. dub. 4.* Becanus *in 2. 2. D. Thom. de iuſt. & iure, q. 9. de reſtit. concl. 2.* vbi ſit ait. Qui inuaditur ab altero ſine prouocatione, ſi iuſtam moderationem notabiliter excedat, ita vt mortaliter peccet occidendo ſuum inuaſorem, tenetur integrè damna compenſare. Ratio eſt, quia qui ita occidit, facit alteri iniuriam, & eſt cauſa totius damni, ſicut is, qui dolo, vel lata culpa eſt alteri cauſa damni. Dices, qui alterum iniuſtè aggreditur, aperta vi, vel ex inſidiis occidit, maiorem infert iniuriam, quàm qui aggreſſus & rei indignitate commotus occidit aggreſſorem. ergo ad maiorem tenetur reſtitutionem. ergo ſi hic integrè, alter non integrè tenetur compenſare, & ita ſentit Angelus *ver. reſtitutio, 1. §. homicidia,* & quidam alij. Reſpondeo negando conſequentiam, quia quantitas reſtitutionis non debet æſtimari ex quantitate iniuriæ, ſed ex quantitate damni per iniuriam mortiferam illati; itaque cùm hîc interuenerit iniuria quæ ſit peccatũ mortale, damnum integrè reſarciendũ eſt. Contrarium fit in pœna, quę reſpõdet iniuriæ, non damno. Vnde vbi fuit maior iniuria, maior quoq; pœna eſt irroganda. Ita Becanus.

Sed hæc opinio mihi non placet, & illam reprobat Strouersdorf *de iuſt. & iure in 2. 2. D. Thom. q. 68. diſp. vnic. memb. 2. concl. 5.* & Syluius *in 2. 2. q. 62. art. 2. quæritur 3.* Cœleſtinus *in comp. Theol. mor. tr. 10. c. 3. n. 3.* Comitolus *in reſp. lib. 4. q. 11. n. 6.* Dico igitur quòd ſi quis quantumcumque iniuſtè inuaſus occidendo, vel percutiendo excedat moderamen inculpatæ tutelæ, ad reſtitutionem tenetur pro ratione exceſſus: ſi enim per leuem inaduertentiam, vel aliam venialem culpam exceſſit modũ defenſionis, quod præſumendum erit, quando non ex voluntate occidit, ſed animo defendendi ſe, vel ſua, præſertim in defenſione vitæ propriæ, cuius amittendæ timor ſtrenuum quemque perturbare ſolet, tunc leuis quoque reſtitutio iniungenda erit culpæ proportionata, v. g. vt preces, ac ſacrificia aliqua pro occiſo offerri faciat, vel alia ſimilia. Quòd ſi maior exceſſus interuenit, maior erit reſtitutio exhibenda, iuxta prudentis arbitrium, vt ſi fortè per culpã Theologicam mortalem craſſæ inaduertentiæ hominem occidiſſet, nõ ſeruato moderamine, maior quidem, non tamen integra reſtitutio facienda erit, ac ſi prudens & ſciens occideret, quamuis contradicat Nauarr. *cap. 15. n. 27.* & Lopius *1. p. c. 72. §. antepenultimo,* contra Sylueſtrum *vbi ſuprà,* & Sotum

tum à Lopio citatum. Ratio est, quia ea restitutio non debetur nisi ex culpa iniustæ acceptionis, quanto ergo minor fuerit culpa, tanto minor debet esse restitutio, quæ si per crassam inaduertentiam eueniat, sub duplo minor esse fortè debebit, quàm si debita opera contingat. Et hæc omnia docet Rebell. *de oblig. iust. part. 2. lib. 3 quæst. 12. num. 7.* Et hanc opinionem probabilem putat Lessius *lib. 2. cap. 9 dub. 21. num. 135.*

Non desinam hîc obiter adnotare quòd etiam in casu nostro Fernand. *in exam. Theol. mor. p. 1. c. 14. §. 1. n. 7.* ex Perez docet duplo minorem esse imponendam restitutionem illa, quæ imponitur ei, qui dedita opera occidit, quia duplo minor culpa.

RESOL. XLV. *An si quis occidat inuasorem rerum suarum, etiamsi recuperare eas iudicialiter posset, teneatur ad restitutionem?*

AFfirmatiuè respondet Petrus Nauarra *de restit. lib. 2. cap. 3. nu. 413.* vbi sic ait. Ex quibus infero quòd si ablatum esset recuperabile per iudicem, non liceret occidere, tunc enim cùm reuera non sit res amittenda, iniustè occideret. Ita ille, & ante illum Bartolus *in l. furem, ff. de sicariis*, & Sylvest. *ver. excommun. 6. not. 4. cas. 9. §. ista enim intelligi*, vide etiam Comitolum *in resp. lib. 4. q. 10. n. 17.* & Homobonum *de cas. reseru. part. 2. cap 3.*

Secunda sententia est Caietani affirmantis *in 2. 2. q. 64. art. 7.* quòd etiam si res recuperari possint, potest aggressus vti iure suo defendendi, & inuasorem occidere.

Tertia opinio distinguit. Vnde Fernandez *in exam. Theol. moral p. 1. c. 14. §. 1. n. 13.* sic ait. Dico igitur cùm facilis erit recuperatio per iudicem, illicitum est raptorem occidere. Ita Sot. *5. iust. q. 1. art. 8.* cum plurimis Theologis & Iuristis, quos refert. Illicitum, inquam, contra charitatem, quæ iubet leue damnum pati pro euitando maiori, aut saltem maximo proximi: sed leue damnum est, breui tempore carere rebus suis, maximum verò malum vitæ orbitas; ergo ex charitate tenetur quis carere breui spatio suis rebus, vt deuitet alterius occisionem. Illicitum etiam est contra iustitiam, quia nemini ex officio licet inferre grauissimum damnum proximo pro euitando leui suo, alioqui pro teruncio liceret raptorem occidere.

Dico secundò. Cùm difficillima speraretur ablatarum rerum recuperatio per iudicē, tunc si aliter quàm occidendo non posset quis sua comparare, liceret occidere furem. Ita Fernandez & Malderus *in 2. 2. tr. 3. c. 1. dub. 13. §. dico quintò.*

Omnes istæ tres sententiæ sunt probabiles, sed ego secundæ Caietani magis adhæreo, quam etiam tenet Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 11. num. 71.* & Rebellius *p. 2. l. 3. q. 12. n. 10.* vbi docet non peccare cōtra iustitiam, ac proinde non teneri ad restitutionem si quis occiderit inuasorem rerum suarum, etiamsi eas iudicialiter, si illum non occideret, postea posset recuperare. Et ratio est, quia inuasor nullum ius iustitiæ habet vt domino inuito res suas accipiat, sed iniustè eas inuadit. Ergo iustè eas defendere quis posset etiam cum detrimento ipsius inuasoris.

RESOL. XLVI. *Quando ex homicidio casuali incurratur obligatio restitutionis.*

REm hanc clarè, breuiter, & doctè, vt semper solet, explicat Lessius *de iust. lib. 2. cap. 9. dub. 15.* vbi sic ait. Primò quando causa non erat efficax, ita vt ex ea non soleat vtplurimum talis effectus sequi, sed aliunde, nempe ex eo quod per accidens coniungitur, vt si alicui inflixisti vulnus non lethale, sed mors sequuta est, vel malitia, aut negligentia Medici, vel ex iniuria infirmi, hęc occisio censebitur tibi fortuita, vnde non eris reus homicidij, nec teneberis ad restitutionem vt homicida, sed solùm vt vulnerans; secus tamen si eo loco non erant Medici, & læsus debitam diligentiam adhibuit, tali enim loco, & tēpore vulnus illud censebitur lethale. Secundò si dans operam non solùm rei licitæ, sed etiam illicitæ, adhibuisse sufficientem cautionem, ne inde aliquid incommodi sequeretur, tunc enim etiamsi fortè sequuta sit mors alicuius, non tibi imputanda est, quia nec in se, nec in causa talis mors est volita. Nec obstat quòd causa fuerit periculosa, ac proinde mors illa videtur volita in causa, quia diligentia antea adhibita absterserit omne periculum, & ideo in tali casu nulla adest culpa homicidij, vel obligatio restitutionis. Hinc infertur Clericos, chirurgos, & venatores si casu interficiant homines post adhibitam in venatione & curatione infirmi debitam diligentiam, non teneri aliquid restituere, non enim peccarunt peccato iniustitiæ & homicidij; ergo non tenentur ad restitutionem.

Idem dicendum est secundùm Lessium de occisore mariti, qui inuadit adulterum, vt infrà videbimus. Et hæc doctrina applicanda est etiam conuiciatori, qui alterum cōuicio incitauit ad se inuadendum, & illum postea occidit, cùm moderamine tamen inculpatę tutelæ; nam non tenebitur aliquid restituere. Etenim conuicium non est via ad occisionem læsi, sed potiùs conuiciatoris; quicquid in contrarium asserat Nauarrus *in man. c. 15. nu. 7.* qui malè pro se citat Caietanum; nam ibi Caietanus loquitur de eo, qui dat operam rei illicitæ, quę natura sua tendit ad occisionem. ergo, &c. Ita Lessius *vbi suprà dub. 21. n. 137.* cui adde Petrum Nauar. *de rest. lib. 2. cap. 3. n. 262.* & Becanum *in 2. 2. D. Thom. q. 9. de restit. concl. 4.*

Sed ex supradictis oritur difficultas, ex quánam culpa, hoc est, ex quánam negligentia non adhibita in supradictis casibus homicidij casualis oriatur obligatio restitutionis? Respondeo cum Azorio *p. 3. lib. 5. c. 3. q. 9.* & Lessio *lib. 2. c. 9. dub. 17. num. 115.* ex culpa & negligentia lata, non leuissima, vel leui; verùm an in dicto casu restitutio sit mitiùs facienda, quàm si homicidium ex industria fuisset admissum? negatiuè respondet Azorius *q. 8.* & Nauar. *in man. c. 15. n. 27.* at affirmatiuam sententiam tenet Sylvester *ver. restit. 3. quæst. 2.* & Angelus *eodem ver. 1.* asserentes restitutionem in tali casu non in integrum, sed ex parte, arbitrio boni & ptudentis viri faciendam esse.

RESOL. XLVII. *An ſi adulter occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ maritum inuaſorem, teneatur ad aliquam reſtitutionem?*

NEgatiuè reſpondet Leſſius *l. 2. cap. 9. dub. n. 137.* quia habuit ius ſe defendendi, & occiſus non habuit ius eum inuadendi.

Rebellius verò *de obligatione iuſt. p. 1. lib. 3. q. 12. n. 6.* affirmatiuam ſententiam tenet, quia licet adulter non peccauerit peccato homicidij, quia tamen cauſam efficacem per iniuriam dedit aggreſſori, ex qua ſubſecutum fuit occiſionis damnum, tenetur illud compenſare non in quantum ex homicidio, ſed quatenus ex iniuſta prouocatione profectum fuit.

Sed Henricus Strouersdorf *de iuſt. & iure, in 2. 2. D. Thom. q. 68. diſp. vnic. num. 2. concl. 6.* conatur has duas pugnantes ſententias concordare, ſic enim ait. Videntur, meo iudicio, hæ duæ ſententiæ facilè poſſe conciliari, ſi quis dicat adulterum illum, quem ſuppono priuata auctoritate ab altero inuadi, debere priùs alias vias quærere cauendi damnum, v.g fugiendo, vt dicit Rebellius, vel petendo veniam, vel offerendo ſatisfactionem, quæ niſi faciat, obligari illum ad reſtitutionem, etiam fortè tanquam homicidam, eo quòd in hoc caſu latam culpam committat, & excedat modum iuſtæ defenſionis, præſertim cùm ipſe tam grauem cauſam inuaſionis dederit. Si verò his omnibus fruſtrà tentatis adhuc alter perſiſtat, & inſtet priuata auctoritate, poteſt inuaſus moderatè ſe defendendo alterum occidere, nec tenebitur ad reſtitutionem, eo quòd vſus ſit iure ſuo, & ab altero contra ius ſit inuaſus, & tunc iſta occiſio ſe habebit tanquam per accidens, & mediante alterius malitia proueniens, occaſione operis iniurioſi, proinde ac ſi quis ſe ipſum occideret præ impatientia, eo quòd ego eius domum ſuccenderim, non ero homicida, iſta enim ſuccenſio eſt contra charitatem tantùm, non verò contra iuſtitiam reſpectu occiſionis per accidens ex ea prouenientis. Ita Strouersdorff *vbi ſuprà.*

Verùm mihi abſolutè ſententia Leſſij magis placet, quia talis occiſio non eſt culpabilis in defenſione, vt ſuppono; neque eſt culpabilis in cauſa, adulterium enim eſt cauſa remota, & occaſio dumtaxat, nec eſt via ad occiſionem mariti, ſed potiùs adulteri, nam rariùs mors mariti ex adulterio ſequitur, ſed potiùs mors adulteri. ergo, &c. Et ita hanc ſententiam docet etiam Megalius *in part. 2. lib. 3. cap. 1. quæſt. 1. n. 10.*

RESOL. XLVIII. *An ſi inuaſus poſſit fugere, & occidit aggreſſorem, teneatur ad reſtitutionem?*

AFfirmatiuè reſpondet Rebellius *p. 1. lib. 3. q. 12. n. 6.* vbi ſic ait. Teneretur nihilominus fugere laicus etiam nobilis, ſi aggreſſori præbuiſſet vehementem occaſionem aggreſſionis per magnam iniuriam, Ita ille, cum aliis.

Verùm mihi contraria ſententia magis placet, quam tuetur Leſſius *l. 2. c. 9. dub. 21. n. 136.* Molina *de iuſt. tom. 4. tract. 3. diſp. 8.* & Becanus *in 2. 2. D. Th. q. 62. de reſtit. q. 9. concl. 3.* vbi ſic ait. Qui inuaſus ab altero poteſt fugere, vel aliter declinare, etſi id non faciat, ſed debita moderatione ſe, vel ſua defendens occidat inuaſorem, nō tenetur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia non peccauit contra iuſtitiam, ſed contra charitatem, non enim ex iuſtitia tenebatur fugere, vel à via declinare. Confirmatur, quia nemo ex ſua malitia, qua vult alterum inuadere, acquirit ius in illum, quo illum obliget ad fugam, ita vt niſi fugiat, vel patiatur ſe interfici, cenſeatur ipſi facere iniuriam, ſed ſolùm tenetur fugere ex charitate, ſi ſine honoris diſpendio poſſit. Ita Becanus.

Nec valet dicere cum Rebellio, quòd præbuit vehementem occaſionem aggreſſori per contumelias, vel alios modos grauiter iniurioſos. nam reſpondeo cum Fauſto *in ſpecul. Confeſſ. diſp. 25. q. 10. num. 2.* & aliis, quòd licet inuaſor habuerit occaſionem aggrediendi, iniuſtitiam tamen, & peccatum committit in aggreſſione, & licet inuaſus peccauerit in occaſione, quam dedit inuaſori, nihilominus poſtea iuſtè defendit ſe ab eo. ergo ſi eum occidat, non facit ei iniuriam, ac proinde non peccat contra iuſtitiam, & ideo ad nullam reſtitutionem tenetur, ſed ſe habet illud homicidium tanquam per accidens, & mediante alterius malitia proueniens occaſione iniuriæ illatæ. Sed an hæc doctrina militet in Clericis, dicemus in ſequenti reſolutione.

RESOL. XLIX. *An Religioſus, vel Clericus nolens fugere ſi occidat inuaſorem, peccet contra iuſtitiam, ita vt teneatur reſtituere?*

PEccare contra iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem, docet Petrus Nauarra *de reſtit. lib. 2. cap. 3. num. 389.* In Clericis enim locum non habet defenſio honoris, cùm enim humilitatem, modeſtiam, ac manſuetudinem profiteantur, nullum eis dedecus accreſcit ex aliorum contumeliis, aut ex eo quòd fugiant, ſed potiùs gloria & bonum nomen, neque parui habentur, ſed magni potiùs; quod, vt dictum eſt, nō accidit in viro nobili ſeculari. ergo, &c. Et ita hanc ſententiam docet etiam Rodriquez *in ſum. tom. 1. c. 220. n. 13.* vbi ſic ait. [No es licito a los Clerigos herir o matar a los que los acometen por defender ſu honra, antes o deſpues que han recibido la injuria, aſſi lo tienen los autores alegados, afirmando que no ſolamente pecan contra la religion de ſu eſtado, mas aun contra la juſticia, y aſſi eſtan obligados à reſtitucion como verdaderos homicidas, porque en ellos no ay, ni milita la razon de la defenſion de la honra pues huyendo no la pierden, antes la ganan, ya que profeſſan humildad conforme ſu eſtado.] Sic ille.

Verùm non deſinam hîc adnotare Leſſium *l. 2. c. 9. dub. 12. n. 86.* docere ſupradictos in tali caſu peccare quidem contra charitatem, non autem contra iuſtitiam, atque ideo ad reſtitutionem non teneri, maximè ſi vita, vel fortunæ inuadantur; non enim ex iuſtitia tenetur fugere, & hæc bona talia ſunt, vt poſſit ea defendere. Idem dicendum ſi graues ictus baculi, vel pugni inferendi, quia vt hos auertat, poteſt ſe tueri. Ita Iulius Clar. *de homicidio, num. 32.* vbi generatim docet, inuaſum non teneri fugere, etiamſi poſſit, ſiue fuga ſit dedecori, ſiue non,

non, dicitque eſſe communem opinionem Iuriſperitorum, quod intellige non ita teneri vt peccet contra iuſtitiam, ſi ſe defendat. videtur tamen peccare contra iuſtitiam ſi ob leuem alapam vitandam occidat, quia res, quam defendit, magni momenti non cenſetur, ac proinde non videtur ei eſſe ius, cauſa illius retinendæ tantum malum irrogandi. Ita Leſſius *loco cit.* & poſt illum Tannerus *tom.* 3. *diſp.* 4. *q.* 8. *dub.* 4. *n.* 78. Hurtado de Mendoza *in* 2. 2. *vol.* 1. *diſp.* 17. *ſect.* 16. §. 135. *& ſect.* 21. §. 162. Becanus *de iuſt. in* 2. 2. D. *Thom. q.* 9. *de reſtit concl.* 3. vbi docent, quòd in noſtro caſu Eccleſiaſticus lege iuſtitiæ non tenetur magis, quàm ſecularis.

RESOL. L. *An ex occiſione facta in duello oriatur obligatio reſtitutionis?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Peregrinus *tract. de duello, q.* 39. *n.* 4. Megalius *in p.* 2. *lib.* 3. *c.* 1. *q.* 1. *n.* 13. Turrian. *in* 2. 2. D. *Thom. tom.* 2. *diſp.* 28. *dub.* 4. *num.* 12. Bonauentura Colonnenſis *in tract. de duello, cap.* 12. vbi ſic ait. Qui in duello lædit alterum, vel occidit, tenetur in foro conſcientiæ reſarcire læſo, vel filiis & hæredibus occiſi, quamcumque iacturam, quam illi ratione læſionis, & occiſionis perpeſſi ſunt. nam qui pugnat in duello, dat operam rei illicitæ, cùm duellum ſit prohibitum. ergo ſi ex duello ſequitur læſio, vel mors, qui lædit, tenetur reſarcire quaſcumque iacturas. nam danti operam rei illicitæ, quæ prohibita eſt ex præcepto iuſtitiæ, imputantur omnia quæ ſequuntur, etiam præter voluntatem ſuam. Ita ille, & ante illum docuit Molina *de iuſt. tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 82. *n.* 2. aſſerens, prouocatum ad duellum, ſi illud acceptet ſuum mundanum tueatur honorem, & inimicum occidat, teneri ad reſtitutionem. Et hanc ſententiam probabilem putat Homobon. *de caſ. reſ. p.* 2. *caſ.* 3.

Sed hæc opinio ita abſolutè prolata non placet; dico igitur quòd ſi quem ad duellum prouocaſti, & ſic prouocatum occidiſti non eris à reſtitutione excuſandus, quia inuoluntarius ad certamen deſcendiſſe cenſetur, ne apud mundanos vilis haberetur: ſi verò prouocantem prouocatus occidat, vel percutiat, quamuis lethaliter peccet, ad reſtitutionem non tenebitur, quia prouocando alterum inuitauit ad ſui occiſionem, ſi fortè alter ſuperior eſſet; ſcienti verò & volenti non fit iniuria. Quòd ſi ambo æquè vos ad duellum prouocaſtis, neuter alteri ad reſtitutionem teneretur, quia pactum implicitum intercedit tunc, vt nihil occiſo occiſor inde debeat. Et hæc omnia docet Rebellius *de oblig. iuſt. p.* 1. *lib.* 3. *q.* 12. *num.* 8. *&* 9. Villalobos *in ſum. tom.* 2. *tract.* 11. *diffi.* 24. *n.* 1. Syluius *in* 2. 2. D. *Th. q.* 62. *artic.* 2. *queritur* 3. *concl.* 5. Layman *lib.* 3. *ſect.* 3. *tract.* 3. *cap.* 6. *n.* 5. & nouiſſimè Cæleſtinus *in comp. Theol moral. tr.* 10. *c.* 3. *n.* 3. vbi tenet non adeſſe vllam reſtitutionis obligationem, quando occiſus prouocauit ad duellum, vide etiam Becanum *de iuſt. & iure, q.* 9. *de reſtit. concl.* 1. & Azorium *p.* 3. *lib.* 5. *cap.* 3. *q.* 7. Filliucium *tom.* 2. *tract.* 32. *c.* 8 *num.* 212. Leſſium *lib.* 2. *c.* 9. *dub.* 21. *n.* 133. Sanchez *in opuſc. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 4. *dub.* 10. Fernandez *in exam. p.* 1. *c.* 14. §. 1. *n.* 11. Bannez *de iuſt. q.* 62. *ar.* 2. *dub.* 5. Stouersdorff *de iuſt. & iure in* 2. 2. D. Th. *q.* 67. *diſp. vnic. mem.* 2. *concl.* 3. Tannerum *tom.* 3. *diſp.* 4. *q.* 6. *dub.* 4. *n.* 101. & Salon. *in* 2. 2. D. Th. *q.* 62. *ar.* 2. *contr.* 11. vnde non eſt audiendus Peregrinus & alij pro affirmatiua ſententia adducti.

RESOL. LI. *An quando quis aduertit ex ſuo homicidio ſecuturum damnum tertij, ſi reuera ſequatur, teneatur ad reſtitutionem?*

OCcidit quis, v.g. Ioannem, imponitur homicidium Petro, qui cum Ioanne inimicitiam habebat, capitur Petrus, & ad mortẽ damnatur, &c. quæritur, an in tali caſu verus homicida teneatur ad reſtitutionem hæredibus Petri? Reſpondeo quòd ſi nec ea intentione talis occidit Ioannem vt Petro inde damnum eueniret, nec aduertit euenturum, non cenſetur cauſa mortis, & ideo non tenetur ad reſtitutionem; ſed difficultas eſt, ſi aduertit damnum ſecuturum Petro? Probabilius videtur etiam contra Azorium *p.* 3. *lib.* 5. *c* 3. *q.* 10. ſi talis homicida putet inde damnum Petro obuenturum, non peccare peccato iniuriæ in tertium, ac proinde non teneri ad reſtitutionem, quia quando ex aliqua actione ſequitur damnum tertio, non ex natura actionis, vel vtplurimũ, ſed ex malitia, vel ignorantia aliorum, quæ ſe immiſcent, non cenſetur illa actio iniuriosa tertio, & quando damnum ſequitur ex opere, non natura operis, ſed per accidens, vt eſt in caſu de quo loquimur, non tenetur quis ex iuſtitia cauere, ne ſequatur, ſed ſolùm ex charitate. ergo non tenetur ad reſtitutionem. Hinc infertur vendentem catapultam alicui, qua malè vſurum putat, ſi cum illa aliquem poſtea is occidat, non tenetur ad reſtitutionem, quamuis peccet contra charitatem. Et hæc omnia docet Leſſius *lib.* 2. *cap* 9. *dub.* 16. *nu.* 110. 111. *&* 112. & Sanchez *in opuſc. tom.* 1. *l.* 1. *cap.* 4. *dub.* 5. *num.* 9.

Sed quid, v.g. ſi intendas vendendo illam catapultam vt ille inimicum tuum ea occidat? Laymã *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 3. *p.* 3. *c.* 6. *nu.* 3. Sotus *de iuſt. lib.* 4. *q* 6. *art.* 3. *ad* 4. *arg.* & Corduba *lib.* 1. *q.* 31. *art.* 3. in tali caſu affirmant tunc adeſſe obligationem reſtitutionis, cùm actus humani ex intentione ſpeciem accipiant. Sed Leſſ. *vbi ſuprà*, negat, adi illum, & non pigebit. Et ratio eſt, quia intentio non facit, vt opus ſit iniuſtum, & obliget ad reſtitutionem, niſi aliàs ex natura ſua, & circumſtantiis tale ſit. Vnde ex his multę difficultates ſolui poſſunt, videlicet quando peccetur contra iuſtitiam, an tantùm contra charitatem.

Notandum eſt hîc, quòd etiamſi aliqua actio talis ſit, vt ex ea plerumque damnum tertio ſequi ſoleat, ſi in ea actione iure tuo vtaris, non teneris ad reſtitutionem, quia qui vtitur iure ſuo, nemini facit iniuriam, quamuis poſſit peccare contra charitatem, ſi parum ipſius interſit eo vti, vt ſi venas aquarum per tuum prædium currentes, à quibus aqua in puteum vicini influebat, prætextu alicuius operis intercipias; aut ſi cloacam in prædium alienum aperias, & ſic in ſimilibus. Ita Leſſius *loco cit. num.* 114.

RESOL.

Resol. LII. *An si mancipium occidat aliquem absque domini culpa, adhuc dominus teneatur ad aliquam restitutionem?*

Videtur affirmatiuè respondendum, ex *l. si seruus ff. de noxalibus action.* & ex *c. si culpa, de iniuriis & damno dato.* Verùm ego puto cum Petro Nauarra *lib. 2. c. 1. n. 38.* & Lessio *lib. 2. c. 9. dub. 17. n. 119.* istas leges neque iure positiuo ante sententiam iudicis obligare in conscientia, quia videntur solùm pertinere ad forum externum, neque aliter vsu receptæ sunt. quæ omnia à fortiori procedunt in animalibus, quæ si aliquod damnum fecerunt absque domini culpa, non tenetur dominus ad damni restitutionem, nisi post iudicis sententiam, vt ipsemet Lessius docet *nu. 119.* & Malderus *in 2. 2. tract. 3. cap. 2. dub. 5.* vbi etiam notat dominum posse abscondere animal, aut seruum, ne capiatur ante sententiam.

Resol. LIII. *Quid teneatur restituere homicida, vel mutilator?*

Certum est teneri primò ad impensas in curatione morbi siue vulneris. Secundò ad omnia damna ex nece sequuta. Tertiò ad lucrum cessans. Sed primò hîc est difficultas, an homicida teneatur restituere integrum lucrum? & affirmatiuè respondet gl. *in c. 1. de iniuriis, ver. operas,* & *ibi* Panormitanus *n. 5.* glos. *in l. ex hac ff. si quadrup. paup.* Graffius *in decis. lib. 2. c. 66. num. 2.* Gomez *lib. 3. variar. c. 6. nu. 9.* Ioannes Maior *in 4. dist. 15. q. 9. dub. vltimo.* Nauarr. *in Manuali, c. 15. n. 26.* & alij.

Verùm contraria sententia tenenda est. Dico igitur quòd homicida non tenetur integrum lucrum restituere, quia lucrum in spe, quod multis modis impediri potest, non valet tantum, quantū lucrum in re. Vnde in taxando hoc lucro attendendæ sunt circumstantiæ personæ, loci, temporis, &c. Si occisus erat iuuenis, & optimæ salutis, item si erat bonus artifex, & maximè labori incumbens. Ita D. Th *in 2. 2. q. 62. art. 2. ad 1.* Mercatus *de contract. lib. 6. c. 6.* Sotus *de Iust. lib. 4. q. 6. art. 3. ad 3.* Ledesma *in 2. p. 4. q. 18. art. 2. dub. 2.* & alij communiter. Existimo etiam probabile cum Becano *de iust. & iure in q. 62. 2. 2. D. Tho. de restit. q. 8. concl. 1.* Couar. *lib. 2. var. c. 10. n. 7.* & Angelo *ver. restit. 1. §. homicida,* hanc æstimationem faciendam esse iuxta dispositionem iuris ciuilis. quæ habetur *in l. computationi, ff. ad legem falcidiam.* Vt si quis sit annorum 30. vel infra, is putetur adhuc victurus 30. si sit 35. putetur victurus 25. si sit 40. adhuc 20. si 50. adhuc 19. semper diminuendo vsque ad 60. Sed hanc opinionem aliqui non admittunt, quia ex illa sequeretur occidentem sexagenarium non teneri ad aliquam restitutionem, quod non videtur admittendum. nā fieri potest vt adhuc sit validus, & putetur diu victurus. Certum est autem in vtraque sententia quòd quando læsus remanet viuus cum membri abscissione, vel perpetua debilitate, non oportet hanc computationem annorum vitæ facere, sed potest solui annuatim dum vixerit, quolibet anno certa summa pro illo lucro, quod habiturus erat. Quia verò valde difficile est ratione circumstantiarum dare vnicuique ex damnificatis, quod ei ex iustitia debetur, sanum est consilium vti compositione cum his, quibus restitutio facienda est, qui mutuò debent sibi remittere, si quid minus, plúsve debeatur.

Secundò difficultas est, vtrùm ex lucro deducenda sit æstimatio molestiæ & laboris, quem in præstando officio, vel opificio subiturus fuisset? Negatiuè respondet Lessius *lib. 2. c. 9. dub. 19. n. 125.* Sotus *de iust. lib. 4. q. 6. art. 3. circa tertium argum.* Nauarra *de rest. lib. 4. c. 1. num. 68.* Couarr. *lib. 2. var. c. 10. num. 7.* & Villalobos *in sum. tom. 2. tr. 11. diffic. 27. n. 4.* vbi sic ait. [Quanto a la cuenta del lucro cessante no se ha de atender a todo lo que el oficial podria ganar, sino lo que de hecho ganaua, quitando las fiestas, y lo que auia de gastar con su persona. Y no se ha de quitar lo que valia su trabajo, que si esso se quitara a penas quederia nada.] Ita ille. Et certè si æstimatio laboris detrahenda sit, vix aliquid supererit, nam sæpe lucrum non est maius, quàm æstimatio laboris, vt patet in his artificiis, in quibus est parum ingeniosæ industriæ. Deinde qui alium impediuit à labore diurno, tenetur integrè lucrum illius diei sarcire, nulla parte detracta ratione laboris non obiti, nam alter cupiebat laborem subire. ergo, &c. & hæc sententia est satis probabilis.

Sed contrarium docuit Io. Maior *in 4. sent. dist. 15. q. 19.* quam etiam admittit Rebellius *p. 1. lib. 3. q. 13. num. 2.* vbi sic ait. Lucri cessantis restitutio moderanda erit propter æstimationem laboris, quem in lucrando subiturus erat, nisi fortè eius esset ingenij, vt non minus molestè ferret otium, quàm laborem. Ita ille. Verùm, quia res morales moraliter tractandæ sunt, ego existimo quòd huius ingenij pauci inueniuntur, maximè si ageretur de labore per totam vitam; ideo in praxi satis probabiliter existimo posse ad arbitrium prudentis viri aliquid detrahi à restitutione lucri cessantis ratione leuaminis à labore, & ita mecum sentiunt docti recentiores, quicquid in contrarium Doctores communiter asserant.

Notandum est etiam hîc obiter contra Sotum *de Iust. lib. 4. q. 6. art. 3. ad 3.* ex modo occidendi iniuriosò, nimirum insidiosè, proditoriè, crudeliter, atrociter, &c. non esse aliquid amplius restituendum. Ita Azorius *part. 3. lib. 5. cap. 3. quæs. 3.*

Nota etiam quòd non tantùm hæredes homicidæ tenentur soluere damna, sed etiam ipse fiscus, si bona homicidæ fuerint publicata, sicuti tenetur ad alia debita. Ita Sanch. *in summ. tom. 1. lib. 2. c. 22. à n. 74. vsque ad n. 84.* Aragon *in 2. 2. D. Th. q. 62. art. 2. ad 1.* & alij. quod Iulius Clarus *in praxi crim. lib. 5. §. homicidium, ver. tenetur* etiam notat malè in praxi obseruari.

Et tandem nota contra Nauarrum *c. 15. n. 22.* homicidam non teneri soluere expensas moderatas factas in sepultura occisi. Item si quis iniustè præueniendo aliquem occiderit, qui naturali, vel aliàs iusta morte erat moriturus, non tenetur aliquid restituere, quia nullum damnum intulit occiso, quod iustè non erat passurus. Ita DD. citati.

Resol.

Resol. LIV. *An pro ipſius vitæ,aut membri priuatione, deformitate, cicatrice,* &c. *ſit facienda aliqua reſtitutio?*

Affirmatiuam ſententiam docet D. Thom. *in* 2.2 *q.*62.*art.*2.*ad* 1.& *ibi* Aragon,Salonius,Syluius,Valentia,Scotus,Richardus,Gabriel,& Maior *in* 4.*ſent.diſt.*15.Adrianus *in* 4.*de reſtit.q. vlt.* Azorius *tom.*3.*lib.*3.*c.*3.*q.*4.Molina *de Iuſt. tom.*4. *tr.*3. *diſp.*88. Rebellius *part.*1. *lib.*3 *q.*13.*nu.*1. Fernandez *in Exam. part.*1.*c.*14.§.1.*n.*17. & alij. & ratio eſt, tum,quia,vt notauit S.Th. cit. quandocumque non poteſt reddi æquiualens, reddi debet poſſibile,quia impoſſibilitas excuſat à tanto,non à toto. Tum, quia abſurdum videtur bouem,aut ſeruum alterius occidentem teneri de damno vitæ,bouis autem dominum occidentem non item. Tum, quia in omni ſententia licet de tali damno tranſigere, atque ita ex pacto ſaltem aliquid pro ipſo accipere. Tum, quia in lege Moyſis ſimile damnum erat compenſandum.*Exod.* 23. vbi pro anima iubetur dari pretium,pro oculo, aut dente ſeruo libertas. Diſcrepant tamen citati DD. in modo reſtitutionis. Adrianus ait reum,ſi in iudicio non puniatur, debere vitam exponere pro Republica in aliquo bello, quod tamen communiter ab aliis, & rectè, reiicitur, quia hæc reſtitutio per ſe læſo nihil prodeſt. Sotus ait ſatisfaciendum eſſe petendo veniam vel à læſo,vel ab hæredibus (niſi cum his aliter tranſigatur)aut alia arbitraria ſatisfactione, determinatè autem ad ſuffragia ſpiritualia pro occiſo offerenda non putat ex iuſtitia teneri lædentem, licet hæc commoda ſatisfactio eſſe queat.Salon.itidem totum hoc relinquit arbitrio prudentis Confeſſarij vt reus ſatisfaciat, aut per ſuffragia & officia ſpiritualia ipſi defuncto,aut per veniæ petitionem, aut aliquam compenſam pecuniariam ipſis hæredibus. Conueniunt tamen ferè omnes in eo, ſi reus in iudicio iuſta pœna talionis afficiatur pro naturali damno ad nihil aliud teneri.

Verùm his non obſtantibus ego puto abſolutè contrariam ſententiam tenendam eſſe, quam tuetur Petrus Nauarra *de reſtit.lib.*4.*cap.*1.*num.* 80. Nauarrus *in Manuali cap.*15. *num.* 22. Gomez *lib.*3. *var. cap.*6.Couarr.*lib.*2.*var.cap.*10.Filliucius *tom.*2. *tr.*32. *cap.*8.*numer.*200. Sanchez *in opuſc.tom.*1. *lib.*1. *cap.*4. *dub.*1. *num.* 7. Gordonus *in Theol. moral. tom.* 1. *lib.*5. *quæſt.*4.*cap.*4.*num.*16.Leſſius *de Iuſt.lib.*2. *c.*9. *dub.*23. *num.*141.Layman *lib.*3.*ſect.*5.*tract.*3.*part.*3. *cap.*6.*nu.*2. Vaſquez *opuſc. de reſtit. cap.*2. §.3. *dub.*6. Becanus *de iuſt.& iure in* 2. 2. *D.Thom. quæſt.*11.*de reſtit.concl.*1. *& ſequen.* Dicendum eſt igitur pro vita, membro, cicatrice hominis liberi nihil neceſſariò reſtituendum eſſe in conſcientia.

Probatur primò ex *l. fin. ff. de his qui effuderint,vel deiecerint,*& ex *l.ex hac lege,ff ſi quadrup.paup.feciſſe dicatur.* nam in his legibus dicitur liberum corpus nullam recipere æſtimationem, ac proinde damna corporis liberi non poſſe pretio compenſari, quia ſunt ſupra omne pretium.

Hinc probatur ſecundò,quia reſtitutio,quæ debetur ex iuſtitia, reparat damnum illatum præcisè ad æqualitatem. ergo vbi damnum natura ſua irreparabile eſt, non debetur reſtitutio lege iuſtitiæ. Vnde è contrario dicendum eſt,quòd pro vita ſerui, vel animalis debet fieri reſtitutio pecuniaria, quia illorum vita æſtimatur pretio quod ad æqualitatem rependi poteſt.ergo pro illa tantum ſoluẽdum eſt, quantum valet. Ceteras rationes videbis apud Leſſium *vbi ſuprà.*& ideò in tali caſu Tannerus *tom.*3.*diſp.*4.*quæſt.*6. *dub.*4. *num.* 113. putat quòd non debet facilè Confeſſarius pœnitentem ad reſtitutionem compellere.

Vnde ex his infertur primò, quòd ſi vir nobilis, aut alius occiſus ſit, qui nihil lucri faciebat, nihil reſtituendum erit.

Infertur ſecundò nihil eſſe reſtituendum homini libero pro deformitate reſultãte ex vulnere, niſi inde damnum temporale reſultet; tunc enim nõ ratione vulneris & fœditatis, ſed ratione damni tenetur illud compenſare, vt ſi deformitatem faciat in femina nubili, quæ ob id matrimonio copulari nequit,vel ampliori indiget dote. Similiter ſi deformitas facta eſſet in ſeruo, ob quam minùs valeret.

Infertur tertiò quòd fuſtibus, vel alapa percutiens aliquem non tenetur pro iniuria compenſationem pecunia facere, ſed tantùm pro damnis temporalibus,ſi quæ inde ſequantur.

Resol. LV. *An homicida ex iuſtitia teneatur pro anima defuncti offerre Miſſas,preces,&c.*

Affirmatiuè reſpondet Scotus *in* 4. *diſt.* 15. *q.*3. Gabriel *ibidem quæſt.*15.*art.*1,*in fine.* Iul.Clar.*in pract. crimen. lib.* 5. §. *Homicidium. ver.tenetur etiam.* Rolandus à Valle *lib.*2.*conſ.*39.Aragon *in* 2.2.*q.* 62. *artic.*2.Fernandez *in Exam.part.*1.*cap.*14.§.1.*num.*19. Adrianus *in* 4.*de reſtit.quæſt.vlt.* Molina *tom.*4. *tr.*3. *diſp.*84.*num.*11.Rebellius *part.*1.*lib.*3.*quæſt.*14. *num.*6. & alij. vbi docent ſatisfactionem iniuriæ perſonalis fieri poſſe per ſuffragia pro occiſo, & ad hoc homicidam non ſolùm teneri ex charitate, ſed ex iuſtitia.

Sed contrà eſt, quia nemo tenetur damnum reſarcire ex bonis diuerſi generis ac ordinis,ſi in eodem non poſſit, quia ſolùm bona eiuſdem generis ac ordinis inter ſe commenſurari poſſunt, ſecundùm proportionem dati & accepti; ſermo enim eſt de reſtitutione, ſiue compenſatione damni per iuſtitiam commutatiuam. Et hæc docet Becanus *de iuſt.& iure in* 2.2.*D.Tho.q.*13. *de reſtit.concl.*2. Strouersdorff *de iuſt.& iure in* 2.2.*D.Thom.q.*78. *diſp vnic. n.*29.*concl.*2.Azorius *p.*3.*l.*5.*c.*3.*q.*12.Filliucius *tom.*2. *tract.*32.*c.*8.*n.*205.Layman *in Theol. moral lib.*3.*ſect.*5. *tra.*3.*p.*3.*c.*6.*n.*2. qui benè addit in foro interno decere Confeſſarium pro ſatisfactione ſacramentali imponere homicidæ preces,ſacrificia, &c. animæ occiſi applicanda.

Resol. LVI. *An homicida teneatur reſtituere damnum, quod per accidens familiaribus & amicis occiſi ex eius morte ſequutum ſit?*

Affirmatiuè reſpondet Petrus Nauarra *de reſt. lib.*4. *cap.*1. *num.* 76. Azorius *part.*3. *lib.*5.*cap.*3. *quæſ.*11. Philippus Faber *de reſtit.in* 4. *ſent. diſt.* 15.*q.*3. *diſp.*52.*cap.*2.*num.*77.& Vaſquez *opuſc. de reſtit. cap.*2. §.3.

§.3. *dub.7. nu.24.* vbi ſic ait. In hac re mihi videtur, quòd non tantùm parentibus, filiis, vxori, eſt reſtitutio facienda damnorum, vt iſti omnes fatentur, ſed etiam amicis, & aliis conſanguineis defuncti, quibus aliàs defunctus ex iuſtitia non tenebatur, ſi tamen probabile erat defunctum, ſi vixiſſet, alimenta daturum, vel alia bona opera facturum. hoc, inquam, verum eſt, quando huius magna erat probabilitas, vtpote quia defunctus iam firmiter decreuerat conſanguineum, vel amicum domi alere, tunc enim iſtis eſt reſtituendũ tantum, quanti æſtimaretur ſpes illa probabilis, quam habebant. Ratio iſtius eſt, quia ſicut ille, qui per vim, vel fraudem impedit aliquem à conſecutione boni alicuius legati, v. g. quod probabiliter conſequeretur, auocans animum illius, qui conferre decreuerat beneficium, vel legatum, vel quid ſimile, tenetur ad reſtitutionem illius, quo ſpes illa æſtimaretur arbitrio prudentis, quamuis ad illam non haberet ius ille, qui eam ſperabat, ſolùm qui vi, aut fraude impeditus fuit, quod latè docuimus in materia *de beneficiis*; ita ille, qui occidit alium, qui amicis decreuerat aliquid conferre, vi impedit illud commodum, quod alij conſequerentur ex defuncto. ergo tenetur ad reſtitutionem illius. Hæc ratio euidens eſt, & colligitur apertè ex doctrina illa de impediente per vim collationem alicuius commodi, quæ omnium conſenſu veriſſima eſt. Hæc Vaſquez.

Verùm ego contrariæ ſententiæ tanquam probabiliori adhæreo, quam tuetur Leſſius *lib.2. cap.9. dub.26. num.154.* Sotus *de Iuſt. lib.4. quæſt.6. art.3. circa tertium argumentum.* Salon. *in 2. 2 quæſt.62. articul.2. contr.7.* Becanus *de iuſt. & iure in 2. 2. D.Th. quæſt.14. de reſtit. concl.2.* Cæleſtin. *in compen. Theol. moral. tr.10. cap.3. num.2.* Strouersdorf *de iuſt. & iure in 2.2. D.Th. q.68. diſp. vnic. mem.4. concl.1.* Molina *de Iuſt. to.4. tr.3. diſp.83. n.6.* vbi ſic ait. De aliis autem quos interfectus ex ſua liberalitate ſuſtentabat, quibúſve eleemoſynas, aut beneficia alia tribuebat, dicendum eſt non videri homicidam teneri eis ad reſtitutionem, eſto cognati illius eſſent, quicquid Adrian. Scot. & alij in contrarium aſſeruerint. Ratio autem eſt, quoniam id illis non erat debitum, quaſi ius ad illud haberent, neque mors interfecto fuit illata animo priuandi eiuſmodi homines emolumento, quod ex occiſo ſperabant, veriſimiliterque in futurum percepiſſent, ſed accidit id inde præter interfectoris intentionem ſequi. Quia ergo quæ eiuſmodi homines ab interfecto percepturi erant, connexionem non habent cum vita illius in ratione debiti, vt habent, quæ illi alij percepturi erant, neque mors ex intentione aduenit contraueniendi iuri, quod eiuſmodi homines habent ad accipiendum quod ſibi quiuis ex liberalitate conferre voluerit, quaſi homicida intenderit id impedire, ſed per accidens eſt ſecutum, non ſecus ac ſi mors alia ex cauſa eidem euenirent; conſequens profectò eſt, vt homicida reſtituere non teneatur emolumenta, quæ eo modo morte iniuſta per accidens impediuit. Poſſumus verò id confirmare, quoniam nullus dicet, homicidam reſtituere teneri amicis interfecti, quæ ſperabant ab illo ex liberalitate accipere, eo quòd ſoleret eos inuitare, aut dona ad illos mittere, vel illis concedere quod ab eo petebant; neque item dicet, teneri reſtituere famulis, quæ vltra ſtipendium emeritum, ſperabant ab illo in poſterum accipere, vel commoditatem, quam in illius domo erant habituri; neque id affirmant Scotus, Adrian. & alij, quos impugnamus, ſed ſolùm loquuntur de cognatis, qui ſuſtentationem ab interfecto accipiebant; cùm ergo interfectus ex mera liberalitate ſuſtentaret eos ſuos cognatos, qui non ſunt de illorum numero, quos commemorauimus, non ſecus atque ex liberalitate ſuſtentabat ſuos amicos ac famulos, neque eiuſmodi cognati habeant plus iuris ad emolumenta quæ ex interfecto erant in futurum percepturi, quàm amici, aut famuli, conſequens profectò eſt, vt iniuſtus interfector non plus teneatur ea de cauſa cognatis illis reſtituere, quàm teneatur amicis, aut famulis interfecti. Huc vſque Molina.

RESOL. LVII. *An homicida teneatur reſtituere damnum creditoribus occiſi?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Layman *lib. 3. ſect.5. tr.3. p.3. c.6. n.4.* & Molina *de iuſt. tom.4. tr.3. diſp.83. n.8.* vbi ſic ait. Maius dubium eſt de creditoribus iniuſtè interfecti, ſi aliquando eueniat vt propter eam iniuſtam mortem illi aliquid non recuperent eorum, quæ interfectus ipſis debebat, quod tamen recepturi fuiſſent, ſi ille interfectus non fuiſſet. Etenim hoc debitum de iuſtitia eſt, & quod anteponendum erat emolumento, quo priuatur vxor, & quo priuantur filij, cùm ad vxorem & ad filios non aliud ex marito, & ex parte ſpectet, quàm quod remanſerit, deducto priùs toto ære alieno, ſatisfactiſque integrè omnibus eiuſmodi creditoribus interfecti; quare cùm homicida reſtituere teneatur vxori ac filiis eius, quem iniuſtè interfecit, emolumentum verum ex ita interfecto, quo ipſos priuauit, longè cum maiori ratione tenebitur reſtituere hoc aliud. Nec refert ſi quis dicat, damnum hoc creditorum non fuiſſe intentum ab homicida, ſed per accidens, præterque ipſius intentionem eſſe ſequutum. Nam ſimiliter damnum vxoris ac filiorum fuit ſequutum per accidens, & præter intentionem homicidę, & nihilominus tenetur illud reſtituere, quia connexum erat cum morte iniuſta interfecti, & contrarium eius damni magis erat debitum ab interfecto, quàm damnum vxoris ac filiorum. Item ſicut damnum vxoris ac filiorum cenſetur voluntarium comparatione interfectoris, vt teneatur illud reſtituere, nihil impediente, quòd non attenderit, an interfectus vxorem ac filios haberet, & quòd id ignorauerit, quoniam eo ipſo, quòd cum peccato vult mortem interfecti, cenſetur imputatiuè velle effectum, vt illa reſtituere teneatur, quæcumque damna nata ſunt ſequi ex tali morte, ſi ex illa re ipſa ſequantur, ita idem omnino cernitur comparatione damni creditorum interfecti. Ita Molina, ſatis quidem probabiliter.

Sed ego negatiuam ſententiam etiam probabilem puto, quam tenet Salon. *in 2.2. D. Th. quæſt.62. art.2. contr.8.* Sotus *de iuſt. lib.4. quæſt.6. art.3. ad 4.* Becanus

canus *de iuſt. & iure in* 2.2. *D.Th.q.*14. *de reſtit. concl.*1. Cæleſtinus *in comp. Theol. moral. tract.*10. *c.*3. *num.*2. Filliucius *tom.*2. *tract.*32. *cap.*8. *num.*209. & Leſſius *lib.*2. *cap.*9. *dub.*26. *num.*151.

Probatur primò. nam planè per accidens obuenit damnum creditoribus, non enim illa actio occiſionis ex natura ſua, vel vtplurimum eſt illis damnoſa; ergo non eſt iniuria in illos.

Secundò, quia creditor non habet ius in debitorem, niſi quantum extendunt ſe bona, quæ actu habet, vel quæ veriſimiliter erat habiturus. ergo cùm homicida reſtituit hæredibus, in quos obligatio defuncti transfertur, ea, quæ ipſe putabatur lucraturus, non facit iniuriam creditoribus, poſſunt enim ab hæredibus ſolutionem petere.

Tertiò creditor non eſt ita coniunctus debitori, vt damnum quod huic fit, debeat cenſeri fieri creditori, nam ſolùm per accidens, ſeu ciuili modo ei cohæret, qua ratione innumeri poſſunt cum ipſo coniungi. Abſurdum autem videtur omnes eos, qui cum ipſo contrahunt, habere ius iuſtitiæ in ipſius inimicum, ne ipſum occidat. Confirmatur, quia qui cum aliquo contrahunt, debent videre an ille habeat ſufficientia bona, vel certè curare, vt det ſufficientem cautionem, quod ſi non fecerint; ſibi imputent, non enim tenetur inimicus ex iuſtitia tam procul reſpicere.

Quartò, non videtur hæc obligatio vſu recepta, imò communi hominum iudicio, non cenſetur homicida creditoribus obligatus, niſi fortè ea intentione occiderit, vt eis obeſſet. vnde in caſu contingenti non imponerem homicidæ onus reſtitutionis.

Resol. LVIII. *An occiſus ſi habeat filios, & omnia interfectori remittat, teneatur adhuc reſtituere?*

PArtem affirmatiuam docet Tannerus *tom.*3. *diſſ.*4. *q.*6. *dub.*4. *n.*116. iuncto *n.*121. & Faber *de reſtitut. in* 4. *diſt.*15. *q* 3. *diſp.*52. *c.*2. *n.*72. Sed alij negatiuam ſententiam tenent, vt Leſſius *lib.*2. *c.*9. *dub.*26. *n.*159. Becanus *de iuſt. & iure in* 2.2. *D.Th.q.*14. *de reſt. concl.*4. Sotus *de iuſt. lib.*4. *q.*6. *art.*3. *ad* 5. Bannez *in* 2.2. *D.Th.q.*62. *art.*2. *dub.*6. & alij. Ratio eſt, quia filijs non fit iniuria per homicidam in bonis fortunæ, niſi quatenus læduntur in parente contra ipſius voluntatem. ergo quando parens condonat omne damnum, nullum ius eis remanet. Sicut enim per eum ius acquirunt, ita etiam amittunt. Nihilominus non rectè faciet læſus, ſi filijs valde egentibus condonet occiſori omnem reſtitutionem; valebit tamen in conſcientia, niſi fortaſſe lege poſitiua nō permittatur ei, niſi alicuius certæ portionis bonorum diſpoſitio, v.g. tertiæ, quartæ, vel quintæ, tunc enim non valet remiſſio, niſi iuxta hanc moderationem, vt quidam volunt. Alij tamen non addunt hanc limitationem, quia tale debitum cùm ab honeſtiſſimis viris plerumque condonari ſoleat, non videtur cenſeri inter bona creditoris, de quibus loquuntur leges, portionem legitimam præſcribentes: nemo enim cogitur huiuſmodi actiones ex delicto, vel iniuria naſcentes in cenſu ſuo numerare.

Resol. LIX. *Quibus hæredibus titulo alimentorum teneatur homicida reſtituere?*

REſpondeo quòd occiſor ſolùm videtur obligari parentibus occiſi, filijs, & vxori. Vnde contra Mercatum *de contr. lib.*6. *cap.*6. infertur, quòd non teneatur reſtituere fratri, quia nec eſt hæres neceſſarius, nec cenſetur vna perſona cum eo, vt cenſent ſupradicti. Ita Cæleſtin. *in Compend. Theol. moral. tract.*10. *c* 3. *num.*2. Becanus *de iuſt. & iure in* 2. 2. *D.Thom. q.*14. *de reſtit. concl.*3. & alij. Imò Filliucius *tom.*2. *tract.*32. *cap.*8. *num.*207. & Leſſius (quod eſt valde notandum) *lib.*2. *cap.*9. *dub.*26. *num.*157. aduertit probabile eſſe homicidam non teneri reſtituere vxori, ſi illa nullum notabile detrimentum accepit, vel ſi æquè commodè poteſt nubere; tunc enim non cenſetur in rebus pecunia æſtimabilibus læſa, neque parenti occiſi, niſi fortè ſit hæres, vel filius occiſus illum alebat, & ei aliunde non ſit proſpectum, quia alioquin non cenſetur in re ſua læſus, ita vt damnum pecuniarum acceperit. Vnde Tannerus *tom.*3. *diſp.*4. *q.*6. *dub.*4. *num.*122. etiam ſatis probabile putat, ſi occiſus de pretio non conuenerit, dum viueret, & parentes ac vxor non egeant alimentis, nec filij neceſſarijs ad vitam, non teneri homicidam ante iudicis ſententiam aliquid reſtituere. Ita ille. Licet contrarium doceat Sanchez *in opuſc. tom.*1. *lib.*1. *cap.*4. *dub.*3. *n.*9. vbi ſtatuit teneri homicidam reſtituere hæredibus, etiamſi ſint diuites, & aliunde victum habeant.

Aduertendum eſt autem hîc tam fratrem, quàm alios hæredes extraneos ſuccedere in iuribus debitorum realium, quæ defunctus habebat ante mortem, vnde expenſæ quæ fuiſſent factæ in curatione, v.g. vulneris, reſtituendæ ſunt hæredibus quibuſcumque, quia ad illas habebat ius defunctus ante mortem. Ita DD. citati.

Resol. LX. *An hæredes homicidæ excuſentur à reſtitutione ſi ille capite damnatus eſt?*

NEgatiuè reſpondet Sanchez *in opuſcul. tom.*1. *lib.*1. *cap.*4. *dub.*2. *numer.*2. Mercatus *de controu. lib.*6. *cap.*6. Gordonus *tom.*1. *lib.*5. *quæſt.*4. *cap.*4. *n.*17. Malderus *de iuſt. & iure in* 2.2. *D.Th. tr.*3. *cap.*3. *dub.*5. Azorius *tom.*3. *lib.*5. *cap.*3. *quæſ.*6. Petrus Nauarra *de reſtit. lib.*4. *cap.*1. *num.*91. Couarr. *lib* 2. *var. cap. cap.*10. *numer.*7. Gomez *tom.*3. *cap.*3. *num.*3. quia pœna infligitur à iudice non vt damnum parti læſæ compenſetur, ſed vt iniuria Reipublicæ & legibus illata vindicetur, alijſque terror incutiatur. Et ſi hæc opinio eſſet vera, hoc onus ad fiſcum etiam tranſiret, quamuis Iul. Clar. *in praxi lib.*5. §. *Homicidium num.*23. queratur hoc malè in praxi ſeruari.

Verùm ego puto cùm Leſſio *lib.*2. *cap.*9. *dub.*22. *numer.* 139. affirmatiuam ſententiam probabilem eſſe, quam videtur docere Scotus *in* 4. *diſtinct.*15. *quæſt.*3. *artic.*2. Idem docet Gabriel *ibidem q.*15. *art.*2. Roſella *ver. Reſtitutio* 3. Angelus *eodem ver.*1. §. *Homicida.* Adrianus *quæſt. vlt. de reſtit.* & Dominicus Bannez *de iuſt. & iure in* 2.2. *D.Thom. q.*62. *art.*2. quia capitis ſententia compenſat omnem iniuriam & damnum homicidij. Et præſertim hæc

ſententia erit amplectenda, vt tenet Becanus *de iuſt. & iure in* 2.2. D. Thom. *q.* 10. *de reſtitut. concl.* 2. quando hæres occiſi nihil pro ſatisfactione damnorum exigat; ita enim ferè habet vſus, vt pœna talionis cenſeatur acquieſcere. Et in hoc caſu ego prorſus nullum imponerem onus reſtituendi. Notandum eſt tamen hîc cum Aragonio *in* 2.2. *quæſt.* 62. *artic.* 2. & Fernandez *in Exam. Theolog. moral. part.* 1. *cap.* 14. §. 1. *numer.* 16. quòd ſtando in prima opinione, intelligenda eſt quando bona damnati ad mortem peruenerunt ad hæredes,non ſucceſſione hæreditaria,ſed libera legatione.

RESOL. LXI. *An inter Nobiles ex homicidio oriatur obligatio reſtitutionis?*

REſpondeo negatiuè, ex his, quæ docet Sanchez *in opuſc. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *dub.* 11. *num.* 6. ex Mercado & Salonio, qui ait: Nobiles & diuites ex communi vſu videntur renuntiaſſe, & peperciſſe huic iuri, ideo tacitè cenſetur remittere. Hinc Corduba *lib.* 1. *quæſt.* 31. *art.* 3. Sotus *lib.* 4. *de iuſt. quæſt* 6. *art.* 3. *ad* 3. & Ledeſm. *in* 2. *part.* 4. *quæſt.* 18. *art.* 2. *dub.* 2. dicunt,quòd inter Illuſtres hæc reſtitutio non petitur, nam damna facilè condonant,ſolamque iniuriam memoria tenent,& ita hanc ſententiam tenet Homobonus *de caſibus reſerv. part.* 2. *caſ.* 3. *fol. mihi* 303 vide etiam Aragonium *in* 2.2. *q.* 62. *art.* 2. *ad* 1. & alios.

RESOL. LXII. *An homicida ſit compellendus reſtituere, licet ex reſtitutione conſtituatur in graui neceſſitate?*

AFfirmatiuè reſpondet Martinus Ledeſma *in* 2. *part.* 4. *quæſt.* 18. *dub.* 2. *art.* 2. vbi docet in tali caſu homicidam compellendum eſſe ad reſtitutionem, modò non conſtituatur in extrema neceſſitate.

Sed ego contrarium teneo cum Soto *de Iuſt. lib.* 4 *q.* 6. *art.* 3. *in ſolut. ad* 3. Cordub. *lib.* 1. *q.* 31. *art.* 3. & Sanchez *in opuſc. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *dub.* 7. *numer.* 2. quia non tenetur cum tanto diſpendio reſtituere. quod limitatur, niſi hæredes occiſi eſſent etiam in graui neceſſitate.

RESOL. LXIII. *An qui ex timore mortis perſonam aliquam demonſtrauit, quæ poſtea occiſa fuit,teneatur ad reſtitutionem?*

AD hoc dubium ita reſpondet Rodriquez *in ſumma tom.* 1. *cap.* 222. *numer.* 16. [El hombre preſo de los ladrones y malhechores que ſabe que van à matar à Franciſco, y quemar ſu caſa, y contreñido con temor de la muerte, ſe la va à moſtrar, y matan à Franciſco, y queman ſu caſa, ſe deue condenar por homicida, y eſtà obligado à reſtituyr el daño que ſe ſiguiò de moſtrar la dicha caſa; porque aunque en ninguna manera podia euitar la muerte, ſi no es, enſeñandoles la caſa, obligacion tenia de antes morir, que moſtrarſela, pues ſabia que moſtrandoſela, auia de cometer contra el proximo tan grande injuſticia, y auian de hazer tan graues pecados; loqual no podemos hazer por conſeruar la vida corporal, como lo prueua Paulo Comitoli, cuya opinion recibio en el fuero exterior, empero en el fuero de la conciencia no le obligaria à eſta reſtitution; porque el no fue cauſa moral deſte daño. Ita ille, & ego.

RESOL. LXIV. *An qui conſuluit homicidium poſtquam reuocauit conſilium, ſed non certiorauit eum, cuius vitæ paratur excidium,teneatur ad reſtitutionem?*

REſpondeo quòd licet talis ex lege iuſtitiæ teneatur reuocare conſilium, ſi tamen nihil perſuadeat, non tenetur eadem lege monere eum, contra quem de nece, aut alio damno conſilium dederat, vt ſibi caueat, ſed ſola lege charitatis ad id obligatur,ſi tamen commodè poteſt, & proinde ſi reuocato conſilio, & reuocatione cognita delictum fuit commiſſum, nihil tenetur reſtituere. Ita probabiliter Cæleſtinus *in compen. Theolog moral. tract.* 9. *cap.* 6. *num.* 5. qui citat Leſſium, cui adde Petrum Nauarra *de reſtitut. lib.* 3. *cap.* 4. *numer.* 27. & Salonium *in* 2.2. *quæſt.* 62. *artic.* 7. *controu.* 6. & ratio eſt,quia quando fecit,quod poteſt, vt conſilium prius euertat, vel offendit omnibus conſideratis eſſe iniquum, & non ſequendum, non videtur executor ipſius conſilio moueri, ſed ſua malitia.ergo,&c.

TRAC-

TRACTATVS QVINTVS
DE
PARVITATE MATERIÆ.

RESOL. I. *Quomodo sit cognoscendum, quòd in aliquo præcepto detur, vel non detur paruitas materiæ?*

LIBET huic dubitationi respondere cum verbis Nicolai Baldelli *in disput. Theolog. tom.1. lib.3. disput.14. num.13.* vbi sic ait. Ad dignoscendum vtrùm detur in aliquo præcepto, aut eius transgressione, materiæ paruitas, & culpæ leuitas, an verò omnis materia sit censenda notabilis, & omnis transgressio grauis, optimum videtur, si in obiecto formali non confundatur ratio, quæ dicitur per se prima, quia scilicet & ipsa per se, & ratione sui per actum attingitur, non autem ratione alicuius alterius, quæ intelligatur attingi priùs, & ratio, quæ dicitur per se secunda, quia attingitur ita per se, vt tamen attingatur ratione alicuius alterius, quæ intelligitur attingi priùs, vt fusiùs explicatur in physicis, quando agitur ad *text.33. lib.2. de Anima*, de specificatione potentiarum per actus, & actuum per obiecta: si enim ex ratione ipsa obiecti per se prima oriatur notabilis oppositio ad virtutem, & malitiæ grauitas, non poterit in illo obiecto dari paruitas materiæ, & leuitas culpæ: si verò oppositio notabilis, & grauitas culpæ solùm oriatur ex ratione obiecti per se secunda, non autem ex ratione per se prima, omnino dabitur materiæ paruitas, & culpæ leuitas, & hoc modo, quia ratio obiecti per se prima in actu furti, v.g. est, quòd res, quæ accipitur, sit aliena, & ex hac ratione per se accepta, & præcisè considerata, non oritur oppositio notabilis ad iustitiam, & culpæ grauitas, sed hæc solùm oritur ex eo, quòd res aliena sit notabilis, & notabiliter faciat ad vsus vitæ, quæ potest dici ratio obiecti per se secunda, rectè dicitur, quòd in furto detur materiæ paruitas, & culpæ leuitas, & contrà, quia ratio obiecti per se prima in actu infidelitatis est, vt fides negetur ipsi Deo aliquid reuelanti, & ex hac sola præcisè considerata fundatur oppositio grauis ad virtutem fidei; & malitia grauis: non dicitur quòd in actu infidelitatis possit dari materiæ paruitas, & culpæ leuitas, sed omnis materia in ordine ad illam sit notabilis, & omnis culpa sit grauis, etiamsi alioqui in se ipsa sit res minima. Vide etiam Sanchez *in summ. tom.1. lib.1. cap.4. num.2. & 3.* Suarez *de legibus, lib.2. cap.28. numer.68.*

Sed circa supradicta habet aliquam difficultatem Castrus Palaus *tom.1. tract.2. disput.2. punct.7 num.2.* quam videre potes penes ipsum. Vnde existimat ex communi sensu Ecclesiæ & fidelium desumendam esse grauitatem aliquarum rerum, & aliarum leuitatem: quæ autem hæc sint, suis locis examinandum est; fundatur autem hic sensus Ecclesiæ in naturis ipsarum rerum: aliqua enim ita de se inordinata sunt, vt in qualibet materia reputentur grauissima, quælibet enim idololatria, simonia, iuramentum falsum, infidelitas, desperatio, odium, & contemptus Dei, irritatio Sacramentorum, homicidium, pollutio, fornicatio, & similia de se grauem inordinationem habent, & in quacumque materia constituantur, non variant iudicium; alia verò ita leuia sunt, vt nisi ex aliquo accidenti extrinseco grauia esse non possint, vt verbum otiosum, scurrilitas, & alia huiusmodi. Alia verò, quæ esto de se grauia sint, non semper æqualem deordinationem habent, vt furtum si fiat in magna, vel parua quantitate, variat enim multùm iudicium. Ita Palaus. Verùm pro nostro instituto his suppositis ad casus particulares deueniendum est, quos non sine maximo labore in gratiam Studiosorum collegi; ideo quæro,

RESOL. II. *An in Simonia detur paruitas materiæ, ita vt hoc peccatum possit esse aliquando veniale?*

NEgatiuam sententiam mordicus docet Suarez *de Religion. tom.1. lib.4. cap.3. num.5. & sequent.* quia neque ex parte rei spiritualis, nec ex parte pretij potest ita diminui hoc peccatum. Primum patet, quia nullum donum gratiæ, quantumuis paruum videatur, esse potest vendibile sine graui irreuerentia Dei, & ipsiusmet doni, quod licet in suo ordine sit paruum, nihilominus non potest contemni, neque conculcari sine graui culpa, & eadem ratione nec vendi potest sine culpa, quia per hoc grauissimè contemnitur, & tanquam quid vile tractatur. Et quantum est ex parte talis actionis subtrahitur à gratuita donatione Dei. nam quod pretio potest æstimari ac dari, non reputatur tanquam pendens ex gratuita donatione Dei. Vnde sicut laberetur grauissimè, qui vel minimum opus pietatis sibi tribueret, & non gratuitæ donationi Dei, neque in tali cogitatione potest inueniri leuis materia; ita grauiter peccat semper, qui donum aliquod gratiæ, etiamsi minimum esse videatur, venditioni exponit. Sic existimo esse peccatum

mortale vendere, vel minimum vnum cereum, agnum, vel pro vero pretio vnam orationem Angelicam, vel aliud ſimile ſpirituale facere, aut conferre. Multoque certius eſt eſſe peccatum mortale, primam Tonſuram pretio dare, licet in gradu Ordinum videatur quid minimum, idemque eſt in ſimilibus. Idem facilè oſtendi poteſt ex parte pretij, nam ſi illud magnum ſit, eo ipſo apparet grauis deformitas, quia tunc ex vtroque capite ſatis magna eſt materia talis delicti. Item illud eſt magnum lucrum temporale, & eſt turpiſſimum, quia per abuſum rei ſpiritualis acquiritur; eſt ergo graue peccatum.

Dices, rationem hanc probare ſolùm ex parte vendentis, nam ille qui emit, nihil lucratur temporale, ſed potiùs iacturam patitur. Reſpondeo primò ementem peccare ſaltem ex priori capite, quia rei ſpirituali iniuriam facit, & quò maius pretium dat, eò, vt ſic dicam, minus gratis vult illam habere, atque ita vult habere gratiam non gratis, quod peruerſum eſt (vt dicitur *in cap. gratia* 1. *quæſt.* 1.) etiam in minimo dono gratiæ, & deinde cùm emere, & vendere correlatiua ſint, ſi venditio eſt ſimoniaca, etiam emptio; & ſi vna eſt grauis, etiam altera, ſaltem per quamdam ſocietatem, & cooperationem; ſi autem pretium ſit vile, eò magis videtur vilipendi, & cõtemni res ſpiritualis, quæ ſic venditur, æquiparatur enim pretio temporali, & quia in ſuo ordine parua eſſe videtur, vili pretio danda, aut comparanda cẽſetur. Itaque cuiuſcumque quãtitatis ſit id, quod pro re ſpirituali datur, ſi reuera vt pretium datur, & accipitur, ſimonia eſt, & per eam grauis irreuerentia fit rei ſacræ, & ideo non poteſt excuſari à peccato mortali propter materiæ leuitatem. Et hæc omnia docet Suarez; cui etiam adde Doctores, quos citat, & ſequitur Sanchez *in ſumm. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 1. quibus ego addo Caſtrum Palaum *tom.* 1. *tract.* 2. *diſput.* 2. *punct.* 7. *num.* 4. Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 4. Sancium *in ſelectis diſp.* 15. *num.* 14. Baldellum *tom.* 1. *lib.* 3. *diſp.* 14. *num.* 12. Homobonum de Bonis *in conſultat. moral. vol* 2 *part* 5. *reſponſ.* 139. Molfeſium *in ſumm. tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 8. *n.* 67. & Alphonſum de Leone *de offic. Confeſſ. part.* 1. *recollect.* 7. *num* 36.

Non deſinam tamen hîc apponere verba Iacobi Gordoni *in ſumma tom.* 2. *lib.* 8. *quæſt.* 7. *cap.* 3. *num.* 7. vbi ſic ait. Collegit Suarez hoc peccatum tam eſſe in ſuo genere graue & mortale, vt non poſſit eſſe veniale ex leuitate materiæ, ſiue pretium, ſiue rem ſacram intelligas per materiam. Ratio ſit, quia minima materia magnam habet indignitatem, & iniuriam annexam, ſi vendatur, v.g. guttula aquæ benedictæ, contractus porrò & pactio, quia habet ſufficientem libertatem, non fit ex inconſideratione ſola, itaque eſt quædam ignoratio, quæ facere poteſt vt ſit veniale, ignorantiam intellige culpabilem, ſed venialem; hæc quidem probabiliter dicuntur loquendo de pretio, imò res ſpiritualis, quò minori datur pretio, eò vilior reputatur, & idem plures docent de moroſa delectatione, & de blaſphemia. Sed quicquid nunc ſit de alijs rebus, certè in hac materia Religionis, præſertim extra gratiam & Sacramenta, durum videri poteſt, minimam ſacram materiam trahere ſecum grauiſſimam Dei offenſionem, & tantopere à Patribus exaggeratam, cùm etiam intra latitudinem Religionis ſint multa alia peccata, quæ fiunt venialia ex leuitate materiæ. Huc vſque Gordonus. Et ideo in peccato Simoniæ dari paruitatem materiæ, docet etiam Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 23. *cap.* 15. *num.* 219. Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *diſput.* 92. *num.* 5. Vnde puto vtramque ſententiam probabilem eſſe. Et Bonacina *de legib. diſput.* 10. *quæſt.* 2. *punct.* 8. §. *inciden. num.* 13. ſtando in hac ſententia ſecunda putat in Simonia materiam paruam excuſantem à mortali eſſe illam, quæ excuſaret in furto, ſed hoc remittendum eſſe arbitrio prudentis, putat Merolla *tom.* 1. *diſput.* 2. *cap.* 4. *dub.* 7. *numer.* 116.

Notandum eſt tamen, quòd ſtando in prima ſententia, quæritur an excommunicatio *Extrau.* 2. *de ſimonia*, & conſt Pij V. incurratur per Simoniam, quæ videtur eſſe parua ex parte pretij, & ex Nauarro *conſ.* 51. *de ſimonia*, reſpondet affirmatiuè Suarez *vbi ſuprà cap.* 56. *num.* 8. quia illa ſimpliciter eſt peccatum mortale, & ideo eſt cauſa ſufficiens talis cenſuræ. Sed ſtando in ſecunda ſententia in tali caſu dicendum eſt excommunicationem non incurri.

RESOL. III. *An in blaſphemijs contra Deum & Sanctos detur paruitas materiæ?*

REſpondeo negatiuè, quia omnis blaſphemia notabiliter aduerſatur virtuti Religionis, & charitatis erga Deum. ergo omnis blaſphemia erit peccatum mortale. Secundò, blaſphemia grauem infert Deo iniuriam, eiuſque honorem & cultum valde diminuit, nam ſi grauis & atrox iniuria dicitur eſſe illa, quæ infertur à vili perſona Magiſtratui, vel Senatori in illos maledicta proferendo. § *atrox. Inſtit. de iniur. & l. prætor.* §. *atrocem*, *ff. eodem.* quanto magis erit grauis illa iniuria, quæ infertur Deo per blaſphemiam? ergo ratione materiæ non poteſt eſſe niſi peccatum mortale. Deinde blaſphemia eſt peccatum, quia profertur verbum contumelioſum in Deum cum animo dehonorandi Deum, vel directè, vel indirectè, ſeu interpretatiuè, ſeu virtute; at Deus dehonoratur non ſolùm cùm blaſphemus Deo falsò tribuit res magnas, ſed etiam minimas: ergo blaſphemia non poterit ratione materiæ vnquam eſſe peccatum veniale. Et ita docet Siluius *in* 2. 2. *quæſt.* 13. *art.* 2. & *ibidem* Aragon & Bannez. Hurtado de Mendoza *de fide vol* 1. *diſput.* 91. *ſect.* 11. §. 48. Valentia *tom.* 3. *diſput.* 1. *quæſt.* 13. *punct.* 1. Caietanus *in ſum. ver. blaſphemia.* Suarez *de Relig. tom.* 1. *tract.* 3. *lib.* 1. *c.* 6. *n.* 2. Sayrus *vbi infrà*, cum Iacobo Gordono *in ſum. tom.* 2. *lib.* 6. *quæſt.* 8. *cap.* 2. *num.* 4. & alijs.

Verùm his non obſtantibus affirmatiuam ſententiam docet Villalobos *in ſumma tom.* 2. *tract.* 1. *diffic.* 15. *num.* 5. vbi ſic ait. [Digo que la blasfemia es pecado mortal de ſu naturaleza, porque es contra la honra de Dios: verdad es, que por auer llena deliberacion o por inaduertencia podria ſer pecado venial, como dize S. Thomas, Caietano y Silue-

Silueſtro: mas la duda es, ſi ay aqui pecado venial por paruidad de materia. Bañez y otros dizen, que no por ſer coſa grauiſſima la honra; mas à mi pareceme lo contrario, que aſſi como todos los pecados ſon ofenſa de Dios, y no obſtante eſſo ay pecados veniales, porque ſon leues offenſas, aſſi aqui, y tal me parece, quando algunas vezes ſe traen palabras de la ſagrada Eſcritura à propoſito de burlas con poca reuerencia; y lo miſmo quando vn organiſta que ſabe muy poco en vna aldea tañe en lugar de kyrie vnas vacas, ò vn ſonezito (porque no ſe le alança mas) al, Ite Miſſa eſt de la Paſcua.] Ita ille.

Et nota quòd ſtando etiam in prima ſententia conuicium in Sanctos, non vt Sancti ſunt, ſed ex alio reſpectu, poteſt eſſe peccatum veniale ex paruitate materiæ, vt ſi quis per iocum diceret, ſanctos Criſpinum & Criſpinianum fuiſſe ſutores, & ſanctos Ioannem & Paulum fuiſſe Eunuchos. Et ita docet Duuallius *in* 2. 2. *D. Thomæ tract. de fide quæſt.* 9. *artic.* 2. Sanctarellus *tractat. de blaſphemia cap.* 4. *dub.* 2. *num.* 8. Sayrus *in claui Regia lib.* 6. *cap.* 13. *num.*5. Syluius *in* 2. 2. *quæſt.* 13. *artic.*2. & *ibi* Bannez, Aragon, Sanchez *in ſumma tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 42. & alij. Sed hanc opinionem non admittit Lorca *in* 2. 2. *quæſt.*13. *artic.*2. *num.*9. vbi ſic ait. Eſt blaſphemia ita graue peccatum, vt non poſſit fieri veniale, niſi ſolùm ex defectu deliberationis. Nam quod aliqui dicunt poſſe fieri veniale, ſi non ſeriò, ſed ioco proferatur, non approbo, quoniam illicitus eſt iocus, in quo iniuria Dei inuoluitur, nec propter iocum deficit ratio iniuriæ, imò iocari rebus tanti momenti, ſpecialis blaſphemia eſt, niſi quis vocet iocum, quod non ex animo ſignificandi, quod verba ſonant, profertur, ſcilicet ſi per hyperbolem, vt qui feminam vocat Deam, id enim veniale erit. Sic ille. Vnde puto ſaltem quoad hoc vltimum vtramque ſententiam probabilem eſſe.

RESOL. IV. *An in iuramento aſſertorio detur paruitas materiæ, & quid in promiſſorio?*

NEgatiuè reſpondet Sanctarellus *tract. de blaſphem. cap.* 4. *dub.* 2 *num.*8. vbi ſic ait. Iuramentum falſum aſſertorium non poteſt eſſe peccatum veniale ratione materiæ, cùm adducatur Deus in teſtem falſitatis. Ita ille. cui adde Merollam *tom.*1. *diſput.* 2. *cap.* 4. *dub.*7. *num.*112. Baldellum *tom.*1. *lib.*3. *diſput.*14. *num.*12 Homobonum *in conſult. moral. volum.*2. *part.*5. *reſp.*139. Fauſtum *de ſacrament. Pœnitent. lib.*7. *quæſt.*56. Malderum *tract. de ſigillo Confeſſ. cap.*3. Alphonſum de Leone *de offic. Confeſſ. part.*1. *recollect.*7. *num.*33. Eſcobar *de pur. & nobil. prob. part.*1: *quæſt.*10. §. 4 *num.*44. Molfeſium *in ſumm. tom.*1. *tr.*8. *cap* 8. *num.*66. Sayrum *in Claui Regia, lib.* 12. *cap.*2. *num.*16. Graſſium *part.*2. *lib.*2. *cap.*8. *num.*16. Sanchez *in ſumm. tom.*1. *lib.*1. *cap.* 4. & alios penes ipſum. Imò aliqui, quos ego citaui *in part.* 4. *tract.*4. *reſolut.*70. hoc etiam docent in iuramento promiſſorio, quia ſi homo ſub peccato mortali tenetur iurare, vt ſit veritas in iuramento aſſertorio, idque ideo ne Deum faciat teſtem falſi: ergo ſub eadem obligatione tenetur curare, vt etiam in promiſſorio ſit veritas; ſolùm eſt differentia, quòd veritas iuramenti aſſertorij debeat eſſe præſens, & ſit ſpeculatiua, veritas promiſſorij ſit futura pendens ab ipſo iurante; ſed hæc diuerſitas non facit, vt ipſe non teneatur pari modo procurare, eſſeque ſollicitus, vt verum ſit quod iurauit. Item iuramentum reſpicit materiam non quatenus eſt magni, vel parui momenti, multum, vel parum vtilis homini, ſed quatenus vera; ergo ex magnitudine, vel paruitate materiæ non debet iudicari eius obligatio, ſed ex veritate: atqui omnes veritates ſunt eiuſdem rationis in ordine ad teſtimonium diuinum, eiuſdem enim rationis eſt in re parua, & in re magna falſum teſtari: ergo eiuſdem rationis eſt in re magna, & in parua Deum teſtem falſi facere. ergo, &c. Sed ibi cum pluribus Doctoribus ſatis firmaui contrariam ſententiam eſſe probabilem, & tutam in praxi, nempe in iuramento promiſſorio dari paruitatem materiæ; & ratio eſt, quia obligatio iuramenti promiſſorij æſtimanda eſt ſecundùm qualitatem materiæ: ergo ſecundùm quod illa magna, vel parua fuerit, talis erit & obligatio. Antecedens probatur, quando enim materia iuramenti promiſſorij eſt mala etiam venialiter, nulla eſt obligatio illud implendi. ergo obligatio non habet ſe independenter à qualitate materiæ promiſſæ, & propterea ſicut nullum eſt peccatum non implere iuramentum de re mala, ita ſolùm erit veniale, ſi fuerit de re quidem bona, ſed leui. Confirmatur. In alijs peccatis plerumque habetur ratio leuitatis materiæ; igitur & in hoc. Similiter ſi dicas poſſe concludi, quòd & in aſſertorio periurio habenda ſit ratio leuitatis materiæ, negandum eſt, etſi enim res, quæ iuratur fortaſſe parua ſit, non tamen eſt paruum confirmare mendacium iuramento, quia ſic Deus inducitur teſtis falſitatis, quod non poteſt non eſſe magnum. Et ideo, vt dixi, vtramque ſententiam probabilem eſſe puto, & Doctores vtramque tuentes, inuenies apud me ipſum *loco cit.* Et ne deſeras videre Eſcobar, qui doctè, vt ſemper ſolet, hoc dubium pertractat *in tract. de purit. & nobil. probanda, part.*1. *q.*6. §. 5. *à num.*40.

RESOL. V. *An in rebus venereis detur paruitas materiæ?*

AFfirmatiuam ſententiam docet nouiſſimè Iacobus Marchantius *in qq. paſtoral. ad Decal. c.*6. *q.*2. vbi ſic ait. Oſcula etiam iudicantur mortalia, licet quis non intendat copulam, nec in ea delectetur, ſed ſolùm illam voluptatem carnalem & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, quærat, non intendendo vlteriorem. Hæc eſt communior, & tutior ſententia. Altera tamen, quæ dicit ſolùm eſſe venialia, ſi abſit periculum conſenſus vlterioris, & periculum pollutionis, non videtur improbabilis. hanc tenet Martinus de Magiſtris, & aliqui recentiores, in eamque inclinat Nauarr. *de pœnit. d.*1. *c. ſi cui, in fine.* Atque rationes huius ſententiæ proſequitur fusè Leſſius *lib.*4. *cap.*3. *dub.*8. Certè difficile planè eſt Confeſſarijs peccati mortalis mox cõdemnare iuuenes nubiles, & procos, quos paſſim reperies aliquibus oſculis vti erga procas, aut puellas, quas

viſitant, nec ſibi hi, vel hæ formant conſcientiam grauis peccati, licet aliquam inde voluptatem perceperint, vel quæſierint, modò ſi nulla interuenerit voluntas alicuius attactus impudici, vel periculum actus, aut conſenſus vlterioris. Difficile etiam eſt denegare eis abſolutionem ſacramentalem, ſi à ſimilibus oſculis abſtinere noluerint, cùm aſſerant impoſſibile moraliter eſſe, vt non intercurrant quandoque oſcula cum aliqua voluptate, eo quòd deceat ipſos conuerſari inter puellas ad ambienda matrimonia, & honeſtas recreationes, & familiaria colloquia eis exhibere. Ratio igitur, cur non videantur ſtatim peccati mortalis condemnandi, eſt, quia voluptas illa ex oſculo captata videtur ſpectare ad paruitatem materiæ in hoc genere peccati, & ſolùm remotè diſponere ad voluptatem mortalem, quæ in concubitu carnali eſt; ſic ergo voluptas illa venialis cenſeri poteſt, ſicut quæ remotè diſponunt ad alia peccata mortalia, ſolùm in genere peccati venialis cenſentur. v. g. litigium diſponit ad homicidium; hauſtus immoderatus ad ebrietatem, non tamen mox ſunt peccata mortalia. Quapropter etiam voluptas illa inter ſponſos & ſponſas non cenſetur peccatum, ſi ſint ſine periculo pollutionis, quia nimirum remotè ſolùm diſponit ad actum principalem coniugij: ratione verò ſponſalium ius eis ad illa competit, quæ ſunt ſolùm diſpoſitio, & præparatio ad matrimonium. Itaque in alijs, quàm ſponſis, iudicabitur voluptas illa exigua, ſicque venialis, niſi cum magno libidinis ardore ſit coniuncta. Vnde aduerto multos, qui peccati mortalis condemnantur, ſic loqui, qui oſculis vacant libidinosè. Ita loquitur Caietanus, Armilla, & alij. ideoque videntur loqui de replicatis oſculis, & cum mora & ardore libidinis datis. Huc vſque Marchantius, qui etiam infrà *in Corollar. cap.* 8. ſic aſſerit. Octauus caſus eſt de oſculis inter iuuenculos, & iuuenculas, ex quibus aliqua ſenſualis delectatio impura oritur. Atque de his iam dictum eſt, ſi fiant cum ardore, & mora, puta replicatis diu in ore oſculis ob periculum morale, mortalem ordinariè culpam afferre. Si verò in tranſitu fiat oſculum, cui vix inhæret, licet voluptas, ſeu delectatio aliqua captetur, poſſe ſecundùm opinionem multorum veniale id iudicari ob paruitatem materiæ. Immò quidam hæc negant vocari libidinoſa oſcula quę paſſim à Summiſtis condemnantur peccati mortalis, illa enim ſolùm inter libidinoſa recenſent, quæ fiunt ex intentione delectationis concubitus, ſiue pollutionis, aut ſimilis actus luxurioſi. Ita ille.

Probari poteſt hęc opinio ex D. Auguſtino *lib.* 2. *in Iulian. cap.* 10. vbi dicit in hunc modum. Quantum enim ad nos attinet ſine peccato ſemper eſſemus, donec ſanaretur hoc malum, ſi ei nunquam conſentiremus ad malum, ſed quibus ab illo rebellante, etſi non lethaliter, ſed venialiter, tamen vincimur, in his contrahimus, vnde quotidie dicamus, *Dimitte nobis debita noſtra.* Sicut coniuges quando modum generationis neceſſarium cauſa ſolius voluptatis excedunt, ſicut continentes, quando in talibus cogitationibus cum aliqua delectatione remorantur, non quidem decernentes flagitium, ſed intentionem mentis, non ſicut oportet, ne illo incidat, inde auertentes, aut ſi inciderit, inde rapientes. Ita Auguſtinus. Ex quibus verbis videtur dari veniale in materia luxuriæ propter paruitatem delectationis. Secundò facit quòd alioqui delectatio quæcumque venerea etiam ex ſolo viſu capta, eſſet mortalis, quod negat Caietanus & plures alij docti viri, & tamen aſpectus iſti, quando libidinoſi ſunt, vt tradunt multi, quodammodo ex fornicatione ſpeciem ſortiuntur. Tertiò non apparet ratio, quare hic non poſſit excuſari leuitas materiæ à mortali, ſicut in alijs peccatis, quorum materiæ admittunt diminutionem. Nec valet dicere ex Galeno & alijs Medicis cum Rebellio *lib.* 3. *q.* 13. *ſect.* 3. & Merolla *tom.* 1. *diſp.* 2. *cap.* 4. *diffic.* 2. *n.* 120. quòd omnis delectatio venerea ſit inchoatio quædam pollutionis, atque adeò pertineat ad mollitiem. Itaque ſicut inchoatus actus occiſionis eſt mortalis, ita etiam quæcumque eiuſmodi delectatio: nam reſpondetur, quòd quando inchoatio tam exigua eſt, vt actus moralis non cenſeatur phyſicè ſecundùm ſubſtantiam, aut virtute, moraliter loquendo, iam eſſe, ſed ſolùm in diſpoſitione remotiori, aut imperfectiori, non erit talis inchoatio mortalis, etſi actus fuerit mortalis. Et tandem non valet dicere quòd inter ſolutos hæc delectatio ſemper habet finem operis mortiferum, ſcilicet copulam carnalem. nam reſpondetur, quòd quicquid ſit de intentione naturæ, morali intentione, non ſatis perfectè habet iſta delectatio finem mortalem, quando diſpoſitio eſt tam remota.

Sed his minimè ſuffragantibus Baldellus *tom.* 1. *lib.* 3. *diſput.* 14. *num.* 4. & Lopez de Texeda *tom.* 1. *lib.* 2. *tract.* 3. *contr.* 13. *num.* 73. teſtantur, Clem. VIII. definiuiſſe in officio Sanctæ Inquiſitionis non dari in rebus venereis paruitatem materiæ; & ſententiam Marchantij *vbi ſuprà* ego reprobaui *in* 4. *part. tract.* 4. *reſol.* 136. *& tr.* 5. *reſol.* 5. Vide etiam me ipſum *in* 3. *part. tract.* 5. *reſolut.* 1. in quibus locis adduxi Doctores aſſerentes in rebus venereis non eſſe dandam paruitatem materiæ, quibus, me citato, nunc adde Cæleſtinum *in compend. Theolog. moral. tract.* 1. *cap.* 4. *q.* 9. Leonem *de offic. Confeſſ. part.* 1. *recollect.* 7. *num.* 32. Poſſeuinum *de officio Curati, cap.* 15. *num.* 26. Gordonum *tom.* 1. *lib.* 1. *q.* 11. *cap.* 3. *nu.* 23. neque enim in his materijs laxandæ ſunt habenæ. Vnde hîc non grauabor apponere decretum factum à magno illo viro Claudio Aquauiua pro Societate, quod eſt tenoris ſequentis. Quia nonnullorum opinio, qui docent etiam in re venerea exiguam aliquam delectationem deliberatè quæſitam propter leuitatem materiæ excuſare à peccato mortali, plurimum obeſſe poſſet non ſolùm bonæ Societatis exiſtimationi, ſed etiam puritati morum, quā tum in noſtris, tum in externis tanti ſemper facit Societas. & quia propter periculum in quod inducit, ac moralem impoſſibilitatem diſtinguendi practicè in re tam lubrica materiam leuem à graui, à doctis admodum, granibuſque Societatis Patribus, cum quibus negotium hoc communicauimus, in praxi omnino falſa, maximè periculoſa, ac puritati valde contraria iudicatur, re maturè conſiderata, ſtatuendum in Domino duximus, ne

quis

quis in Societate in posterum vel publicè, vel priuatim, non modò vt veram, vel probabilem, sed ne vt tolerabilem quidem vlla ratione eam doceat, aut placere sibi significet, aut secundùm illam consilium cuiquam det, quod omnibus in virtute sanctæ Obedientiæ præcipimus, & sub pœna excommunicationis ac priuationis lecturæ, vocis activæ, & passiuæ, nec non etiam inhabilitatis ad quælibet Officia, ac alijs pœnis arbitrio nostro infligendis. & ad professionem tales intelligant se minimè esse admittendos, & vbi de re satis constiterit, Prouinciales statim exequi debebunt, nosque primo quoque tempore monere, vt re examinata statuere possimus, an qui rem tanti momenti, atqui à nobis tam seriò commendatam neglexerit, retineri in Societate expediat, atque hæc interim, dum (quod futurum speramus) grauius aliquid in hanc doctrinam à suprema Romana Sede statuatur, volumus etiam vt post manifestationē huius decreti, si quis in posterum aliquem ex nostris contra supradicta deliquisse nouerit, teneatur in virtute sanctæ Obedientiæ Superiori aperire. Romæ 24. Aprilis 1612. *Claudius Aquauiua.* Et hoc decretum affert Pater Trimarchi *in tract. de Confess. sollicit. disp. 2. sect. 7. num.* 46. & Tannerus *in part. 2. disp. 4. q. 8. dub. 6.*

Resol. VI. *An in diebus festis detur paruitas materiæ in ordine ad opera seruilia?*

Respondeo affirmatiuè, & ad hoc dubium respondet Marchantius *in qq. pastoral. cap. 3. q 2.* vbi sic ait. Quæres quantum temporis requiratur vt quis dicatur notabili tempore in die festo, opus seruile exercuisse? Respondeo, alij dicunt, quatuor horas, alij verò duas. Ego vt minimum requirerem tres ad peccatum mortale, quia censeri debet pars notabilis diei: vnde aliqui tertiam, vel quartam diei partem requirunt. Ita ille. Sed ego alibi cum multis Doctoribus decreui hoc tempus non esse extendendum vltra duas horas. Imò Castrus Palaus *tom. 1. tract. 9. disput. 2. punct. 3. num. 4.* putat si duabus horis labori incumbatur, materiam esse grauem, & peccatum mortale committi. Sed si dictum spatium non excedas, puto, vt dixi, non esse materiam grauem. Vnde Ioannes Henriquez *in comp. cas. moral. cap. 7. num. 4.* sic ait. [Trabajar dos horas en dia de fiesta es pecado venial por ser poco el tiempo, però si passasse dos horas, sera pecado mortal.] Sic ille. Alij verò Doctores de hac materia differentes, sunt Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 2. de festis, cap. 31. num. 2.* Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 1. cap. 4. num. 18. & in opusc. tom. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 30. num. 4.* Azorius *lib. 1. tom. 2. cap. 28. q. 5.* Fagundez *pr. 1. lib. 1. cap. 14. num. 2.* & alij penes ipsos.

Non desinam tamen hîc adnotare, quòd in operibus forensibus, & iudicialibus, quæ sunt speciali iure prohibita, materia grauis sumenda est non ex quantitate temporis insumpti, sed ex qualitate operis: nam si res vendita esset magni momenti, & venditio solemnitate aliqua celebraretur, etiamsi breui tempore fieret, esset mortale, quod à fortiori militat in quolibet actu iudicij; si quidem negari non potest habere de se grauem deformitatem, quòd iudex efficiat actum irritum & nullum. Si verò venditio minoris esset momenti, vt vendere calceos, vel alia huiusmodi, iam consuetudo obtinuit non esse graue peccatum, & sæpè nullum, ob necessitatem vendentium, & ementium, neque enim iustum erat, vt vendentes merces denegarent agricolis, & alijs die feriato concurrentibus, quia ex tali denegatione graue damnum paterentur. & ita docet Castrus Palaus *vbi suprà, num. 5.*

Resol. VII. *An in omissione operis iniuncti alicuius Indulgentiæ, detur paruitas materiæ?*

Ad hunc casum respondet Ægidius de Trullenck *in sua erudita expositione ad Bull. Cruc. lib. 1. §. 2. dub. 15. num. 2.* vbi sic ait. Si Indulgentia requirit multa opera, v.g. tres dies ieiunij, si quis omittit vnum, non consequetur Indulgentiam totam, nec aliquam eius partem, quia opera omnia habent se tanquam vnica indiuisibilis conditio concessionis. At si operis iniuncti minima pars tantū omittatur, vt si opus iniunctum sit vna Missa, & minima eius pars omittatur, verisimile est lucrari Indulgētiam, quia, moraliter loquendo, totum opus fieri censetur eo quòd in moralibus parum pro nihilo reputatur; quòd si pars in se est leuis, reputatur tamen grauis respectu operis iniuncti, non lucratur, ea omissa. Indulgentiam: vt si concedatur recitanti quinquies orationē Dominicam, omittens vnam, non consequitur eam, quia respectu totius operis est pars grauis. Ita Trullenck, & ante illum Suarez *in 3. part. tom. 4. disp. 52. sect. 4. num. 4.*

Resol. VIII. *An in fractione sigilli confessionis detur paruitas materiæ?*

Respondeo negatiuè, quia paruitas materiæ nō obstat, quo minus hîc reperiatur integra ratio irreuerentiæ, & offensionis Dei, sicut etiam fit in periurio assertorio, & similibus, quod vt intelligatur, aduerto arctam illam obligationem celandi peccata confessa non esse in eo fundatam, quòd peccata, quæ celantur, sint magna, sed in eo potiùs, quòd res maximi momenti sit, & prorsus necessaria, totum negotium confessionis esse secretum. Alioqui si ex eo, quòd paruæ culpæ sit peccatum, quod reuelatur, colligere liceat etiam esse paruæ culpæ ipsam reuelationē; licebit etiam ex eo quòd non necessariò confiteamur venialia, inferre quòd ipsa confessa non necessariò celentur, aut ex eo, quòd secretiores defectus corporis, aut natalium in confessione detecti, non sint peccata, eos etiam non esse celandos. Quare non dubitauit Henriquez dicere contrariam sententiam non esse probabilem, cui libenter adstipulor, præsertim cùm reuelare confessionem sit intrinsecè malum, & ex genere suo mortale; venialium autem confessio sit absolutè confessio, & eorum reuelatio in proposito sit absolutè reuelatio confessionis, præsertim cùm etiam vnius peccati venialis confessio sit absolutè sacramentalis confessio. ergo, &c. Et hæc omnia docet Malderus *tract. de sigillo confess. cap. 3.* cui adde Doctores, quos citat & sequitur Pater Leo *de offic. Confess. part. 1. recollect. 7. num. 43.* quibus adde Baldellum *in disput. Theolog. tom. 1. lib. 3. disp. 14. num. 13.* Vide etiam Faustum *de sacrament. Pœnitent.*

lib.7. quæſt.56. qui optimè inuehitur contra Ledeſmam, qui auſus eſt aſſerere non eſſe peccatum mortale ſacrilegij reuelare vnum veniale in ſpecie alicuius pœnitentis in confeſſione auditum, modò circumſtantes nullo modo intelligant in confeſſione fuiſſe auditum. Similiter cauendum eſt à doctrina Soti *in 4. diſtinct. 18. q. 4. art. 5. & de ſecreto, memb.3. q.4.* vbi licet contrarium teneat, dicit tamen id eſſe probabile.

RESOL. IX. *An in ſollicitatione facta in confeſſione & prohibita in Bullis Pontificijs, detur paruitas materiæ?*

NEgatiuam ſententiam cõtra Caſtrum Palaum, Portel, & Souſam docui cum multis Doctoribus *in 4.part.tract.5.reſolut.5.* quibus nunc addo Boſſium *de Iubilæo in appen.de Confeſſ.ſollic.dub.18.n.55.* & amiciſſimum Trimarcki *in eodem tract. diſput.2. ſect.7.num.44.* Primò, quia nulla danda eſt paruitas materiæ in peccato luxuriæ. Secundò, quia dato, & non conceſſo, quòd aliqua ſollicitatio in genere luxuriæ eſſet leuis, tamen grauitatem, & atrocitatem recipit ex loco, tempore, cauſa, perſona, & qualitate, & ideo culpa, quæ in pagano, ſeu ruſtico erit nulla, aut leuis, in milite erit grauis, & ex Theologis aſſerentibus verba iniurioſa continentia paruam iniuriam, vel leuem contemptum, quæ prolata in alium eſſent tantùm culpa venialis, prolata in patrem carnalem, vel ſpiritualem, ſeu Superiorem Prælatum, eſſe mortale peccatum ratione perſonæ. Sic ergo Confeſſarius, qui tali loco, ſcilicet in Confeſſionario, & tali tempore, nempe dũ adminiſtrat Pœnitentiæ ſacramentum, miſcet tactus, geſtus, ſermones illos impudicos, aliàs leues, peccat mortaliter ratione ſanctitatis Sacramenti, cui detrahitur per prædictos actus impudicos. Sacramenta enim ſancta ſanctè adminiſtranda ſunt, ex Tridentino *ſeſſ.24.cap.1.de reform.* non verò iniurioſè & ſcurriliter, & cum ſcandalo, vel auerſione fidelium ab eiuſdem Sacramenti vſu, & conſequenter comprehenditur in dictis conſtitutionibus, præſertim, quia in foro externo ad incurrendam pœnam, damnandamque perſonam tanquam laſciuam prædicti actus, geſtus, & ſermones impudici præſumuntur peccata mortalia. ergo, &c.

RESOL. X. *An in anticipatione comeſtionis in die ieiunij detur paruitas materiæ?*

NEgatiuam ſententiam docet nouiſſimè Ioannes Sancius *in ſelectis, diſput.53.num.2.* vbi ſic ait. Indulgendo ieiunantibus, quòd hora vndecima queant ſe reficere, latus terminus aſſignatur, infra quem nullus extat debilis, aliàs ſi alter poſſet aſſignari infra illum, etiam aliud paruum ſpatium liceret anteponere, & ſic in infinitum. Deueniendũ igitur eſt ad terminum, infra quem alius non deſignetur, ſicut in ſponſalibus ſeptennium completũ mathematicè requiritur. Sicut enim ætas, quæ iure præſcribitur, in indiuiſibili conſiſtit, ne quiſquam poſſit illam ſuo priuato iudicio mutare, vt benè aduertit Sanchez *lib.1. de matrim. diſput.16.* Ægid. *diſp.21.num.55.* Baſil. *lib.12.cap.5.* Hurtado *de matrim. diſſic.14.* Sic & hora, quæ communiter à Doctoribus aſſignatur, (quod enim parum diſtat à re, nihil diſtare videtur,) non habet locum in termino præſcripto à iure, ſiue quod æquiualet à communi Doctorum. Ita Sancius, nimis quidem ſcrupulosè.

Et ideo aliqui putant, per ſemihoram, immò & aliqui per horam non peccare laicos mortaliter, ſi anticiparent in die ieiunij comeſtionem. & ita ego *in part.1.tract.9.reſolut.27.* pro hac ſententia adduxi Molfeſium, & Filliucium. Verùm hæc quæſtio in mea opinione non habet difficultatem. nam ego cum multis Doctoribus, vt patet *in loco citato*, docui, quamlibet anticipationem horæ in comeſtione ieiunij non eſſe peccatum mortale; & ita etiam hanc ſententiam docet Ioan. Henriquez *in compen. caſ.moral.cap.18.num.5.* vbi ſic ait. [En el dia de ayuno ſe deue comer à hora competente, que es, deſde las onze del dia haſta las tres de la tarde, pero ſi la comida ſe antepuſieſſe, ò poſpuſieſſe de ſu hora, no ſera pecado mortal, ſino venial, como lo dize Toledo *lib.6.cap.4. n.4.* Y ſi ſe antepuſieſſe o poſpuſieſſe con cauſa, no ſera pecado alguno, como por razon de auer à caminar, y en eſte punto anduuo muy riguroſo Nauarro *cap.21.n.27.* diziendo que es pecado mortal anteponer la hora de la comida.] Ita ille. quicquid in contrarium aſſerat Ludouicus de San Iuan *in ſumm.q. del ayuno, art.13. dub.1.diffic.1.cap.2.*

RESOL. XI. *An in fractione ieiunij detur paruitas materiæ?*

REſpondeo affirmatiuè cum Sanchez *in ſum. tom.1.lib.1.cap.4.num.12.* Alphonſo de Leone *de offic.Confeſſ.p.1.recollect.7.num.23.* & alijs communiter. Sed difficultas in caſu noſtro eſt, quænam paruitas materiæ excuſet à fractione ieiunij: nam relinquere hoc ad arbitrium boni viri non eſt tollere ſcrupulum, ſed magis augere. Et ego apud nullum Doctorem inueni hunc caſum in terminis pertractatum, ſolùm nouiſſimè illum pertractat, & talem materiam determinat Aloyſius Turrianus Societ. IESV *in ſumm.Theolog.mor.part.1.cap.256. dub.27. n.2.* vbi ſic aſſerit. Quantitas duarum vnciarum communis cibi non ſufficit ad peccatum mortale. Ita ille, qui nullam tamen adducit rationem pro hac ſententia, ſed nos infrà adducemus. Igitur ſecundùm Turrianum quis manè antequam è domo exeat, poteſt ſine mortali fractione ieiunij ſumere quantitatem cibi duarum vnciarum, & poſtea hora conſueta comedere, & ſerò veſpertinam collatiunculam ſumere, quam ipſe putat *in dubio 38.n.1.* poſſe ſumi in quantitate vnciarum octo, quod ego etiam docui *in part.1.tract.de ieiunio, reſolut.1.* & docet etiam Ioannes Henriquez *in compend. caſ. mor. cap.18.num.2.& 3.*

Notandum eſt hîc obiter contra Turrianum *in ſumma part.1.cap.256.dub.24.concl.4. & 7.* potionem in Hiſpania dictam *Chocolate*, frangere ieiunium, niſi excuſetur ex paruitate materiæ, vt ego docui *in part.4.tr.4.reſolut.194.* & nouiſſimè docet Anton. de Leon *in ſua erudita q.moral.del Chocolate.* vbi *part. 3.num.20.* determinat etiam paruitatem materiæ. Sic enim ait, [Se pueden conſiderar los ingredientes de dor ſi para hazer el compueſto, y tambien

le

el compuesto hecho. Si este se considera se podrá bener la quarta parte de vna xicara comun, y ordinaria, y à lo mas la tercera parte. Si se consideran los simples, que es modo menos engañoso, se podra echar medio onça de pasta asurar necessario, con la cantidad de agua que cada vno quisiere, y esta tengo para mi que sea materia parua.] Ita ille. Ex quo etiam desumitur ratio ad firmandam opinionem Turriani *vbi suprà*. Nam Reginald. *tom.1. lib.4.cap.14.num.185.* Layman *lib 4.tr.8.cap.1. num.9.* Filliucius *tom.2.tract.27.p.2.c.3.n.33.* & alij asserunt quantitatem collationis serotinæ in ieiunio reducendam esse ad quartam partem quantitatis cœnę ordinariæ. ergo quantitas paruitatis materiæ non frangentis ieiunium reducenda est ad quartam partem quantitatis collationis serotinæ. vnde Antonius de Leon *vbi suprà num.21.* sic ait. [Porque ay quien reduga la colacion a la quarta parte de la cena comun, no es mal fundamiento, para dezir que la quarta parte de la colacion sea materia parua.] Ita ille. Sed probabiliter asserunt Doctores, vt visum est, quantitatem collationis serotinæ esse vncias octo. ergo quantitas paruitatis materiæ non frangens ieiunium erit vnciarum duarum, vt vult Turrianus.

RESOL. XII. *An in ieiunio pro communione sumenda detur paruitas materiæ?*

ALiqui, teste Hurtado *de sacrament. Eucharist. disp. 9 difficult.15.* existimant tantùm esse peccatum veniale Eucharistiam sumere post sumptionem cibi, & potus in parua quantitate ob leuitatem, seu paruitatem materiæ; & Gotfredus & Præpositus docuerunt ad sumptionem Eucharistiæ sufficere ieiunium Ecclesiasticum, quia ieiunium ad eam prærequisitum præcipitur ab Ecclesia. ergo eodem modo intelligendum est, quo Ecclesia intelligit ieiunium, quo pro diebus ieiunij præcipit.

Sed prorsus contrariam sententiam tenendam esse puto. Dico igitur esse lethale crimen ieiunium naturale frangere ante communionem sumpta quantumlibet minima parte cibi, nisi per modum saliuæ, aut respirationis sumatur, vel attrahatur. Nam materia prohibita ab Ecclesia non est, quòd quis non sumat cibum, vel potum absolutè, sed quòd non suscipiat Eucharistiam post cibum, vel potum; huiusmodi autē præceptum violatur simpliciter in suo actu principali, etiamsi ieiunium in parua materia solutum sit. & ita docet Hurtado *vbi suprà*, cui adde Ioannem de Lugo *de sacrament. Eucharist. disput.15. sect.2.n.22.* Præpositum *in 3.part.q. 80.art.8.dub.1.num.39.* Sancium *in select. disp 51. n.1.* Suarez *in 3.part.tom.3 disput.68. sect.4.* Valquez *disp. 211.cap.3.* Ochagauiam *de sacrament. Eucharist. tract. 2.q.12.num.7.* Turrianum *de iust. tom.1.disput.22.dub. 1.num.6.* & alios penes ipsos. Vnde puto contrariam sententiam esse improbabilem, & ideo in Concilio Toletano VII. *can.2.* relato *in cap. nihil, q.1.* dicitur, nullus post cibum potumque quemlibet minimum sumptum Missas facere præsumat.

Non desinam tamen hîc adnotare ea quæ docet Granado *in 3.part.de Sacram.contr.6.tract.10.disp. 8.num.8.* vbi sic ait. Tabiena & Henriquez dicunt, si musca, aut aliquid minimum casu *intrauit in os* apertum, non obstare communioni, quia id non est manducare. Et quidem si minimum aliquid inaduertenter traiiciatur, eo ipso censetur traiici per modum saliuæ, ac proinde non soluere ieiunium. An verò quantitas muscæ sit adeò minima, vt de illa hoc verificetur, incertum mihi est. Pater Thomas Sanchez ait non obstare communioni, quòd quis inaduertenter culicē deglutierit. Pater Ildefonsus Rodriquez ait, aquam quam putamen auellanæ capit, esse minimā. Res hæc restringenda potiùs, quàm extendenda est. Huc vsque Granado.

RESOL. XIII. *An in acceptione personarum quoad beneficia conferenda, detur paruitas materiæ?*

AFfirmatiuam sententiam docet Rodriquez *in summa tom.1.cap.16. ante num.1.* vbi sic ait. [De aqui se sigue que la aception de las personas segun su naturaleza es pecado mortal, pues es opuesta à la justicia, dixe de su naturaleza, porque por la poquedad de la materia puede acontecer algunas vezes que sea pecado venial, como si vno eligiesse à vn amigo menos digno de vn oficio de poco momento en la Republica dexando à otro que mejor lo merece, como se dirà en el Capitulo de los beneficios.] Ita ille. & Sotus *de iust. lib.3.q.vlt. art.2.* cum Bañez, Salonio, & Valentia penes Turrianum *vbi infrà*, docent non fore peccatum mortiferum, quando munus, ad quod quis eligendus est, non est magni momenti, & prętermisso digniori eligitur dignus. Secundò docent non esse mortale, quando licet materia, aut munus electionis magni momenti sit, excessus tamē dignitatis paruus, & modicus est, tunc enim non videtur grauis violatio iustitiæ distributiuæ.

Sed Aloysius Turrianus *in 2.2. D.Thom. de Iustit. tom.2.disput.22.dub.1.num.6.* existimat priorem partem huius sententiæ veram esse, si contingat materiam electionis esse leuem, quod non facilè eueniet in electione beneficij & cathedræ. Secundam verò partem existimat omnino falsam, neque admittendam. nam materia præcepti non est excessus dignitatis, sed electio dignioris, cui conferendum est beneficium, aut præbenda: talis autem actus grauis materia est, & propter eandem rationem mihi numquam placuit, quod docent recentiores aliqui in materia de charitate esse leue peccatum prætermittere ordinem misericordiæ positum in præcepto, quando leuis est excessus, v.g. si duo aliqui sint in extrema necessitate, & secundùm ordinem misericordiæ teneatur aliquis potiùs vni, quàm alteri succurrere, propter titulum, v.g. consanguinitatis, docent prædicti recentiores non esse peccatum mortiferum violare talem obligationē, quando excessus consanguinitatis paruus est. Sed hæc doctrina admittenda non est, quia in materia præcepti misericordiæ, non est maior, aut minor consanguinitas in eo euentu, sed largitio eleemosynæ faciendæ propinquiori secundùm debitum ordinem: talis autem actus magni momenti est, ex quo pendet vita eius cui debetur eleemosyna ex obligatione ordinis misericordiæ, qui est in præcepto, & oppositum non existimo tutum in praxi, propter manifestam

manifeſtam rationem aſſignatam ; & licet Bañez *vbi ſuprà* ita explicet ſuam opinionem de electione minùs digni, quando paruus eſt exceſſus, vt velit paruum exceſſum pro nihilo reputari, & vtrumque candidatum eſſe, quaſi æquè dignum ; hanc tamen doctrinam non admittit idem Turrianus, quia Bannez docet eſſe peccatum veniale in hoc euentu non eligere digniorem, admittit ergo exceſſum dignitatis in vno: hoc autem admiſſo contendit eſſe obligationem grauem eligendi digniorem ; vnde ex his ego puto vtramque ſententiam eſſe probabilem.

RESOL. XIV. *An in negatione debiti coniugalis detur paruitas materiæ?*

REſpondeo negationem debiti eſſe peccatum ex genere ſuo mortale, & contra iuſtitiam commutatiuam. Ita communiter omnes, & probatur, quia violatio iuſtitiæ commutatiuæ eſt ex genere ſuo mortalis, niſi paruitate materiæ, aut alia cauſa venialis fiat. Dixi eſſe mortale ex genere ſuo, quia aliquando poteſt eſſe veniale, videlicet ex paruitate materiæ, vt ſi vno frequenter exigenti, alter rarò debitum neget, aut illud ad breue tempus differat: vt ſi coniux die neget redditurus noctu, nam leuis materia eſt ſæpiſſimè concedere, ſemel, aut iterum negare, aut ad modicum tempus differre, quod intelligendum eſt, ſi ex aliqua parte ceſſet incontinentiæ, pollutionis, aut morbi periculum. nam eo imminenti mortale eſſet negare, aut differe. & ita docet Cornejo *in 3. part. D. Thom. tract. 6. de matrim. diſp. 5. dub. 1. q. 2.* & alij.

RESOL. XV. *An in dilatione pœnitentiæ iniunctæ detur paruitas materiæ?*

AD hoc dubium libet reſpondere cum verbis amiciſſimi P. Hurtado *de ſacrament. Pœnitent. diſput. 14. difficult. 1.* vbi ſic ait. Circa tempus quo pœnitens teneatur implere pœnitentiam, certum eſt teneri tempore præſcripto à Confeſſario, ſi illud præſcripſit. Quòd ſi tunc illam non impleat, etiam tenetur poſtea illam implere, quia ſemper, etiam quando aliquando iniungitur in honorem diei præſcripti, iniungitur in vindictam peccatorum confeſſorum. Si verò à Confeſſario nullum præſcribitur tempus, implenda eſt quamprimùm moraliter commodè poſſit, vt aduertunt Suarez *ſect. 7.* & Ægidius *dub. 9.* niſi aliud ex verbis, aut ex circumſtantijs conijciatur voluiſſe Confeſſarium. Ita tamen obligat quamprimùm moraliter commodè poſſit, vt non quæcumque dilatio impletionis pœnitentiæ grauis ſit mortalis, niſi ſit nimia, ſeu grauis, & quoad hoc idem eſt, quando differtur pœnitentia poſt tempus à Confeſſario præſcriptũ, niſi quòd tunc dilatio poteſt aliquando eſſe mortalis, quando pœnitentia grauis fuit præſcripta in aliquo die in honorem feſtiuitatis illius diei, ſi differatur poſt illum, quamuis non ſemper, niſi quando defectus honoris cenſetur grauis. Addit Ochagauia tunc dilationem pœnitentiæ grauis eſſe nimiam, & grauem, quando differtur vltra tertium diem, ſed ſcrupulosè procedit, quia hæc dilatio nõ videtur nimia, imò nec vltra octauum diem, præſertim quando res in pœnitent iam iniuncta, eſſet valde grauis, & poſſet commodè impleri, quia etiã ex rei grauitate creſcit grauitas dilationis, ſicut ex defectu commoditatis implendi illam, decreſcit grauitas dilationis, nihilominùs taxationem grauitatis dilationis pœnitentiæ grauis doctioribus remittimus. Huc vſque Hurtadus.

Non deſinam tamen hîc adnotare id quod alibi etiam notauimus, nempe ex eadem Societate Antonium Fernandez de Corduba *in Inſtruct. Confeſſ. part. 1. docum. 4. n. 5. & docum. 9. §. 2. num. 3.* docere pœnitentem poſſe infrà annum differre adimpletionem pœnitentiæ, ſi aliter Confeſſarius ei non iniunxerit.

Notandum eſt etiam hîc cũ Villalobos *in ſumm. tom. 1. tract. 9. difficult. 78. num. 3.* [Que el dexar de cunplir la penitencia de ſu naturaleza, es coſa graue, y pecado mortal; mas ſi ſe dexaſſe alguna pequeña parte della, ſeria ſolo pecado venial por la paruidad de la materia.] Sic ille. Cui adde Ioannẽ Sancium *in ſelectis, diſp. 14. num. 14.* Igitur ſi quis haberet pœnitentiam audiendi Sacrum, ſi illud audiat poſt Euangelium recitatum, adhuc ſatisfaceret, & idem dicendum eſt de Officio diuino. nam illa paruitas materiæ, quam admittunt Doctores ad excuſandam fractionem præcepti recitandi horas Canonicas, admittenda eſt etiam quoad impletionem pœnitentiæ iniunctæ à Confeſſario. Et hæc doctrina proportionabiliter applicanda etiam erit, ſi imponeretur pœnitentia recitandi Officium B. Virginis, vel Defunctorum, ſeu ſeptem Pſalmos.

Sed quid dicendum erit ſi Confeſſarius imponat pœnitentiam dicendi tertiam partem Roſarij B. Virginis, an ſi omitterentur, v.g. quatuor Aue Maria, excuſaretur pœnitens à peccato mortali ratione paruitatis materiæ; hunc caſum non inuenio à Doctoribus in indiuiduo pertractatum, & videtur negatiuè reſpondendum ex vtroque Sanchez, Thoma, & Ioanne, hoc *in ſelectis diſput. 15. num. 7.* illò *in ſumma tom. 1. lib. 1. cap. 19. num. 4.* aſſerentibus tertiam partem Circuli Virginei indiuiduam materiam reputari, & ideò deficientibus aliquibus Aue Maria, Roſarium non dicitur. Ego puto in tali caſu pœnitentem non peccare mortaliter ſaltem ex præſumpta voluntate Confeſſarij, quem rationabiliter, credendum eſt, non imponere dictam pœnitentiam cum tali onere. Ita vt ſi pœnitens tam paruam materiam relinquat pœnitentiæ iniunctæ non ſatisfaciat.

RESOL. XVI. *An in ætate requiſita ad matrimonium detur paruitas materiæ?*

REſpondeo affirmatiuè. & ita aliqui aſſerunt ſufficere eam ætatem ad matrimonij valorem quamuis tres dies ex ea deficiant. ſic Hoſtienſis *in cap. puberes, num. 5. de deſponſ. impub.* & plus addit Martinus Ledeſma *in 2. part. 4. q. 60. art. 1.* docens ſatis eſſe, quamuis decem dies deſint. Sed communiter Doctores, quos citat, & ſequitur Sanchez *de matrimon. tom. 2. lib. 7. diſput. 104. num. 2. & 3.* aſſerunt ſufficere in tali caſu, quòd vltima dies anni duodecimi in femina, & decimiquarti in viro ſit incepta, quamuis non ſit completa.

His

His tamen non obſtantibus contrariam ſententiam docet ex Pontio Gaſpar Hurtadus *de matrim. diſput.22.difficult.12.num.45.* vbi ſic ait. Alij docent requiri dictam ætatem eſſe mathematicè completam,& meritò,quia iure præſcribitur, ſeu taxatur, ac proinde debet in indiuiſibili conſiſtere, ſicut pretium iure præſcriptum in indiuiſibili conſiſtit. Vnde regula illa,Quod parum diſtat,&c. non habet locũ in taxatis à iure. Id verò,quod addit Sancius,nempe ſufficere vltimum diem, quo dicti anni præſcripti complentur, eſſe inchoatum, falſum eſt,vt optimè Baſilius,quia quouſque ſit cõpletus, dicta ætas non eſt mathematicè completa, neque in indiuiſibili conſiſtens. Ita Hurtadus. Vnde puto vtramque ſententiam probabilem eſſe etiam per Doctores,quos ego adduxi *in 3.part.tr.4.reſol.277.* quos omnino videbis.

Non deſinam tamen hîc adnotare Rebellium *lib.3.q.16.ſect.2.num.16.* docere ad valorem matrimonij non requiri, vt dicta ætas ſit mathematicè completa, ſed moraliter, vt quando contrahentes ab ea diſtarent per vnum,aut alterum menſem,qui vulgariter finis anni dicitur,quod enim parum diſtat,nihil diſtare videtur;ſed in hoc nimis largè loquitur Rebellius, vt optimè obſeruat Naldus, *in ſumm.ver.ætas,num.1.*

RESOL. XVII. *An in ætate requiſita ad Ordines ſuſcipiendos detur paruitas materiæ?*

NEgatiuam ſententiam docet Baſilius Pontius *de matrimon.lib.7.cap.65.num.1.* vbi ſic ait.Non enim hîc locum habet illa regula, Quod parum diſtat,nihil diſtare videtur, ſicut neque in alijs, in quibus ius tempus præfinitum exigit,vt in ætate ad Ordines,ſi enim vel vnus dies, aut hora deſideretur,vitiat factum. Ita ille. cui etiam adde Henriquez *lib.7.cap.20.num.2.in gl.lit.O.* vbi dicit non debere deeſſe diem.

Nec obſtat, quòd parum pro nihilo reputatur, quia id eſt verum, quando non inde pendet tota impletio præcepti,v.g.breuiſſimum ſpatium eſt dimidietas ſalutationis Angelicæ, & tamen ſi nocte Iouis,poſtquam immediatè ſonuit duodecima noctis hora,aliquis carnes comederet, peccaret mortaliter, & tamen non peccaret, ſi ante talem horam,etiamſi ſolùm eſſet poſt dimidietatem temporis ſalutationis Angelicæ,manducaret.

Nota tamen quòd ſi eſſet in principio ſequentis diei,v.g.hodie impletur ætas 24. annorum,poſt dimidiam noctem poteſt ordinari Sacerdos. Ratio, quia,vt docet Nauarrus *eodem conſil.6.* in fauorabilibus dies cœptus habetur pro completo.*l.qua ætate,ff.de teſtament.* Faciunt pro hac ſententia Mandoſius *de ætate minori.cap.14.num.11.* Panormit.*cap.atteſtationes,de deſponſ.impub.* vbi dicunt, quòd licet requiratur ſeptennium completum ad ſponſalia, ſi tamen ſunt in vltima die ſeptennij, ſat eſt ſi ille ſit inceptus. Patet hoc etiam,quia ille reuera iam dicitur attigiſſe 25.annum.& ita docet Sanchez *in opuſcul.tom.2.lib.7.cap.1.dub.33.num.6.* & 7. vide etiam Naldum *in ſumma ver.ætas,num.3.*

RESOL. XVIII. *An in ætate requiſita ad profeſſionem emittendam detur paruitas materiæ, & quid in anno Nouitiatus?*

REſpondeo negatiuè cum Baſilio Pontio *de matrim.lib.7.cap.65.num.1.* Vnde *in 3.part.tract.2. reſol.57.* teſte Villalobos, obſeruaui Theologos Salmaticenſes docuiſſe quamdam profeſſionem fuiſſe nullam, quia fuit emiſſa ſex horas ante annum decimum ſextum,& ita hanc ſententiam determinauit ſacra Rota *part.1.deciſ.175.num.7.in recent.* vbi reſoluit nullam eſſe profeſſionem emiſſam ante completum 16.annum.

Sed quid dicendum de anno nouitiatus? & videtur in illo dari poſſe paruitatem materiæ, & ita non eſſe neceſſarium vt vltima dies anni ſit completa,ſed ſufficere ad valorem profeſſionis, vt Nouitius manè diei, in qua poſt meridiem impletur probationis annus,profeſſionem emittat. Ita Henriquez *lib.13.de excomm. cap.40. num.2.* Rodriquez *tom.3.q.15.num.4.* & Stephan. Gratianus *tom.3. diſcept.forenſ.cap.413.à n.16.* Ducuntur,quia in fauorabilibus dies cœpta habetur pro perfecta, vt ex multis probant ijdem Gratianus, & Rodriquez. Quare licet Trident. *ſeſſ.25 cap.15.de Regul.* requirat annum probationis expletum prius quàm emittatur profeſſio,ſufficit tamẽ in fauorabilibus ingreſſus vltimi diei anni, vt dictum eſt, quamuis non completi, eo vel maximè, quia de modico ſpatio aliquarum horarum non curat lex, tanquam de pauciſſimo momento,vt inquit Bald. *in cap.cùm in cunctu,num.3 de elect.* & quamuis idem Baldus loquatur de punctis horarum,non de horis,attamen idem eſt in modico ſpatio horarum reſpectu totius diei,prout eſt de punctis reſpectu horæ. Tiraquell, *de iud.in rebus exigen.feren.col.19.ad med.ver.ſexageſimo nono.* his proximum eſt per text.*in lib.ſi fundum,verb. planè ff.de fundo dotal.* Bald.*in cap.vlt.col.2. verſ. modò quæro,de præſcript.* & Fenut. *de momento temporis, cap. 33.in fine.* Præterea,quia moraliter poteſt dici perfectum quod parum diſtat à perfectione. Verùm his non obſtantibus dicendum eſt annum nouitiatus de momento ad momentum eſſe neceſſariò complendum, per Doctores, quos ego ad ſatietatem adduxi *in dicta reſolut.57.*

Notandum eſt tamen hîc,ſi Nouitius compleat probationis annum die 24. Februar. anno biſſextili, non dici expletum hunc annum niſi ſecunda die,quæ etiam appellatur 24. id eſt 25. die. Quare emittere non poteſt profeſſionem, niſi eadem die 25. in puncto diei 24. Februarij præcedentis anni, in quo ſuſcepit habitum;& eſt ratio, quia vtraque dies pro vna habetur in iure.*l.3.§.minorem ff. de minor.l.cùm biſſextus ff. de verbor.ſignific. & cap.quæſiuit, eodem titulo,* & ideo dies ſecundus eſt complementum anni probationis.Ita Molina *tom.2. diſput.573. §.atque vt à minori ætate.* Sanchez *de matrim. tom.1. lib.2,diſput.24.num.22.* Leſſius *lib.2.c.41. dub.7.n.59.* Molina *de Iuſt. tom. 2. diſput.573.§. atque vt à minori ætate.* Miranda *in manuali Prælator.tom.1.q.22. art.3.* & alij.

RESOL.

RESOL. XIX. *An in continuatione anni Nouitiatus detur paruitas materiæ?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Leſſius *lib.2. cap.41.dub.7.num.59.* vbi ſic ait. Annus probationis debet eſſe continuus, quia quando ius certum tempus, vt annum, vel menſem, requirit, intelligendum eſt de tempore continuo, vt docet Io. Andreas *in cap.1. de elect. in 6.* & alij. Deinde, quia annus aſſignatur, vt experiatur auſteritates Religionis, has autem meliùs experitur continuando, quàm diuidendo. Denique ita habet conſuetudo. Gloſſa tamen *in reg. eum qui, de reg. iurù in 6.* tenet ſufficere annum interpolatum, quod Panorm. *in c. ad Apoſtolicam 16. de regularibus, num.9.* non reticuit, etſi contrarium putet verius. Idem tenet Barthol. Brix. vt refert Panorm. & Specul. *p.4. tit. de ſtatu Monach. §.1. q.37.* etiamſi longa fuerit intermiſſio, crediderim ſanè paucorum dierum interpolationem non impedire. Ratio eſt, quia non minùs idcirco experitur auſteritates Religionis, ſi poſtea totidem dies, quot intermiſit, ſuppleat; atqui tota ratio cur annus debeat eſſe continuus, eſt, vt experiatur auſteritates Religionis, vt alij Doctores fatentur. Accedit quòd paucorum dierum intermiſſio non cenſeatur impedire moralem continuationem. Ita Leſſius *vbi ſuprà.* Et hanc ſententiam videtur etiam docere ex Nauarro, & Azorio noſter Naldus *in ſumm. ver. Nouitius, num.4.* qui cùm dicat interrumpi nouitiatum per exitum Nouitij à clauſtro per tres, aut quatuor dies ſine licentia ſui Superioris, videtur docere exitum vnius, vel duorum dierum non eſſe ſufficientem ad hanc interruptionem inducendam; vide etiam Lorichium *in Theſ. ver. regulares, §.9. verſ ſi autem ſine licentia,* & Sorbum *ver. Nouitius, verſ. ſecundò eſt.*

Sed non deſeram hîc apponere ſententiam Suarez *de Relig. tom.3. lib.5. cap.15. num.6.* vbi ſic ait. Mihi autem videtur magis eſſe conſiderandam grauitatem actionis, per quam interrumpitur probatio nouitiatus, quàm temporis diuturnitatem, quia aliàs nihil certum de hac interruptione, eiuſque ſufficientia dici poterit, ſed relinquendum erit vniuſcuiuſque arbitrio; alicui enim videbitur parua mora trium, vel quatuor dierum, alij verò magna. Quocirca cenſeo ſi quis dimiſſo Religionis habitu egreſſus eſt, eo ipſo interrumpi annum probationis, etiamſi paulò pòſt intra diem pœniteat, quia eo ipſo amiſit ſtatum, quem habebat, & indiget noua receptione, & admiſſione, vt poſſit iterũ Nouitius eſſe. Sicut ergo hæc poſterior receptio diſtincta eſt à prima; ita nouitiatus incipit eſſe diſtinctus, atque hæc regula videtur mihi ſatis probabilis, vt quoties iuxta conſuetudinem & modũ Religionis cenſetur noua receptio neceſſaria, annus etiam probationis ſufficienter interruptus exiſtimetur. Vnde quod Nauarrus ait annum interrumpi per exitum trium, vel quatuor dierum è Monaſterio ſine licentia Superioris, ſi intelligatur de exitu totali, id eſt, animo non redeundi, & dimiſſo habitu, non ſolùm verum eſt, ſed etiam ſine limitatione temporis fuiſſe aſſerendum, quia actus ipſe per ſe ſufficit, & moraliter interrumpit perſeuerantiam, & conſtantiam, propter quam continuitas in probatione poſtulatur. Si verò ſit ſermo de exitu animo redeundi, præſertim cum habitu, non credo interrumpi nouitiatũ, etiamſi ſit per aliquot dies, niſi re cognita à Prælato dimittatur, per ea, quæ ſuperiùs adduxi. Huc vſque Suarez, cui adde Fauſtum *in Theſaur. religion. lib.5. quæſt.164.* Barthol. de Vecchis *in praxi Nouit. diſp.11. dub.3. num.7.* Sanchez *in ſumma, tom.2. lib.5. c.4. n.32.* Peregrinum *in noſtr. conſtitut. part.2. cap.1. litera C. §.8. ver. ſed quid,* & alios. Vide etiam Saluanum *conſ.12.* & Acugnam *in cap.1. num.17. diſtinct.54.*

RESOL. XX. *An in patrimonio neceſſario ad ſumendos ſacros Ordines detur paruitas materiæ?*

REſpondeo affirmatiuè cum Sanchez *in opuſc. tom.2. lib.7. cap.1. dub.36. num.8.* vbi ſic ait. Nota quòd ſi modicum deficiat ad honeſtam ſuſtentationem, parum facit, quia de modico non eſt curandum, *cap. re vera, de conſecr. diſt.2. l. ſcio, ff. de in integr. reſt.* ſecus ſi ſit notabilis defectus, qualis erunt quinque reſpectu vigintiquinque. Ita ille, & ante illum Nauarr. *de temp. ord. conſ.17.*

RESOL. XXI. *An in communicatione cum excommunicato detur paruitas materiæ?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Auila *de cenſ. p.1. cap.6. diſp.8. dub.3. concl.2.* vbi ſic ait. Vtrùm fideles ſemper peccent mortaliter communicando cum excommunicato in rebus prohibitis. Primò ergo dico, quòd ſi communicent cum illo in rebus ſecundi generis, eſt peccatum mortale ex genere ſuo. dico *ex genere ſuo*, nam ex paruitate materiæ erit veniale, vt ſi audiret ſimul cum excommunicato non tolerato paruam partem Miſſæ. v.g. vſque ad Euangelium, vel illud, quod dicitur poſt conſumptionem corporis, & ſanguinis Chriſti. Secundò dico quòd ſi communicent in rebus ſecundi & tertij generis, tantùm eſt veniale, niſi communicent in crimine criminoſo, vel in alijs caſibus in quibus fideles communicando cum excommunicato incurrunt maiorem excommunicationem, vel in contemptum Eccleſiæ. Ita Auila, qui etiam *concl.1.* notat, quòd ſi excommunicatus iudicet, peccat mortaliter, quia vſurpat iuriſdictionem, cũ ligata ſit eius poteſtas, & ideò facit iniuriam ei, qui communicauit iuriſdictionem, cuius actum vſurpat. Vſurpare autem iuriſdictionem eſt res grauiſſima, niſi aliquando excuſetur ex leuitate materiæ, vt ſi recipiat vnum tantùm teſtem, tunc enim venialiter tantùm peccabit. Ita ille. Hinc Ægidius Coninck *de Sacr. diſp.14. dub.14. n.146.* docet, quòd communicatio in Sacris cum excommunicato eſt prohibita ſub mortali, ſed excipit caſum, quo hæc communicatio eſſet valde exigua, vt quando excommunicatus tranſeundo per templum ibi attentus hæreret, donec vnus breuis Pſalmus caneretur, vt notat Auila *part.2. cap.6. diſp.8. dub.3. concl.1.* idemque addit dicendum eſſe de excommunicatione, qua aliqui ſimul legunt aliquoties officium diuinum priuatim, quia hæc non continet illam repugnantiam cum fine legis, quam continet ea, quæ fit in officijs publicis.

Et

Et tandem non desinam hîc adnotare id, quod docet Bonacina *de excomm. disp. 2. quæst. 2. punct. 7. nu. 11.* nempe excommunicatum agentem in iudicio, regulariter loquendo, non peccare mortaliter ratione paruitatis materiæ, secus si sæpiùs agat.

Notandum est etiam hîc obiter cum Hurtado de Mendoza *de fide vol. 1. disp. 76. sect. 2. §. 45.* quòd lauari interdum cum Iudæo in balneo, nonnumquam excipi, vel excipere conuiuio, & alia id genus rariùs effecta, non sunt peccata mortalia, si desit occasio ruinæ, sed est peccatum veniale ob materiæ leuitatem.

RESOL. XXII. *An in ingressu, vel egressu clausuræ Monialium detur paruitas materiæ?*

REspondeo affirmatiuè, & ita docet Naldus *in summa ver. clausura, n. 1.* vbi sic ait. Non omnis habitatio Regularium constituit claustrum, aut Monasterium, vt patet in Infirmariis aut in locis, in quibus hospitij, vel negotiorum causa degunt aliquot Regulares, vel etiam in Monasteriis adhuc in fieri existentibus, & propterea nec ibi erit violatio clausuræ. In minimo autem violata clausura excusatur à mortali, puta ingressus ad duos pedes, & statim regrediens, non violaret illam.

Sed hæc non admittit in totum Homobonus de Bonis *in consult. moral. tom. 1. part. 4. resp. 61.* Quando enim vtroque pede, & toto corpore ingressus est, etiamsi ad vnum, vel duos tantùm palmos ianuam introierit, hic enim clausuram perfectè violauit, cũ sit completa transgressionis ratio; secus si vno tantùm pede sit ingressus. Et ideò Sanchez *in sum. tom. 2. lib. 6. c. 16. n. 70.* ita asserit. Infertur transgredientes clausuram modico ingressu excusari à culpa lethali, & à censuris in transgressores latis, quia modicũ ab his excusare solet. Sic Graffius *1. part. decis. lib. 4. c. 23. nu. 25.* quod quidem verissimum est. Atque eadem ratione idem dicendũ de modico Sanctimonialis egressu ex clausura. hoc autem modicum existimat Graffius, quando duos solos pedes esset intra portæ clausuram, atque idem deceret de ingressu; sed id non credo, quia cùm hic sit verus intra clausuram ingressus, vel ex ea egressus, sufficiens est ad culpam lethalem, & censuras incurrendas, nec modicum reputatur, quando perfecta transgressionis ratio in illo reperitur. Vnde optimè dixit Lælius Zechius *de casib. reseru. cas. 10. n. 1.* consistentem in solo ostio sito intra claustra subiici his censuris. Idque probatur, quia stans in ostio censetur esse in domo, & incurrit pœnas ingredientis domum, vt tradunt Barto. *l. 1. §. hoc interdictum, n. vnic. ff. de cloacis.* Bald. *rubr. paulò post princip. ver. hic adde, ff. solut. matri.* Alexand. *cons. 137. nu. 14. vol. 2.* vbi & alios refert. *Iason l. plerique, n. 20. limit. 4. ff. de in ius vocando,* & idem Iason *in l. cætera, §. hoc senatusconsultum. n. 11. ff. de legatis 1.* quare modicum in hoc ingressu, & egressu existimarem, quando hæc non sunt perfecta, & cõsummata, sed semiplena, quia nimirũ pars corporis est intrà, pars autem extrà, nec aliquid refert, an maior corporis pars sit intrà, aut extra, dum enim totum corpus nõ est intra, aut extrà, non sunt perfecti ingressus, & egressus, vt culpæ lethali, & censuris subdantur. Quamobrem nec censerem comprehendi eum, qui est in ostio, quia ostium est partim intra, partim extra clausuram. Hûc vsque Sanchez, cui tandem adde Lopez de Texeda *in contr. tom. 1. lib. 2. tract. 1. contr. 14. dub. 1. n. 9.* hæc asserentem, Neque etiam clausuram violare censeri debent Moniales, quæ exeuntes cum medio corpore vno pede posito cum corporis medietate extra locum à Pontifice pro clausura determinatum, retinendo tamen alterum intra illũ cum altera corporis medietate, quia terminus clausuræ Monialibus determinatus à Pontifice non physicè, nec metaphysicè, sed moraliter accipiendus est. Vide etiam Antoniũ Fernandez *in instruct. Confess. part. 2. c. 5. n. 13.* & Rodriquez *in quæst. regular. tom. 1. quæst. 49. art. 7.*

Sed non desinam hîc adnotare sententiam nostri amicissimi Patris Naldi ex parte approbare Metollam *tom. 1. disp. 1. c. 2. diffic. 7. num. 502.* nempe esse modicum ingressum, quando per duos solos pedes quis esset intra portæ clausuram, quia licet ille sit verus, & perfectus ingressus, tamen est in parua materia, sicut quamuis furtum vnius argentei sit verum, ac perfectum furtum, non tamen sufficiens est ad peccatum mortale, & incurrendas censuras latas contra furantes. Hoc tamen limitarem vt intelligatur, quando cum eo modico ingressu coniungeretur paruitas moræ intra Monasterium; secus verò si mora esset diuturna, seu notabilis; & hoc, quod diximus, de violantibus clausuram Monialium modico ingressu, dicendum est etiam de fœminis ingredientibus claustra Religiosorum, quando ingressus est modicus, modo explicato, & de Monialibus violantibus clausuram modico egressu, quia militat eadem ratio.

RESOL. XXIII. *An in obligatione celebrandi detur paruitas materiæ?*

VIdetur affirmatiuè respondendum ex doctrina Naldi *in summa, ver. Missa num. 7.* vbi sic ait. An autem præfatus Capellanus obligatus ad Missam quotidie possit eo die cuiusque hebdomadæ, quo sibi liberum est, Missam omittere, pro alio celebrare conferente sibi stipem specialem. Respondendum censeo negatiuè, nam consuetudo illa omittendi Missam semel in hebdomada fundata est *in prad. cap. significatum, de prabend.* vbi ex causa honestatis & maioris deuotionis id ei conceditur, ergo cessante causa, cessat etiam illa iuris indulgentia, quinimò addo id satis exprimi in præfato *cap. significatum,* vbi in fine subditur non ei licere transferre se ad aliam Ecclesiam. Non negarem tamen ex aliqua ingruente necessitate licere eidem Capellano aliquando per annum, puta quater, vel sexies celebrare pro se ipso, vel sibi valde coniuncto ad specialem aliquam Dei gratiam obtinendam, id enim non negaret pius Capellaniæ institutor, si de tali casu cogitasset, vel interrogatus fuisset. Ita Naldus, cui adde Homobonum de Bonis *in consult. moral. tom. 2. part. 7. respons. 52.* Sed aliquis posset dicere hos auctores non præbere hanc licentiam ex paruitate materiæ, sed ex præsumpta voluntate testatoris, nisi dicatur talis voluntas præsumi ex ipsa paruitate materiæ.

RESOL. XXIV. *An in obligatione restituendi fructus pro omissione horarum Canonicarum detur paruitas materiæ?*

AFfirmatiuè respondet Ioannes Henriquez *in compend. cas. mor. cap. 29. num. 30.* vbi sic ait. [Si el tiempo en que no se ha rezado, an si do ocho dias en el spacio de todo vn año, no ay obligacion de restituyr cosa alguna, como probablemente lo afirman algunos Doctores, porque ningun hombre principal, y prudente priua del salario al criado, que en vn año falta ocho dias se seruirle, aunque otros Doctores no se alargan mas de a dos, o tres dias en vn año.] Et Sotus *de iust. lib. 10. quæst. 5. art. 5.* Medina *in summa lib. 1. cap. 14. §. 11.* Lopez *in instruct. tom. 1. cap. 245. & tom. 2. cap. 105.* Vega *in summa part. 1. cap. 36. cas. 1. & 2. & cap. 128. cas. 8.* quos refert Garsias *de beneficiis, tom. 1. part. 3. cap. 1. num. 27.* affirmant omittentem vno, vel altero die horas Canonicas, excusari à restitutione, quod probabile putat Filliucius *tom. 2. tract. 23. cap. 10. quæs. 8.*

Sed hanc sententiam non approbat Oliuerius Bonartius *de horis Canon. lib. 2. cap. 11. num. 13.* & Castrus Palaus *tom. 1. disp. 2. punct. 7. num. 4.* quia expressè contradicit Pio V. qui in Bulla pro qualibet die, & pro qualibet hora restitutionem fieri præcipit. Neque obstat famulum omittentem vno, vel altero die in anno debitum seruitium, præsumi à domino exemptum esse ab obligatione restitutionis ex quadam benigna congruitate, ne videatur dominus rigidus exactor; quominùs dicamus omittentem recitationem obligatum non esse restituere, quia in hoc casu expressit suam voluntatem dominus, scilicet Ecclesia. Dum autem hanc voluntatem satis non expressisset, poterat illud præsumi. Quapropter Menochius *lib. 2. cas. 429. num. 9. & 10.* etsi attenta disposition Concilij Lateranensis affirmet Clericum non recitantem vno, vel altero die, obligatum non esse restituere, negat tamen attenta constitutione Pij V. vide etiam Syluium, quem citaui *in 2. part. tract. 12. resol. 34.*

RESOL. XXV. *An in fructibus beneficij detur paruitas materiæ, ita vt non consurgat obligatio recitandi horas Canonicas?*

NEgatiuam sententiam docet Castrus Palaus *tom. 2. disp. 2. punct. 1. §. 2. num. 9.* & ratio est, quia beneficium habens tenues fructus, verè est beneficium, quia est ius percipiendi fructus ex speciali titulo; sed beneficio absque vlla distinctione pinguis, vel tenuis, annexum est onus recitandi ex Concil. Lateranens. & ex Bulla Pij V. ergo. Consequentia & minor propositio videntur claræ; maiorem probo. nam beneficium tenue reddit beneficiatum eodem modo exemptum, ac priuilegiatum, sicut beneficium pingue. Item suspensus à beneficio tam est suspensus à beneficio tenui, quàm à pingui. ergo, &c. & ita hanc sententiam tenent plures, quos ego citaui *in part. 2. tract. 12. resol. 9.*

Sed ibi affirmatiuam sententiam probabilem esse censui cum multis Doctoribus, pro qua rationes nunc adducam. Confirmatur igitur hæc opinio primò, quia parum pro nihilo reputatur, videturque tenue beneficium pro nullo habendum, si spectes præceptum horas recitandi. Secundò, qui ex suo beneficio nullos per se, vel per alium fructus percipit, aut percipere potest, ad nihil secundùm omnes tenetur. ergo qui exiguum percipit, ad partem solùm, non ad totum tenebitur. Tertiò, qui altari deseruit, de altari viuere debet, *1. ad Corinth. 9.* Atqui talis Clericus Ecclesiæ deseruit; ergo de Ecclesiæ bonis viuere debet, vt autem censeatur moraliter sic viuere, debet saltem aliquam mediocrem victus portiunculam accipere. Quartò, quia, vt *suprà* diximus, plura habens beneficia etiam copiosa, & ampla, non tenetur, nisi semel horas recitare, quamuis etiam tria millia aureorum capiat. ergo rationabile non est, vt quis tantumdem oneris sustineat, qui solùm quatuor, vel sex aureos. Quintò, beneficium tenue in iure habetur pro non beneficio, vt constat ex *cap. is cui, de præbend. in 6.* vbi Bonifacius Papa definit, quòd is, cui fit potestas conferendi beneficia personis idoneis, non potest illa conferre iis, qui beneficia ad decentiam vitæ sufficientia possident; non habentibus verò huiusmodi, possit conferre. quo significatur non habere beneficium, qui non habet sufficiens. Vnde ex his puto circa præsentem quæstionem, tam negatiuam, quàm affirmatiuam sententiam probabilem esse; & ne deseras videre me ipsum *loco cit.* vbi inuenies varias sententias circa quantitatem paruitatis fructuum excusantem à recitatione. Et, si per otium libet, vide etiam Oliuerium Bonartium *de horis Canon. lib. 2. cap. 6. num. 10. & seq.* vbi in aliquibus casibus sequitur sententiam affirmatiuam, & in aliquibus non.

RESOL. XXVI. *An in recitatione horarum Canonicarum detur paruitas materiæ?*

AFfirmatiuè respondent communiter Doctores, & nouissimè Castrus Palaus *tom. 2. disp. 2. punct. 5. num. 1.* existimat quamlibet horam paruam, aut illi æquiualentem esse partem notabilem, & non aliud, quia communior sententia est esse vnum præceptum de septem horis Canonicis recitandis, vt statim dicam; sed posita vnitate præcepti, leuis materia iudicanda est, quæ quantitatem horæ paruæ non attingit, cùm non attingat partem duodecimam materiæ præceptæ. Sed circa præsentem quæstionem ne deseras videre Merollam *tom. 1. disp. 2. cap. 4. dub. 7. diffic. 3. num. 127.* & me ipsum *part. 2. tract. 12. resol. 41.* vbi etiam *in resol. 26.* inuenies pertractatum, quænam pars officij omissa à beneficiario sit leuis, vt non obliget ad restitutionem.

Notandum est tamen hîc obiter primò cum Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 4. de orat. cap. 13. nu. 3.* omissionem minoris partis posse sufficere in choro ad peccatũ mortale, quàm in recitatione priuata, quia totum ipsum officiũ grauius est. Addit postea grauitatem partis omissæ non esse pensandã ex quantitate proportionali, seu respectiua, id est, quòd sit tertia, vel quarta, vel alia similis pars aliquota horæ,

horæ,ſed ex quantitate,dignitate,vel grauitate ſua abſoluta, quia ſemper magis pendet hinc grauitas culpæ. Sicut in Miſſa grauius eſt omittere verbum vnũ in Canone, quàm orationem integram extra illum. Et ita exiſtimat Suarez in hac mutilatione alicuius horæ quoad publicam recitationem in choro, in primis conſiderandam eſſe publicam deformitatem quæ inde naſcitur, vt ſi inchoetur hora ſine illo initio, *Deus in adiutorium meum intende*; vel quid ſimile, ſtatim generabit publicam admirationem, & deformitatem: ſi autem tres, vel quatuor verſus Pſalmi tranſiliantur, non eſt tam publicus defectus. Similiter omittere in Veſperis Canticum, *Magnificat*, grauior erit defectus, quàm omittere alium Pſalmum, etiam maiorem. Concludit igitur idem auctor in recitatione Officij in choro primùm conſiderandam eſſe dignitatem, vel ſingularem neceſſitatem partis omiſſæ, deinde eſſe etiam conſiderandam abſolutam quãtitatem eius. nam integer Pſalmus videtur ſufficiens quantitas pro Officio publico, ſi voluntariè omittatur, quæ in recitatione priuata non eſſet ſufficiens ad peccatum mortale. Et hæc omnia docet etiam Merolla *loco citato*.

Notandum ſecundò in mutatione officij pro officio dari paruitatem materiæ, vt ſi ſemel, aut iterum quis diceret Officium de Sancto, quando diendum eſt de Feria. Ita Baldellus *tom.* 1. *lib.* 5. *diſp.* 24. *num.* 5. Sed ego ſemper puto in tali caſu non adeſſe peccatum mortale, niſi dicatur Officium Reſurrectionis, vt alibi ex profeſſo docebo.

Nota tertiò Aragonium *in* 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 12. docere quòd ſi aliquis ſemel, vel bis in anno relinqueret recitationem Officij, non peccaret mortaliter ratione paruitatis materiæ; ſed communiter reiicitur, quicquid ei faueat Soto *de iuſt. lib.* 10. *q.* 5. *art.* 3. & quoad Choriſtas profeſſos Thomas à Ieſu *in expoſ. reg ſanct. part.* 3. *cap.* 7. *dub.* 1.

Nota quartò quòd qui tribus, aut quatuor diebus vltra tempus in Concilio permiſſum choro non intereſt, non peccat niſi venialiter, quia hæc cenſetur materia parua in hoc genere. Hinc non eſt audiendus Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 13. qui excuſat ſolùm à mortali abſentiam vnius diei, quia oppoſitum ferè communiter in praxi receptum eſt. Ita Fauſtus *de horis Canon. lib.* 2. *quæſt.* 183.

RESOL. XXVII. *An in mendacio facto in confeſsione, vel iudicio, detur paruitas materiæ?*

NEgatiuam ſententiam docet Caietanus *in* 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 1. aſſerens omne mendacium in iudicio, quamuis ſit in materia leuiſſima, & quod extra iudicium eſſet veniale; in iudicio factum ſiue ſacramentali, & interiori; ſiue exteriori, & forenſi, eſſe mortale. Vnde ſi in confeſſione ſacramentali rogetur pœnitens an dixerit, aut fecerit tale quid, quod eſt peccatum veniale, aut reus in iudicio interrogetur à iudice de re, quam confiteri tenetur, etiamſi ſit de re leui, ſi id falsò neget, peccat mortaliter. Ratio eius eſt, quia tanta obligatio dicendę veritatis in iudicio eſt, vt quamuis ſit de re leuiſſima, in iudicio tamen interiori, vel exteriori ſit grauis, eo quòd eſt contra veritatem iudicij, atque adeò iudicium ſuper eo mendacio fundatum, falſum eſſe oportet. Confirmatur, quia ſicut vis iuramenti exigit veritatem iuramentorum, atque adeò de re leui, periurium efficitur mortale, ita vis iudicij exigit veritatem iudicandorum, ac propterea mendaciũ in iudicio de re leuiſſima efficitur mortale. Imperfectio igitur materiæ locum habet ſolùm reſpectu actus mentiendi ſecundùm ſe, & non vt ſubſtat iudicio, ſicut non habet locum in iuramento, vnde concludit omne mendacium in iudicio, etiam de re leuiſſima, eſſe peccatum mortale.

Sed contrariam ſententiam ſuſtinendam eſſe puto, ſi mendacium iuramento non confirmetur, & ita tenet Reginaldus *in praxi tom.* 2. *lib.* 24. *cap.* 2. *ſect.* 4. *num.* 44. vbi ſic ait. Tenendum eſt teſtem, etiamſi teſtimonium, quod fert mendaciter, ſit de re leuiſſima, mortaliter delinquere ſi (vt fieri ſolet, iuxta *c. hortamur* 3. *quæſt.* 9. *& cap. ſi teſtes*, §. *item iurifiurandi* 4. *quæſt.* 2. *& 3. ac cap. quoties, & cap. nuper, de atteſt.*) iuramento illud confirmarit. Id quod expreſſit Sotus *in eod. art.* 4. *concl.* 3. & conſtat ex eo quòd non obſtante materiæ leuitate, grauis iniuria inferatur Deo per periurium, vtpote quo ipſe adhibetur in teſtem falſitatis, quòd ſi eidem falſo teſtimonio iuramentum deſit, ipſum poteſt ex tenuitate materiæ à mortali excuſari eadẽ ratione, qua mendacium rei. Ita Reginaldus. Dicendum eſt igitur mendacium non eſſe mortale, ſiue ſit in materia præcipua, de qua iudicatur, ſiue in circumſtantiis illi accidentibus, ſi materia ſit leuis, vt in confeſſione, v. g. peccatum veniale ſi fiat ſine iuramento; ſecus autẽ ſi in confeſſione, vt aduertit Alphonſus de Leone *de offic. Confeſſ. part.* 1. *recollect.* 7. *num.* 41. ſit in cauſa, vt vitiet abſolutionem, vt non conficiatur ſacramentum. Dicendum eſt igitur contra Caietanum, quòd non ſatis apparet ratio aliqua ob quam cogamur dicere in materia iudicij non poſſe eſſe leuitatem materiæ, ſicut in multis aliis, & ideo ſine ſufficienti fundamento dicitur mendaciũ commiſſum in iudicio, ſiue circa prȩcipuam materiam, ſiue circumſtantiam aliquã, ſemper eſſe mortale, & alias rationes præter adductas videbis penes Turrianum *de Iuſt. tom.* 2. *diſp.* 50. *dub.* 1. *num.* 2.

RESOL. XXVIII. *An in hæreſi detur paruitas materiæ?*

AFfirmatiuam ſententiam videtur docere Sayrus *in Claui Regia. lib.* 12. *cap.* 2. *nu.* 19. vbi ſic ait. In materia fidei poteſt eſſe peccatum veniale, poteſt enim eſſe tam leuiſſimum verbum, vt eſſet hæreſis tantùm venialis. Ita ille.

Sed contrariam ſententiam ſuſtinendam eſſe puto, quam tuetur Caſtrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 2. *punct.* 7. *num.* 2. Merolla *tom.* 1 *diſp.* 2. *cap.* 4. *dub.* 7. *num.* 112. Alphonſus de Leone *vbi infrà*. Baldellus *tom.* 1. *lib.* 3. *diſp.* 14. *num.* 12. Sanchez *in ſumma tom.* 1. *lib.* 1 *cap.* 4. *num.* 1. Molfeſius *in ſumma, tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 66. & alij aſſerentes, quòd in aliquibus peccatis in quacumque materia minima reperitur integra ratio malitiæ ſufficiens ad mortale, vt eſt peccatum infidelitatis, odium Dei, contemptus ipſius, &c. & ideo Baldellus *in diſp. Theolog. tom.* 1.

*lib.3.disp.14.num.13.*sic ait. Quia ratio obiecti per se prima in actu infidelitatis est vt fides negetur ipsi Deo aliquid reuelanti,& ex hac sola præcisè considerata fundatur oppositio grauis ad virtutẽ fidei, & malitia grauis non dicitur, quòd in actu infidelitatis possit dari materiæ paruitas,& culpę leuitas, sed omnis materia in ordine ad illam sit notabilis, & omnis culpa sit grauis, etiamsi alioqui in se ipsa sit res minima.

Nota tamen quòd Alphonsus de Leone *de officio Confessor.part.1.recollect.7.num.45.* non negat esse verum exemplum positum à Sayro de leuissimo verbo sapiente hæresim, nam ipse concedit esse posse peccatum veniale.

RESOL. XXIX. *An in sortilegiis & Magia detur paruitas materiæ?*

REspondeo negatiuè cum Lessio *lib.2.cap.44. dub.4.num.26.* vbi sic ait. Peccatum magiæ ex genere suo est mortale,quia continet tacitam, vel expressam dæmonis inuocationem,ac proinde societatem,& beneuolentiam erga illum;fieri tamen potest vt aliqui actus magici excusentur à peccato mortali,ratione ignorantiæ, vt si quis ignoret, vel non aduertat tacitam illam inuocationem, cùm hæc sit sæpe valde occulta.Plerumque tamẽ ingeritur homini aliqua suspicio latentis mali, ratione cuius tenetur abstinere, donec pleniùs de re cognouerit; quod si non faciat, peccat saltem venialiter. Ratione leuitatis materiæ præcisè non videtur vnquam esse veniale, quia quòd in re parua, vel ludicra dæmon inuocetur, per se non minus crimen est,quàm si id fieret in magna.Similiter tacita,vel remota inuocatio,si plena consideratio adsit, est eiusdem rationis, ac expressa, sæpe tamen contingit, vt quando res est modica, non apprehendatur mali magnitudo,& sic potest esse veniale defectu animaduersionis. Ita ille. cui adde Castrum Palaum *tom.1.tract.2. disput.2. punct.7.num.2.* Alphonsum de Leone *de offic. Confess. part.1. recollect. 7.num.42.* Valentiam *tom.3.disp.6.quæst. 12.punct.4.* Delrium *in disquis.mag.lib.4.cap.2.quæst. 4.* Sanchez *in sum.tom.1.lib.2.cap.38.num.18.*& alios.

RESOL. XXX. *An in vsura detur paruitas materiæ?*

NEgatiuam sententiam docet Alphonsus de Leone *de offic.Confess.part.1. recollect. 7. num.37.* vbi sic ait. Limitatur sextò, vt non detur paruitas materiæ in vsura.Ratio est,quia quicquid sorti accedit,vsura est, verbum enim *quicquid* in modica & leui materia etiam verificatur. Ita ille, cuius opinio confirmari potest ex his,quæ adducit Barbosa *dist. 315.numer. 4.* vbi ex multis probat hanc dictionem etiam minutissima comprehendere, quod etiam docet Vulpellius *in dictione quicquid,num.4.* Cenedo *singul.89.num.4.*& alij. Sed ego diligenter multos auctores recognoui, & non inuenio hanc quæstionem neque vnum tangentem. Neque videtur vt vsura in quacumque materia constituatur non variare iudicium,vt diximus de magia, hæresi, periurio, &c. & si in simonia secundùm probabilem Doctorum opinionem, vt suprà visum est, datur etiam paruitas materiæ;quare non erit danda in vsura? ideò tu cogita.

RESOL. XXXI. *An in conscientia erronea detur paruitas materiæ?*

AFfirmatiuè respondeo cum Azorio *tom. 1. lib. 2.c.8.quæs.5.* vbi sic ait. Quæritur an sit lethale, an veniale peccatum contra conscientiam errantem agere? Respondeo interdum esse lethale, interdum veniale peccatum, pro varietate materiæ grauis, vel magnæ, vel leuis & paruæ, in qua conscientia errat, & pro varietate iudicij quo aliquid suadendo,vel monẽdo aberrat à lege. Potest enim accidere, vt conscientia existimet aliquid esse veniale peccatum, & quatenus tale vitandum, licet alioqui sit materia grauis. Item potest existimare aliquid esse crimen lethale, & quatenus tale cauendum & fugiendum, cùm tamen res sit alioqui leuis,vel media, & indifferens. Ita ille, quem sequitur Alphonsus de Leone *de offic.Confess.p.1. recollect.7.mem.21.*

Sed difficultas est, quando conscientia erronea non distinguit, an mortale sit, vel veniale? sed solũ confusè proponitur actio mala, & tunc peccatum mortale adesse docet vterque Sanchez, Thomas, & Ioannes,hic *in select. disp.18. num.1.* ille *in summa, tom.1.lib.1.cap.1. num.9.* quibus adde Castrum Palaum *tom.1. disp.1 punct.3. num.6.* quia cùm amplecteris obiectum venialiter malum,dubitans an sit mortale, peccas mortaliter secundùm omnium sententiam,quia te exponis periculo mortale committendi. Sed quando tibi repræsentatur obiectũ malum, & prohibitum, neque distinguens an sit mortale, vel veniale, illud amplecteris, iam quantùm est ex tua voluntate periculo committendi mortale te exponis.ergo.

Verùm Perez *certam.10 scholast. num.29.* Salas *in p.2.tract.8. disp.vnic.sect.3.n.33.* Valentia *tom. 1. disp.2. quæst.14.punct.4.*& alij asserũt in tali casu committi solum peccatum veniale,quia voluntas appetens malitiam in communi, non appetit malitiam excedentem culpam venialem,aliàs si excederet,non esset veniali & mortali communis. Vnde vtramque sententiam probabilem esse puto.

RESOL. XXXII. *An in comestione carnium in die ieiunij detur paruitas materiæ?*

PRo affirmatiua sententia *in 2.part. tract.12. resol. 43.*adduxi Tannerum, cui nunc addo Sanchez *in summa,tom.1.lib. 2. cap.8. num.17.* quem sequitur Merolla *tom.1.disp.2.cap.4.dub.7.num.111.* vbi sic ait. Infertur comedentem tantillum carnis in Quadragesima, excusari à mortali ob materiæ paruitatem. Ex quo sequitur si quis motus hæresi interna, qua putat licere esum carnis diebus prohibitis, eam minimam carnis particulam ederet, non fore illum hæreticum externum, ac proinde non incurrere excommunicationem latam contra hæreticos externos, quamuis attentis circumstantiis concurrentibus, quando esset esus in notabili quantitate, oriretur sufficiens hæresis indicium, quia id factum externum non est mortale, nisi per solam relationem ad actum internum. Et hoc quod

dixi

dixi verum eſt,licet ſingulis diebus Quadrageſimę eam carnis particulam minimam quis ederet, & quamuis à principio Quadrageſimæ haberet voluntatem expreſſam ſingulis diebus Quadrageſimæ id efficiendi.

Neque obſtat quòd præceptum Eccleſiæ de nõ veſcẽdis carnibus in Quadrageſima ſit negatiuum, nam etiam præceptum naturale de non furando negatiuum eſt. ergo ſicut in hoc excuſat à mortali paruitas materiæ, ita in illo. non enim eſt maior obligatio præcepti poſitiui, quàm naturalis. Ita Merolla.cui adde nouiſſimè Hurtadum de Mendoza *de fide vol.1.diſp.83.ſect.3.§.21.*

Dicendum eſt igitur non eſſe hæreticum exteriorem,qui ſigna dat hæreſis internæ in quantitate tam leui,vt non ſit ex ſe peccatum mortale. Itaque ſi eſus carnium in magna quantitate cenſeri poſſet contra fidem, ſi quantitas non ſufficiat ad peccatum mortale contra legem ieiunij,nec erit hæreticus exterior,qui eis in ea quantitate veſcatur, quia excõmunicatio & reſeruatio eſt de peccato mortali interno, vt coniuncto cum mortali explicante internum ; ſed hæreſis interna non explicatur in exigua quantitate.ergo non reſeruatur, nec eſt hæreticus externus.Minor probatur,quia exigua materia veſci ſolet homo Catholicus ob ſolam gulam, aut libitum guſtandi carnes, licet nulla alia ſubſit cauſa.ergo &c.

Poſt hęc ſcripta inueni Antonium de Leone,me citato,*in qq.mor.de chocolate.p.3.n.3.* docere etiam in comeſtione carnis in diebus ieiunij dari paruitatem materiæ, quam in n. 8. ſic determinat. [En la prohibicion de los manjares de carne en dia de ayuno,como diximos, vnos niegan que ſe dè paruidad, y otros la conceden,pero ninguno que yo aya viſto,ſeñala que cãtidad de carne ſe podrà comer,que ſiendo alguna,no ſea tãta que quiebrente el precepto, ni tanpoco que ſe reputè por nada, ſino que le conuenga el ſer materia parua. En los Sumiſtas ſe halla,que todos conforman en que el cozinero y el que haze la ſalua à los Principes,pueden comer en Viernes de los manjares de carne, lo que moralmente es neceſſario para probarlos darles razon, y ſaber lo que ſon, ſin que por eſto quiebranten el precepto, porque la cauſa le diſpẽſa ſin derogarle en aquella cantidad,como en materia parua.Luego eſta es la deſte precepto;porque ſino lequiebranta eſſencialmente, como es cierto, ſino acidentalmente, y para que no aya culpa, ſe atiende la cauſa, que es el oficio. Sigueſe que el que ſin ſer cozinero, ni hazer la ſalua comiera la cantidad de carne que à eſtos ſe permite por ſus oficios, caerà en culpa, eſta no puede ſer mortal, porque ſe opone poco al precepto y en cantidad, que la juſtifica cauſa tan leue,luego ſerà venial,eſtà ſerà la materia parua deſte precepto, que prometi aueriguar,y no otra mayor.Sic ille.

Notandum eſt etiam ex his, eos qui inſeruiunt infirmis, poſſe aliquid comedere in die ieiunij, etiam ex carnibus,quando viderit id eſſe commodum ad excitandum appetitum infirmorum, quia patiuntur faſtidium,& probatur ex caſu precedenti de pincernis Principum,grauior enim & vrgentior eſt hæc cauſa quàm illa. Item quia *id poſtulat charitas*, & Eccleſia non intendit impedire opera charitatis. Ita ex Nauarro & aliis docet Sanchez *in opuſc.tom.2.lib.5.cap.1.dub.22.num.10.*

RESOL. XXXIII. *An in ſurreptione gratiæ detur paruitas materiæ?*

AFfirmatiuè reſpondeo cum Riccio *p. 2.deciſ.* 208. *n.5.* vbi docet gratiam non dici ſubreptitiam non expreſſo vero beneficij valore in modico, nam modicus defectus non vitiat actum, nec leuis ſolemnitatis omiſſio obeſt.

RESOL. XXXIV. *An in furto detur paruitas materiæ?*

REſpondeo affirmatiuè,& ideò Marchantius *in reſol.paſtoral.ad Decalog.c.7.quæſ. 2.* ſic ait.Quænam quantitas in furto peccatum mortale conſtituat? Reſpondetur vix poſſe id vniuerſim taxari, ſolùm in genere dici poteſt, quòd requiratur quãtitas notabilis ; talis autem iudicari debet arbitrio prudentum pro varia tum locorum, tum perſonarũ conditione, quia quod reſpectu vnius cenſetur notabile,reſpectu alterius exiguũ eſt; reſpectu mediocriter diuitum aliqui requirunt quatuor regales,reſpectu mechanicorũ duos, reſpectu pauperis vnum, vel etiam dimidium, quia hæc ſumma his proportionaliter ſufficit ad viuendum vno die,victum autem vnius diei ſurripere alicui videtur notabile.Ità ille. Sed de hac quæſtione ne deſeras videre me ipſum *in 1.p. tract. 6.reſ.36.* vbi plures opiniones inuenies taxantes paruitatem materiæ circa præſentem materiam,

Non deſinam tamen hìc adnotare obiter id, quod docet Ioannes Henriquez *in comp.caſuum conſc.c.11.nu.5.*vbi ſic aſſerit. [Tambien ay otra opinion de hombres muy doctos, que afirman que la muger caſada puede gaſtar, ſin licencia del marido,en vſos honeſtos, la vigeſima parte de la renta que ambos poſſeen;de ſuerte,que ſi tienen mil ducados de renta,podrà la muger gaſtar cada año en vſos honeſtos cinquenta ducados,que es la vigeſima parte de la renta.El fundamento deſta opinion es ſer coſa juſta,y conforme a razon,que pueda la muger gaſtar alguna moderada parte en coſas honeſtas,ſin autoridad del marido, pues no es razon, que ſea de la condicion de los eſclauos,que no tienen dominio en coſa alguna ; y aſſi ſi ſucedieſſe que el marido diguſtaſſe deſto no es inconueniente en el fuero de la conciencia, porque diſguſtarà ſin razon.] De furtis verò filiorum & Religioſorum non eſt philoſophandum vt de cæteris furtis, maior enim quantitas in illis, quàm in iſtis requiritur.Vnde vide me ipſum *loco citato.*

RESOL. XXXV. *An in furto Reliquiarum detur paruitas materiæ?*

AFfirmatiuè reſpondeo. Verùm optimè obſeruat Caſtrus Palaus *tom.2.tract.8.diſp.1.punct.6. n.19.*& Sanchez *in ſum.tom.1. lib.2. c.43. nu.23.*quòd paruitas materię ad excuſandũ à mortali Reliquiarũ furtum ſpectanda eſt non ſolùm penes ſolã rei abſolutæ materiam ſed earũ dignitas, ac æſtimatio penſanda eſt,ac earum raritas:& ideò ego olim de

furto ſacrilego quemdam damnaui, qui particulam valde minimam ligni crucis furatus fuerat.

Notandum eſt tamen hîc obiter Signium *lib. de Relig. Sanctor. c.36.* & Azorium *tom.1.lib.6. cap.8. q.9.* docere, non admittere ſacrilegij crimen, ſi quis extulerit particulas aliquarum Reliquiarum ex facultate Epiſcopi, vel eius, cui Eccleſia commiſſa eſt, ex *c.quiſquis, § ſi quis demum.17.q.4.* Sed hæc opinio mihi non placet, nam, vt benè notat Sanchez *vbi ſuprà*, is, cuius curæ cuſtodia Reliquiarum commiſſa eſt, nullam de illis adminiſtrationem habet, ac proinde eius licentia non excuſabit à furto, & ideò peccaret mortaliter Prælatus Regularis, ſi talem licentiam alicui præberet.

Notandum eſt etiam hîc obiter contra Bonacinam *diſp 3.de adorat.q.1.punct.4.num.6.* licere crucem variis Reliquiis, non tamen approbatis ornatam in altari collocare, & populo adorandam proponere, tum quia ſic vſus obtinuit, tum quia cùm crux in altari collocatur, non Reliquiæ, ſed Crux adoranda proponitur, quòd verò vnus, vel alius reliquias adoret, id eſt per accidens, & ad priuatum cultum pertinet, non ad publicum. Ita Palaus *n.11.* & Sanchez *num.17.*

RESOL. XXXVI. *An in voto detur paruitas materiæ?*

DVplex eſt ſententia, prior diſtinguit, ſi materia parua eſt partialis, eſt partiale, vt ſi quis vouit recitare calculos virgineos, & omittit vnã, vel alteram ſalutationem Angelicam. At ſi eſt totalis materia, erit ſemper mortiale: vt ſi quis vouit recitare ſemel orationem Angelicam, & non recitat. Ducitur, quia transgreſſio totius voti habet rationem actus perfecti, & contra excellentiſſimã Religionis virtutem, cùm tamen peccatum veniale ſit quid imperfectum. Secunda, quia materia parua dicitur reſpectu totius, cuius eſt pars. ergo quoties fuerit totalis, eſt magna. Hanc ſuſtinent Caiet. 2.2. *q.89.art.7.dub.1.* Armilla *ver.iuramentum, nu.12.* Tabiena *ver.iurare, q.10.* Nauarr. *in ſum. Hiſpana, c.12.nu.40.* Toleto *lib.4.ſum.cap.17. num.20.* & appellat tutiorem Corduba *in ſumma, quæſt.188.*

Sed ego abſolutè doceo, etſi materia parua ſit totalis, tranſgreſſionem voti eſſe venialem tantùm, & probatur, quia promiſſio rei leuis facta homini non obligat ad ſui obſeruationem ſub peccato mortali, quamuis ipſa res leuis ſit tota materia promiſſionis. ergo nec facta Deo. Antecedens eſt manifeſtum, & conſequentia probatur; nam Deus nõ eſt rigidior exactor ſuarum promiſſionum, quàm homo. Item materia illius voti quomodocumque ſumatur, eſt res leuis, ergo votum de ea omiſſum tantùm obligat ad veniale; & confirmatur: grauitas peccati non eſt ſumenda ex quantitate & neceſſitate obiecti, vt conſtat in omnibus præceptis, ſi loquamur de grauitate quam habet actus ex natura ſua, v.g. in furto grauitas peccati non ſumitur ex voluntate furantis, ſed ex re ipſa, de qua furtum eſt. Nam ſi res furata eſt grauis, quamuis latro nolit, erit peccatum mortale; & ſi eſt leuis, erit veniale. Sed quando votum fit de re leui, ipſa ex ſe eſt parua materia fidelitatis & religionis, ergo tale votum violare ex ſe non erit peccatum mortale. Vltimò votum eſt quædam lex hominis quam quiſque ſibi ponit ex propria voluntate. ergo non aliter debet obligare, quàm ſi eſſet lex Eccleſiaſtica, vel diuina: ſed lex diuina & Eccleſiaſtica, etiamſi ex genere ſuo obligent ad ſui obſeruantiam ſub reatu mortalis culpæ, nihilominus frangere illas in re leui eſt tantùm peccatum veniale. ergo ſimiliter & votum. Et ita hanc ſententiam docet Ledeſma *in ſumm.tom.2.tract.10.c.3.dub.1.* Henriquez *lib.5.cap.20.num.4.in gloſſa lit.M.* cum Sanchez *in ſumma tom.1.lib.4.cap.12.num.5.*

RESOL. XXXVII. *An in voto, vel iuramento non bibendi vinum detur paruitas materiæ?*

CAſus eſt practicabilis, & quibuſdam viſa eſt res leuis, & ita venialis in tali caſu ſemel bibere. Sed contrarium alij docent, quia obligat inſtar præcepti Eccleſiæ de abſtinendo ab aliquo eſu, cuius tranſgreſſio eſt mortalis ſemel veſcendo; vt ſemel comedendo carnes die vetita. Id tamen fatendum eſt, non quamcumque vini potati quantitatem eſſe mortalem, ſed illius paruitatem excuſare à mortali. Videtur verò requiri ad mortale tantum vini potari, quantum in vno prandio ſufficere poſſet pro potu communiter vtentibus temperatè vino. At ſi eſſet votum ieiunãdi cum pane & aqua, manifeſtior culpa mortalis eſſet ſemel bibere, quia frangeretur id ieiunium, & hæc docet Sanchez *in ſum.tom.1.lib.4.cap.12.num.21.*

RESOL. XXXVIII. *An in voto, vel iuramento non ludendi detur paruitas materiæ?*

ALiqui tradunt iuramentum, vel votum non ludendi intelligi de ludo illicito magnæ quãtitatis, & non de licito modicæ quantitatis, qui ratione honeſtæ recreationis exercetur, quare cenſere videntur expreſsè nullam reperiri culpam in ludo hoc contra id votum, vel iuramentum. Imò cenſent iuramentum, vel votum abſtinendi ab hoc ludo modico fore irrita, quia cùm ille ludus honeſtus ſit actus virtutis eutrapeliæ, teſte D.Tho. *2.2.q.168.art.2.in corp.* iuramentum, vel votum abſtinendi ab hoc ludo eſſent contra bonos mores, & actum virtutis, ac proinde eſſent irrita. Ita Nauarrus *in manuali, cap.12.num.11.*

Sed circa præſentem quæſtionem ſequenda eſt opinio Sanchez *in ſum.tom.1.lib.3.cap.18. nu.2.& 3.* vbi ponit duas concluſiones. Prima concluſio. Si iurans, vel vouens intenderit ſe obligare ad abſtinendum à ludo modicæ quantitatis, & qui aliàs ſecluſo voto, vel iuramento eſſet actus virtutis, votum & iuramentũ eſſent valida, ac perpendendum eſſet ex obiecti quantitate, an tranſgreſſio eſſet mortalis, an venialis, vt contingit in tranſgreſſione aliorum votorum, vel iuramentorum. Secunda concluſio, quando non conſtat de expreſſa vouentis, ſeu iurantis intentione, ea ex ipſius fine perpendenda eſt, ſi enim iurantis finis fuit priuare ſe temporali illa ludi delectatione, quo peccata ſua puniret, aut mens diuinis tractandis aptior eſſet, tunc quicumque ludus ſiue magnæ, ſiue modicæ quantitatis, ſiue magno, ſiue modico tempore durans, compre-

comprehenditur ſub eo iuramento, & tunc quantitas ludi ad diſcernendum an fractio ſit mortalis, necne, minimè ſpectanda eſt ex pecuniæ ludo expoſitæ quantitate, ſed ex illius recreationis ex ludo perceptæ duratione. Si enim modico tempore duret, recreatio modica eſt, & ideò ſola erit venialis culpa: ſi autem ludus tempore multo duret, erit culpa mortalis, etſi nulla pecunia ludo exponatur, quia iurans ad ſolam ex ludo voluptatem capiendam attendit. Quòd ſi finis iurantis, vel vouentis fuit vitare iacturam temporis in ludis conſumpti, vt Deo, vel aliis negotiis vacaret, tunc etiam non eſt perpendenda pecuniæ quantitas, ſed temporis in ludis expenſi, & quando modico tempore luderetur, nec probabile periculum eſſet, ita in ludo inualeſcendi, vt diu protraheretur, credo nec culpam venialem eſſe. Sicut dicemus ſtatim de ludo paruæ quantitatis, quando finis fuit prodigalitas pecuniæ vitanda. Quia ſicut ibi eſt prodigalitas pecuniæ finis, ita hîc eſt prodigalitas temporis; nec prodigalitas temporis eiúſve iactura dicitur, quando modico tempore recreationis cauſa luditur: ſi autem aliquantulum in tempore excedatur abſque prædicto periculo, erit culpa venialis; ſi verò magna ſit mora, vel prædictum periculum adſit, erit culpa mortalis; ſi finis ſit vitare iacturam pecuniæ, & prodigalitatem, tunc ex pecuniæ ludo expoſitæ quantitate diiudicanda eſt culpa ludi. Et in hoc caſu eſt vera ſententia quæ aſſerit ludum modicæ quantitatis non eſſe culpam etiam venialem, addendo tamen, niſi probabile periculum ita incaleſcendi in ludo ſit, vt magna pecunia prodigatur. Et ratio eſt, quia in virtute talis actus non includitur voluntas vitandi ludi in ea modica quantitate; ſi autem magna pecuniæ quantitas ludo exponatur, vel id probabile periculum ſubiit, erit mortale. Sicut autem prodigalitas non eſt abſoluta, ſed reſpicit prodigentis facultates, ita hęc parua, vel magna quantitas menſuranda eſt penes ludentis facultates, quamuis concedendum ſit aliquam quãtitatem paruam eſſe, vt reſpectu cuiuſcumque nõ conſtituat mortale, & aliquam ita magnam vt reſpectu cuiuſcumque mortale efficiat: quod prudentis arbitrio relinquendum eſt. Si autem finis ſit vitare occaſionem auidiùs inſtandi ludo ſpe iacturæ reſarciendæ, aut lucri maioris acquirendi, quod vulgò dicimus, *Por no picarme en el juego*, ex occaſione hac ſic inſtãdi attendenda eſt ludi quantitas. Similiter ſi finis ſit vitare diſcordias cum domeſticis, vel cum colludentibus, aut blaſphemias, aut periuria, aut alia peccata ex ludo oriri ſolita, ex occaſione horum peccatorum ludenti data ex ludo perpendenda eſt hæc quantitas ad decernendã eius culpam. Huc vſque Sanchez. cuius verba per extenſum ponere volui, quia caſus poteſt frequenter accidere, & ex his poſſunt Confeſſarij decernere, quando talis ludus ſit mortalis, vel venialis.

Non deſinam etiam hîc adnotare Merollam *tom. 1. diſp. 1. cap. 2. corollar. 5. num.* 60. docere in voto pœnali non incurri pœnam quando tranſgreſſio eſt leuis, vt ſi quis voueat aliquam pœnam ſi Sacrum non audiat, vel ſi ludat; aut ſi voueat audire Sacrum, vel non ludere ſub aliqua pœna, non incurrit pœnam, ſi materia ludi ſit modica, vel ſi modicam Sacri partem amittat, quam ego probabilius puto eſſe vſque ad Euangelium incluſiuè, vt alibi probatum eſt.

RESOL. XXXIX. *An in verbis formæ Sacramentorum detur paruitas materiæ?*

REſpondeo negatiuè cum Alphonſo de Leone *de offic. Confeſſ. part. 1. recollect. 7. num.* 40. & aliis, quod eſt intelligendum de verbis eſſentialibus, & mutantibus ſenſum, & ideò ego alibi notaui quòd ſi quis in forma ſacramenti Euchariſtiæ relinqueret particulam *enim*, non incurreret culpam mortalem, & ita etiam docet Hurtado *de Sacrament. in gen. diſp. 1. diffic.* 14. & idem dicendum eſſe puto, ſi in forma ſacramenti Pœnitentiæ & Baptiſmi omittatur particula *Ego*.

Notandum eſt etiam hîc quòd ſi verba eſſentialia formæ Sacramentorum mutentur in alia, idem tamen ſignificatum tenentia, ex genere ſuo non eſſe niſi peccatum veniale, ſecluſo ſcandalo. Ita Sotus *in* 4. *diſt.* 14. *q.* 1. *art.* 3. Ochagauia *tract. 1. de ſacram. Pœnit. q.* 6. *num.* 6. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 7. *q.* 1. *punct.* 3. & alij.

Sed non deſinam hîc apponere verba Syluij *in 3. part. q.* 60. *art.* 8. *dub.* 3. *concl.* 3. vbi ſic ait. Qui ex induſtria corruptè profert, aut mutat verba formæ, peccat mortaliter, ſi corruptio, vel mutatio ſit notabilis, etiam ſi ſolùm accidentalis; venialiter ſi parua, vel non ſcienter facta, modò tamen abſit contemptus etiam interpretatiuus, paruitas enim materiæ communiter excuſat à mortali. Ita ille. Vnde ex his obiter notetur quàm ridiculus ſit ſcrupulus eorum, qui ſi ad finem verborum conſecrationis non proferunt m, valde diſtinctè, & illud t, quod in verbo *eſt* reperitur, putarent ſe non conſecraſſe, cùm hæc mutatio nullius ferè momenti ſit, vt rectè notat Granadus *de Sacram. in 3. part. contr. 3. tr. 1. diſp. 5. n. 3.*

RESOL. XL. *An in coniunctione materiæ & formæ Sacramentorum detur paruitas materiæ?*

VIdetur negatiuè reſpondendum ex ſententia Doctorum, qui requirunt ſimultatem temporis inter aliquam ſaltem partem formæ, & aliquam partem materiæ, ita vt non priùs perficiatur forma, quàm exiſtat aliquid materię, nec priùs exiſtat integra materia, quàm incipiant verba proferri. Ita Scotus *in* 4. *diſt.* 6. *q.* 1. §. *Dico ergo.* Gabriel *q.* 1. *art.* 2. *concl.* 8. Richard. *diſtinct.* 3. *art.* 4. *q.* 2. licet non omnino clarè. Baſol. *diſtinct.* 15. *q.* 1. *ar.* 2. *in fine.* Perez 3. *part. q.* 66. *art.* 8. *num.* 3. Nauarrus *in ſum. c.* 22. *n.* 8. & Sylueſt. *ver. Baptiſmus* 5. §. *Secundò*, licet de Baptiſmo in ſpeciali loquantur. Eamdem doctrinam magis ex profeſſo defendit Caietanus *tom.* 1. *opuſcul. tractat.* 26. non ſolùm in Baptiſmo, ſed potiſſimùm in ſacramento Ordinis. ratione probatur, quia inter materiam & formam Sacramenti requiritur ea coniunctio, quę neceſſaria eſt ad veritatem verborum: ſed ad veritatem verborum neceſſarium eſt ea ſaltem quoad aliquam partem proferri, cùm applicatur materia. ergo ad Sacramentum

requiritur aliquam partem materiæ eſſe ſimul cum aliqua parte formæ.

Sed ego puto non requiri ad veritatem Sacramenti coexiſtentiam materiæ, & formæ, ſed ſufficere moralem coniunctionem. Ita ex Soto, Victoria, Henriquez, Suarez & aliis, docet Granadus *de Sacram. in 3. part. contr. 3 tract. 1 diſp. 4. n. 4.* quia Sacramentum eſt morale quoddam compoſitum, ex re ſenſibili, & verbis, quæ illam determinant ad ſignificandam gratiam; ergo ad eius conſtitutionem & veritatem ſufficit moralis coniunctio, & moralis modus reddendi vera verba, quibus præcipitur ipſum Sacramentum: ad moralem autem coniunctionem ſatis eſt ſi verba non ita diſtent à re ſenſibili, vt non cenſeatur ad illam pertinere, ſeu illam actuare & determinare ad ſignificationem rei ſacræ, quod quidem optimè intelligi poteſt, ſi verba parum diſtent à materia, licet non ſimul coexiſtant. Sed circa præſentem quæſtionem ne deſeras etiam videre me ipſum *in 3. part. tract. 4. reſol. 6.*

Resol. XLI. *An in forma Sacramentorum interruptione detur paruitas materiæ?*

Reſpondeo affirmatiuè cum Gamachæo *in ſumma Theol. in 3. part. D. Thom. q. 60. cap. 4.* vbi docet quòd circa verborum interruptionem & interpolationem, ſi miniſter prolatis aliquot verbis moram faciat, deinde addat reliqua, tunc ſtandum arbitrio viri probi ac prudentis, ita vt ſi diſiunctio & mora fuerit diuturnior, nec ordinariè moraliter videatur eſſe vna oratio, ſed duæ orationes, aut pereat verborum ſenſus, nullum omnino fit Sacramentum, ſin diſtantia & mora fuerit breuior, vt non impediat orationis ſenſum, & vnitatem, Sacramentum è contrario verum cenſeatur, quia eſt ſolùm mutatio accidentalis, accidens verò non tollit rei eſſentiam, ſed poteſt adeſſe & abeſſe ſine eius interitu.

Sed gratum erit lectoribus, vt reor, audire circa præſentem quæſtionem Nugnum *tom. 1. in 3. part. q. 60. art. 8.* vbi ſic ait. Quarta mutatio eſt per interpolationem, ſiue diſiunctionem verborum, vt ſi quis dicat, Ego te baptizo, & ibi ſiſtat, vel etiam admiſceat alia verba, & poſtea ſubdat, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & tunc ſi ſit parua morula, ita vt ſecundùm regulas phyſicas, & dialecticas ſit vna propoſitio, erit verum Sacramentum; ſi verò ſit tanta diſiunctio verborum, vt ſecundùm eaſdem regulas non iudicetur vna, & eadem propoſitio, non erit Sacramentum, & hoc intendit D. Thom. *in art. 8. ſolutione ad 3.* in illis verbis, *ſi intercipiatur intentio proferentis*; ſenſus enim eſt, ſi ſit tanta diſtantia, quòd debeat intercipi ſenſus proferentis ſecundùm regulas dialecticas & philoſophicas, propterea quòd eſt tanta diſcontinuatio, vt oratio non poſſit eſſe vna ſecundùm propriam ſuam vnitatem. Vbi aduertendum eſt multò faciliùs fieri iſtam diſcontinuationem per admixtionem aliorum verborum, quàm quando fit tantùm ſiſtendo in medio. Quoniam qui alia verba admiſcet, intendit ad aliam orationem, & ſic per ſe loquendo, omittit præſentem, atque adeò videtur quòd non poſſit illam continuare. Item faciliùs diſcontinuatur oratio, quando ſit interruptio inter ſyllabas eiuſdem termini, quàm ſi fiat inter terminum, & terminum: vt ſi quis dicat, Ego te bap- & ibi ſiſtat, vel admiſceat alia verba, & poſtea ſubdat tizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. tunc enim licet non ſit magna diſtantia, ſed mediocris, non conficitur Sacramentum. Ita Nugnus. Et tandem hanc ſententiam tenet etiam Marchantius *de Sacram. in qq. regul. tract. 1. cap. 2. q. 2. caſ. 3. fol. mihi* 556. vbi ita aſſerit. Quid dicendum, ſi quis interrumpat verba formæ. e. g. Sacerdos baptizans dum dixit, Ego te baptizo, dicit pueris tumultuantibus, Recedite inde, & nolite ibi garrire, poſtea addit, in nomine Patris, &c. aut fortè dum baptizando dixit, Ego te baptizo, retrahente ſe puero dicit, Admouete propiùs puerum fonti, & poſtea addit, in nomine Patris, &c. Reſpondetur licet in his irreuerentia interuenire poſſit alienis verbis interpolando verba formæ, tamen valere Sacramentum, quia moraliter iudicatur ex antecedentibus, & ſubſequentibus verbis vna fieri oratio: ſi autem notabilis ſit mora, idem non iudicatur, & ideò nullum foret Sacramentum. e. g. ſi quis nunc dicat, Ego te baptizo, & poſt quadrantem horæ adiiciat, in nomine Patris, &c.

Resol. XLII. *An in lectione librorum hæreticorum detur paruitas materiæ?*

Negatiuam ſententiam tenet Toletus *lib. 1. c. 19. n. 9* & Hugolinus *in explic. 1. Can. Bull. Cœn. ver. ad eorumdem libros* §. 1. vbi docet, in hac re non dari paruitatem materiæ, quamuis vnam, vel alteram lineam quis legat, quia idem periculum eſt, ne ſcilicet legens imbibat hæreſim, quæ fortè in ea linea contineretur.

Sed contrariam ſententiam tenendam eſſe puto cum Souſa *in Bulla Cœnæ, cap. 3. diſp. 13. num. 8.* & ideò Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 16. q. 3.* dicit materiæ paruitatem eſſe pauca verba legere. Hurtadus de Mendoza *volum. 1. de fide diſp. 76. ſect. 1. §. 11.* vnam, vel alteram lineam. Suarez *de fide diſp. 20. ſect. 2. n. 20.* quando non eſt multarum linearum lectio, alij verò concedunt tres, aut quatuor lineas. Ita Merolla *vbi infrà.* Peſantius *in 2. 2. q. 56. art. 2. diſp. 6.* Graffius *to. 1. lib. 4. cap. 18 num. 45.* alij decem. Ita Sayrus *de cenſuris lib. 3 tom 5. nu. 22.* Caſtrus Palaus *vbi infrà*, & de hoc dubitat Merolla; ſed plus addit Sanchez, Duardus & alij, quos ego citaui *in 1. part. tract. 11. reſolut. 30.* nam extendunt hanc paruitatem materię ad vnam integram paginam libri in folio impreſſi. Verùm hæc opinio nimis laxa videtur aliquibus, quos ibi citaui, neque illam admittunt Iacobus Gordonus *in ſum. tom. 2. lib. 7. q. 13. cap. 8. §. 3. num. 81.* Caſtrus Palaus *tom. 1. tract. 4. diſp. 2. punct. 10. §. 2. nu. 6.* Megalius *in 3. part. lib. 3. cap. 1. q. 3. n. 49.* Homobonus *in conſult. tom. 1. part. 2. reſp. primo*, & alij. Vnde ex ſupradictis Scortia *in Bulla Pontif. epit. 166. theorem. 410.* monet Confeſſarios, cautum eſſe in decreto facto de mandato Clem. VIII. à Congregat. Illuſtr. Cardin. in negotiis Epiſcoporum & Regularium *die 9. Ianuarij, anni* 1601. ne in Italia extra Vrbem poſſet quis abſoluere ab vllo ex caſibus Bullæ Cœnæ claris,

ris,vel dubiis. Vnde in propoſito noſtro adeò parua debebit eſſe materia,vt omnem dubitationem excludat ad hoc vt Confeſſarius poſſit abſoluere eum,qui legerit. Igitur propter dictum decretum Clementis tam parua debet eſſe materia,quæ legitur,vt omnem dubitationem excludat, vt Confeſſarius abſoluere poſſit eum, qui illam legerit. Ex quo fit non eſſe audiendum Paulum Layman *lib.2. Theol.moral.tract.1.cap.15.num.5.* dum ait poſſe Confeſſarium abſoluere eum, qui vnam paginam libri hæretici legerit, quia præſumere poteſt eum non incurriſſe excommunicationem Bullæ, iuxta opinionem Sanchez ſuprà relatam.Sed manifeſtè fallitur, quia opinio Sanchez parum probabilitatis habet,tum quia magis communiter reiicitur, tum etiam,quia Viualdus & Emanuel Sà, qui eam aſſerebant, expurgati fuerunt, & per conſequens ſaltem eſt valde dubium an legens vnam paginam libri ſit excommunicatus,& hoc ſufficit, vt abſolui non poſſit, propter rationem dictam, & ita docet Merolla *tom.1.diſp.1.p.2.corollar.7.diffic.3. n.344.* quod magis probatur,dum videmus hanc opinionem in Viualdo & Sà emendatis à Reuerendiſſimo Magiſtro ſacri Palatij,ampliùs non inueniri.

Sed quid dicendum ſi, v. g. legantur duæ, vel tres lineæ, in quibus legens certò nouit contineri hæreſim? Duardus *in Bulla Cœnæ, lib. 1.can.1. q.46. n.4.* & Reginaldus *tom.1.lib.9.cap.14.ſect.3.n.254.* putat non obſtante paruitate materiæ linearum, incurrere in excommunicationem,quia facit contra finem legis, cùm ſe exponat periculo imbibendi hæreſim, & ſcienter legat partem libri, propter quam liber ipſe prohibetur.

Sed hæc ſententia aliquibus non placet, quia non dicitur quis exponere ſe periculo imbibendi hæreſim ſtatim ac ſcienter legit aliquam propoſitionem hæreticam, niſi ſimul legat etiam rationes, quibus hæretici eam probare contendunt. Quis enim dicat hominem Catholicum legentem in aliquo libro hæretici hanc ſolam propoſitionem, Chriſtus non eſt Deus,vel duo tantùm ſunt Sacramenta, ſtatim cenſeri expoſitum periculo illas hæreſes imbibendi? & confirmatur, nam qui certò ſcit in aliquo loco libri non contineri hæreſim,adhuc incurrit excõmunicationem legendo, vt omnes concedunt, & tamen non facit contra finem legis. ergo è contrario, quamuis faceret contra finem legis,legendo, v.g.vnam lineam libri, in qua continetur hæreſis, non ſtatim cenſetur excommunicationem incurrere, quia finis præcepti non cadit ſub præcepto.Adde quòd neque in hoc caſu dicitur facere contra finem legis, quia verè non ſe exponit periculo imbibendi hæreſim moraliter.Et hæc omnia docet Merolla *vbi ſuprà.*

RESOL. XLIII. *An in retentione librorum hæreticorum detur paruitas materiæ?*

AD hoc dubium Suarez *tractat.de fide diſput. 20. ſect.2.num.22.* reſpondet diſtinguendo,quia vel retentio procedit ex voluntate abſolutè retinendi librum, & tunc dico quamcumque retentionem eſſe peccatum mortale, etiam ſi mutata voluntate breuiſſimo tempore duret, & hoc probat ratio facta,quia voluntas illa, peccatum mortale eſt, & ab illa procedit exterior retentio. Alio verò modo contingere poteſt, vt aliquis habens propoſitum tradendi librum,in executione ſit negligens per aliquam breuem horam, & tunc facilè poterit excuſari à culpa mortali, tum quia in voluntate non habet propoſitum contrarium præcepto, & negligentia poteſt eſſe leuis, & ipſa mora eſt quaſi materia illius omiſſionis, & ideo ex breuitate poteſt eſſe leuis,ac denique illa non eſt tã retentio, quàm dilatio,quæ interdum poteſt excuſari ab omni culpa,ſi ex rationabili cauſa fiat. Ita Suarez, cui adde Hurtadum de Mendoça *vol.1.diſp.76.ſect.1.§.12.* vbi ſic ait.Peccant contra hanc legem, qui libros retinent,ſiue enim liber ſit proprus, ſiue alienus, ſiue eum calleat, ſiue ignoret omnino, labitur in hanc pœnam, niſi exiguo tempore id faciat;ſi enim decernat poſt breue tempus librum tradere, non eſt peccatum mortale, ſecus ſi vno inſtanti habeat actum retinendi librum longo tempore. Sic ille.

Sed contraria ſententia mihi magis placet, pro qua *in 1.part. tract. 11.reſol.30.* adduxi Sanchez & Duardum,quibus nunc addo Reginaldum *in praxi tom.1.lib.9.cap.14.n.256.* & Caſtrum Palaum *tom.2. tract.4.diſp.2.punct.10.§.2.n.11.* quia grauitas retentionis non deſumitur ſolùm ex libro, qui retinendus eſt,quod inde conſtat, nam ſi haberes voluntatem retinendi vna hora librum, & ſtatim illum tradendi, non video qua ratione quis dicere poſſit,te grauem culpam commiſiſſe. Requiritur ergo ad retentionem grauem mora temporis. ergo ſi tempus,quo de facto retines librum, breue eſt,etiamſi voluntatẽ haberes longo tempore retinendi, retentio illa exterior leuis cenſeri debet,ad effectũ incurrendi cenſuram,quia non incurritur cenſura ex voluntate retinendi, ſed ex voluntate executioni mandata,quæ cùm non ſit integra,& in materia graui exercita, ſed in materia leui, non ſufficit ad incurrendam cenſuram.ergo, &c. & ita hanc ſententiam docet etiam præter Doctores citatos Iacobus Gordonus *in ſumm.to.2.lib.2.quæſt.13. cap.8.§.3. num.81.*Si quis igitur per vnum,vel duos dies retineret librum prohibitum, non incurreret excommunicationem Bullæ Cœnæ,vel Indicis.

RESOL. XLIV. *An in auditione Miſſæ detur paruitas materiæ?*

REſpondeo affirmatiuè,vt patet per ea quæ docet Coninck *de Sacram.q.83.art.6.dub.vn.n.285.* vbi ſic aſſerit. Cõſtat obligationem audiendi Miſſam eſſe grauẽ, & conſequenter eũ peccare mortaliter, qui ceſſante rationabili cauſa aut integram Miſſam, aut notabilem eius partem omittit; qualẽ ſecundùm communem ſententiam omitteret, qui veniret poſt Euangelium lectum, ſecus ſi veniret antequam Euangelium legatur,ſi modò totam reliquam partem audiret,quòd ſi veniret poſt lectam Epiſtolam, & exiret ſtatim poſt communionem, communiter docent peccaturum mortaliter,& ſimiliter qui exiret ante communionem, quia hæc eſt notabilis pars.Ita Coninck,cui etiam adde Villalobos *in ſum.tom.1.tr.8.diffic.35. n.2.* vbi ſic ait. [La Miſſa ha de ſer entera,como conſta del derecho,y aſſi

assi qualquiera cosa que dexare por culpa, sera pecado, y podrà ser venial por poquedad de materia, quando fuesse pequeña parte la que se dexasse, como si se dexasse vno al Epistola inclusiuè. Assi lo dize Sylvestro, San Antonio, Sandoual, y otros, con tal que oyesse despues la Missa hasta el cabo: otros estienden hasta el Euangelio. Ita Sotus. y aun Nauarro dixo, que el que desde el Credo, o Ofertorio assiste à la Missa, cumple el preceto con tal, que despues haga leer, o lea el Euangelio. Mas esso es impertinente, que para la Missa no importa el Euangelio que se lea à parte, harta licencia me parece que es hasta acabada la Epistola. Lo mismo seria si vno oyesse la Missa hasta la Communion, y despues se salliesse, lo qual seria pecado venial; con todo es bien que los Curas en las aldeas reprehendan la mala costumbre, que tienen los labradores. Aduiertan aqui los Doctores, que esta paruidad de materia se ha de entender fuera de lo essencial de la Missa, que si vno faltasse a la consagracion, y al consumir no oyria Missa, y si faltasse à alguna parte del Canon, aunque ella fuesse menor que el principio de la Missa hasta la Epistola se auria de juzgar por Mayor quanto à la culpa.] Ita ille. Vide Mercerum *de Sacram. in 3. part. q. 83. art. 4. dub. 4.* Sed de hac quæstione ego etiam alibi docui esse materiã paruam si audiatur Missa post Euangelium dictũ, quam sententiam nouissimè tenet ac tuetur Ioan. de Lugo *de sacram. Euchar. disp. 22. sect. 1. n. 3.* qui bene aduertit, frustra exigi à Nauarro; quòd postea per se ipsum Euangelium omissum legat, ea enim lectio priuata parum refert ad præceptum audiendi Missam.

Resol. XLV. *An in omissione aliquarum rerum quæ dicuntur, vel aguntur in Missa, detur paruitas materiæ?*

AD hoc dubium ita respondet Nugnus *in 3. part. q. 83. art 4. dub. 2. conclus. 2.* vbi sic ait. Ex paruitate materiæ aliquando erit solùm peccatum veniale aliquid istorum omittere; patet, quia religio est virtus moralis habens materiam grauem, & materiam leuem, & res certissima est, quòd non dicere vnum Kyrie eleison, est leuis materia. ergo tantùm erit peccatum veniale illud omittere; quæ autem sit grauis, vel quæ leuis materia, iudicio viri prudentis & timoratæ conscientiæ iudicandum est, & cùm hæc res secundũ se sit grauissima, semper est timendum, & nihil ex lectione omittendum est; præcipuè in Canone, vbi faciliùs efficitur peccatum mortale aliquid omittere Mihi res grauis videtur ex intentione non velle nominare aliquem Sanctum eorum, qui ibi ponuntur. Ita Nugnus, nimis quidem scrupulosè.

Vnde ego in recitatione etiam sacri Canonis puto dari paruitatem materiæ, & ideo nouissimè Cœlestinus *in compend. Theol. moral. tract. 8 c. 5. q. 10.* ita asserit. Quæres an peccet mortaliter omitteus voluntariè *Credo*, vel *Gloria in excelsis*? Respondeo quòd non. Filliucius *tom. 1 tract. 5. cap. 5. nu. 155.* idem putat de omittente in Canone nomen alicuius Sancti, vel tempore Paschali ea quæ interponuntur in Communicantes, aut in Actione. Hanc igitur oblationem, &c. Ita Cœlestinus. quod ego ante illum docueram *in part. 2. tract. 14. resol. 59.* & docet nouissimè, me citato, Franciscus de Nigro *in addit. ad Ruiz part. 2. regul. 6. q. 1* & etiam, me citato, Faustus *de sacram. Euchar. lib. 2. q. 266.* Et tandem idem tenet Marchantius *in qq. regular. de Sacram. tract. 4. cap. 5. q. 4. fol. mihi 586.* vbi sic ait. Quæro an aliquas cæremonias omittere inter celebrandum, vel addere, semper sit peccatum mortale? Respondetur primò, in his etiam excusare posse rationabilem causam, vel leuitatem materiæ. e.g. omittere *Credo*, vel *Gloria*, vel commemorationem aliquam, facilè excusatur à mortali, quia non sunt partes simpliciter necessariæ ad Missam, nec quid notabile ad integritatem Missæ spectans constituunt. Nec si paulò pòst quis recordetur, debet repetere, quia moraliter non contingit id fieri sine aliqua interturbatione & incommoditate. Similiter dic non esse nisi veniale, & quandoque nullum peccatum cæremonias aliquas, quæ inter principales non adnumerantur, sine contemptu prætermittere. v. g. omittere Crucem aliquam, manuum eleuationem, pectoris tunsionem, &c. Vide etiam Ioannem de Lugo *de sacram Euchar. disp. 20. sect. 4. num. 107.* qui, me citato, sentit non peccare mortaliter Sacerdotem celebrantem solemniter, qui Epistolam, vel Euangelium, quod à Ministro cantatur, non legit, & hoc ex leuitate materiæ, eo quòd tunc non omittatur Epistola, vel Euangelium in Missa, si quidem cantatur solenniter à Ministris ad quos spectat; illa autem lectio, quę omittitur, videtur esse magis priuata, non tam pro populo, quàm pro ipso Sacerdote. Potest ergo eadem materia, quæ est grauis, si omnino omittatur, esse leuis. si non ab vtroque, sed ab vno solo cantetur, vel legatur.

Resol. XLVI. *An in casibus reseruatis, & in excommunicationibus detur paruitas materiæ?*

REspondeo affirmatiuè, quia modicitas rei quemadmodum excusat à mortali, ita etiam excusabit à reseruatione, v.g. modicitas rei subtracta in Ecclesia quemadmodum excusat à peccato mortali sacrilegij, ita quoque à reseruatione; imò licet subtractor huiusmodi habuisset intentionem plura surripiendi, quamuis eo casu mortaliter peccaret, ex *c. finali 14. q. 6.* tamen sacrilegium illud non esset reseruatum, quippe requiritur quòd peccatum mortale reseruatum sit tale ex quantitate operis externi, non ex relatione ad intentionem tantùm, quia in modico nõ præsumitur dolus, & propterea pro eo non statuitur pœna, arg. *cap & si quæstiones, Extrauag. de simonia.* & ita sentit Henriquez *de Pœnit. sacr. lib. 3. cap. 14. §. 6.* Item si paucis alloquaris Monialem, vel transiens illam salutes, aut salutanti respondeas, siue de statu eius ipsam interroges, siue interrogatus respondeas, non incidis in excommunicationem propterea latam. Iacob. de Graff. *decis. lib. 4 cap. 8. num. 5.* & per consequens talis allocutio non erit casus reseruatus. Et hæc omnia docet etiam Finellius *de cas reseru. cap. 5. numer. 8.* cui adde Bellochium *in praxi Theolog. moral. part. 2. q. 9. num. 136.*

Resol.

RESOL. XLVII. *An Superior ratione circumſtantiarum poſsit ſub peccato mortali præcipere materiam leuem?*

AFfirmatiuam ſententiam docent communiter Doctores, vnde valde attendendæ ſunt circũſtantiæ, ex quibus Superior ad imponendum de aliqua materia præceptum ducitur ad iudicium de illa formandum, quia ſæpe contingit vt materia præcepti ſit ſecundùm ſe leuis, & obligationis ſub mortali incapax: at ex circumſtantiis boni communis adiunctis, quas Superior intendit, ſit grauis, & cadat ſub obligatione ad mortale, vt ratione ſcandali vitandi, etiamſi illud non eſſet ex ſe mortale, aut ratione iacturæ boni communis Religionis, periculi etiam non proximi, tranſgreſſionis votorum; & ideo bene infert Valentia *tom.2. diſput.7. quæſt.5.punct.6.* nonnullos decipi exiſtimantes non obligare præceptum Prælati ſub mortali de ſeruãdo ſilentio hoc, aut illo tempore, aut de illo efficiendo, quod ex ſe non magni momenti appareat, quippe fieri poteſt vt circumſtantia aliqua ei materiæ grauitatem addat. Quare ait cum Caietan. *ſum. ver. præceptum*, impoſſibile videri in iure humano ex ſola materia diſcernere præcepta ſub mortali, cùm res, quæ leuis videtur, ac ſit talis in ſe conſiderata, ſit magni momenti, attentis circũſtantiis, quas Superior ſpectat, ac ſubditi ignorãt. Quare dicit Suarez *diſp. 4 ſect.6. num.11.* debere ſatis certò & indubitanter conſtare eſſe leuem materiam, vt iudicemus præceptum, quod aliàs ex verborum tenore ad mortale obligaret, non ſic obligare; & rectè quidem dicit, quia in dubio non eſt ſpoliãdus Superior ſua poſſeſſione, nec quando non conſtat iniuſtitia præcepti. Ex his ſimiliter præcipere poteſt Prælatus Religionis ſub mortali ne Religioſus aliquis accedat ad hortum communem Conuentus, aut ad talem ſæcularis domum, aut ne tranſeat per talem vicum, etiamſi cum licentia ſua exierit extra Conuentũ, vel ne cum tali, aut tali perſona loquatur. hæc enim & ſimilia licet in ſe conſiderata videantur parui momenti, comparata tamen ad honeſtatem, & bonum nomen Religioſorum, aut ratione ſcandali, periculi, vel alterius circumſtantiæ, efficiuntur res magni momenti, & ideo obligant ſub mortali. Et hęc omnia docet etiam Monteſinus *in part.2. tom.2. diſp.23. q.9.n.161.* Salas *de leg. diſp.10. ſect.6 num.32.* Medina *in part.2.q.96.art.4. ad dub.2.* Baldellus *vbi infrà.nu.10.* Molfeſius *in ſum.tom.1.lib. 1.cap.4.nu.3.* Sayrus *in Claui Regia.lib.3.cap.1.num.14.* qui tamen *n.17.* docet, etiam Prælatum Eccleſiaſticum poſſe obligare ad peccatum mortale, ſi materia præcepti ſit leuis, etiam attentis circumſtantiis; ſed hoc non eſt admittendum, etiamſi Prælatus iubeat in virtute obedientiæ, vt notat Caſtrus *de lege pœn.lib.1.c.5.docum.2.* Baldellus *tom.1.lib.5.diſp.20. nu. 8.* & alij.

Notant ex ſupradictis aliqui Religioſorũ præcepta prohibentia in virtute obedientiæ ingreſſum in cellas ob aliqua incommoda euitanda obligare etiam in caſu, in quo aliquis certò ſciat non adeſſe ibi periculum, ratione cuius præceptum impoſitũ fuit, quia eſto non adſit periculum in illo caſu, adeſt tamen generaliter, & in plurimum, & hoc ſufficit, quia hæc fuit cauſa imponendi præceptum, & ita docet Baſilius Pontius *de matrim.lib.5.c 5.n.11.* & Caſtrus Palaus *to.1.tr.3.diſp.1.punct.14. n.13.*

Notandum eſt etiam hic obiter cum Duuallio *in 2.2.D.Thom.tract. de legibus,q.5. art.4. concl.2.in fine*, ſolum Deum in leui materia poſſe ad mortale obligare, vt probabile eſt feciſſe erga Adamum & Euam, ratione eſus fructus vetiti.

RESOL. XLVIII. *An præceptum ſub mortali impoſitum in materia leui obliget ſaltem ſub veniali?*

RESpondeo affirmatiuè cum Suarez *de legibus, l. 3.c.26.n.6.* duo enim ſunt in dicto præcepto diſtinguenda, vnum eſt, talem rem præcipi, aliud eſt præcipi ſub tali obligatione, vel pœna. Primum, vt ſupponimus, non eſt iniuſtum, qui ponimus materiam præcepti ſimpliciter honeſtam eſſe, & in ſuo gradu iuſtam, & capacem præcepti. Secundum autem iniuſtum eſt. At verò non obſtante iniuſtitia & nullitate quoad ſecundum poteſt præceptum valere quoad primum quod iuſtum eſt, tum quia illud eſt prius natura, vt ſic dicam, & ex ſe ſeparabile à ſecundo; tum etiam, quia in his, quæ huiuſmodi ſunt, vtile per inutile non vitiatur. Neque intentio præcipientis intelligitur eſſe conditionata, vt vt nolit præcipere quod poteſt, ſi non poteſt obligare quantum appetit, ſed potiùs abſolutè intendit præcipere, & volendo obligare plus, quàm poteſt, conſequenter etiam vult obligare quantum poteſt, & ita cenſeo tale præceptum eſſe validum quoad obligationem commenſuratam, & proportionatam materiæ eius, quia quoad illam non deeſt intentio præcipiẽtis, & nihil aliud eſt quod ibi deſideretur. Et ita etiam hanc ſententiam docet Sanchez *in ſum. tom.2.lib.6.c.4.n.46.* & Baldellus *in diſp.Theol. tom.1. lib.5.diſp.20. n.9.*

RESOL. XLIX. *An paruitas materiæ excuſet à lege prohibente ne extrahatur aliquid à Regno?*

NEgatiuam ſententiam contra me nouiſſimè docet Merolla *tom.2. diſp.4.cap 3 dub.25.n.242.* exiſtimat enim non eſſe opus vt fractio legis ex ſe valde vtilis Reipublicæ, ſit mortalis, ſequi ingens damnum ex illa fractione particulari, ſed ſatis eſſe quantitatem in ſe magnam eſſe: quod optimè docet Victoria *in tract. de poteſtate ciuili,num 19.* vbi ait mortalem eſſe extractionem pecuniæ à Regno contra legem, quamuis vna extractio parùm noceat, quia, inquit, non ſpectatur quale damnum ſequatur vno contrauenìente, ſed quale ſit à multis, vel communiter fiat: & confirmatur, quia aliàs finis legis fruſtraretur, nunquam enim quilibet tantam quantitatem extrahit, vt ex ea ſola ingens Reipublicæ damnum ſequatur.

Sed ego non diſcedo à ſententia, quam docui, & præter Caſtrum Palaum nunc adduco Granadum *in part.2.contr.7.tract.3 p.1,diſp.4.nu.19.* vbi ſic ait. Obligant ſub mortali leges, quibus prohibetur extrahi à Regno aurum, argentum, equos, & triticum, quia tranſgreſſoribus infligitur pœna mortis,

mortis,aut confiſcationis omnium bonorum. Notant tamen,& meritò,docti recentiores,quando ex prædicta extractione non ſequeretur detrimentum, aut certè tam exiguum, vt ſolutione pœnæ compenſaretur,non fore peccatum mortale eas leges violare. Ita ille.

RESOL. L. *An poſſit quis vouere in materia leui ſub obligatione lethali?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Fagũdez *præc. 2. libr. 9.cap.3. numer.15.* vbi ſic ait.Sed quid ſi Confeſſarius pro mortalibus imponat leuem pœnitentiam, & in ea intendat ſub mortali obligare? Reſpondeo in primis id nunquam eſſe de eo præſumendum,niſi fortè id exprimat, ac intimet pœnitenti; ſi tamen id intimet, exiſtimo ſub mortali obligare, quia iam huiuſmodi præceptum non habebit vim obligandi ex quantitate, & grauitate pœnitentiæ iniunctæ, ſed ex intentione iudicis illud imponẽtis; ſic qui vouit votum de re minima, aut iuramentum promiſſorium efficit de eadem re minima, non obligatur ad illius impletionem ſub mortali, niſi ſe ex ſpeciali intentione ſub mortali voluerit obligare, totum enim id negotium pẽdet ex voluntate & intentione vouentis, & ſicut actus humani intentionem agentium effugere non poſſunt, ſic nec illam egredi. Ita ille.

Sed contrariam ſententiam ego teneo. nam, vt docet Reginaldus *tom.1.lib.15.c.6.n.42.* Sanchez *in ſum.tom.1.lib.1. cap.4.n.4.* ex multis quantumcumque velit legiſlator ad mortale obligare, ſi materia ſit exigua, attentis circumſtantiis non obligabit ad mortale,& hoc eſt verum,ſiue materia leuis ſit totalis materia legis, ſiue partialis, nam eſt eadem proportio, & ratio, ſicut in lege naturali idem reperitur, etenim lex non mentiendi, vt dixi,per ſe obligat tantùm ſub veniali, & eodẽ modo obligat lex non furandi in materia leui, licet in priori lege materia leuis totalis ſit,in poſteriori autem partialis,& ſolùm eſt differentia, quòd in priori lege obligatio eſt per ſe ex genere leuis, in poſteriori verò ſolùm ex accidenti, & in tali indiuiduo,ergo idem cum proportione in lege humana obſeruandũ eſt. Et fortaſſe auctores relati pro prima ſententia contrarium non ſenſerunt,cùm enim dicunt intentionem Legiſlatoris ſufficere, intelligendi ſunt de intentione rationabili & iuſta,nam illa erit commenſurata materiæ, & ideò ſi fuerit de obligatione ſub mortali, ſupponet materiam capacem talis obligationis. Sicut communiter Doctores intelligunt dictum illud *l.1.ff.de conſt.Princ.* Quod Principi placuit, legis habet vigorem,vtique de placito rationabili & iuſto.Hoc ſuppoſito ſic argumentor. Legiſlator in materia leui nõ poteſt obligare ad mortale,ſed votũ obligat ad inſtar legis,vt docet Caietanus *in 2.2.q.88. art.3.* Sotus *de Iuſt.lib.7.q.2.art.1.* Sanchez *in ſum.to.1.lib.4.c.11.nu.31.* Valentia *tom.2. diſp.6.q.6.punct.4.*& alij.Ergo neque vouens in materia leui poteſt ſe obligare ad mortale.Et ideo hãc ſententiam docet in terminis Ioannes Sancius *in ſelectis diſp.15.nu.15.* Vaſquez *in part.2. tom.2.diſp.158. cap.4.nu.34.* Sotus *de Iuſt.lib.7.q.2.art.1.* Ledeſma *in ſum.to.2.tract.10.cap.3. dub.2.* Et ego ipſe cum Sanchez Societatis *in 3.part.tract.5.reſol.24.*

RESOL. LI. *An poſſit Confeſſarius imponere pœnitentiam leuem ſub mortali?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Ioannes Sancius *in ſelectis diſp.15.n.14.& 15.* vbi ſic ait. Licet emittens votum rei leuis, etiam cum animo ſe obligandi ad mortale, non poſſit grauem obligationem inducere vt illius omiſſio ſit lethale, nec id poſſit Legiſlator præcipiens rem leuem; Confeſſarius tamen rem leuem ſub pœnitentia iniunctam poterit præcipere implendam ſub mortali, & id ſemper intelligitur, quia materia grauis reputatur partem integrantem Sacramentum omittere. Et ideò ſi modica eſſet iniuncta pœnitentia, & pœnitens illã culpabiliter nõ impleret, lethaliter peccare iudico, ductus ex principiis intrinſecis,cùm truncum & defectibile reddat Sacramentum, quod graue quid eſt:ſicut enim ille, cui impoſitum eſſet ſub pœnitentia vnam tantùm ſalutationem Angelicam recitare,& nollet acceptare abſque cauſa,abſoluendus non eſſet vt indiſpoſitus renuens integrare Sacramentũ; eodem modo non volens implere iniunctam Orationem Angelicam mortaliter peccabit, cùm nolit implere illam obligationem, quam ſub mortali acceptauit; & quamuis Oratio Angelica ſecundùm naturã orationis materia modica ſit,ſecundùm quod materia & pars conſtituitur ſacramenti Pœnitentiæ,grauis eſt reputãda,ſicut deglutire aquæ guttam ſecundùm ſe quid modicum ſit: at poſt illius ſumptionem Euchariſtiam ſumere quid graue eſt,eo quòd præceptum pronũtietur de non ſumendo Euchariſtiã poſt ſumptionem cibi, aut potus, quantumuis exigui, & graue ſemper præceptum violatur,& in re graui,videlicet irreligioſitatis Sacramenti, ſicut ſimoniæ crimen mortale erit rem ſpiritualem vendere etiã exiguo pretio.Ita Sancius *loco citato.* Igitur per illum omittere pœnitentiam leuem impoſitam à Confeſſario, ſemper erit peccatum mortale.

Sed communiter contrarium docent DD. aſſerentes non implentem leuem pœnitentiam pro ſolis venialibus, vel mortalibus iam confeſſis delinquere tantùm venialiter, quia quamuis integritas Sacramenti non ſeruetur, tamen eſt in re valde extrinſeca, & ſecundaria, & quid leue reputatur ex hac parte Sacramentum non integrare.Et ita tenet Suarez *tom.4.in 3.part. diſput.38.ſect.7.numer.5.* Coninck *de Sacrament.diſp.10.n.80.* Reginaldus *tom.1. lib.7.num.77.* Henriquez *lib.5.c.20.n.4.in gloſſ.lit.M.* & alij. Vnde etiam ad dubium propoſitum in titulo reſolutionis negatiuam ſententiam docet Merolla *tom.2.diſp.4.c.3.dub.25.n.283.*aſſerens non poſſe Confeſſarium imponere pœnitentiam leuem ſub mortali.

RESOL. LII. *An plures materiæ paruæ coaleſcant in vnum,vt materia grauis ad mortale ſufficiens euadat?*

REſpondeo quòd quoties parua poſtremi venialis materia nequit cum præcedentium materia moraliter continuari,ita vt pro vna reputetur, nec

nec effectus relicti continuari moraliter possunt, multiplicatio transgressionis præcepti in materia parua non constituit materiam grauem: ac culpam lethalem, secus quando materiæ paruæ, aut effectus ab eis relicti moraliter continuantur. Ratio est, quia cùm in priori euentu omnes eæ materiæ diuersæ sint, nec in vnam coalescant, nec effectus ab eis producti, nequit ex illis grauis materia conflari, sed singulæ diuisæ manebunt, & ita paruæ. At cùm in posteriori casu materiæ, vel effectus vniantur, notabilis materia euadet, & ita docet Molfesius *in sum. tom.1.tract.3.c.8.num.70.* Castrus Palaus *tom.1.tract.2.disp.2.punct.9.§.4.n.4.* Sanchez *in summ. tom 1.lib.1.c.4.n.9.* Suarez *de legib.lib.3.c.28.numer.11.* Reginaldus *tom.1.lib.15.cap.vlt.n 67.* & alij. Vnde cum supracitatis Doctoribus pro praxi infertur primò: te comedentem sæpiùs die ieiunij violare ieiunium vltima illa comestione, quæ ad notabilem quantitatem peruenit, quia illa vltima comestio etsi per se sumpta leuiter temperantiam læderet, at vt coniuncta alijs, & illas supponens grauiter lædit, moraliter enim illis coniungitur, & quasi esset simul cum alijs facta reputari debet. Secus dicendum si diuersis ieiunij diebus parum aliquid comedas, vel propositum habeas, parum aliquid singulis diebus comedendi, quia vnum ieiunium cum alio non continuatur, neque comestio vno die facta cum alterius diei comestione. Sic supradicti Doctores. Neque propositum fertur in omnes illas comestiones coniunctim sumptas, sed in omnes separatas, & singulis diebus debitas, & prout debitæ sunt, quæ cùm solùm sint debitæ sub peccato veniali, numquam est propositum de mortali. Infertur secundò, si intemperantem cibum sumas, & vltima comestione agnoscas tibi notabile damnum inferri, peccas mortaliter, quia iam amplecteris obiectum grauiter dissonum rationi, quod etsi secundùm se graue non esset, at graue est redditum ob multiplicem præcedentem comestionem. Infertur tertiò, te laborantem similiter die festo aliquoties, etsi singulis vicibus paruum tempus consumas, peccas mortaliter, quando peruenis ad quantitatem notabilem, v.g. duarum horarum, quia omnes illi labores moraliter vniuntur, & quasi in eodem tempore facti reputantur. Siquidem verum est dicere te laborasse illo die festo vltra duas horas; secus verò si per quadrantem singulis festis laborares, quia tunc sicut festa diuersa sunt, ita & labores sunt diuersi, neque vnum cum alio continuatur. Infertur quartò, non peccaturum mortaliter qui eodem die ieiunij in causa est vt plures modicum quid accipiant, & in die festo per breue spatium similiter laborent, quia actiones cuiuslibet personæ cum actionibus alterius nullo modo continuantur. Et tandem quintò deducitur semper in materia iniustitiæ ex paruæ materiæ multiplicatione magnam consurgere, ac sufficientem ad mortale: vt in furtis minimis accidit, quando enim per ea ad notabilem quantitatem furto arreptam peruenitur, vltimum rei paruæ furtum est mortale. Sed ex his oriuntur difficiles & practicabiles dubitationes. Quæro igitur,

RESOL. LIII. *An si quis per plures dies omittat votum leuis materiæ, v.g. orationem Dominicam, vel dare paruam eleemosynam, peccet mortaliter?*

DIstinguit Sanchez *in sum.tom.1.lib. 1.cap.4.n.14.* & ait, si vota hæc quotidie recitandi modicum, aut modicæ eleemosynæ erogandæ quotidie sint in honorem diei, & temporis, tunc non est mortale, etiamsi vota hæc semper violentur. At si non sint in diei honorem, sed tantùm dies præfigatur vt terminus, ne vltra illum executio voti differatur, tunc licet singulis diebus sit omissio venialis tamquam rei modicæ omissio: at dum notabilem orationis, aut eleemosynæ omissorum quantitatem attingit, erit mortale. Ratio est, quia in priori casu singulorum dierum lapsu extinguitur obligatio pro illis diebus, ac proinde materiæ illæ voti modicæ omissæ continuari nequeunt. At in posteriori obligatio materiæ modicæ omissæ non extinguitur, sed semper transit in alium, & alium diem donec votum impleatur; quare materiæ illæ omissæ tamquam adhuc debitæ continuantur, ac proinde cùm materia omissa magna euaserit, erit culpa lethalis.

Sed difficultas est in cognoscendo quando vouens censetur annectere obligationem ad diem, & quando non. Et Castrus Palaus *tom.1 tract.2. disp.2 punct.9.§.4.n.9.* respondet, quòd quoties aliquod motiuum in singulis diebus relucet, quale solet relucere in recitando quotidie Calculo virgineo nullo modo censetur vouens in diem sequentem prorogare obligationem, & in votis personalibus ita semper est intelligendum, dum aliud non constat, vt benè dixit Sotus *l.7.de Iust.q.2.art.1. col.4.vers.conclusio ergo.* Aragon. 2.2.*q.*88.*art.3.paulò post princ.concl.*3. quapropter Suarez *lib.5. de voto.c.5. n.12.& 13.* & alibi sæpe, dicit rarò contingere in votis personalibus obligationem factam pro vno die in sequentem prorogari; in votis autem realibus faciliùs potest præsumi intentio prorogandi obligationem, eò quòd videatur non solum attendi religiosum seruitium, sed etiam necessitatis alicuius remedium, quod semper habet eandem opportunitatem. Quapropter Medina 1.2.*q.*88.*art.*4. *ad* 4. Ledesma *tom.2. summæ tract.*10. *cap.3. dub.*1. & multis relatis, Garcia *de beneficijs 3.part.c.*1.*n.*171. sentiunt in votis realibus obligationem in sequentem diem semper prorogari; credo tamen sic præsumi, dum aliter non constat, constaret autem si in honorem Dei Genitricis promissa esset eleemosyna danda singulis Sabbatis, vel in eius festiuitatibus, non enim ad sequentes dies transiret, sed eodem modo iudicandum esset de tali eleemosyna, ac de ieiunio tunc promisso. Huc vsque Castrus Palaus. Et iuxta superiùs dicta interpretanda & intelligenda sunt ea, quæ docui *in 3.part.tract.5.resol.24.*

RESOL. LIV. *An Beneficiarius qui partes leues in singulis horis omittit, quæ simul sumptæ grauem quantitatem constituunt, teneatur ad aliquam restitutionem?*

AFfirmatiuè respondet Faustus *de Horis Canonicis*, *lib.2. q.*286. vbi sic ait. Ad restitutionem

nem teneatur qui eodem die in ſingulis horis pauculos verſiculos omiſit, qui tamen ſimul ſumpti vnam integram horam efficiunt, & ratio eſt, quia ſicut huiuſmodi omiſſiones continuantur in ordine ad grauem culpam, ita etiam in ordine ad reſtitutionem. Sic ille.

Verùm negatiuam ſententiam ex neotericis tenet expreſsè Caſtrus Palaus *tom. 2. tract. 7. diſput. 2. punct. 7. num. 6.* quia, ait ille, ſi pro qualibet hora ſuum diſtinctum præceptum latum eſt, tunc omiſſiones non coniunguntur cum omiſſione in officio alterius diei. Sed adhuc admiſſo vnicum eſſe præceptum pro integro Officio diei, credo nullam eſſe obligationem, quia ita eſt vnum præceptum, vt virtualiter multiplex ſit, & obligatio reſtitutionis ſingulis horis eſt adnexa. Vnde ſi quælibet hora per ſe ſumpta nullam inducit obligationem reſtituendi, neque illam inducet, quatenus vnicum quoddam Officium conſtituit. Officium namque inducere non poterat obligationem reſtituendi, niſi partes illius Officij diuiſim inducerent. Ita Palaus, qui citat Monetam & Filliucium. Vnde puto vtramque ſententiam probabilem eſſe, ſed ego magis negatiuæ adhæreo.

RESOL. LV. *An eodem die violare plura vota de materia leui ſit peccatum mortale?*

AFfirmat Sanchez *in ſumma tom. 1. lib. 1. cap. 4. num. 16.* exiſtimat enim materias leues votorum multiplicium pro eodem die obligantium continuari moraliter, & in vnam coaleſcere, ac proinde culpam eſſe lethalem omittere notabilem quantitatem illo die, ſiue materiæ ſint eiuſdem rationis, ſiue diuerſæ, vt ſi alterum votum ſit recitandi, alterum eleemoſynæ. Ducor quòd etſi diuerſa numero ſint vota, at obligatio voti vnius rationis eſt, & eadem ratione ad Religionis virtutem ſpectat, eiuſque præceptum quod in re notabili tunc violatur. Sicut qui homini promitteret magnam pecuniæ quantitatem diuerſis promiſſionibus, vel diuerſa obſequia, ſingulis tamen vicibus quid modicum, peccaret mortaliter non implens in notabili quantitate, perinde ac ſi vnica promiſſione rem notabilem pollicitus non ſtaret promiſſis. Quia omnes illæ promiſſiones numero diuerſæ pertinent ad eandem iuſtitiæ obligationem, nec eſt ſimile de diuerſis illis præceptis in feſto concurrentibus, quia cùm diuerſæ omnino rationis ſint, non poſſunt materiæ continuari, nec eſt idem in caſu quem numero præcedenti tetigi, quando votum rei modicæ eſt in diei honorem, ac propoſitum eſt ſemper illud omittendi, quia votum numquam coniunctim obligat ad totam illam propoſiti materiam, eo quòd materiæ modicæ nunquam in eandem diem, idémve tempus confluant, ſed tranſacta die quælibet ceſſat. & ideo cùm propoſitum feratur in illam, vt ex voto debitam, at ex hoc tantùm debeatur pro ſingulis diebus, & ſemper ſub veniali propoſitum non fertur in materiam grauem. At in noſtro caſu materia illa grauis ex diuerſis votis conſurgens eadem die obligat. ergo, &c.

Sed contrariam ſententiam probabilem etiam eſſe puto, & ita colligitur ex Suarez *de Relig. lib. 5. de voto, cap. 5. numer. 11. & 12.* vbi affirmat, ſi promiſiſti ſingulis horis eleuare mentem ad Deum, vel quoties Miſſam audires nihil leue ex illa omittere, etſi toto die non eleuares mentem ad Deum, & in pluribus Miſſis leue quid omitteres, numquam te peccaturum mortaliter. & reddit rationem, quia vna materia cum alia non colligatur, ſecus verò ſi promiſiſſes recitare Officium diuinum integrè, & in Prima omitteres Pſalmum, in Tertia, & ſic in ſingulis Horis, quia omnes illæ Horæ vnum Officium diurnum conſtituunt, & omnes illæ omiſſiones in vnum adunantur. At in ſupradicto caſu illa vota non vniuntur in aliquo tertio, ſed quodlibet ex illis eſt ſeparatum & diſtinctum. ergo violatio vnius non poteſt augere violationem alterius. Neque obſtat illa vota vniri in virtute Religionis. Nam etiamſi promiſiſſes Dominicis ſingulis Dominicam orationem recitare, & multis diebus omitteres, non peccares, quia eſto omnes illæ recitationes aduersùs Religionis virtutem ſint, quia tamen inter ſe non vniuntur, ideo grauiter virtus Religionis non lædit, ſed omnia illa vota etſi ſint vno die implenda, non tamen vniuntur inter ſe, ſed ita diſtincta ſunt ac ſi quodlibet illorum quolibet diſtincto die præſtandum eſſet, quod exinde probatur, quia quodlibet votum in ſpecialem reuerentiam & honorem alicuius Sancti, vel myſterij diuini factum eſt, in quo aliud votum non conuenit. ergo ſunt inter ſe omnino diſparata. ergo non peccas mortaliter, eſto omnia illa omittas. & hæc omnia docet Caſtrus Palaus *tom. 1. tract. 2. puncto 9. §. 4. numer. 11.* Vnde, vt dixi, vtramque ſententiam probabilem eſſe puto.

RESOL. LVI. *An ſi à Sacerdote gutta aquæ in vino non miſceatur, ex paruitate materiæ excuſetur à mortali?*

NOſtri temporis hæretici, vt refert Bellar. *lib. 4. de Euch. cap. 10.* cenſent mixtionem aquæ cum vino pro conſecratione Calicis eſſe indifferentem, & liberam.

Sed contraria ſententia prorſus eſt tenenda, & ideo ad dubium propoſitum reſpondeo negatiuè cum Ioanne de Lugo *de ſacram. Euchar. diſp. 15. ſect. 2. num. 22.* vbi ſic ait. Dato quòd materia parua ſecundùm ſe non poſſit ab Eccleſia prohiberi grauiter, quando tamen eſt materia magna in ordine ad ſignificationem, poteſt, vt gutta aquæ in Calicem mittenda propter myſterium & ſignificationem præcipitur ab Eccleſia ſub mortali. Ita ille.

Notandum eſt etiam hîc in gratiam amiciſſimi & doctiſſimi viri Pauli Areſij Epiſcopi Tortonenſis, quòd ſi aqua non fuerit in vinum conuerſa ante conſecrationem, conuertitur immediatè in ſanguinem, & ita docet præter DD. alibi à me relatos nouiſſimè, me etiam citato, Ioannes de Lugo *de ſacram. Euchariſt. diſp. 4. ſect. 4. num. 48.* & Ioannes Præpoſitus *in 3. part. q. 74. art. 8. dub. vn. num. 58.*

RESOL.

RESOL. LVII. *An in prohibitione alienationis rerum Ecclesiasticarum detur paruitas materiæ?*

AFfirmatiuam sententiam tenendam esse patet ex *cap. terrulas 12. quæst. 2.* & ita docent DD. quos citat & sequitur Riccius *in praxi tom. 1. resolut. 36.* quia in generali prohibitione alienationis modica non veniunt, vt notat Bald. *vol. 1. cons. 91.* & ideò restitutio in integrum pro modica læsione non datur, vt docet Bursatus *cons. 27. numer. 17.* & Sfortia *de restit. in integr. quæst. 4. art. 12. num. 105.* & pro modica sterilitate non fit remissio mercedis, vt vult Valascus *decis. 30.* vide etiam Guttierr *cons. 15. numer. 7. & sequent.* Caldam Pereira *in l. si curatorem, ver. contractum, numer. 15. C. de in integr. restit. minor.* & Quarantam *in summ. Bull. ver. alienatio numer. 41.* vbi notat per sacram Congregationem decisum fuisse, neque constitutionem Pauli II. neque Concilij Tridentini Decretum derogasse dispositioni supradicti textus *c. terrulas*, qui quidem textus procedere non solùm in alienatione, sed in locatione etiam, tenet Thomingius *decis. 23.* Crotus *vol. 1. cons. 96. numer. 14.* & alij.

Sed difficultas est quæ dicantur terrulæ, & quæ res exigui valoris? Glossa ait quòd fortè hic textus exiguas vocat non valentes vltra viginti solidos, refert & sequitur Archidiac. *in cap. si quos, hac eadem causa & quæst.* Alciat. *cons. 23. num. 6. & sequent.* Sed probabilius est iudicis arbitrio hoc esse remittendum, qui consuetudinem terræ & temporum locorumque qualitatem attendere debet, & inspicere conditionem Ecclesiæ, si sit pauper, vel multùm abundans. Ita Quaranta *dicto num. 41.* Aloysius Riccius *dicta resol. 36. in fine.*

RESOL. LVIII. *An in prohibitione celebrandi post meridem detur paruitas materiæ?*

HAnc quæstionem, me citato *in tract. de celebrat. Miss. resol. 34.* pertractat Pater Lugo *de sacram. Eucharist. disp. 20. sect. 1. numer. 37.* & dicit tempus prohibitionis ne celebretur post meridiem, non esse accipiendum mathematicè, sed moraliter. Vnde aliqui dicunt posse tertia parte horæ post meridem inchoari Missam. Alij extendunt ad semihoram, alij ad tres ferè quadrantes, alij ad horam non integram. Verùm ipse Lugo non excusat ita celebrantes propter paruitatem materiæ, sed quia quod intra illum terminum fit, reuera intra debitum terminum & tempus fit obligationis. Sed Bonacina *de Sacram. disp. 4. quæst. vlt. punct. 9. num. 9.* videtur supradictos excusare ratione paruitatis materiæ, ex exemplo quod adducit de laborantibus in diebus festiuis; sic enim asserit. Mihi media via incedenti ad peccatum mortale videtur requiri spatium trium quadrantum, vel etiam horæ, sicut enim spatium horæ sufficit ad contrahendū mortale peccatum, quoties opera seruilia in die festo exercentur; ita si quis per horam post meridiem non perficiat Missam, non videtur à mortali excusandus præcisa iusta causa. Ita ille.

RESOL. LIX. *An in violatione interdicti detur paruitas materiæ?*

REspondeo affirmatiuè cum Turriano *de censuris lib. 6. disp. 49. dub. 5.* vbi sic asserit. Suarez docet videri peccatum mortale si quis dicat Orationes diuini Officij, præmisso *Dominus vobiscum*, quia licet quantitas sit parua, tamen est actus Ordinis sacri proprius & qualitate magna: ergo si fiat in choro contra prohibitionem, erit graue peccatum. Ego tamen non video idoneum fundamentum ad hoc asserendum. Addit Pater Suarez etiam fore peccatum graue benedicere aquam cum aspersione salis, & benedictionem Episcopalem solemniter datam, quia sunt actus Ordinis Sacro annexi, & licet breues videantur, tamen magni momenti sunt. Sed non auderem asserere esse peccatum graue tales actus, quia & quantitate sunt parui, & non apparet ex alio capite insignis eius grauitas, & iuxta doctrinam istam facile est in similibus philosophari. Ita ille. Sed sententiam Suarez tenet etiam Iacobus Gordonus *tom. 2. lib. 7. quæst. 16. cap. 10. numer. 65.* vbi sic ait. Obijcies esse saltem quædam alia, quæ omnino leuia videntur, vt est aquæ lustralis benedictio, vel aspersio solita fieri solemni ritu die Dominico, solemnis benedictio data ab Episcopo, exercitium minoris Ordinis, & canere publicè in Ecclesia diuinum Officium. Respondeo benedictiones illas esse actus alicui sacro Ordini annexas, & ideò grauem habere materiam, per se loquendo, cùm fiunt publicè, & solemni ritu. Idem dico de minoribus Ordinibus, quia sunt actus sacri, ad quos Minister ex officio est consecratus, & ideò si cum propria, & primæua solennitate fiant, inducunt simile peccatum. Dixi, *si cum propria & primæua solemnitate fiant*, quia iam vix illa in praxi est, & ideò locus esse potest excusationi. Canere autem dicto modo, peccatum mortale erit, saltem in Clerico, de quo hæc est pars assertionis; potest tamen materiæ leuitas excusare, si tantùm exiguam Officij partem cana[illegible], & quæ non sit Oratio Officij, addendo versiculum, *Dominus vobiscum.* & hæc de Clericis. Hùc vsque Gordonus. Sed ego puto sententiam Turriani etiam probabilem esse.

RESOL. LX. *An in præcepto gestandi Tonsuram Clericalem detur paruitas materiæ?*

ALiqui, vt Panormitanus *cap. 4. de vita & honestate Clericor.* indistinctè affirmant peccare mortaliter Clericos Tonsuram non gestantes; cui sententiæ videtur fauere Richardus *in 4. dist. 24. art. 1. quæst. 1.* docens grauiter peccare eum, qui scienter ordinatur sine corona, quia *in cap. si quis, dist. 23.* præcipitur sub pœna excommunicationis.

Sed Henriquez *lib. de Ordine cap. 11. §. 1.* tenet absolutè negatiuam sententiam, & Caiet. *in summ. ver. peccata Clericorum*, tenet id non esse mortale, secluso contemptu, & contumacia, quia in iure Canonico hæc obligatio, vt patet, non præcipitur sub verbis indicantibus grauem obligationem.

Verùm mihi placet media ſententia. Dico igitur peccare mortaliter ſacris Ordinibus initiatum, ſi Tonſuram non deferat; ſecus autem ſi ſit in minoribus ordinibus. Ita Sotus *in 4. diſtinct. 24. quæſt. 2. art. 1. concl. 2.* Sylueſter *ver. Clericus 2. §. 2.* Armilla *eodem ver. num. 11.* Angelus *eodem ver. 4. num. 1.* & alij.

His ſuppoſitis reſpondeo ad quæſitum præſentis reſolutionis affirmatiuè, cum Iacobo Granado *de Sacrament. in 3. part. contr. 9. tract. 4. diſp. 3. numer. 8.* vbi ſic ait. Vſus coronæ tanquam rei magni momenti eſt antiquiſſimus, & in ijs qui Ordinem ſacrum receperunt, vſu receptiſſimum geſtare Tonſuram, adeò vt vix ſine graui ſcandalo omitti poſſit. quæ ſanè indicant rem hanc non eſſe leuis momenti, nec ſolùm obligare ſub veniali, non tamen iudicari debet lethale peccatum, ſi per vnum, aut paucos dies non geſtaretur corona. Ita ille, & ego.

RESOL. LXI. *An in dimiſſione habitus propriæ Religionis detur paruitas materiæ?*

SVppono ex *cap. 2. ne Clerici, vel Monachi in 6.* excommunicari Religioſos profeſſos Religionis ſuæ habitum temerè dimittentes, & ad quæſtionem reſpondet affirmatiuè Emanuel Sà *ver. excommunicatio, numer. 9.* Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 13. q. 5. caſ 16.* Toletus *lib. 4. cap. 18. num. 4.* Sylueſter *ver. excommunic. 9. caſ. 24. n. 53. notab. 3.* & alij aſſerentes Religioſos non incurrere hanc excommunicationem ſi dimittunt habitum ad breue tempus, & Sanchez *in ſumma tom. 2. lib. 6. cap. 8. numer. 54.* putat breue tempus eſſe ſpatium vnius horæ, & in tali caſu docet Religioſum non incurrere excommunicationem, etiam ſi dimittat habitum non ſolùm ex cauſa turpi, vt gratia fornicandi maiori voluptate, aut clam aliquid furandi, ſed etiam vt incognitus adeat ad lupanar, &c. quod etiam ex parte docet Sanctarellus *tractat. de Apoſtaſia, cap. 1. dub. vnic. numer. 7* Azorius *vbi ſuprà*, & Sylueſter cum alijs, quia etſi dimiſſio illa momentanea ex malitia alterius ſpeciei illi adiunctæ ſit grauis, at in ratione dimiſſionis temerariæ, quæ ſola ſubijcitur huic cenſuræ, cenſetur leuis, nec nomine dimiſſionis, moraliter loquendo, ſed cuiuſdam ſpoliationis digna, licet contrarium docuerit Suarez *in 3. part. tom. 5. diſput. 23. ſect. 4. num. 31.* Bannez *in 2. 2. q. 12. artic. 2. dub. 2. concl. 2.* & alij, quando dimittitur habitus eo breui ſpatio cauſa diuagandi, & eundi incognitus ad lupanar, quia grauitas huius delicti non eſt penſanda ex temporis duratione, ſed ipſa habitus dimiſſio eſt per ſe res grauis, & ſufficiens ad peccatum mortale, quod peccatum eſt huic legi contrarium, & materia huius cenſuræ. Sed prima opinio eſt ſatis probabilis in omnibus ſupradictis caſibus.

RESOL. LXII. *An in præcepto celebrandi cum veſtibus ſacris detur paruitas materiæ?*

NEgatiuè reſpondet Filliucius *tom. 1. tract. 5. cap. 5. num. 149.* vbi ſic ait. Quæro an liceat in aliquo caſu ſacrificare ſine veſtibus? Reſpondeo & dico primò ſine omnibus in nullo caſu licet, etiam ob periculum mortis, ſi ſaltem adiungatur contemptus fidei, eſſet enim magna irreuerentia, & ſcandalum. In neceſſitate ſine vna, vel altera præſertim ex minoribus, vt ſtola, vel cingulo, non eſſet mortale. Dico ſecundò ex materiæ leuitate vix poteſt excuſari à mortali, quia quælibet earum veſtium eſt ſufficiens ad peccatum mortale, ſi voluntariè omittatur. Ita Filliucius. Sed ego probabiliter puto ratione paruitatis materiæ non peccare mortaliter Sacerdotem celebrantem cum cingulo non benedicto, vel aliquo alio vice cinguli fungente. vide Doctores penes me ipſum *in 2. p. tr. 14. reſol. 68.* & hanc ſententiam me citato, probabilem putat nouiſſimè Franciſcus de Nigro *in addit. ad Ruiz part. 1. præſ. 4. num. 42. q. 28.*

RESOL. LXIII. *An in præcepto Pij V. non addendo aliquid in Miſſa præter præſcripta detur paruitas materiæ?*

AFfirmatiuè reſpondeo cum Hurtado *diſput. 4. de ſacrificio Miſſæ, difficult. 12.* vbi ſic ait. Conueniunt Doctores, addere aliquid ex ſuo, quod non ordinatur in Miſſali, eſſe peccatum, quia prohibuit Pius V. in Bulla præfixa in initio Miſſalis Romani iuſſu ipſius impreſſi, quod non eſt mortale, quando parua aliqua Oratio additur ex deuotione, & non recitatur alta voce coram populo. Ita ille.

Qui etiam putat idem dicendum, vt ſuprà viſum quoque eſt, *reſolut. 45.* in omiſſione illarum rerum, quæ in officio Miſſæ dicendæ & recitandæ ordinantur in Miſſali. Vnde Franciſcus Syluius *in 3. part. D. Thom. quæſt. 83. artic. 6.* ſic aſſerit. Obſerua celebrantem teneri ad omnia, quæ præſcribuntur in Miſſali, ita vt nihil poſſit addere, aut omittere, ne Sacerdotes alijs quàm debitis horis, néve ritus alios, aut alias cæremonias & preces in Miſſarum celebratione adhibeant, ait Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22.* & Pius V. *in Miſſali* ſtrictè præcepit, vt Miſſam iuxta ritum, modum, ac normam quæ in eo traditur, decantent ac legant. Non dubitamus tamen quin aliter facientes aliquando peccent ſolùm venialiter, cùm enim leuitas materiæ ſoleat aliàs à mortali excuſare, non eſt ratio cur in præſenti non excuſet. Ita Syluius. Vnde ego in facti contingentia excuſaui à peccato mortali Sacerdotem, qui omiſit recitare graduale poſt Epiſtolam. vide ſuprà *in reſolut. 45.*

RESOL. LXIV. *An in præcepto non addendi, vel diminuendi aliquid ex officio Canonico, detur paruitas materiæ?*

AFfirmatiuè reſpondeo cum Caſtro Palao, *tom. 2. tract. 7. diſput. 2. punct. 2. num. 15.* vbi docet, peccare venialiter aliquem, addendo, vel diminuendo minimum, tanquam partem diuini Officij. Notat tamen ipſe Suarez *lib. 4 de Horis Canon. cap. 15. num. 15.* & alijs peccatum eſſe mortale, vel minimum addere, vel diminuere animo vt in perpetuum ſic duraret, quia licet reſpectu diuini Officij illa ſit minima pars, & leuis additio, vel diminutio, non eſt tamen leue, ſed graue.

illam

illam minimam partem ritui Ecclesiæ quasi perpetuò addere, vel diminuere, tum ob vsurpatam iurisdictionem, tum ob introductionem noui ritus & cultus; sed contrarium docet Bonacina *de Horis Canon. disp. 1. q. 3. part. 1. n. 21.* agnoscens in tali casu solam culpam venialem.

Non desinam tamen hîc pro curiosis adnotare, quòd pecces, propter talem additionem, te satisfacturum tamen præcepto recitandi, quia totum quod præcipitur recitas, etsi alijs precibus mixtam. Nec valet dicere quòd illa mixtio facit, vt non sit eadem formula officij, sed alia; sed quis tenetur recitare iuxta formulam in Breuiario præscriptam. ergo. Nam respondeo, moraliter loquendo, non esse aliam formam, quia quis non censetur illa addere, vt partem diuini Officij, sed quasi per accidens, & ita tenet Palaus *vbi suprà, num. 16.*

RESOL. LXV. *An in percussione Clerici detur paruitas materiæ ad excusandam excommunicationem, licet fuerit facta interiùs prauo animo, & moraliter peccaminosa?*

REspondeo affirmatiuè cum Portel *in dubiis Regular. ver. excommunicatio, num. 11.* vbi quærit. Percussit quis Clericum prauo animo, ita vt ex prauo animo percussio sit mortale peccatum, at ex parte operis percussio fuit leuis, & venialis, an ob talem percussionem incurratur excommunicatio? & respondet negatiuè, & addit hoc idem dicendum esse in quouis alio opere, cui annexa est excommunicatio, si opus externum fuit tantùm veniale, & leue, licet internum fuerit mortale: & ratio est, quia Ecclesia non excommunicat actus internos, sed externos, & requiritur vt actus externus sit de se grauis. Ita Portel, qui citat pro hac sententia Sanchez *in summa tom. 1. lib. 2. c. 8. num. 7.*

RESOL. LXVI. *An in præcepto correctionis fraternæ detur paruitas materiæ?*

REspondeo correctionem fraternam per se interdum ad mortale obligare. nam per accidens ratione leuitatis materiæ, vt obseruat Duuallius *in 2. 2. D. Thomæ tract. de char quæst. 9. art. 2. ad 3.* vt si proximus tantùm peccauisset venialiter, regulariter loquendo, omittere correctionem, non est peccatum mortale. Dixi *regulariter*, propter Sotum, qui *in 4. dist. 19. quæst. 2. mem. 2. concl. 3.* docet Prælatos Religionum peccare morraliter quando negligunt corrigere peccata venialia in suis Religionibus committi solita, si ex correctionis omissione disciplina regularis imminuatur. Sed putat Duuallius *vbi suprà*, citra hunc casum correctionem fraternam de peccatis venialibus nunquam ad mortale obligare, imò addit, nullum esse præceptum corrigendi proximum pro peccatis venialibus, quando ex ijs notabile detrimentum non emergit. nam *Matthæi 18.* vbi potissimùm hoc præceptum à Christo declaratur, & iniungitur, supponit proximum, cùm adhibenda sit correctio, esse perditum, & æternæ damnationi obnoxium, aliter enim non dixisset, *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* & *Iacob. 5.* dicitur: *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte*; sed anima non incurrit iacturam salutis suæ per peccata venialia. Ergo tunc non tenemur corrigere.

RESOL. LXVII. *An peccatum inuidiæ ratione paruitatis materiæ sit aliquando tantùm veniale?*

REspondeo affirmatiuè. nam licet inuidia ex genere suo peccatum est mortale, tamen ratione leuitatis materiæ potest per accidens esse veniale; si enim quis doceret de aliqua re leui, in qua non posset proximum æquare, & quæ si ab eo auferretur, non esset illi magnum detrimentum, non diceretur peccare morraliter. & ita docet Duuallius *in 2. 2. D. Thomæ tract. de charitate quæst. 12. circa finem*, & alij.

RESOL. LXVIII. *An in iudicio temerario detur paruitas materiæ?*

REspondeo affirmatiuè, vt quando quis temerè iudicat de altero in re leuis momenti, non enim erit peccatum mortale, & ita docet Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 2. num. 14.* vbi etiam docet non esse peccatum mortale temere iudicare alterum esse spurium, vel filium Iudæi, vel illegitimum, quod etiam tenet Petrus Nauarra *de restitut. lib. 2. cap. 4. numer. 450.* Azorius *part. 3. lib. 13. cap. 11. quæs. 4.* & alij. Sed nouissimè hanc sententiam refellit noster doctus Fidei quæsitor Ioannes Escobar *tract. de puritate & Nobilitate probanda part. 1. quæst. 8. §. 2. numer. 33.* cum multis alijs, quia etsi prædictæ qualitates, postquam homini in natiuitate cohærent, naturales sint, nec possint ei imputari, tamen cùm valde inter nos existimationem lædant, & infamiæ notam inurant, iudicium temerarium circa eas, non in re leui, sed in re grauissima proximum lædit, & apud omnes opinionem eius minuit. Verùm ego puto vtramque sententiam probabilem esse, nisi fortè per tale iudicium temerarium, proximum contemnas, aut infames, vt ab aliquo officio, aliove bono consequendo iniquè impedias, nam in hoc casu peccatum lethale adesset.

RESOL. LXIX. *An in detractione detur paruitas materiæ?*

LIcet ex genere suo detractio sit mortalis, tamen ratione leuitatis materiæ, in qua quis intendit famam alterius lædere, potest esse veniale, vt si ex industria aliquam paruam imperfectionem de aliquo narres. & ita tenet Lessius *lib. 2. cap. 11. disp. 3. num. 11.* Hinc narrare defectus veniales proximorum, non erit nisi veniale; nisi fortè conditio personæ talis esset, vt in ea huiusmodi defectus censeantur non leues, sed magni momenti; vt si v. g. secundùm aliquos diceret de viro graui, & religioso esse mendacem, & sæpiùs mentiri; nam dicere illum semel, vel bis mentitum, clarum est non esse mortale. Idem dicendum est ordinariè non esse lethale, reuelare defectus naturales (nisi inde aliquod notabile damnum sequatur) siue illi defectus sint animi, siue corporis; vt si

dicas quempiam eſſe ignarum, parui iudicij & ingenij, ſiue eſſe cæcum, gibboſum, &c. Et Petrus Nauarra *lib.2. cap.4. numer.307.* cum alijs idem cenſet dicendum eſſe in defectibus natalium; vt ſi quis dicat aliquem eſſe filium Clerici, natum ex adulterio, & ſimilia; niſi fortè propterea putaretur valde in animo eorum, quibus dicitur contemnendus. Si autem in faciem hæc & ſimilia, præſertim viro honorato dicantur conuiciandi cauſa, erit peccatum mortale, quia cenſetur tunc non leuis, ſed gratiis contumelia; ſecus ſi vilis ſit conditio, niſi fortè grauem mœrorem putetur concepturus. Et tandem dicendum eſt non eſſe peccatum mortale, ſi in genere dicas aliquem eſſe ſuperbum, auarum, iracundum, &c. quia hæc nomina ordinariè non ita accipiuntur, vt ſonent peccata mortalia, ſed vt naturalem inclinationem, vel veniales defectus denotent; fieri tamen poteſt, vt ratione dignitatis perſonæ, de qua dicuntur, vel quia putantur accipienda pro gratiis vitijs, ſit in tali caſu peccatum mortale.

TRACTATVS SEXTVS
DE
MVTIS, SVRDIS, ET CÆCIS.

RESOL. I. *An mutus & ſurdus ſi in terris infidelium ſe miſceat cum alijs ad ſuſcipiendum Baptiſmum, ſit baptizandus?*

HIc caſus olim torſit Doctorum ingenia, & de illo agit Lopez *in Inſtruct. conſcien. part.1. cap.12.* vbi ſic aſſerit. At adhuc paulum pergimus immorari in hac ſcitu digna quæſtione, ab hac non abhorrenti materia, ſcilicet qui natus eſt ſurdus & mutus inter infideles, qui nunc conuertuntur in Indiarum nouo Orbe, qui iam adultus euaſit, ſi Baptiſmum petit, quia alios videt baptizari, an ſit ei conferendus? Et quidem non tam patens eſt quæſtio vt ſtatim ſuccurrat menti quid ſit dicendum. Nam aliqui Thomiſtæ, quibus ad manus caſus hic euenit, in regionibus Indiarum non auſi ſunt tali conferre Baptiſmum. nam pro parte negatiua hæ rationes vrgere videntur. Prima; quia cùm in adultis ad Baptiſmum requiratur diſpoſitio fidei abſolutè, & contritionis, aut attritionis, ſi baptizandus mortalis peccati eſt conſcius, iſte quia mutus & ſurdus à natiuitate fuit; vnde iuxta præceptum Domini, *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos*, edoceri non potuit vt baptizaretur, fide explicita, & implicita videtur carere, eſt ergo indiſpoſitus. Item demus quòd poſſibile & veriſimile eſt furatum fuiſſe, cum vxore aliena coiſſe, quæ acta mala eſſe etiam nemine docente exteriùs, lumen naturale, quod ſignatum eſt ſuper nos, ei dictat. Quorum peccatorum contritione, aut dolore videtur carere, quia de neceſſitate doloris ad Baptiſmum neceſſarij edoceri nequit. ergo ne indiſpoſito & in peccato complacenti detur Baptiſmus, non eſt ad Baptiſmum recipiendus, ne ſacrilega ſit receptio.

Sed in contrarium hæ quoque premunt rationes. Prima, quia non eſt in via aliquis relinquendus, dum viator eſt extra ſtatum ſalutis. Negare autem huic petenti Baptiſmum, videtur illum tanquam ſine ſpe remedij relinquere. ergo. Item præſumendum eſt talem ſurdum à natiuitate, & elinguem, ſi cum ſignis petit Baptiſmum à Deo, de quo D. Ioannes ait, quòd illuminat hominem venientem in mundum, fuiſſe illuminatum de fide ſupernaturali ſaltem implicita, & de dolore neceſſario, quia Deus non deficit in neceſſarijs. ergo eſt baptizandus. Et confirmatur ex D. Auguſtino, vbi Catechumenos retinentes adulterina conſortia, ſi deſperati, & intra ſe pœnitentes iacuerint, neque pro ſe reſpondere potuerint, quia amiſerunt vſum linguæ, alio modo, baptizandos, inquit, huiuſmodi puto. ergo ſimili ratione huiuſmodi mutos & ſurdos à natiuitate, ſi ſigna contritionis, tundendo pectus, vel aliter oſtenderent, baptizandos eſſe cenſeret. Sed quia rationes hæ pro parte affirmatiua ſolutiones planas habent, & quia rationes pro parte negatiua vrgentiores ſunt, ſi quis velit huiuſmodi baptizare ſurdum, & elinguem, me authore non faciet, ſed expectabit iudicium ſaltem Epiſcopi, qui cum doctis ſibi adiunctis perſonis inueſtigare curet, an talis ex viuacitate indicij, ex inſpiratione Dei, vel exterioribus Religionis Chriſtianæ exercitijs, & Sacramentis à ſe viſis dati, apprehenderit pro ſalute animæ talia ſuſcipi remedia, diuinaque eſſe, & ab vno Deo cæli, & terræ inſtituta, ſi hæc ſignis exterioribus ſe intelligere ſignificauerit, ſimulque fidem de Deo ſe habere, doloremque de peccatis. Tunc his præhabitis ſi baptizaretur, non damnare auſim, aliàs affirmatiuam relinquens, negatiuam citiùs complecterer. Huc vſque Lopez.

Sed ſi Epiſcopus longè diſtaret, ego puto in tali caſu poſſe Parochum cum alijs viris doctis dictũ mutum & ſurdum examinare, illumque baptizare. & ita docet Epiſcopus Moſcoſo *in ſumma tract.2. cap.5. numer.7.* vbi ſic ait. [En el caſo del Padre Lopez

Lopez del ſordo y mudo infiel, que venieſſe adonde los Chriſtianos ſe eſtan bautizando (como ſucedio en las Indias) y por ſeñas pidieſſe el Bautiſmo, tengo por acertado ſe ſiga ſu parecer, que es, que ſe conſulte al Obiſpo o Prelado para que ſe examine con ſu autoridad ſi el mudo llega bien diſpueſto para recibir el Sacramento del Bautiſmo, y ſu efeto, y ſe bautize. Verdad es que ſi el Cura ſabe bien lo que haze, y puede examinar por ſeñas al mudo por ſu perſona, y con acuerdo de algunos hombres doctos, particularmente ſiendo dificultoſo acudir al Obiſpo, pues no ſe acude à el por tener juriſdiciõ, ſino ſolo por el examen. Tanbien es verdad aſſentada que ſi ſin examen le bautizaſſe, aunque ſeria pecado mortal, quedaria verdaderamente bautizado.] Ita ille, & ego.

RESOL. II. *An mutus ſi alij non inuenirentur, poſſit in articulo mortis baptizare infantem, illum abluendo, ſi alter manibus carens proferat verba formæ?*

NEgatiuam ſententiam docent communiter Doctores, & nouiſſimè Mæratius *tom. 3. de ſacrament. Baptiſmi diſput. 5 ſect. 4.* vbi ſic ait. De tertio baptizandi modo Marſilius *in 4. quæſt. 4. art. 6. dub. 11.* validum cenſet fore Baptiſmum eo modo collatum in caſu extremæ neceſſitatis: vt ſi puero mox morituro nullus adeſſet præter duos, quorum vnus mutus eſſet, alter membris omnibus captus, hoc enim formæ verba proferente, illo altero abluente, validum fore Baptiſmi ſacramentum affirmat. Sed repugnat hac in parte cæteris communiter Theologis, tam antiquioribus, quàm recentioribus, nominatimque ſancto Thomæ quæſtionis huius 67. *art. 6. ad 3.* & præcedentis quæſtionis *art. 5. ad quartum.* Ita Mæratius. cui adde Ochagauiã *de ſacram. Baptiſmi tr. vn. q. 13. num. 10.* Probatur hæc opinio. Primò, quia Sacramentum quod in extrema neceſſitate validum eſt, etiam extra illam eſt validum, & è contra; ſed Baptiſmus in iſto caſu collatus, etiam iuxta auctores oppoſitæ ſententiæ, nullum valorem ſortitur extra caſum neceſſitatis. ergo neque etiam in illo collatus valorem ſortiri poterit. Roboratur ſecundò hæc opinio, quia in primis non valet Baptiſmus ille collatus catechumeno in extremis conſtituto ſub hac forma, Ego te baptizo, quia ſi denotẽt actionem abluendi exteriùs corpus illa verba, & ſignificent interiorem animi ablutionem, forma eſt falſa, quia ille, qui profert verba, & qui pronuntiat ſe abluere non abluit corpus, vt ſupponitur. ergo cum hac forma nullum omnino redditur Sacramentum.

Si verò præfata forma denotet collationem ſacramenti Baptiſmi, eodem modo falſa eſt forma, quia ad hoc ſine dubio requiritur eumdem Miniſtrum & proferre verba, & abluere exteriùs, quia vtrumque denotatur per verba formæ ſecundùm illam ſignificationem deſumpta. Quia autem in prædicto caſu vnus & idem Miniſter vtrumque non exhibet, hinc eſt nullum inde reſultare Sacramentum. Deinde non valebit prædictus Baptiſmus ſi vterque ille Miniſter baptizet ſub hac forma, Nos te baptizamus, quia ad hoc vt eſſet vera hæc forma, vterque deberet abluere, ſumpto verbo *baptizamus* in prima ſignificatione, vel vterque deberet abluere, & proferre verba formæ, ſumpta forma verborum in ſecunda ſignificatione. Sed neque tunc vterque abluere, quia vterque manus non haberet. Neque vterque verba proferret, quia vterque linguæ vſum non haberet; ſequitur ergo neque etiam hoc modo Baptiſmum validum eſſe. ergo, &c.

Sed affirmatiuam ſententiam præter Marſilium citatum tenet Fernandez de Heredia, & Ioannes Chapeauilla, quos adduxi ſuprà *in tractatu de caſibus occurrentibus tempore mortis*, vbi hanc quæſtionẽ etiam agitaui, *& in 3. part. tract. 4. reſol. 11.* Sed ego negatiuæ ſentẽtiæ adhæreo. Verùm ad magis practicabilia, vt noſtri moris eſt, deueniamus.

RESOL. III. *An mutus teneatur confiteri per nutus & ſigna?*

REſpondeo affirmatiuè. nam, vt aduertit Hurtado *de pœnitentia diſp. 8. diff. 4.* conueniunt communiter DD. eum, qui non poteſt aliter confiteri, quàm nutibus, aut alijs ſignis diſtinctis à voce, & à ſcriptura, ad id teneri tempore præcepti, ſiue purè diuini, ſiue annuæ confeſſionis, quia confeſſio poteſt abſque inconuenienti dictis ſignis fieri. & ideo Naldus *in ſum. ver. mutus, num. 1.* ſic ait. Mutus & ſurdus à natiuitate poteſt confiteri, & abſolui; ſed hoc intellige de muto & ſurdo adeò perſpicacis ingenij, quòd ſignis & nutibus percipiat, vel ſaltem in genere deteſtationem peccati, & propoſitum abſtinendi de cætero, & ſecundò vrgeat neceſſitas præcepti cõfeſſionis, & primum dictum ſatis probatur, quia aliàs iſte actus iudicialis indebitè exerceretur, nẽpe abſque cauſæ cognitione. Secundum autem apertè deducitur à ſimili de amentibus à natiuitate, quibus non eſt danda Euchariſtia, nec quidem in articulo mortis, niſi cùm aliquando erant ſuæ mentis compotes, deuotionẽ oſtenderint in huiuſmodi Sacramento. S. Thom. *3. par. quæſt. 80. art. 1.* & tandem idem probatur à ſimili de muto ſolùm, & ignorante idioma Confeſſarij, qui poteſt confiteri, & abſolui tempore præcepti, ſi tamen explicet aliquid quod à Confeſſario intelligatur. Ita Naldus. Cui adde Leonem *de officio Confeſſ. part. 1. recollection. 18. num. 97.* & Megala *in inſtruct. part. 1. lib. 5. cap. 8. num. 11.* aſſerentes in tali caſu mutum ſufficere explicare ea peccata, quæ poteſt iudicio prudentis. Idem etiam docet Valboa *in c. omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. num. 37.*

Notandum eſt etiam hîc Antonium Fernandez *in Inſtruct. Confeſſ. part. 1. docum. 4. num. 33.* docere, Confeſſarium tempore quo obligat præceptum confeſſionis, poſſe abſoluere mutum, qui præbet ſigna doloris, etiam ſi nullum poſſit ex eius ſignis intelligere peccatum, & alius non adſit Confeſſarius, qui meliùs intelligat, quod à fortiori procedit in articulo mortis.

RESOL. IV. *An mutus ſi ſciat ſcribere, teneatur confiteri per ſcripturam, vt integram faciat confeſſionem?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Petrus de la Fay *de pœnit. in addit. ad 3. part. D. Thom. quæſt. 9.*

art.2.diſp.2.concl.4. Fagundez *vbi infra*, Megala *in Inſtr.part.1.lib.5.cap.6.num.6.* Henriquez *lib.2.de pœnit.cap.3.num.8.* & Granadus *de Sacram.in.3.part. D. Thom.contr.7 tract.1.diſp.9.ſect.1. num.4.* vbi ſic ait. Mutus,qui nouit ſcribere,debet per ſcriptum confiteri ſub ea cautela, vt in vna papyro referat numerum,in alia habeat ſcriptas ſpecies peccatorum. Probatur,quia qui obligatur aliqua lege,præſertim Eccleſiaſtica & magni momenti, maximè ſi ordinetur ad implendam legem diuinam, tenetur adhibere diligentiam,& apponere media ſaltem non magnæ difficultatis vt legem ſeruet; ſed lex annuæ confeſſionis eſt Eccleſiaſtica & magni momenti, ordinaturque ad implendum præceptum diuinum confeſſionis, quia alioqui non conſtat extra mortis articulum de tempore determinato quo per ſe obligat.ergo qui obligantur hac lege,tenentur adhibere diligentiam,& apponere media non magnę difficultatis vt illam ſeruent. Rurſus ſcribere peccata,& ſcripto confiteri, non eſt medium magnæ difficultatis.ergo qui aliter non poteſt,tenetur ſcripto confiteri.In hoc certè diſcurſu nihil eſt quod indigeat probatione, præter vltimum antecedens, quod facilè perſuadetur;nam ſcribere peccata non eſt tam immenſus labor,& cùm mutus ea reuocat in memoriam,poteſt ſimul ſcriptis mandare. Deinde ea tradere ſcripta Confeſſario potiùs diminuit ruborem,quo ſuffunditur qui verbis proprijs ea declarat. Periculo autem publicationis poteſt facillimè occurri. nam ex propria domo vſque ad Eccleſiam poteſt charta in manibus afferri ne decidat, & cùm primùm lecta ſit à Confeſſario, poteſt comburi, aut in minutiſſimas partes diſcindi; non eſt ergo periculum publicationis, quod alicuius momenti ſit. quòd ſi aliquando contingat chartam cadere, aut propter iniuriam non diſcindi,& ſic in manus aliorum deuenire, id certè rarò continget, & propter caſum tam præter communem rerum euentum non eſt deobligandus homo à lege tanti momenti; ſic enim etiã accidere poteſt à Confeſſario non ſeruari ſigillum,aut confeſſionem audiri ab alio quàm à Confeſſario, & non propterea licet abſolutè deobligare homines ab hoc præcepto. Huc vſque Granado.cui etiam adde Alphonſum de Leone *de offic. Confeſſ. part.1. recollect.15.num.34.* & Doctores, quos citat & ſequitur Hurtado *de pœnitent. diſp.8. diffic.4.* hæc opinio eſt probabilis.

Sed non minùs probabilem contrariam ſententiam eſſe exiſtimo,quod fatentur ipſimet aduerſarij.vnde Fagundez *pr.2.lib.1.cap.6.num.9.* vbi ſic aſſerit.Dubium tamen eſt vtrùm excuſetur pœnitens ab obligatione confeſſionis Quadrageſimæ,quando non poteſt confiteri niſi per ſcriptum,præſente tamen Confeſſario,quia,v.g.vel pœnitens eſt mutus,vel Confeſſor ſurdus,& non poteſt ſe alijs nutibus ipſe pœnitens explicare. & certè hac de re opinio eſt pro vtraque parte probabilis. Ita ille.Et ideo Naldus *in ſumm.ver. Mutus, n.2.* ſic ait: Mutus etſi ſciat ſcribere, non tenetur confiteri propria peccata per ſcripturã,tradendo nempe ipſam Cõfeſſario legendã;& ratio eſt,quia talis modus confeſſionis de ſe eſt publicus, eſt enim ſcriptura de ſe publica, vnde exponit ſe pœnitens probabili periculo amittendi ſcriptum,& quamuis non exponat, quia ſtatim poteſt rumpi,tamen ille modus confitendi eſt de ſe & ex natura ſua publicus, & nemo tenetur ſic publicè confiteri ne periculo infamiæ ſe exponat, non enim præcepta Eccleſiaſtica cum tanto rigore obligant. Deinde non tenemur ex vi præcepti confeſſionis cõfiteri per interpretẽ,quamuis Catholicus & fidelis ſit,& quamuis ad ſigillum teneatur,quia ille modus confeſſionis de ſe eſt publicus. ergo neque etiam ex vi eiuſdẽ præcepti annualis confeſſionis tenebimur confiteri per ſcriptũ, cùm æquè publicus hic modus confeſſionis ſit,atque ille.Et ita hanc ſententiã docent etiam Martinus Ledeſma *in 2.p.4.q.8.art.3.* Victoria *in ſum.n.173.* Dominicus Sotus *in 4.diſt.18.q.2.art.6.* Nauarr.*c.21. n.36.* Barboſa *in Decret.Gratian.part.2.de pœnitent.diſt. 2.c.89.n.3.* Valentia *tom.4.diſp.7.q.11.punct.1.* & alij. Vnde,vt dixi,vtraque opinio eſt probabilis.

RESOL. V. *An ſurdus teneatur confiteri, & quid cum eo agere debeat Confeſſarius?*

AD hoc dubium reſpondet Poſſeuinus *de officio Curati,cap.7.num.15.* vbi ſic ait. Quæritur quid agendum cum ſurdo? Reſpondetur, caueat Curatus ne ab alijs audiatur. Excipiat illius confeſſionem in remotiori,& hunc non interroget, niſi de puris neceſſariis in mortalibus, & euitet fatigationem ſuam & ſurdi,ſi nouit ſcribere, bonum erit, ſcribat peccata venialia generali collatione, faciat confiteri. Ita ille.Sed ex ſuperiori reſolutione ſatis probabiliter firmatum eſt, neque ſurdum teneri ſcribere peccata.

RESOL. VI. *An mutus & ſurdus à natiuitate ſit in articulo mortis communicandus?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Iacobus Marchantius *de Sacram. in reſolut. qq. paſtor.de Euch. tract.4.cap.3.q.1.caſ.4.* vbi ſit ait. An adultus à natiuitate ſurdus & mutus ſit communicandus ſaltem in articulo mortis? Ratio dubitandi eſt, quia tales non videntur poſſe habere actualem deuotionẽ, cùm numquam fuerint inſtructi de hoc myſterio, ideoque fidem actualem illius non videantur habere. quomodo enim credent niſi audierint? quomodo audient ſine prædicante? Ex altera parte vt illis adminiſtretur,ratio militat, quia tales ſunt baptizati,ideoque fidem habitualem habent per Baptiſmum infuſam,& cùm alios vident cum magna reuerentia & deuotione ad Sacramentum hoc accedentes & adorantes,concipiunt ibi eſſe aliquod myſterium,& deuotionem aliquam erga illud exterioribus demonſtrant ſignis, imò & adorationẽ in huius Sacramenti eleuatione exhibent. experiẽtia id didici in quadam ſurda & muta iuriſdictioni meæ ſubdita, quæ in Miſſæ ſacrificio eleuationẽ manuum, pectoris tunſione, alijſque ſignis dum Sacramentum exhibetur,adorationem exhibet, & deuotionem, quam ſolent fideles, & cùm vſu rationis perfecto polleat,abſque dubio confuſè myſterium ibi aliquod latere percipit. Imò ſignis aliquibus quandoque licentiam petijt cum alijs ad hoc Sacramentum accedendi, quæ tamen ei indulta

dulta non fuit à Parochis ante me, ideoque nec hactenus id reſolui, cùm difficilè ſit iudicare de diſpoſitione, & ſufficienti reuerentia Sacramenti nec ipſa Eccleſiaſtico præcepto communionis comprehendatur.

Dubium tamen mihi eſt, an ſi exiſteret in periculo mortis ob diuinum præceptum communicandi ſemel in vita, non foret fides eius, quantum poteſt fieri, ſignis excitanda, vt ſic ei miniſtretur tunc vt viaticum Euchariſtia. Etenim cùm Deus in neceſſarijs non deſit, videtur ſpeciali illuſtratione interiori & ſpecialis gratiæ auxilio adiuuare tales ad actum fidei exercendum. Alioqui cùm Theologorum ſententia definiat neminem ex adultis ſine fide explicita myſterij Trinitatis & Incarnationis ſaluari poſſe, ſequeretur tales ſurdos & mutos excludi à ſalute, cùm non poſſint de illis myſteriis ſufficienter inſtrui, & per conſequens nec explicitam fidem elicere, niſi dicamus Deum ſpeciali gratia & lumine ad id concurrere, & intellectum, voluntatemque eleuare, vt tales pio affectu fidei ſufficienter aſſentiantur, maximè illis articulis, qui dicuntur eſſe neceſſarij, non ſolùm neceſſitate præcepti, ſed etiam neceſſitate medij ad ſalutem. Hinc etiam aliqui Theologi dixêre, quòd ſi quis inter infideles faceret quod in ſe eſt, nec haberet quempiam pro inſtructione ad fidem, Deum non ei defuturum, ſed extraordinario potiùs modo eum illuſtraturum, ſiue per homines, ſiue etiam per Angelos. Itaque ſurdus & mutus à natiuitate videtur ſaltem in periculo mortis, poſſe communione muniri, ſi aliquam iudicetur reuerentiam concipere, nec idem de illo eſt, ac de pueris, cùm diſcretionis lux in eo fulgeat, iuuarique poſſit lumen naturale, & perfici lumine, & gratia ſupernaturali ad diſpoſitionem ſufficientem ſpeciali benignitate Dei. Huc vſque Marchantius; ſed plus inquirendum videtur. Peto igitur,

RESOL. VII. *An non ſolùm in articulo mortis, ſed etiam in vita mutus & ſurdus à natiuitate ſit communicandus?*

VIdetur negatiuè reſpondendum, vt patet ex Marchantio *vbi ſuprà*. nam hoc eis concedit in articulo mortis, & quidem hunc caſum non inuenio agitatum inter Doctores. Sed ego reſpondeo, quòd ſi tales ſciant ſcribere, & per conſequens legere, non eſt dubitandum poſſe communicari. nam eis per ſcripturam ſatis ſufficienter poteſt explicari myſterium & ſacramentum Euchariſtiæ, & diſpoſitionem neceſſariam ad illud ſuſcipiendum: difficultas eſt ſi legere neſciant; & adhuc reſpondeo affirmatiuè. Primò quia, vt obſeruat Sanchez *de matrim. tom.1. lib.4. diſp.8. num.12.* muti & ſurdi, de quibus loquimur, vtplurimum (& patet experientia) ita perſpicacis & acuti ingenij ſunt, vt multa explicatu difficillima facilè ſignis manifeſtent, aliaque ipſis ſignificata intelligant. ergo per ſigna & nutus poteſt eis myſterium Euchariſtię explicari, & poſtea communicari. quod quidem confirmatur. nam, vt in prima reſolutione dictum eſt, muti & ſurdi à natiuitate tenentur confiteri, & ſunt abſoluendi. ergo tenentur & poſſunt communicari Probo conſequentiam; nam, vt obſeruat Sancius *in ſelect. diſput.26. num.4.* & Zambranus *de caſibus tempore mortis, cap.3. dub.2. n.19.* & ex Societate IESV Caſtrus Palaus *tom.1. tract.3. diſput.1. punct.24. §.2. num.7.* non minùs difficiliora cognoſcere debet Chriſtianus, & conſequenter mutus & ſurdus à natiuitate, vt validè & fructuosè confiteantur, quàm ad Euchariſtiam ſuſcipiendam; debet namque intelligere peccatum mortale animum occidere, à quo ſi velit liberari, recurrere debet ad cõfeſſionem, quæ quidem facienda eſt cum dolore delictorum præteritorum, & cum propoſito illa non reiterandi, animoque ſatisfaciendi, & quòd omnia peccata ſi poteſt, eorumque numerum tenetur explicare, quæ quidem omnia ad capiendum difficilia eſſe nemo negabit, ac illa quæ in ſacramento Euchariſtiæ reperiuntur. Si ergo muti & ſurdi hoc non obſtante ſecundùm Doctores capaces ſunt ſacramenti Pœnitentiæ, quare non erunt & Euchariſtiæ? Si quando mutus & ſurdus confitetur, cognoſcit per abſolutionem gratiam ſibi cõferri, dolore & propoſito indigere, neque dimidiãdam confeſſionem, & ſi quoad cognitionem naturalem fortè difficilius ſit cognoſcere panem deſinere, & corpus Chriſti adeſſe, quàm abſolutione gratiam conferri, reſpectu tamen fidei æqualiter ſunt cognoſcibilia, ſeu credibilia, non enim maior authoritas ad credendum eſt in vno, quàm in alio cùm vtrumque ſit reuelatum à prima veritate, quę in dicendo eiuſdem authoritatis eſt. Præterea debet cognoſcere puer communicans deuotè ſuſcipiendam eſſe ſacram Euchariſtiam, quod an non cognoſcet, dum ſuſcipit ſacramentum Pœnitentiæ reuerenter? Item ſcire opus habet ieiunè ſuſcipiendam eſſe, & hoc quare nõ cognoſcet, qui capax eſt ad cognoſcendum, quòd dum confitetur, debeat habere dolorem de peccatis commiſſis, & propoſitum vlteriùs non peccandi? Faciliùs equidem inſtruentur muti & ſurdi ad ſeruandum ieiunium, quàm ad concipiendum dolorem. Concludo igitur ex ſupradictis, quòd ſi muti, & ſurdi poſſunt confiteri, non videtur qua ratione non poſſint communicari.

Probatur ſecundò hæc opinio ex auctoritate Henriquez *lib.8. cap.42. n.3.* Poſſeuini *de officio Curati, cap.8. num.9.* Perlini *in ſacro conuiuio, diſtinct.2. cap.4. num.6.* Reginaldi *tom.2. lib.29. cap.5. num.81.* Bonacina *de Sacrament. diſput.4 q.6. punct.1. num.7.* & aliorum aſſerentium habentes vſum rationis, ſed debilem & imperfectum, vt ſunt quidam Æthiopes & ſemifatui, ſecluſo irreuerentiæ periculo admittendos eſſe ad communionem, non ſolùm in articulo mortis, ſed etiam in Paſchate. Si ergo ſemifatuis neganda non eſt Euchariſtia, quare mutis & ſurdis à natiuitate capacibus ad cognoſcendam malitiam peccati mortalis erit deneganda? vnde quis non videt magis reuerenter & deuotè ab iſtis accipiendam eſſe ſacram Synaxim, quàm ab illis? non debet igitur eis denegari.

Nec valet dicere, quòd non eo ipſo quòd quis eſt capax rationis & ſacramenti Pœnitentiæ, ideo eſt capax Euchariſtiæ, nam communiter aſſerunt Doctores pueros, licet teneantur in primis annis

poſt

poſt adeptum vſum rationis confiteri, non tamen teneri, nec poſſe ſumere Euchariſtiam, & aliqui hoc extendunt, vt alibi viſum eſt, etiam in articulo mortis. nam reſpondeo primò non deeſſe Doctores contrarium docentes, vt ex illis docet mordicus Ioannes Sancius *in ſelectis, diſp. 26. per totam*, cuius opinionem ex Societate IESV nouiſſimè ſuſtinet Caſtrus Palaus *tom. 1. tract. 3. diſput. 1. punct. 24. §. 2. num. 7.* vbi ex multis rationibus firmat pueros eo ipſo quòd ſunt capaces ſacramenti Pœnitentiæ, eſſe capaces Euchariſtiæ. Vel reſpondeo ſecundò, quòd eſt negandum, amentes grandioris ætatis, & vtplurimum viuacis ingenij eſſe comparandos in caſu, de quo loquimur, cum pueris in primis annis poſt ſeptennium, quibus Doctores illi, vt dictum eſt, concedunt confeſſionem, non autem communionem, nam mutus & ſurdus à natura, vt docet Spino *in ſpeculo teſtament. gloſſ. 9. rubricæ, num. 1.* ſi perfectè ſecundùm eius intellectum percipiat, quæ geruntur, æquiparatur maiori, tenet Bart. *in l. mutum, de acquiren. hæreditate.* Doctor. *l. 1. de verborum obligationibus*, vbi dicit Bartol. de quodam muto, qui per motum labiorum percipiebat, & intelligebat omnia quæ loquebantur, & *ibi* Alciat. *num. 51.* facit text. *in l. patri, de acquirenda hæreditate, & in l. vbi non voce, de regul. iur. l. mutus, de procurat. l. item quia*, iuncta gloſſa *ver. mutus, de pactis, l. 1. ff. qui & à quibus, l. ſurdi & muti, de manumiſſis vindicta.* Remittendum igitur puto iudicio & arbitrio prudentis Confeſſarij, quando & quoties ſupradictis mutis & ſurdis à natiuitate ſit ſacroſancta Euchariſtia impertienda.

RESOL. VIII. *An mutus, ſurdus & cæcus teneantur Miſſam in diebus feſtis audire?*

VIdetur prima facie reſpondendum negatiuè. nam ſupradicti neque per ſenſum auditus, neque per ſenſum viſus, poſſunt percipere myſteria ſacrificij Miſſæ. ergo, &c.

Sed affirmatiuam ſententiam docet Ioannes Azorius *tom. 1. lib. 7. cap. 3. q. 4.* D. Antoninus *part. 1. tit. 9. cap. 10. §. 1.* Sylueſter *ver. Miſſa 2. q. 1.* Sotus *in 4. diſtinct. 13. quæſt. 2. art. 1.* Nauarr. *in manuali, cap. 21. num. 8.* Præpoſitus *in 3. part. quæſt. 83. art. 6. dub. 5. num. 211.* & Fagundez *pr. 1. lib. 2. cap. 7. num. 3.* vbi ſic ait. Hinc patet euidenter teneri illum qui ſimul eſt mutus & ſurdus & cæcus, Miſſam audire, cùm, moraliter loquendo, ſenſu aliquo externo præſentialiter adeſſe, & ad id, quod fit, poſſit attendere, idque percipere. Ita Fagundez, & ratio eſt, quia *audiendi* verbum appoſitum *in cap. Miſſas, de conſecrat. diſtinct. 1.* non ſumitur preſsè & ſtrictè, ſed latè: *audire* enim hoc loco nihil aliud ſignificat, quàm voluntariam alicuius in loco, vbi Sacrum celebratur, præſentiam, ita vt is Miſſam audire iudicetur, qui ſponte Miſſæ ſacrificio intereſt: ſæpe enim contingit, vt Miſſa priuata ita ſubmiſſa voce dicatur, vt nihil ab adſtantibus audiatur, & tamen præcepto Eccleſiæ ſatisfaciunt, qui præſentes ſunt; aliquando etiam adeò magna eſt populi frequentia, vt Miſſa non ab omnibus audiatur, & tamen qui præſentes adſunt, præceptum ſeruant. Vnde, vt diximus, ſurdi, qui nihil audiunt, & cæci, qui nihil vident tenentur Miſſam audire, & à præcepto minimè excuſantur.

RESOL. IX. *An ſurdus & mutus à natura poſſint contrahere matrimonium?*

PRo parte negatiua poſſet quis dicere non poſſe, quia ius ciuile, vt dicemus infrà, prohibuit his contractus inire, quia facilè deciperentur. ergo à fortiori idem dicendum erit de contractu matrimonij, & ita tenet Ancharanus *in cap. cùm apud, de ſponſalibus, num. 5.* & *ibi* Abbas *tom. 6.* Bollus *in OEconomia can. claſſ. 2. cap. 4. §. 7. lit. S.* Flaminius *de reſignat. benefic. lib. 5. q. 3. num. 26.* Barbatia *lib. 2. conſ. 59. num. 10.* Cardinalis Pariſius *lib. 4. conſ. 63. num. 4.* & alij.

Sed contrariam ſententiam veram eſſe puto, quam tuetur ex multis Doctoribus Sanchez *de matrimon. tom. 1. lib. 1. diſput. 8. num. 12.* vbi ſic ait. Verius exiſtimo poſſe mutum ſimul ac ſurdum, ſi intellectum perſpicacem habeat, ita vt ſignis edoceri poſſit, quid ſit matrimonium, & ſignis indicare conſenſum, validè contrahere ſponſalia & matrimonium: probatur ex *d. cap. cum apud*, vbi in reſponſione ſic dicitur. Videtur, ſi talis, nempe mutus & ſurdus, de quo erat quæſtio, velit contrahere, non debet ſibi denegari, vbi cùm loquaturin ſingulari, videtur intelligere de eodem vtroque morbo laborante. Præterea, quia aliqui muti ita ſunt perſpicacis & acuti ingenij, vt multa explicatu difficillima facilè ſignis manifeſtent, aliaque ipſis ſignificata intelligant, vt experientia ipſa teſtatur; tandem quia hi ſecundùm omnes poſſunt confiteri, & abſolui. ergo & contrahere matrimonium. Ita Sanchez, cui adde Guttierrez *de matrimon. cap. 8. n. 3.* Franc. Molin. *de ritu nuptiarum, lib. 1. compar. 31.* Barboſam *in l. cùm prætor, §. fin. num. 29. ff. de iudicijs.* Rippol *var. reſolut. cap. 18. num. 107.* Naldum *in ſumm. ver. mutus, num. 1.* & Hurtadum *de matrimon. diſput. 3. difficult. 3. num. 8.* vbi ita aſſerit. Qui à natiuitate ſimul eſt ſurdus & mutus, ſi ſit videns & perſpicacis ingenij, poterit validè contrahere matrimonium, quia ſignis viſu perceptis poterit percipere contractu matrimonij, quem videt aliquando celebrari, aliquid fieri ordinatum ad commixtionem carnalem, ac proinde in id conſentire, & de eo ſignis pacíſci. Hæc ille, & ego. & in tali caſu iudex colliget conſenſum legitimum ex geſtis & ſignis, de quibus latè Bartolus, & Doctores omnes *in l. mutum. ff. de acquirend. hæreditat.*

RESOL. X. *An mutus, ſurdus, & ſimul cæcus poſſit inire matrimonium?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Hoſtienſis, Ioannes Andreas, Cardinalis, Panormitanus, Alexander de Næuo, Henricus & alij, quos citat Ceuallos *tom. 3. commun. opin. q. 750. num. 53.* & Guttierrez *de matrimon. cap. 8. num. 4.* & ex Summiſtis hanc ſententiam docent viri doctiſſimi, Angelus *ver. matrimonium 3. impedim. 18. in principio*, & Tabiena *eodem ver. 2. quæſt. 6. num. 7. in fine*, vbi ſic aſſerit. Sed quid de illo qui eſt cæcus, mutus, & ſurdus a

Reſpon-

Reſpondetur ſecundùm Panorm. *in cap. cùm apud, de ſponſal.* poſt Hoſtien. quod attendendũ eſt, vtrùm poſſit exprimere conſenſum ſuum, & ſic admittatur, ſi autem non poteſt, quod iudex arbitrabitur, vtrùm poſſit exprimere, & tunc repellatur. Ita Tabiena.

Verùm ſententiam contrariam docet Sanchez *de matrimon. tom. 1. lib. 1. diſput. 8. num. 13.* quia mutus ſignis ſaltem edoceri poteſt, quid ſit matrimonium; cæcus autem ſigna hæc percipere nequit, nec etiam verba, cùm ſimul ſurdus ſit; ergo ex defectu auditus & viſus nequit adhuc confusè percipere contractum matrimonij, & eius primarium effectum.

Et poſt hæc ſcripta inuenio hanc ſententiam docere etiam Baſilium Pontium *de matrimon. lib. 2. cap. 12. num. 16.* Ea, inquit, quæ hactenus diximus de ſignis cõſenſus matrimonij, vera etiã ſunt in mutis & ſurdis, cùm edoceri poſſint, quid ſit matrimonium, ſicut & edocentur difficiliora alia. At ſi etiam ſimul cæcus eſſet à natura, non video quomodo diſcere poſſit, quid ſit matrimonium, aut ſignis exprimere conſenſum, ſecus ſi cæcitas non eſſet à natura, ſed ſuperueniſſet. Hæc Pontius. Vnde cùm hanc opinionem doceant Theologi, puto non eſſe audiendos Iuriſconſultos, licet ex ipſis nouiſſimè noſtram ſententiam ſequatur Antonius Rippol *variar. reſolut. cap. 8. num. 108.* vbi ſic ait. Si cæcus eſſet ſimul, qui mutus & ſurdus à natura eſt, cùm deſit modus, quo poſſit ipſe percipere id quod facit, certè talis non poſſet contrahere cùm non adſit motus, per quem percipere ipſe poſſit quid agat. Ita ille.

RESOL. XI. *An mutus, ſurdus, & cæcus à natiuitate ſit vngendus extrema Vnctione?*

RAtio dubitandi præſertim de cæco, eſſe poteſt, quia talis numquam deliquit ex viſione oculorum, cùm illa caruerit. Sed contrarium dicendum eſt, & ideò Poſſeuinus *de officio Curati, c. 9. num. 15.* ſic ait. In cæco à natiuitate benè vnguntur oculi, quia habuit potentiam, licet non actum peccandi. Idem dicitur in muto & ſurdo. Ita ille. cui adde Naldum *in ſumm. ver. Mutus, num. 3. & ver extr. Vnct. num. 8.* vbi ita aſſerit. Extrema vnctio dari debet à natiuitate ſurdis, mutis, & cæcis, prope illa organa ſenſus illius, quo carent, quia licet exteriùs per illa organa non peccauerint, peccaſſe tamen poſſunt per interiores potentias, quibus illa membra reſpondent. Hæc Naldus. Vnde Ioannes Præpoſitus *in 3. part. q. vnic. de ſacram. extr. Vnctionis, dub. 8. num. 73.* aſſeruit, deficiente organo alicuius ſenſus locum organi eſſe inungendum, quod etiam fieri debet, quamuis homo tale organum numquam habuerit, & proinde nunquam exteriùs per illud peccauerit, quia potuit peccare deſiderio actus illius ſenſus.

RESOL. XII. *An mutus & ſurdus poſſint aliquid donare?*

REſpondeo negatiuè, gloſſa *in l. qui id quod, §. mutus, verbo donare, ff. de donationibus.* vbi cùm textus dicat mutum, aut ſurdum donare poſſe, addit gloſſa id verum eſſe, quando non à natuta, ſed poſtea caſu cæcitas ſuperuenit, quod idem multis citatis docet Antonius Gomez de quocumque contractu *in lib. 2. variar. c. 14. num. 29.* & meritò ius ciuile prohibuit ſupradictis contractus inire, quia facilè decipi poſſunt. & ita etiam docet Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 1. diſp. 8. num. 12.*

Verùm circa præſentem quæſtionem Azorius *tom. 3. lib. 11. cap. 3. quæſ. vlt.* ſic ait. Quæritur, an is, qui ſurdus & mutus ſimul eſt, donare queat inter viuos? Donare poteſt, at cauſa mortis non poteſt, ſi à natura vitium ſit, ſecus ſi vitium caſu contigerit, *l. diſcretis, C. qui teſtamenta facere poſſunt.* Et qui tantùm eſt ſurdus, vel tantùm mutus, donare non prohibetur. *l. qui id quod, §. mutus, ff. de donat.* Hæc Azorius.

Sed non deſinam hîc apponere verba Marcelli Megalij *in inſt. 2. 2. lib. 2. c. 3. q. 4. n. 135.* vbi ſic aſſerit. A lege ciuili prohibentur mutus & ſurdus inire omnes cõtractus illos, qui confici non poſſunt niſi vtroque loquente, & contractus verba intelligente, vt patet ex *l. 1. in princ. & l. mulier, ff. de verb. obligat.* & ex *l. 1. in fin. ff. de act. & obligat. §. mutum, Inſtit. de inutil. ſtipul.* Sed ſecus erit quoad contractus, qui ſine verbis celebrantur, ſed conſenſu, re, aut alijs modis, eos enim mutus & ſurdus inire poſſunt, ſi ſignis, aut alijs corporis motibus eorum conſenſus & voluntas intelligi poteſt: vnde poſſunt emere, vendere, locare, & conducere, cùm hi contractus non tam verbis, quàm conſenſu confirmentur, vt *in l. ſi ſtipuler, §. fin. ff. de verbor. obligat.* & eadem ratione donare etiam poſſunt, vt *in l. qui id quod, §. mutus, ff. de donat.* Obſeruandum eſt tamen, quoad donationes diſtinguendum eſſe, prout diſtinguitur *in l. diſcretis, C. qui teſtament. facere poſſ.* vbi habes quando mutus & ſurdus teſtamentum facere, & cauſa mortis donare poſſint, nam diſtincto illa etiam quoad donationes inter viuos ſeruanda erit, vt notat gloſſ. & Bartol. *in d. l. qui id quod, §. mutus.* Quam gloſſam extollunt, & ſingularem appellant Rom. & Alexand. *in d. l. diſcretis*, poſſunt etiam hæreditatem adire, vt *in l. mutum ff de acq. hæred.* Nec non & matrimonium contrahere, vt *in cap. cùm apud, de ſponſal* quæ dicta ſunt de muto & ſurdo quoad contractus, qui ſine verbis celebrari non poſſunt. Limita primò, vt illos non poſſint celebrare per ſe ipſos, ſecus ſi facere hoc vellent per ſeruum præſentem, nam tunc valeret contractus, vt *in d. l. 1. in princ. ff. de verb. obligat.* Secundò limita, vt tantùm habeant locum quoad illum mutum & ſurdum, qui prorſus non audit, aut non loquitur, ſed ſecus de eo, qui tardè audit, aut tardè, & non ita articulatè loquitur, hi enim omnia facere poſſunt, vt dixit gloſſ. *in d. l. diſcretis, ver. permittimus*, & ex text. *in § item ſurdus, Inſtit. qui teſtament. facere poſſunt.* Huc vſque Megalius. Sed de aliquibus caſibus ab ipſo poſitis infrà in ſpecie quærendum erit,

RESOL. XIII. *An ſurdi & cæci priuentur iure eligendi?*

HOs non eſſe eligibiles ad Prælaturam, vt & mutos, infrà patebit. Sed difficultas eſt, an

ſurdi

ſurdi & cæci ſint priuati iure eligendi alios? Et ad hoc dubium reſpondet doctus & amiciſſimus Sigiſmundus à Bononia *in tract. de elect. part. 2. cap. 4. dub 89. num. 13.* vbi ſic ait. Cæterùm hi omnes non priuantur iure eligendi, cùm liberè reuera conſentire poſſent, ſolùm videntur cæci & ſurdi tutiori conſcientia acturi, ſi renuntient eidemmet voci actiuæ, cùm ipſi videantur facillimè decipi poſſe. Sic ille.

Notandum eſt tamen hîc obiter poſſe mutum ſignis & nutibus ad emphyteuſim nominare. Ita ex Pereyra docet Barboſa *in collectan. tom. 2. lib. 3. tit. 18. cap. 4. num. 143.*

RESOL. XIV. *An ſurdi & cæci poſſint abeſſe à choro, & lucrari diſtributiones quotidiana?*

NEgatiuam ſententiam docet Sanchez *in opuſcul. tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 90. num. 7.* aſſerens cæcitatem, & ſurditatem non eſſe ſufficientem morbum, vt Canonicus deficiens choro lucretur diſtributiones, quia adeſſe choro non nocet huic morbo, & ſua præſentia chorus authorizatur. Ita ille, qui citat Nauarrum.

Sed affirmatiuæ ſententiæ ego adhæreo cum Moneta *de diſtributionib. part. 2. q. 6. n. 16. ex l. 1. C. qui morbo ſe excuſ. lib. 10.* vbi qui vtriuſque oculi aciem amiſit, leuamen ſentit munerum perſonalium, eorum nimirum, quæ corpore ſunt implenda, vt *ibid. gloſ. 1.* explicat. Et ita hanc ſententiam docet etiam Cenedus *in qq. canon. q. 1. num. 13.* & Barboſa *de canon. cap. 24. num. 30.* vbi teſtatur quòd ſacra Congregatio Concilij *ſub die 20. Iulij 1629.* cenſuit Canonicum, qui lumen oculorum amiſit, & propterea Miſſas, & diuina Officia celebrare non poteſt, diſtributiones quotidianas, & cætera emolumenta lucrari, perinde ac ſi diuinis intereſſet; & antea in eadem *ſub die 11. Auguſti 1618.* fuerat reſolutum prouiſum de Canonicatu, ſi capta poſſeſſione lumine orbetur, & non poſſit promoueri ad Ordinem requiſitum, reputari præſentem, quoad fructus, ſed non teneri aſſiſtere in choro.

RESOL. XV. *An ſurdus teneatur recitare horas Canonicas?*

REſpondeo nulla ratione eximi à recitando, cùm per ſe legere poſſit. An verò ſurdus ſe ipſum audiat legentem, necne, nihil refert, cùm facilè percipere poſſit quid dicat, & ad illud mentem aduertere. Quòd ſi legitimè impediatur, quominus per ſe ſolus recitet, tunc quoque immunis erit à recitatione cum ſocio, quia illum audire vel omnino non poteſt, vel certè non niſi voce ſtentorea clamantem, ad quem modum nec ſocius, nec ipſe compellendus eſt, quòd ſi ſimul fuerit captus oculis & auribus, tunc neque cum ſocio, neque ſecum ſolus quidquam dicere tenebitur, niſi quod memoria nouit, ſiquidem illud fuerit maior pars diuini Officij, iuxta ea, quæ inferiùs dicentur. & ita docet Oliuerius Bonartius *de horis Canonicis, lib. 2. cap. 38. num. 21.* qui citat Suarez.

RESOL. XVI. *An cæcus ſit adſtrictus Horas Canonicas recitare?*

SOtus, vt ego alibi citaui, dubitat de hac obligatione, quia accidentarium eſt, quòd memoriâ ſciant Horas. neque enim videtur iuſtum ob illam cauſam honeſtam onus hoc graue imponi, quod non imponeretur carenti illa. Cæterùm nouiſſimè Caſtrus Palaus *tom. 2. diſput. 2. punct. 6. num. 11.* putat ſic tenentem memoria maiorem Officij partem obligatum eſſe ad illam dicendam, quia poſita illius Officij memoria iam valet præceptum implere, & ſine difficultate. ergo tenetur. Neque obſtat accidentarium eſſe quòd Officium memoriâ teneatur, quia poſito illo accidenti iam neceſſarium eſt te eſſe obligatum, ſicut tempore interdicti accidentarium eſt te Bullam habere qua conceditur facultas audiendi Sacrum, &c. At illa facultate poſita non eſt accidentarium, ſed neceſſarium, quòd præcepto audiendi Miſſam obligeris, ſic in præſenti. ergo, &c. Sed tu circa præſentem quæſtionẽ ne deſeras videre me ipſum *in part. 4. tract. 4. reſol. 11.* vbi plures Doctores tractantes hanc quæſtionem inuenies.

RESOL. XVII. *An Sacerdos cæcus poſſit validè celebrare?*

VIdetur negatiuè reſpondendum, quia qui non cognoſcit, ita ſe habet ac ſi eſſet abſens, non enim poteſt habere euidentiam rei præſentis. Sed reſpondeo affirmatiuè cum Ioanne Præpoſito *in 3. part. quæſt. 74. art. 2. dub. 2. num. 12.* vbi ſic ait. Cæcus, qui ex relatione alterius nouit panem ſibi eſſe præſentem, eumque poteſt facilè tangere, validè conſecrat, etiamſi non tangat, vel alio ſenſu actu percipiat. Aduerte tamen cæcum, qui ſine Pontificia diſpenſatione conſecraret, grauiter peccaturum. Ita ille. & ante illum Coninck *de Sacram. q. 74. art. 2. dub. 1. num. 9.*

Non deſinam tamen hîc adnotare Nugnum *in 3. part. quæſt. 74. art. 2 dub. 4. ad ſecundum argumentum*, docere Sacerdotem cæcum validè conſecrare, ſed putat quòd non poſſit fieri cum illo talis diſpenſatio. Sed tu tene contrariam ſententiam cum Præpoſito, & Sotus *in 4. diſtinct. 9. q. 1. art. 2.* refert diſpenſatum fuiſſe aliquando cum Sacerdote cæco, vt celebraret. & ideo Ochagania *de Sacrament. tract. 1. de Euchariſt. q. 6. num. 11.* ſic ait. Notandum eſt dum dicimus rem debere eſſe præſentem ſecundùm cognitionem, nomine cognitionis comprehendi vel notitiam oculorum, vt cùm quis videt hoſtiam conſecrandam, vel notitiam tactus, vt cùm quis non videt hoſtiam, eam tamen tangit, quia eſt à tergo. Propter quam rationem dixit Sotus *loc. cit.* ſe vidiſſe Tridenti quemdam Epiſcopum cæcum ex diſpenſatione Summi Pontificis celebrantem Sacrum. Sic ille.

RESOL. XVIII. *An Sacerdos mutus poſſit tempore neceſſitatis Euchariſtiam alijs miniſtrare?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Gratianus *in diſceptat. tom. 3. cap. 407. n. 6.* vbi ſic ait. Quamuis Euchariſtia non debeat deferri ad infir-

mos,

mos, niſi per Presbyterum, *cap. peruenit, de conſecrat. diſtinct. 2.* tamen ſtante neceſſitate, aut abſentia, vel impedimento Sacerdotis, cùm de hoc quæreretur, dixi poſſe concedi, vt Diaconus deferat, ſolus enim Sacerdos conſecrare poteſt verbis à Chriſto inſtitutis, ſed conſecratam adminiſtrare poteſt etiam mutus Sacerdos. Ita ille.

RESOL. XIX. *An Sacerdos ſurdus, non autem mutus, poſſit aliquando ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtrare?*

VT ſi quis, v.g. neceſſitate preſſus adimplendi præceptum annuæ confeſſionis non habens alium Confeſſarium, niſi ſurdum, teneatur ſignis confiteri, vt ab illo abſolutionem obtineat? Et reſpondeo affirmatiuè. nam adeſt obligatio præcepti, quod poteſt pœnitens adimplere. ergo tenetur. & ita docet Hurtado *de pœnitent. diſp. 8. diffic. 4. in princ.* quia, ait ille, confeſſio poteſt fieri ſine inconueniente dictis ſignis. Sed an in tali caſu pœnitens teneatur ſcribere ſua peccata, & præbere illa Sacerdoti ſurdo vt abſolutionem ei impertiat, tam affirmatiuè, quàm negatiuè probabiliter reſponderi poteſt, vt tradit Fagundez *pr. 2. lib. 1. c. 6. nu. 9.* vbi ſic ait. Dubium tamen eſt, vtrùm excuſetur pœnitens ab obligatione confeſſionis Quadrageſimæ quando non poteſt confiteri niſi per ſcriptum, præſente tamen Confeſſario, quia, v.g. Confeſſor ſurdus eſt, & non poteſt ſe aliis nutibus ipſe pœnitens explicare, & certè hac de re opinio eſt pro vtraque parte probabilis. Ita ille. & patet ex rationibus adductis *in reſolut. 2.*

RESOL. XX. *An mutus, ſurdus, & cæcus ſint eligibiles ad Prælaturas?*

QVoad cæcum reſpondeo negatiuè, ex *cap. hinc etenim. §. cæcus. diſt. 49* & D. Tho. *in 3. part. q. 82. art. 10. ad 3.* Idem dicendum eſt de ſurdo ex *c. conſtitutionem. de verborum ſignificat. in 6.* & ideò de iure ciuili ſurdus non poteſt gerere publicum officium; teſtatur Campanili *in diuer. iur. can. rubr. 11. c. 17. n 37.* & mutos etiam eſſe ineligibiles, vt ex ſupradictis tradit ex multis Doctoribus Peyrinus *de Relig. Prælat. tom. 2. q. 2. c. 4 n. 18. 20. & 21.* cui adde Iulium Lauoriũ *in variis elucubrat. tit. 4. c. 16. n. 81.* & Sigiſmundum à Bononia *de election. part. 2. c. 4. n. 89.*

Sed difficultas eſt, an ſi quis, v.g. eligatur in viſitatorem alicuius Religionis, & poſteà factus eſt cæcus, an poſſit cęcitate non obſtante viſitationem cum viſitatore ſano & ſocio continuare? & videtur quod ſic, quia, vt infrà probabitur, cęcus poteſt eſſe iudex. Sed contrariam ſententiam, & meritò, docet ex multis rationibus Megala *variarum reſolutionum tom. 2. reſolut. 183. per totam*; quia cæcus non poteſt eſſe teſtis in teſtamento, quia teſtatorem videre debet, ex *cap ſi non ſpeciali, & l ſi vnus, C. de teſtament.* & ideò Sebaſtianus Medices *tr. de fort. caſ. q. 6. n. 55.* tenet non poſſe cæcum eſſe teſtem in actibus quæ viſu percipiuntur. Sed viſitatores debent de ſupradictis actibus teſtimonium ferre Generali, & Capitulo Generali: ergo, &c.

RESOL. XXI. *An mutus, ſurdus & cæcus poſſit ſuccedere in feudo?*

LIcet aliàs mutus & ſurdus nõ ſuccedat in feudo, tamen obſeruat Spino *in ſpecul. teſtam. gl. 9. rubricæ, num. 4.* Quòd ſi ſeruitium quod domino præſtatur, ſit tale, quod à quolibet ſana mente & intellectu poſſet præſtari ſuccedit in tali feudo, tenet Gregor. Lopez *d. l. 6. idem in l. 2. tit. 15. part. 2.* Hinc fit poſſe mutum & ſurdum ſuccedere in maioricatu, licet in iuriſdictione conſiſtat, dum tamen perfectè intelligat per ſigna exteriora, tenet Molina *lib. 1. de primogeniis, Hiſpan. cap. 13. num. 40.* Sed circa præſentem quæſtionẽ vide Roſenthal *de feudis, c. 3. concluſ. 8. n. 1. & c. 8. conel. 8. nu. 10.* cum noſtro Intrigliolo *de feudis, cent. 2. art. 1. à n. 554. vſque ad n. 577.* vbi latè pertractat hanc materiam.

Non tamen quòd in caſu, quo mutus à natiuitate non poteſt ſuccedere in feudo, debentur ei tamen ex dicto feudo alimenta, quibus poſſit ſuſtentari, pro quibus non tenebitur aliquo modo ſeruire. Sed hæc omnia procedunt in feudo recto, nam in improprio mutus indiſtinctè ſuccedit, vt notat Menochius *vol. 1. conſ. 65. n. 14.* & alij.

RESOL. XXII. *An mutus, ſurdus & cæcus poſſint ordinari?*

DIco primò quòd ſurdus, & qui nullo modo audire poteſt, iure Canonico irregularis eſt, & ideò nec promouendus eſt, & promotus deijci debet. Altera verò tantùm aure ſurdus, item ſurdaſter, difficulter audiens, nõ eſt irregularis, ex Maiol. *lib. 1. de irregular. cap. 25. num. 1.* & Alphonſo Viualdo *tract. de irregular. num. 156.* Iacob. de Graff. *lib. 4. c. 27. n. 51.* dummodo vtramque habeat aurem.

Dico ſecundò, quòd qui mutus eſt, & lingua caret, quique linguę vſum perdidit, aut non poteſt ſe explicare, irregularis eſt, ne promoueri poſſit, & propter impoſſibilitatẽ perdit Ordinis executionẽ, ex S. Thom. *3. p. q. 82. art. 10. ad 3.* Sotus *4. diſt. 13. art. fin. ad 3.* Tabiena *ver. corpore. vitiat. n. 2. §. Primò, in fine.* & Maiol. *lib. 1. de irreg. cap. 26. n. 2.* Alphonſo Viualdo *tract. de irregul. n. 162.* & Iacobo de Graff. *lib. 4. c. 27. n. 50.* & Henriquez *lib. 14. c. 8. §. 2.* Qui verò impeditioris ſunt linguæ, aut bleſi, vt Moſes, & balbi, vt Demoſthenes, qui calculis ſub lingua poſitis R, litteram poſteà didicit, non ſunt irregulares. Maiol. *n. 3.* Iacobo de Graff. *lib. 4. c. 27. n. 50.* niſi fortè notabilem difficultatẽ in loquendo haberent. & hæc omnia docet etiam Sayrus *de cenſuris, lib. 6. c. 8. n. 17. & 21.* & Hugolinus *de irregularitate, c. 46. n. 3. & 4.*

Dico tertiò, quòd qui caret vno oculo, eſt irregularis. Ita Syluester *ſup. q. 6.* P. Henriquez *n. 2.* & probatur ex *cap. ſi Euangelica, 50. diſtinct.* at verò ſi habeat vtrumque oculum integrum, quamuis careat viſu dextri, non eſt irregularis. Sed quid ſi careat viſu ſiniſtri, qui dicitur oculus canonis? Reſpondetur, ſi ita videat dextro, vt ſine indecora conuerſione faciei ad populum poſſit legere canonem, ad quod etiam iuuabit Miſſalis adaptatio, nõ eſt irregularis, aliàs erit. & ita docet Auila *de cenſ. part. 7. diſp. 3. dub. 1.*

RESOL. XXIII. *An mutus, & ſurdus poſſint teſtari?*

NEgatiuam ſententiam docet Henricus Stroueſdorf *in D. Thom. de iuſt. & iur. diſp. 3. membr. 2.*

vbi ſic ait: Qui eſt ſurdus, ſimul & mutus à natiuitate, teſtari non poteſt, ille autem qui ſurdus eſt, vel mutus ex morbo, etſi non poſſit niſi ad pias cauſas ſolo nutu teſtari, benè tamen poterit per ſcripturam, etiam ad alias. Hęc ille. Cui adde Villalobos *in ſumm. tom. 2. tract. 30. diffic. 10. n. 10.* ſic aſſerentem: El mudo, y ſordo que no puede hazer teſtaméto, ſi lo es de ſu nacimiento, mas ſi lo es a caſo, podra lo hazer, ſi ſabe eſcriuir, y eſcriue con ſu propia mano el teſtamento, mas ſi ſolamente es ſordo, que pueda oyr, hablandole en voz alta, podra lo hazer.]

Sed circa præſentem materiam non deſinam hîc apponere verba Gaſparis Pegada *in repet. ad l. inter cætera, ff. de liber. & poſthum. part. 1. c. 1. §. 9.* ſic igitur ait. Non dubium eſt iure ciuili conſtitutum fuiſſe, idque generaliter, mutum aut ſurdum non poſſe facere teſtamentum *l. qui in poteſtate 6. §. ſurdus ff. de teſtamentis*, nec opus fuit vt vtroque morbo quis laboraret, vt apertè cõſtat ex text. *in §. item ſurdus, Inſt. quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum.* ibi, *vtique autem de eo ſurdo loquimur*, & ibi, *Nam & mutus is intelligitur*, &c. colligitur ex text. *in l. octaui gradus, verſ. filij ff. vnde cognati*, & ex Vlpiano *in Inſtit. tit. 3. §. mutus.* Ratio autem ea eſſe videtur, propter quam ſurdus & mutus teſtamenti factione carebat, quia hic non poterat proferre verba nuncupationis, quod eſt maximè neceſſarium, vt colligi poteſt ex *l. iubemus 29. C. de teſtamentis*; ad ea autem negotia quæ verbis explicanda ſunt, mutus & ſurdus non pertinent, per text. *in l. 1. in princ. ff. de verbor. obligat. §. mutum, Inſt. de inutilibus ſtipul. l. 1. §. mutum, l. in quibuſcumque, ff. de obligat. & actionibus.* nam quamuis ſurdus poſſit verbis explicare ſuam voluntatem, non tamen poteſt audire teſtes ſibi teſtimoniũ dicentes, quemadmodum notat Hotomanus *in d. §. item ſurdus, Inſtit. quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum.* Mutus autem quamuis nutu poſſit explicare voluntatis ſignificationem, vt *in l. ſeruo inuito 65. §. ſi pupillo ff. ad SC. Trebellian.* tamen illa ſignificatio periculoſa, & multum fallax viſa eſt, & hac de cauſa *in d. §. item ſurdus.* adiuncta *l. diſcretis 10. C. qui teſtamenta facere poſſunt*, & *l. 13. tit. 1. part 6.* conſtitutum eſt ſurdum ſine diſtinctione teſtamentum facere poſſe; mutus verò teſtamentum facere poterit, ſi ſciat ſcribere, aliàs eius teſtamentum nutu factum non valebit. nec te turbet text. *in l. cùm prætor 11. verſ. natura, ff. de iudiciis.* quamuis difficultate non careat, dum videtur probare mutum & ſurdum iudicio carere, & in conſequens teſtamentum facere non poſſe. argum. *§. præterea, Inſtit. quibus non eſt permiſſum.* ibi, *quia iudicio*, &c. nam reſpondebis verba illa, *quia iudicio carent*, referẽda eſſe ad furioſum & impuberem, non autem ad mutum & ſurdum, quos naturale impedimentum prohibet à teſtamenti factione. Huc vſque Pegada.

Neque deſinam etiam hîc apponere, ea quę docet Rippol *var. reſolut. cap. 13. nu. 185.* vbi quærens an mutus poſſit aliquo modo facere teſtamentum, reſpondit, quòd cùm inſtitutio hæredis ex coniecturis non debeat induci, ſed clarè ſit fienda, non poterit mutus teſtamentum facere, cùm hæredis inſtitutionem clarè non poſſit declarare, *l. vnic. ff. ſi tabul. teſtament. nulla extabunt.* Emanuel à Coſt. *in l. Gallus. §. 1. nu. 30. ff. de liber. & poſthun.* Benedict. *in cap. Raynutius, ver. in extremis, nu. 30. de teſtament.* quod in muto & ſurdo à natura eſt intelligendum. *l. qui in poteſtate, §. fin. cũ l. ſequent ff. de teſtament. §. item ſurdus, Inſtit. quibus non eſt permiſſum.* nam ſi mutus talis ſit, qui ſignis percipiat quidquid ei dicitur, & ſe ipſum declarare ſciat, poterit talis mutus diſponere de bonis ſuis. Bartol. *in l. 1. de verbor. obligat.* vbi plura de muto refert. Idem tenet Alciat. *nu. 51.* & facit text. *in l. patri ff. de acquiren. hæred. l. vbi non voce, ff. de regul. iur.* Molina *de iuſt. & iure tract. 2. diſp. 136. §. de iure humano.* Spino *in ſpeculo teſtam. in rubric. gloſſ. 9. per totam.*

Nota tamen regulam generalem, nempe mutũ & ſurdum à natura non poſſe teſtari, tribus modis limitari à Molfeſio *in ſum. tom. 2. tract. 13. c. 2. n. 84.* Primò, ſi talis mutus eſſet miles, & ſignis exprimeret ſuam voluntatem: tunc enim validè poſſet teſtari ex priuilegio militibus conceſſo, & ſigna illa interpretanda ſunt per perſonas notas & familiares talium mutorum, vt *in §. quinimmò*, vbi gloſſ. & communiter Doctores, *Inſtit. de milit. teſtam.* gloſſ. *in §. item ſurdus, in verb. certis, Inſtit. quibus non eſt permiſſum facere teſtament.* Maſcard. *loco cit.* Tuſch. *in ver. teſtamentum, concl. 120. n. 9. & ſeq.* Secundò limitatur ex priuilegio Principis, qui etiam mutos à natura habilitare poteſt ad teſtandum, vt ſignis exprimant voluntatem ſuam, vt *in d. l. diſcretis*, cum aliis cumulatis per Maſcard. & alios auctores citatos. Solent etiam tertiò hoc limitare, quando teſtarentur ad pias cauſas, quia pro anima ſua id faciunt, & in hoc teſtamento non requiruntur ſolemnitates iuris ciuilis ſic adamuſſim, prout requiruntur in aliis teſtamentis, vt notat Aldobran. *in addit. ad gloſſ. final. in d. §. itẽ ſurdus.* Aret *conſ.* 104. quem probat Tuſch. *d. concluſ. 120. n. 13.* & idem eſſet quando teſtamentum facerent inter liberos, quia eadem eſt ratio, & etiam quando inſtituunt venientes ab inteſtato, vt tenent Aretin. & Tuſch. *locis cit.* Malder. *dub 3. de teſtamentis*, §. 2. & 3. Ita Molfeſius. Vide Tiraquell. *priuil. 9. piæ cauſæ.*

Resol. XXIV. *An ſurdus ſi non ſit mutus, poſſit teſtari?*

Ad hunc caſum reſpondet Molfeſius *in ſumma tom. 2. tract. 13. cap. 2. n. 90.* vbi ſic ait. Si ſurdus non ſit mutus, & poſſet loqui, tunc ſiue ſciat ſcribere, ſiue non, ſemper poteſt teſtamentum facere, quia ſatis eſt vt ore proprio nuncupet hæredem, & exprimat quidquid diſponere velit de bonis ſuis, *d. l. diſcretis*, *§. ſin autem infortunium. C. qui teſtamentum facere poſſunt.* & licet *in d. §. item ſurdus. Inſtit. quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum*, dicatur ſurdum à natura non poſſe teſtari, intelligitur ſi ſimul ſit mutus, quia plures Philoſophi & Medici tenent quòd dum eſt ſurdus à natura, perneceſſe ſit etiam mutus, & è contra ob organa vitiata in ipſo cerebro. Id quod alia ratione probant alij: dum enim quis caret auditu, non poteſt recipere ſpecies impreſſas, quibus formetur conſonans proportio loquendi, vt exprimat verbis, quod auditu auris percepit. & dum numquam audiuit aliquos, nec ipſe poteſt formare verbum, & conceptum mentis exprimere, nam pueris ex auditu oſtendunt parentes

modum

modum loquendi, dicentes, Dic hoc, vel illud: vt etiam facimus pſittacis, qui loquuntur ea, quæ ab hominibus continuò audiunt, & conſequenter ſi auditu carerent, ſonum vocis non audirent, & ſucceſſiuè nec etiam exprimerent. & ſic de aliis rationibus, quas omitto. Si tamen daretur caſus vt eſſet ſurdus, & non mutus, tunc procedit regula tradita vt poſſit teſtari.

RESOL. XXV. *An cæcus poſsit donare cauſa mortis ſine certis conditionibus?*

REſpondeo cum Seraphino *tom.1.deciſ.966.n.5.* quòd inter Doctores eſt magna controuerſia, an cæcus poſſit donare cauſa mortis ſine ſolemnitatibus, ex *l.hac conſultiſſima.* nam Petrus & Aloyſius de Peruſio inter conſilia Bald. *conſil.248.lib.5.* tenuerunt affirmatiuam, idem tenuit Roman. *in l. intra mortis, n.3. de donat. cauſa mortis.* Riminal. iun. *conſ.84. num.24.* Roland. *conſ.82.n.20.lib.1.* & in hac ſententia fuerunt Bald. Fulgoſ. Alexand. & Iaſon. allegati per Natt. *num.43.* & ea ratione, quia donatio cauſa mortis magis accedit contractui, quàm vltimæ voluntati, & hæc videtur communis opinio, quamuis contrarium tenuerit Riminal. *in d.l.2.de leg. 1. & in conſil.24.n.50.lib.2.* Alciat. *in d.l.2.n.15.* Plotus *conſ.54. n.15. & 17.* & Natta *in d. §. ex imperfecto n.43. & 44.*

Sed non eſt recedendum à ſententia affirmatiua, quam tenet etiam nouiſſimè Didacus de Mari *in addit. ad Gizzarellum deciſ.26.n.1.* ſed intelligi debet, vt optimè notat Seraphinus *vbi ſuprà*, ſi præſens ſit donatarius, vel alius qui pro eo ſtipuletur, aliàs reſoluitur in fideicommiſſum.

RESOL. XXVI. *An cæcus poſsit condere teſtamentum?*

REſpondeo affirmatiuè, cum conditionibus tamen appoſitis *in l.hac conſultiſſima, C. de teſtam.* & ideò primò requiruntur ſeptem teſtes. Secundò requiritur tabellio. Tertiò teſtes rogati eſſe debẽt, & ipſe debet dicere teſtator coram ipſis, quòd ad hoc ſunt vocati. Quartò requiritur quòd exprimatur hæredis nomen. Quintò quòd vno eodemque tempore & contextu fiat. Sextò Tabellio ſe debet ſubſcribere, & teſtes, imò ſignare tenentur omnes ſcripturam teſtamenti. Septimò, requiritur quòd inſtitutio hæredis præcedat legata. Octauò, quòd ſi Tabellio non adſit, octauus adhibeatur teſtis. Demum quòd teſtamentum cæci ſemper ſit nuncupatiuum, nõ tamen in ſcriptis. & ita docet Vaſquez *opuſc. de teſtam. cap.1.§.5.num.32.* cui adde Sanchez *in opuſc. tom.2.lib.4. cap.1. dub.4.* Spino *de teſtam. gloſſ.7. rubricæ*, Seraphinum *tom.1.deciſ.966.* & alios.

Sed non deſinam hîc apponere verba Gaſparis Pegada *in l. inter cætera, de lib. & poſthum. part.1. c.1.§.3.* vbi ſic ait. Iuſtinianus *in titul. Inſtitut. quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum, §. cæcus cæcum*, ibi, connumerauit inter alias perſonas, quibus non licet facere teſtamentum, non vt ipſe teſtamentum facere non poſſit, nam cæco ſemper licitum fuiſſe teſtamentum facere, colligitur ex Paulo *lib. 3. ſententiarum titul.4.§. cæcus.* & non inuenitur in iure prohibitus; quamobrem cenſetur admiſſus, argum. text. *in l.1.ff. de teſtib.* oſtendit latè Menchaca *quæſtionum illuſtrium cap.103.num.9.* Sed ibi de teſtamento cæci facit mentionem Iuſtinianus, quoniam eius teſtamentum maiorem exigit ſolemnitatem ordinariã, & hoc ſatis ſignificat text. *in d. §. cæcus.* relatus ad text. *in l.hac conſultiſſima, C. qui teſtamenta facere poſſunt.* nam licet nimia ſubtilitas in aliorum teſtamẽtis requiratur, & iuſtus numerus teſtium, ne quid admittatur falſitatis *l.fin. verſ. cùm enim, C. de fideicommiſſ.* In cæcorum tamen teſtamentis, quia magis timetur periculum fraudis, cautius agendũ erit, argum. *l.iubemus 29. verſ. ſi talis. C. de teſtamentis*, & eſt expreſſa ratio *in d.l.hac conſultiſſima, C. qui teſtamenta facere poſſunt*, ex quibus apparet in teſtamento cæci neceſſe eſſe ſeptem teſtes rogatos adhiberi ſimul cum Tabellione, & ſi Tabellio non adſit, octauus teſtis adhibendus eſt. Ad text. *in l.hac conſultiſſima, C. qui teſtamenta facere poſſunt.* ibi, *Deinde exprimat.* Cynus, Albericus, Bartolus, Fulgoſius & Decius *ibi num.7.* colligunt ex iſto text. quòd licet hodie teſtamentum non debeat incipere ab inſtitutione hæredis, *§. ante hæredis, Inſtitut. de legatis*, tamen ſpeciale eſt in teſtamento cęci, vt etiam hodie ab inſtitutione hæredis incipiat. idem tenet Angelus *in d. § ante hæredis, & in §. cæcus, Inſtit. quibus nõ eſt permiſſum facere teſtamentum.* Cæpolla *cautela 90.* Contrarium tamen tenet Bald. *hic* motus ea ratione, quia omiſſio leuis ſolemnitatis non debet actum vitiare, iuxta regulam *l.1.§. fin. ff. de ventre inſp.* ſequuntur Alexand. *ibi in fine*, Iaſon *nu.1.* idem Iaſon *conſ. 26. l.1.* Ruinus *conſ.68.num.2.lib.2.* Gomez *1.tom.cap.2.nu.5.* Boërius *deciſ.240.n.20. in fine.* Sed quamuis opinio vera ſit in ſe, tuta tamen non eſt ratio, quoniam iure antiquo, hæc non reputabatur leuis ſolennitas, vt colligitur ex *d. §. ante hæredis.* & ideò meliùs reſponderi poteſt hanc legem eſſe Iuſtini, qui imperauit ante Iuſtinianum, vnde dum dicit incipiendum eſſe ab inſtitutione hæredis, nihil noui conſtituit in teſtamento cæci, ſed loquitur ſecundùm regulam generalem, quæ eius tempore vigebat, atque ita hodie nõ erit neceſſarium, iuxta dictum *§. ante hæredis.* & ita Corneus *hic num.1.* Viglius *in d. §. cæcus, ad fin.* ſubtilis Coſta *in §. & quid ſi tantum 3.p. num.38.* Menchaca *illuſtrium quæſtionum cap.103.num.1.* quamuis Decius *num.9.* contradicat expendens pro ſe textum *in d. §. cæcus.* dum dicit etiam hodie cæcum non poſſe teſtari, niſi ſeruatis ſolennitatibus huius legis. Sed reſpondendum eſt Iuſtinianum intellexiſſe de his, quæ ſpecialiter obſeruandæ inducuntur in teſtamento cæci, quòd autem incipiatur ab hæredis inſtitutione, ſpecialiter non inducitur, ſed erat generale hoc tempore, & patet, quia *d. §. cæcus*, loquitur de ſolennitatibus, ſine quibus teſtamentum non valet, quòd tamen præcedat hęredis inſtitutio non requiritur ad teſtamenti validitatem, ſed vt anteà ſcripta valeant, ex *d. §. ante hæredis Inſtit. de legat.* Huc vſque Pegada. cui etiam adde Emanuelem Figuerium *in introduct. vltim. volunt. lib.3.c.8. per totum.* vbi etiam quærit, an in codicillis cæci ſeruari debeat eadẽ ſolemnitas, quæ ſeruatur in teſtamento cæci, variæ ſunt ſententiæ, & quidem gloſſa *d.l.hac conſultiſſima, ver. codicillis in 2. intellectu.* tenet ſufficere quinque teſtes, cuius ſentẽtiam amplectitur Salic. & gloſſ. marginal. ibi addens vltra quinque teſtes requiri etiam Notarium, ſed ex ipſa gloſſ. ordinaria

dicto verbo *codicillis*, octo teſtes neceſſarios eſſe prædixerat, cuius opinionem ſequitur Baldus *d. l. hac conſultiſſima*. Speculator *de inſtrumentorũ editione, §. compendioſe, verſ. illum autem, in fin.* Roland. *1. part. florum, rubric. 60. in fine.* Alexand. & alij *in d. l. hac conſultiſſima.* Fulgoſ. *conſ. 91.* Angelus Aretin. *§. cæcus, Inſtitut. quibus nõ eſt permiſſum.* Dilectus *de his qui factionem teſtamenti non habent. titul. 1. cautela* 8. Gomez qui dicit magis communem *vbi ſuprà*. Gerardus Mulert. *in addit. ad Roland. rubric. 61. num. 8.* qui monet ſemper adhibendos eſſe octo teſtes in codicillis, ne fortè ex defectu alicuius aperiatur occaſio litibus. Hæc Figuerius; qui tamen monet cæcos vt potiùs diſponant de rebus ſuis donando cauſa mortis, aut ſaltem dicant velle, quòd teſtamentum valeat vt donatio cauſa mortis.

Notandum eſt etiam quòd licet cæcus, vt dictum eſt, debeat teſtari coram octo teſtibus, hoc tamen aliqui limitant, quando teſtari vellet inter liberos, quia ſecundùm receptiorem ſententiam coram duobus teſtibus poſſet teſtamentũ facere, vt eſt in omni teſtamento condito inter liberos, quia tunc ceſſat ſuſpicio falſitatis, inſtituendo illos, qui ab inteſtato ſuccedunt. Ita Bald. *in d. l. hac conſultiſſima*, vbi Iaſ. *num. 4.* teſtatur de communi, & poſt ipſos Socinus, Natta, Boër. Roland. *conſ. 82.* & alios probant Iul. Clar. *d. §. teſtamentum, q. 17. n. 2.* & addentes *ibid.* Ioan. Oinot. *in d. §. cæcus, n. 6.* Tuſch. *d. cõcluſ. 120. n. 7.* quamuis aliqui velint nõ valere teſtamentũ quoad legata facta perſonis extraneis. Hoc etiam limitant quando teſtamentũ faceret ad pias cauſas, quia tunc ſimiliter duo teſtes ſufficiunt in teſtamento cæci, quia ſicut teſtamentum imperfectum ratione ſolennitatis valet inter liberos, vt *in d. l. hac conſultiſſima, §. ex imperfecto.* & omnes docent, & magis communiter concludunt talem rationem ita militare in filiis videntis, pro vt militat in filiis cæci, vt paulò antè dictum eſt. Ita etiam ſicut teſtamentum factum ad pias cauſas à vidente coram duobus teſtibus valet, ita dum fit à cæco, vt poſt alios probat Oinot. *in d. §. cæcus num. 6. & 7.* & has omnes limitationes approbat etiam Molfeſius *in ſumma tom. 2. tract. 13. cap. 2. num. 93. & 94.* vide etiam Tiraquellum *in priuileg. 9. piæ cauſæ*, & Bonacinam *in nouiſsima edit. de contract. diſp. 3. quæſt. 17. punct. 2. n. 3.*

RESOL. XXVII. *An ſurdus & cæcus poſsint munus aduocationis exercere, & an ſi mutus ſcripto conſulat, peccet?*

SVrdum omnino, mutum & cęcum vtroque orbatum oculo, non poſſe munus aduocationis exercere, niſi eſſet in cauſa propria, vt ex Vlgilio tenet Taſſon. *in pragm. de Antifato ver. 14. obſeru. 2. n. 2.* & docet Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 6. cap. 7. dub. 2. n. 1.* qui etiam *dub. 4.* docet, quòd ſi mutus ſcripto conſulat, non peccat, neque venialiter, dummodo iuris peritiam, vel negotiorum experientiam habeat.

RESOL. XXVIII. *An mutus, & ſurdus poſsint eſſe executores teſtamenti?*

NEgatiuè reſpondeo cum Angelo *ver. executor, nu. 2.* Sylueſtro *ver. teſtamentum 2. quæſt. 1. dict. 5.* & Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 4. cap. 1. dub. 40. num. 12.* vbi firmat, quòd nec mutus, nec ſurdus poſſunt eſſe executores teſtamenti.

RESOL. XXIX. *An mutus, ſurdus & cæcus poſsint eſſe fideiuſſores?*

AD hunc caſum reſpondet Philippus Richter *tract. de contract. diſp 8. theſ. 1. fol. mihi 202.* vbi ſic ait. Septima perſona, quæ pro fideiuſſore adhiberi non poteſt, eſt mutus & ſurdus, hoſce non ſimpliciter accipi velim, ſed illum, qui verbis, lingua figuratis, & palàm prolatis interrogare, verborum articulos integrare, & ad interrogationes congruè reſpondere nequit; hunc verò qui planè nihil audit. *§. mutum, Inſtit. de inutil. ſtipulat.* vbi Anton. Pichard. Vinnes *nu. 7. §. item ſurdus, Inſtit. quibus non eſt permiſſ. facere teſtament.* quorum vtrumque tamen in ſtipulatione requiri notiſſimi iuris eſt, *l. 1. §. vltim. ff. de O. & A. l. 1. ff. de V. O.* Gœddeus *de contrah. ſtipul. cap. 2. concluſ. 15.* aliàs ſi quis ſine verbis ſtipulanti annuat, nec ciuiliter, nec naturaliter obligatur, nec fideiuſſorem pro tali putatiua obligatione à ſe datum relinquit obligatum *l. 1. §. ſi quis ita. ff. de V. O.* vbi Gottofredus *in lit. Y.* pulchrè id explicat. Gœddeus *d. concl. 5. n. 282. & 283.* Hodie, vt infrà in hac ipſa littera demonſtrabo, ius ſtipulationum & fideiuſſionũ quodammodo mutatum eſt, & extenſum, vt probabiliter dici poſſe arbitrer mutum & ſurdum ſcriptura rectè poſſe obligari, quod poſt Ioannem Ferrarium Montanum *in comment. Inſt. de inutil. ſtip.* etiam Weſenbechio *in §. item inutilis, Inſt. de inutil. ſtip.* & Heringio *d. tract. de fideiuſſ. cap. 7. n. 149.* placuit ſi modò per ſcripturam animum declarare poſſint. Valentin. Franc. *de fideiuſſ. cap. 2. num. 26.* Hæc tamen tum vera eſſe ſtatuunt, ſi ſurdus ſponte ad talem fideiuſſionem deueniat, aliter ſe habet, ſi à Notario, vel quolibet alio fraudulenter ad fideiubendum & ſcribendum inducatur. Alciatus *in l. ſenium nu. 3. C. de tranſact.* Cęcum quod attinet, licet ille quoque corporis vitio laboret, tamen quoniam ratione intellectus, loquelæ, & auditionis ipſi nihil deficiat, ideoque ipſum fideiubere poſſe ſtatuo, cognitum eſt enim illorum intellectum aliquando in tantum ſe extendere, vt in artibus mœchanicis, necnon in litteris ad miraculum & ſtuporem vſque excellant. Hering. *de fideiuſſ. c. 7. n. 159.* vbi perplura exẽpla refert, quem vide. Huc vſque Richter. cui adde Didacum de Mari *in addition. ad Gizzarellum deciſ. 26. n. 1.* aſſerentes cæcum non excludi à fideiuſſione, qui quidem de Mari ex Sebaſtiano Medices idem de illo aſſerit, quoad ſocietatem contrahendam.

RESOL. XXX. *An mutus, ſurdus & cæcus vt perſonæ miſerabiles poſsint forum declinare?*

REſpondeo affirmatiuè cũ docto & amiciſſimo Nouario *tract. de elect. fori ſect. 2. quæſt. 8. n. 6. & 7.* qui *num. 9.* docet hanc ſententiam procedere in illo, qui vtroque lumine eſt orbatus, & plenè ſurdus, pleneque mutus eſt, & ratio eſt, quia, vt docet Chokier *de iuriſd. part. 4. qu. 108.* & Marta *de iuriſd. part. 2. cap. 21. nu. 5.* Caſtillo *quot. contr. lib. 3. cap. 21.* ſupradicti annumerantur inter miſerabiles perſonas. & ita hanc ſententiam prætet Nouarium docet etiam de cęco Theſaurus *deciſ. 177.* & alij, quos citat

&

& ſequitur Didacus de Mari *in addit. ad deciſ. 26. Gizzarelli num. 1.*

RESOL. XXXI. *An mutus, & ſurdus poſſint puniri pro delicto perpetrato pœna ordinaria?*

DE hac quæſtione agit Plaça fusè *in epitome delict. lib. 1. cap. 32. n. 17.* Gomez *de delictis c. 1. n. 69.* & Farinacius *in pract. crimin. qu. 98.* vbi ſi mutus & ſurdus intellectum habeat, ponit practicam quomodo poſſit per ſigna interrogari, quomodo Notarius debet illius nutus, actus, & ſigna deſcribere, & quomodo etiam dicta ſigna interpretari debeat per ſe, vel per alios interpretes, qui cùm muto conuerſationem habeant. Attamen cùm confeſſio ſic ſignis, & nutu ſignificata nõ ſit tuta & clara, prout ad reum condemnandum requiritur, idcirco ex tali confeſſione ipſum mutum condemnari non poſſe apertè voluit Bald. *in l. 1. nu. 27. C. de confeſſ.* vbi magiſtraliter, more ſuo, diſputata materia tandem concludit, mutum & ſurdum non poſſe ex ſua cõfeſſione condemnari, ſed tamen ex teſtium depoſitionibus, qui ipſum plenè de delicto conuincant. Imò ſi mutus & ſurdus ſciret ſcribere, poſſet per iudicem cogi ad reſpondendum per ſcripturam, & ſi legitima præcederent indicia, poteſt etiam torqueri, vt delictum per ſcripturam fateatur, & ſi fatebitur & in ſcriptis ſuam redegerit confeſſionem, videtur ex ea ipſum poſſe condemnari. Vide etiam Additiones ad Iulium Clarum *in pract. crimin. lib. 5. §. fin. qu. 55. lit. F.* vbi habetur, quòd mutus & cæcus poteſt confiteri feciſſe homicidium, & ex ea confeſſione cum teſtium atteſtationibus dato ei curatore damnari; ſecus autem ait Baiardus *quæſt. 60. nu. 26.* ſi conſtet mutum & ſurdum carere intellectu, tunc enim infanti æquiparatur, & ideò minimè puniri poteſt. & omnia ſupradicta inuenies etiam pertractata non ſolùm à Farinacio *vbi ſuprà*, ſed etiam a Sebaſtiano Quazzino *tom. 2. defenſ. 32. §. 29. per totum.* & tandem Gizzarellus *deciſ. 26. n. 9. & 10.* docuit, quòd mutus & ſurdus, qui habet intellectum, quem poteſt ſaltem demonſtrare ſignis, tunc reputatur habilis ad delinquendum, & tenebitur ex delicto, & ſi eſt legitimæ ætatis, non dabitur curator, & quidem mutus fuit ſuſpenſus, qui fuit ſocius cum alio in homicidio. Ita ille. Sed quid dicendum eſt de cæco, infrà dicemus.

RESOL. XXXII. *An mutus & ſurdus poſſint ferre teſtimonium?*

DIco primò, quòd mutus tantùm, vel ſurdus tantùm non prohibetur ferre teſtimonium ſuper re cadente in ſenſum, in quo non eſt impeditus. Dico ſecundò, quòd mutus qui non caret intellectu, ſed mentem ſuam nutu, & ſignis certis & indubitatis exprimere poteſt, non repellitur à teſtificando, & hoc intelligitur in ciuilibus, ſecus autem in criminalibus, & ſi litteras ſcribere ſciat, admittitur & recipitur eius teſtimonium per ſcripturam, licet aliàs teſtes non in ſcriptis, ſed viua voce deponere debeant. & hæc omnia probata inuenies apud Farinacium *q. 60. per totam*, vbi ponit formam ſeruandam in interrogatione & reſponſione ſupradictorum.

Neque deſinam hîc apponere verba Didaci Spino *in ſpeculo teſtam. gloſſ. 9. rubricæ, n. 2.* vbi ſic ait. Mutus qui perfectè intelligit, poteſt eſſe teſtis, & eius teſtimonium valet. Sic gloſſ. *in cap. teſtes 3. q. 9.* communiter recepta ſecundùm Ripam *d. l. 1. de verb. obligat. n. 37.* ſecundùm Iaſo. *l. qui iuraſſe, in fine principij, de iureiuran.* Ioan. Igneus *l. 3. §. ignoſcitur ad Sillanian.* Et ita tenendum, licet contrariam ſententiam, imò quòd nõ poſſit mutus eſſe teſtis, teneat Ioan. Faber *in §. teſtes, n. 3. de teſtam.* Sed quidem falſa eſt eius opinio, cùm mutus perfectè intelligẽs per ſigna mentis conceptum explicantia, valet eius teſtimonium, cùm nihil referat, quomodocumque veritas appareat, & cognoſcatur, argum. *cap. ego ſolis diſt. 9. l. nec omiſſa C. de liberali cauſa.* Huc vſque Spino, cui etiam adde Doctores, quos citat & ſequitur Guazzinus *tom. 1. defenſ. 14 cap. 7. n. 3.* omnino videndus.

RESOL. XXXIII. *An mutus, ſurdus & cæcus ſint immunes à muneribus publicis?*

AFfirmatiuè reſpondeo cum Nouario *tract. de elect. foti ſect. 2 quæſt 8. num. 10.* vbi quia aliqua notat circa mutos & ſurdos, ponam eius verba per extenſum. ſic itaque ait. In *l. 1. C qui morbo ſe excuſant*, & *ibi* per Bartolum & Doctores, luminibus capti, ſurdi & muti habent excuſationem à muneribus, & ſic in vtroque membro debilitati: monoculi autem, ſurdaſtri, & cæteri his ſimiles minimè excuſantur. facit text. *in l. honores ff. de curat.* vbi mutus & ſurdus ſi in totum non audiunt, aut non loquuntur, ab oneribus ciuilibus excuſantur, & *ibi* per DD. at ſecus in eo, qui tardè loquitur, aut tardè audit, *l. 2. § minus audiens, de vacatione muner. l. fin. ff. de leg. tut.* & idem dicunt DD. vt excuſationem non habeat ſi mutus & ſurdus ex ſolo motu labiorum percipiat mentem loquentis, per doctrinam Bartol. *in l. 1. in princip. ff. de verbor. obligat.* facit text. *in l. mutũ, ff. de ædilitio edicto*, vbi mutus dicitur, qui nullo modo poteſt loqui, non autem qui poteſt loqui, ſed grauiter & ponderosè. facit text. *l. qui damnum, eodem tit.* vbi minimè dicitur morboſus, qui vnicum oculum habet; quare ſurdi, muti & cæci licet fideiubere non poſſint, tamen id intelligitur de his, qui nihil prorſus vident, audiunt & loquũtur. Alexand. *conſ. 12. lib. 1.* Honded. *conſil. 37. volum. 1.* at ſecus in iis, qui malè loquuntur & exaudiunt, vt ſunt balbutientes & ſurdaſtri. Maur. *in tract. de fideiuſſ. cap. 10. tit. 1. ſect. 8.* & regula illa, quòd ſurdus & mutus non faciunt teſtamentum, intelligitur de ſurdo, qui omnino non audit, & de muto, qui nihil eloqui poteſt, & nõ de illo, qui tardè loquitur. Huc vſque Nouarius. Cui addo Gizzarellum *deciſ. 16. n. 4. c. 29. per totum.* vbi ſic aſſerit. Cæci vtriuſque oculi luce carentes excuſationem merentur à muneribus publicis, & perſonalibus, ex *l. 1. C. qui morbo ſe excuſ. lib. 10.* quem textum extendit ibi Ioannes de Platea ad ſurdum & mutum. Sic ille. Et tandem circa præſentem quæſtionem ne deſeras videre Sylueſtrum *ver. Gabella 5. num. 5.*

RESOL. XXXIV. *An mutus & ſurdus poſſint eſſe Religioſi, profeſſionem emittendo?*

AD hunc caſum affirmatiuè reſpondet Sanchez *in ſum. tom. 2. lib. 5. c. 3. n. 2.* vbi ſic ait. Profeſſio expreſſa nullis verbis indiget, ſed poteſt nutibus, aut ſcripto fieri, quia nullibi reperitur verba eſſe neceſſaria. Quare mutus à natura, qui ſubinde ſurdus eſt, poteſt profiteri. Si enim eſt aptus ad carnale matrimonium ineundum (vt probauimus *lib. 1. de matrim. diſp. 8. num. 12.*) erit quoque ad ſpirituale aptus, argum. ex *cap. ſignificatum, de regul.* Præterea, quia non minor notitia obligationis, nec minor cõſenſus deſideratur in matrimonio carnali, quàm in ſpirituali. & ita docent Socin. ſenior *conſ. 61. In præſenti conſultatione, n. 13. & 14. volum. 1.* Azor. *lib. 12. inſtit. moral. cap. 4. quæſ. 1.* ſed, ſicut ea *diſp. 8. num. 12.* animaduertimus circa matrimonium carnale, eſt hoc intelligendum quando mutus ille ita perſpicaci intellectu præditus eſt, vt ſignis edoceri valeat naturam ſtatus religioſi, poſſitque ſignis conſenſum exprimere, quod eſſe difficillimum diximus ibi, cùm auditu careat quo hanc naturam doceri poſſit, quamuis ſint aliqui ita perſpicacis ingenij, vt ſignis eam percipere valeant. Quòd ſi mutus ille eſſet ſimul cęcus, aut quis eſſet ſimul cæcus, & omnino ſurdus, quamuis non mutus, nec hæc à natura habeat, ſed caſu, eſſet incapax profitendi, niſi antequam in hæc incideret, noſſet quid eſſet profeſſio. Sicut idem contra alios diximus in matrimonio carnali ea *diſp. 8. num. 13.* quia mutus ſolis ſignis edoceri valet profeſſionis naturam, quæ percipere nequit, ſi ſimul cæcus ſit. Atqui cæcus ſolis verbis poteſt edoceri, quæ nequit percipere, ſi ſimul ſit ſurdus. Huc vſque Sanchez, cui adde Spinum *in ſpeculo teſtam. gloſſ. 9. rubricæ n. 4.* vbi ita aſſerit. Secũdò deducitur quòd licet aliàs mutus & ſurdus non poſſint Religionem ingredi, nec profiteri, iuxta *c. ſicut, de regular. cap. fin. de ſucceſſ. ab inteſtat.* Si tamen probetur illum habere intellectum perfectum, & ſignis poſſe conſenſum explicare, poterit Religionem profiteri. tenet Albericus *l. vbi non voce, de reg. iur.* Ita Spino. & tandem hanc ſententiam docet Barthol. de Vecchis *in praxi Nouitior. diſp. 13. dub. 2. num. 2.* Azorius *part. 1. lib. 12. c. 4. q. 1.* cum aliis iuriſconſultis, quos citat & ſequitur Barbatia *volum. 2. conſ. 59. num. 12.*

RESOL. XXXV. *An mutus poſſit eſſe curator?*

NEgatiuam ſentẽtiam docet Gratianus *in diſcept. tom. 4. cap. 447. n. 8.* vbi ſic ait. Non videtur auctorari curator præſens & tacens, cùm requiratur quòd expreſsè loquatur, vt notat gloſ. *in l. 3. C. de auctor. tut.* vbi Bart. *n. 1.* dicit eſſe veriorem opinionem, quidquid alij malè ſentiant, ſi enim non eſſet opus vt curator loqueretur, etiã mutus poſſet eſſe curator, & auctorari, quod tamen non eſt verum, *l. 1. in fin. ff. de tutel. l. vn. C. qui morb. ſe excuſ.* ſiue ſimus in tutore teſtamentario, ſiue in datiuo & legitimo. *l. penult. ad fin. ff. de legit. tut.* gloſſ. *in d. l. 1. in fin. in ver. nõ poteſt ff. de tutel.* Ita ille, cui adde Guttierrez *de Tutelis part. 1. c. 7. n. 4.* & ideò Doctores communiter aſſerunt requiri loquelam in curatore & tutore, neque ſufficere præſentiam, vt docet Dynus *in c. qui tacet, de reg. iur. in 6.* & tantum abeſt, quòd mutus poſſit eſſe curator, vt potiùs ipſe curatorẽ habere debeat. & ideò Gizzarellus *deciſ. 26. n. 2.* ex Bart. docet, ſurdo & muto curatorem dari debere, & maximè ſi ſit ſurdus & mutus à natiuitate, quod etiam docuit Spino *in ſpeculo Teſtam. gloſſ. 9. rubricæ, n. 1.*

RESOL. XXXVI. *An cæcus poſſit eſſe iudex?*

COEcum poſſe eſſe iudicem & dignitatẽ retinere, patet ex *l. 6. ff. vbi quis agere, vel conueniri, & l. 1. ff. de poſtulan. in 5. colum.* ibi, *Quamuis autem cæcus pro alio poſtulare non poſſit, tamen & Senatorium ordinem retinet, & iudicandi officio fungitur.* & *l. 8. C. de Decurionibus lib. 10.* licet gloſſ. ibi limitet quando amborum oculorum cæcus eſſet, & de ſurdo & muto, facit *d. l. 1. ff. de poſtulan. & l. 7. § 1. ff. de decurionibus* & multa dicit Gizzarellus *in deciſ. 26.* cui adde Dominicum Taſſonium *in Pragmat. de Antifato ver. 14. obſeru. 2. num. 2.* & Megalium *var. reſol. tom. 2. reſol. 183. num. 6.* vbi adducit *l. cæcus, de iudiciis.*

Non deſinam tamen hîc adnotare Molinam *de Iuſt. tom. 5. tract. 5. diſp. 39. n. 1.* docere mutum & ſurdum non poſſe eſſe arbitrum.

RESOL. XXXVII. *An cæcus poſſit torqueri & puniri pœna ordinaria?*

HAnc quæſtionem latè pertractat Gizzarellus *deciſ. 26. per totam,* & negatiuã ſententiam docet, quia faciliùs excuſatur cæcus, quàm mutus & ſurdus. vide illum, vbi pro hac ſententia multas adducit rationes, & obſeruat etiam pro noſtra materia in fine dictæ deciſionis *nu. 12.* quòd ſecundùm Angelum *de malefic. ver. & ad querelam Titij, num. 30.* cæcus, ſurdus & mutus non poſſunt accuſare, & repelluntur ab accuſando; ſed huic opinioni conſentit cum diſtinctione Decianus *in tract. crimin. tom. 1. lib. 3. c. 11.* & hæc dicta ſufficiant circa præſentem tractatum de mutis, ſurdis & cęcis. Faxit Deus vt ad mala loquenda, audienda, & videnda nos muti, cæci, & ſurdi deueniamus.

TRA-

TRACTATVS SEPTIMVS
DE
SCANDALO.

RESOL. I. *Quotuplex eſt ſcandalum?*

RESPONDEO ſcandalum eſſe duplex, aliud actiuum, aliud paſſiuum. Scandalum actiuum eſt, oppoſitio obſtaculi, vel occaſionis, vnde oritur ruina ſpiritualis proximi; quod bene diffinitur à S. Hierõ. *ſuper Matth.* 18. & habetur *in gloſſ. ibid.* Scandalum eſt dictum, vel factum minùs rectum, præbens occaſionem ruinæ. Dicitur autem *minùs rectum*, vel quia id quod præbet ruinæ occaſionẽ, verè malum eſt, vel quia licet ſit bonum, habet ſpeciem mali; id enim quod bonum verè eſt, & tale apparet, non poteſt eſſe occaſio lapſus, quin potiùs confirmat & roborat homines in bono. Dicitur etiam *occaſio*, quia nihil poteſt eſſe cauſa totalis, & adæquata ruinæ & peccati alterius: omnis enim qui peccat, propria voluntate peccat, ſolùm poteſt eſſe cauſa moralis & extrinſeca, quæ potiùs occaſio, quàm cauſa appellatur; ſcandalum verò paſſiuum eſt ruina ipſa eius, qui peccat, occaſione accepta ex dicto, vel facto alterius.

Scandalum actiuum contingere poteſt dupliciter. Vno modo per ſe, alio per accidẽs. Per ſe duobus modis. Primò, quando expreſſa intentione expetitur peccatum alterius; ſecundò quando licet nõ adſit expreſſa intentio, opus ipſum, vel verbum tale eſt, vt natura ſua, aut ex circumſtantiis ſufficiat inducere alium ad peccandum. Per accidens verò cùm nec intentio operantis, neque conditio operis eò tendit, vt alter ruat, ſed ex praua diſpoſitione peccantis oritur, vt inde ſumat occaſionem vbi non erat, quod verbo tenus ſcandalum eſt, verè enim non eſt ſcandalum, & ſolet nõ appellari ſcandalum abſolutè, niſi quod eſt per ſe. Ex quo ſequitur poſſe eſſe ſcandalũ actiuum ſine paſſiuo, quando quis quantum eſt ex ſe præbet occaſionem ruinæ, ſed ille, cui præbetur, pro ſua integritate non labitur; & poteſt eſſe ſcandalum paſſiuum ſine actiuo, quando aliquis ex ſua malitia labitur, ſumens occaſionem, vnde ſumi non poterat. Et poteſt eſſe ſcandalum actiuum, & paſſiuum ſimul, quando oppoſitio offendiculi ſufficiens eſt, & effectum ſortitur. Quando autem eſt ſcandalum paſſiuum ſine actiuo, dicitur ſcandalum acceptum: quando autem eſt actiuum, vel cum paſſiuo, vel ſine illo, dicitur ſcandalum datum.

Scandalum verè paſſiuum præterea diuiditur in ſcandalum puſillorum, vel infirmorum, & ſcandalum Phariſæorum. Scandalum puſillorum eſt, quod ex ignorantia, vel infirmitate oritur potiùs, quàm ex natura facti, quia eis aliquid apparet malum, aut habere ſpeciem mali, quod eſt bonum, & tale appareret, niſi ignorantia eorum, qui ſcandalizantur, impediret. Scandalum verò Phariſæorum eſt, quod oritur ex pura malitia, aut ex ignorantia affectata & craſſa (quæ in hoc malitiæ æquiparantur) nam ſcandalum puſillorum ex ignorantia inculpabili procedit. Ita Doctores communiter.

RESOL. II. *Vtrùm omne ſcandalum ſit peccatum ſpeciale, & quomodo ſcandala debeant explicari in confeſſione?*

NOn referam hîc pugnantes DD. ſententias, quia exiſtimo hanc diſputationem metaphyſicam eſſe potiùs, quàm moralem: nam quod attinet ad praxim, parum refert, & ideò dico aliquem ex triplici intentione poſſe alterum ſcandalizare. Primò, directè intendẽdo ipſam ruinam, ſiue mortem ſpiritualem proximi, ſiue ideò cupiendo eum hoc, aut illud peccatum committere, vt reatum illius incurrat. Secundò, directè intendẽdo eum inducere ad actum malum, non tamen quia hoc ei malum eſt, ſiue vt ipſe peccati reatum incurrat, ſed ob alium finem; vt quia ipſe ſine alterius ope nequit perficere actum, quem cupit committere; qua ratione vnus alium, aut aliam inducit, vt ſecum furetur, aut fornicetur. Tertiò faciendo aliquod peccatum, aut ſpeciem peccati habẽs, quo credit alium inducendum ad peccatum, nullo tamen modo id expreſsè intendẽdo, ſed ſolùm interpretatiuè, quatenus vult facere id, ex quo videt alterum ſumpturum occaſionem peccandi. Fatentur autem communiter omnes DD. omnem inducentem alterum aliquo ex dictis modis ad peccandum peccare, teneriq́ue hoc expreſsè, & diſtinctè confiteri, nec in his, aut in modo illud peccatum confitendi inter ſe diſſident. Ita Coninck *diſp.* 32. *dub.* 5. *n.* 35. Lorca *in* 2. 2. *ſect.* 3. *diſp.* 56. *num.* 6. Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *c.* 16. *q.* 2. *& ſeq.* & alij.

Verùm non deſinam hîc per extenſum apponere in gratiam curioſorum, verba doctiſſimi, & amiciſſimi Patris Hurtado de Mendoza *in* 2. 2. *diſp.* 173. *ſect.* 8. §. 61. vbi ſic ait. Præmittendum eſt difficultatem de oppoſitione ſcãdali cum charitate, aut diſcrimine ſcandali actiui & paſſiui, eſſe ſpeculatiuas potiùs, quàm practicas; etenim in quauis ſententia ſcandalizans tenetur exponere in confeſſione, qua ratione fuit alicui occaſio peccandi, neque ſatis eſſe exponere ſe occaſionaſſe alicui peccatum; ſed opus eſt exponere tum ſpeciem ſcandali actiui, tum paſſiui. Actiuum quidem eſt exponendum in ſpecie, quia ſi opponitur alij virtuti, eſt explicandum, quia mutat ſpeciem; vt ſi ego furto fui alicui cauſa furandi; quòd ſi ſcandalum non opponitur alij virtuti, eſt etiam explicandum, vt ſciatur illud tantùm habere malitiam ſcandali; vt ſi ego actu aliquo de ſe indifferenti fui alicui cauſa furandi. Si verò ſcandalum erat actus de ſe indifferens,

non eſt opus explicare illius ſpeciem, ſatis enim eſt dicere ſe actu non malo fuiſſe alicui occaſionem furti. Niſi quis exiſtimet actum de ſe indifferentem contrahere duas malitias ab euentu, vt qui ſoluit ieiunium, peccat contra Religionem & temperantiam. Adhuc tamen in præſenti non eſt opus explicare actum indifferentē, qui fuit cauſa ruinæ, quia non habet rationem malitiæ, niſi à nocumento. Hoc mihi prohibetur, & ratione illius omnis actio dans occaſionem, vt in ieiunij lege ipſa abſtinentia præcipitur in honorem Dei, ob quod duæ leges violantur. Nec eſt opus explicare cibum niſi alia lege ſit etiam interdictus, vt ſunt carnes, at non eſt opus alios cibos explicare de ſe indifferentes etiā hac die ieiunij. Quid enim refert me verbo indifferenti, aut indifferenti facto eam occaſionem dediſſe? Ratio à priori eſt, quia illę actiones nō aliunde accipiunt malitiam, quàm ex damno proximi, quod ſuppono eſſe idem illatum ab vtraque. Item explicandum eſt, an formaliter ſit volita alterius ruina, quia hæc ſpecies eſt grauiſſima in ratione ſcandali. Item eſt aperiendum vtrùm conſilio & perſuaſione & voluntate directè lata in peccatum alienum, an verò ſolùm interpretatiuè, & in cauſa voluerit peccatū alienum, quamuis enim hæc non mutent ſpeciem obiectiuā, at intra illam ſunt valdè diuerſa. Item opus eſt explicare actum internum, quo volumus actionem externam futuram occaſionem alieni peccati, quamuis actio illa externa non fuerit exercita, vt tenemur explicare voluntatem furandi, quamuis furtum nō admittatur. Item tenemur explicare actionem externam exercitam cum probabili periculo quòd illa erat futura occaſio peccati, quamuis re ipſa non fuerit, vt tenemur confiteri actionem aliquam pertinentem ad furtum, quamuis furtum re ipſa non contigerit. Ratio à priori, quia omnes illę actiones ſunt peccata, omne autem peccatum mortale eſt materia neceſſaria confeſſionis.

Exponenda ſunt etiam omnia ſcandala paſſiua in ſpecie, nec enim ſatis eſt aperire, te fuiſſe mihi occaſionem peccati, ſed opus eſt aſſerere, cuius peccati in ſpecie, an luxuriæ? adulterij? furti? aut cuiuſuis alterius. Ratio eſt, vel quia ſcandalum actiuum eſt in eadem ſpecie cum paſſiuo, vnde actiuum explicari non poſſit ſine paſſiuo; vel quia damna ſunt in ſe valdè diuerſa, ex quorum diuerſitate ſumitur etiā diuerſitas ſcandali actiui. Quamuis enim omnia ſcandala ſint contra charitatem, tamen inter illa eſt diuerſitas ſpecifica pro diuerſitate damni illati. Scandalum enim actiuum, quo Antonius eſt in cauſa, vt Franciſcus furetur, differt ſpecie à ſcandalo actiuo, quo illud mouet ad homicidium propter diuerſitatem ſpecificam homicidij, & furti. Quemadmodū furtum ſpecie differt à detractione famæ, & vtrumque ab homicidio, quāuis omnia ſint contra iuſtitiam, quia eadem virtus iuſtitię interdicit plura obiecta inter ſe tam diſtantia, vt conſtituant diuerſitatem ſpecificam moralem. Nec enim ſatis eſt dicere te fuiſſe iniuſtum in materia graui, ſed opus eſt dicere, an in fortunis? an in fama? an verò in vita? Idem patet in intemperantia, explicandū enim eſt, an ſit in luxuria, & in hac explicādæ ſunt ſpecies, an ſit mollities, an ſodomia, an fornicatio ſimplex? quæ ſpecies ſunt diſtinctæ intra luxuriam contra caſtitatem. Item explicanda eſt intemperantia ebrietatis, item & cibi ſuperflui, differunt enim ſpecie potus inebrians, & cibus ſatians. Idem patet in Religione, eſt enim explicanda circumſtantia loci ſacri, & perſonæ ſacrę. Percutere enim Clericum, diuerſa irreligio eſt, ac percutere laicum in templo. Item peccare cum ſanctimoniali, eſt diuerſa irreligio, ac vti propria vxore in templo. Item violari imagines eſt diuerſa irreligio, ac conculcare Chriſti corpus. Ita Hurtado *vbi ſuprà*, cui ego libenter adhæreo.

RESOL. III. *An peccantes coram aliis excuſentur aliquando à peccato mortali?*

REſpondeo plures coram aliis peccantes excuſari à peccato ſcandali, vel quia videntes ita ſunt in bono ſtabiles, vt nullo modo peccatis viſis cenſeantur ad peccatum moueri, vel ita ſunt deperditi, vt peccatum aliorum nihil illos immutet. Ita Salas *tom. 1. in part. 2. tract. 7. diſp. 3. ſect. 4. num. 84.* Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 1. cap. 6. nu. 7.* Alphonſus de Leone *vbi infrà n. 24.* Caſtrus Palaus *tom. 1. tract. 6. diſp. 6. punct. 2. nu. 4.* Et ideò Sancius *in ſelectis diſp. 46. nu. 11.* optimè notat quòd à ſcandali peccato excuſantur plurimi, quòd vel ipſi tam prauis moribus imbuti ſunt, vt ab illis de præſtando exemplo nihil curetur, nec inde argumentū ſumatur ad liberiùs vitiis vacandum, vel de eo curantes ita ad peccandum faciles atque inclinati ſint, vt non cenſeatur moralis eorum inductio.

Notandum eſt verò hîc vnum, quod plurimi miſerrimè nolunt intelligere, videlicet in caſu quo times à te alios ſcandalizatos eſſe, teneri in confeſſione explicare nunterum perſonarum, & ſpeciem peccatorum. v g. meo malo exemplo ſcandalizaui tot perſonas inducendo talia & talia peccata, aliter non ſatisfacis. Ita Filliucius *tom. 2. tract. 28. cap. 6. num. 226.* Syluius *in 2. 2. q. 43. art. 3. concl. 2.* Caſtrus Palaus *vbi ſup. punct. 4. num. 3.* & Bonacina *de peccatis diſp. 2. q. 4. punct. 2. num. 42.* vbi citat Sanchez; quibus etiam adde Molfeſium *in ſum. tom. 1. tract. 8. cap. 10. num. 1.* & Leonem *de offic. Confeſſ. tom. 1. recollect. 14. num. 9. & 10.* & ratio iam ex Hurtado poſita eſt in ſuperiori reſolutione.

RESOL. IV. *An liceat petere Sacramentum à malo miniſtro?*

AD hoc dubium Azorius *tom. 2. lib. 12. cap. 17. q. 7.* reſpondet breuiter. Primò, non eſſe licitum petere extra caſum neceſſitatis id à Sacerdote, qui non eſt obligatus ad danda Sacramenta, & non eſt paratus ad dandū, quia eſſet inducere eum ad peccatum. Secundò, eſt licitum petere à Sacerdote ad dandum Sacramentum obligato, aut à Sacerdote parato ad dandum, quia tunc nō eſt inducere eum ad peccatum, & poteſt ipſe, ſi velit, atque etiam debet, contritionem habere. Tertiò, in caſu neceſſitatis licitum eſt petere à quocumque Sacerdote, quia tunc habemus ius petendi Sacramenta. Ita Azorius. Vnde ego alibi ſatis probabiliter docui non eſſe peccatum mortale ſcandali accipere Sacramen-

cramentum à Sacerdote exiſtẽte in peccato mortali; ſi illum inuenio in loco publico excipientem confeſſiones aliorum, etiamſi poſſem accedere ad alium Miniſtrum bonum, quia reuera id non eſt cooperari peccato Miniſtri, aut illum inducere ad peccatum, cùm ipſe iam ſe offerat ad illud peccatum committendum. Et hanc ſententiam docet, præter Cabreram & Ledeſmam alibi à me citatos, etiam Sotus, quem citat & non improbat Granado *in 3.part. D.Thom. de Sacram. controu. 3. tract. 5. diſp. vltim. nu. 6.* in qua fusè pertractat, quando licitum ſit ſumere Sacramenta à malo miniſtro ſine ſcandali peccato.

Sed difficultas eſt quando Sacramentum petendum eſt ab excommunicato, qui non habet à quo abſoluatur; & tunc Sacramentum non eſſe petendum, docet Vaſquez *opuſc. de charit q. 43. art. 8. dub. 4. nu. 42.* Baſil. Pontius *de matrim. lib. 5. cap. 18. §. 9. nu. 65.* & Granado *vbi ſuprà num. 8.* qui citat Sayrum, quia tunc petitur Sacramentum ab eo, qui acquieſcens petitioni non poteſt benè, aut malè adminiſtrare Sacramentum; ſed neceſſariò malè adminiſtrabit, eò quòd non eſt in ſua poteſtate abſolui ab excommunicatione, propter quam impeditur ab adminiſtratione Sacramenti, & tunc petitio habet rationem ſcandali actiui, quia petit id, quod neceſſariò malè faciendum eſt, ſi fiat.

Verùm his non obſtantibus (attendas quæſo amice Lector) contrariam ſententiam probabilem eſſe exiſtimo, quam docuit Sanchez *de matrimonio tom. 2. lib. 7. diſp. 9. num. 8.* & nouiſſimè docet numquam ſatis laudatus Hurtado de Mendoza *in 2. 2. diſp. 173. ſect. 18. §. 249.* mouetur decreto Concilij Conſtantienſis & Martini V. quo datur facultas Chriſti fidelibus vt communicent in Sacramentis cum excommunicato ſine ſcrupulo. Quæ facultas non eſt in fauorem excommunicati, ſed aliorum, quia aliis prouiſum eſt ne ſcrupulis irretiantur. Indirectè verò redundat in ipſius excõmunicati fauorem, quia eò præcisè quòd mihi datur facultas, vt licitè & ſine ſcrupulo poſſim petere à Sacerdote adminiſtrationem ſacramenti, datur indirectè ipſi Sacerdoti facultas illud adminiſtrandi. quia ſi ille peccaret in eo adminiſtrando, non poſſem ego licitè cum illo in ſacramento cõmunicare. quia eſſet cooperari illi in peccatum. Quemadmodũ mihi datur facultas vt omnes mei commenſales poſſint carnibus veſci diebus interdictis, illa facultas mihi datur directè, vt ego poſſim quos velim inuitare; indirectè verò & conſequenter redundat in fauorem commenſalium, quia non poſſem ego illo priuilegio frui, quin illi poſſint licitè carnibus veſci, quibus veſci non licet, niſi à me inuitentur. Ita non licet Sacerdoti excommunicato tolerato efficere actionem aliquam ſacram, nec adminiſtrare ſacramentum, neque communicare cum aliis, non, inquam, licet, niſi inuitetur à non excommunicato. Sicut meis commenſalibus nõ licet veſci carnibus, niſi à me inuitentur. At verò licet eiuſmodi Sacerdoti exercere omnes actiones ſacras, quas ego nõ excommunicatus ab eo petiero, ſicut licet meis commenſalibus veſci carnibus. Si ergo excommunicatus ſit ſine peccato mortali, aut probabiliter exiſtimet ſe habuiſſe contritionem perfectam; aut ſi illam conetur habere, illi non obeſt excommunicatio; quo minùs licitè poſſit Sacramenta adminiſtrare, quoties id petatur à non excommunicato. Quæ clariùs conſtabunt ex ipſo decreto Concilij, his verbis: Inſuper ad euitanda ſcandala, & multa pericula, quę cõſcientiis timoratis contingere poſſunt Chriſti fidelibus, tenore præſentium miſericorditer indulgemus, quòd nemo deinceps à communione alicuius in Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut aliis quibuſcumque diuinis, vel extra prætextum cuiuſcumque ſententiæ, aut cenſuræ Eccleſiaſticæ à iure, vel ab homine generaliter promulgatę teneatur abſtinere, &c. Cùm igitur hęc verba nullam omnino actionem ſacram mihi interdicant cum excommunicato tolerato, ita vt omnis ſcrupulus mihi euellatur, concluditur apertè excommunicatum, ſi præcisè conſideretur vis excommunicationis, non peccare, quando illa adminiſtrat à me rogatus: ſi enim ille peccaret, nõn poſſum ego cum illo communicare. Quapropter ſine vlla cauſa poſſum ego petere Sacramenta ab huiuſmodi excommunicato, ſi aliunde prudenter exiſtimo illum non eſſe in peccato mortali, aut ſe Deo reconciliare per contritionẽ perfectam. Ratio eſt, quia illa excommunicatio non me præſtringit, neque me obligat, vt abſtineam à ſuſcipiendo ſacramento ab ipſo, neque ipſe peccat, ſi præcisè conſideretur vis excommunicationis; vnde non eſt opus alia occaſione. Et hæc omnia docet Hurtado *vbi ſuprà*, quę ſunt valdè notanda. Igitur in tali caſu dicendum eſt contra Granado *loco cit.* dictum Sacerdotem excommunicatum abſoluendo petentem adminiſtrationem ſacramenti non incurrere irregularitatem.

Non deſinam etiam hîc adnotare, moraliter loquendo, non eſſe peccatum miniſtrare Epiſcopo exercẽti Ordines in peccato mortali, aut Sacerdoti celebranti Miſſam, quando alioqui poſſent prædictus Epiſcopus & Sacerdos ea munera peragere benè, ſi contritionem elicerent, aut confiterentur, quia id non eſt inducere vllo modo ad malum, ſed iuuare ad actionem per ſe bonam, quam tamen alius propter ſuam culpam malè exercet. Ita Granado *vbi ſuprà. nu. 10.* qui citat Suar. & Henriquez, quibus adde Ochagauiam *tract. de Sacrament. in genere, quæſt. 24. num. 5.* qui tamen hoc limitat, quando vitare commodè non poteſt miniſterium illud, vt quia famulus expelletur à domo, vel quia cauſabitur ſcandalũ, ſi Miniſter ſe excuſet à miniſtrando; ſed hæc ferè ſemper euenient. ergo, &c.

RESOL. V. *An licitum ſit pingere imaginem concubinæ amaſiæ?*

AZorius *tom. 2. lib. 12. cap. vlt. quæſ. 9.* & Bonacina *diſp. 2. de peccatis, quæſt. 4. punct. 2. §. vnico, num. 19.* negatiuam ſententiam docent; traditio enim talis picturæ homini ſic deperdito eſt quaſi donatio gladij parato occidere.

Sed ego putò aliquando licere, vrgente ſcilicet grauiſſima cauſa. Ita Sanchez *in ſumma, tom. 1. lib. 1. c. 7. n. 40.* Alphonſus de Leone *de offic. Confeſſ. tom. 1. recoll. 14. n. 34. & 36.* Caſtrus Palaus *tom. 1. tr. 6. diſp. 6. punct.*

punct.12.num.6. quia hæc actio de ſe indifferens eſt, & bono vſui deſeruire poteſt, ac proinde ex aliqua graui cauſa honeſtari; ſed quia tamen fomentum eſt, & incitatiuum turpis amoris, mortale peccatũ eſſe talem imaginem depingere, niſi preſſus aliqua graui cauſa pictor hoc faceret; non eſſet autem cauſa grauis amiſſio lucri ex tali pictura, ſed metus mortis, vel vulneris.

RESOL. VI. *An licitum ſit pingere, vel fabricare idolum ad petitionem infidelis, vel conſtruere Synagogas Iudæorum?*

NEgatiuam ſententiam docet Coninck *in* 2.2. *diſp.*18. *dub.* 13. *num.* 213. & ita etiam docet de confectione veſtis ſacerdotalis, quia hæ actiones nõ ſolùm ratione cooperationis cum alterius mala actione ſed ex ſe prout in his circumſtantiis ſpectantur, cedũt in honorem falſi cultus, & ſunt implicita quædam huius profeſſio. Confirmatur primò, quia illa conficiens agit vt inſtrumentũ illius, qui petit ea fieri, & ex ipſius motione. quare cùm hic per illam actionem abſolutè colat idolum, & profiteatur ſuam falſam religionem; idem videtur dicendum de ipſius inſtrumento, ſiue de cõficiente illam veſtem, illúdve idolum. Confirmatur ſecundò; quia legimus multos olim ſculptores maluiſſe grauiſſima tormenta perpeti, quàm Imperatorum Gentilium idola ſculpere.

Non deſinam tamen hìc adnotare Caſtrum Palaum *tom.1.tract.6.diſp.6.punct.12. nu.7.* docere grauiſſimo metu excuſari poſſe ſi in tali caſu idolum ab artifice non expoſtulatur fieri in contemptum Religionis, neque ſcandalum adſit illud ita contemnere; nam fabricatio idoli intrinſecè mala non eſt, ſed ſæpè honeſtari poteſt; quod autem fiat ad petitionem illius, qui illo ad malum finem vſurus eſt, non conſtituit in fabricante malitiam; quia ipſe non famulatur petenti in illa mala intentione, ſed in re petita, & hoc ex metu, neque agit vt inſtrumentum mali operis, ſed operis in ſe indifferentis. ergo, &c. Et Adamus Tannerus *tom.3.diſp.1.quæſt.9. dub.5.num.* 144. tenet Chriſtianum magna egeſtate preſſum poſſe operas ſuas locare Iudæo in Synagoga ædificanda.

Nota etiam quòd nouiſſimè hanc quoque ſententiam docet Hurtado de Mendoza *in* 2.2.*diſp.*76. *ſect.*6.§.181. vbi ſic ait. De ſculptura aut pictura idoli eſt dubium, & quidem ea eſt licita, quando nec quæritur, nec timetur idololatria; cùm autem timetur, dico peccare contra Religionem qui eam præbet abſque vrgentiſſimo damno. Probatur tum ex lege charitatis, tũ quia omnis virtus obligat vt vitentur omnes occaſiones eam violandi, vt pono ex diſputatione de ſcandalo: ſi autem non poſſum ego non præbere idolum abſque graui damno proportionato, non pecco in eo dando. Ita auctores adducti cenſent vniuerſim, nullum teneri cum graui damno proportionato ad vitandum aliena damna, quia hæc actio nõ eſt cooperatio ad idololatriam, ſed eſt præuia materiæ oſtenſio, qua abutitur infidelis, idem dixerim de ædificio fanorum, niſi quod minor cauſa excuſat. quia vbi permittitur Iudæis ſynagoga, poſſunt opifices eam ſtruere. Ita Hurtado, & ſibi obiicit S. Thomam, qui ait, peccaturum hominem exercentem artem, cuius opere nullus poſſit niſi malè vti, vt qui idola efficeret. Syluester *ver.infidelitas, quæſt.*4. reſpondet loquutum S. Thomam de artifice volente ſuo opere compleri idololatriam aliorum: at Syluester fugit, non exponit S. Thomam diſcrimen adducentem inter artificem, cuius operibus nullus poteſt benè vti, & eum, cuius opere poſſumus & vti & abuti; at ſi hic ſecundus eo animo operaretur, etiam peccaret. ergo ſentit S. Thomas ſtructuram idoli eſſe intrinſecè malam.

Reſpondet verò Hurtado rectè id dictum à S. Thoma, quia qui ſe addicit illi arti, ipſe abſque neceſſitate ſe facit ſcandalum, cùm poſſet aliam artem exercere. Vnde hiſtriones grauiſſimè peccant, & ſunt per ſe (vt nunc hiſtrioniam exercent) in ſtatu peccati mortalis, quia nulla neceſſitate compulſi ſe addicunt arti, quam ſciunt eſſe laqueo infinitis ſpectatoribus, at non agit S. Thomas de eo, qui caſu cogitur ad efficiendum idolum, vt nunc non peccaret hiſtrio in agenda fabula Leandri ad vitandum graue damnum. Et hæc omnia dicta ſint ſecundùm mentem Hurtadi, & Caſtri Palai.

Nam, vt verum fatear, prima opinio magis mihi placet, quia, vt optimè aduertit Iacobus Granado *in* 2.2.*contr.*1. *tract.*15.*diſp.*12.*num.*6. licet fabricatio idoli, aut conſtructio Synagogæ ſi metaphyſicè conſiderentur, poſſint à malo fine præſcindi, moraliter tamen non poſſunt; nam idolum eſt quædam figura ſub tali ratione, aut cum talibus ſignis, quæ non niſi ad falſi Dei cultum ex inſtitutione Reipublicæ referuntur, & conſtructio Synagogæ non eſt ad aliud, quàm ad cæremonias Iudaicas. ergo qui talia conſtruit, aut vendit, non poteſt præſcindere intentione ſua malitiam ibi repertã. ergo per ſe cooperatur malo, ac proinde grauiter peccat. Et ſanè mens ipſa omnino diſſentaneum eſſe, apprehendit hominem aliquem intentum eſſe conſtruendis idolis; aut ex illorum venditione lucrum reportare: nec video quomodo non exhibeat aliquem cultum idolo, qui conſtruit, vt vendat Ethnico illud adoraturo. Et ita hanc ſententiam nouiſſime docet doctiſſimus Andreas Duuallius *in* 2.2.*D.Thomæ.tract.de fide quæſt.*7.*art.*9. *concl.*1. An verò ſi non poſſit fabricari idolum à Chriſtiano, poſſit tamen vendi, infrà dicendum erit.

RESOL. VII. *An liceat inuitare ad cœnam paratum frangere ieiunium?*

NEgatiuam ſententiam docet Turrian. *tom.*1. *in* 2.2. *diſp.* 93. *dub.*6. Vaſquez *opuſc.de ſcandalo quæſt.*43.*art.*1.*dub.*3.*num.*17. quia ex opinione affirmatiua ſequeretur licitum eſſe inuitare ad fornicationem, aut homicidium eum, qui paratus eſt aliàs fornicari, aut occidere, & reuera alibi fornicaturus eſt, aut occiſurus. Similiter etiam liceret hominem paratum non audire Miſſam die feſto inuitare ad ludum, & eo ludo ipſum detinere ne audiat Miſſam, dummodo nihil horũ fiat ex intentione ruinę proximi, ſed tantùm vt propriè ſatisfiat voluntati. nam ſicut ille, qui inuitat ad cœnandum

in

in hoc loco & tempore,inuitat ad actum cui coniungitur malitia hîc & nunc, aut ſaltem ſi non inuitat ad actum ſimpliciter,ſed vt fiat determinatus actus in hoc loco & tempore, & ideò non peccat, ex ſententia Caietani;eadem ratione licitum eſſet inuitare hominem paratum fornicari,aut occidere vt fornicetur in hoc loco, & cum hac muliere, & occidat hunc hominẽ in hoc loco, & hoc tempore,ſi aliũ occiſurus erat, vel cum alia fornicaturus. Si aliquis reſpondeat in hoc caſu, non tantùm hominem inuitari ad locum & tempus, ſed etiam ad coitum,quia ſignatur alia materia; idem omnino dicendũ eſt de eo,qui inuitat paratum ad cœnandum, quia dum ipſum inuitat,nõ ſolùm ſignat tẽpus & locum,ſed etiam aliam materiam cœnę.Secundò, quia reuera ab omnibus cenſetur homicida & irregularis quicumque hominem paratum occidere inuitat ad occidendũ in hoc loco & tempore, etiã eamdem perſonã,quam occiſurus erat, quia hoc ipſo quòd conſilio ſuo variatur tẽpus, & locus,variatur etiam ſubſtãtia homicidij; nã aliud homicidium eſt, quod hîc & nunc committitur, quàm homicidium quod alio loco & tẽpore committeretur, & in vniuerſum omnes cooperatores alicuius damni obligantur ad reſtitutionem, & rei ſunt peccati quotieſcumque cõſilio ſuo fuêre cauſa vt damnum quod aliàs inferendum erat,citiùs, aut velociùs,aut alio loco,aut alio modo committatur,quia variato quocumq; modo, variatur ſubſtantia operationis,& hæc eſt communis omnium DD.doctrina in materia de reſtitutione & irregularitate. Tertiò, ſi aliqua ratione excuſaretur qui inuitat aliàs paratum ad cœnandum, non minùs excuſaretur ſi aliàs cœnaturus eſſet,quàm ſi cœnaturus non eſſet.nam quotieſcumque aliquis excuſatur à cooperatione peccati alterius, ex eo tantũ excuſatur,quia ille aliàs paratus erat ad faciendum, etſi facturus non eſſet, vt videbimus. ergo eodem modo excuſaretur qui inuitat ad cœnandum,ſi inuitatus aliàs cœnaturus non erat ac ſi cœnaturus eſſet.Quartò,ratione à priori id probatur,quia ille, qui inuitat ad peccandũ, non ſemper ideò peccat, quia directè intendat ruinam proximi, ſed quia ſuadet aliquem actum tali loco & tempore,ex quo ſequitur malitia contra aliquod præceptum;ſed ex actu cœnæ,ad quem aliquis inuitatur tempore ieiunij, ſequitur malitia contra præceptum ieiunij. ergo non licet ad talem actum inuitare, inuitando autem ad cœnam, non tantùm inuitat ad circumſtantiam illius,hoc eſt,ad locũ,& tempus,ſed etiam ad ipſum actum. Et hanc opinionem docet etiam Baſilius Pontius *de matrim.lib.3. cap.*18.§.7. *num.*48. vbi ſic ait. Non licet inuitare ad cœnandum tempore ieiunii eum,qui paratus eſt cœnare, quia cum illo actu tali loco & tempore inſeparabiliter eſt coniuncta malitia.ergo,&c.

Verùm his non obſtantibus affirmatiuam ſententiam tenet Hurtado de Mendoza *in* 2.2.*diſp.*173. *ſect.* 12. §.154. vbi ſic ait. Homini parato ad actum malum illumque,vel alium ſimilem facturo, tametſi à me non inuitaretur,licet proponere occaſionem, qua illum faciat,& ab eo petere vt faciat,e.g. Antonius eſt violaturus legem ieiunij,de quo ego ſum moraliter certus, poſſum ex occaſione graui illum inuitare ad meam cœnam, ita tamen vt ipſi conſtet quid à me petit,non abſolutè,quaſi abſolutè velim ne ieiunet, ſed ex hypotheſi quòd ipſe velit non ieiunare,& quòd independenter à mea petitione eſt non ieiunaturus.Ita Caiet.2.2.*q.* 147.*art.* 4.*in fine.* quamuis autem ait de ſolo ieiunio, ratio communis eſt pluribus materiis. Ita ille.& ante illum Bonacina *de leg.diſp.*2.*q.*4.*punct.*2.*n.*35. Azorius *tom.*2.*lib.*12.*c.*18.*q.*4. & ratio eſt, quia poteſt occurrere honeſta cauſa illum inuitandi. Etenim illa inuitatio non eſt cauſa peccati interni,iam enim ponitur illud eſſe commiſſum. Neque eſt conditio ſine qua ieiunium non violaretur externè,iam enim ponitur illum alibi cœnaturum. Eſt igitur tantùm oblatio materiæ,quam ille poſſit eligere ex ſuppoſitione,quòd ſit abſolutè cœnaturus. Hæc oblatio non eſt ſimpliciter mala nec ex ſe; inuitatio enim ad cœnam ſecundùm ſe nulli opponitur legi.Conſilium autem vt cœnet apud me, non eſt abſolutum,ſed conditionatum;ad illud autem conſilium poſſum ego moueri honeſtè multis rationibus. Nam ſi nulla eſſet cauſa,erit peccatum eum hominem inuitare ad cœnam,etiam ſub conditione; at non eſt opus vt cauſa ſit multùm grauis. Sufficit enim,v.g. timere fracturum ieiunium alibi cœnaturum cibos noxios, vel ne inurbanus exiſtimetur, poſſum etenim in his & ſimilibus caſibus dicere, Si tu vis alibi cœnare, ego tibi dabo cœnam. Ad argumenta verò quæ ſuperiùs adduxit Vaſquez contra hanc ſententiam,ad omnia reſpondet Hurtado §.162 *& ſeq.* Dicendum eſt igitur abſolutè nõ licere aliquem inuitare ad illos actus, quantumuis aliquis ſit ad illos paratus,& hęc eſt doctrina communis ipſorum, etiã Caietani & Nauarri.At verò inuitatio cõditionata non poteſt ſemper eſſe damnata;quia ſi Antonius decreuit necare hodie Franciſcum, neque poſſum ego id impedire, poſſum conſulere Antonio, ne illum hodie, ſed cras occidat,ex ſuppoſitione,quòd illum ſit occiſurus, vt ea procraſtinatione conſulam vitæ Franciſci. Nec poteſt dici me fuiſſe cauſam vt citiùs occideretur Franciſcus. Item ſi decernit illum occidere in hoc loco,poſſum illi conſulere,vt illum occidat in alio diſtantiori, vt eo breui tempore protrahatur vita Franciſci,vt mutato loco per temporis dilationem, aut alias cauſas fortè fortuna Franciſco prouideatur. Teneor enim id conſulere ex ea ſuppoſitione. Item ſi Antonius velit illum occidere domi meæ, poſſum illi dicere, vt ſi illum es occiſurus, occidas extra domum. Item ſi Antonius eſt certus ire ad fornicandum cum femina illi conſenſura, niſi alia femina illi ſit præſtò,poſſum ego illi dicere, Si peccaturus es cum altera è duabus, pecca cum hac. quia licet ſit æquale peccatum cum alterutra, tamen poſſunt multæ ſuppetere cauſæ, quibus ego honeſtè poſſum & debeam id facere. Si enim alia femina ſit mihi affinis, aut mihi ſit turpis illius conſenſus, aut plura ego mala timeam ex peccato vnius, quàm ex alterius, aut Antonius iratus ad quærendã aliam ſit occidendus, cur ego non potero ei dicere,vt ſi peccaturus eſt cum altera è duabus, peccet cum hac. Idem dico de homicidio; ſi

enim

enim ille certus ſit occidere alterum è duobus, alter verò ſit meus amicus, aut conſanguineus, cur non potero dicere illi, Ne hunc occidas, ſed ſiquidem occiſurus es, occide hunc, & non alium. Si verò ille nõ decreuit occidere alterum è duobus, ſed tantùm vnum, nihil cogitans de alio, non poſſum ego repræſentare ſimul, & perſuadere alij de quo non cogitat.

Quid ego ſentiam in hac quæſtione dicam breuiter. Prima ſententia eſt probabilior, & illam præter DD. citatos *vbi ſuprà*, tenet Caſtrus Palaus *tom. 1. tr. 6. diſp. 6. punct. 9. nu. 4.* Suarez *de charitate, diſp. 10. ſect. 3. num. 2. & ſect. 4. n. 5.* & alij. Secundam ſententiam Hurtadi puto etiam probabilem eſſe & tutã in praxi; & ideò non rectè Vaſquez *vbi ſuprà* dixit carere probabilitate; & illam præter Hurtadum tenent Doctores, quos ego ipſe citaui, & ſecutus ſum *in 1. part. tract. 9. reſol. 38.* Vnde immeritò & parum religiosè Religioſus quidam olim contra me falſam hanc ſententiam vocauit, ad cuius audaciam compeſcendam, iterum hanc quæſtionem pertractare decreui.

Dixerunt etiam mihi eumdem Religioſum falſam vocaſſe aliam opinionem, quam ego olim probabilem eſſe dixi, nempe Confeſſarium accipientem plurium cõfeſſiones in peccato mortali, vnum tantùm peccatum mortale committere; & ideò etiam hîc adnotare viſum eſt mihi ſupradictã ſententiam, vt probabilem, non ſolùm docere Henriquez, Rodriquez, & Fagundez alibi à me citatos, ſed etiam Philippum de la Cruz *en ſu Norte de Confeſſores, tract. 1. §. 7.* vbi ſic ait: [El Confeſſor que en pecado cõfieſſa muchos, tampoco tendra obligacion à numerar los que ha confeſſado, ſino baſta que diga, que eſtando en aquel eſtado confeſsò, y adminiſtrò el ſacramẽto de la Penitencia: lo miſmo ſe ha de dezir, del que eſtando en mal eſtado da la Comunion, que fuera del pecado que haze en dezir Miſſa en deſgracia de Dios, no comete mas de otro pecado, aunque de la Comunion a infinitas perſonas: porque aunque parecen diſtintos actos, ſon ſolo vno ordenado à vn objecto: aſſi lo ſientẽ Enriquez y Manuel Rodriguez que ſe apartan de la opinion de Silueſtro, que afirma lo contrario; ni obſta el dezir que ſon diſtintos actos los que comete vno deſeando à muchas mugeres, o al cõtrario vna deſſeando muchos hombres, y tenga para cada vno ſu voluntad de ofender a Dios, ni el que aguarda a vna calle à muchos, y los va matando; pues eſte tantas quantas vezes mata, tantas injuſticias diſtintas haze, y la otra o otro que tiene voluntad de honeſta, y en mala parte; pues eſto no ſolo ſe ordena a la entidad, ſino tanbien a la malicia, ſiendo como ſon diſtintas.] Ita ille, licet probabiliter etiam alij contrarium aſſerant; quos Theologaſter, de quo loquimur, tantùm legerat.

Resol. VIII. *An ſine cauſa honeſta petendo pecuniam mutuam ab vſurario parato, ſit peccatum mortale?*

Esse peccatum mortale, docet Caſtrus Palaus *tom. 1. tract. 6. diſp. 6. punct. 10.* Pontius *de matrim. lib. 5. c. 18. n. 50.* Vaſquez *in opuſc. de ſcandalo, art. 8. n. 33.* Suarez *diſp. 10. ſect. 3. nu. 2. & 3.* Molina *tom. 2. tract. 2. diſp. 335. concl. 5.* & alij. Quia ſi ego ſine vllo, aut leui damno poſſum hîc & nunc vitare actionem turpem proximi, & efficere ne ille propter iniuſtitiam ſit ſubiectus reſtitutioni, charitas poſtulare videtur vt abſtineam ab ea petitione: ergo, &c. Quòd autem illa petitio non poſſit eſſe venialis, ſed mortalis, probat etiam Vaſquez, quia quando ex opere veniali ex ſe, vt ex mendacio leui ſine iuramento, vel ex opere ex ſe indifferenti, ſumitur occaſio peccati mortalis, illa actio quæ ex ſe eſt venialis, & indifferens, redditur mortalis ab hac circumſtantia ſcandali paſſiui mortalis: ergo, &c.

Ego verò cum Hurtado de Mendoza *in 2. 2. diſp. 173. ſect. 14. §. 176. & 177.* puto hanc ſententiam eſſe probabiliorem; ſed contrariam exiſtimo cum eodem Hurtado etiam probabilem eſſe, quia peccatum hoc fœneratoris eſſe ex pura malitia, peccatum autem ex malitia non eſt curandum: ergo. Secundò probatur, quia ille homo non exercitatur à petente mutuum, neque impellitur, iam enim ipſe ſe impulit ante illam petitionem mutui. Petitio autem non eſt de ſe cooperatio ad vſuram, quia vſura non petitur, nec offertur, ſed tantùm eſt mutui petitio, quæ de ſe non eſt cooperatio ad malum. Eò autem quòd hîc & nunc occaſionet peccatum in vſurario, non imputatur ad culpam ipſi petenti; nõ ſolùm quia petitio non eſt mala, neque habet ſpeciem mali, ſed quia id oritur ex inſigni, & deprauatiſſima malitia vſurarij. Vnde ſine ſcrupulo ſcandali poſſunt ab huiuſmodi hominibus mutuæ pecuniæ peti, etiam cum periculo fœnoris. Ratio item generalis eſt; quia vſurarius non ruit in id peccatum occaſione alterius, ſed iam ipſe aſſentit. Dico igitur probabiliter petitionem mutui eſſe tantùm peccatum veniale.

Notandum eſt tamen quòd ſtando in prima opinione, cauſa honeſta, petendi mutuum ab vſurario erit, quoties ego vel ad prouidendum meæ domui, aut alicui veræ meæ neceſſitati, vel alienæ, vel ad aliquod opus pium, vel etiam ad aliquem ludum publicum, à quo non poſſum niſi inhoneſtè abeſſe, vel ad aliquam actionem frequentem hominibus mihi æqualibus, quam vitare non poſſum ſine aliquo dedecore, vel etiam ad mercaturam honeſtè exercẽdam. Item quãdo quis aliqua paſſione graui concitatur ad ludum, vel quid ſimile, non tenetur lege charitatis abſtinere à petendo mutuo, quia cum tanta difficultate non tenetur vitare peccatum proximi ad illud iam parati, & ex deprauata malitia. Ita Hurtado *vbi ſuprà*, §. 178.

Sed quid dicendum ſi proximus non ex mera malitia, ſed ex vehementi paſſione auaritiæ exigit vſuras, an liceat in hoc caſu petere mutuum ſine honeſta cauſa? Negatiuè reſpondet Valent. *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 21. punct. 4.* & Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 3. cap. 8. num. 18.* quia tunc proximus eſt in maiori neceſſitate, & ideò tunc ſtrictiùs obligat præceptum charitatis de impediendo eo proximi peccato. Verùm contrarium, & meritò, docet Hurtado *loco cit.* quia omnis vſurarius peccat ex vehementi inclinatione in pecunias, neque auaritia eſt ex genere illarum paſſionum, quæ commouent animum excitatis humoribus, vt ira, triſtitia, &c. Cùm autem

ille

ille appetitus ſit diuturnus, oritur ex pura malitia illum non vincere. Ergo, &c. Vnde ex his omnibus remanent ſatis firmata ea, quæ docui *in* 1. *part. tract.* 8. *reſol.* 31. aduersùs quæ inſcienter ſcio aliquem olim arietaſſe.

Et tandem pro coronide huius reſolutionis non relinquam hîc quærere, an liceat petere ab vſurario mutuum ad vſuras expreſsè & formaliter, v.g. dicendo, Da mihi mutuum ad vſuras. Negatiuè reſpondet Baſil. Pontius *de matrim. lib.* 3. *cap.* 18. §. 7. *num.* 47. & Vaſquez *opuſc. de ſcandalo. art.* 8. *num.* 19. & alij, quos citat Sanchez *in ſum. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 26. quia non poteſt ab aliquo peti actus, qui non poteſt bene exerceri. Sed ipſe Sanchez *num.* 27. contrariam ſententiam docet, cui adde Valent. *vbi ſuprà*. Molinam *de Iuſt. tom.* 2. *diſp.* 335. *concl.* 5. Bannez *in* 2. 2 *quæſt.* 78. *art.* 4. *dub.* 2. *concl.* 2. hi enim aſſerunt poſſe mutuatarium dicere mutuanti, Da mihi mutuum ad vſuras, & ratio eſt, quia eius petitionis obiectum non eſt actio dantis mutuum ſub vſuris, quatenus ab eo procedit, hæc enim eſt intrinſecè mala; ſed obiectum illius petitionis eſt mutuum: quod autem dicit *ſub vſuris*, eſt permiſſiuè, & ita eſt ſenſus, Da mutuum, vel quia noui te non daturum niſi ſub vſuris, id permitto vt mihi conſulam. Vnde patet reſponſio ad argumentum pro ſententia Vaſquez nam in hoc caſu non petitur abſolutè aliquid malum, ſed permittitur & exponitur animus ſoluendi vſuras. Et ideo ego puto cum Suarez *de Relig. tom.* 2. *de iuramento, lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 9. hanc ſententiam eſſe probabilem.

Nota etiam contra Vaſquez *opuſc. de ſcandalo, art.* 8. *n.* 29. licitum eſſe non ſolùm, vt dictum eſt, petere vſuram ab homine parato, ſed etiam ab homine non exercente vſuras, licet cognoſcamus eſſe periculum vt eas ille velit; & ratio eſt, quia quod ego peto, poteſt fieri honeſtè, quod ſi malè fit, eſt ob ſolam malitiam alterius, quam ego cum graui damno non teneor vitare; tamen in hoc caſu deſideratur maior cauſa ad petendum mutuum, quã diximus requiri ab homine parato; & ego puto cum Hurtado *in* 2. 2. *diſp.* 173. *ſect.* 14. §. 284. cauſam ſufficientem in hoc caſu eſſe, non ſolùm ſi pertineat ad vtilitatem conſeruandi, aut augendi ſtatum, ſed etiam ad exercenda torneamenta, vel alias actiones, quas ſine dedecore omittere quis non poteſt; at verò ob ſolum ludum, aut voluptatem non licet petere. Et in hoc caſu licitum etiam eſſe petere mutuum ab imparato expreſsè ſub vſura in ſenſu propoſito, & explicato modo quo ſuprà tradit idem Hurtado §. 185. & Sanchez *in ſumma tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 30. quia illa petitio non eſt abſoluta, ſed conditionata tantùm, & magis eſt explicatio voluntatis paratæ ad vſuram reddendam, quam ad eam exigendam inducentis.

RESOL. IX. *An liceat petere iuramentum ab aliquo, quando timeo illum falsò iuraturum?*

NEgatiuam ſententiam ex D. Thom. docet nouiſſimè Syluius, inſignis eius Commentator, *in* 2. 2. *q.* 98. *art.* 4. *concl.* 2. vbi ſic ait. Qui ſcit, vel opinatur alium eſſe peieraturum, & tamen ab eo exigit, vel etiam à parato recipit iuramentum, graui-

ter peccat, quia in tali exceptione iuramenti nihil boni eſt, ſed dumtaxat veritas per eiuſmodi iuramentum euertitur, vel obſcuratur. Hinc Auguſt. *ſerm.* 11. inter Pariſienſes, qui eſt 2. *de decoll. S. Ioan.* Scribite in cordibus veſtris quod dico. Ille, qui hominem prouocauit ad iurationem, & ſcit falſum eſſe iuramentum, vincit homicidam, quoniam homicida corpus occiſurus eſt, ille animam. Et exemplum refert cuiuſdam ciuis Hipponenſis, alioquin boni, extraordinariè adeò puniti, quòd ne rem ſibi debitam perderet, iuramentum à peieraturo exegiſſet. Si dicas, ipſemet ſe interficit, qui falſum iurat, non ille, qui iuſiurandum exigit. Reſpondet Auguſt. *ſerm.* 28. *de verb. Apoſt. cap.* 10. Ille ſuo periurio ſe perimit, ſed iſte manum interficientis expreſſit, & preſſit. Neque iuuat reſpondere quòd qui paratus eſt peierare, iam ſe peremerit priuſquam re ipſa peteret; nam ſæpe voluntatem peierandi non habent homines, ſed eam concipiunt interim, dum vrgentur ad iurandum; & vt haberent, talis iuramenti exactor, vel etiam receptor cauſa eſt vt ipſo externo opere periurij nomen Dei polluatur. Si dicat ſua intereſſe vt à tali homine iuramentum accipiat, ex dicto *ſerm.* 11. Auguſt. reſponſionem audiat. Nonne melius erat vt rem tuam, quam exigebas, perderes, quàm hominis iſtius animam falſa iuratione perimeres? Adde quòd nec ea via rem ſuam ſit recuperaturus, ponitur enim quòd debitor ſit cum periurio debitum negaturus. Neque quempiam moueat, Auguſtinum non videri locutum de recipiente iuramentum à peieraturo, ſed de exigente. Ex decurſu enim ſermonis colligi poteſt eamdem vtriuſque eſſe rationem, quia ſcilicet nulli iuſto vſui deſeruit eiuſmodi iuramentum, ac proinde non ſubeſt cauſa rationabilis illud recipiendi. Cenſetur autem aliquis ſcire quòd alius ſit peieraturus, ſi vidit eum hoc, aut illud facientem, & tamen is vult iurare, quod non fecerit. Item ſi certus eſt ipſum ſibi debere, ac eum hoc non ignorare, & tamen is iurare vult, quod non debeat; opinari verò ſi ſatis nouit eum nihili facere iuramentum, aliàs peieraſſe eſſe malæ conſcientiæ. Hæc omnia Syluius. Cuius ſententam etiam ex veteribus ſequuti ſunt Bonauentura, Richardus, Turrecremata, & alij penes Suarez *vbi infrà*, quibus adde Sotum *de Iuſt. lib.* 8. *quæſt.* 2. *art.* 14. & Vaſquez *opuſc. de ſcandalo, quæſt.* 43. *art.* 8. *dub.* .. Et tandem hanc ſententiam tenet Baſilius Pontius *de matrim. lib.* 5. *cap.* 18. §. 8. *num.* 57.

Sed meritò Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *de iuramento, cap.* 15. *num.* 10. contrariam ſententiam docet, dummodo non petatur vt reus iuret falſum; ſecundò vt adſit iuſta cauſa petendi iuramentum, vt neceſſitas aliqua, aut vtilitas, ad quam habet ius. & ita hanc ſententiam præter Suarez tuetur etiam Hurtado de Mendoza *in* 2. 2. *diſp.* 173. *ſect.* 15. §. 197. quia adeſt vtilitas & honeſta cauſa ad petendum iuramentum, quod enim petitur, poteſt fieri bene & malè à iuraturo. poteſt enim iurare verum, quòd ſi falſum iurat, eſt propter ſolam malitiam, à qua ego non teneor abſtinere cum graui damno. Eſſe iuſtam cauſam & vtilem probo, quia mea intereſt vt ille iuridicè, vt aiunt, ſubſtantietur proceſſus.

Confirmatur primum, quia homines arriperent anſam ad furta & alia crimina, ſi intelligerent non licere actoribus petere iuramentum à falsò iuraturis. Confirmatur ſecundò, quia iudex non poſſet licitè exigere iuramentum in ea occaſione, etiam id petente actore, ſi enim huius petitio eſt intrinſecè mala, non poteſt iudex illi acquieſcere. S. Auguſtinum apertè explanat Suarez proprijs ipſius verbis. S. Thomam & alios explicat de petito iuramento ſine neceſſitate, & quidem, vt ego non teneor abſtinere à petitione iuramenti irreligiosè præſtandi ab Ethnico, quia irreligiosè præſtatur, propter ſolam eius malitiam, ita non teneor abſtinere à iuramento aliunde vitiando. Ita Hurtado & ego.

RESOL. X. *An liceat perſuadere alicui vt iuret obiectum quidem verum, ſed quod ille ignorat?*

CAſus poteſt frequenter accidere, & ad illum reſpondet Hurtado de Mendoza *in* 2. 2. *diſp.* 173. *ſect.* 15. §. 200. non licere niſi iuraturus ſibi perſuadeat priùs rem ita eſſe probabili fundamento, ex quo poſſit formari dictamen practicum de honeſtate iuramenti. quia iurare ſine eo dictamine eſt peccatum mortale. ergo inducere ad tale iuramentum eſt dare grauis occaſionem ruinæ, ob quod eſt peccatum mortale ſcandali. Si verò priùs perſuadeamus homini veritatem, ita vt ille efformet dictamen practicum de honeſtate iuramenti, licitum eſt illud petere, quia petimus rem licitam. At ille non eſt iuraturus rem aliter quàm ſcit. e. g. Scholaſticus vult probare curſum, ad quod eget duobus teſtibus, adhibet duos amicos, qui illum non viderunt intereſſe lectionibus, at ſatis ſibi perſuadent illum interfuiſſe, poſſunt iurare illum interfuiſſe, at non poſſunt iurare ſe id vidiſſe. Ad primum enim habent ſufficientem cognitionem (vt pono ex caſu;) ſecundum autem illis conſtat eſſe falſum. Item interrogatur aliquis de nobilitate Antonij, docetur ab ipſo Antonio fundamenta facientia fidem de illius nobilitate, quia vel adducit ſenes, homines quidè frugi & gnaros, vel oſtendit antiquitatis inſtrumenta, & monumenta vetuſta, quibus prudenter creditur rem ita eſſe. Poſſumus licitè iurare Antonium eſſe nobilem, quia ad id aſſerendum ſatis eſt prudens perſuaſio ſine vlla ratione probabiliter dubitandi. Hæc omnia Hurtado, valde menti tenenda, quia noua, & in alijs Doctoribus minimè obuia.

RESOL. XI. *An qui ſine cauſa deponit pecunias penes vſurarium, teneatur reſtituere vſuras, quas mutuans accepit ex illa pecunia mutuata?*

AFfirmatiuè reſpondet Baſilius Pontius *de matrim. lib.* 5 *cap.* 18. §. 4. *num.* 23. vbi ſic ait. Quoties damnum proximi ſequitur contra iuſtitiam, teneor ceſſare à meo opere, aliàs & mihi imputabitur peccatum, & tenebor etiam ad reſtitutionem damni alterius. v. g. deponit quis pecunias apud nummularium, ſiue paratum meis pecunijs fœnerari, ſiue non paratum, ſumpturum tamen occaſionem ex eo depoſito; vel arma bellica apud furioſum, vel puluerem bellicum apud hoſtes, imputabitur peccatum eius apud quem depono, ſi ille reuera meo depoſito damnum infert, aut fœneratur meis pecunijs, vel ſimpliciter, vel aliqua ex parte, & præterea teneor ad reſtitutionem vſuratum, & damni illati proximo. Ita docet Soto *lib.* 6 *de Iuſt. quæſt.* 1. *art.* 1. *in fine.* Nauarr. *in ſumma, c.* 14. *n.* 30. *illatione* 12. & S. Thom. *quæſt.* 3. *de malo, art.* 14. *ad* 18. Huius ratio eſt, quia ille reuera reus eſt eius peccati. Quare non rectè Caietan. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 4. docuit eum, qui deponit pecunias apud nummularium, quem ſcit pecunia illa fœneraturum eſſe, ſolùm peccare contra iuſtitiam, & præterea contingere poteſt vt peccato prodigalitatis non peccet, ſi nummularius fidelis depoſitarius ſit, & ſuo tempore reddat, vt eſſe ſolet. Ita Pontius, & hanc ſententiam docuiſſe etiam Vaſquez teſtatur Caſtrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 6. *diſp.* 6. *punct.* 13. *num.* 1.

Sed ipſe, & meritò, contrariam ſententiam tenet, quam etiam tuetur Bannez *in* 2. 2. *quæſt.* 78 *art.* 4. *dub.* 4. Molina *de Iuſt. tom.* 2. *tract.* 2. *diſp.* 331. quos ſequitur Hurtado de Mendoza *in* 2. 2. *diſp.* 173. *ſect.* 14. §. 181. vbi quærens, an ſit peccatum ſcandali deponere pecuniam apud vſurarium ea ad vſuras abuſurum; reſpondet ſi pecuniæ deponantur cuſtodiæ cauſa, quia alioquin periclitantur, aut alibi non poſſunt ſine graui incommodo cuſtodiri, nullum eſt peccatum eas pecunias deponere apud abuſurum eis ad vſuram, ſiue aliàs habeat, ſiue non. Si autem ſine occaſione eas depoſuit, peccat quidem contra charitatem grauiter, quia vſurario præbet occaſionem peccati grauis, at non peccat contra iuſtitiam, neque reſtituere tenetur vſuras ab alio partas, quia non tenetur ex iuſtitia abſtinere ab actionibus, quæ ex ſe non ſunt illatiuæ mali. Ita ille, & ego. Dura enim eſt obligatio, quam imponit Pontius, & Vaſquez, & depoſita pecunia certè eſt cauſa nimis remota fœnoris, indiget enim voluntate fœneratoris, & voluntate fœnus concedentis.

Non deſinam hic obiter adnotare Caietanum, Bañez, Aragon & alios penes Sanchez *in ſum. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 7. *n.* 3. nullam cauſam in deponente pecunias apud vſurarium expoſtulare; quia hæc pecuniarum depoſitio non videtur vſurarũ cauſa, ſicut nec locatio domus; & hanc ſententiã probabilem putat Caſtrus Palaus *vbi ſuprà*, nam contrariam, quam ipſe cum Sanchez, Rebellio, Valentia, & alijs tenet, vocat tantùm probabiliorem.

RESOL. XII. *An liceat ſine ſcandalo ſoluere vſuras?*

REſpondet Valentia *tom.* 3. *diſp.* 21. *quæſt.* 11. *punct.* 4. quòd ſi quis peccauit petendo mutuũ, peccat etiam ſoluendo vſuras, & poſſet quis pro hac ſententia rationem hanc adducere, quia qui dat proximam materiam alteri ad peccandum, in hoc ipſe peccat; vt ſi quis dederit vinum ebrio, vel depoſuerit virginem apud luxurioſum; ſed qui ſoluit vſuras, dat proximam materiam vſurario ad peccandum. ergo peccat; neque ſatis eſt dicere vſurarium eſſe paratum, quoniam etiamſi aliquis ſit paratus inebriari, peccat qui dat illi vinum, & ita hanc ſententiam exiſtimat eſſe veram Hurtado de Mendoza *in* 2. 2. *diſput.* 173. *ſect.* 14. §. 182. in caſu,

casu, quo sine vllo incommodo id posset præteriri; sed addit id rarò contingere posse, quia mutuatarius censebitur ab vsurario deparcus & illusor, & erunt iurgia inter illos, item occludet viam inueniendi iterum ad vsuram.

His tamen non obstantibus ego affirmatiuæ sententiæ adhæreo, quam tenet Basilius Pontius *de matrim. lib. 5. cap. 18. §. 7. n. 53.* vbi sic asserit. Mihi, absolutè loquendo, & secluſa aliqua praua intentione, solumque spectata vsuratum solutione, videtur nullum in ea inueniri peccatum. Idque manifestè conuincitur argumento desumpto ex *c. debitores, de iureiurand.* Iuramentum de re illicita non est seruādū, cùm iura & ratio clament, iuramentū non esse vinculum iniquitatis. At iuramentum de soluendis vsuris est obligatorium, & adimplendum, ex dicto *cap. debitores*, ergo non est peccatum in soluendis vsuris, aliàs non ligaret eiusmodi iuramentum, imò peccatum esset adimplere. Ad argumentum pro contraria sententia allatum respondetur, eum, qui soluit vsuras, non offerre materiam proximam peccati, si rectè inspiciatur, in quo differt valde ab eo, qui offert vinum, vel deponit virginem, sed extorquentur ab eo pecuniæ. Quare non agit, sed patitur iniustitiam; pati autem iniustitiam nullum omnino peccatum est. Quòd autem ille reuera non offerat, sed tantùm patiatur, ex eo colligi potest, quia sæpe potest contingere vt cogatur soluere, vt si interuenerit instrumentū de contractu, & iuratum, vt dictum est. Ergo signum est hunc non offerre materiam, sed pati iniustitiam. Ita Pontius. Sed circa præsentem quæstionem ne deseras videre Sanch. *in sum. tom. 1. lib. 3. c. 11. n. 3. & seq.*

RESOL. XIII. *An famuli ministrantes dominis carnes in die ieiunij, vel cibaria in refectiuncula, peccent peccato scandali?*

AFfirmatiuè respondet Basilius Pontius *de matrim. lib. 3. cap. 18. §. 7. num. 48.* vbi sic ait. Hinc constat quomodo peccent famuli ministrantes cœnantibus eo tempore. Si enim cibaria quæ ministrantur à famulis, sunt prohibita simpliciter eo tempore, quales sunt carnes tempore ieiunij quibus domini non possunt benè, vel malè vti, sed necessariò malè vescuntur, in eo casu licitum non est famulis huiusmodi carnes ministrare, quia reuera cooperantur peccato. Si tamen cibaria talia sint, quibus domini ea hora & tempore benè, vel malè vesci possint, licitum est famulis ministrare, etiamsi sciant dominos peccaturos in vsu illorum ciborum. Ex quo magis in speciali colliges, sicut die ieiunij carnes ministrare, quia illarum non potest esse bonus vsus, peccatum famulorum est; ita etiam nocte diei ieiunij hora refectiunculæ ministrare cibaria, quorum rectus vsus in ea refectiuncula esse non potest, peccatum erit, propter eamdē rationem. Idem dicendum si extra horas, in quibus eo die vsus ciborum esse potest, cibaria ministret, cooperatur enim violationi præcepti. Ita Pontius. Alij verò contrariū docent, quia hoc non est cooperari ad peccatum alterius, sed ad substantiam solam illius actus, nimirum vt cœna est comestio quædam ad nutritionem & sustentationem hominis. Item quia opus illud solum est officium, quod præstare solet seruus, vel famulus domino. Igitur in casibus supradictis famuli funguntur suo munere, quod alijs diebus & temporibus obire consueuerunt, & tantùm deseruiunt comestioni, quatenus naturam nutrit, & non quatenus ieiunium soluit. Et ita docet Alphonsus de Leone *de officio Confess. tom. 1. recollect. 14. num. 65.* Bonacina *in Decal. disp. 2. quæst. 4. punct. 2. §. vnico, n. 38.* Caietanus *in 2. 2. quæst. 147. art. 4. in fine.* Azorius *tom. 2. lib. 12. cap. vlt quæs. 5.* & alij. Sed à prima sententia non discedit Turrianus *in 2. 2. tom. 1. disp. 95. dub. 6.* vbi sic ait. Disputat Caietanus de famulis qui ministrant dominis suis tempore ieiunij, an excusentur à peccato. Docent autem excusari, quia non cooperantur intemperantiæ dominorum ex voluntate violandi ieiunium. Hæc tamen doctrina mihi non probatur, & ratio non est efficax, quia violatio præcepti non ex eo tantùm imputatur quòd quis directè intendat malitiā illius, sed quia concurrit ad actionem, ex qua sequitur necessariò malitia; hæc enim regula obseruatur in qualibet cooperatione cuiuslibet alterius materiæ. In præsenti autem casu cōsiderandum est, an cibaria quæ ministrantur à famulis, sint prohibita simpliciter eo tēpore, si enim tales sint, non est licitum illis ea ministrare, tunc enim planè cooperarentur peccato intemperantiæ, & scandalum esset actiuum ministrare materiam peccati contra præceptū. Si verò cibaria talia sint, quibus domini benè, vel malè vti possint, poterunt famuli ea ministrare. Ita Turrianus. Vide etiam Molfesium *in summa, tom. 1. tract. 8. cap. 10. num. 59.*

RESOL. XIV. *An sit licitum inducere Petrum ad iurandum de aliqua re, quam ipse ex ignorantia veram esse putat, licet reuera falsa sit?*

VT, v.g. si possit aliquis in Academia petere ab alio vt sub iuramento affirmet petentem audiuisse lectiones per maiorē anni partem, & tamen qui petit, scit illud esse falsum, & alter à quo petitur deceptus, putat esse verum. Negatiuā sententiam docet Azorius *tom. 1. lib. 10. cap. 11. quæs. 2. §. quares,* & Suarez *de Relig. tom. 3. lib. 3. de iuramento. c. 14. num. 8* & videtur etiam docere Basilius Pontius *de matrimon. lib. 5. c. 18. n. 59.* quia nullus potest inducere aliquem ad actum, quem scit esse peccatum, etiamsi inductus facturus sit illud ex ignorantia. Sine controuersia enim est non esse licitum inducere aliquem in fornicationem, etiamsi ille commissurus sit fornicationem ex ignorantia, putans non esse peccatum, aut fortasse esse rem suam, quę aliena est. Præceptum enim quo quis prohibetur tale peccatum committere, etiam obligat ad vitandum tale peccatum in altero, id est, ad non inducendum illum ad actum, quem inducens scit esse peccatum. Ita Pontius *vbi suprà.*

Sed ego puto contrariam sententiam esse probabilem, vt illam etiam vocat, & tuetur Hurtado de Mendoza *in 2. 2. disp. 173. sect. 16. §. 199.* quia peccatum illud non est scandalum actiuum, quia neque formaliter, neque materialiter occasionat proximo ruinam: non formaliter, quia non vult vt alter peccando ruat: non materialiter, quia non petit

materiam hîc & nunc malam, ſed potiùs hîc & nunc bonã, quia actus petitus orietur hîc & nunc à Religione. ergo illa petitio non eſt ſcandalum paſſiuum. Confirmatur, quia quando noſtrum peccatum præuidetur, nullum damnum ſpirituale illaturum proximo, non habet circumſtantiam ſcandali: ergo hæc petitio non habet circumſtantiam ſcandali. Neque item eſt peccatum contra Religionem, quia Deo nulla irrogatur iniuria, ego enim peto ab amico actionem, quæ eſt in honorem Dei, iurare enim quod inculpatè apprehendimus eſſe verum, eſt actus Religionis, ego verò illum actum peto, & non alium. Quòd autem ego ſciam obiectum illud eſſe falſum, nihil intereſt, quia ego id obiectum nõ iuro, neque volo vt alius iuret, quod ſcit eſſe falſum; tota igitur iniuria Dei eſſet in iuramento falſo: at iuramentum illud non eſt moraliter falſum, ſed verum, ergo in illo nulla eſt iniuria Dei, ſed honor. Ignorantia autem inuincibilis multum intereſt huius inſtituti, quia illa reddit iuramentum honeſtum, ob quod & meam petitionẽ honeſtat. Hinc ad argumentum reſponderi poſſet, prouocare aliquem ad iurandum cognitum vt falſum eſſe contra Religionem, non verò prouocare ad iurandum falſum cognitum vt verum. His difficilis redditur ea opinio ob quam oppoſita eſt probabilis. Neque verò teneor ego illum hominem veritatem docere, quia ſi cum graui meo damno non teneor ego illius vitare peccatum, multò minùs teneor vitare ignorantiam, quæ non eſt peccatum. & hæc omnia docet etiam Hurtado *loco cit.*

RESOL. XV. *An poſsim petere à ſaga, quæ ſcit licitè & illicitè ſoluere maleficium, vt illud ſoluat?*

NEgatiuè reſpondet Caietanus *in opuſc. tom. 2. tr. 12. de maleficio, quæſt. vn. in fine corp.* & Delrius *in diſquiſ. Mag. lib. 6. c. 2. ſect. 5. q. 2. ver. Dico quartò.* Sed mihi placet contraria ſententia, quia quod ego peto, poteſt ab illa fieri bene & malè, præmotus vrgenti neceſſitate & occaſione, ad id petendum; ſcandalum autem paſſiuum accipit ſaga ex ſola malitia, quia mea petitio nec eſt mala, neque habet ſpeciem mali, ſed potiùs eſt bona; ſed cum graui incommodo proprio & alieno non teneor ego abſtinere ab opere, cuius occaſione alius ex malitia peccat. & quidem eadẽ eſt ratio de petitione mutui, iuramenti, &c. ergo, &c. & ita hanc ſententiam docet Hurtado de Mendoza *in 2. 2. diſp. 173. ſect. 16. §. 205.* Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 2. de ſuperſtition. c. 18. n. 9.* Leſſius *lib. 2 cap. 44 dub. 6. n. 46.* Filliucius *tom. 2. q. 5. punct. 5. n. 8.* & Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 95. n. 11.* vbi ſic ait. Exiſtimo licitum eſſe petere ab eo malefico abſolutè vt maleficium ſoluat, quamuis cõſtet petenti fore vt medio illicito vtatur. Ducor, quòd omnes fateantur licitum eſſe petere ab vſurario mutuum & ab infideli iuramentum, quando petẽs eis indiget, quamuis exploratum illi petenti ſit fore vt ille ſub vſuris mutuet, & hic iuret per falſos Deos. nec oportet illis explicare vt modo licito faciant, & nulli alij rationi innituntur, niſi vtrumque poſſe vti modo licito, ac culpa ſua illicito vti. Quæ ratio prorſus militat in caſu noſtro, nam petitur à malefico ſolutio maleficij, quam poteſt medio licito facere, nempe auferendo ſignum, quod ſi alio maleficio faciat, ſibi tribuendũ eſt. ergo vel illi caſus negandi ſunt contra omnium mentem, vel hic concedendus. Secundò, quia rationes Caietani nõ vrgent. Non enim petitur opus vagè à malefico, ſed determinatum, nempe vt maleficium ſoluat, quamuis modus operandi vagè petatur. quod idẽ prorſus reperitur in repetitione illa mutui ab vſurario, & iuramenti ab infideli. nec petitur à malefico vt maleficus eſt, quo pacto peteretur miniſterium artis maleficæ, ſed petitur ab illo in quantum poteſt licitè maleficium auferre. Sicut petens à Iudæo publicè vſurarij mutus obeunti, non petit ab eo mutuum, quatenus poteſt licitè mutuare. Imò ſicut petens mutuum ab vſurario, & iuramentum ab infideli poteſt recipere acceptata conditione dandi ſub vſuris, & iurandi per idola, nec apparet cooperatio aliqua, ſed ſolus vſus peccati alterius, qui culpa ſua prauè facit, quod vniuerſi fatentur. Ita ſi maleficus nollet ſoluere modo licito maleficium, vti nouit, poteſt acceptari vt maleficio ſoluat. Nec petenti tribuetur culpæ; vtpote qui minimè cooperatur peccato alterius, ſed eo vtitur, vt propriæ ſaluti conſulat. Ita Sanch. qui bene *ibidẽ n. 15. & 16.* monet non eſſe licitum indifferenter petere ſolutionem maleficij, quando petendo modo licito non vteretur, ſed modo illicito, & quando maleficus vellet applicare aliquam medicinam vanam.

RESOL. XVI. *An ſine ſcandali peccato poſſum redimere vexationem iniuſtam in adminiſtratione Sacramentorum prabendo pecunias?*

NEgatiuè reſpondet D. Thom. *in 4. diſt. 5. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 5 ad 2.* Paludanus *q. 3. n. 17.* Marſilius *q. 4. art. 4. dub. 14.* Scotus *diſt. 15. q. 2. ad 2.* Gabriel *ibidẽ q. vn. art. 2. poſt. 2. concl.* Alexander de Ales *2. p. q. 187. n. 3. art. 3. §. 1.* & alij penes Vaſquez *opuſc. de ſcandalo, q. 43. art. 8. dub. vlt. n. 59.* aſſerentes non eſſe licitum pecuniam offerre; vt adminiſtrans ſacramentũ Baptiſmi exiſtenti in extrema neceſſitate; quia emere Sacramentum intrinſecè malum eſt, ac proinde ex nulla circumſtantia etiã ſuccurrendi extremæ neceſſitati licitè fieri poteſt. Et vrgetur magis argumentum, quia in hac oblatione pecuniæ non tantùm ſcandalizatur frater accipiens illam, ſed etiam eſt peccatum ſimoniæ, quia in ipſa oblatione pecuniæ emitur Sacramentum, quod tam ſimoniacum eſt, quàm ipſum vendere.

Verùm his non obſtantibus, ego puto poſſe licitè offerre pecuniam Sacerdoti nolenti moribundum infantem baptizare ſine pretio, imò ſi alia ratione nõ poteſt illi perſuaderi adminiſtratio Sacramenti, niſi pecunia oblata, adeſt obligatio illam offerendi. Et ratio eſt, quia id non eſt ſcandalum, quia ego rem peto quæ poteſt fieri bene & malè, occaſionem autem non do ad peccandum ex infirmitate, aut ignorantia, ſed ex pura malitia, quam ego non teneor vitare cum tanto meo incõmodo, aut alieno, vt de vſurario dictũ eſt; neque item pecco contra Religionem, quia ego vel conſulo minus malum, quod in nullo euentu eſt illicitum, neque contra virtutem vllam, quando grauius non poteſt alia ratione vitari; vel quia ego non æſtimo Sacramentum

mentũ pecunia, neque illã do pro Sacramento, ſed præcisè volo allicere voluntatem iniqui miniſtri vt velit mihi conferre Sacramentum. Cùm autem illa oblatio non ſit abſoluta, ſed tantùm conditionalis, nempe ex ſuppoſitione quòd ille aliter nolit, non poſſum ego dici illum inducere: ergo illa actio non æſtimat Sacramentum pecunia, ſed tantùm vult allicere pecunia voluntatem miniſtri, vt me Sacramento tingat, aut ſoluat peccatis, quæ Sacramenta ego cenſeo non æſtimari pecunia, neque pro illis eam do, ſed pro ſola voluntate Miniſtri.

Quòd autem in tali caſu non ſolùm licitum ſit offerre pecuniam, vt probatum eſt, ſed deberi, patet, nam ex oblatione pecuniæ nullum ſequitur incommodum, ex ea negata ſequitur tantum incõmodum, vt ego illud tenear vitare, etiam cum vitæ diſcrimine, quia eo ipſo quòd aſſentiens opinioni probabili offeram pecuniam, ſum immunis peccato ſcandali & ſimoniæ, quia illa opinio probabilis me excuſat. Oblata autem ea pecunia infantem eripio ab æterna damnatione; negata autem pecunia infans relinquitur damnandus æternùm, ergo teneor hoc incommodum euitare, ſi quidem ſine incommodo poſſum: lex enim charitatis me obligat, quoties ſine incommodo poſſum. Et hanc opinionem ex D. Bonauentura *in 4. diſt. 5. art. 2. q. 1. in fine*, docet Hurtado de Mendoza *in 2. 2. diſp. 173. ſect. 17. §. 111. & ſeq.* quibus adde Baſilium Pontium *de matrim. lib. 5. cap. 18. §. 6. num. 32.* Leſſium *lib. 2. cap. 35. num. 38. & 39.* Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 4. de ſimonia, cap. 12. num. 13.* Vaſquez *opuſc. de ſcandalo art. 8. num. 59.* & alios.

Vnde ex his apparet poſſe adultum offerre pecuniam Sacerdoti vt illi adminiſtret ſacramentum Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ, quia petit rem poſſibilem fieri bene, quæ ſi malè fit, eſt propter malitiam Miniſtri, quam ego non teneor vitare cum graui meo incommodo, neque item Sacramentum emo, neque æſtimo pecunia, ſed tantùm illa oblata allicio voluntatem Miniſtri. Et quidem durum eſt hominem cogere, vt moriatur cum tanto diſcrimine ſalutis æternæ, eſt enim maximè incertum vtrùm exerceamus contritionem perfectam, quæ in hominibus flagitioſis eſt frequenter maximè difficilis; attritio verò eſt multò facilior, vt maximi momenti eſt nihil occaſionis prætermittere ad ſecuritatem ſalutis æternæ. ergo, &c.

Notandum eſt tamen hic pro curioſis, quòd licet Suarez hanc doctrinam admittat tantùm in grauiſſima neceſſitate, tamen Hurtado *vbi ſuprà. §. 214.* illam admittit etiam in quacumque graui neceſſitate, quia vbi eſt grauis neceſſitas, excuſamur à vitanda occaſione ſcandali aliorum ex malitia; item illa actio non eſt emptio Sacramentorum, ab illa autem externa donatione excuſamur neceſſitatis grauitate, ob quam non committitur ſimonia. Vnde quoties obligat præceptum annuæ confeſſionis & communionis Euchariſticæ, poſſumus offerre pecuniam vt alliciamus voluntatem Miniſtri eorum Sacramentorum. Item ad accipiendum viaticum, & extremam Vnctionem: quamuis enim illa Sacramenta non ſint neceſſaria ad ſalutem, ſunt tamen vtiliſſima, illiſque carere eſt grauiſſima calamitas. Item quoties aliquis eſt in peccato mortali, poteſt pecuniam offerre Sacerdoti vt illum abſoluat, ſi ea die non ſit habiturus alium, à quo abſoluatur ſine pecunia, eſt enim gratiſſima neceſſitas, quia eſt grauiſſimum malũ ire cubitum in peccato mortali. multi enim ſani cubant, neque viui ſurgunt è lecto. Item ſi Sacerdos priuaret aliquem frequenti vſu Sacramentorum & Miſſæ ſacrificio, liceret tunc illum pecunijs allicere, quia eſt grauiſſimum malum Sacramentorum ſubſidijs carere. Item quoties aggredimur iter longum carituri Sacerdotibus. Imò quoties obligat præceptũ Eccleſiaſticum de audiendo Sacro, eſt enim grauiſſima neceſſitas obſeruandi leges Eccleſiæ. Si verò quis ſit excommunicatus, & ei à Sacerdote negetur iniuſtè, neque poſſit ſine graui incommodo ſpirituali, aut temporali differri, poteſt ea vexatio redimi. Denique id licitum eſt in omni graui neceſſitate. Hæc omnia Hurtado *loco citato*. Verùm, quia non vult eſſe harũ opinionũ primus author, ideo relinquit illas tempori maturandas, vt facio etiam ego.

RESOL. XVII. *An ſit licita redemptio vexationis, ſi quis offerat pecuniam Electori qui vult eligere indignum, vel minùs dignum, niſi pecuniam à digniore accipiat?*

NEgatiuam ſententiam alibi docui cum Moſcoſo & Villalobos, quibus nunc addo Leſſiũ *lib. 2. c. 35. n. 106.* Suar. *de Relig. lib. 4. de ſimonia cap. 50. n. 28.* & alios, quia, vt patet ex D. Thom. *in 2. 2. quæſt. 100. art. 2. ad 5.* hac ratione per pecuniam muniretur via ad acquirendum aliquid ſpirituale, quod eſt apertè ſimonia. hoc etiam probatur ex *cap. de hoc, cap. ſicut tuis, cap. Matthæus, de ſimonia.*

Sed contrariam ſententiam reſpondens ad iſtos Canones docet nouiſſimè Hurtado de Mendoza *in 2. 2 diſp. 173. ſect. 17. §. 234. vſque ad §. 237.* & ad rationem ex D. Thom. adductam reſpondet, in hoc caſu non muniri viam directè ad ſpirituale acquirendum, ſed præcisè ad conſtituendum iudicem in animi æqualitate debita ſingulis, nempe vt velit illum eligere, quem iudicat non poſſe ſine peccato præterire. Itaque cum oblatione pecuniæ remouetur affectus ille iniuſtus conferendi beneficium indigno, vel minùs digno. Me autem eſſe illum, qui ſine peccato præterire non poteſt, nihil obeſt, quia directè non intenditur, niſi vt amoueatur affectus iniuſtus, quo remoto manet elector, vt oportet, ad eligendum iuſtè.

Deinde quoties concurrunt duo mala, licitum eſt conſulere minus, vel ſignificare eius materiam iuxta opiniones propoſitas: ſed in offerenda pecunia pro collatione iuſta conſulitur minus malũ aut ſignificatur eius materia. ergo licitum eſt eam offerre. Tunc conſuli minus malum probo, quia minus malum eſt eligere dignum accepta pecunia, quàm eligere indignum ea non accepta; quia electio indigni eſt contra multas virtutes. Primùm contra iuſtitiam diſtributiuam, imò & commutatiuam. Item manet elector obnoxius ad reſtituenda omnia damna honoris & fructuum, quod quidem frequenter eſt contra charitatem propriam, quia propter ingentem difficultatem reſtituendi ſe coniiciunt in periculum euidens numquam reſtituendi

tuendi cum aperto diſcrimine ſalutis æternæ. Tertiò peccatur contra charitatem Eccleſiæ, cui perniciosiſſima eſt indignorum electio; & quamuis peccaretur cõtra ſolam iuſtitiam, adhuc eſſet grauius peccatum, non quòd iuſtitia ſit melior, quàm Religio, ſed quia magis obligat. Ex quibus apertè deduces licitam eſſe hanc redemptionem vexationis iniuſtæ. Quòd ſine vlla ratione poteſt redimi illa vexatio, niſi inclinando electorem vt eligat Petrũ, poteſt inclinari licitè oblata pecunia; quia tunc non emitur ius, ſed remouetur prauus affectus eligendi indignum: ſi autem plures ſint eligibiles, ſine peccato non poſſumus pecunia inclinare electorẽ ad Petrum, quia Petrus nullam patitur vexationem iniuſtam. Et hæc omnia & multa alia docet Hurtado pro ſua firmanda ſententia. Vide etiam Baſil. Pontiũ *de matrim. lib. 5. c.* 18. §. 6. *n.* 39. qui etiam *n.* 44. loquendo de electionibus ad Cathedras, aſſerit quòd ſi vnus ex candidatis dignus eſt, & cæteri indigni, offerri pecunia poteſt, non tantùm ne eligãtur alij, & ne ſcholaſtici ſuffragium pro illis ferant, ſed etiam directè offerri poteſt pecunia, vt eligatur ipſe, qui dignus iudicatur à viris prudentibus & literatis, qui in iudicando non ducuntur amore, aut odio, ſed ratione. Quòd ſi alius dignus etiam ſit, non licet pecuniam ſcholaſticis offerre. Idem dico ſi vnus ex eis dignior ſit reliquis, qui nõ digniores, digni tamẽ ſunt, poſſe offerre pecuniam, vt dignior eligatur omiſſo digno. Cuius doctrinæ ratio deſumitur ex dictis. eſt enim grauius peccatum eligere indignum prætermiſſo digno, vel eligere dignum omiſſo digniore, quàm furtum committere, quod perpetratur in ea acceptione pecuniæ, vt conſtat. Vnde licet offerre materiam minoris peccati. hoc tamen intelligendum ſi ſcholaſticus paratus ſit maius peccatum committere, ſcilicet eligere indignum omiſſo digno, vel dignum omiſſo digniore. Quòd ſi duo reperiantur æquè digni, quia vel re ipſa ſunt, vel difficilè de eorum exceſſu indicari poteſt, non licet tunc offerre pecuniam ſcholaſticis, cùm non offeratur materia minoris peccati, ſiquidem illi in cuiuſque ex illis electione, iuſtè agunt, ſolùm excipe caſum, ſi ſcholaſticus priùs non incitatus, ſed ſua ſponte pecuniam poſtulauerit, aut indicauerit, licet enim dare in eo euentu. Ita Pontius *vbi ſuprà*.

Sed difficultas eſt in dicto caſu, an ſi meus, v.g. aduerſarius obtulit iudici, aut electori pecuniam, quam ille accepit, vtrùm ego poſſim illum pecuniis allicere, vt mihi opituletur? Quæſtio eſt difficilis, noua, & in praxi maximè neceſſaria, & ad illam reſpõdet Hurtado *loco citato* §. 243. Dico igitur primò, eſſe opus vt mihi conſtet ſatis apertè electorẽ, aut iudicem accepiſſe pecuniam, alioquin non poſſum ego eam offerre licitè. Secundò dico, non videri improbabile eam pecuniam offerre, quia quod ego peto, poteſt fieri benè, & malè; quod ſi malè fit, eſt in illius culpa, quam ego vitare non teneor cum graui damno; eſt autem graue damnum vt iudex, aut elector ſit pecunijs à competitore deuinctus. Neque tunc ego ſum occaſio peccati, quia iam ille eſt formaliter in peccato. Abſolutè tamen cenſeo non licere offerre pecuniam, quia ego non vexor iniuſtè, iudex enim & elector poſſunt antecedenter eſſe determinati ad ferendam ſententiã pro competitore ſine vlla iniuſtitia. Quid autẽ intereſt illos eſſe determinatos pecunijs potiùs, quã alia de cauſa? Potero tamen ego indicare meum animum, & oſtendere me eſſe paratum ad dandas pecunias, ſi iudex, aut elector eas voluerit, hæc enim non eſt prouocatio, neque conſilium. At verò mihi non licet eas dare, aut mittere. Ita Hurtado.

RESOL. XVIII. *An ſit licitum ſine peccato ſcandali conſulere minus malum ei, qui paratus non erat illud efficere?*

V.G. Aliquis vult efficere adulterium ſolum, nihil cogitans de fornicatione, an poſſum ego conſulere fornicationem, ſi nolit abſtinere ab adulterio, & ſic in ſimilibus? Negatiuè reſpondet Caſtrus Palaus *tom. 1. tract. 6. diſp. 6. punct. 6. num.* 9. & Hurtado de Mendoza *in* 2. 2. *diſp.* 173. *ſect.* 10. §. 110. quia iam illius peccati quod conſulis, verè tu cauſa es, & verè peccatorem ad illud inducis, etiamſi recto fine procedas. ergo peccas. Item ille peccator non recto medio vtitur ad vitandum malum graue operando minus. ergo neque tu rectè illi conſulis, cùm cõſulis operationem minoris mali vt grauius euitet. Iis argumentis preſſi DD. primæ ſententiæ, dicunt in perſuaſione minoris mali non malũ perſuaderi, ſed electionẽ, ſeu antepoſitionem minoris ad maius, quæ antepoſitio ex ſuppoſitione determinationis voluntatis ad maius malũ neceſſariò facienda eſt, ſi rectè procedatur. At quis non videat hoc eſſe illudere verbis; cùm enim electio minoris mali quantumcumque à praua & determinata voluntate mali maioris procedat, mala ſit, perſuaſio & conſilium illius mala ſemper erit. Neque vnquam datur præceptum eligendi minus malum, ſed potiùs datur præceptum abſtinendi ab illo, & à grauiori.

Verùm ego contrariam ſententiam non minùs probabilem eſſe puto, quam tuetur Vaſq. *opuſc. de ſcandalo, q.* 43. *art.* 1. *dub.* 1. *n.* 9. quia in moralibus res ſunt accipiendæ ſecundùm communem exiſtimationem, adhuc etiam licitum videtur ſuadere minus malum ei, qui antea non erat paratus illud cõmittere, neque de illo cogitabat, vt ſi aliquis diſſuadeat alteri adulterium, & cùm nihil ab eo obtineri poſſit, non erit peccatum proponere ei fornicationem, tanquam minus malum ad explendam libidinem, quam alio modo diſſuadere non poteſt. hoc autem probatur ratione ſuperiùs allata, quia licitũ eſt ſuadere alicui, vt minus peccatum committat, non ſignando materiam; ex hoc autem conſilio ſequitur, vt qui habebat propoſitum adulterij, eligat fornicationem. ergo licitum erat fornicationem proponere tanquam minus malum. In hoc tamen paulatim procedendum eſt, vt primò diſſuadeatur peccatum ſimpliciter, quod ſi obtineri non poterit, ſuadeatur deinde minus peccatum, & proponatur materia. Ita Vaſquez, quẽ poſtea ſequitur Turrianus *in* 2. 2 *tom.* 1. *diſp.* 95. *dub.* 6. *ver. mihi autem.* & nouiſſimè hanc ſententiam docet etiam Baſil. Pontius *de matrim. lib.* 5. *cap.* 18. §. 5. *n.* 16. vbi ſic ait. Qui ſuadet minus

minus malum ei,qui paratus eſt committere maius malum,non ſimpliciter ſuadet malum,ſed tantùm intendit vitationem maioris mali,quod quidē non ſolùm verum eſt,cùm ille cui præbetur conſilium, paratus erat vnum ex illis duobus malis facere,ſed etiamſi non eſſet paratus illud minus committere, neque de illo cogitaret, vt ſi quis diſſuadeat alteri adulterium,& nihil ab illo obtinere poſſit,non erit peccatum proponere ei fornicationem tanquam minus malum ad explendam libidinem,quam aliter diſſuadere non poteſt. Atque id conuincunt quæ ex Chryſoſtomo & Auguſtino adduximus.& hac etiam ratione excuſatur factum Lot *Gen.*15. & illius Leuitæ *Iud.*15. qui ſuaſerunt fornicationem nefarijs hominibus, vt hac ratione euitarent peccatum contra naturam. Et quamuis Lot reprehenſibilis videatur ex eo, quòd filiarum curam non habuerit illas proſtituendo, excuſatur tamen propter bonam fidem quam habuit, vt conſtat ex 2. *Petri,c.*2.qui eo tempore quo eductus eſt de Sodomis,ſcribit iuſtum fuiſſe apud Deum. Hinc etiam excuſantur illi decē viri, qui occurrerunt Iſmaëli, & oſtenderunt theſauros offerentes materiam furti,vt vitarent homicidium.Hæc Pontius.

Non deſinam tamen hîc adnotare Hurtadum de Mendoza *vbi ſuprà*, §. 119. licet teneat primam ſententiam;proponere tamen alium modum in his occaſionibus vt proximus auertatur à maiori malo ſine peccato,dicit mihi licitum eſſe proponere Antonio materiam noui peccati, de qua ipſe nihil cogitabat,dummodo non ſequatur inde tertij ruina. At non poſſum illi quid perſuadere,aut conſulere. etenim propoſitio illius obiecti eſt aut indifferens, aut bona.e.g. Antonius eſt certus in Venerem prępoſteram, quem ego ſpero ab ea reuocandum ſi illi veniat in mentē alicuius feminæ pulchritudo. ego verò dicam, Talis femina eſt pulchra; aut dicam, Maior voluptas capietur ex congreſſu cum muliere,quā cum viro.Hæ duæ propoſitiones ſunt de ſe indifferentes; hæc autem propoſitio,Minus peccatum eſt congreſſus cum femina, quàm cum viro,hæc,inquam, propoſitio eſt bona. Quas ego profero ex animo impediendi maius malum,& ex ſimplici affectu,vt Antonius ex ſuppoſitione quòd ſit peccaturus, eligat minus malum; at verò non poſſum conſulere,nec perſuadere illud obiectum. & quidē illæ repræſentationes neque ſunt conſiliū,neque perſuaſio,neque per ſe ſunt cauſa, quòd Antonius peccet.Hîc autem & nunc ego exiſtimo illū peccaturum;at id eſt per accidēs reſpectu propoſitionis vt à me fit,quia ille ex ſua prauitate mouetur,non ex vi meorum verborū.Nec ego teneor propter ſcandalū purè paſſiuum Antonij abſtinere à repræſentatione bona,aut honeſta alicuius obiecti, quando mihi ſuppetit honeſta ratio maioris boni ipſius Antonij.Cōſilium autē & perſuaſio nō poſſunt excuſari,quia ſunt cauſæ morales effectus, cum quo maiorem habēt connexionem, quā ſimplex repræſentatio obiecti;& quidem Deus multa nobis repræſentat quæ nobis non conſulit,nec abſolutè, neque conditionatè. Et hæc omnia docet Hurtado *loc.cit.* Sed ego puto ſecundam ſententiam ſatis probabilem eſſe,& tutam in praxi.

RESOL. XIX. *An ſit licitum volenti ſurripere nummos pauperi, conſulere vt à diuite ſurripiat determinando etiam perſonam?*

NEgatiuè reſpondet Caſtr. Palaus *tom.1.tract.6. diſp.6.punct.6.n.12.* vbi ſic ait. In hoc caſu dupliciter te potes habere, vel conſulendo furtum diuiti, vel illud proponendo. Et quidem ſi ſolùm proponas conuenientiam, quæ relucet in anteponendo pauperem diuiti,vt ſi dicas, minus peccatū eſt, minorque iniuria irrogatur diuiti, quàm pauperi, ac proinde caſu quo vnum illorum ſit faciendum,minus malum eſt eligere furtum diuitis, quā pauperis, nulla eſt culpa in tali repræſentatione, quia ibi tunc non eſt conſilium, neque inductio, aut perſuaſio,vt de ſe conſtat. At ſi verè inducis ad furtum diuitis,ſine dubio peccas.quod probo,quia tuum conſilium tendit ad commutandam prauam voluntatem furis, non in aliquod bonum, ſed in aliud malum,etſi minus,tendit enim loco furti faciendi pauperi ſubrogare furtum faciendū diuiti. ergo prætendis ad aliud furtum ab eo,ad quod fur erat determinatus,determinare. ergo peccas, quia eſſe perſonam diuitis indeterminatam non obſtat, quominus furtum,ad quod inducis,aliud ſit ab eo, ad quod erat priùs fur dererminatus,& à quo prętendis remouere.Adde ſi induceres ad furtum determinando perſonam, omnes præter Vaſquez conueniunt te peccaturum, quia iniuriam irrogas eo quòd cauſa determinata ſis illius damni, quod aliàs non eſſet faciendum ſi tuum conſilium non adeſſet,ſed quando non determinas perſonam,etiā es cauſa damni,etſi non determinati, vagè ſumpti, hoc eſt,huius vel illius diuitis: ergo peccas.Meritò enim omnes diuites de te conqueri poſſunt quòd voluntatem furis ad illos inclinaueris,aliàs non inclinandam.An verò tenearis ratione huius conſilij reſtituere ſi furtum alicui diuiti factum ſit;Thom. Sanch.& ſi concederet ſic conſulentē peccare,non obligaret ad reſtitutionem,ſiquidē *lib.7.de matrim. diſp.*11.*n.*23. affirmat conſulentem minus damnum ei,qui alia via auerti non poteſt, à maiore non eſſe obligatum reſtituere,quia conſilium,inquit, bonū eſt in ſubſtantia,cùm ſit de minori malo comparatione maioris, & ſolùm ſit malum in modo, quia eſt contra charitatem, quæ obligat vt omnia mala vitentur. At dicendum exiſtimo obligationem eſſe reſtituendi,ſi diuiti factum ſit damnum, quia fuiſti cauſa poſitiua illius; nam licet non fueris cauſa vt huic diuiti potius, quàm alteri damnum ſit factum, quia tamen fuiſti cauſa vt alicui diuiti fieret, conſequenter fuiſti cauſa huius in particulari.Quis enim neget te obligatum eſſe reſtituere ſi aliquem non cogitantem de furto ad furandū inducas, etſi innominata perſona cui debeat furtum fieri?Ergo hęc vniuerſalitas non obeſt obligationi. Ita Caſtr. Pal. & nouiſſimè Hurt. de Mendoza *in* 2.2.*diſp.*173.*ſect.*10.§.156.

Verùm non deſinam adnotare contrariam ſententiam præter Vaſquez, vt viſum eſt, quem citat Caſtrus Palaus,docere etiam Baſilium Pontium *de matrim.l.5.c.*18 §.5.*n.*28. & Turrian.*in* 2.2.*tom.*1.*diſp.* 95.*dub.*6.vbi ſic aſſerit. Addit Sotus non eſſe licitū

consulere minùs furtum faciendum ex bonis alterius personæ distinctæ ab illa, ex cuius bonis faciendum erat maius furtum, quia hoc esset vni inferre iniustitiam, ne alteri inferretur, quod nulla ratione videtur licitum. In re tamen non omnino certa mihi probabilius est tale consilium esse licitum, quando nulla alia ratione posset quis retrahi à maiori illo peccato committendo, quia consulere minus malum in hoc casu peccatum non est. Deinde is cui infertur iniuria, respectu consulentis non est rationabiliter inuitus, quia ille tantùm suasit minus furtum, ne latro ille committeret maius peccatum. esset autem respectu latronis rationabiliter inuitus. Ita Turrianus.

Nota tamen hanc secundam sententiã (si persona furanda non determinaretur) contra Palaum docere etiam Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 11. n. 24 & 25.* cum Molina *de Iust. tract. 2. disp. 335.* asserentes licere volenti surripere pecuniam pauperi consulere vt à diuite surripiat, non determinando diuitis personam, quia nõ inducis ad aliquod peccatum, ad quod ipse fur inductus non sit, sed potiùs eius prauam voluntatem temperas, ipse enim cùm ad furandum à paupere inductus sit, absolutè inductus est ad furtum committendum, quia in quolibet individuo species & genus continetur. Ergo cùm rogas vt à furto pauperis abstineat, & furtum diuitis committat, cùm non determines, cui diuiti faciendum sit, relinquis eius voluntatem in determinatione priori. ergo non peccas. Aduerte etiam contra Palaum *num. 13.* in tali casu nullam adesse obligationem diuiti restituendi, si fortè furatus sit. Ita Sanchez *loco citato.*

Imò quando qui proposuit committere maius furtum, consulitur vt furetur minus, ab eadem tamen persona; non solùm, inquam, in tali casu licitum est tale consilium, sed etiam licitum est cooperari cum illo, & adiuuare ad minus furtum, ne maiorem quantitatem furetur. Ratio est, quia in ea cooperatione dominus nullam patitur iniuriam, nec potest esse rationabiliter inuitus ex eo, quòd alter cooperetur ad minus furtum, cùm potiùs cẽseatur prospicere rebus domini, & idem facere, quod dominus ipse faceret, si præsens esset, qui libenter offerret quod minoris valoris esset, vt retineret quod maioris momenti est. Dixi autem hoc verum esse in his bonis, quorum quis dominus est, quia in alijs, qualia sunt bona vitæ, & corporis, quamuis liceat minus consulere ne committatur maius, vt absciſſionem membri ne committatur homicidium, non tamen licet cooperari ad absciſſionem propter eumdem finem. Cuius ea ratio discriminis est, quia illorum bonorum alter est dominus, & præsumitur rationabilis domini voluntas, qui sua voluntate disponere posset de rebus illis. At verò in alijs bonis non potest præsumi ea voluntas, cùm ille alter, qui damnum passurus est, non sit dominus vitæ & corporis. Et ita docet Basilius Pontius *vbi suprà de matrimon. lib. 5. cap. 18. §. 5. num. 28.* Vasquez *opusc. de scandalo art. 1. num. 13.* Turrian. *in 2. 2. tom. 1. disp. 95. dub. 2.* & Hurtadus *loco citato §. 122.*

RESOL. XX. *An liceat petere à meretrice iudicis intercessionem in causa iusta apud ipsum iudicem?*

CONtra Sanchez affirmatiuam sententiam cum Castro Palao alibi satis firmaui; cui nunc addo Hurtado de Mendoza *in 2. 2. disp. 173. sect. 11. §. 143.* quia quod egò peto, est actio indifferens, quæ à iudice & ab eius pellice potest fieri benè & malè, neque mea petitio est mala re, aut specie; vnde tota ratio scandali oritur ex malitia iudicis & meretricis; quam occasionem ego non teneor vitare cum graui damno, & ideo in alijs occasionibus ex hoc generali principio ait Hurtado §. 148. facile est deducere quid sit agendum, si enim quod ego peto potest exerceri benè & malè, neque in petitione est malum, aut species mali, illa petitio est licita, quando suppetit grauis causa tam mea, quàm proximi; vt si mihi opus est initiari sacris Ordinibus, aut sum dignus beneficio quo egeo, vel habeo ius ad cathedram, cuius sum candidatus, aut egeo iusta sententia iudicis, possum licitè petere eas omnes actiones ab Episcopo, à iudice & ab alijs, licet illi inde occasionẽ accepturi sint ad simoniam, vel subornationẽ, vel quid simile, quia ea peccata oriuntur ex illorum malitia, non verò ex meis actionibus. Ex his etiam deducitur licitum esse feminæ iudicem adire, & causam apud illum agere, quamuis prudenter timeat illum eius pulchritudine pelliciendum, & laturum sententiam iustam ex affectu se insinuandi in eius feminæ consuetudinem. Item, dicendum est feminam non peccare, quando se ægram curandam exponit Medico, quamuis prudenter timeat illum accepturum scandalum. Idem dicendum est de viro, qui possit à femina curari, quando non potest sine graui incommodo id relinquere.

RESOL. XXI. *An teneamur prætermittere aliquod præceptum ad euitandum aliorum scandalum?*

NEgatiuè respondet Vasquez *opusc. de scandalo art. 8. dub. 1. n. 4.* Turrian. *in 2. 2. tom. 1. disp. 96. dub. 1.* Becanus *in 2. 2. tom. 1. c. 27. quæs. 5. n. 2.* Basil. Pontius *de matrim. lib. 5. c. 18 §. 2. num. 7.* Castrus Palaus *tom. 1. tract. 6. punct. 16. num. 3.* & alij. Probatur hæc opinio ex Innocentio III. *in cap. cùm ex iniuncto, de noui operis nuntiatione.* vbi sic ait. Illa opera quæ sine peccato mortali omitti non possunt, non sunt pro vitando scandalo omittenda, neque ea debent pro vitando scandalo committi quæ sine mortali peccato committi non possunt. ergo ex mente Innocentij nullum præceptum neque affirmatiuum, neque negatiuum omittendum est propter scandalum, quod aliàs sine peccato omitti non potest. Deinde vnusquisque tenetur magis habere curam propriæ, quàm alienæ salutis. & consequenter magis vitare proprium peccatum, quàm alienum, si vtrumque vitari non potest. ergo præceptum quod mihi impositum est ad vitandum proprium peccatum potiùs seruare debeo, quàm præceptum quod mihi impositum est ad vitandum peccatum alienum. At præceptum de vitando scandalo proximi solùm mihi impositum est ad vitandum peccatum alienum. ergo non est seruandum, quando

occurrit

occurrit aliud præceptum, quod mihi impoſitum eſt ad vitandum peccatum proprium. hæc ratio locum habet, quando paſſiuum, quod ex præcepto teneor ſeruare (de quo hîc agimus,) tunc enim nõ debeo tranſgredi hoc præceptũ ad vitandum peccatum alienum. Secus eſt quando paſſiuum aliorum ſcandalum oritur ex eo peccato; tunc enim duplici titulo teneor abſtinere, tum ne ego peccem, tum ne alij meo peccato ſcandalizentur. Nec valet dicere quòd præceptũ naturale magis obligat, quàm poſitiuum; ergo præceptum de vitando ſcandalo magis obligat, quàm præceptum confeſſionis, vel Baptiſmi, vel audiendi Sacrum. Hæc enim poſitiua ſunt, illud naturale eſt: Reſpondeo, antecedens verum eſt, cæteris paribus. Nam quando vtrumque præceptum tam naturale, quàm poſitiuum primariò refertur ad propriam meam ſalutem procurandam, vel ad proprium meum peccatum cauendum, tunc magis obligat naturale, quàm poſitiuum reſpectu mei; ſi autem naturale primariò refertur ad cauendum alienum peccatum, & poſitiuum ad cauendum proprium peccatum, tunc poſitiuum magis obligat, quàm naturale reſpectu mei. Hoc autem fit in propoſito, vt ex dictis patet.

Verùm his non obſtantibus affirmatiuam ſententiam mordicus tenet Hurtado de Mendoza *in 2.2. diſput. 173. ſect. 20. à §. 256. & ſeq.* Valentia *tom. 3. diſp. 3. q. 18. punct. 1.* Suarez *diſp. 10. ſect. 3. n. 9.* Bannez *in 2.2. q. 43. art. 8. concl. 2.* Tannerus *tom. 3. diſp. 2. q. 6. dub. 9. n. 120.* Gordonus *tom. 1. lib. 6. q. 16. cap. 5. §. 1.* Emanuel Sà *verb. auditio Miſſæ, n. 3.* Lorca *in 2.2. q. 43. art. 8. num. 10.* & alij. Vnde vtramque ſententiam probabilem eſſe puto. Prima verò magis mihi placet, maximè ſi præcepta ſint poſitiua.

Sed ſi aliquis ſtare vellet in hac poſteriori, difficultas eſt cognoſcere quando præcepta ſunt prætereunda propter ſcandalum vitandum, & in hoc doctè, vt ſemper ſolet, ita philoſophatur Hurtado de Mendoza *vbi ſuprà §. 268.* Quando præceptum eſt humanum, ex cuius omiſſione nullum aliud ſequitur inconueniens in proximum, tunc eſt vitandum. Exempli gratia, ſi ego non poſſum audire Sacrum quin alicui præbeam occaſionem grauis iracundiæ, odij, aut luxuriæ, teneor abſtinere à Sacro. Item ſi non poſſum ieiunare niſi præbendo alicui occaſionem grauis peccati, teneor non ieiunare. huc enim ſpectat, *Miſericordiam volo, & non ſacrificiũ*; etenim ſi in miſericordia corporali locum habet id, multò magis in ſpirituali, ad quam pertinet directè nihil efficere, vnde proximus ruat; quia licet Religio eſſet melior virtus, quàm miſericordia, tamen Deus non indiget noſtris Religionis operibus, quæ poſſunt poſtea vſurpari frequentiùs. Eandem ob cauſam tenemur dimidiare confeſſionem imminente ſcandalo paſſiuo. Si verò ex omiſſione præcepti immineat aliud damnũ graue proximo, non eſt prætereundum præceptum, v.g. ſi ego teneor opitulari alicui indigenti, & alius id videns ſit arrepturus occaſionẽ maledicentiæ, aut alius peccati grauis, teneor opitulari indigenti, quia præceptum illi benefaciendi plus habet ponderis, quàm præceptum vitandæ occaſionis, quia propter alterius malitiam, *iniquum eſt, vt alius patiatur graue damnum*, ob quod non probo, quod ait Bañez *art. 8.* non eſſe opitulandũ feminæ extremè indigenti, quando id non poteſt fieri quin alij occaſionem arripiant, aut ſiniſtrè iudicandi, aut murmurandi. eſt enim immanitas ferina famelicæ morti permittere aliquem propter aliorum temeraria iudicia, maximè cùm poſſit poſtea illa nota deleri. Eadem ratione deduces teneri coniugem ad reddendum debitum coniugale petitum ab altero coniuge, licet alij ſint accepturi occaſionem peccandi. e. g. in longa nauigatione, aut diuturno carcere, aut habitatione non ampla, ſi quis cum vxore degat, non poteſt illa inuita abſtinere diu ab vſu matrimonij, quamuis aliquis adſit auditurus, & ex auditu ſit Venerem illicitam cõcepturus. Item ego teneor reſtituere homini, quę ſua ſunt, illo petente, quamuis ſciam illum eis abuſurum ad peccatum. Si tamen ſint arma, aut aliud inſtrumentum quò occiſurus eſt alium, teneor tunc illud non dare, quia determinatè peritur ad rem malam. Idem dico de fortunis ſi commodè poſſum protrahere ſolutionem. Si verò ſine graui damno proportionato non poſſum protrahere arma, neque fortunas, poſſum illa dare, quia non teneor cum graui damno abſtinere ab ea actione, quæ de ſe bona eſt, quia eſt actus iuſtitiæ, abuſus autem illarum rerum eſt propter ſolam malitiam eas accipientis. Quòd ſi non immeritò cenſent aliqui me poſſe licitè dare mutuas pecunias amico eis abuſuro, quando ſine graui damno non poſſum illas negare, multo meliùs potero illi reſtituere quę ſua ſunt. Vltimò conſiderandum eſt has occaſiones incidere per tempus breue, diuturnæ enim eſſe non poſſunt. Si enim Sacerdos timet ex concurſu ciuium ad Sacrum orituras contentiones, tenetur à Sacro abſtinere biduo, aut triduo, donec ſeditionis pericula authoritate publica, aut alia ratione ſedẽtur. Item ſi quis arrepturus ſit occaſionem peccandi conſpecta ſemel femina, hæc ſemel, aut iterum debet abſtinere à Sacro: at verò ſi alter diuturnus eſſet in eam depereundo, non abſtinere tenetur à Sacro, ſed potiùs illi intereſſe, quia peccatum proximi plus habet de malitia, quàm de infirmitate, aut ignorantia. & hæc omnia docet Hurtado *vbi ſuprà*; ſed quia de hoc vltimo exemplo multi dubitant, de illo ſpecialiter inquirendum videtur.

RESOL. XXII. *An mulier ſi ſciat ſe concupiſcendam ab aliquo laſciuè, teneatur non exire ad audiendũ Sacrum?*

QVòd ſemel, aut iterum abſtinere debeat à Sacro, docet, vt viſum eſt, Hurtado *in fine ſuperioris reſolutionis*, & Valentia *tom. 3. diſput. 3. q. 18. punct. 4.* ait. Per aliquot tempus in tali caſu abſtinendum eſſe à Sacro. P. Suarez *diſp. 10. ſect. 3. num. 10.* quærens an teneatur mulier omittere Sacrum ad vitandum ſcandalum; Reſpondet interdum poſſe hoc licere, imò & eſſe neceſſarium, rarò tamen accidere hanc obligationem.

Verùm quia hæc res eſſet ſcrupulis plena, ego puto abſolutè illam adeſſe obligationem vt femina in tali caſu non audiat Sacrum. & ita docet Caſtrus Pal. *tom. 1. tract. 6. diſput. 6. punct. 16. num. 4.* & Iacobus

Iacobus Granado *in 2.2.contr.3.tract.13. disp.5. sect.5. num.28.* vbi sic ait. Si eiusmodi scandalum sit ex infirmitate, quia nimirum videns ab aliqua persona impleri aliquod præceptum, adeò imbecillis est, vt accipiat occasionem ruinæ. Valentia ait esse obligationem omittendi per aliquod tempus exequutionem præcepti humani, vel Ecclesiastici, v.g. teneri feminam non adire Sacrum diebus festis, si quis eam videns acciperet occasionem desiderandi aliquam grauem impudicitiã, quia maior obligatio est vitandi scandali, quàm audiendi Sacri, cùm illa sit naturalis & diuina, hæc non nisi Ecclesiastica; addit tamen non esse feminam ad id obligandam per multum temporis, v.g. per vnum annum. Hoc tamen mihi non probatur, quia vnusquisque habet ius ad faciendum quæ non solùm sunt bona, sed etiam obligatoria, præsertim sub graui præcepto. ergo non tenetur ab illis abstinere vt euitet culpam alterius. Confirmatur, quia non magis tenetur quis ad vitandum hoc scandalum, quàm ad implendum beneficiũ correctionis fraternæ; sed nemo tenetur non implere præceptum iuris etiam humani, vt corrigat, imò alia minoris momenti deobligant ab eiusmodi correctione; ergo neque vt euitet scandalum. Ita Granado. & ante illum hanc sententiam docuerat etiam Azorius *tom.2.lib.12. c.18. quæst.12.* & Vasquez *opusc. de scandalo quæst.43. art.8. dub.2. num. 27.* & docebunt omnes DD. qui putant præcepta non esse prætermittenda propter scandalum.

Resol. XXIII. *An sit differendus ingressus Religionis propter scandalum?*

AD hoc dubium respondet Valentia *tom.3.disp. 3.quæst.18.punct.4.* vbi sic ait. Tertiò sequitur debere etiam ad vitandum scandalum infirmorũ differri quoque ingressum Religionis; vt, v.g. si aliqui in sæculo auctoritate & conuersatione alicuius grauis & pij viri in officio continerentur, lapsuri alioqui facilè in aliqua peccata, illo ab eis discedente, & Religionem ingrediente, teneretur tum differre ingressum, quandoquidem sine peccato potest. non tamen teneretur perpetuò à Religionis ingressu abstinere, vt rectè sentit D. Thomas *art.7. ad 4.* nam esset grauissimum detrimentum spirituale. Nisi fortè sequeretur alioqui grauissimum & commune scandalum in fide, aut moribus alicuius totius communitatis; tunc enim putarem durante periculo talis scandali non posse ingredi, nam ad tuendum bonum commune strictissimè tenemur etiam cum quocumque detrimento spiritualis boni ad salutem non necessarij, & cum vitæ quoque corporalis certo discrimine. Ita Valentia. Vide etiam Sayrum *in Claui Regia lib.7. cap.6. à numero 8.* & Hurtado de Mendoza *in 2.2. disputat. 173. sect.21. §.249.* vbi fusè docet, Vtrùm opera consilij dimittenda sint propter scandalum. De quo etiam vide Suarez *disput. 10. sect. 4. num. 8.* Lorcam *in 2.2.quæst.43. art.8. num.11.* & Sancium *in select. disput. 37. num.10.* docentem ab operibus consilij non esse abstinendum ob scandalum ex malitia, at ob scandalum ex infirmitate, semel, aut iterum. Vnde Malderus *in 2.2. quæst.43. art.7.* asserit, ne parentes turbentur ad tempus quidem rectè differri ingressum Religionis, non autem omnino omitti.

Resol. XXIV. *An bona temporalia sint dimittenda propter scandalum?*

AD hanc quæstionem ita respõdet Lorca *in 2.2. quæst.43.art.8.n.11.* Bona spiritualia & commoda temporalia, quæ non sunt necessaria ad salutẽ, nec debita ex præcepto, nõ sunt omnino omittenda propter scandalum pusillorum, debent tamen intermitti & differri donec pusillis reddatur sufficiens ratio rectitudinis, vt vitetur eorum scandalũ. Differenda esse probatur: quoniam lege charitatis tenemur quantum possumus impedire peccatum proximi, quod non ex malitia, sed ex ignorantia, aut infirmitae inculpabili oritur. At verò reddita ratione, qua sufficienter vitari potest scandalum, si adhuc perseuerat non iam ex ignorantia, vel infirmitate, sed ex malitia, aut ignorãtia culpabili scandalizatur, & ideo eius scandalum contemni potest. Sed verum est quod Caietanus aduertit, scandalum pusillorum perseuerare posse adhuc postquam reddita est ratio facti, vel quia rationem nõ capiunt ob mentis tarditatem, vel ob consuetudinem diu firmatam, in quo casu docet Caietanus omittendam esse actionem ex qua scandalum accipiunt, vel differendam, donec ad saniorem mentem venerint. quod solum est verum, si actio omitti potest sine iactura nostræ vtilitatis, si enim magna vtilitas temporalis, vel spiritualis interueniat, contemni potest scandalum pusillorum postquam sufficienter admoniti sunt. Ita Lorca. vide etiam Gordonum *tom.1.lib.6.quæst.16. cap.6. num.15.* Sanchez *in summa tom.1.lib.1.cap.7.num.1.* Castrum Palaum *tom.1.tract.6.disp.6 punct.17.* Valentiam *tom.3. disput.3. quæst.18. punct.4.* Hurtado *in 2.2. disput.173. sect.23.§.277.& sequen.* Suarez *disput.10.sect.3.num.10.* vbi obseruat excusari à præcepto Pontificem, qui simulat, vel conniuet quando Princeps secularis vsurpat bona temporalia Ecclesiæ, si absque minori scandalo, vel damno potest id impedire, & cum D. Thoma *in 2.2.quæst.43.art.8.* docet etiam Prælatos, qui non habent dominium rerum, non posse ratione scandali omittere bona temporalia, quia hoc esset scandalum Pharisaicum; vnde patet quàm malè seculares scandalizari, quando Episcopi & Prælati Regulares lites agitant ad acquirenda bona Ecclesiæ; nam si hoc non facerent, peccarent mortaliter, & si ipsi de hoc scandalizantur, pharisaicè scandalizantur, vnde tanquam ex malitia peccantes de illis minimè curandum est.

Resol. XXV. *An femina nobilis possit choreas ducere, si timet aliquem in particulari arrepturum occasionem peccandi?*

PRo decisione huius casus adducam hîc verba Hurtad. de Mendoza *in 2.2.disp.173.sect.28.§.319.* vbi sic ait. Choreæ non sunt de se illicitæ: possunt enim honestissimè duci etiam inter personas diuersorum sexuum, vt contingit in Principum aulis, & Nobilium domibus; vbi Principes feminæ,

&

& honestæ matronæ choreas ducunt, quin iustè possit eas aliquis damnare peccati. Vnde quando ipsæ honesto motu pedes referunt ad numeros, si timeant aliquam vagè & confusè accepturum occasionem ruinæ, non tenentur abstinere ab illa actione, quia ille timor est communis infinitis rebus, à quibus non propterea tenemur abstinere, nihil enim est, quo non abutatur hominum prauitas. Si verò aliqua femina prudenter timet adstare aliquem in particulari accepturum occasionem ruinæ, distinguendum est; si non potest, nisi incommodè abstinere à chorea, non tenetur abstinere. e.g. si femina prouocetur à viro nobili, qui in iniuriam referet, nisi femina prodeat, & adstantes habebunt occasionem malæ suspicionis; si verò commodè potest, tenetur abstinere, si alius peccat ex passione: si autem ex malitia, & potest sine aliquo incommodo id vitare, tenetur; at verò non tenetur se priuare oblectatione illa honesta, & communi alijs feminis propter alius malitiam, aliquando verò tenetur propter passionem. Malitia autem colligitur ex diuturnitate, passio enim non multum durat, sed ardet subitò occasione aliqua derepente fomitem suggerente. Ita ille, & ego.

RESOL. XXVI. *An liceat locare domum meretrici?*

NEgatiuè respondet Nauarr. *in Manuali, c.17. n.* 195. quia hic locans videtur ministrare materiam ad abusum contra castitatem & iustitiam, & consequenter absque aliqua iusta & vrgenti causa id fieri non potest.

Hurtadus verò de Mendoza *in* 2.2. *disp.*173. *sect.* 30. §. 394. existimat si domus possit alijs locari, non posse licitè locari meretrici, quia ego sine incommodo vllo possum impedire actiones turpes meæ domi exercendas, esto alibi mulier perdita illis sit exercitatura; si verò domum ego aliter locare non possum, licitè eam loco. Idem aduerto propter solum lucrum locationis non esse locandam, si prudenter existimetur feminam alibi non esse perditè victuram, tunc enim domus locatio excusatur graui damno proportionato, & non minori. Ita ille.

Alij autem, & rectiùs, asserunt etiam nulla alia iusta & vrgenti causa excusante licitum esse locare domum meretrici publicæ. Ita Valentia *tom.*3. *disput.*5. *q.*21. *punct.*4. Salas *in part.*2. *tom.*2. *tract.*13. *disput.*5. *sect.*15. *num.*133. Syluius *in* 2.2. *q.*77 *art.*4. *quæritur* 1. *concluf.*5. Sanchez *in summ. tom.*1. *lib.*1. *cap.*7. *num.*20. Azorius *tom.*2. *lib.*12. *cap.*18. *q.*3. Vasquez *opuscul. de schandalo, q.* 43. *art.*8. *dub.*5. *n.* 48. Rebellius *lib.*14. *q.*17. *num* 8. Lessius *lib.*2. *cap.*24. *dub.*7. Castrus Palaus *tom.*1. *lib.* 6. *disput.*6. *punct.*12. *num.*1. Salonius *in* 2.2. *quæst.*77. *art* 4. *contr.*6. *post* 4. *concluf. coroll* 3. & Merolla *tom.*1. *disput.*2. *cap.*4. *coroll.*6. *num.*292. quia locatio domus nimis à peccato remota est, cùm non sit illius materia, neque occasio.

Limitant hanc sententiam Valentia & Salon. *vbi suprà*, nisi accideret vt ob loci circumstantiam aliquis peccatum admitteret, quod minimè perpetraret eo loco sibi non concesso, tunc enim teneretur quis non locare domum meretrici, vel vsurario, si absque suo detrimento fiat. Et idem dicit Sanchez, quando in ea domo ratione situs, aut alia esset specialis aptitudo ad ea peccata committenda, quia tunc videretur locans adiuuare, & ideo causa aliqua iusta excusans requiritur. Limitat secundò idem Salon. *dicta controuers.*6. paulò ante solutionem ad argumenta nisi vicinia meretricis domum conducentis plurimùm feminis honestis vicinis noceret, tunc enim necessaria esset aliqua iusta causa locantem excusans, hæc autem erit si non posset commodè alijs locare, vt bene inquit Sanchez *loco citato.*

Nota tamen quòd licet Nauarrus *in summa cap.* 17. *num.*195. §. *respondimus*, dicat, non licere tibi domum locare meretricibus carius quàm locaretur honestis, eo quòd magis lucrentur, quia videris esse particeps lucri obuenientis ex peccato. Verùm hæc limitatio mihi non probatur, quia neque talis locatio est contra castitatem, neque contra iustitiam: non contra castitatem, quia sicut locare domum & recipere pretium locationis, etiamsi sit pretium ex turpitudine acquisitum, non est contra castitatem, neque etiam est recipere maius pretium, quia non ob turpitudinem, sed ob domum locatam recipitur. Item hæc difficultas inueniendi domos accommodatas potius retardat à meretricio, quàm compellit. Quòd verò non sit contra iustitiam inde constat, quia ex habitatione meretricis & vsurarij domus vilescit, & consequenter minoris postea conducenda est, & ratione huius damni poteris pluris locare meretrici, quàm feminæ honestæ. Ea verò quæ suprà adducta sunt de locanda domo meretrici, dicenda sunt in locanda domo vsurario publico, quæ omnia contra Molfesium *in summ. tom.*1. *tract* 8. *c.*10. *n.*54. procedunt, etiamsi domus locanda meretrici, vel vsurario posset æquè commodè alteri locari. Ita Castrus Palaus *tom.*1. *tract.*6. *disput.*6. *punct.*12. *num.*1. & alij.

RESOL. XXVII. *An ad euitandum graue damnum liceat famulis deferre literas amatorias concubinæ domini, maximè si contineant verba turpia?*

NOn licere tradit vterque Ledesma Petrus & Martinus, hic *in* 2. *part.*4 *q* 17. *art.*7. ille *in sum. tom.*2. *tract.*27. *cap.*9. *difficult.*3. vbi sic ait. [Digo lo segundo, que los criados o criadas que lleuan billetes, y que lleuan à las tales personas para pecar, y que saben esto, porque es cierto, moralmente hablando, o lleuan recados para llamarlos, estos tales sin duda pecan mortalmente: la razon es, porque estos ayudan al pecado, y son como instrumento moral, y causa proxima del pecado que los otros cometen, luego pecado mortal es hazer todas estas cosas.] Ita ille, & alij.

Et hanc sententiam prorsus tenet Alphonsus de Leone *de offic. Confess. tom.*1. *recollect.*14. *num.*63. Rebellius *part.*1. *lib.* 2. *q.*14. *num.*53. *in fine.* Bonacina *de matrimon. q.*4. *punct.*14. *num.*6. Layman *lib.*2. *tract.*3. *c.*13. *num.*5. & videtur docere Sanchez *in sum. tom.*1. *lib.*1. *cap.*7. *num.* 26. & alij, si literæ contineant verba turpia, quia huiusmodi verba sunt intrinsecè mala,

mala,niſi inter coniugatos, aut ſponſos de futuro, & idē dicit Sanchez de famulis ſcribentibus tantùm huiuſmodi literas, quamuis non deferentibus, qui idem cooperandi modus in vtroque miniſterio inuenitur.

Sed hanc opinionem Merollæ *tom.1.diſput.2.cap.4 coroll.5. num.287.* non omnino probatur. nam contra ſecundum quod dicit Sanchez de famulis ſcribentibus tantùm literas verba turpia continentes,quòd ſit ita intrinſecè malum,vt in nullo prorſus euentu licitum eſſe poſſit,obſtat doctrina eiuſdem Auctoris *lib.9 de matrim diſput.46.num.34.* vbi expreſsè docet proferre, vel ſcribere turpia verba non eſſe intrinſecè malum,ſed indifferens,ac proinde eorum honeſtatem, vel malitiam pendere ex circumſtantijs adhibitis, ac fine proferentis, vel ſcribentis; & rationem huius optimè reddit, quia cùm verba, vel ſcripturæ ſint conceptus ſigna, in tantum erunt praua,vel honeſta,in quantum conceptus ſunt praui, vel honeſti. At rei turpis conceptus indifferens eſt, poteſt enim bonum finem, puta ipſius malitiæ moralis inueſtigationem, & malum vt Veneris fomitem ſectare. Si igitur ſcribere verba turpia non eſt ex ſe intrinſecè malum, ſequitur poſſe dari caſum, in quo licitum ſit famulo ſcribere heri literas, verba turpia continentes,vt ſi aliàs immineret ei periculum mortis, vel alterius grauis nocumenti, iuxta doctrinam traditam ſuprà. Quantum verò ad primum dictum eiuſdem auctoris de famulis deferentibus literas, in quibus ſciunt contineri verba turpia ad peccatum prouocantia ſententia ipſius habet quidem maximam probabilitatem, quia deferre tales literas idem videtur, ac ſi deferret internuntium de rebus turpibus, quod in nullo caſu eſt licitum tanquā intrinſecè malū; nihilominus etiam oppoſita opinio non eſt omnino improbabilis; videtur enim diſpar ratio de internuntio & de literis,nam famulus qui internuntium de rebus turpibus defert concubinæ heri, directè ac proximè cenſetur peccato heri cooperari, tamquam inſtrumentum, quo mediante herus inducit mulierem illam ad peccandum ſecum, ideo eſt omnino intrinſecè malum, ac proinde in nullo euentu licitum. At verò, deferre tantùm literas ita materialiter, non videtur directa cooperatio ad peccatum tamquā proximum inſtrumentum, ſed magis remotè ſe habet, & ideo non eſt improbabile, ſaltem in aliquo caſu extremæ neceſſitatis, vt ad euadendam mortem ſibi comminatam poſſe licitè famulum eiuſmodi literas deferre.Et hæc omnia aſſerit Merolla *loco citato.*Et ſub dubitatione,hanc etiam ſententiam tenet Caſtrus Palaus *tom.1.tract.6.diſput.6. punct.11.num.7.*quia, ait ille,hæc ſcribere,vel deferre non videntur intrinſecè mala, ſi abſit à te malus finis, turpia enim verba ſcribi poſſunt, ſicuti ſcribunt DD.ad ponderandam malitiam illorum, qui ea ex malo fine proferunt,poſſuntque ſcribi & dici non tamquam ex proprio Marte, ſed ex alieno. Item non ſeriò, ſed irriſoriè. ergo ſcribere hæc verba turpia de ſe non eſt intrinſecè malum, quia ſolùm ſunt turpia & mala, quatenus à prauo animo procedunt,& in pranum finem diriguntur; ergo ſecluſo hoc animo & hoc fine prauo mala non eſſe videntur; & à fortiori neque erit intrinſecè malum ſcripta illa deferre ad concubinam,poterat enim illa deferre non vt moueatur ad coitum, ſed vt illam irrideat & comburat.ergo illa actio deferendi quatenus à te procedit, bono vſui deſeruire poteſt.& idem eſſe videtur de ſcriptis ad duellum prouocantibus, & ideo Emanuel Sà *ver. peccatum, n.9.*edit. Cōplut.excuſat famulos has literas amatorias deferentes,& licet Nauarr. *l.5.conſ.5. de pœnit.* damnet mortaliter ſcribere concubinæ literas, vt poſt cœnam peccet,ideo damnat, quia eſt circumſtantia mali finis. ergo ſi hic finis malus ceſſat ex parte ſcribentis,ſeu deferentis,ceſſabit ex parte illius peccatum.Neque obinde debent dici ij deferentes lenones,quia hæc faciunt neceſſitate preſſi, non vt prauam fieri intentionē promoueant. Hæc Palaus. Et hanc opinionem quoad delationē tantùm literarū probabilem putat Hurtado de Mendoza *in 2.2.diſp.173.ſect.30.§.399.* vbi declarat mentem Sanchez,ſic enim ait.Si literæ contineant verba turpia, cenſet Pater Thomas ea non poſſe deferri,quia ſunt intrinſecè mala, niſi inter coniugatos, aut ſponſos de futuro. Videtur igitur cenſere nullo pacto licitum eſſe hoc genus obſequij. Opinor hæc non dici valde conſequenter; quia ſi illa delatio eſt intrinſecè mala, ergo nullo pacto exerceri poteſt vt ipſe paulò inferiùs dicit. Hæc autem omnia vt ijs qui famuli non ſunt,liceant,grauiores adhuc cauſæ deſideramur. Vt autem eius authoris conſequentiā tueamur,dicendum eſt ex eius opinione verba turpia eſſe intrinſecè mala, delationē autem non eſſe intrinſecè malam. Non ſunt autē deferenda ſine vrgenti neceſſitate: idemque cenſet de internuntio condicente locum,aut tempus idē de famulo ſcribente has literas. Illi autem qui famuli non ſunt,egēt grauiori cauſa ad honeſtandas eas actiones:qui verò mandata deferunt, non ſunt dicturi, Vade, ſed herus te vocat,prima enim vox eſt perſuaſio,ſecunda verò eſt ſignificatio voluntatis alienæ, quæ non eſt intrinſecè mala. Quando verò nulla eſt ſuſpicio de literis,aut ruina inde imminenti,poſſunt ſine ſcrupulo ferri.Idem dicit Pater Thomas de famulo iuſſum heri ſequente feminam indicaturo vbi habitet.cenſet enim nō ſufficere ſolum famulatum, ſed requiri vrgentiorem cauſam.Item docet poſſe vrgenti occaſione aperire ianuam,& indicare herum. Imò cenſet cum aliquibus poſſe herum iuuari vt aſcendat per feneſtram, quia illa actio eſt de ſe indifferens, quam non tenentur vitare cum graui, & proportionato damno.Ita Hurtado *vbi ſuprà.*Non deſinam etiā hīc adnotare ea quę docet Azorius *tom.2.l.12.c.18. q.8.* vbi ſic ait. Quæritur an ſit peccatū quando famulus,vel ancilla iuuat concubinam ad ſe ornandum? Item quando famulus,vel ancilla aperit oſtiū adultero venienti ſuo hero iubente,aut quando ſternit lectum, in quo ſcit heram cum amaſio peccaturā; aut quando iuſſu heræ vocat amaſium, vt cum eo colloquatur in vinea,vel horto,vbi ſcit heram cum amaſio ſolitam peccare; aut quando dicit ei iuſſu heræ,Vocat te ad cœnam hera mea,& ſcit cum eo poſt cœnam ſolitam vocare heram? Nauarrus ait

non

non esse peccatum in primo, & ita idem diceret de secundo, si feciſſet mentionem, quia in vtroque famulus, vel ancilla solùm concurrit ad substantiam operis indifferentis, & ad obsequium suum debitum heræ præstandum, quando id facit vt obediat heræ sine mala alia intentione. Ita ille.

RESOL. XXVIII. *An posſit famulus scalam apponere, vel sustinere dominum ascendentem ad feneſtram, vt rem habeat cum femina?*

AFfirmatiuè respondet Castrus Palaus *tom. 1. tract. 6. disput. 6. punct. 11. num. 5.* vbi sic ait. Si indifferentia proximiora peccato subministres aliam causam grauiorem honestandi administrationem expostulo, qualis esset si pater totis oculis te aspiceret, & timeres malè tractari; vel si dominus à domo sua te expelleret, & expulsus cogereris mendicare, vel penuriam pati, præcipuè cùm non ita facilè alium dominum inuenias, qui similia, vel peiora ministeria non petat, vel si in eius domo te sustinet id sit te obiurgando & increpando, vel debita mercede defraudando. Si enim aliquod ex iis damnis tibi prouenit eo quòd non ministres actiones indifferentes de se, & prauo vsui ex malitia domini deseruientes, poteris illa ministrare, quia tunc non censeris peccato illius cooperari, sed potiùs permittere. Vnde licet tibi tali vrgente occasione presso concubinam portare, signare locum domino vbi sit. Item dicere concubinæ, Dominus meus dicit vt illum hac nocte expectes, vel eum videas. Item domino ascendere volenti per feneſtram ad rem habendam cum femina, poteris pedem sustinere, scalam apponere, quia sunt actiones de se indifferentes, & ita tradit Nauarr. *lib. 5. consil. in 2. edit. conſ. 5. de pœnitent. circa finem.* vbi postquam plures ex his casibus apposuisset, concludit. Ex his videtur colligi ratio defendendi omnes prædictos à peccato saltem mortifero, modò, vt in casu proponitur, non placeat eis peccatum, & faciant obsequia prædicta ob aliquem bonum finem; puta eo quòd habeant illa causa officij sui, vel iustam mercedem, licet enim hæc officia & obsequia sint valde coniuncta peccato, non tamen sunt secundùm se, & suapte natura peccata, & ideo seiungi possunt à peccato per finem diuersum & seiunctum. Ita ex Nauarro Castrus Palaus: & hanc opinionem tenet etiam Merolla *tom. 1. disput. 2. cap. 4. corollar. 2. num.* 278. vbi sic ait. Quòd si herus ascendere velit per feneſtram ad rem habendam cum femina, non liceret famulo ob communem rationem famulatus pedem heri sustinere vt ascendere possit, aut scalam admouere, eamque tenere, aut humeris sustinere, sed requiritur aliqua alia grauior causa in famulo, vt hæc ministeria præstare possit, vt vitatio alicuius magni damni, quod non præstatione talis ministerij famulo immineret; ratio est, quia cùm omnia hæc ministeria valde proximè peccato accedant, ea non excusat communis ratio famulatus. Hæc ille. & ex Sanchez probabilem putat Hurtado de Mendoza *in 2. 2. disput. 173. sect. 30. §. 399. iuncto* §. 397. ibi, *Quorum authoritas probabilem reddat opinionem*, &c. vide etiam Alphonsum de Leone *de officio Confeſſ. tom. 1. recollect. 14. num. 64.*

RESOL. XXIX. *An liceat famulo conducere concubinam in domum heri?*

NEgatiuam sententiam docet Angles *in floribus, part. 1. quæst. 7.* & nouissimè hanc etiam opinionem tenet Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 13. num. 5.* vbi sic ait. Fas est famulo feminam, cum qua herus peccaturus est, per ianuam intromittere, facem præferre, lectum sternere. At verò vt meretricem quamuis per se paratam, vel etiam conductam famulus è domo eius euocet, & per plateas ad herum deducat, permittendum non videtur, cùm hoc vix fieri posse videatur sine aliqua inductione mulieris ad peccatum. Sic ille. Merolla verò *tom. 1. disput. 2. cap. 4. corollar. 3. num.* 280. Alphonsus de Leone *de officio Confeſſ. tom. 1. recollect. 14. numer. 60.* Sanchez *in summa tom. 1. lib. 1. cap. 7. numer. 25.* & alij asserunt hoc esse licitum quando famuli nullum internuntium heri deferunt, sed tantùm illam comitantur, quia tunc cùm conuentum sit inter herum & illam vt ipsa veniat in domum heri, illam in tali casu comitari est non secus ac si herum famulus comitaretur abeuntem ad peccandum cum aliqua femina, quod licere patet. Addunt tamen quòd quando non esset simplex comitatus, sed actiuè concursu physico famuli concubinam deferrent, vt in curru, sella, &c. non sufficeret ad eos excusandos à peccato communis ratio famulatus, quia hoc ministerium proximè accedit ad peccatum, & ideo damnum aliquod notabile famuli exigitur, vt id sibi licitum sit; sed Hurtadus *in 2. 2. disput. 173. sect. 10. §. 397.* putat debere famulum vtramque actionem omittere in dictis casibus, quia comitari concubinam est illi opem ferre, quia feminæ non audent solæ incedere: si autem illa alioquin esset itura, illam comitari non est peccatum, quia ex eo comitatu nulla accipitur occasio ruinæ, sed se habet omnino per accidens. Ita Hurtado. Verùm ego sententiam Sanchez & Merollæ probabilem esse puto. & inuenio Castrum Palaum *tom. 1. tract. 6. disp. 6. punct. 11. num. 5.* sine vlla limitatione, sed absolutè docere posse famulum imminente graui & proportionato damno concubinam portare in domum heri.

RESOL. XXX. *An remigantes & captiui apud Turcas posſint domos Christianorum perfringere, deuastare, & bona surripere?*

POsse dictos captiuos remigare in triremibus Turcarum, contra plures Doctores satis firmaui *in 3. part. tract. 5. resol. 36.* Difficultas est, an possint, quando, v.g. Turcæ descendunt in terris Christianorum, illas deuastare, & bona nostra surripere. Coninck *in 2. 2. disp. 31. dub. 7. n. 104.* negatiuè respondet. Sic enim ait. Notandum nullo modo Christianis in triremibus Turcarum remigantibus licere deprædari, aut incendere res Christianorum, quia hoc per se malum & iniustum est; quod etiam docet Lorca *in 2. 2. sect. 3. disput. 51. numer. 10.* vbi

tamen concedit posse quidem quæ alij rapuerunt suis humeris ad naues deferre, vel ad castra.

Sed ne addamus afflictionem afflictis, ego puto ex timore mortis contrariam sententiam esse probabilem, quam tuetur nouissimè Castrus Palaus *tom. 1. tract. 6. disput. 6. punct. 11. num. 12.* quia licitum est externis bonis proximi vti, prout necessarium est ad vitandam extremam necessitatem; sed illa deuastare, & surripere, & tradere minanti mortem, est in tali casu necessarium ad illam vitandam, ergo id facere licitum erit. Neque dominus illarum rerum debet esse inuitus, sed potiùs debet ex charitate consentire, neque actionem prout à te fit iniuriosam reputare. ergo, &c. Et hanc sententiam docet etiam Molina *de Iustit. tom. primo, tract. 2. disputat. 115. concluſ. 5. numer. 7.* vbi sic ait. Mortis metu, aut amissionis membri, fas est eiusmodi captiuis nocumentum inferre Christianis in bonis externis, & ad infidelium imperium destruendo, capiendo, & ad triremes asportando. Probatur, quoniam in eo euentu sunt in extrema necessitate illorum bonorum ad vitam propriam conseruandam. ergo quantum fas est cuique in extrema necessitate sumere de bonis aliorum ad conseruandam propriam vitam, tantum damni fas erit eiusmodi captiuis inferre bonis aliorum ad vitam propriam tuendam, præsertim cùm si ipsi non cooperentur ad illud damnum, defuturi non sint qui illud similiter inferant. Quod si petas, an restituere teneantur damnum quod ita dederint? De iustitiæ rigore iuxta ea, quæ in materia de eleemosyna diximus, dicendum est teneri. Attamen regulariter credendum est Christianos, neque ab illis restitutionem expectare, neque eam velle. Quoniam præterquam quòd mortis metu, & non in commodum proprium, id effecerint, defuturi non erant, qui idem damnum darent. Ita ille.

Non desinam tamen hîc adnotare Hurtadum de Mendoza *in 2. 2. disput. 76. sect. 3. §. 114.* non approbare hanc posteriorem sententiam quando dominus est in eadem necessitate sulphuris, v. g. domus, murorum & commeatuum ad tuendam propriam vitam, tunc enim non possunt hæc incendere, deuastare, aut demoliri, quia id est directa pugna; & reuera in tali casu non recederem ab opinione Hurtadi, qui tamen postea §. 112. benè docuit posse supradictos captiuos remos agere, arma ferre in locum certaminis, prædam humeris afferre, porrigere sulphur, &c.

RESOL. XXXI. *An femina teneatur non se ornare, & in publicum exire, ad vitandum aliorum scandalum?*

AD hunc casum respondet Iacobus Granado *in 2. 2. D. Thom. contr. 3. tractat. 13. disputat. 5. sect. 5. numer. 31.* vbi sic ait. Dubitant DD. vtrùm peccet femina, quæ se ornat, si nouerit inde alios sumpturos pro sua fragilitate occasionem concupiscendi illam? Nonnulli, quos tacito nomine refert Emanuel Sà *verb. Ornatus, numer. 1.* affirmarunt esse mortale. Nauarrus verò *in summa cap. 14. numer. 37.* distinguere videtur: si enim nesciat, vel non aduertat mulier se ab aliquo determinato concupiscendam, ait non peccare lethaliter, licet indeterminatè & vagè nouerit aliquem futurum, qui occasione sui aspectus peccet. Secus verò si in particulari personam cognosceret, & quidem si ornatus esset valde nimius, & præter patriæ consuetudinem, non foret excusanda femina à mortali si crederet se fore alicui occasionem lapsus, nec hac in parte quidquam refert quòd in particulari cognoscatur, vel ignoretur, quæ persona sit inde sumptura occasionem peccandi, ratio enim vtrobique eadem est, quia nimirum ornatus ille illicitus est, & ad quem femina non habet ius; aliunde est grauis culpæ occasio, grauiter ergo lædit charitatem sic se ornando. Si verò ornatus esset honestus, ille nimirum, qui in patria, vel regione consuetus est, non peccat femina illum gestando, licet sciat futurum alicui determinatæ, vel vagæ personæ occasionem ruinæ, dummodo ruinam ipsius non intendat. Sic sentiunt Caietanus, Sà, Azorius, & Nauarrus *in summa cap. 23. numer. 18.* Nemo, inquit, peccat ornando se etiam splendidè pro sui status decentia, & more regionis, modò id bono fine faciat, imò meretur, licet alius, vel alia ad eius concupiscentiam per accidens alliciatur. Probatur, quia femina habet ius ad indumenta illa quæ sunt iuxta consuetudinem patriæ, & oppositum foret illi valde graue. ergo suauis lex charitatis non obligat illam vt cum tanto detrimento euitet peccatum illicitæ concupiscentiæ alterius. Et sanè si oppositum esset verum, damnandus absolutè foret feminarum ornatus, & frequentes illarum ingressus in templa, & alia honesta loca, cùm valde verisimile sit in tanta fragilium hominum multitudine esse aliquos, qui inde sumunt occasionem peccandi, quippe quibus multo minores occasiones sufficere possunt, & solent. Addit præterea Caietan. & meritò quidem, licet femina in prædicto ornatu aliquando peccet propter iactantiam, aut alium eiusmodi finem, non propterea peccare peccato scandali, dummodo non intendat, vt supponimus, ruinam aliorum, quia prædictus iactantiæ finis non reddit ornatum magis scandalosum. Hæc Granado.

Sed ego magis clarè rem explicabo. Dico igitur quòd quando femina timet ne à persona particulari ametur lasciuè, teneri cauere publico, & abstinere ab actione occasionante alicui ruinam, quando potest absque graui proportionato damno, quia tenemur vitare aliorum peccata, quando commodè possumus. Vnde deducendum est peccare feminam euntem in hoc templum ad Sacrum, in quo est aliquis à quo turpiter ametur, quando commodè potest aliud templum adire eo periculo vacans; item quando it per hunc vicum, potens commodè ire per alium. Quando audit sonitum equi vehentis amasium, & ipsa se absque necessitate dat in fenestra aspiciendam; quando verba facit coram amatore, quibus ille sit accendendus, si potest absque specie inurbanitatis tacere. Quando item domo egreditur, sciens eam expectari spectandam si nulla tunc

sit

sit necessitas. Ita docet Castrus Palaus *tom.1.tract.6. disput.6.punct.7. num.4.* & Hurtado *in 2.2.disput.173. sect.31. §. 404.* qui tamen optimè, vt semper solet, §. subsequenti docet, quòd quando sine graui & proportionato damno nō potest illas actiones vitare, quòd tunc non tenetur in publicum non exire, & ab his abstinere, quia tales occasiones sunt valde remotæ, & generales, ex quibus oritur peccatum ex malitia potiùs scandalizati, quàm feminæ. Vnde hinc deduces non teneri feminam, nec licitè posse abstinere diu à Sacris, nec teneri carere diu publico, nec abstinere à fenestris lōgo tempore, nec non esse ad domus suæ ianuam, nec priuari amicarum consuetudine, rusticatione, & aliis oblectationibus, sine quibus vita degitur molestè; itaque semel, aut iterum, paucisque vicibus id tenetur efficere, quia sine molestia graui potest; diu autem non tenetur, quia esset valde molestum, & scrupulis plenum.

Non desinam hîc adnotare etiam Layman *lib. 2. tom.3. cap.13. num. 11. quæst. 13.* excusari feminas vtentes ornatu, quo nuda pectora & mammillas ostendunt; si fiat hoc secundùm morem patriæ, & absque mala vlla intentione. Vide etiam circa præsentem quæstionem de ornatu mulierum Suarez *disput.10. sect. 3. numer. 10.* Gordonum *tom. 1. lib. 6. quæst. 16. cap.5. §.2. numer. 15.* Sanchez *in summa tom. 1. lib. 1. cap. 6. numer. 17.* & Layman *loc. citat.* vbi ex Lessio *lib.4.cap.4.numer.110.* ponit hanc regulam, quòd quando aliquid non est per se malum, sed indifferens, excessus in vsu illius (seposita omni malitia extrinseca) non est nisi peccatum veniale, & ideo excessus in corporis ornatu considerata qualitate personæ, loci, &c. erit tantùm peccatum veniale.

Sed non desinam pro coronide huius resolutionis apponere hîc pro curiosis pulchrum dubium. Femina, vt dictum est, non tenetur lege charitatis abstinere ab ornatu & fuco, ita vt illi liceat se ornare & comere: at vult hoc facere cum peccato veniali ostentationis inanis; quæritur an in hoc casu contrahat malitiam scandali? Negatiuè respondet Salas *in part 2.tom.2. tractat.13. disputat.5. numer. 132* Zumel *in part.2.quæst.73. artic.8. dub.2. concluſ.3.* & Hurtado de Mendoza *in 2. 2. disputat. 173. sect. 24. Paragrap. 299.* vbi ait. Alienum peccatum mihi non imputatur quando sequitur ex meo facto cuius substantiā ego non teneor vitare lege charitatis, vt cōstat ex proposito exemplo; femina enim non tenetur abstinere tunc à substantia ornatus, vt pono; ergo peccatum alienum occasionatum ex illa substantia non potest imputari feminæ: quia illa non tenebatur vitare hanc occasionem; quòd verò femina peccauerit prauo fine, nihil refert scandali passiui, quia illud non fuit ornatum ex prauo fine, sed ex operis substantia. Vnde nullum peccatum feminæ fuit causa alterius ruinæ. Si verò ratione circumstantiæ malæ tenebatur femina vitare substantiam ornatus independenter ab scandalo alieno, tunc ei vitio vertetur, v.g. si ex temporis circumstantia, aut ex mariti præcepto, aut ex voto tenetur femina abstinere ab ornatu, tenetur etiam ex præcepto charitatis; quia tunc ex eius peccato, vt peccatum est, oritur alienum scandalum, oritur enim ex substantia ornatus hîc & nunc, quem hîc & nunc tenebatur vitare. Hæc Hurtado. ex quibus non videntur admittenda ea, quæ docet Alphonsus de Leone *de officio Confess. tom.1.recollect.7.num.369. & 371.* recognosce illum, & ex dictis ab Hurtado ad suas rationes respondebis.

RESOL. XXXII. *An sit licitum feminis vti vestibus virorum?*

AD hunc casum ita respondet Syluius *in 2.2. D. Thom. quæst. 169. artic. 2. ad 3.* vbi sic ait. Adnerte de se vitiosum esse, quòd mulier vtatur veste virili, aut è conuerso, partim quia per se indecens est quòd mulier mentiatur se virum, aut quòd vir mentiatur se mulierem: partim, quia talis commutatio est incentiuum concupiscentiæ, & præstat occasionē occultis libidinibus. vidè Clem. Alexandr. *lib.3. pædagog.cap.3.* Non tamen ita est de se vitiosum, quasi sit per se, seu natura sua malum, sicut mendacium, fornicatio, & alia huiusmodi, sed quia est de numero earum actionum, quæ absolutè consideratæ deformitatem, seu inordinationem quamdam important, ac nihilōminus circumstantiis quibusdam aduenientibus bonæ efficiuntur, de quarum numero S. Thom. *quodl. 9. art. 15.* dicit esse habere plures præbendas. Est ergò de se vitiosum, quia speciem mali habet, ac nisi per bonam aliquam circumstantiam iustificetur veri nominis, peccatum est. Hinc est quod D. Thom. *præsenti articul.* scribit illam vestium sexui propriarum mutationem posse aliquando fieri absquè peccato, veluti propter necessitatem, vel causa se occultandi ab hostibus, vel propter defectum alterius vestimenti, vel propter aliquid aliud huiusmodi. Si autem absque simili causa fiat solùm ex leuitate, & absit tam scandalum, quàm intentio periculumque libidinis, peccatum erit veniale, mortale verò si sit intentio, vel periculum lasciuiæ, aut alioquin notabile scandalum. Hæc Syluius.

RESOL. XXXIII. *An ad vitandam mortem, vel aliud grauissimum damnum, aliquando licitum sit vti pileo pallido Iudæorum, vel tobalia Turcarum?*

NEgatiuè respondent DD. quos citat Sanchez *in sum.tom.1.lib.2.cap.4.num.18.* quia pileum illud indicat eo vtentem esse Iudæum. Sed nullus potest licitè dare infidelitatis indicium. ergo neque eo pileo vti.

Sed hoc non obstante Gordonus *in summa tom. 2. lib. 6. quæst. 12. cap. 9. §. 3. numer.21.* Duuallius *in 2. 2. D. Thomæ, tractat. de fide quæst. 3. artic. 3. concluſ.2.* Wigers *in 2.2.quæst.3.art.2.num.50.* Tannerus *tom.3.disput.1 quæst.7.dub.5. num. 110.* Castrus Palaus *tom. 1. tract. 4. disput. 1. punct. 17. numer.3.* Coninck *de fide disput.15.dub.3. concluſ. 8.* & Hurtado de Mendoza *in 2. 2. disput.48. sect.3. §. 27.* censent probabilem, aut probabiliorem sententiam, nempe interdum licere vsurpationem signi, quo soli infideles vtun-

vtuntur pro ſigno ſuæ ſectæ. Et quoad pileum dico eius vſum poſſe eſſe ex aliqua cauſa diſtincta à Religionis cauſis; ergo poſſumus eam ob cauſam illo vti ob aliquam neceſſitatem vitandæ mortis. Antecedens patet, quia pileus habet effectus naturales independentes à ſignificatione Iudaica, non ſecus ac aliæ veſtes, quo diſtinguitur à verbis, quibus cum loquimur, non vtimur niſi ad ſignificandum obiectum vt à nobis concipitur. Conſequentiam probo, quia quando vſus eſt indifferens ad ſignificanda plura, non eſt cur ex graui neceſſitate vitandæ mortis non poſſem ego vti ad finem diſtinctum à profeſſione Religionis. Quod explico, quia commune eſt hoſtes indui ſuorum hoſtium veſtibus, vel vt eos capiant, vel fugiant. Vnde Turca videns in mari nauim cum gentilitio Lunæ, imprudenter cenſet nauem illam eſſe Turcarum, ſed ſi prudens ſit, debet timere ne ſit Chriſtianorum ſe alieno ſigno diſſimulantium; ergo eadem ratione ſi Iudæus gladio & ferro Chriſtiano, videat hominem Iudaico ritu pileatum, imprudenter cenſebit talem hominem eſſe Iudæum, debet enim ſuſpicari illum eſſe fortè Chriſtianum. Ratio à priori, quia in his euentibus hæc ſtratagemata ſunt familiaria hoſtibus ipſis ſic ſuos fugientibus. Cæteras rationes videbis apud Hurtado, qui reſpondet ad argumentum ſuperiùs allatum, diſtinguendo maiorem: illud enim pileum in noſtro caſu indicat prudenti æſtimatori circumſtantiarum eâ vtentem eſſe Iudæum determinatè. nego maiorem; indicat vagè & confusè eum eſſe Iudæum, vel hoſtem diſſimulatum habitu Iudaico, concedo maiorem. Diſtinguo item minorem, nullus poteſt dare indicium infidelitatis, quo determinatè prudens circumſtantiarum æſtimator, iudicet eum eſſe infidelem, concedo minorem; non poteſt dare indicium vagè indicans vel infidelitatem, vel hoſtilitatem occultam, nego minorem. Et ideo ſtante hac opinione, ex illa infert Duuallius *vbi ſuprà in 2. 2. D. Thom tractat. de fide, quæſt. 3. art 3. concluſ. 2.* Sacerdotem Gentilem & Turcicum ad fidem noſtram conuerſum, non teneri veſtes quibus vti ſolet, ſtatim deponere, & ſe prodere, atque periculo euidenti mortis ſe exponere. Et Catholicos Angliæ veſcendo carnibus diebus Veneris, & in Quadrageſima ad ſe occultandum minimè peccare, licet ad proteſtationem libertatis Euangelicæ talis eſus fuerit permiſſus & introductus. Rationes pro his illationibus videbis apud Duuallium.

RESOL. XXXIV. *An inſtante neceßitate licitum ſit vſurpare veſtes & ſigna infidelium inſtituta ad cultum & cæremonias falſæ legis?*

NEgatiuam ſententiam tenet Caſtrus Palaus *tom. 1. tract. 4. diſput. 1. punct 17. num. 7.* Turrianus *in 2. 2. tom. 1 diſput. 35. dub. 4.* Suarez *de fide diſput. 14. ſect. 5 num. 8. & 12.* Et ratio eſt, quia vſurpatio illius habitus eſt ſimulatio Religionis falſæ, quia illo determinatè ſignificamus obſeruationem Religionis falſæ, etenim veſtes illæ nulli alij vſui deſeruiunt. ergo, &c. & ita etiam docet ex Silueſtro, Toleto, Suarez, Iacobus Gordonus *in ſumma tom. 2. lib. 6. q. 12. cap 9. §. 2. num. 20.*

Sed contrariam ſententiam in terminis & expreſsè tenet Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 27. quæſt 4.* Sanchez *in ſumma tom. 1. libro 2. capit. 4. numer. 20.* quam vt probabilem tenet Coninck *de fide diſput. 15 dub. 3. numer. 73. concluſ. 9.* Caſtrus Palaus *vbi ſuprà*, & nouiſſimè docet Duuallius *in 2. 2. D. Thomæ, tractat. de fide, quæſt. 3. artic. 3. concluſ. 3.* Ioannes Wigers *in 2. 2. quæſt. 3. artic. ſecundo, numer. 56.* & Hurtado de Mendoza *in 2. 2. diſputat. 48 ſect. 4. Paragraph. 54.* Probatur, quia vſurpatio illius veſtis habet vſus naturales & politicos independentes à ſignificatione cultus illiciti. ergo vrgente graui neceſſitate poſſumus licitè illam veſtem vſurpare. Conſequentia patet ex §. 28. Antecedens probo; tum quia omnis veſtis poteſt calori, frigori & elegantiæ corporis ſeruire. nam & manipulus poteſt eſſe ad elegantiam, vel alium finem. quo differunt ſigna rerum à ſignis vocum, quòd voces natura ſua ſunt inſtitutæ ad ſignificandam rem, vt concipitur à loquente: vnde dare ſignum vocale Religionis alienæ, eſſet ſimulatio, & vitioſa: res autem natura ſua non ſunt inſtitutæ ad ſignificandum; vnde poſſumus illis vti independenter ab ea ſignificatione. Ab infidelibus res vſurpari ad illicitum ſuum cultum eſt rebus omnino per accidens, neque illis adimit ſignificationem naturalem, aut politicam. Nec ego teneor ad illorum conſuetudinem vrgenti graui neceſſitate, neque do ſignum quo prudenter in illis circumſtantiis cenſear determinatè eſſe infidelis. Secundò probatur quia ſi aliqua ratione vſurpatio huius veſtis eſſet illicita, maximè quia videtur eſſe quidam cultus, ſed non ex omni caſu. ergo. Probo minorem, quia veſtis ſacerdotalis non eſt cultus in Deum, ſed habitus quo exerceantur ceremoniæ & cultus in Deum, Sacerdos enim Iudaicus non colebat Deum ſola impoſitione mitræ, ſed quando ſic veſtitus mactabat victimas, aut adolebat incenſum: ſi autem extra templum extraheret mitram, nullum propterea cultum exerceret, ſed poſſet illam extrahere, vel ne caput infrigidaretur, aut vt elegantior mulierecula videretur. Tandem à priori, quia ex communi gentium conſuetudine ſunt ſtratagemata ſatis familiaria, adeò vt ingruente bello alteri hoſtes ſe diſſimulent ſignis alterorum hoſtium, tunc enim prudens quiſque, qui de facie non nouit eum, quem propè ſe videt amictum habitu ſimili ſuo, debet cohibere aſſenſum, neque opinari certè illum eſſe amicum, debet enim timere an ſit explorator, an hoſtis occultus. Itaque in illo caſu vſurpatio veſtis iuxta communem conſuetudinem etiam illius gentis, non ſignificat determinatè profeſſionem falſæ religionis. nam & gens illa eodem ſtratagemate vtitur in ſimili periculo; quando autem deſunt huiuſmodi circumſtantiæ, & prudens quiſque omnibus conſideratis cenſeat nullam eſſe occaſionem induendæ veſtis præter internum aſſenſum falſæ religionis, tunc vſurpatio illius veſtis eſt ſimulatio, & conſequenter eſt contra veracitatem, & religionem, in aliis caſibus non eſt; quia de ſe non eſt

ſignifi-

ſignificatiua, vt eſt loquutio. Ita Hurtado *vbi ſuprà*, qui rectè etiam *in* §. 57. docet aduersùs aliquos poſſe Catholicum vti veſtibus, in quibus depictæ ſunt imagines Deorum, & in vexillis effigiem Mahometis, Lunæ, Martis, &c. Quid autem faciendum ſit ad vitandum ſcandalum in ſupradictis actionibus, vide Hurtadum *in* 2.2. *diſput.* 173. *ſect.* 23. §. 288. *& ſequent.* vbi optimè notat quòd ſi immineat periculum deſerendæ fidei in cruciatibus, aut alijs ærumnis non adeſſe obligationem ad vitandum aliorum ſcandalum à dictis actionibus abſtinere.

RESOL. XXXV. *An tranſeunti per loca hæreticorum, & infidelium, ſit licitum comedere cibos vetitos ad euitandum graue damnum?*

REſpondeo à fortiori ex dictis vtplurimum affirmatiuè, quia licet per huiuſmodi ſigna aliquo modo diſtinguantur fideles ab hæreticis, & infidelibus, at non ſunt ſigna inſtituta ad falſæ fidei profeſſionem & proteſtationem hæreſis. ergo illis cibis vtens præſumi non potes negare fidem, aut falſam proteſtari, ſed ſolùm te occultare voluiſſe, cùm tenearis te manifeſtare. Ita Sanchez *in ſumma tom.*1. *lib.*2. *cap.*4. *num.* 25. Azorius *tom.*1. *lib.*8. *cap.* 27. *q.*3. Coninck *de fide diſput.* 15. *dub.*3. *numer.*50. Hurtado de Mendoza *in* 2.2. *diſput.*48. *ſect.*6. §. 99. Becan. *in* 2. 2. *cap.* 9. *q.*5. *num.* 23. Caſtrus Palaus *tom.*1. *tract.*4. *diſp.*1. *punct.*17. *num.*9. Layman *lib.*2. *tract.*1. *cap.*11. *num.*1. & alij. Dummodo abſit ſcandalum, quod quis facilè poteſt euitare manifeſtando cauſam, & niſi publica authoritate prouoceris, cibos illos edere in contemptum Eccleſiaſtici præcepti.

RESOL. XXXVI. *An liceat vendere Gentilibus Idolum ad euitandum periculum mortis?*

VIdetur reſpondendum negatiuè, quia Doctores abſolutè docent talem venditionem eſſe illicitam, nec excipiunt caſum neceſſitatis. vide Lorcam *in* 2. 2. *q.* 10. *art.* 9. *num.* 5. Caſtrum Palaum *tom.*1. *tract.*6. *diſput.*6. *punct.*8. *num.*2. Duuallium *in* 2.2. *D.Thomæ tract. de fide, q.*7. *art.*9. *concl.*1. Molfeſium *in ſumma tom.*1. *tract.*8. *cap.*10. *num.*66. Ioannes VVigers *in* 2.2. *q.*10. *art.*9. Verùm Valentia *tom.*3. *diſput.*1. *q.*10. *punct.*6. cum Syluestro docet eam venditionem in tali caſu licere, quod non cenſet improbabile Coninck *de fide diſput.*18. *dub.*13. *concluſ.*1. *num.*12. quia cùm hæc venditio ex ſe, & prout proficiſcitur à vendente, non cedat in honorem, aut cultum falſæ religionis, ſed ſolùm quatenus vendens per eam videtur conſentire & cooperari malæ alterius emptioni ac intentioni, extrema neceſſitas videtur eum excuſare & efficere, ne illa venditio ſecundùm moralem æſtimationem cenſeatur hîc & nunc vllo modo fieri in talem finem, aut eſſe cooperatio alterius malitiæ, ſed ſolùm medium euadendi præſens periculum. Confirmatur, quia qui furi dat inſtrumenta, quibus alienam domum eſt effracturus, aut furioſo paranti alterum occidere dat gladium, quo facinus perpetraturus eſt, non minùs videntur horum malæ voluntati cooperari, quàm ille qui Ethnico vendit idolum, & tamen ſi illi id faciant, quia aliter mortem nequeunt euadere, ratione huius circumſtantiæ non cenſentur aliorum nequitiæ moraliter cooperari, & excuſantur ab omni culpa; ergo idem videtur dicendum de vendente idolum, ne aliàs occidatur. & fortè D. Thom. alijque abſolutè docentes talem venditionem eſſe illicitam, hunc caſum non negant, quia facilè poſſunt intelligi eam per ſe eſſe illicitam, niſi ex huiuſmodi circumſtantijs excuſetur. Ita Coninck, quod non audet hoc concedere in ædificatione idoli, vel illius confectione, aut veſtis ſacerdotalis ad petitionem infidelis factam; & de hoc dictum eſt *ſuprà*. Nota etiam quòd ſententiam Valentiæ tenet nouiſſimè Adamus Tannerus *tom.*3. *diſput.*1. *quæſt.*9. *dub.*5. *num.*144. docens, Chriſtianum magna egeſtate preſſum, quam aliunde ſubleuare facilè non poſſit, poſſe infideli idolum vendere, ſi modò mala intentio abſit, & quacumque demum ratione conſtet, eum hoc non facere ea intentione vt eiuſmodi ſuperſtitioni faueat, aut eam quouis modo profiteatur; ſed, vt dixi, Doctores contrariam ſententiam tenent communiter.

RESOL. XXXVII. *An liceat vendere Iudæis agnum, quem ſcio ab ipſis immolandum, & de ſimilibus venditionibus?*

LIbet huic quęſtioni reſpondere cum verbis Petri Lorca *in* 2.2. *q.* 10. *art.* 9. *num.* 5. vbi ſic ait: Conſentiunt omnes nefas eſſe vendere, aut quomodolibet miniſtrare ea quæ per ſe ad infidelitatem conferunt; nec alium vſum habent, vt veſtes ſacerdotales, idola, templa idolorum, ſynagogas & ſimilia, quia hoc eſt cooperari prauis actionibus. Et eodem modo vniuerſim non licet præbere alicui, conſtruere, aut vendere quæ per ſe malæ actionis inſtrumenta ſunt. Solùm ergo eſt dubitatio de indifferentibus quæ per ſe determinata non ſunt ad prauæ actionis vſum, ſed poſſunt in alios vſus aſſumi, ex malitia tamen infidelis ad infidelitatis actiones applicantur, vt vendere agnum Iudæo, quem ipſe immolet, pannum, aut ſetica Gentili, ex quibus veſtem ſacerdotalem conficiet. In quo puncto conueniunt etiam authores peccatum eſſe, ſi iſta vendantur ea intentione, vt infidelis ad infidelitatem eis vtatur, & nullum eſſe peccatum, ſi vendantur cum ignorantia probabili futuri vſus. Sed controuertitur ſi vendantur ſine intentione, cum ſcientia tamen praui vſus. Ioannes Medina *C. de reſtitut. q.*30. Antonin. 3. *part. tit.*1. *cap.* 27. §. 3. Roſell. *ver. Iudæus.* Armilla *ver. Infidelitas, num.*7. affirmant, quia indirectè cooperamur peccato infidelis. Meliùs tamen Caietan. *art.*4. *huius quæſt. & q.*169. *art.*2. Angelus *ver. Infidelitas, num.*1. Nauarrus *in ſumma cap.*20. *num.*16. *& cap.* 23. *num.*91. dicunt non eſſe peccatum, quia cùm hæc inſtrumenta indifferentia infideli præſtantur, actio iniqua eius non eſt volita directè, neque indirectè, eſt enim effectus per accidens, & nõ per ſe conſequẽs, qui non imputatur, etiamſi ſit præuiſus, dummodo non ſit intentus vt patet ex doctrina S. Thom. 1.

2.quæſt.74.art.8.& q.20.art.4. Quidam limitant hanc ſententiam vt vendere non liceat, ſi eo quòd nõ dederim ſperetur impediri peccatum alterius, & ego non patior detrimentum aliquod magni momenti. Sed non oportet his ſcrupulis innodare conſcientiam, nam hîc non agimus de obligatione impediendi peccatum alterius, quæ prouenit ex correctione fraterna & charitate, & habet ſuas regulas quas agentes de charitate trademus: nunc verò ſolùm agimus de ea obligatione, quæ oritur ex cooperatione & concurſu ad iniquam alterius actionem, & qui huiuſmodi inſtrumenta miniſtrat, rarò impediri poterit alterius peccatum, & ratiùs tenetur diſcutere, an impedire valeat. Aliter tamen ergo limito ſententiam hanc, quo pacto poteſt etiam in concordiam cum priori reduci. nam aut inſtrumenta hæc quantumcumque indifferentia dummodo ſint apta, præbentur non ſolùm ei, quẽ ſcio, vel probabiliter credo malè vſurum, ſed etiam exercenti actu prauam actionem, vel ad eam proximè parato, aut ſolùm dantur cum dubio, vel præcognitione praui vſus, non tamen in ipſo exercitio, aut exercitium paranti. In primo caſu non dubito peccatum eſſe quomodocumque dare, & cooperationem in re iniuſta. Ratio eſt, quia vel non poſſunt hoc modo dari ſine expreſſa intentione mali euentus, vel ex circumſtantijs efficitur cauſa per ſe hîc & nunc illius effectus praui, hac enim ratione peccaret, qui tendenti ad occiſionem alicuius præberet gladium, & qui agenti, aut paranti bellum iniuſtum venderet arma & commeatum, & qui ſacrificanti Iudæo, aut Gentili præberet agnum, aut victimam. In ſecundo verò caſu procedit ſecunda ſententia, & eius fundamentum. Hæc omnia Lorca, quem ſequitur Coninck *de fide, diſp.18. dub.13. concl.2.num.214.*

Vnde ex his infertur qua ratione ſit licitum, aut illicitum conficere, aut vendere res aliquas, quibus emptores creduntur ad peccandum abuſuri, v.g. veſtes, quibus abutentur ad ſuperbiam, aut luxuriem; arma, quibus vtentur in bello iniuſto, aut aliquem iniuſtè occident. Dicendum enim eſt primò non licere eiuſmodi res vendere, quę communiter ſolent in malum vſum peti, niſi nobis conſtet hîc & nunc non peti in malum vſum. Hinc pharmacopolæ prohibentur paſſim omnibus vendere venena. Secundò licere bona intentione conficere & vendere res ex ſe ac communi vſu indifferentes ad bonum, vel malum vſum, etſi ſciam ementem aliquando ijs ad malum abuſurum, modò venditio, atque emptio ita fiant, vt ex ijs earúmve circumſtãtijs non poſſit hîc & nunc colligi ille malus vſus futurus, ſiue mala mentis intentio; ſecus verò eſſe quando emptio cum eis circumſtantiis fit, ex quibus exteriùs apparet mala mentis intentio. Hinc illicitè iam furenti, & minitanti alteri necẽ vendo gladium. Item illicitè defero arma ad caſtra eorũ, qui iniquum bellum gerunt, aut etiam iam apertè ad illud proficiſcentibus illicitè ea vendo. Secus eſſet ſi aliquibus meam officinam omnibus patentẽ inſtar aliorum accedentibus ea venderem, quos ex aliquibus alijs ſignis conijcerem velle ad bellum iniuſtum proficiſci, aut aliquando aliquos occiſuros, tunc enim his, ſicut alijs, licitè ea vendo, niſi fortè non vendendo poſſem eorum peccatum vel abſolutè, vel magna ex parte impedire, tunc enim ſi ſine notabili meo incommodo poſſem ea non vendere, ad hoc tenerer. Quòd ſi non poſſem ea non vendere ſine tali incommodo, tunc videndũ eſt, an malum quod non vendendo impedirem, ſit tanti momenti, vt ad illud euitandum teneat illud incommodum pati, vel contrà, an ſit leuius, quàm vt teneat illud cum tanto meo incommodo impedire. In ſecundo enim caſu licitè talem rem vendo, vt incommodum vitem, ſecus eſt in priore. Quæ etiam locum habent in venditione rerum ex ſe indifferentium, quæ communiter ad malum finem petuntur (vt ſunt venena, & ſimilia) aut in ijs circumſtantijs petuntur, ex quibus patet eas ad malum vſum peti. Et hæc omnia docet Coninck *vbi ſuprà, num.217.218.& 219.* Vide etiam me ipſum *in 1.part.tract.8.reſol.41.* neque deſeras videre Syluium *in 2.2.quæſt.77 art.4.quæritur 1.concluſ.1.& ſeq.* & Caſtrum Palaum *tom.1.tract.6.diſp.6.punct.8.per totum.*

Verùm poſt hæc ſcripta inuenio Hurtadum de Mendoza *in 2.2.diſp.76.ſect.5.§.179.* docere, vrgente neceſſitate graui licere miniſtrare Iudæo agnum, quem emit immolandum; & contra Lorcam putat, parum referre Iudæum eſſe paratum, vel imparatum. Sed circa præſentem quæſtionem vide etiam Duuallium *in 2.2. D.Thomæ, tract.de fide, q.7. art.9.concl.2.* Granado *in 2.2.contr.4.tract.18.diſp.12. n.3.* Malderum & VVigers *in 2.2.quæſt.10.art.9.*

RESOL. XXXVIII. *An licitè poſsis miniſtrare indifferentia, eo quòd proximus aliàs erat tranſgreſſurus præceptum?*

NEgatiuè reſpondet Suarez *de charitate, diſp.10. ſect.3.num.2.& ſect.4.num.5.* cum Caſtro Palao *tom.1.tr.6.diſp.6.punct.10.n.4.* & ratio eſt, quia ſi proximus, v.g. alibi non eſſet ſoluturus ieiunium, & tu nulla cauſa intercedente cœnam ſubminiſtrares, ferè omnes conueniunt te peccaturum, quia aliquo modo concurris peccato alterius. At quòd alibi proximus ſit ſoluturus ieiunium, non immutat tuum concurſum, qui in ſubminiſtratione cœnæ conſiſtit. ergo eodem modo concurris. Præterea contra diſtinctionem Sanchez eſt, quia tota malitia harum actionum indifferentium ſumitur à peccato, quod adiuuant; cùm autem hoc graue ſit, vt ſupponimus, ſemper debet dare malitiam grauem. Ergo vel eſſe alibi proximum peccaturum excuſat, ne peccatum proximi ijs actionibus indifferentibus tribuat malitiam, vel ſi non excuſat, non poterit illam minuere. Adde eſſe proximum eodem modo peccaturum, eſto tu non miniſtres neceſſaria peccato eſt contingens, & fortè ita non erit, poterit enim alia via impediri à peccato, vel Dei inſpiratione remoueri, quantumuis modò ſit determinatus. Ergo quantum eſt ex te, teneris hunc effectum bonum poſſibilem promouere, & impedimentum ei non apponere.

Verùm Sanchez *in ſumma, tom.1.lib.1.cap.7. num.16.* circa præſentem quæſtionem ſic diſtinguendũ exiſtimat, ſi res indifferens ſit ita proximè ad

peccatum

peccatum ordinata, vt per ſe mala ſit meritò cenſenda, quamuis in aliquo caſu poſſit eſſe licita, iuxta dicta *num.* 7. ſuppeditans non excuſatur à culpa, quamuis certò ſciat alium paratum ad peccandū, & inuenturum alium, qui materiam ſuppeditet, vt nemo excuſaret admouentem ſcalam, vel humeris ſuſtentantem, quando quis vult furari, aut hominem interficere, aut fornicari. Quamuis hæ actiones ex ſe indifferentes ſint, & in aliquo caſu maxima excuſanti cauſa licitæ, nec deeſſet qui iuuaret. Et ratio eſt, quia tales actiones ita proximè peccato accedunt, ad illudque ordinantur, vt ex ſe malæ dici meritò queant, niſi cauſa aliqua vrgenti excuſentur. Si verò res illa ſit omnino ex ſe indifferens, ac remotè ſe habeat ad peccatum, vt vendere agnum infideli, quem ſcio velle ad immolandum idolo, fucos mulieri, quos ſcio velle ad alliciendum iuuenes ad turpem ſui amorem, tunc probabile cenſeo vendentem excuſari à culpa, ſi certò ſciat ipſo non vendente, alterum venditurū, quamuis nulla alia cauſa excuſans concurrat, quod probant rationes pro parte affirmatiua adductæ. Vel certè eſt ſatis probabile id non fore culpam mortalem, atque re bene perpenſa ita probabilius iudico, ſed fore culpam venialem. Ita Sanchez, quem poſtea ſequitur Bonacina *de peccatis, diſput.* 2. *quæſt.* 4. *punct.* 2. §. *vnico, num.* 35. vnde puto vtramque ſententiam probabilem eſſe.

Hinc ex hac poſteriori ſequitur vendentem ornamenta, fucos, &c. quibus mulier iam parata abutetur, excuſari poſſe à mortali, ſi ipſo non vendente, alter venderet, etſi hoc faciat iuſta de cauſa. Secundò excuſari caupones, & tabernarios, cœnam, vel ientaculum matutinum, aut pomeridianum nolenti ieiunare, qui alios cibos inueniret ipſis non parantibus cœnam, vel ientaculum. Tertiò excuſari famulos parantes menſam, aut menſæ inſeruientes, aut coquentes cibos. Vide Bonacinam *vbi ſuprà.*

RESOL. XXXIX. *An licitum ſit vendere vinum tabernarijs ſi ſciam illud poſtea reuendere aqua mixtum?*

DE hac quæſtione alibi dictum eſt, nunc tantùm apponam verba Molfeſij *in ſumma, tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 10. *num.* 63. vbi ſic ait. Deducitur ſextò, quòd ſi quis venderet vinum ſuum tabernarijs iuſto pretio, & tabernarij poſtea corrumperent illud vinum cum aqua, vel alio vino inferioris cōditionis, excuſatur venditor. Secus ſi nomine ipſius domini tabernarij venderent vinum, & ſciente domino illud corrupiſſent; ſecus ſi dominus vini id neſciret, quamuis timeretur talis admixtio. nam rarò quis inueniet tabernarios; de quibus id timeri non poſſit, & ſatis eſt vt dominus vini directè non cooperetur malitiæ tabernariorum; & quòd iuſtè negotiationem ſuam faciat. Ita ille.

Sed mihi circa hæc quæ docet Molfeſius, placent ea, quæ docet Merolla *tom.* 1. *diſp.* 2. *cap.* 4. *corollar.* 6. *num.* 304 *& ſeq.* vbi ſic ait. Quod dictum eſt de deponentibus pecunias apud vſurarios, dicendum eſt etiam de vendentibus vinum tabernarijs, quos norunt, diuerſis fraudibus fore, vinum plus iuſto pretio vendituros, vt minuendo menſuram, admiſcendo illi aquam, &c. Si enim abſque graui damno poſſunt illis non vendere, tenentur ſub mortali abſtinere, quia abſque iuſta cauſa præbent alteri occaſionem peccandi cum iniuria tertij. Secus verò ſi nō vendendo illis aliquod graue damnum paterentur, vt quia non inueniunt alios emptores, de quibus prædictæ fraudes timeri nō poſſent. Quòd ſi hi non vendunt vinum tabernarijs, ſed tradunt vinum illis mercede conductis, vt nomine ipſorum illud vendant; exiſtimat Sanchez *lib.* 1. *ſum. cap.* 7. *num.* 37. nullo modo excuſari poſſe à peccato, ſed teneri non tradere quia tunc ipſi tradentes re vera vendunt, ac iniuſtitiam per tabernarios tamquam per ſuos miniſtros cenſentur cōmittere, & conſequenter tenentur ad reſtitutionem damni, quod emptoribus obuenit. Addit verò hic auctor, ſi hi tradentes ignorent inuincibiliter tabernarios vſuros eſſe fraudibus, excuſari quidem à peccato vinum tradendo, teneri tamen reſtituere inquantùm facti ſunt locupletiores, reportantes aliquem iuſti pretij exceſſum inſtar poſſeſſorum bonæ fidei. Ego verò exiſtimo etiam in hoc caſu poſſe excuſari à peccato tradentes eo modo vinum, ſi ſupponamus duo. Primum eſt, adeſſe iuſtam cauſam tradendi; vt quia aliàs paterentur graue damnum. Secundum, quòd tradant vinum illud vendendum pretio iuſto. Nec refert quòd hi tradentes præuideant tabernarios vſuros eſſe fraudibus, vt vendendo plus iuſto pretio, vel minuendo menſuras, hoc enim non debet ipſis tradentibus ad culpam imputari, quia traditio illa vni non eſt ex obiecto mala, ſed indifferens; ergo quamuis tradentes ſciat tabernarios ex eo vino ſumere occaſionem fraudandi emptores, non propter hoc tenentur non tradere ſi ex non traditione graue damnum paterentur, ſicut diximus ſupra de eo, qui deponit pecuniam apud vſurarium, & dicemus *num.* 308. de reſtituente gladium domino furioſo petenti. Verum tamen eſt, quòd ſic tradentes vinum non poſſent participare de illo exceſſu pretij vltra ſupremum, quo tabernarij vendiderunt, ſed deberent tantùm à tabernarijs recipere pretium iuſtum vini venditi. Huc vſque Merolla, cui ego libenter aſſentior.

TRACTATVS OCTAVVS
DE
ELEEMOSYNA.

RESOL. I. *Quædam ſuppoſita pro intelligentia dicendorum.*

SVPPONO primò quòd indigentia pauperum eſt triplex, extrema, grauis, & communis. Extrema eſt, quando quis eis caret, quæ neceſſaria ſunt ſimpliciter naturæ; hæc autem non ſolùm conſideratur quãdo niſi ſuccurratur indigenti, ſtatim, aut citò exhalabit animam, ſed cum maiori latitudine. nam ſi aut vita abbreuiabitur rerum penuria, aut in grauem & diuturnum morbum incidet, etiam cenſetur extrema neceſſitas, vel, vt alij vocant, quaſi extrema; extrema verò & quaſi extrema in moralibus æquiparantur, in quibus parua differentia, aut diſtantia nulla cenſetur. Porrò nonnulli dubitant, an extrema neceſſitas ſit ſolùm quæ merè naturaliter, vel etiam quæ alterius malitia & violentia incurritur; non videtur tamen eſſe locum dubio, quia quæ alterius malitia obuenit, vera neceſſitas eſt, & non eſt voluntaria patienti. Imò eſt maior neceſſitas, quia cum inopia coniungitur iniuria.

Grauis indigentia diffiniri ſolet quando deſunt neceſſaria iuxta decentiam & conditionem ſtatus. Sed cùm requiſita ad ſtatum & neceſſaria perſonę magnam latitudinem habeant, vt diximus, non omnia quæ neceſſaria ſunt ſtatui, ita vt non cenſeantur ſuperflua, efficiunt grauem neceſſitatem. & potiùs tres gradus in his diſtingui debent. Primus eorum, ſine quibus neceſſe eſt à ſtatu omninò decidere. Secundus eorum, ſine quibus licet non decidatur à ſtatu, ægrè tamen & cum labore ac difficultate conſeruatur. Tertius eorum, ſine quibus non æquè benè, benè tamen & ſufficienter ſtatus conſiſtit. Quæ ſunt in primo genere, manifeſtè conſtituunt grauem neceſſitatem, ſi deficiant. quæ autem ſunt in tertio genere, nullam neceſſitatem conſtituunt, quæ ſit obiectum eleemoſynæ: ille enim qui eis caret, non eſt pauper; quæ autem ſunt in ſecundo genere, poſſunt habere latitudinem, etſi moleſtia, labor, & inopia intra proprium ſtatum magna ſit & vrgens, grauem neceſſitatem facit: vt ſi quis magnis debitis in carcere detineatur, aut ſit captiuus inter hoſtes, aut tenui nimis victu & veſtitu vitam tranſigat: ſi autem non ſit adeò vrgens, ſit tamen alicuius momenti & conſiderationis, efficit neceſſitatem communem. Poteſt etiam contingere vt neceſſitas, quæ cogit à ſtatu cadere, non ſit ſolùm grauis, ſed exrrema, quod fit quando niſi à ſtatu decidat mendicando, aut ſeruiendo, aut artem mechanicam diſcendo, vitam conſeruare non poteſt. Sunt enim multi, quibus hoc modo mutare ſtatum adeò eſt indecens, & ignominioſum, vt potiùs mori malint, & non teneantur vitam conſeruare cum iſto diſpendio, hi extremè egere cenſendi ſunt.

Communis neceſſitas eſt, quæ vera indigentia eſt, & alicuius momenti, (nam ſi leuiſſima eſſet, quaſi nulla reputari deberet) & tamen recedit ab extremo & grauitate præcedentium, talis cenſetur neceſſitas eorum, qui mendicant. nam quamuis valde indigeant, & ſolùm poſcere videantur quæ ad vitæ ſuſtentationem arctè requiruntur, ideo cenſetur eorum neceſſitas communis, & non grauis, quia ab omnibus & à multis petunt, &, moraliter loquendo, non poteſt illis deeſſe, quod ſufficit pro conditione ſtatus; id verò intelligendum eſt tam de ijs, qui publicè, quàm qui ſecretò mendicant, dummodo mendicitatem ex conſuetudine exerceant. Eadem ratione cenſetur communis neceſſitas, quam aliqui etiam non mendicantes intra proprium ſtatum patiuntur, quæ non ſit nimis vrgens & grauis, vt modò dicebamus. Hæc ergo omnia præ oculis habenda ſunt in iudicio de præcepto eleemoſynæ. quæ quidem potiùs prudentis arbitrio in euentibus & circumſtantijs diſcerni poterunt, quàm certa & fixa regula comprehendi. Et hæc omnia docet Lorca *in* 2.2 *ſect.* 4. *diſput.* 39. *n.* 1. *& num.* 8. 9. 10. & alij communiter.

Suppono ſecundò, bona quę ad ſubueniendum ſupradictis neceſſitatibus erogari poſſunt, ad tria genera reuocantur; quædam enim ſunt neceſſaria ad ſuſtentandam vitam propriam, & eorum qui ſub noſtra degunt cura; alia ſolùm ad ſtatum conſeruandum, vt ſcilicet quis ſe gerat provt decet ſtatum ſuum, & hæc non conſtituunt in indiuiſibili. Poſtremum ergo genus bonorum eſt, quod abſolutè ſuperfluum appellatur, eo quòd nec ad naturæ, ſeu vitæ, nec ad ſtatus conſeruationem neceſſarium ſit. Ita Granadus *in* 2.2. *contr.* 3. *tract.* 11. *diſp.* 2. *ſect.* 1. *num.* 3. & alij communiter. His ſuppoſitis quæritur

RESOL. II. *An quis teneatur in extrema neceſſitate dare eleemoſynam, non ſolùm titulo charitatis, ſed etiam lege iuſtitiæ?*

AFfirmatiuam ſententiam docent Spino *in ſpecul. teſtam. gloſ.* 6. *num.* 8. Nauarra *de reſtitut. lib.* 3. *cap.* 1. *à num.* 344. Alexander de Ales 4. *part. quæſt.* 113. *mem.* 1. Caietanus *in* 2.2. *quæſt.* 118. *art.* 3. Sarmiento *de reddit. Eccleſ. part.* 3. *cap.* 1. *concluſ.* 3. Aragonius *in* 2.2. *quæſt.* 32. *art.* 5. & alij. Vnde D. Thom. *in* 2.2. *quæſt.* 118. *art.* 4. *ad* 4. docuit eſſe præceptum legale de eroganda ſtipe extremè indigenti. Probatur hæc opinio, quia in hoc caſu poteſt quis cogi per iudicem ad faciendam eleemoſynam, quia omne

omne homicidium eſt contra iuſtitiam, vt patet ſed detractio eleemoſynæ in extrema neceſſitate eſt homicidium, vt patet *in c. paſce, diſt.* 86. ibi, *Quiſquis enim paſcendo hominem ſeruare poterat, ſi non pauſti occidiſti.* ergo, &c. Et ideò ex hac ſententia, vt obſeruat Hurtado de Mendoza *vbi infrà, ſect* 3. §. 31. ſequitur teneri quem ad reſtituenda damna, quæ eius omiſſione ſunt ſequuta, v. g. ſi quis paſſus eſt fame emori alicuius ſeruum, tenetur pretium iuſtum ſoluere domino, quia ius illud ſerui erat in vtilitatem domini. Item ſi ille, qui fame periit, reliquit filios quibus deberentur opera patris, poſſunt filij ea exigere à prætermittente eleemoſynam, & ſic in ſimilibus.

Verùm his non obſtantibus contrariæ ſententiæ tamquam probabiliori adhæreo, quam tuetur Lorca *in* 2. 2. *ſect.* 3 *diſp* 39. *mem.* 4 *num.* 45. Sanchez *in opuſc. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 5. *num.* 61. Salonius *in* 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 7. *contr* 1. Bannez *in* 2. 2. *quæſt.* 32. *artic* 6. Malderus *in* 2. 2. *quæſt.* 32. *art.* 6. *dub.* 3. Azorius *tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 9. *quæſ.* 3. Turrianus *tom.* 1 *in* 2. 2. *diſput.* 82. *dub.* 3. Sotus *de Iuſtitia, lib* 4. *quæſt* 7. *art.* 1. *ad* 4 *& lib.* 5. *quæſt.* 3. *art.* 4. Bellarminus *lib. de eleemoſyna, cap.* 6. *in fine.* Ludouicus de San Iuan *in ſumma, quæſt. de eleemoſyna art.* 3. *dub* 3. *difficult.* 3. *concl.* 2. Cominck *diſp* 27. *dub.* 7. *num.* 104. Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 4. *c* 20. *nu* 264. Gordonus *tom.* 2. *lib.* 6. *quæſt.* 14. *cap.* 5 §. 2. *num* 9. Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 144. Vaſquez *opuſc de eleemoſyna, cap.* 1. *num.* 37. Suarez *de charitate diſp.* 7. *ſect* 6 *n.* 2. & alij. Vnde Villalobos *in ſumma tom.* 1. *tract.* 22. *diffic.* 2 *nu.* 9. ſic ait. [De lo dicho ſe infiere, que la perſona particular que en eſte caſo no da limoſna no eſtà obligado a reſtituyr, porque ſolo eſta obligado à darla de caridad, y de miſericordia.] Ita ille. Probatur hæc opinio eo quòd nullum eſt idoneum argumentum tam ſtrictæ obligationis, nam vel tale præceptum dicitur eſſe poſitiuum & humanum, & nullum tale poteſt aſſignari; vel ponitur naturale, & neque hoc dici poteſt; quod enim dixit Caietanus in extrema neceſſitate omnia bona eſſe communia, non ſic accipiendum eſt, quaſi qui bona illa poſſidet, amittat dominium propter neceſſitatem alterius, ſed ſolùm quòd ex charitate & miſericordia obligetur ad ſubueniendum neceſſitati extremæ, prout neceſſitas poſtulauerit, vt in ſequentibus explicabimus.

Non deſinam tamen hîc admotare Hurtadum de Mendoza *in* 2. 2. *diſp.* 159 *ſect.* 4. § 36 has pugnantes ſententias fœdere diſtinctionis vnire, ſic enim ait. De his duabus ſententiis ſic opinor. Prima eſt probabilior, quando extremè indigens eget pecunia, veſte, pharmaco, aut alio bono, quod pertinet ad bonorum diuiſionem factam iure gentium. Illa enim bona ſunt cuiuſuis hominis extremè indigentis, ad quæ is habet ius iuſtitiæ, quo iure priuari non potuit bonorum diuiſione, & in hoc ſenſu loquuti ſunt omnes Doctores, quos adduxi pro prima ſententia, cuius authores grauioris ponderis ſunt, quàm ſecundæ, argumentum item de bonorum diuiſione multo efficacius. At verò quando proximus indiget noſtra induſtria, non tenemur illam ex iuſtitia præbere, quia ad eam numquam ille habuit ius iuſtitiæ. e. g. ſi hominem occidat beſtia, ignis, aut aqua, nõ teneor ego ex iuſtitia neque cum beſtia pugnare, neque ignem extinguere, neque hominem ex vndis eruere, neque illud periculum monere; teneor tamen ex charitate ſi poſſum abſque proportionato damno. Neque tunc ſum propriè homicida, Sancti enim adducti pro prima ſententia loquuntur de negante bona, quæ diuiſione non potuerunt alienari ab extremè indigente, impropriè autem ſum homicida, quia ſum immiſericors in proximi vitam; hoc autem peccatum non eſt, niſi in ſpecie immiſericordiæ, non verò in ſpecie homicidij, ſeu iniuſtitiæ. At verò ſi per immiſericordiam ſubtraho alimentum, aut alia id genus, peccatum eſt immiſericordiæ, & iniuſtitiæ ſimul, iniuſtitiæ, inquam, & homicidij, quia cauſa vitandæ mortis alienæ teneor ego erogare bona, quia in eo articulo datum eſt illi à Deo ius ad illa, quod numquam datum eſt ad meas operas. & hæc omnia docet Hurtadus *vbi ſuprà.*

Notandum eſt tamen hîc obiter docere Sarmientum, quem citat & ſequitur Turrianus *in* 2. 2. *diſp.* 82. *dub.* 3. quòd obligatio illa iuſtitiæ ſi adeſſet, ſolum eſſet pro tempore neceſſitatis ex mente auctorum primæ opinionis, & ideò ſubſidiaria dicenda erit, id eſt, in ſubſidium occurrentis neceſſitatis.

RESOL. III. *An priuati homines teneantur inquirere pauperes?*

CIrca præſens dubium viſum eſt mihi apponere hic verba Hurtadi de Mendoza *in* 2. 2. *diſp.* 159. *ſect.* 3. §. 13. *& ſeq.* vbi ſic aſſerit. Priuati homines non tenentur inquirere pauperes, aut qui homines egeant. Primùm, quia hæc non eſt ignorantia iuris, ſed facti, quam quis non tenetur depellere, niſi aliud occurrat, quo obligetur. Secundò, quia moleſtiſſima eſſet hæc obligatio, & homines auocaret à cæteris occupationibus, quibus neceſſariò ſtudent. Tertiò, quia id munus ſpectat ad alios, quos illo legitimè fungi poſſunt ſibi perſuadere. Tandem egeni ſe produnt frequenter, & vix vnquam quis perit occultè, de contingentibus autem tam ratò non erat ferenda lex. At verò vrbe deflagrante peſte tenetur quis dum in ea eſt, diligentiam adhibere in conquirendis egenis, tunc enim eſt moraliter impoſſibile, quin multi pereant, niſi conquirantur. Duo autem excuſare poſſunt priuatos in ea occaſione. Alterum, ſi ita à magiſtratibus ſit prouiſum egenis, vt nullus latere poſſit. Alterum, ſi immineat probabile periculum intereundi. nullus enim pro priuati hominis vita tenetur propriam exponere morti. Eſt item in homine neceſſaria facultas tam phyſica, quàm moralis, etenim qui caret facultatibus, aut induſtria, quibus poſſit egenti opitulari, ad id non tenetur, quia non poteſt. Item quamuis aliquis habeat quibus poſſit phyſicè opitulari mendicis, non poteſt aliquando licitè, quia hæc facultas non eſt ſua, ſed aliena. De alieno autem nullus poteſt erogare ſtipem niſi extremè indigenti. Neque me obligat eleemoſynæ lex, quando ego exiſtimo eam re ipſa erogandam ab alio. Si autem mihi perſuadeam id à nullo alio præſtandum, teneor id ego præſtare. Vtriuſque ratio eſt,

quia

quia alio opitulante non indiget mea opera,quam nulli debeo,nisi indigo ; quando verò alij nõ opitulantur siue culpatè, siue inculpatè , iam egetur mea opera,quam ego egenti debeo: si verò duo simul adstent,nullus tenetur alterum præuenire,sed expectare tempus,quo quis obligatur. Hoc autem adueniente tenentur singuli accurrere, non considerantes quid alij faciant; quando verò multi simul circumstant qui opem possint ferre extremè indigenti,tenentur sumptum partiri; quòd si cæteri nihil velint ministrare , teneor ego integrum sumptum facere ; quòd si illos monui vt cõferrent singuli partem,quam debebant,tenentur illi illam mihi restituere , & possum ego per compensationem occultam eam occupare , quia omnes tenebamur egenti opitulari: quæ autem ego erogaui pro illis,fuit ob illius duritiem. Et hæc omnia docet Hurtadus *loco citato* , quibus adde Wigers *in* 2. 2.*quæst.*32.*art.*6.*dub.* 6.*num.*46. Ludouicum de San Iuan *in summa,quæst.eleemos.art.*3.*dub.*2.*append.*1. Syluium *in* 2.2.*quæst.*32. *art.* 6.*quæritur* 2.*ad argument.*6. Malderum *in* 2.2.*quæst.*32.*art.*6.*dub.*2.Vasquez *opusc. de eleemosyna, cap.*1. *dub.*3. *numer.*25.Sanchez *in opusc. tom.*1.*lib.*2.*cap.*2 *dub.*39.*nu.*4. Suarez *de charit. disp.*7. *sect.*1.*num.*6.Valentiam *tom.*3. *disp.*3.*quæst.* 9. *punct.*4. Azorium *tom.*2.*lib.*12. *c.*10. *quæst.* 5. & Villalobos *in sum. tom.* 1. *tract.* 22. *difficultat.* 2.*num.*17.vbi sic ait. [Aduierto, que aunque vno tenga bienes sobrados , no està obligado andar à buscar los pobres que padecen extrema, o quasi extrema necessidad, o graue,que satisfaze al preceto , remediando a las necessidades que se saben , teniendo proposito de remediar las que se ofrecieren.]Hæc ille.

RESOL. IV. *An pauperes in extrema necessitate constituti possint contra diuites implorare officium iudicis?*

AD hanc quæstionem ita respondet Villalobos *in sum.tom.*1.*tract.*22.*diffic.*2.*num.*10.] Aduiertase acerca desto,que es muy probable, que el pobre en caso de extrema necessidad , tiene accion à pedir al rico la limosna antes la justicia, como tienen Caietano,Sarmiento,y Aragon; el fundamento es, porque como todos dizen, en extrema necessidad todas las cosas son comunes , y assi como puede vno pedir por justicia que le dexen caminar por el camino , y coger agua del rio,y aprouecharse de las demas cosas comunes:lo mismo es aqui,que en caso de extrema necessidad no ay que acudir al derecho humano , sino al natural : entre los juristas es comun , que no tiene accion el pobre en este caso contra el rico. Assi lo dize la Glosa , y otros que refiere Tiraquelo , lo qual tanbien es probable , porque esta obligacion mas es de caridad, que de justicia. Mas en ambas opiniones es llano,que pueden los pobres implorar el oficio del juez , el qual ha de obligar à los ricos , para que les fauorezcan, como dizen Caietano , y Aragon por razon del bien comun , y assi se suele hazer en las Republicas bien ordenadas en tiempo de hambre, y peste.]Hæc Villalobos.

Nota verò Lorcam *in* 2.2.*sect.*3.*disput.*39.*mem.*4. *num.* 47. docere iudices posse compellere diuites ad eleemosynam , non solùm in casu extremæ necessitatis , sed etiam quoties præceptum adest iure diuino,aut naturali, quoniam non solùm extremè indigentibus Respublica prouidere tenetur, sed etiam aliis pauperibus, & in bonum commune facit,vt non solùm extremæ , sed etiam aliæ necessitates subleuentur. Ita Lorca, & Sanchez *in opuscul. tom.*1.*lib.*1.*cap.*5.*dub.*5.*num.*65.

RESOL. V. *An satisfaciam præcepto , si in extrema necessitate subueniam pauperi mutuando?*

NEgatiuè respondet Villalobos *vbi infrà* , Aragon. *in* 2. 2. *quæst.*118. *art.* 5. Bannez *dub.*3.Granadus *in* 2.2.*contr.*3.*tract.*11.*disput.*7. *num.*3. Valentia *tom.*3.*disp.*3.*quæst.*9. *punct.*4. Turrianus *in* 2.2.*tom.*1. *disp.*82.*dub.*6. Suarez *de charitate, disp.*7. *sect.*5. *num.*2. *&* 5.Becanus *in* 2.2.*tom.*1.*cap.*21.*num.*1. Lorca *in* 2.2. *disp.* 39. *num.* 54. Sotus *de Iustitia , lib.*4. *quæst.*7.*art.*1. *ad* 4.Con.nck *disput.*27.*dub* 9.*num.*153. Reginaldus *tom.*1.*lib.*4 *cap.*20.*num.*260. Et ratio est quia ita indigenti debita est iure naturę sustentatio,eo solùm quòd in articulum tantæ necessitatis incidit. ergo iniuria fit illi , & contra charitatem est imponere onus restitutionis. Præterea , si quo modo liceret hoc onus imponere,foret quia quamuis concedatur vsus eorum , quæ ad sustentationem requiruntur , non est necesse concedere dominium ; sed in his quæ vsu consumuntur, consumptione ipsa perit dominium. ergo qui concedit necessaria extremè indigenti , nullum ius habet reseruandi dominium in posterum. Ex quo infero,si quis tyrannicè exigeret à paupere obligationem restituendi id, quod illi in extrema necessitate donat , pauperem liberum esse à tali obligatione , neque obnoxium manere restitutioni , nisi fortè obligationem iuramento confirmauerit,tunc enim propter Religionem iuramenti tenebitur.

His tamen non obstantibus probabiliter etiam affirmatiuam sententiam docent Toletus *lib.* 5. *cap.*24.*num.*7.Nauarrus *in manuali , cap.* 17. *num.*61. Couarr.*in reg.peccatum,*2 *part.*§.1. *num.* 4. Adrianus *in* 4.*de rest.quæst.vtrùm qui rapiat aliena , & quodlibeto primo, art.* 2.*in medio,* & alij. Probatur hæc opinio, quia præceptum subueniendi egeno impletur , si detur quod sufficit vt liberetur ab indigentia , in qua versatur , sed ad id sufficit mutuario , licet imponatur onus restituendi cùm possit. ergo nihil ampliùs imponendum est. Et confirmatur , quoniam sufficit occurrere necessitati proximi pro tempore,quo ipsa durat;sed hoc modo occurritur mutuando,& dare omnino est subuenire pro tempore,quo indigentia illa cessabit; nemo ergo ad id tenetur. Et hanc opinionem approbat Vasquez *opusc.de eleemos.cap.*1.*dub.*6.*numer.* 54. & Lessius *lib.*2. *cap.* 6. *dub.* 1. *num.*11. si mutuum non sit absolutum, sed conditionatum , scilicet si proximus ad lautiorem fortunam deuenerit.

Sed si aliquis primam sententiam sequi vellet,limitanda est cum Villalobos *in summa,tom...tract.*2. *difficult.* 2. *num.*1. [De los que son pobres absolutamente,porque aydos generos de pobres,vnos que lo son absolutamente,porque ni tienen aqui, ni en

otra

otra parte,ni lo pueden ganar, que no tienen fuerças, ni ſaben oficio,y a eſtos quando ay obligacion de darles limoſnas, ſe les ha de dar dada. Otros pobres ay, que no lo tienen de preſente, o no lo tienen en eſte lugar, mas tendranlo otra dia, como es el oficial que no lo tiene el dia que no trabaja, y tendralo otra dia, o en auiendo donde trabajar; y eſtos aunque en alguna manera ſon pobres, no ſon abſolutamente pobres, y ſe cumple con ellos baſtantemente empreſtandoles,que con eſſo ſe ſatisfaze ſu neceſſidad, y no han meneſter mas.] Ita ille, quod etiam adnotat Hurtadus de Mendoza *in 2.2.diſp.159.ſect.3.§. 37.38. & 39.* Suarez *vbi ſuprà, num.3.* Vaſquez *num.45.* & Tannerus *tom.3. diſput.2. quæſt.5.dub.2.num.20.*

Notandum eſt etiam quod ſtando in prima ſententia,quòd ſi proximus indiget non re;ſed vſu,ſufficit ſi vſum dones mutuando rem. Ita Valentia *tom.3.diſp.3 quæſt.9.punct.4.* Suarez *diſp.7. ſect.5. nu.4.* Coninck *diſp.27.dub.9.n.147.* & alij *vbi ſuprà.*

RESOL. VI. *An diuites teneantur redimere captiuos apud Turcam?*

AFfirmatiuè reſpondet Filliucius *tom. 2. tr. 28. cap.3.num.76.* & Azorius *tom.2.lib.12. cap.8.q.5.* vbi ſic ait. Ex his perſpicitur quid ſit dicendum in multis caſibus paſſim occurrentibus,vt, v.g. an Aduocatus debeat ſuo patrocinio gratis defendere pauperem, aut viduam indigentem eius opera? an Medicus, aut Chirurgus gratis mederi cogatur ei, qui nihil habet,quod ſoluat?an Pharmacopola obligetur ad medicinam gratis porrigendam pauperi & egeno? An diues ſciens vicinum ſuum captiuum teneri apud Turcas, & redemptione maximè egere, nec habere quo ſe redimat, eum redimere debeat? an diuites cùm videant patriam annonæ penuria laborare,multos fame mori,aut cùm ſciunt vicinos ſuos ad turpiter viuendum, aut ad peccandum cogi ob inopiam & egeſtatem, qua miſerè premuntur,ad erogandam eis eleemoſynam Chriſtiana lege cogantur. Maior *in 4. diſt.15. quæſt.7.§. contra hanc concluſionem arguitur*, & Caietanus 2. 2. *quæſt.71. art.* 1. docent in his & ſimilibus euentibus eſſe obligationem eleemoſynam erogandi, quia ſunt extremæ,vel quaſi extremæ,vel graues neceſſitates.Ita Azorius.

Verùm Hurtadus de Mendoza *in 2.2.diſput. 159. ſect.3.§.21.*non approbat hanc opinionem; captiuitas enim per ſe non eſt extrema neceſſitas. ergo præcepto de opitulando indigentibus extremè, nullus tenetur ad redimendum captiuum. Probo antecedens, quia illa ſola eſt neceſſitas extrema, in qua non poteſt aliquis ſine alio viuere; ſed ſine libertate poteſt aliquis viuere. ergo libertate nullus eget abſolutè. Confirmatur,quia alioquin nullus poſſet retinere mancipium, præſertim illum, qui propria culpa non dedit cauſam captiuitati, quem redimere teneremur. ergo captiuitas non obligat per ſe hoc genere legis neceſſitatis extremæ. Ita Hurtadus qui limitat ſuam opinionem; niſi captiuus probabiliter timeatur occidendus iniuſtè, aut melancholia, aut cælorum inclementia interiturus, in his enim caſibus talis eſſet in extrema neceſſitate.Vide etiam Granadum *in 2.2 contr.3.tract.11. diſp. 2.ſect.4. num.21.* qui etiam docet teneri diuitem ad elargiendam eleemoſynam pro redimendo captiuo viro admodum nobili, aut alioqui magnæ ſanctitatis & vtilitatis in Republica.

RESOL. VII. *An adſit obligatio,ex bonis neceſſariis ad ſtatum, opitulari extremè indigenti?*

REſpondeo affirmatiuè, etiamſi ex opitulatione patiatur quis aliquod damnum in dignitate & fauſto externo.Ita Suarez *de charitate, diſp. 7. ſect. 4. num.3.* Turrianus *in 2.2.tom.1.diſp.82.dub.4.* Valentia *tom.3.diſp.3.quæſt.9. punct. 4.* Vaſquez *opuſc.de eleemoſyna,c.1.n.10.& 25.* Filliucius *tom.2.tract.28. c.3. n.64.* Gordonus *tom.2.lib.6.quæſt.14.cap.4.n.7.* & Villalobos *in ſumma,tom.1.tract.22.difficult.20.num.7.* vbi ſic ait. [En caſo de extrema neceſſidad obligacion ay de dar limoſna de los bienes neceſſarios para conſeruar el eſtado de la perſona, de ſuerte que en los años de muy grandes hombres tienen obligacion los ricos à diſminuyr de ſu eſtado, y eſtrecharſe en el gaſto quotidiano para ſocorrer los pobres, y no obſta contra eſto dezir, que ſi eſto fueſſe verdad, tendrian obligacion los ricos en tiempo de hambre gaſtar con los pobres ſus patrimonios por grueſſos que fueſſen,y aun ſus mayorazgos,pues vale mas la vida de vn hombre que todo eſſo.A eſſo ſe reſponde, que aunque vale mas la vida, que la hazienda, mas en orden al bien publico que ſe deue amar, vale mas muy grande hazienda que la vida de vn particular, por ſer la hazienda inſtrumento de la virtud para defender el bien publico, y aſſi vn particular no eſtà obligado para defender ſu propia vida gaſtar toda ſu hazienda, que fueſſe, pongamo por caſo de tres mil ducados, que en eſte caſo mas obligacion tiene a amar ſu eſtado, y el de ſus hijos que ſu vida,y en las neceſſidades de que vamos tratando,quando ſon ab intrinſeco de enfermedades, o hambre comun,ſi todos ayudaſſen,poco baſtaria para remediarlas,y la juſticia aſſi Eccleſiaſtica como ſeglar, tienen obligacion, y puede compeler à los ciudadanos, para que fauorezcan en eſtas neceſſidades eſtremas por razon de ſu officio, como dizen Caietano, Silueſtro, y Bañez. De lo dicho ſe infiere, que la perſona particular que en eſte caſo no da limoſna,no eſtà obligado à reſtituyr, porque ſolo eſtà obligado à darla de caridad, y miſericordia: mas el Obiſpo, y las juſticias que tienen obligacion de juſticia à procurar por la vida de los pobres,obligando à los ciudadanos, como queda dicho,ſi no lo hizieſſen,eſtaran obligados à reſtituyr, como lo dize Bañez.]Hactenus Villalobos.

Notandum eſt tamen, quòd licet ſupradicta opinio ſit vera, tamen nullus tenetur ſtatum ſuum abſolutè deiicere, aut deprimere ob proximi neceſſitatem extremam. Ita Hurtadus de Mendoza *in 2.2.diſp.159.ſect.6.§.56.* Suarez *vbi ſuprà.num.4.* Coninck *diſput.27. dub. 8. à numer. 134.* Caſtrus Palaus *tom.1.tract.6.diſp.2.punct.2.num.6.* Bañez *in 2.2. q.118. art.5.* & alij. Et ratio eſt,quia Reipublicæ vtilior eſt opulentus ciuium ſtatus, quàm vita alicuius priuati;

uati ; deinde non tenetur quis exquisitas medicinas quærere cum graui detrimento status , ergo multo minus tenetur aliis eodem detrimento prouidere. Et tandem , quia defectio status est grauissimum damnum,cum quo nemo tenetur prouidere homini priuato.Imò ego etiam puto te non esse obligatum magnas diuitias expendere , v.g. ter, vel quater mille aureos pro redimenda vita cuiuslibet priuati , etiamsi ob inde ab statu cadere non debeas.Ita Coninck *vbi suprà, num.*143. Palaus *num.*7. & Suarez *disp.*7.*sect.*4 *num.*4.

Notandum est tamen hîc quod obseruat Lorca *in* 2.2.*sect.*3.*disp.*39.*mem.* 2. *num.*39. contingere non posse , moraliter loquendo, vt sine detrimento status non valeam succurrere extremè indigenti. nam quod requiritur ad subleuandam extremam indigentiam vnius,aut paucorum,non multum est; nec detrimentum status inferre potest. Si tamen contingat extrema indigentia multorum , quæ subleuari nequeat sine iactura status, vt si valida fames prouinciam opprimat , tunc non eueniet vt vnus solus omnium necessitatibus occurrere debeat. Et si fortè contingeret , quando necessitas tot hominum occurreret,potiùs publica,quàm priuata censenda est ; pro publica autem necessitate eroganda essent necessaria statui.

Nota quòd si quærat aliquis, an censeatur extrema,vel quasi extrema necessitas , in quam quis venit ex alieno delicto. v. g. Titius cùm sit innocens creditur à Tyranno perimendus , nisi Caius eum pecunia redemerit ? Respondeo censeri , quia non prouenit ea necessitas ex facto , vel delicto illius pauperis,sed aliũde.Secus est si pauper Titius Caio dixerit , Solue debita mea , alioqui me interficiam. hæc enim est nequitia, & Titius deprauata sua voluntate est ea in necessitate cõstitutus; quare Caius nullo iure cogitur ei subuenire , neque enim sunt hominum nequitiæ iuuandæ,aut fouendæ, nisi Titius peccet ex infirmitate animi , vel aliquo cæco affectu.Ita Azorius *tom.*2.*lib.*12.*cap.*9. *quæs.*7. & alij.

Resol. VIII. *An si ante necessitatem extremam furatus es aliquam rem , quam postea in dicta necessitate consumpsisti,tenearis ad restitutionem?*

Affirmatiuè respõdet Lorca *in* 2.2. *disp.* 38. *n.*14. Vasquez *opusc.de eleemosyna,cap.*1. *dub.*8.*num.*68. Lessius *lib.*2.*cap.*16.*dub.*1. *num.*6. vbi sic ait. Si habes ex delicto (vt si furatus sis ante necessitatem) teneris etiam si postea in necessitate consumas , quia obligatio iam ante contracta per necessitatem superuenientem,non est extincta,sed consopita,quare transacta illa necessitate reuiuiscit.Ita ille,& ante illum Scotus *in* 4.*dist.*15.*quæst.*1.§.*ad argumenta*, cum Richardo & Paludano , quos citat & sequitur Syluester *ver.restit.*5.*num.*2.

Verùm ego contrariam sententiam teneo,quam tuetur Petrus Nauarra *lib.*4.*c* 4.*num.* 24. Coninck *disp.*27.*dub.*10.*nu.*166. Castrus Palaus *tom.* 1. *tract.*6. *disp.* 2. *punct.* 10. *num.* 3. & nouissimè Hurtadus de Mendoza *in* 2.2.*disp.*159.*sect.*3. §.63. quia furtum nõ ademit mihi ius iustitiæ quod habeo ad rem alienam in necessitate extrema,neque mihi ademit ius communitatis rerum quantum ad vsum in necessitate extrema , in qua omnia sunt communia quantum ad vsum. ergo idem ius habeo post furtum,quod sine illo haberem.

Resol. IX. *An si in extrema necessitate constitutus accipiat aliquam rem , teneatur postea restituere si potest?*

Affirmatiuè respondet Lessius *lib.*2.*cap.*16 *dub.*1. *num.*8.vbi sic ait. Si res quam consumpsisti , sit magni pretij , nec putetur donata , te semper ad restitutionem teneri,quando commodè poteris.Ratio est, quia extrema tua necessitas non transfert in te dominium rei alienæ , sed tantùm tribuit ius vtendi,idque provt opus est,vt periculum euadas, & cum minimo alterius incommodo. ergo non aufert obligationem restitutionis faciendi , si copiosior euaseris. Confirmatur, quia alter non tenetur eam dare , nisi quatenus opus est , vt consulas tuæ necessitati , sed ad hoc sufficit , vt rem tibi vendat, vel mutuet , vel det cum obligatione restituendi, cùm veneris ad lautiorem fortunam. ergo. Quòd si res sit parui pretij , non teneris postea restituere, maximè si re , & spe,seu proxima facultate pauper eras , quia talia non solent pauperibus sub onere restituendi dari , sed absolutè , ridiculus enim esset diues , qui à paupere pro aliquot panibus , vel calceis,vel trita veste talem obligationem exigeret.Ita Lessius , & ante illum Couarruuias *in reg. Peccatum, part.*2.§.1.*num.*4.Nauarrus *in Man. cap.* 17. *numer.*61. Toletus *lib.*5. *cap.* 24. Adrianus *in* 4. *de restit.* §. *quia dictum.*

Sed his non obstantibus contrariam sententiam docet Sotus *de Iust.lib.*4.*quæst.*7.*artic.*1. Aragon *in* 2. 2.*quæst.*31.*art.*6. Syluester, Angelus, Rosella, Tabiena,quos citat & sequitur Azorius *tom.*2.*lib.*12.*cap.*8. *quæst.* 7. Omnis enim obligatio restituendi nascitur vel ratione rei acceptæ,vel ratione acceptionis ; sed is , qui consumit alienum in extrema necessitate, non obligatur ratione rei acceptæ, quia apud se nõ habet , cùm bona fide consumpserit ; nec tenetur ratione acceptionis , quoniam acceptio rei alienæ est vel iusta , vel iniusta. In præsenti casu acceptio non est iniusta , quia accepit in extrema necessitate, & ex alia parte non accepit per contractum , vel quasi contractum, ex quo alioqui teneretur. ergo nulla est obligatio restituendi. Adde quòd secundùm aliquos , vt optimè obseruat Hurtadus de Mẽdoza *in* 2.2.*disp.*159.*sect.*3.§.45. extremè indigẽti, quando lex charitatis me obligat ad dandum aliquid,siue paruum siue magnum consumendum in ipso articulo necessitatis extremæ , teneor illud liberaliter donare sine mutuatione aliqua absoluta, aut conditionata , quia extremè indigens habet ad illa bona pro articulo necessitatis extremæ illud ius iustitiæ , quod haberet , si bona non essent diuisa. ergo debentur illi vt sua;sed quæ alicui debentur vt sua, sunt illi absolutè donanda , & sine vlla mutuatione,ergo,&c. Vnde patet responsio ad argumentum Lessij Dico igitur cum Villalobos *in sum.tom.*1. *tract.*22.*diffic.*2.*num.*12. [Estas sentencias son ambas probables ;la segunda es mas manca,y se puede seguir en pratica.]

Resol.

RESOL. X. *An ſi quis ante neceſsitatem extremam accepit ab alio accommodatum, conductum, vel precarium, teneatur reſtituere, ſi illud in extrema neceſsitate conſumpſit?*

NEgatiuè reſpondeo cum Perro Nauarra *lib.4. c.4.n.16.* Turriano *in 2.2.tom.2.diſput.82.dub.7.* Hurtado de Mendoza *in 2.2. diſput.159.ſect.3.§.62.* & Leſſio *lib.2.cap.16.dub.1.num.5.* quia talis non tenetur ratione rei, vt quæ nec in ſe, nec in pretio extet, neque ratione acceptionis, cùm eam iure conſumpſerit, neque ratione contractus, quia iſti contractus non obligant re pereunte, niſi culpa perierint; hîc autem ſine culpa perierunt. ergo, &c.

RESOL. XI. *An quando creditor & debitor ſunt in extrema neceſsitate, debitor teneatur ſoluere creditori quod debet?*

PRima ſententia affirmat, ita Scotus *in 4.diſt.15. quæſt.2.art.4.* Richardus *art.5. quæſt.4.* Gabriel. *q.2.art.2.concluſ.2.* Medina *de reſtit.quæſt.3.in cauſa 4. ad 4.* Angelus *ver.reſtitutio,num.3.* Roſella *eodem ver.1. num.1.* Sylueſter *eodem ver.5.quæſt.2.* Armilla *num.27.* & alij, quia melior eſt eius conditio, nam res illa ſua eſt, & in his, quæ propria ſunt, plus iuris habet dominus, quam alter, penes quem res inuenitur, & neceſſitas æqualis eſt, in qua cùm omnia ſint communia, ille præferendus eſt. qui præoccupauit, præoccupaſſe autem videtur, qui verus eſt dominus. ergo. &c.

Secunda ſententia negat. Ita Paludan *in 4.diſt.15, quæſt.2.art.4.concluſ.1.* Sotus *de Iuſt. lib.4.quæſt.7.art.1. ad 4.* Caietanus *in 2.2.quæſt.62.articul.5.ad 4.* Leſſius *lib.2.cap.16.dub.1.n.13.* Vaſquez *opuſc. de eleemoſ.cap.1. n.72.* Turrianus *in 2.2.diſp.82.dub.9.* Hurtadus *in 2. 2.diſput.159.ſect.3.§.69.* & alij.

Tertia opinio diſtinguit, & ita ait Lorca *in 2. 2.ſect.3.diſputat.38.numer.11.* aut res quæ reſtitui debet, manet in ſpecie, in quo caſu dominium eius ſemper eſt prioris domini, & non eius, qui detinet, & in hoc caſu verius apparet reſtituendam eſſe creditori propter fundamentum prioris ſententiæ, nam violenter eſt apud alium, & in vero domino ſemper perſeuerat ius præoccupationis, & idem cenſendum eſt de depoſito & mutuo; aut res non perſeuerat in ſpecie, ſed confuſa eſt cum bonis debitoris, vt contingit in vſuris, & alijs caſibus, in quibus dominium eſt penes debitorem, & non penes creditorem, quamuis cum debito & obligatione reſtituendi, & tunc ſi extremè indigeat debitor, poteſt ſibi ipſi ſuccurrere, quoniam creditori non ſuffragatur præoccupatio, & ab obligatione reſtituendi excuſatur debitor propter vrgentem neceſſitatem, qua ex bonis, quæ habet, potiùs ſibi, quàm creditori ſubuenire tenetur.

Quid ego ſentiam dicam breuiter, omnes iſtæ tres ſententiæ ſunt probabiles, ſecunda cum Azorio *tom.2.lib.12.cap.8.quæſ.6.* mihi videtur probabilior, quia in extrema neceſſitate potiores partes ſunt debitoris, quàm creditoris, tum quia poſſidet, & melior eſt conditio poſſidentis, tum quia in tali neceſſitate omnia ſunt quod ad vſum ſpectat, communia; nec obſtat quòd ea res fuerat à creditore accepta, ac proinde illi alioqui debita, nam debebatur quidem, ſed extrema adueniente neceſſitate facta eſt vſu communis. ergo poteſt debitor ea vti ad tuendam vitam ſuam.

Notandum, tamen, quòd cùm quis extrema neceſſitate preſſus abſtulerit rem alienam domino in extremam quoque inopiam redacto, meo iudicio tunc ſententia Scoti videtur vera eum debere domino reſtituere, quia ſicut fur eſt in auferendo, ſic etiam fur eſt in retinendo, eſt enim violentus non legitimus rei poſſeſſor. Ita Azorius, Lorca, & alij.

RESOL. XII. *An ſi creditor & pater, vel mater debitoris ſint in extrema neceſsitate, debitor poſsit ſubuenire illis relinquendo creditorem?*

NEgatiuè reſpondet Azorius *tom.2.lib.12.cap.8. quæſ.6.* vbi ſic ait. Sed quid ſi creditor & pater, vel mater debitoris in extremam ſimul neceſſitatem deuenerint, debitorne poterit licitè ſubuenire patri, vel matri, prætermiſſo creditore? Hæc quæſtio apud Auctores primæ ſententiæ locum non habet, quia ſecundùm illos debitor etiam in extremam lapſus neceſſitatem ſibi tuta conſcientia nequit retinere, multò minùs poterit ſibi habere ad ſubleuandam patris, vel matris neceſſitatem; at verò apud Auctores ſecundæ ſententiæ propoſitæ quæſtioni locus eſt, & Tabienſis & Ledeſma cenſent non eſſe creditori reddendam. Sotus ait vtrumque eſſe probabile, ſed videtur meo iudicio probabilius primum, tum quia res antea creditori debebatur tanquam ab eo accepta, & ſolùm facta eſt communis debitore in extrema neceſſitate redacto, non autem parentibus eius. Quid ſi creditor & filius debitoris, vel vxor ſimul in extremam neceſſitatem inciderint? Sotus ait etiam probabile eſſe, poſſe debitorem ſibi, vel vxori ſuccurrere, poſthabito creditore. Sed verius creditu eſt creditorem tunc eſſe præferendum, ex quo etiam intelligitur eum eſſe anteponendum fratri debitoris vnà cum creditore extremum vitæ periculum adeunti, quod etiam Sotus concedit.

Sed ego contrariam ſententiam teneo. Dico igitur debitorem debere priùs ſubuenire patri, & matri extremè laboranti, quàm creditori, imò idem poteſt facere, & debet cum vxore & liberis: adde etiam & cum fratre, quia non teneor res in tali caſu abdicare cum detrimento vitæ meorum, & ita docet Syluius *in 2.2. quæſt. 13. articu. 3.* Hurtadus de Mendoza *in 2.2. diſputat. 159. ſect. 3. §. 69.* & Leſſius *lib.2.cap.16.dub.1. num.14* Toletus *lib.5. cap.24.* cum Caſtro Palao *tom.1.tractat.6. diſputat.2. punct.11. num.4.* quamuis Vaſquez *opuſcul. de eleemoſyna cap.1. dub.9. num.74.* neget quoad fratrem, cui creditorem putat eſſe præferendum, ſed noſtra ſententia eſt probabilis.

RESOL. XIII. *Si plures diuites poſſint vni pauperi ſuccurrere, quia omnes illum æquè norunt, quis eorum teneatur eleemoſynam dare?*

INtelligitur quæſtio de extrema, vel graui indigentia, & ad illam reſpondet Lorca *in* 2.2. *ſect.* 3. *diſputat.* 39. *memb.* 3. *numer.* 50. omnes illos teneri in ſolidum, & æquè, ita vt ſi nullus ſubueniat, omnes peccent; & quilibet integrè ſuccurrere teneatur, ſi alij omittant. Poſſunt tamen inter ſe conuenire vt occurrant per partes, & proportione ſeruata ad numerum, & ad diuitias, & eadem ratione poteſt vnus ſatisfacere præbendo partem, ſi certò ſperet alios ex parte etiam contribuere. Nec tenetur vnus præuenire donec alios conſulat, ſecus ſi videat neminem eorum opitulari: vide etiam Villalobos *in ſum. tom.* 1. *tract.* 22. *diffic.* 2. *n.* 18.

RESOL. XIV. *An in graui neceſſitate teneamur præbere eleemoſynam de ſuperfluis naturæ & ſtatus?*

PRo ſententia negatiua adducitur D. Anton. Gerſon, Alenſis, & Nicolans de Lyra; ſed illos hanc ſententiam non docere contendit Hurtadus de Mendoza *in* 2.2. *diſputat.* 159. *ſect.* 4. §. 86. Illam docet Roſella *ver. eleemoſyna.* vbi aſſerit, non cadere eleemoſynam ſub præcepto, niſi neceſſitas pauperis extrema ſit: multos alios Doctores adducit pro hac ſententia Sanchez *vbi infrà*, quibus ego adhæſi *in* 1. *part. tract.* 2. *Miſcell. reſolut.* 28. Probatur hæc opinio, quia non tenetur homo magis ſubuenire proximo, quàm ſibi ipſi; ſed nemo tenetur ſibi ipſi plus velle, aut procurare, quàm quod ad ſuſtentandam vitam neceſſarium eſt; ergo nec alter plus illi erogare; ſed quiſquis non patitur extremam neceſſitatem habet id, quod ad ſuſtentandam vitam neceſſarium eſt: ergo nullus tenetur elargiri eleemoſynam ei, qui non eſt in extrema neceſſitate, aut certè ſi qua obligatio aſſerenda ſit, ea non poterit eſſe grauis. Secundò probatur, quia nullus tenetur ſub lethali culpa procurare vt extraneus benè ſit, dummodo procuret vt viuat, & abſolutè ſit; ſed quiſquis non patitur extremam neceſſitatem, habet quidquid requiritur vt viuat, & abſolutè ſit. ergo nullus eſt ſub lethali culpa obligandus, vt extraneo elargiatur eleemoſynam extra caſum extremæ neceſſitatis.

Sed his non obſtantibus modò ego contrariam ſententiam teneo, quam tuetur Granadus *in* 2.2. *D. Thom. controuerſ.* 3. *tract.* 11. *diſputat.* 2. *ſect.* 4. *numer.* 18. VVigers *in* 2.2. *quæſt.* 36. *artic.* 6. *concluſ.* 3. *num.* 34. Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 6. *num.* 4. Sanchez *in opuſcul. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 5. *numer.* 34. Bañez *in* 2.2. *quæſt.* 32. *artic.* 6. *dub.* 1. & 2. Sotus *de Iuſtit. lib.* 5. *quæſt.* 3. *artic.* 4. Aragon *in* 2.2. *quæſt.* 32. *art.* 5. Salonius *in* 2.2. *quæſt.* 71. *artic.* 1. *controuerſ.* 1. *ad* 1. Nauarra *de reſtitut. lib.* 3. *cap.* 1 *num.* 358. Malderus *in* 2.2. *quæſt.* 32. *artic.* 6. *dub.* 4. Valentia *tom.* 3. *diſputat.* 3. *quæſt.* 9. *punct.* 4. Hurtadus de Mendoza *vbi ſuprà* §. 82. Azorius *tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 7 *quæſt.* 4. Valentia *tom.* 3. *diſputat.* 3. *quæſt.* 9. *punct.* 4. Coninck *diſputat.* 27. *dub.* 8. *num.* 125. & 130. Turrianus *in* 2.2. *tom.* 1. *diſputat.* 82. *dub.* 1. Vaſquez *opuſcul. de eleemoſ. cap.* 1. *num.* 14. 18. & 24. & alij communiter. Et probatur hæc opinio, quia vnuſquiſque tenetur ſubleuare miſeriam proximi ſui, ſaltem quando abſque vllo ſuo detrimento poteſt; ſed qui habet ſuperflua naturæ & ſtatus, poteſt abſque vllo detrimento ſuo ſubleuare miſeriam pauperis elargitione eleemoſynæ. ergo tenetur: ac proinde ex genere ſuo peccat mortaliter ſecus faciens, niſi paruitas materiæ excuſet. Conſequentia eſt euidens. Minor patet, quia nullum detrimentum eſt diſtribuere pauperibus id quod nullo modo nobis neceſſarium eſt, ſed abſolutè ſuperfluit poſt ſuſtentationem vitæ & ſtatus cum eo ſplendore qui decet. Maior probatur, quia charitas obligat ad amandum proximum, non verbis tantùm, ſed opere & veritate, vt loquitur Ioannes Apoſtolus *in* 1. *can. cap.* 3. hic autem verus amor exigit vt velimus proximo bonum, & remedium malorum quæ patitur, ac proinde illum ſubleuemus cùm ſine vllo detrimento poſſumus, & qui ſecus faxit, conuincetur non diligere ex animo. Confirmatur, quia notabilis proximi neceſſitas etſi extrema non ſit, eſt graue malum. ergo grauiter lædit amicitiæ iura, qui huic amico potens abſque vlla difficultate ſubuenire, & ab eo malo illum liberare, non ſubuenit, aut liberat. ergo lethaliter peccat, qui non elargitur eleemoſynam de ſuperfluis ſtatus pauperi grauem neceſſitatem patienti.

Dices: ſi hæc ſententia eſſet vera, maxima pars diuitum damnaretur, ſiquidem multi eleemoſynas omittunt in neceſſitate graui. Aragonius *in* 2.2. *quæſt.* 32. *art.* 5. reſpondet ex illis damnari plurimos. Bañez *art.* 6. *dub.* 2. cenſet non ſolùm multos diuites damnari, ſed etiam ipſorum Confeſſarios. Sed ego reſpondeo cum Valentia *tom.* 3. *diſputat.* 3. *quæſt.* 9. *punct.* 4. §. 2. & alijs, diuites & Confeſſarios poſſe multis rationibus excuſari. Primum, quia multi vel non ſibi perſuadent ſe habere ſuperflua ad præſentem dignitatem augendam, vel conſeruandam, vel non ſatis cognoſcunt grauem proximi neceſſitatem, vel ſibi perſuadent probabiliter alium laturum opem grauiter egenti. Et ego alibi cum Vaſquez *part.* 2 *tract.* 16. *reſ.* 26. obſeruaui quòd vix in diuitibus inueniuntur ſuperflua ſtatus, de quo ego latiùs infrà.

Quæres, an prima opinio negatiua ſit probabilis? probabilem eſſe docet Bonacina *diſp.* 3. *quæſt.* 4. *punct.* 6. *num.* 8. *ver. ad primum argumentum.* Malderus *in* 2.2. *quæſt.* 32 *artic.* 6. *dub.* 4. & tamquam probabilem videntur illam admittere Conarruuias *lib.* 3. *var. cap.* 14. *num.* 5. oppoſitam enim ſententiam tantùm vocat veriorem. Corduba *lib.* 1. *quæſt.* 26. §. *nos etiam.* neutram ſententiam reprobat, at cenſet probabiliorem oppoſitam. Palacius *in* 4. *diſt.* 15. *diſpu.* 6. dicit oppoſitam non eſſe certam, ſed tantùm admodum probabilem, & Medina C. *de eleemoſyna*, 4. *de neceſſitate faciendi eam*, aſſerit quòd qui velit, non temerè huic ſententiæ adhærebit.

Verùm nouiſſimè Hurtadus de Mendoza *in* 2. 2. *diſp.* 159. *ſect.* 4. §. 86. tenet hanc ſententiam eſſe improbabilem, neque in conſcientia tutam.

Notandum eſt tamen hîc quòd in caſu de quo loquimur, nempe quando pauper eſt in graui neceſſi-

neceſſitate, poſſe diuitem illam elargiri, non eleemoſynam liberaliter donando, ſed illam mutuando. nam ſi hoc probabiliter poteſt facere in extrema neceſſitate, quanto magis in graui. Vide Bañez *in* 2.2. *quæſt.* 32. *art.* 56. *dub.* 4. Lorcā *in* 2.2. *ſect.* 3. *diſp.* 39. *num.* 53. licet contrarium aſſerat Suarez *diſp.* 7 *ſect.* 5. *num.* 7. Valentia *tom.* 3. *diſput.* 3. *quæſt.* 9. *punct.* 4. Coninck *diſp* 27. *dub.* 8. *num.* 153. & 155. vnde vtraque opinio eſt probabilis.

Resol. XV. *An in graui neceſitate teneamur largiri eleemoſynam de neceſſariis ad ſtatum?*

Affirmatiuam ſententiam docet Palacius *in* 4. *diſtinct.* 15. *diſputat.* 6. Corduba *lib.* 1. *quæſt.* 26. Medina *Cod. de Eleemoſ. quæſt. de neceſitate eam faciendi.* Angles *in floribus part.* 1. *de eleemoſ. quæſt.* 3. *difficult.* 6. Hurtadus de Mendoza *in* 2.2. *diſputat.* 159. *ſect.* 4 §. 92. vbi ſic ait. In neceſſitatibus proximi grauibus eadem dicenda ſunt, quæ in extremis, quia hæc neceſſitas ſpectans ad corpus vocatur ab authoribus quaſi extrema, & ad illius ordinem redigitur, quia prudenter poteſt timeri mors. Quapropter etiam ex neceſſarijs ad ſtatum erogandæ eſt eleemoſyna. Ita ille. & ante illum Bañez, Valentia, & alij. quos citaui *in* 4. *part. tract.* 4. *reſolut.* 225. & nouiſſimè Syluius *in* 2. 2. *quæſt.* 32. *artic.* 6. *concluſ.* 3. Probatur hæc opinio, quia charitas Chriſtiana obligat, vt quis ſubleuet notabilem proximi ſui miſeriam, ſi abſque incommodo magno poſſit, ſed elargiendo eleemoſynam de ſuperfluo naturæ, licet neceſſarium ſit ad ſtatum, poteſt quis ſubleuare notabilem proximi miſeriam abſque magno incommodo. ergo charitas Chriſtiana ad id obligat. Conſequentia eſt euidens; maior patet, quia non eſt vera amicitia quæ patitur amicum inſigni neceſſitate opprimi, & illi non ſubuenit ne leue damnum ſuſtineat. Minor probatur, quia cùm ea, quæ ad ſtatum pertinent, non conſiſtant in indiuiſibili, ſed potiùs magnam latitudinem habeant, etiamſi quis aliqua demat de ſtatu, leue incommodum ſentiet, & alioqui ſubleuabit magnam proximi miſeriam, quæ cùm non tam frequenter occurrat ſine magna iactura ſuæ rei familiaris, poterit diues illi ſubuenire. Confirmatur primò, quia ſi ad ſtatum viri nobilis pertineat, v.g. habere quatuor famulos, & parietes domus ornare aulæis ex aureo ſericoque filo intertextis, quis non videat exiguam eſſe iacturam, ſi tribus famulis, & ſolis ſericis aulæis contentus ſit, vt habeat vnde ſubueniat quotidie alteri viro nobili, & olim ditiſſimo, qui ad magnam rerum inopiam propter naufragium peruenit? obligat ergo charitas interdum ſub mortali ad elargitionem eleemoſynæ de neceſſarijs ad ſtatum. Confirmatur ſecundò, in annis magnæ ſterilitatis quis dubitabit teneri diuites diminuere aliquid magnificentiæ ſui ſtatus, & minùs lautè viuere, vt pauperibus ſubueniant. Confirmatur tertiò, quia fratribus & conſanguineis teneretur quiſpiam ſub mortali elargiri eleemoſynam de neceſſarijs ad ſtatum, iuxta illud Iacobi 2. *Si frater, aut ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis, Ite in pace, calefacimini, & ſaturamini, non dederitis autem eis quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit?*

Sed his non obſtantibus contrariæ ſententiæ tamquam probabiliori adhæſi *vbi ſuprà*, & nunc etiam adhæreo, quam tuetur præter Doctores, quos citaui in dicta reſolutione, Thomas Sanchez *in opuſcul. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 5. *numer.* 44. Martinus Ledeſma *in* 2. *part.* 4. *quæſt.* 18. *artic.* 3. D. Thom. *in* 4. *diſtinct.* 15. *quæſt.* 2. *artic* 4. *quæſt.* 1. Salonius *in* 2.2. *quæſt.* 71. *articul.* 1. Sotus *de Iuſt. lib.* 5. *quæſt.* 3. *articul.* 1. Nauarra *de reſtitut. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 122. Et ratio eſt, quia vnuſquiſque habet ius vt viuat, ſicut decet ſtatum ſuum. ergo nemo poteſt illum obligare ad elargiendum eleemoſynam de ijs, quæ ad huiuſmodi decentiam neceſſaria ſunt, niſi quando proximus eſt in extrema neceſſitate, tunc enim agitur de vita amittenda, in quo caſu charitas obligat ne tantum malum patiar in fratre meo, vt ab ſtatu non cadam, ſaltem aliquanto, aliæ enim neceſſitates etſi graues, minus tamen obligant; & hæc eſt humana conditio, vt quidam lautiùs & iucundiùs degant, quàm alij. Confirmatur, quia cùm tot graues & ſapientes viri nihil in iure diuino, aut naturali repererint, quod eos conuincat ad obligandum diuites, vt de neceſſarijs ad ſtatum ſuccurrant grauibus neceſſitatibus, ſignum optimum eſt, ſaltem hoc ius, ſeu hanc legem eſſe dubiam; in dubio autem præcepti non ſunt obligādi, præſertim ſub mortali, ne alioqui laqueum nouum illis injiciamus, & difficiliorem reddamus ſalutis viam illis, quibus alioqui Chriſtus Dominus valde difficilem prædicauit. ergo, &c.

Resol. XVI. *An quis teneatur de ſuperfluo ad ſtatum opitulari illi, qui in periculo verſatur amittendi fortunas iniuſte?*

Affirmatiuè reſpondet Vaſquez *opuſcul. de eleemoſ. cap.* 1. *dub.* 3. *num.* 26. vbi ſic ait. Si alicui imminet neceſſitas, ſeu periculum cadendi à ſuo ſtatu, ob amiſſionem rei temporalis, tenetur quis ex ſuperfluo ſtatus illi ſubuenire, non tamen ex neceſſario ſtatui, quia non teneor cum æqualis rei detrimento proximo ſubuenire. Ita ille.

Verùm contrariam ſententiam docet Hurtadus de Mendoza *in* 2.2. *diſputat.* 159. *ſect.* 4. §. 98. quia hæc neceſſitas non eſt abſolutè neceſſitas. ergo non tenemur erogare eleemoſynam in illa verſanti. Probo antecedens, quia pono hominem illum habere alimenta & veſtes, quibus tam congruè alatur, vt non ſit neque in communi neceſſitate, in qua mendici verſantur, ſed victum habet, & ornatum, non ſolùm ſufficientem, ſed etiam honeſtum. Item ille homo non eſt infamis, ſed poteſt honeſtè degere inter ſuos, neque cogitur mendicare, neque ſeruire, neque vilem artem exercere. ergo ſimpliciter non habet neceſſitatem non ſolùm grauem, verùm neque communem. Ratio eſt, quia opulentiores fortunæ, munera & tituli perilluſtres non ſpectant ad depellendam miſeriam, ſed ad augendam dignitatem; ſed nullus tenetur lege miſericordiæ alicui procurare pompam iſtam ſecularem, neque eum in illa conſeruare. quamuis enim ſit in periculo illam iniuſtè amit-

amittendi,tamen non propterea eſt in periculo cadendi in neceſſitatem aliquam. Quod differt ab homine cadente in infamiam,quæ magna miſeria eſt abſolutè. Ita Hurtadus. Non eſt igitur recedendum à prædicta ſententia, nam alioquin ſequeretur hominem Principem, aut diuitem mercatorem teneri ad erogandos mille, vel bis mille, aut ter mille aureos illis indigenti ad ſequendam litem, licet non indigeat ad honeſtum victum atque veſtitum;hoc autem nullus admittet quamuis illi ter mille aurei ſint ſuperflui. Igitur illa neceſſitas non eſt arcta, qualis eſſe ſolet in petendo victum precariò,in famulando,in exercenda vili arte, ideo nullus tenetur lege eleemoſynæ erogare ſua bona.

RESOL. XVII. *An ex ſuperfluo ſtatus teneatur quis facere eleemoſynam in communibus pauperum neceſſitatibus?*

PRima ſententia affirmat, ſic ſentiunt Doctores, quos ego ipſe citaui *in 1. part. tract. 1. miſcell. reſolut. 32.* quibus nunc adde Ioannem VVigers *in 2.2. quæſt.32.art.6.dub.6.num.39.* Becanum *in 2.2.cap.21.dub.4.num.8.*

Secunda ſententia eſt Azorij *tom.2. lib.12. cap.7. quæſ.4.ver.accedit.* Suarez *de charitate, diſput.7. ſect.3. numer.3.* & Lorca *in 2.2. ſect.3. diſputat. 39. memb. 2. numer.30.* vbi docet quòd nemo tenetur omnibus communiter indigentibus ſubuenire, ſed aliquibus,nec tenetur in totum alicuius indigentiam ſubleuare, ſed ſatis eſt aliquid ei dare. Item poteſt omitti vnus & alter pauper communiter indigentes, etiamſi petant eleemoſynam reſeruando eam alijs. Ex quibus infero neque etiam eſſe neceſſarium totum ſuperfluum in eleemoſynam expẽdere, ſed poteſt aliquid reſeruari in alios vſus licitos, & præſertim pios. Quorum omnium ratio hæc eſt, quia præceptum occurrendi communibus indigentijs pauperum ex parte accipientium non eſt determinatum, ſed vagum, & indeterminatum, ex parte dantium non eſt tale, vt ſingulos obliget in ſolidum, ſed communiter omnes diuites, & habentes ſuperflua, & ſufficienter his neceſſitatibus ſubueniri cenſetur, ſi ſinguli aliqui dent, & aliquibus; quam latitudinem obligationis communis eleemoſynæ, & propter eam non eſſe prætermittenda alia opera pietatis, indicauit Chriſtus *Matth. 26.* cùm approbans obſequium Magdalenæ dixit, Pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis, id eſt, occaſio benefaciendi pauperibus ſemper adeſt, & non ita vrget, quin poſſit in aliud tempus differri, &c.Non ergo iudicandum eſt quemquam peccare mortaliter omiſſione huius præcepti,eo quòd ſuperflua poſſideat,& retineat, vel in alios vſus expendat, nec eo quòd vnum, aut alterum pauperem prætermittat, ſed tunc ſolùm quando ita omittit eleemoſynam, vt nihil det, aut ita parum pro quantitate ſubſtantiæ, vt ſi eodem modo omitterent reliqui diuites, pauperibus deeſſet ſubſidium, id autem in ſpecie decernere prudentis arbitrio committi debet. Ita Lorca. Vnde ex his Suarez *vbi ſuprà numer.7.* cenſet eſſe peccatum mortale hunc actum, Nolo de ſuperfluis erogare eleemoſynam in communibus neceſſitatibus,niſi ſciret occurſuras graues neceſſitates. Vide Tannerum *tom. 3. diſput.2. quæſt.5. dub.2. num.15.*

Tertia ſententia aſſerit in tali caſu adeſſe tantùm peccatum veniale,& ita docet Granadus *in 2.2.controuerſ.3.tract.11.diſputat.2.ſect.4 numer.26.* vbi ſic ait. Dico tertiò, excuſari non poteſt à culpa veniali, & periculoſo ſtatu, qui de ſuperfluis non elargitur eleemoſynam in communibus pauperum neceſſitatibus,niſi eum ratio aliqua pietatis,& diuini obſequij præponderat; hoc vt minimum dandum eſt Doctoribus poſterioris ſententiæ, & fortitudinis argumentis, quibus ea comprobatur. & ſanè nemo eſt,qui non videat otioſam & auaram pecuniæ retentionem eſſe,quando quod tibi nullo modo,etiam ad ſtatus gloriam,& magnificentiam,neceſſarium eſt, in arca reſeruas, aut nouas domos extruis,& ad honores aſpiras. Meritò itaque Iacobus Apoſtolus *in ſua Can.cap.5.* eiuſmodi diuites increpauit, *Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt.aurum, & argentum veſtrum æruginauit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit,& manducabit carnes veſtras ſicut ignis, theſaurizatis vobis iram in nouiſſimis diebus*;quæ verba etſi grauem culpam ſignificent,& intelligenda ſint rigoroſè de diuitibus, qui extremis, aut grauibus neceſſitatibus ſuccurrere nolunt iuxta primam aſſertionem, & dicta etiam videantur contra diuites, qui retinent aliena,& occaſione diuitiarum alia luxuriæ & homicidij ſcelera perpetrarunt,vt conſtat ex ſequent. immediatè in illomet capite; adhuc tamen quoad culpas veniales, & maximum mortalium periculum extendenda ſunt ad caſum noſtræ tertiæ aſſertionis. Vide egregium Commentarium Auguſtini de Quiros *in prædictum locum.* Addidi tamen niſi ratio aliqua pietatis, aut diuini obſequij præponderet, quia ſi in communibus neceſſitatibus diues non elargiatur pauperi eleemoſynam, vt templum ædificet,vel Monaſterium Religioſorum erigat,vel quid ſimile,ab omni culpa excuſabitur, vt Eccleſiæ praxis perſuadet. Ratio verò eſt, quia cùm obligatio in prædicto caſu ſubueniendi pauperibus non ſit grauis ſecundùm probabilem opinionem, de qua in ſecunda aſſertione, ſed leuis & orta ex charitate, cuius præcepta non ſolent ita ſtrictè obligare,videtur ſufficiens ad vitandum in hoc negotio omne peccatum, quòd in ſumptus pios, & diuini obſequij expendantur bona ſuperflua, nec eſt pauper rationabiliter inuitus, ſi propterea communem eius miſeriam non ſubleuet,vt alia opera pietatis exequatur. Hactenus Granadus *loco citato.*

Verùm his non obſtantibus mihi placet quarta ſententia negans nulli hominum eſſe obligationem erogandi eleemoſynã in neceſſitate cõmuni. Ita DD. quos ego citaui *vbi ſuprà,in 1.part. tract.1. Miſcellan.reſol.32.* quibus nunc addo doctum Hurtadum de Mendoza *in 2.2.diſp.159.ſect.4.§.131.*& ratio eſt,quia ego non teneor alicui erogare mea bona,quando prudenter exiſtimo proximi neceſſitatem depellendam ab alijs; ſed hoc contingit in neceſſi-

neceſſitate communi. ergo in illa ego non teneor erogare eleemoſynam. Maior ſatis eſt probata tota hac diſputatione,non ſolùm in neceſſitate communi, ſed etiam in graui & extrema (dummodo non immineat periculum vitæ interim dum alius accurrit.) Minor etiam eſt ſæpe probata, quia ſi quis egeat alimento, & hoc non donetur ab alijs, iam eſt in neceſſitate graui,imò in extrema. Multæ enim neceſſitates dicuntur communes, non quòd materia ſit leuis, ſed quia egentes à multis leuantur, ita vt me eleemoſynam prætermittente, alij eam erogent: vt patet in paupere ægro,qui viuere non poteſt abſque aliorum bonis, & tamen eſt in neceſſitate communi,quia licet à me non curetur, eſt tamen Xenodochium in quo curetur, aut ego ſum conſcius illum ab amico,aut vicino curandũ, ob quod non teneor ego illum curare; teneret autem ſi id alij non eſſent præſtituri.quod argumentum efficaciſſimum eſt ad oſtendendam euidenter probabilitatem & practicam ſecuritatem huius ſententiæ. Neceſſitas item communis poteſt conſiderari ex ipſa ſola leuitate materiæ, quamuis ego ſim certus egenti nullum alium opitulaturum; in hoc caſu probo meam ſententiam, quia neceſſitas proximi eſt leuis,quicquid enim mali,aut ærumnæ patitur,leue eſt; ſed ego non teneor hominem leuare omnibus malis, etiam leuibus. ergo neque erogare eleemoſynam eo in euentu.Probo minorem,tum quia hominem leuare omni in labore,eſt illum conſtituere in magna felicitate,& illum liberare ab omni indigentia, & illum locupletare; quæ enim maior felicitas corporis eſſe poteſt poſt originale peccatum,quàm nihil dolere? Aut quæ opulentiores diuitiæ, quàm nullo egere? Sed ego non teneor hominem locupletare,neque illum ita curare,vt capite nec leuiter doleat; eſſet enim hæc intoleranda diuitibus ſolicitudo, quam vix parentes gerunt cum filijs,quos aliquando laboribus,ac doloribus exercent, neque à me extorquenda eſt maior ſolicitudo in alios, quàm in me ipſum debeo. & quidem argumentum quod mouit Antoninum atque Durandum,magni momenti eſt, ne videlicet tam infiniti diuites damnentur. qui minutas iſtas pauperum egeſtates parui faciunt; & quidem quando Doctorũ auctoritas & argumentorum pondus dant locum, ne infinitorum conſcientias opprimamus,id faciendum eſt,ne illi pereant,quando poſſunt probabiliter ab illo periculo liberari. Duo igitur cum diuitibus cenſeo eſſe facienda,alterum illis conſulendum, & ſeriò perſuadendum, vt liberales ſint in pauperes communes, & ea ratione Deum ſibi placent,ac cõcilient,quod ſancti Patres de ſcripto & concione ſæpe fecerunt; alterum diuites eſſe docendos, eos non teneri ad eleemoſynam erogandam in neceſſitate communi,meliùs enim eſt,vt multi eleemoſynam tuta cõſcientia omittant,quàm vt eam omittãt cum conſcientia peccati mortalis: & quamuis aliqui pauci præ ſcrupulo eam eſſent erogaturi,id tamen leuioris eſt momenti,quàm tot animorum interitus,qui eam non erogabunt,quamuis ſe ad id obligari apprehendant.Huc vſque Hurtadus *loc.cit.*qui §.136. ſubdit omittere eiuſmodi eleemoſynas in communibus neceſſitatibus ex obiecto, & per ſe nullum eſſe peccatum; per accidens autem frequenter eſt peccatum veniale,quia illa omiſſio oritur ex animo auaro plus iuſto pecunias amante,neque illi omiſſioni præſcribitur finis honeſtus, ſed potiùs inhoneſtus. ergo,&c.

Notandum eſt hîc obiter primò quòd ſtando in prima opinione quærit Malderus *in 2.2.q.32.art.5. dub.2.q.4.*an pauperibus,qui ad mendicandum publicis in locis expoſiti, vel ex nuditate,vel ex morbo extremæ neceſſitatis euidentia ſigna oſtẽdunt, ſub præcepto teneatur quis ſuccurrere, ſi habeat ſuperfluum vitæ? & reſpondet rariùs euenire, vt quis teneatur,quia ferè ad mouendum ſpectatores huiuſmodi neceſſitas exaggerari aliquando etiã ab eis ſimulari ſolet, vel ſanè ab alijs iuuandi faciliùs præſumuntur. Ita Malderus,& poſt illum Ioannes VVigers *in 2.2.quæſt.33.art.6.dub.6.concl.2.numer.32.* quod eſt valdè notandum.

Notandum ſecundò, ſtando etiam in prima opinione,quòd ſi quis habens ſuperflua, ita omittit eleemoſynam, vt nihil omnino det communem neceſſitatem patientibus, aut ita modicum pro quantitate ſuæ ſubſtantiæ,vt ſi alij diuites eo modo facerent pauperibus,deeſſet ſubſidium, mortaliter peccat,quia tranſgreditur præceptum de eleemoſyna in re graui,quamuis enim ſingulę tales neceſſitates non ſint per ſe magni momenti, multæ tamen coniunctæ efficiunt in Republica magnam miſeriam, multæ etiam omiſſiones eleemoſynæ in ſimilibus neceſſitatibus habent ſe, non vt multa peccata venialia, quæ numquam faciunt vnum mortale,ſed vt vna notabilis tranſgreſſio præcepti ſimili aliquo modo, quo etſi furtum paruum ſit ſolum veniale peccatum, multa tamen parua furta conſtituunt peccatum mortale, quatenus continent magnam iniuſtitiam, ac ſupponunt voluntatem retinendi multum rei alienæ. Ita Syluius *in 2.2.quæſt.32.art.6.quæritur 2.ad argum.6.*Azorius *tom.2. lib.12.cap.8.quæſ.1.*

RESOL. XVIII. *An ſit præceptum dandi eleemoſynam ijs,qui voluntariè pauperes fiunt,vt Religioſi?*

MEdina *Cod.de eleemoſyna, quæſt. de eleemoſ.danda ſanis,§.quæret ſortè aliquis*, aſſerit non eſſe præceptum titulo paupertatis his pauperibus conferre eleemoſynam, quia voluntate ſua eligentes, non potuerunt alijs inducere obligationem.Fatetur tamen ex alio capite poſſe intercedere obligationem ſubueniendi eorum neceſſitatibus, videlicet quia miniſtrant ſpiritualia, & ideò debetur illis ſuſtentatio.

Sed meritò Lorca *in 2.2. ſect.3. diſput. 39.num.4. n.57.* aſſerit hanc ſententiam & differentiam inter pauperes voluntarios, & alios pauperes,apud nullum alium authorem inuenire, & ideò non cenſet probabilem,& omninò aſſerendum putat his pauperibus deberi eleemoſynam ex præcepto,ſicut alijs,quia eorum paupertas & neceſſitas vera eſt & iuſta,quòd autem voluntariè contracta fuerit, nihil refert,ſi voluntas & cauſa contrahendi pia fuit, Deo grata,& rationi conformis.

RESOL. XIX. *An ſit danda eleemoſyna homini auaro indigenti, qui proprijs rebus vti non vult?*

REſpondeo non eſſe dandam, & eamdem eſſe rationem ac de vagabundis, nam iſte voluntariam, culpabilem, & vitioſam inopiam patitur. Excipiendum tamen eſt, ſi impotenti paſſione victus in hanc miſeriam incideret, tunc enim compatiendum eſſet, & ſubueniendum eo modo, quo ſuccurrendum eſſet ei, qui vehementi paſſione oppreſſus ſibi ipſi ſuſpendium parat, ſed in hoc caſu ex bonis ipſius, non ex proprijs ſubueniendum eſſet. Ita docet Lorca *in 2.2. ſect. 3. diſp. 37. num. 11.* & Azorius *tom. 2. lib. 12. cap. 9. q. 5.* cum Syluio *in 2.2. q. 32. art. 9. quæritur 4.*

RESOL. XX. *An ſpes aſcendendi ad ſuperiorem ſtatum liberet ab onere elargiendi eleemoſynam de ſuperfluis?*

NEgatiuè reſpondet Lorca *in 2.2. ſect. 3. diſput. 39. memb. 1. num. 7.* vbi ſic ait. Addnnt aliqui ad neceſſitatem, vel conuenientiam ſtatus reuocandum eſſe aſcenſum ad ſuperiorem ſtatum, ita vt ea non cenſeantur ſuperflua, quæ licet excedant menſuram ſtatus præſentis, conducere tamen poſſunt, & reſeruantur, vt homo altiorem ſtatum acquirat, & acquiſitum conſeruet; ſed ſi hæc ſententia vera eſt, nihil vnquam erit ſuperfluum, quoniam quicumque poteſt ad altiorem ſtatum aſcendere, & quæcumque ſuperflua ſtatui præſenti conducere poſſunt ad acquirendum altiorem ſtatum. Nec ſufficit ſi dicamus quod Caietanus inſinuat, id ſolum verum eſſe quando proximè ſperatur aſcenſus ad maiorem ſtatum, quem tamen non omnes ſperare poſſunt, hoc enim nullius eſt momenti, quia ſequeretur illum, qui habet pauca vltra neceſſitatem præſentis ſtatus habere ſuperflua; qui habet autem plurima, nihil habere ſuperfluum, quia iſti facile eſt, & proximum altiorem ſtatum comparare, illi autem difficile & remotum; illatio verò videtur planè abſurda. Mihi aliter dicendum occurrit; exiſtimo enim non ideò bona non eſſe ſuperflua quòd cõſeruentur ad acquirendum maiorem ſtatum, ſi quis tamen alia via ſperet proximè & probabiliter aſcendendum ſibi eſſe ad maiorem ſtatum, in quo pluribus indigebit, vt quia fiet Conſiliarius Regis, aut Dux exercitus, poteſt conſeruare ea, quibus nunc non indiget, tamquam neceſſaria ſtatui futuro. Ita Lorca *vbi ſuprà*, contra Caietanum & Cordubam.

Sed ego puto ſententiam Caietani & Cordubę eſſe probabiliſſimam, quam tuetur, vt alibi adnotaui ſæpiùs, ſapientiſſimus Vaſquez *opuſc. de eleemoſyn. cap. 4. dub. vlt. n. 14.* vbi ſic aſſerit. Laici de bonis patrimonialibus poſſunt ſeruare ad ſtatum ſuum, vel conſanguineorum mutandum. Vnde vix in ſecularibus inuenies etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui. Ita ille, & *cap. 1. dub. 3. n. 26.* ita etiam ait. Appello ſuperfluum ſtatus, vel præſentis, vel futuri, quem ego licitè poſſum acquirere, & ad illum aſcendere, nec enim teneor ego meum ſtatum & dignitatem amittere, vt alius non amittat ſuum, & ſimili ratione non teneor ego ob ſimilem neceſſitatem futurum perdere ſtatum, quem dignè poteram cõquirere, quod expreſsè ſenſit Nauarrus & Caietanus *2.2. & in ſum. loc. cit.* qui licet ſentiat de ſuperfluo quemlibet teneri ad eleemoſynam, ſed non exiſtimat ſuperfluum, quando quis habet ſuperfluum ſtatui præſenti, illud tamen in futurum reſeruat vt mutet ſtatum digniorem, & ita vix aliquis tenetur, aut ſecundùm opinionem Caietani, aut ſecundùm noſtram ad eleemoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatus. Hæc Vaſq. Vide etiam eumdem *infrà num. 32. in fine*. & Cordubam *lib. 1. q. 36.* cum Granado *in 2.2. contr. 3. tr. 11. ſect. 1. n. 3.* vbi adducit & approbat doctrinã Caietani *in ſum. ver. eleemoſ. largitio*, ſic aſſerens. Hoc eſſe iudicandũ conſideratis ſumptibus honorabilibus, etiam filiorum familiæ ſtatus munificentia, magnificentia, communibus euentibus, hæredibus & alijs huiuſmodi; ita vt rarò videatur contingere vt homo ſecundùm ſtatum gloriosè viuens, ſuperfluum habeat. Hæc Caietanus. Vide etiam Malderum *in 2.2. q. 32. art. 6. dub. 4.* vbi docet etiam vix vnquam contingere vt quis habeat ſuperfluum ſtatus, cùm poſſit quilibet cogitare de ſtatu augendo, imò ſtatus cum diuitijs creſcat. Ita ille. Vide etiam Ludouicũ de ſan Iuan *in ſumm. q. de eleemoſ. art. 3. dub. 4. append. 3.* ſic aſſerentem. [De aqui parece que no ſe ha de cõdenar alque detiene los dichos bienes ſuperfluos para procurar para ſi, o por los ſuyos alguna hõra, dignidad, o eſtado, que licitamente ſe pueden pretender con condicion, que no dexe de acudir à la neceſſidad extrema, o quaſi extrema del proximo.] Quæ omnia ſatis pro diuitibus eorumque Confeſſarijs, vt reor plauſibilia erunt; cõſulendum eſt tamen eis ſemper, vt largè eleemoſynas præbeant. Nõ deſinam hîc adnotare ſupradictam ſententiam non admittere Duuallium *in 2.2. D. Th. tr. de charit. q. 8. art. 4.* nam ex illa duo grauiſſima incõmoda ſequerentur. Primum, nullum vnquam hominem dici poſſe habere ſuperfluum, omnes quippe ſperare, & aſpirare ad ſuperiorem ſtatum poſſent; ſaltem nulla eſt ratio, cur vnus potius, quàm alter, ad huiuſmodi ſtatum aſpiret. Secundum eum qui nullam dignitatem ſua ſuperiorem ſuperet, cũ paucis ſuprà neceſſitatem, & decentiam præſentis ſui ſtatus habiturum ſuperflua; eum verò, qui hanc dignitatem ſuperet, ſeu qui maiori ambitioni duceretur habendo plurima ſuper decentiam ſui ſtatus, non habiturum ſuperflua.

RESOL. XXI. *An recipiens eleemoſynam ſimulans paupertatem teneatur ad reſtitutionem?*

AFfirmatiuè reſpõdet Scotus, Alenſis, Gabriel, & alij, quos citat & ſequitur Philippus Faber *de pœnit. in 4 ſent. diſt. 15. q. 2. diſp. 50. c. 4. n. 120.* quia qui decipitur circa conditionem, propter quam donat, non liberaliter omnino donat, ideò qui donat alicui, quia putat illum eſſe pauperem, & reuera non eſt pauper, non verè liberaliter donat, ſicut qui donat alicui, quem putat propinquum, ſi non eſt propinquus, nulla eſt donatio. Sotus tamen *lib. 9. de iuſt. q. 7. art. 3. ad 4.* hanc opinionem dicit nõ habere locum in eleemoſynis quotidianis, hoc enim eſt nimis durum, ſed ſolùm quando aliquis impoſtor magnus

magnus ex induſtria magnam neceſſitatē, vel ſanctitatem effingeret ad extrahendam aliquam magnam eleemoſynam, quia in hoc caſu eleemoſyna eſſet fraude extorta. Ratio autem ipſius eſt, quia qui faciunt eleemoſynam, non faciunt illam præcisè ſub hac conditione, ſi reuera ſit pauper; ſed ratio præcipua eſt propter Deum, licet cauſa motiua ſit paupertas perſonæ, cui fit eleemoſyna, quod cōfirmat ex Adriano, quia quando cauſa finalis eſt vera, licet motiua ſit falſa contractus eſt legitimus, & transfertur dominium, vt contingit in alijs contractibus. Nauarrus *in Man. cap. 17. n. 107.* hanc opinionem Soto reijcit, quia parum refert quòd eleemoſyna ſit parua, vel magna; nam quod eſt alienū, ſiue magnum ſit, ſiue paruum, dummodo non ſit adeò modica quantitas, quæ ſpernatur, eſt obnoxium reſtitutioni. Adiungit tamen diſtinctionem, quā idem Sotus ex Adriano *ibi* ſumit, & acceptant Medina *quæſt. 23. de rebus reſtituendis.* Azorius *lib. 4. cap. 21. quæſt. 8.* quòd ſi ſimulatio paupertatis ſit cauſa finalis, tenetur ad reſtitutionē; ſi verò ſit cauſa motiua, ſiue impulſiua tantùm, non tenetur ad reſtitutionem. Cauſam autem finalem in propoſito explicat Azorius eſſe eam, quæ eſt ſimpliciter cauſa, vt ſequatur effectus, adeò quòd ea circumſcripta effectus non ſequeretur; cauſa autem impulſiua eſt, quæ mouet quidem, ſed tamen non mouet ad ſimpliciter dandum, ſed ſolùm ad promptiùs & faciliùs dandum. Hæc diſtinctio de cauſa finali & impulſiua mihi vana videtur, quia ſecundùm Philoſophos & Theologos ſolus finis eſt cauſa motiua & impulſiua agentis ad opus, ideo diſtinctio hæc eſt vana, niſi accipiatur in hoc ſenſu, quòd cauſa finalis ſit duplex, principalis & minùs principalis, in quo ſenſu eam exponere videtur Azorius; ſed tunc eſt difficultas, an in eleemoſyna facienda cauſa finalis principalis ſit paupertas ficta? Certè dicendum eſt eſſe paupertatem. quod probatur, quia charitas & amor Dei eſt cauſa finalis faciendæ eleemoſynæ in communi: at cauſa finalis, propter quam huic perſonæ particulari determinatæ fiat, non eſt charitas Dei, ſed paupertas ipſa ficta; qui enim vult facere eleemoſynā propter Deum, quærit pauperem, & facit ei eleemoſynam regulariter, quem putat pauperem, neque enim videmus erogari regulariter eleemoſynas diuitibus, & non egentibus, his enim dona donantur, & non eleemoſynæ ſed pauperibus. ergo ratio & cauſa principalis, propter quam huic perſonæ donantur eleemoſynæ, eſt paupertas: ſi ergo quis decipiatur circa hanc conditionem & rationem, propter quam illi facit eleemoſynam, vt dicebat Scotus, non eſt voluntaria donatio, & ſic tenetur ad reſtitutionem. Ideo huiuſmodi ſimulatores obnoxij ſunt iudicandi ad reſtitutionem, neque eſt recedendum à communi ſententia, & per dicta patet ad fundamenta Soti & aliorum. Dicendum eſt enim quòd cauſa finalis principalis faciendi eleemoſynam huic perſonę particulari, eſt paupertas ſimulata; charitas autem Dei eſt finis faciendæ eleemoſynæ in communi, nō huic particulari vt particulare eſt. Patet enim ex Adriano & ex ſimili in contractibus. dicimus enim, quòd ſicut in contractibus cauſa finali deficiente (admiſſa eius diſtinctione) contractus eſt nullus, ſic in largitione eleemoſynæ. At paupertas eſt cauſa finalis, non impulſiua tantùm, vt eſt probatum. ergo, neque hoc eſt durum aſſerere in eleemoſynis quotidianis, quia maxima eſt fraus ſimulare paupertatem, & eleemoſynas veris pauperibus hac ſimulatione iniqua auferre, & fraudare mentem facientium eleemoſynas. & hæc omnia docet Faber *vbi ſuprà.*

Verùm his non obſtantibus quoad oſtiatim mendicantes ego puto excuſari à reſtitutione, quia in paruis & quotidianis eleemoſynis, vt præter Sotum & Azorium *vbi ſuprà*, non habetur vtplurimū ratio paupertatis, ſed tantùm charitatis, pietatis, & miſericordiæ, & dominus ob rerum paruitatem in tali caſu non cenſetur id onus velle ſupradictis pauperibus imponere. Et reuera dantes illas eleemoſynas verè & abſolutè eas faciunt ſine vlla conditione, & conſequenter transferunt dominium earum in ipſos recipientes, & conditio illa in mente retenta, quam aliqui opinantur, non obligat in cōſcientia, neque qualificat datum, nec facit ipſum conditionale, ex *l. ſi repetendi, C. de condict. ob cauſ. dat.* Præterea præſumptio illa quòd non adfuerit animus donandi, data falſitate ex parte recipientium eas, non eſt pro foro interiori, ſed exteriori, & ita hanc ſententiam docet etiam Granadus *in 2. 2. controu. 3. tr. 11. diſp. 7. n. 4.* vbi ſic ait. Quoniam in quotidianis eleemoſynis præſumendum eſt eos, qui illas faciunt, nolle reſtitutionem, etiamſi mentita paupertate poſitas fuiſſe cognoſcerent, non eſt obligandus ad reſtitutionem, qui eas accepit fingendo ſe pauperem eſſe, vt optimè Sotus & Nauarrus notarunt. quibus addo Henriquez *lib. 3. de Indulgent. cap. 35. §. 5.* niſi aliud de mente donantis conſtaret. Contrà verò magna aliqua eleemoſyna, v.g. centū aurei, qui alicui donarentur, quia finxit ſe eſſe Epiſcopum, qui ab Epiſcopatu per vim ab hæreticis expulſus indiget peculiaribus ſumptibus, vt ad illum redeat, vel quid ſimile, non cenſetur erogata voluntarie, & ideo reſtituenda eſſet. Ita Granadus.

Et tandem non deſinam hîc apponere verba Ioannis de la Cruz *in director. conſcient. part. 1. pr. 5. art. 4. dub. 2. concl. 4.* vbi ſic ait. Pauper fictus peccat mortaliter petendo eleemoſynam, & reſtituere tenetur, quando ſibi dantur eleemoſynæ ſub conditione ſaltem tacita, quòd ſit pauper, vt contingit in amplis & extraordinarijs eleemoſynis, ſicut cùm petitur eleemoſyna pro captiuo, qui non eſt. Secus ſi donatio fit abſolutè vt præſumitur in eleemoſynis ordinarijs, etſi aliàs fiant ob motiuum falſum.

Nota etiam quòd pauper mendicans cauſa otioſitatis, vel cupiditatis, etiamſi ſit validus corpore, non peccat mortaliter donec manet intra latitudinem paupertatis. Ita ex Nauarro docet Aloyſius Bariola *in aphoriſmis lit. P. ver. Pauper.*

Nota inſuper quòd ſi pauper adſtans oſtium diuitis & Monaſterij, & expectans eleemoſynam, dicat alteri pauperi accedenti iam eſſe datam, non tenetur ad reſtitutionem. Ita ex Aragonio probabile putat Leſſius *lib. 2. cap. 2. dub. 5. num. 43.*

RESOL. XXII. *Cui facienda ſit reſtitutio eleemoſynæ receptæ ex ficta paupertate?*

PRima opinio eſt Soti *lib.9.q.7.art.3.* Leſſij *lib.2. c.18.dub.vlt.num.132.* & aliorum aſſerentium faciendam eſſe donanti, quia ſub eius dominio adhuc manet illa eleemoſyna. & hanc opinionem (maximè ſi quantitas eleemoſynæ magna foret) ſequendam eſſe exiſtimat Granadus *in 2.2. contr.3. tr.11.diſp.6.n.5.* Idem etiã docet Turrianus *in 2.2.diſp. 85.dub.2.* ille enim qui dedit eleemoſynã, ſolùm habuit animum dandi huic pauperi in ſpeciali, propter eius paupertatem; quòd ſi illa fuit ficta, pendet ab eius voluntate diſtributio illius eleemoſynæ.

Secunda opinio aſſerit reſtitutionem in tali caſu faciendam eſſe pauperibus, quia qui illam dedit, abdicauit à ſe dominium ex affectu eleemoſynæ, & ita iuxta eius voluntatem danda eſt alteri pauperi, aut pauperibus. Ita Villalobos *in ſumma tom.1.tract.22.difficult.9.numer.4.* Ludouicus de San Iuan *in ſumma quæſt. de eleemoſyna, artic.9. dub.1.difficultate 7. concluſ.3.* vbi ſic ait. [La reſtitucion de la limoſna dada por la ſantidad, y pobreza fingida no ſe ha de reſtituyr al dante ſino à los otros pobres, porque el limoſnero la dio por amor de Dios para ſocorrer al pobre en quanto pobre, aun al miſmo Ieſu Chriſto nueſtro Señor, que dixo, *Quod vni ex meis feciſtis, mihi feciſtis.*] Sic ille. & ante illum Nauarrus, Medina, Adrianus & Caietanus penes Molinam *de Iuſtit. tom.1.tract.2.diſput.210.n.4.* Cui licet in rigore prima opinio placeat, quia tamẽ regulariter non cognoſcentur, qui eleemoſynas ita dederunt, præſertim ſi multi, & in parua quantitate eas dederunt; difficileque admodum & cum modico cuiuſque emolumento fieri illis poteſt reſtitutio, atque dè ſingulis eſt præſumendum, quemadmodum amore Chriſti id dederunt, ita voluntatem eorum eſſe, vt amore eiuſdem Chriſti inter pauperes diſtribuatur, regulariter facienda erit pauperibus, aut in alijs pijs operibus erit inſumenda; ſi tamen aliquis quantitatem magnam dediſſet, conuenirique poſſet, interrogandus eſſet quid de ſua portione vellet fieri, ſuadenduſque eſſet, vt pauperibus diſtribueretur, aut in alijs pijs operibus inſumeretur. Ita Molina. Vide etiam Vaſquez *opuſc. de Reſtitutione cap.3.dub.vlt.numer.24.* & Caſtrum Palaum *tom.1. tract.6.diſp.2.punct.14.num.7.* aſſerentes vtrique reſtitui poſſe & domino & pauperibus, cùm vtraque opinio ſit probabilis.

RESOL. XXIII. *An pauper non ſolùm in extrema, ſed etiam in graui neceſſitate poſſit neceſſaria à diuitibus furari, quando ipſi tenentur præbere eleemoſynam?*

NOn eſt dubium in extrema neceſſitate poſſe pauperem occultè, aut vi accipere à diuite, vel quouis alio ea, quæ diues ipſe tenetur eo in articulo erogare, imò in tali caſu puto cum Leſſio *lib.2.cap.12.numer.69.* poſſe tunc egentem cum moderamine inculpatæ tutelæ necem inferre impedienti. Difficultas eſt, quando pauper eſt in graui neceſſitate, an poſſit furari; & negatiuè reſpondet Granadus *in 2.2.contr 3.tom.11.diſput.7 numer.4.* non ſolùm quia *in cap.ſi quis, de furtis*, imponitur pœna accipienti res alienas tempore neceſſitatis; quod intelligendum eſt extra caſum neceſſitatis extremæ, ſed potiſſimùm, quia in neceſſitatibus grauibus eſt valde probabile non teneri diuites de neceſſarijs ad ſtatum elargiri eleemoſynam. Porrò quòd quis habeat ſuperflua ſtatus, rarũ eſt, & difficilè iudicari poterit, præſertim ab extraneo, qui paupertate quidem opprimitur, ſed conditionem & ſtatum diuitis non nouit; iniuriam ergo irrogaret illi, qui ab eo acciperet pecuniam. Confirmatur, quia cùm accidere poſſit, vt multi grauem neceſſitatem patiantur, quibus omnibus diues non poſſit, aut teneatur ſubuenire, liberum illi eſt huic, vel illi elargiri. ergo contra iuſtitiam faciet quiuis particularis qui ab ipſo pecuniam furripit. Dices, hoc ipſum argumentum effici poſſe, quando multi extremam neceſſitatem paterentur, & non poſſet omnibus ſubueniri, cùm tamen certum ſit poſſe tunc à quolibet illam patiente accipi rem alienam; ſed reuera non eſt eadem ratio, quia & neceſſitates extremæ rariores ſunt, & magnus propriæ vitæ amor poteſtatem cuilibet facit ſibi proſpiciendi, non attendendo alijs, niſi fortè apparerent tunc, & illorum vita anteponi deberet propriæ, in eo enim caſu non liceret furripere tibi id, quo illi ad vitam conſeruandam indigerent, quia tamen accidere poteſt quempiam ſub mortali teneri huic determinato pauperi grauiter indigenti ſubuenire, quia & ſuperflua ſtatus habet, & non apparet alius pauper ea neceſſitate oppreſſus, tunc liceret quidem rem alienam accipere, & in eo euentu aſſentior Doctoribus prioris opinionis. Imò à iudice compelli poſſet diues non ſolùm in extrema, ſed in graui neceſſitate proximè explicata conſtitutis ſubuenire, non quia ex iuſtitia ad id teneatur, ſed quia tenetur ſtrictiſſima lege naturali & diuina, iudexque poteſt etiam ad ea, quæ ex iuſtitia non obligant, cõpellere, vt ad audiendum Sacrum, & relinquendam concubinam, & ſimilia, præſertim ſcandaloſa. Ita Granadus, & Doctores, quos ego ipſe citaui *in 2.part.tract.3.miſcell.reſ.29.*

Sed ego ibi cum multis Doctoribus contrariam ſententiam tamquam probabilem admiſi, & nunc iterum admitto cũ Coninck *diſp.27.dub.10. numer.162.* Ioanne VVigers *in 2.2.D.Thom. quæſt.32. art.6.num.53.* Vaſquez *opuſcul.de eleemoſ.cap.1.dub.7. num.60.* & Hurtado de Mendoza *in 2.2. diſput.159. ſect.4. §.92. iuncto §.59.* & ratio eſt, quia, vt ſuprà probatum eſt, in grauibus neceſſitatibus tenetur diues eleemoſynam facere. ergo ſi non facit, non eſt rationabiliter inuitus, ſi qui indiget accipiat, & conſequenter poterit alter nomine pauperis prædicti bona furripere à diuite, vt pauperi donet, vt notauit Angelus *ver.furtum, num.37.* & præter Doctores citatos nouiſſimè tenet etiam hanc opinionem Caſtrus Palaus *tom.1.tract.6.diſput.2.punct.10. n.5.* vbi ſic ait. Eſt inſita diuiti obligatio ex charitate ſuccurrendi cuilibet patienti grauem neceſſitatem, ſicut patienti extremam, ſi commodè poteſt. Hoc autem ſufficienter pauperi conſtat, ſi illi con-

conſtet de ſua graui neceſſitate, & de potentia diuitis, & ignoret an alij patiantur eamdem, ſecumque concurrant, ijs enim conditionibus poſitis tenetur diues ſuccurrere, & in acceptis à paupere conſentire; ergo pauper accipiens non peccat. quòd ſi de facto plures patientes grauem neceſſitatem concurrant, & cognitæ ſint à diuite quibus omnibus ſatisfacere non poteſt ex bonis, quæ ſibi ſuperſunt, ſed ſolùm vni, vel alteri, credo tunc non poſſe pauperem clam ſurripere, ſi ipſi non conſtat nolle alijs diuitem eleemoſynam impertiri, quia intantum poteſt, inquantum diues tenetur. At in tali caſu diues non tenetur ei eleemoſynam concedere, ſed poteſt eam alijs ſeruare. ergo. Neque obſtat patientem extremam neceſſitatem poſſe à diuite clam neceſſaria ſurripere, etiamſi plures alij ſimilem neceſſitatem patientes concurrant, & diues non poſſit omnibus prouidere, quia ius conſeruandi vitam, quia eſt nimis exemptum, hanc tribuit facultatem, neque vllus conqueri rationabiliter poteſt, quod ſic conſeruare ſtudeat. Fateor tamen ob hanc rationem etiam in graui neceſſitate eſſe probabile; nam cùm diues omnibus illis diuiſim teneatur prouidere, qui præuenit accipiendo, iure à natura ſibi conceſſo videtur vti. Hæc omnia Caſtrus Palaus *loco citato.* & tandem hanc ſententiam nouiſſimè docet Andreas Duuallius *in* 2. 2. *D. Thomæ tract. de charitate quæſt.* 8. *art.* 3. *circa finem*, vbi etiam tenet, quòd qui ægrè ſtatum ſuum poteſt conſeruare, in graui neceſſitate verſari cenſeatur, vt ſi tenui tantùm victu & veſtitu vir nobilis ſe ipſum, ſuamque familiam alere & ſuſtentare cogeretur.

RESOL. XXIV. *An vir honeſtus, cui magnum dedecus eſſet mendicare, poſſit clanculum neceſſaria ſurripere?*

NEgatiuè reſpondet Malderus *in* 2. 2. *quæſt.* 32. *art.* 6. *dub.* 6. vbi notat aliquos docere, propter dedecus mendicationis poſſe virum honeſtum clanculum ſurripere in extrema neceſſitate; rectiùs tamen ait ipſe videtur contrarium ſentire poſt Titelmannum *in Pſal.* 36. Nauarrus *in cap. quieſcamus. num.* 39. idque multò magis verum erit, quando non eſt extrema neceſſitas, præſertim cùm pudor ille in neceſſitate mendicandi non videatur ſanctus, aut Chriſtianus, ſed potiùs vana ſuperbia. Ita Malderus, & poſt illum VVigers etiam *in* 2. 2. *q.* 32. *art.* 6. *concl.* 4. *num.* 56.

Verùm contrariam ſententiam docet Bannez *in* 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *dub. vlt. circa ſolution. ad* 3. vbi ſic ait. Si homo fuerit infimæ ſortis, qui abſque notabili honoris ſui detrimento mendicare poteſt, & ſupplere hac via ſuam neceſſitatem, non cenſetur adhuc eſſe in extrema neceſſitate. quemadmodum ſi per aliquam artem poſſet ſibi neceſſaria acquirere: ſi autem fuerit homo cui pro ratione ſui ſtatus grauiſſimum ſit mendicare, neque alia via poſſit victum neceſſarium acquirere, non deſunt opinantes poſſe eum clanculum accipere vbicumque inuenerit victum, aut veſtitum. Ita Bannez.

RESOL. XXV. *An filiusfamilias poſſit facere eleemoſynas?*

POteſt ex bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus, quia eorum plenum ius, poteſtatem & adminiſtrationem habet; ex bonis verò profectitijs, vel aduentitijs non poteſt, ex profectitijs quidem, quia eorum proprietas & vſusfructus eſt penes patrem; ex aduentitijs autem, quia quamuis eorum proprietatem habeat, non tamen vſumfructum, quia eſt apud patrem dum viuit, filiusfamilias itidem cùm longa peregrinatione ſuſcepta conſenſu patris iter facit, vel cùm in ſcholis verſatur ſtudij literarij gratia, vel cùm paterna negotia gerit abſens à domo patris, poteſt tuta conſcientia ex bonis paternis eas eleemoſynas dare, quas erogare ſolent alij filijfamilias inuicem conditione pares, & eas, quas bona fide credit ratas habiturum patrem. Inſuper ſi parcè viuendo ſubtrahat ſibi aliquid ex his, quæ ad ipſius victum pater concedit, poteſt id in pauperum vſus impendere. Quid ſi ludo aliquid lucrifecerit, an id etiam pauperibus erogare queat? ordinariè non poteſt, quia id acquiritur patri; at verò ex tacita patris voluntate, quæ bona fide creditur ratum habitura, quòd filius dederit ludo partem, poteſt tuta conſcientia id facere. Ita Azorius *tom.* 2. *l.* 12. *c.* 10. *quæſt.* 1. & Hurtadus de Mendoza *in* 2. 2. *diſp.* 159 *ſect.* 6. §. 139. qui addit poſſe filium ad vſus honeſtos accipere aliqua à patre etiã inuito, quia irrationabiliter eſt inuitus, quæ poteſt pauperibus erogare. Itẽ ſi pater nullas eroget eleemoſynas, poteſt filius pro eo erogare, quia hac in parte cenſetur idẽ eſſe pater & filius, neq; cenſetur pater rationabiliter inuitus vt id fiat per filium; ſi verò ex bonis paternis grauem quantitatẽ adimat, eleemoſyna ex illis neque eſt licita, neq; valida, teneturque filius eam quantitatem fratribus reſtituere pro rata cuiuſque quantitate. Vide etiam circa præſentem quæſtionem Filliucium *tom.* 2. *tract.* 28. *cap.* 4. *num.* 94.

RESOL. XXVI. *An ſerui poſſint facere eleemoſynas?*

IN aliquibus caſibus affirmatiuè reſpondeo cum Filliucio *tom.* 2. *tract.* 28. *cap.* 3. *num.* 95. Primus, ſi ſit extrema neceſſitas. Secundus, ſi detur modicum quid, & rarò, præſumitur enim probabiliter conſenſus domini. Tertius, quotieſcumque adſit eiuſdem conſenſus, ſaltem interpretatiuus. Quartus, quando probabiliter ſperatur ratihabitio, quę tunc maximè eſt, quando haberet ſeruus adminiſtrationem bonorum. Quintus, quando de certa portione ſibi aſſignata ad victum detraheretur aliquid per abſtinentiam, modò id non cedat in præiudicium domini, ſi nimirum per hoc redderetur inhabilis ad ſeruitia. Sed quia ego ſatis probabiliter firmaui *in* 2. *part. tract.* 3. *miſcell. reſol.* 58. ſeruos poſſe habere aliquarum rerum dominium imperfectũ, & ſecundùm quid, ita vt eas non teneatur ſuis dominis tradere; igitur in illis caſibus certum eſt ſeruos poſſe præbere eleemoſynas. Primus caſus eſt, ſi aliquis det ſeruo ea conditione, vt res donata ad dominum non perueniat. Secundus, ſi aliquid detur abſolutè, & ſine conditione, non tamen intuitu

ipſius

ipſius domini, vt v g. propter induſtriam, vel aliquod ſeruitium factum, nam in hoc caſu ille qui dat, videtur dare, vt illæ res ſcilicet non ſint domini, ſed ſerui. Tertius, ſi aliquid detur in compenſationem iniuriæ illatæ. Quartus, ſi aliquid lucretur ſua pecunia, & ex rebus ſibi datis, vt *ſuprà, & infrà*, vnde ſuum facit lucrum acquiſitum per ludum licitum, vel illicitum. Quintus, quando propter turpem corporis vſum aliquid ei datur. Cùm igitur in his caſibus ſeruus acquirat dominium rerum, poteſt de illis eleemoſynam facere præter alios caſus à Filliucio ſuprà notatos.

RESOL. XXVII. *De quantitate eleemoſynæ neceſſariò ab Epiſcopis & Eccleſiaſticis expendenda in pauperum neceſsitatibus?*

BEnigna opinio circa præſentem quæſtionem non poteſt expectari. Ego librorum helluo fui vt aliquam inuenirem, ſed fruſtrà, ita ſtrictè loquuntur Doctores, & meritò, quoad hanc obligationem Eccleſiaſticorum. Sententia igitur, quam in hac reſolutione appono, eſt inter omnes alias ampliſſima, & illam docet nouiſſimè Hurtadus de Mendoza *de charitate in* 2.2. *D. Thom. volum.* 2. *diſputat.* 160. *ſect.* 15. §. 105. *vſque ad* §. 110. vbi ſic ait. Dico, Epiſcopi & cæteri Beneficiati Clerici tenentur, vt minimum, erogare quartam partem fructuum, ſiue reddituum in opera pia, vel medietatem reſidui congruæ ſuſtentationis, nec tenentur ad plus erogandum. hoc intelligo per ſe, & in neceſſitate communi, non in graui. Hæc concluſio eſt omnium hac de re ſententiarum probabilium ampliſſima, nec vidi vllum authorem, qui minorem partem deſigner. Eos non teneri ad erogandum omne reſiduum, apertè docent Sotus *lib.* 10. *de Iuſtit. quæſt.* 4. *artic.* 4. *verſ. quamuis documentum.* Toletan. *lib. de* 7. *peccatis, cap.* 38. cum Tabiena, vbi aſſerunt poſſe Epiſcopum donare conſanguineis de redditibus Eccleſiæ, Lorca *diſputat.* 40. *numer.* 43. Molina *tract.* 2. *diſput.* 146. *ver. contrarium.* cum Maiore, Bannez, & alijs. Ratio eſt, quia Clerici acquirunt verum dominium reddituum. ergo lege iuſtitiæ non tenentur erogare aliquid. ergo lege miſericordiæ non tenentur erogare totum reſiduum, quia lex miſericordiæ non obligat laicos niſi in graui neceſſitate, quia inopia leuis ex ſe non obligat; ratio autem ſtatus perfectioris non exigit omnium donationem ſub peccato mortali, nec cura paſtoralis petit vt in neceſſitate communi totum ſuperfluum à me abdicem, certè præter aliquorum Theologorum grauium quidem authoritatem non video vrgens argumentum, quo probetur obligatio ad omnia eroganda à Clerico non profeſſo paupertatem, vt conſtat ex reſponſione ad omnia argumenta. At valde durum eſt me obligari ad eroganda omnia, quorum ſum dominus in neceſſitate communi, præſertim cùm multi ſint labores Eccleſiaſticorum in choro, reſidentia, cælibatu, & alijs. Eſt igitur opus vt apertè conſtet de præcepto ad illud aſſerendum in re difficillima obſeruatu, in qua euidens eſt moraliter plurimos perituros. Porrò erogatio quartæ partis omnium fructuum ſatis eſt ex ſententia Dominici Soti adducti, Bannez *art.* 6. *dub. vlt. ver. ex dictis omnibus.* cùm enim admodum ſeuerè fuiſſet locutus de obligatione Epiſcoporum ad vberrimas eleemoſynas, nec illos eſſe in ſtatu ſalutis, niſi eas erogent in egentes, hæc ait. Ego ſanè nullum Epiſcopum Hiſpaniæ abſoluerem, niſi ſaltem quartam partem reddituum in eleemoſynas expenderet, & hoc intelligo in communibus neceſſitatibus. nam in grauioribus, quales eſſe ſolent tempore famis, aut peſtis, aut plurimarum ægritudinum, ad amplius tenentur, iuxta proportionem neceſſitatis pauperum, qui ſunt oues propriæ, ita vt aliquando teneantur ex propria ſupellectili, & vaſis argenteis eleemoſynas facere. His Bañez oſtendit Epiſcopum eſſe in ſtatu ſalutis, & abſolui poſſe, ſi in neceſſitate communi eroget quartam partem fructuum, non verò in neceſſitate graui, tunc enim ad plus tenetur. Petrus Lorca *diſputat.* 40. *numer.* 34. exiſtimat ab Eccleſiaſtico fieri ſatis eleemoſynæ præcepto, ſi duo obſeruet, alterum vt diligentiam adhibeat in pauperibus conquirendis; alterum eſt vt maiorem partem ſuperfluí expendat in neceſſitate communi. At maior ſuperfluí pars æquiualebit frequenter quartæ parti omnium fructuum. Propterea dixi in concluſione omnes teneri ad erogandam vel quartam partem omnium fructuum, vel medietatem ſuperfluí, quia hos graues authores video eſſe in ijs ſententijs, quæ parum differunt. Huius ſententiæ rationem à priori reddere non poſſumus. quia verò res eſt maximi momenti, in qua Eccleſiaſticorum conſcientiæ magno ſunt periculo expoſitæ, cenſui ſententiam aliquam probabilem ſtatuere, iuxta quam tam Confeſſarij, quàm Clerici pœnitentes poſſint tuta conſcientia aliquid certum, fixumque tenere, ne incertis ſententiarum varietatibus animus fluctuet. Et quidem cùm Eccleſiaſtici habeant verum dominium, nec lex iuſtitiæ eos obliget, videtur rationi valde conſentaneum eos ſatisfacere legibus miſericordiæ, & curæ paſtoralis, ſi in graui neceſſitate erogent omnia ſuperflua, in leui autem ita partiantur, vt cum pauperibus partem faciant æqualem de reſiduo; quid enim aliud poteſt quis exigere ab alio? Aſſerit Sotus omnes cenſuros Clericum ſuo muneri cumulatiſſimè ſatisfacere, ſi tertiam partem reddituum in opera pia expendat, quod mihi certiſſimum eſt. Pone Epiſcopum habentem annuos redditus 30. mille; hic ſi 10. mille in opera pia diſtribuat, nullus meritò cenſebit illum eſſe auarum, aut crudelem, nec poterit iure ſcandalizari, quòd Epiſcopus de alijs 20. mille ſe alat, & efficiat quod libuerit, dum non ſit in vſus profanos, licet ea abundè communicet cum conſanguineis; quid enim de congrua ſuſtentatione illi poterit eſſe reſidui? Hoc abſque vllo ſcrupulo fieri poteſt. In ſententia autem propoſita, qui habet 40. mille, ſi in communi neceſſitate expendat 10. mille, poterit ſine ſcrupulo de illo cætero diſponere, dum nec ſit profanè, nec cum ſcandalo, quod vitatur facillimè data tertia parte operibus pijs; data verò quarta, non vitatur tam facilè,

poteſt

potest tamen vitari si constet apertè de eleemosynis datis.

Quia verò hac in parte non est omnibus Clericis eadem copia fructuum, libuit rem hanc explicare. Episcopi meliùs facient, si ex redditibus assignent quartam partem, quàm si medietatem superflui. Ratio est, quia dignitas Episcopalis est perampla, qua potiuntur sæpe viri Principes, nec redditus annui tam sunt copiosi aliquando, vt superesse possit multum de congrua sustentatione, vel quia Episcopatus verè est tenuis, vel quia Episcopus est Princeps. Hic fortè exiguas faciet eleemosynas, quia censebit omnia sibi esse necessaria ad suam sustentationem, ob quod tenetur semper assignare operibus pijs quartam partem fructuum, ne vnquam Episcopus excusetur ab eleemosynis ingentibus pro sua facultate, esset enim graue scandalum Episcopum non esse largum, licet aliquid detrahat de congrua sustentatione. Si autem teneat hanc rationem, vitabit hoc scandalum. Si verò Episcopatus sit pinguis, & medietas superflui æquiualeat quartæ parti, poterit eligere quam libuerit opinionem. Cæteri Clerici non tenentur ad sequestrandam quartam partem, sed poterunt priùs accipere ad congruam sustentationem, deinceps erogare medietatem superflui. Ratio est, quia maior est obligatio Episcopi ad eleemosynam, quàm aliorum Clericorum, qui non sunt in tam ampla dignitate, nec beneficia sunt tam pinguia, quàm Episcoporum, ob quod possunt sibi consulere priùs absque scandalo, quia illorum sustentatio est etiam parcior. In his ergo potest seruari ea ratio vt medietatem dent superflui, in Episcopis autem vt dent quartam partem omnium fructuum. quòd si vtrique dent tertiam partem, plenè, & planè satisfaciēt huic obligationi, ita vt sine peccato possint de duabus alijs partibus sibi prouidere, & disponere pro arbitratu, dummodo nō profanè, eaque poterunt familiaribus & consanguineis donare. & hæc omnia docet Hurtadus *vbi suprà*.

Qui etiam §. 111. notat quòd distributiones quotidianæ quæ dantur in Choro pro singulis horis, quibus Clerici assistunt, stipendia pro comitando funere defunctorum, eleemosynæ pro facienda Missa, vel habenda concione, processione peragenda, visitando Episcopatu, ferendis sententijs, & causis audiendis, pro agendo aliquo negotio Ecclesiæ, vel aliorum, denique quicquid datur pro industria personali, pro labore, aut donatione, hæreditate, contractu, vel quouis alio titulo distincto à titulo beneficij, pro organis pulsandis, in sufflandis tibijs, audiendis confessionibus, &c. id omne censetur esse vel patrimoniale, vel quasi patrimoniale: sunt igitur bona beneficij annui redditus, qui appellantur *grossum*, apud nostrates, *la grueſſa*, vbi clauduntur quæ dantur ad vestitum & victum. Igitur Clerici de his bonis possunt ad libitum disponere vt de bonis patrimonialibus.

Nota etiam contra Panormitanum *in cap. cùm omnes, de testament. numer.* 27. & Sarmientum *de redditibus part.* 3. *cap.* 5. *numer.* 1. *& sequent.* quòd si de congrua sustentatione, quam vnusquisque Clericus potest licitè accipere de grosso beneficij, eiusque redditibus, si velit, inquam, ex ea aliquid detrahere, poterit quidquid detraxerit expendere pro libito absque peccato mortali, non tamen ad vsus profanos. Ita ex multis Hurtadus §. 113. cui adde Sanchez *in opuscul. tom.*1. *lib.*2. *cap.* 2. *dub.* 43. *numer* 3. Molinam *de primog. Hispan. lib.*2. *cap.*10. *numer.*50. Auendañum *resp.*19. *numer.*12. & alios penes ipsos, & omnia supradicta ego puto probabilia, & secura in praxi, non obstantibus ijs, quæ cum Granado dixi *in* 4. *part. tract.*4. *resol* 214.

Non desinam hîc etiam adnotare, omnia supradicta procedere etiam quoad Regulares ad Episcopatum assumptos, hi enim non tenentur maiori obligatione ad eleemosynam elargiendam, quàm cæteri Episcopi, vt alibi probatum est.

RESOL. XXVIII. *An Summus Pontifex teneatur superflua ex suis redditibus elargiri in eleemosynas?*

REspondeo affirmatiuè, quia præceptum erogandi superflua in pios vsus, est præceptum diuinum, & naturale, vt probat Nauarrus *opusc. de reddit. q.*1. *num.*48. & Corduba *lib.* 1. *q.*18. vnde ex his infert Sanchez *in opusc. tom.*1. *lib.*2. *cap.*2. *dub.*40. *num.*3. Summum Pontificem hoc adstringi præcepto, & teneri superflua ex suis redditibus Ecclesiasticis largiri pauperibus. Ita ille, qui citat pro hac sententia Archidiaconum, & Adrianum. Verùm Corduba *vbi suprà*, docet Papam ex causa in hoc præcepto posse dispensare. & Sotus *lib.* 10. *de Iust. q.*4. *art.*3. tenet hoc præceptum esse humanum, & Ecclesiasticum.

RESOL. XXIX. *An pensionarij, sicut & beneficiarij, teneantur ad eleemosynas faciendas?*

PRima opinio affirmat. Ita Sarmiento *de reddit. part.*3. *cap.*5. *numer.*7. & Nauarrus *opuscul. de spolijs Cler.* §.1. *num.*6. *&* §.7. *num.*7. vbi pensionarios beneficiarijs æquiparant. Probatur hæc opinio, quia Pontifex concedit pensiones pro alimentis. ergo insinuat nolle, vt eas prodigat. Deinde obligatio eleemosynæ est annexa redditibus beneficiorum. ergo ad quoscumque transeant, debent cum hoc onere transire, ex *cap. literis, de pignoribus, & cap. pastoralis, de decimis.*

Secunda opinio negat. Ita Vasquez *opusc. de eleemos. dub. vlt. n.*22. vbi sic ait. Quæres an pensionarius teneatur ad eleemosynam ex superfluo, sicut beneficiarij, in materia enim de redditibus dicemus esse verè pensionis dominos. Respondeo quòd nullum video Authorem obligantem pensionarios ex charitate adhuc, ad vberiores, vel alias eleemosynas, quàm alios seculares. licet enim bona sint Ecclesiastica, dantur tamen in pensionem propter bonum Ecclesiæ eo modo vt vidimus in alimentis, & status pensionarij non obligat eum, nisi sit alias beneficiarius ad eleemosynas aliter, quàm alios laicos; si verò sit beneficiarius ille, talis tenebitur ad prædicta ex beneficij superfluo, ratione cuius in eo est constitutus statu. Ita ille.

Tertia

Tertia opinio, cui ego tamquam probabiliori adhæreo, diſtinguit. Ita Molina *de Iuſtit. tom. 1. tract. 2. diſput. 145. num. 5.* ſic aſſerens. Nauarrus ex Bulla Pij V. rectè colligit penſionarios annumerandos eſſe cum beneficiarijs ad effectum, vt quæ vltra ſuam competentem ſuſtentationem ipſis de penſione ſuperfuerint, teneantur in vita expendere in operibus pijs, & vt poſt mortem computanda ſint in ſpolijs Clericorum, id quod monito 90. multis confirmat. quod intelligendum eſt de penſionarijs Eccleſiaſticis, ſecus de laicis, quibus ob benè merita, aut obſequia, penſio eſt conceſſa. Hæc Molina. Dicendum eſt igitur quòd ſi penſio eſt Eccleſiaſtica, tunc adeſt obligatio largiendi eleemoſynas; ſecus autem ſi ſit laicalis. & ita hanc ſententiam docet etiam Hurtadus de Mendoza *in 2. 2. diſput. 160. ſect. 7. §. 117.* vnde ita ait. Clerici omnes tam præſtimoniarij, quàm penſionarij, tenentur erogare in eleemoſynas medietatem ſuperflui ex congrua ſuſtentatione, quia illud eſt verè Eccleſiaſticum beneficium, eſt enim pars fructuum Eccleſiaſticorum. Datur item titulo Eccleſiaſtico, non enim datur frequenter niſi Clericis, & cum onere recitandi Officium B. Virginis; ſi verò datur titulo laico, non eſt eadem ratio. Ita ille, qui citat pro hac ſententia Azorium, cui etiam ego addo Caſtrum Palaum *tom. 1. tract. 6. diſput. 2. punct. 7. num. 2.* Sanchez *in opuſc. tom. 1. lib. 2. cap. 2 dub. 47. num. 5. & 6.*

Notandum eſt tamen quòd ſi aliquis penſionarius ſequi vellet opinionẽ Vaſquez, ego eum non damnarem de mortali, nam præter auctoritatem tanti viri, facit etiam pro dicta ſententia Gigas *de penſionibus, q. 52. num 2. & ſeq.* vide etiam Couarr. *cap. cùm in officijs, de teſtament. num. 6.*

RESOL. XXX. *An milites D. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, & D. Ioannis, teneantur ad eleemoſynam, ſi poſſideant beneficia Eccleſiaſtica?*

AFfirmatiuè reſpondet Nauarrus *de reddit. quæſt. 2. monit. 38.* vbi probat hos milites habere obligationem impendendi operibus pijs totum reſiduũ de congrua ſuſtentatione, & ita etiam docet Mota, Ayala, & Sà apud Sanchez *in ſumma tom. 2. lib. 7. cap. 8. num. 29.*

Sed ipſe ibi meritò contrariam ſententiam tenet, quàm nouiſſimè tuetur etiam Hurtadus de Mendoza *in 2. 2. diſput. 160. ſect. 7. §. 119.* vbi cenſet hos milites non teneri ad expendendũ reſiduũ ex congrua ſuſtentatione, niſi ex inſtituto ſuorum Ordinum, quod eos non obligat, niſi ad certas penſiones, vel ad Ordinis adminiſtrationem, ſeu gubernationem, vel ad ſumptus militiæ contra infideles. Ratio eſt, quia illæ Commendæ dantur titulo laico. ergo non tenentur ad illas expendendas more Clericorum. Conſequentia datur ab aduerſarijs, & probatur à ſimili, tum, quia Cantor, cui propter muſicam organorum, tibiarum, aut alia, dantur ſtipendia Eccleſiaſticarum facultatum, non tenetur ea expendere more Clericorum, etiamſi Clericus ſit, vt ex ipſo Nauarro oſtendi. Secundò, quia Cathedraticus accipit interdum ſalaria ex tertijs partibus decimarum, quæ diſpendere poteſt, vt velit, quia titulo laico dantur. Antecedens autem probatur, quia Commendæ dantur ad militiam, tenentur enim milites militare quoties id imperet Magiſter; vt verò tota Religio ſit accincta ad arma capeſſenda vrgente Magiſtri præcepto, ſunt propoſita illi præmia, quorum ſpe redduntur animi æquiores, & quibus obtentis accipiunt præmia militarium laborum. Non tenetur Muſicus ſua ſtipendia more clericali erogare, & tenebitur miles, cui incumbit obligatio ad effundendum ſanguinem? Secundò, illa obligatio eſſet in laqueum, milites enim non ſunt tam ſcrupuloſi, vt perpendant, quid ſuperſit, quíd ve ſatis ſit, bona autem pars obligationis, imò tota nititur perfectioni ſtatus clericalis, & curæ paſtoralis, quæ in milite non reperiuntur.

Nec valet dicere quòd Equites D. Ioannis vouent ſolemne votum paupertatis, nam licet eorum votum in ſolemnitate ſit votum perfectum; at non tam perfectum ex parte obiecti, quàm votum Clerici Regularis, aut Monachi, vouent enim paupertatem iuxta ſuam regulam, quæ paucis in rebus eos obſtringit, eſt enim laxa, quia eſt regula militum Nobilium, quos non expedit illaqueare minutis præceptis, ſed nonnullis & laxioribus, quibus obſeruetur virtus in militia, eamque ob cauſam illæ Commendæ ſunt à Papa donatæ militibus. Ita Hurtadus *loco citato.* Vide etiam Azorium *tom. 1. lib. 13. cap. 4. quæſ. 6.* vbi aſſerit hos Equites non teneri ad opera pia, ſed ſufficere, ſi non in vſus prauos Commendas expendant. Vide etiam Villalobos *in ſumma tom. 1. tract. 22. diffic. 5. num. 7.*

RESOL. XXXI. *An Eccleſiaſtici ſi eleemoſynas debitas non præbeant, non ſolùm peccent mortaliter, ſed etiam ad reſtitutionem teneantur?*

REſolutio huius caſus pendet ex alia quæſtione, an videlicet Eccleſiaſtici ſint domini redditiuum Eccleſiarum? & negatiuam ſententiam probabiliorẽ eſſe docet nouiſſimè Adamus Tannerus *tom. 3. diſput. 4. quæſt. 6. dub. 8. num. 215. & ſequ.* Alenſis *3. part. quæſt. 36. mem. 5. art. 2.* Richardus *in 4. diſt. 45. art. 3. quæſt. 1.* Paludanus *in 4. diſt. 24. quæſt. 3. art. 3.* D. Anton. *3. part. tit. 15. cap. 1. §. 19.* Gabriel *in 4. diſt. 15. quæſt. 8.* Maior *diſt. 24. quæſt. 17.* Petrus Sotus *in inſt. Sacer. part. 2. lect. 3.* Michael Medina *de recta fide lib. 7. cap. 21.* & mordicus Nauarrus *tract. de redditibus q. 1. mon. 21.* Vnde ſecundùm hos Doctores Eccleſiaſtici non præbentes debitas eleemoſynas, & in profanos vſus expendentes, non ſolùm peccare moraliter, ſed etiam reſtitutionis nexu vinciri exiſtimant.

Sed ego contrariæ ſententiæ adhæreo, quam tuetur Gordonus *in ſumma tom. 2. lib. 8. quæſt. 5. cap. 2. §. 3. num. 14.* Reginaldus *in praxi tom. 2. lib. 30. tract. 3. cap. 7. à num. 74.* Sanchez *in opuſc. tom. 1. lib. 2. c. 2. dub. 37. num. 11.* Hurtadus de Mendoza *in 2. 2. diſp. 160. ſect. 5. 8. §. 36.* Molina *tom. 1. tract. 2. diſput. 143.* Valent. *tom. 3. diſp. 10. quæſt. 3. punct. 7.* Azorius *tom 2. lib. 12. c. 11.* Turrianus *in 2. 2. tom. 1. diſp. 82. dub. 10.* Vaſquez *de redditibus cap. 1. n. 27. & 46.* Corduba *lib. 1. quæſt. 18.* Lorca *in 2. 2. diſp. 40. n. 21.* Coninck *diſput. 27. dub. 11. num.*

*num.*185.Leſſius *lib.2.cap.4.dub.6.numer.*43. Caſtrus Palaus *tom.1.tract.6.diſp.2.punct.6.num.*5. Sarmiento *de redditibus part.2. cap.1. & 2.* & ante omnes Sotus *de Iuſt.lib.*10.*quæſt.4. art.*3. *&* 4. aſſerentes Clericos acquirere dominium fructuum beneficiorum: vnde ſi illos in vſus profanos expendunt, & non in eleemoſynas,& in alia opera pia, ad quæ tenentur,peccant quidem mortaliter,ſed minimè ad reſtitutionem tenentur.

Verùm difficultas eſt, an hæc opinio procedat etiam quoad Regulares ad Epiſcopatus aſſumptos? Et plures Doctores pro negatiua ſententia adduxi *in*3.*part.tract.*2.*reſol.*50.aſſerentes Epiſcopum regularem non abſolui à paupertatis voto, nec effici dominum reddituum Eccleſiaſticorum,ſed ſolùm adminiſtratorem: vnde illi ſuperuacuè & prodigè largientes atque etiam accipientes tenentur ad reſtitutionem; & ita etiam docet præter Doctores citatos Granadus *vbi infrà.* Valentia *tom.* 3. *diſp.* 10. *quæſt.*3.*punct.*8 Peirinus *in Relig.ſubdit. tom.*1. *quæſt.*1. *cap.*10.§. *vnico.* Hieronymus Rodriquez *in compen. qq.Regular reſolut.*60. *num.*9. Caſtrus Palaus *tom.* 1. *tract.*6.*diſp* 2.*punct.*9.*nu.*5 Coninck *diſp.* 27. *dub.*11.*à num.*200.Leſſius *lib.*2.*cap.*4.*dub.*5.*num.*19. Emanuel Rodriquez *in ſumma tom.* 2.*cap.*67. *num.* 4. Ioan.de la Cruz *de ſtatu Relig.lib.*1. *cap.* 2. *dub.* 4. *conſ.* 2. falsò pro contraria ſententia citans Rodriquez.

His tamen non obſtantibus, licet hæc opinio ſit probabilis, non minùs probabilem contrariã eſſe exiſtimo,& vt talem illam docui *in dicta reſolut.* 50. cum Soto,Vaſquez,& aliis, quibus nunc addo Alphonſum de Leone *de offic.Confeſſ.part.*1. *recollect.*11. *num.*178.& duos præclaros inclytę Academię Salmaticenſis Theologos, Ioannem Marquez *lib. de orig. erem. Auguſt. cap.* 6. §.4. *&* 5. & Hurtadum de Mendoza *in* 2.2.*diſput.*160.*ſect.*3.§.156. & hanc opinionem probabilem eſſe concedunt etiam ipſi aduerſarij,vt Sanchez *in ſumma tom.*2.*lib.*6.*cap.*6.*num.* 13. Dico igitur Epiſcopum non manere cum voto paupertatis,ſed eum acquirere verum dominium, ac ſi nunquam fuiſſet Religioſus. Vnde ſi aliquis Epiſcopus Regularis expenderet fructus reddituũ Eccleſiaſticorum in vſus profanos, peccaret mortaliter,vt cæteri Epiſcopi ſeculares,ſed non teneretur ad reſtitutionem. Rationes pro hac firmanda ſententia videbis apud Hurtadum *loco citato*, recognoſce illum,& non pigebit.

Verùm poſt hæc ſcripta inueni Antoniũ Yañez *in reſolut.de Epiſcop.Regul.num.* 36. me citato, docere contrariam ſententiam, & *num.*56. aſſerit me loquutum fuiſſe ſine lege, & auctore, dum infero Epiſcopum Regularem poſſe teſtari de patrimonialibus,& de acquiſitis propria induſtria; ſed fallitur vir doctus, nam mea hæc illatio habet leges & auctores,vt ſuprà,probantes Epiſcopum Regularem eſſe liberum à voto paupertatis,& ideo ſicut Epiſcopi ſeculares, vt docet Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *diſput.*147.*num.*1. & alij ſuppoſita conſuetudine vbi viget,poſſunt de ſupradictis bonis teſtari;idem dicendum eſt ſtante probabilitate noſtræ ſententię de Epiſcopis è ſtatu regulari aſſumptis. Vnde hanc eandem illationem ante me fecit & docuit Medina *de ſacr.hom.contin.lib.*5.*cap.*26.vt obſeruat Rodriquez *in ſumma tom.*2.*cap.*67.*num.*4.vbi ſic ait. [Medina teniendo que los Obiſpos frayles quedan libres del voto de la pobreza afirma que pueden teſtar de los bienes patrimoniales, y de los adquiſitos por ſu induſtria.] Ex ſupradictis etiam ſequitur deciſio illius quæſtionis, an legitimæ renunciatio ante profeſſionem,& iuxta Concilij Tridentini diſpoſitionem facta,Regulari ad Epiſcopatum aſſumpto ſit impedimento,vt ad illam non habeat regreſſum?Et negatiuam ſententiam docet Molfeſius *conſ.*1.*poſt vol.*1.*ad conſuetud.Neapolit. & conſ.*39. *poſt vol.*2.Paſchalius *de viribus paternæ poteſtatis par.* 1. *cap.*3.*n.*93.Riccius *in praxi part.*1.*reſol.*152.& Genuenſis *in practicab. Eccleſ. quæſt.* 263. aſſerentes Regularem Epiſcopum legitimæ renunciationem ante emiſſam profeſſionem factam ſeruata Concilij Tridentini forma reuocare poſſe. Sed acriter contra hanc opinionẽ inſurgit Antonius Yañez Fajardo *vbi ſuprà* in ſua erudita reſolutione de hac quęſtione, *nu.*24.*& ſequ.* Fabius de Anna. *vol.*1.*conſ.*45. & Cutellius *in tract.de donat. tom.* 1. *tract.*1. *part.*3.*ex num.*132. Verùm ego vtramque ſententiam probabilem eſſe puto; ſed opinioni Molfeſij videtur adhærere Alphonſus de Leone *de offic. Confeſ part.* 1. *recollect.*11.*num.*178.

Nota etiam quòd ſuperiùs dicta à fortiori procedunt, ſi fortè Epiſcopi eſſent ex illis Religioſis, qui in Societate Iesv emiſerunt ſola vota biennij, hi enim in Epiſcopatum aſſumpti dominium habere reddituum Eccleſiaſticorum, docent Iacobus Granadus *in* 2.2.*contr.*3.*tract.*11.*diſp.*5. *nu.*2. *&* Hurtadus de Mendoza *vbi ſuprà in* 2.2. *diſput.* 160. *ſect.*3. §. 33. quia vota ſupradictorum ſunt ſimplicia, & non ſolemnia.

Et tandem non deſinam hîc adnotare Layman *in Theol.moral.lib.*3.*tract.*2.*cap.*4.*num.*3.docere quòd Eccleſiaſtici licet dominium reddituum beneficiorum habeant, ex lege iuſtitiæ eos in pium aliquem vſum erogare debent, aliter ad reſtitutionem tenentur, nam ſæpe fit, vt aliquis dominium alicuius rei acquirat non omnino liberum, ſed reſtrictum, adiectione pacti, vel oneris, quod niſi impleat, contra iuſtitiam peccat, & ad reſtitutionem obligatur,ſicut patet in fideicommiſſo, in legato donato ſub modo,& grauamine, quod bene explicat Gabriel *in* 4.*diſt.* 15.*quæſt.* 8.*art.*2.*in fine.* Sed tu ne deſeras communiorem ſententiam liberantem ſupradictos ab onere reſtitutionis.

RESOL. XXXII. *An Religioſi poſſint eleemoſynas facere?*

REſpondeo affirmatiuè in aliquibus caſibus. Primò,cùm pauper in extrema neceſſitate laborat, & in hoc caſu etiam renitente Superiore. Secundò,quando pauper aliquis magnam patitur neceſſitatem,nec aditus patet ad Superiorem,tunc enim adeſt pręſumptus Superioris conſenſus. Tertiò,quando Religioſus ex legitima Superioris licentia extra Monaſterium verſatur cauſa vacandi literis,peregrinationi, aut alicuius negotij peragẽdi,tunc enim adeſt tacita Superioris licentia & voluntas, vt ex his, quæ ſibi ad victum dantur à Monaſterio, vel aliunde eleemoſynas aliquas moderatas

deratas elargiatur. Quartò quando Religiosus aliquid sibi subtrahit de his, quæ ad suam sustentationem ei tribuuntur, potest enim id in eleemosynam expendere. Quintò quando Religioso siue intra claustrum, siue extra viuenti certi annui redditus, siue de bonis Conuentus tamquam benemerito, siue ab aliquo alio ad sumptus suos, atque vsum consentiente Monasterio, aut dispensante Summo Pontifice conceduntur, & cui alia bona ex licentia Prælati concessa sunt ad vsum suum, & dispositionem, potest eleemosynas facere. & hæc omnia ex multis rationibus Doctorumque auctoritatibus firmat Sanchez *in summa tom. 2. lib. 7. cap. 19. num. 96. vsque ad n.* 104. vide etiam Hurtadum de Mendoza *in* 2.2. *disp.* 159. *sect.* 6. §. 140. Granadum *in* 2.2. *cent.* 3. *tract.* 11. *disp.* 5. *num.* 2. Filliucium *tom.* 2. *tract.* 28. *lib.* 12. *cap.* 10. *quæs.* 3. Valentiam *tom.* 3. *disp.* 10. *qu.* 4. *punct.* 3. Nauarra *de restitutione lib.* 3. *c.* 1. *n.* 158. Lessium *lib.* 2. *c.* 18. *dub.* 11. *nu.* 85. & alios penes ipsos.

Non desinam tamen hîc adnotare Aragonium *in* 2.2. *quæst.* 32. *art.* 8. & Graffium 1. *part. decis. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 62. docere Religiosos posse eleemosynam facere quando res quæ in eleemosynam erogantur, sunt parui momenti, & quæ communiter solent dari pauperibus ostiatim mendicantibus, quia in tali casu præsumitur Superioris voluntas, à qua opinione non videtur discedere Cenedus *de paupertate religiosa. dub.* 25. *num.* 12. Sed illam non admittit Sanchez *in summa tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 19. *n.* 103. nisi in Religione adsit consuetudo id faciendi.

Nota etiam ex eodem Sanchez *num.* 106. quòd quamuis Superior interdicat eleemosynas largiri, non videtur interdicere moderatas & consuetas, sed tantùm videtur velle ne modum excedant, sicut de vxore, cui eleemosynas vir interdicit, asserunt communiter Doctores.

RESOL. XXXIII. *An Monasteria Religiosorum, quibus prouentus redundant, teneantur de illis eleemosynas facere?*

AFfirmatiuè respondet Sanchez *in opusc. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 38. *num.* 17. & vterque Rodriquez, Emanuel, & Hieronymus. hic *in compend. qq. regular. resolut.* 59. *num.* 1. ille *in qq. regul. tom.* 2. *quæst.* 57. *art.* 2. & ante illos Dominicus Sotus *de Iustit. lib.* 10. *quæst.* 4. *art.* 4. vbi docent, quòd sicut Episcopi arctissimè tenentur præcepto eleemosynæ, ita etiam suo gradu Monasteria Regularium, in quibus prouentus redundant. Vnde non desinam hîc apponere verba Reginaldi *tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 21. *n.* 283. vbi sic ait, Octauum documentum est Religiosorum, qui toti alicui religiosę familię præest, habet supremam illius administrationem, puta Abbatem, vel authoritate simili præditum in domo & familia religiosa, non modò posse facere eleemosynam, sed etiam teneri, quidquid supersit vltra necessitates Monasterij erogare in pias causas, iuxta illud Christi Lucæ 11. *quod supersit date eleemosynam*. In quam sententiam citatur *cap. quia tua* 12. *quæst.* 1. cui Abulen. *ad cap.* 6. *D. Matth. quæst* 60. rationem addit. Quia ad Abbatem & alios eiusmodi pertinet considerare totale bonũ Monasterij, atque adeò iudicare quidquid in eo sit necessarium, & quid ita superabundans vt possit & debeat in eleemosynam dari iuxta fidelium voluntatem, à quibus largita sunt Monasterio, quæ non fuit vt Monachi diuites efficerentur, cùm profiteantur paupertatẽ, sed solùm vt sustentarentur, ac quod eorũ sustentationi superesset, in alios pauperes erogaretur, de quo quidem superabundante nõ est iudicandum tantùm secundùm necessitates præsentes, sed etiam secundùm eas, quę probabiliter possunt euenire; vt benè idem Abulensis *ibidem* ostendit. Ita Reginaldus.

Verùm circa præsentem quæstionem mihi placet opinio Suarez *de Relig. tom.* 4. *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 13. vbi sic ait. Specialiter quæri solet, an possit, vel debeat Prælatus omnes superabundantes redditus in eleemosynam dare? Respondetur neque in hoc etiam posse assignari generalem regulam, regulariter aut id necessarium non est, nec conueniens, quamùis interdum possit esse laudabile, & aliquando præceptum. Pendet enim hoc ex occurrentibus necessitatibus proximorum. nam si illæ sint extremæ, non solùm superflua, sed etiam aliqua ex necessariis, danda sunt, habita ratione aliorum, qui ad talem necessitatem subleuandam solent concurrere; si verò necessitas sit grauis, omnia superflua sunt danda, nisi ex concursu aliorum necessitas minuatur: si autem necessitates tantùm sint communes, licet aliquid ex superfluis dandum sit, maximè à Religiosis propter exemplum, dare tamen omnia nec necessarium est, vt suppono ex materia de eleemosyna, neque in Prælato religioso esset consilium, & ideo non opinor esse id in potestate eius, regulariter loquendo, tum quia melius est si commodè potest augere & perficere Monasterium ipsum, vel quoad ea, quæ pertinent ad cultum diuinum, aut habitationem, vel quoad perpetuos redditus, vt ex eis plures Religiosi sustentari possint, quod maius Dei obsequium est, quàm abundans eleemosyna in communibus necessitatibus. Ita Suarez, quem postea sequitur Peyrinus *de Prælat. tom.* 2. *quæst.* 1. *cap.* 5. *num.* 57.

RESOL. XXXIV. *An vxores possint facere eleemosynas?*

IN aliquibus casibus affirmatiuè respondeo, quos enumerat Filliucius *tom.* 2. *tract.* 28. *cap.* 4. *num.* 101. & ante illum Nauarra *de restitut. lib.* 3. *cap.* 1. *dub.* 6. Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 278. & Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 14. *num.* 84. sunt enim,

Primus de suis bonis paraphernalibus, hoc est, de bonis, quæ cùm nupsit, præter dotem sibi reseruauit ad proprios vsus. Idem dic de bonis quæ constante matrimonio illi obuenirent per hæreditatem, vel donationem. Horum enim omnium mulier habet dominium, & administrationem iure communi, ideoque etiam repugnante viro potest de iis eleemosynam facere quantumuis magnam. D. Thom. *q.* 32. *art.* 8. Sylu. *de eleemos. quæst.* 5. §. 5. & §. 3. Nauarrus *cap.* 17. *num.* 155. & alij. Limita tamen dummodo eleemosyna sit moderata, & non incidant propterea filij in necessitatem. Ordine etiam charitatis his potiùs subueniendum esset,

esset,quàm aliis. Item nisi esset contraria consuetudo,vel statutum particulare nationis, quale dicitur in Hispania ex Nauarro *loco citato*.

Secundus casus est quando vxori relicta esset administratio & dispensatio bonorum , vel quia maritus est absens,vel ægrotus, vel amens, vel aliis de causis. debet tamen in hoc casu non facere maiores,quàm solebat eius vir.

Tertius casus quando ei assignatur à viro certa pecuniæ summa ad victum,tunc enim de eo quod supersit,vel quod sibi subtrahit,potest facere eleemosynam.

Quartus casus quando propria arte atque industria aliquid lucraretur , modò propterea non patiatur detrimentum domestica gubernatio , & prouideat sufficienter necessitatibus familiæ. Limita primò , nisi familia indigeret , ordine enim charitatis subueniendum priùs est domesticis. Secundò , nisi ex mutuo consensu , vel statuto lucra essent communia , & administratio esset reseruata viro.

Quintus casus,si aliqua bona habeat sibi donata,est enim istorum domina , nisi fortè data essent contemplatione viri.

Sextus casus , quando eas tantùm eleemosynas faciat de bonis viri,quas alię sue conditionis communiter facere solent , modò habeat vir superflua, & non constet euidenter de contraria voluntate. In dubio enim posset interpretari virum tantùm prohibere eleemosynas immoderatas.

Septimus casus , quando faceret eleemosynam ad damnum temporale vitandum , vel spirituale ipsius viri tunc etiam sine eius consensu posset.

Non reticeam tamen hîc apponere casum , de quo his diebus interrogatus fui,an vxor possit prębere eleemosynas filiis ex priori matrimonio indigentibus? & respondi affirmatiuè,neque in tali casu peccare mortaliter existimo , si petere omittat licentiam à marito,quia vir non est,neque esse potest inuitus in tali eleemosyna. nam negata licentia adhuc poterit vxor illam surripere,vt obligationem naturalem alendi ita sibi coniunctos exequatur. & hanc doctrinam extendendam esse ad fratres existimo : spectat enim ad decentem vxoris statum ipsiusque honorem , ne fratres permittat egere. & ita docet Castrus Palaus *tom. 1. tract. 6. disp. 2. punct. 13. num. 16.* Lessius *lib. 2. cap. 12. dub. 14. num. 88.* & Petrus Nauarra *lib. 3. de restitut. cap. 1. num. 161.* debet tamen vxor computare in sua parte dissoluto matrimonio,quæ sic dedit.

Notandum est etiam hîc quòd ego *in 2. part. tr. 1. miscellan. resolut. 33.* satis probabiliter docui , posse vxorem inscio viro vigesimam partem annui prouentus in eleemosynas distribuere. Ita Doctores quos *ibi* citaui , quibus nunc addo Granadum *in 2. 2 controuers. 3. tract. 11. disp. 5 num. 3.* vbi ex Molina rectè notat, non peccaturam vxorem , si non obediat marito renuenti prębere eleemosynas , dummodò dictæ eleemosynæ non excedant eas , quas mediocres mulieres sui status facere consueuerunt,& hoc etiam docet Castrus Palaus *tom. 1. tr. 6. disp. 2. punct 13. num. 12.* Coninck *disput. 27. num. 52.* Suarez *disp. 27. dub. 5. num. 5.*

RESOL. XXXV. *An tutores & curatores posint facere eleemosynas de bonis pupillorum?*

REspondeo affirmatiuè. Dico igitur, tutores & curatores , & omnes illi , quibus alienorum bonorum cura demandata est, possunt moderatas eleemosynas facere , quia id pertinet ad rectam bonorum administrationem , quæ illis commissa est,& in bonum pupilli,& minoris cedunt, ipsique consentire tenentur. Ita Lorca *in 2. 2. sect. 3. disput. 36. num. 10.* Vasquez *opuscul. de eleemos. cap. 4. num. 2.* Azorius *part. 2. lib. 12. cap. 10. quæs. 5.* & alij communiter. Vnde Ioannes de la Cruz *in direct. conse. part. 1. pr. 7. quæst 1. art. 3. dub. 4. conclus. 2.* docuit , quòd tutor pro pupillo aliquid potest donare , & munera ex more consueta consanguineis pupilli mittere. Igitur si potest donationes moderatas facere , poterit etiam & moderatas eleemosynas prębere. Imò non solùm tutores , sed etiam ipsi pupilli & minores possunt moderatas eleemosynas facere, & quales alij eiusdem sortis secum solent facere, & tutores tenentur ad id consentire , & ita docet Coninck *disput. 27. dub. 5. num. 61.* & plus addit Reginaldus *tom. 1. lib. 4. cap. 21. num. 270.* posse tutores & curatores pauperibus subuenire & officium pietatis taliter exercere , qualiter pupilli & minores,si adultæ ætatis essent,exercere deberent.

RESOL. XXXVI. *An rectè excludantur aliquando à ciuitatibus pauperes peregrini?*

REctè respondet Becanus *in 2. 2. de fide , spe & charitate, cap. 21. dub. 9. num. 23.* si hoc efficiatur tur ob has causas. Primò, quia pauperes domestici peregrinis præferendi sunt , si vtrisque satisfieri non possit. Secundò,quia peregrini sæpè inferunt morbos,corruptelas,hæreses,contentiones,proditiones. Tertiò , quia multi ex illis sano & integro sunt corpore , qui si admittantur , computrescunt in otio,& aliis peccatis inde consequentibus;si excludantur,cogitant de victu per labores acquirendo,quod honestius est.Ita ille.

Verùm docet Syluius contrariam sententiam *in 2. 2. D. Thom. quæst. 32. art. 9. quæritur tertiò.* Sed in isto casu si occurrerit & in simili , an videlicet liceat legem ferre , ne quis pauperum publicè & ostiatim mendicet , Episcopi & Magistratus seculares non deserant omnino videre Adamum Tannerum *tom. 3. disp. 2. quæst. 5. dub. 3. per totum* , & Apologiam in causa pauperum Dominici Soto.

RESOL. XXXVII. *An promittens eleemosynam cuidam pauperi,possit alteri,vel sibi pauperiori conferre?*

AD hoc dubium ita respondet Sanchez *in summa tom. 1. lib. 4. cap. 49. numer. 6.* Deducitur eleemosynam promissam Deo elargiendam certo pauperi , dum ipsi non est ius acquisitum per acceptationem , posse propria vouentis authoritate dari alij pauperiori , dummodò cætera sint paria, id est,non concurrat peculiaris aliqua circumstantia in minùs paupere , vt eleemosyna illi collata sit

Deo gratior, quia, cæteris paribus, præstantior est eleemosyna pauperiori data. Posset autem quispiam existimare, posse sibi quoque applicare si pauperior sit. Sicut res incertas furto ablatas restituendas pauperibus potest restitutioni obnoxius, si pauper sit, sibi applicare. Cùm tamen sit obligatio iustitiæ, quæ necessario est ad alterum, & iussus eleemosynam inter pauperes incertos distribuere, potest iuxta aliquos aliquam sibi pauperi applicare. At dicendum est non posse etiam authoritate Prælati in id commutari. quia nullam eleemosynæ rationem habet, sicut eleemosynam iniunctam pœnitentia sacramentali nequit pœnitens pauper sibi applicare. Ita Sanchez, & hanc opinionem docet etiam alter Sanchez, Ioannes videlicet *in selectis disput.* 14 *numer.* 18. vbi etiam rectè docet nec posse Confessarium commutare pœnitentiam erogandi eleemosynas per solam applicationem ad ipsummet pœnitentem, tanquam ad pauperem. nam vel potest erogare aliis pauperibus, vel non; si nequaquam valet, immunis redditur à præcepto, & tunc commutatione opus nullatenus est, sed ad summum declaratione; si verò potest, quamuis interueniente aliqua incommoditate erogare tenebitur aliis, nam applicando illam sibi, nihil efficit boni operis, in quod commutari dicatur eleemosyna.

RESOL. XXXVIII. *An distributor eleemosynæ ex testamento possit partem sibi applicare. si verè pauper est?*

POsse docet Sanchez *in summa, lib. 6. cap.* 11. *num.* 55. nisi testator conscius illius paupertatis ipsum nominasset ad distribuendam eleemosynam inter pauperes, & ideo affirmatiuam sententiam putat esse veram, quando vel paupertas executoris testamento condito superuenit, vel si tempore testamenti aderat, ignota erat testatori. Ratio huius limitationis est, quia cùm paupertas executoris erat cognita testatori, est satis verisimile fore, vt si testator vellet partem eleemosynæ applicari ipsi executori iusto distribuere, id explicaret. Ita Sanchez.

Sed hæc limitatio displicet, & meritò, Ioanni Sancio *in select. disput.* 14. *num.* 18. quia in tali casu testator potuit vel ob pudorem, vel ob obliuionem partem eleemosynæ supradicto executori non legare, qui cùm expressè non sit exclusus, & aliàs pauper sit, ius ad eleemosynas habebit cum cæteris pauperibus. Dicendum est igitur absolutè integrum esse executori testamentario, cui imperatum esset summam aliquam inter pauperes distribuere, sibi si verè pauper sit, sicut aliis pauperibus applicare, quicquid in contrarium asserat Sanchez, & ita nostram sententiam præter Sancium, docet etiam Ledesma *in summa tom.* 2. *tract.* 4. *cap.* 3. *conclus.* 15 vbi reddit rationem. [Porque por encomendarle el repartir la limosna, no es justo el excluyrle della, si el en realdad de verdadera pobre, lo qual se entiende aunque el testador supiesse que era pobre. Declaremos ma esto, el tal testador tan solamente pretendio hazer vna obra de limosna, y esta obra de limosna se halla muy bien, applicandose à si la limosna, pues es pobre, luego cunplese muy bien con lo que mando el testador.] Ita ille, & ego.

Notandum tamen est hîc cum Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 6. *disput.* 2. *punct.* 14. *numer.* 10. & Suarez *disputat.* 7. *sect.* 1. *num.* 9 quòd si à Confessario imponatur in pœnitentiam, vt quis aliquid in pauperes distribuat, non posse satisfacere subueniendo sibi, etsi possit satisfacere subueniendo consanguineis, quia talis subuentio sibi facta esset contra intentionem Confessarij, eo quòd non sit pœnalis quæ ad pœnitentiam requiritur.

RESOL. XXXIX. *Dubitans an proximus sit in extrema necessitate, an teneatur veritatem indagare?*

AD hoc dubium ita respondet Ioannes Sancius *in selectis, disput.* 43. *num.* 20. qui dubitat an proximus extremè indigeat, ex charitate tenetur veritatem indigentiæ indagare, siue in dubium inciderit, quia pauper suam inopiam proposuit, siue alia via, nisi id omittat periculo peccandi se subiiciat eo modo, quo dubitans an aliquis dies sit ieiunij, vel festiuus, perquirere veritatem erit coactus, ne de se verificetur illud Psalm. 35. *Noluit intelligere vt bene ageret*; & consequenter veritatem non indagans exponeret se voluntariè periculo frangendi illa præcepta. quòd si sibi constet necessitatem extremam esse, imò grauem elargiri eleemosynam tenebitur, at manente dubitatione facta sufficienti diligentia, non erit compellendus eleemosynam erogare, quia tunc libertas non erogandæ eleemosynæ possidet, & non præceptum erogandi illam.

RESOL. XL. *An quando bona alicuius sunt publicata ipso facto, v. g. propter hæresim, aut læsam maiestatem, possit ante criminis condemnationem facere eleemosynam?*

NEgatiuam sententiam ex Ledesma & Medina docet Azorius *tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 12. *quæs.* 4. quia etsi talis ante criminis condemnationem possideat, prohibetur tamen donare, alienare, & distrahere.

Ego tamen contrariæ sententiæ tanquam probabiliori adhæreo, quam nouissimè tuetur Coninck *disput.* 27. *dub.* 5. *n.* 63. vbi sic ait. Illi qui commiserunt crimen, ob quod eorum bona sunt de iure confiscata, quamdiu hæc ipsis per sententiam eiusque executionem non auferuntur, possunt ex his dare eleemosynas, sicut prius, quia tamdiu retinent eorum vsum, & possessionem, possuntque iis sicut antea frui. Ita ille. Vide Suarez *de legibus, lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 5. & Vasquez *in part.* 2. *disput.* 170. *cap.* 3. cum Reginaldo *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 270.

RESOL. XLI. *An sæpiùs præceptum elargiendi eleemosynas obliget diuites, ita vt peccent mortaliter illas non præbendo?*

RESolutio huius casus pendet ex quæstionibus suprà examinatis, & respondendum est, quòd etsi multi sint, qui grauiter egeant, & multi qui habeant

habeant vltra necessaria ad vitam, non esse tamen multos casus, in quibus contingat hæc obligatio, quæ iuxta antea tradita requirit, primò indigentias esse nobis notas, quæ nos plerumque latent, cùm ij etiam, qui patiuntur illas, plerumque occultent præ pudore, neque nos sub mortali tenemur de illis inquirere, quemadmodum Nauarrus expressit *in Enchirid. cap.* 24. *numer.* 9. aut si appareant, latet esse verè graues, plerumque enim incertum est quæ & quanta sit in paupere necessitas, & sitne vera, an simulata, quæ in ipso apparet. Requiritur secundò, non subuenire per alium. Et verò nonnumquam satis certum est alios diuites non esse auaros vt nolint tali indigenti subuenire. Requiritur postremò, adesse nobis superflua, quibus possimus indigentiæ occurrenti subuenire, id quod interdum satis nõ constat. Suntque multa alia incerta, vt benè monet Medina *in Cod. de eleemosyna, quæst.* 3. *in fine*, ob quorum ignorantiam diuites non sunt facilè condemnandi de peccato mortali, si eleemosynas non faciant; sed tunc demum, vt idem Medina subdit, cùm superfluitatis simul & indigentiæ certitudo haberetur. Hactenus Reginaldus *in praxi tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 20. *sect.* 3. *num.* 255.

Adde quòd, vt suprà dictum est, vix in secularibus diuitibus inueniatur superfluum status, cùm possint accumulare diuitias ad procurandum maiorem statum futurum, licet hæc opinio admittatur in necessitatibus communibus, non autem quando adsunt necessitates graues, vt docet Castrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 6. *disput.* 2. *punct.* 2. *num.* 14. Turrianus *in* 2. 2. *tom.* 1. *disput.* 82. *dub.* 4. Bannez *in* 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 6. *dub.* 2. Lorca *in* 2. 2. *disput.* 39. *num.* 35. Suarez *disput.* 7. *sect.* 3. *numer.* 11. Ioan. de la Cruz *in direct. part.* 1. *pr.* 5. *quæst.* 1. *art.* 4. *dub.* 1. *conclus.* 2. Vasquez tamen *vbi suprà* citatus *in opusc. de eleemosyna, cap.* 1. *dub.* 3. *numer.* 27. & alij, non obstante quòd asserant seculares de superfluo status in graui necessitate teneri ad elargiendas eleemosynas, tamen simul dicunt, vt patet apud Vasquez *cap.* 4. *num.* 14. ipsos vix habere superfluum status, quando bona quæ superant, conseruant ad augendum statum. Verùm semper consulendi sunt diuites vt largè eleemosynas præbeant.

TRACTATVS NONVS

DE

EXCOMMVNICATIONE.

RESOL. I. *Quid significent illa verba*, satisfacta parte, *quæ ponuntur in Bulla Cruciatæ, & in aliis rescriptis & priuilegiis, quando datur facultas absoluendi à censuris?*

SVPPONO contra Hurtadum *de Excomm. disput.* 15. *difficult.* 6. *num.* 19. *& disput.* 14. *difficult.* 5. *numer.* 24. per Bullam Cruciatæ & Regularium priuilegia posse absolui etiam nominatim excommunicatos, seu denuntiatos, satisfacta tamen parte, & in foro conscientiæ, vt notat Ludouicus de la Cruz *in Bull. Cruc. disp.* 1. *cap.* 4. *dub.* 1. *num.* 5. & 7. Sed nunc explanandum est quid significent illa verba, *satisfacta parte*, & respondeo quòd Henriquez *lib.* 7. *cap.* 13. *nu.* 2. sic ait: Ablatiuus absolutus *satisfacta parte* requirit præmitti eam satisfactionem, quam pœnitens potest, & sanè si crimen occultum sit, (vt si excommunicatus sit ob furtum, aut libellum) posset per Bullam absolui, exhibens eam, quam tunc potest cum sufficienti emendatione, & idonea pignoris cautione, aut fideiussoria, quam si non habet, præstare debet cautionem saltem iuratoriam, si pars & iudex longè distent, vt apud Indos, & reus habet pecunias, quibus satisfaciat, satis esset in deposito apud fidelem virum ponere solutionẽ, vt per Bullam absolui possit, aut si obligatio satisfaciendi non est liquida, sed dubia, nomine *partis* non intelligitur ipse iudex, cui fortè ex lege, aut statuto reus in pœnam debet satisfactionem pecuniarum; vt pro culpa clandestini matrimonij debetur pondus argenti. Nam eam pœnam reus non debet in conscientia, antequam per sententiam damnetur. Ita Henriquez, & post illum magis fusè & clarè Villalobos *in summ. tom.* 1. *tract.* 16. *diffic.* 20. *num.* 8. *& seq.* vbi ita asserit. [Suelese poner vna clausula, en que se dize que puedan, satisfecha la parte, absoluer, Acerca de la qual se ha de aduertir, que si la descomunion es de tal manera, que no pide satisfacion de parte, no es necessaria; y assi puede absoluerse sin ella, y aun si fuesse la satisfacion dudosa, tan poco tendria obligacion de satisfazer antes la absolucion, como se colige del derecho, que en caso de duda mejor es la cõdicion del que posseé, y por entonces no tiene obligacion de satisfazer, y assi le podran absoluer sin ella, como dize Nauarro, como proponga de aueriguarlo, como dize Enriquez. Mas si puede satisfazer, y està obligado à ello, no se puede absoluer, si no es que satisfaga primero à la parte, como consta de las palabras de la concession, y lo dizen Caietano, y Armilla, y la comun. Mas pongamos por caso que tiene dineros con que satisfazer, y està la parte ausente, en tal caso digo, que basta depositarlo en vn amigo fiel, como dize Enriquez. Mas si està obligado à satisfazer, y no puede en el fuero exterior, si lo probasse, estaria obligado el juez à absoluerle, cõmo tienen Conarr. Rota, Enriquez, y otros probandolo por el derecho; y si el juez fuesse tan rigido,

gido, que no lo quisiesse hazer, en tal caso no lo deue hazer el Confessor, porque no se peruierta el orden, como dize Enriquez con otros. Mas en el fuero interior auiendo comission con las palabras dichas, es lo mas probable que le pueden absoluer, aunque no aya satisfecho a la parte, con que preste caucion, dando prendas, o fiados, y si no puede esso, que jure de pagar, que es loque llaman caution pignoraticia, fideiussoria, & juratoria. Assi lo tienẽ Medina, Ledesma, Fr. Manuel Rodriguez, y Suarez. Y en caso semejante (que es en el articulo de la muerte) lo dize Nauarro, con vna glosa, y otros que refiere, y es la razon, porque como dize vna regla de derecho, *Ad impoßibile nemo obligatur.* Y añade Nauarro, que el que puede satisfazer, mas es con incomodidad, vendiendo su hazienda notablemẽte en menos de lo que vale, no tiene obligacion à ello, si puede dilatarlo sin grande daño del acreedor. Acerca de la misma clausula se ha de aduertir, que quando dezimos que se ha de satisfazer a la parte, no se ha de entender por parte el juez, quando la ley manda que el reo se pague alguna pena pecuniaria.] Hæc Villalob. quæ sunt valde notanda, quia casus quotidianus est. Vide etiam Præp. *in 3. part. quæst. 1. de cens. in comm. dub. 15. num. 114.* Rodriquez *in Bull. Cruc. §. 9. num. 52. & seq.* Coninck *disput. 14 dub. 16.* Ioan. de la Cruz *in direct. consc. part. 2. de excommunic dub. 5. conclus. 3.* & Turrian. *de cens. lib. 2. disput. 39. dub. vlt.*

RESOL. II. *An communicatio in humanis & ciuilibus cum nominatim excommunicato, vel denuntiato sit peccatum mortale?*

CAsus quotidie accidit, & affirmatiuè videtur respondendum, per textum *in cap. sacris, de his, quæ vi.* vbi absolutè deciditur communicationem cum excommunicato esse peccatum mortale. Et *in c. exceptionem, de exceptionibus*, dicitur cõmunicationẽ cum excõmunicato in periculũ animæ redundare, quod de solo peccato mortali verificandum videtur. Et ita hanc sententiam docet Faber *de cens. in 4. sent. dist. 25. quæst. 1. disput. 4. cap. 2. num. 51.* vbi sic ait. Hæc communicatio, licet ex suo genere sit peccatum veniale, tamen quatenus specialiter est prohibita, est peccatum mortale. & hoc modo intelligendum est *cap. sacris, de iis quæ vi*, & alia iura, in quibus dicitur peccare mortaliter eum, qui communicat cum excommunicato, sensus enim est, quòd licet ipsa communicatio ex genere suo sit peccatum veniale, tamen quatenus est prohibita, est peccatum mortale, & hoc eodem modo videntur intelligere velle Doctores, dum dicunt communionem cum excommunicato esse peccatum veniale, & tamen per illam incurri excommunicationem minorem, cùm teneant excommunicatum minori excõmunicatione esse priuatum participatione passiua Sacramentorum: certum est enim per peccatum veniale neminem excludi à perceptione Sacramentorum. Vnde cùm quis per excommunicationem minorem excludatur à participatione passiua Sacramentorum, sequitur esse peccatum mortale. Non ergo potest intelligi veniale, vt ipsi quoque tenent, nisi prædicto modo. qua in re ipsi sunt valde obscuri.

Sed his non obstantibus absolutè, & sine vlla distinctione asserunt DD. communicationem in humanis, in nostro casu esse tantùm peccatum veniale. Ita Cornejo *in 3. p. tr. 5. de excomm. disp. 10. post. §. 10. dub. 1.* Ioan. de la Cruz *in director. conscien. part. 2. de excommun. ante dub. 14. numer. 14.* Turrian. *de cens. lib. 2. disp. 12. dub. 1.* Syluius *in 3. p. D. Th. q. 23. art. 3.* Mercerus *in 3. p. de Sacram. q. 21 dub. 10.* Auila *de cens. part. 7. cap. 9. disp. 8. dub. 3.* Sayrus *lib. 2. cap. 11. num. 2.* Suarez *tom. 5. disp. 15. sect. 1. num. 2.* Sotus *in 4. dist. 22. q. 1. art. 4.* Emanuel Sà *ver. excommunicatio, num. vlt.* Henriquez *lib. 13. cap. 8. num. 1.* Toletus *lib. 1. cap. 11. in 3.* & hanc opinionem probabilem, & in praxi securam esse docet Io. Præpositus *in 3. part. q. 2. de excommun. dub. 15. num. 99.* Et ratio est, quia materia huius communicationis leuis est in ciuilibus, & secundùm se & in ordine ad legem excommunicationis, cùm ita indirectè tantùm, & secundariò prohibeatur, vnde cùm ipse excommunicatus cum aliis, quam cæteri communicantes cum ipso in humanis & temporalibus peccant tantùm venialiter. Et hanc sententiam veram esse puto contra Coninck *de Sacram. disput. 14. dub. 14. num. 149.* Suarez *loco citato, num. 11.* Filliucium *tom. 1. tract. 13. cap. 3. nu. 43. & cap. 5. nu. 82.* etiamsi cum excommunicato vitando frequentissimè quis communicet, etiam in tali casu non peccatur, nisi ueniali ter. Ita Alterius *lib. 1. disp. 12. cap. 6.* Sayrus *num. 4.* Auila *concl. 2.* & Reginaldus *tom. 2. lib. 31. cap. 13. num. 92.*

Notandum est tamen hîc primò cum Hurtado & DD. citatis, communicationem aliàs ex obiecto venialem, posse fieri mortalem ex circumstantia aliqua, vt ex circumstantia contemptus, si ex eo fiat, vel ex circumstantia scandali, vt si communicatione cum excommunicato ipse excommunicatus animetur ad perseuerandum in sua contumacia mortali, quòd rarò eueniet. Imò hoc est communicare cum excommunicato in crimine criminoso, vel ex circumstantia finis nouiter intenti à iudice ad nouiter prohibendam communicationem cum excõmunicato, vt contingit, quando fertur excommunicatio maior contra communicantes, seu participantes cum excommunicato.

Notandum secundò in tali casu præter peccatum veniale incurri etiam excommunicationem minorem, vt patet ex *cap. à nobis 2. de exceptionibus*, nisi in quibusdam casibus, in quibus incurritur excommunicatio maior, de quibus vide Hurtadum *loco citato, difficult. 3.* Sed regulariter hi casus non occurrunt.

RESOL. III. *De effectu excommunicationis minoris, & de eius absolutione.*

EXcommunicatio minor directè tantùm priuat à receptione, seu passiua participatione Sacramentorum, vt patet ex *cap. 2. de except.* & ex *cap. vlt. de Cler. excommunicato.* & ex *cap. penultimo. de sent. excommunicationis.*

Sed primò difficultas est, an excommunicatus excõmunicatione minori, licet validè administret Sacramenta, vt patet ex *d. c. vlt. de Cler. excomm.* peccet tamen in eorũ administratione. Prima opinio

docet

docet peccare mortaliter. Ita Vaſquez, Sylueſter, & Armilla. Secunda opinio docet peccare tantùm venialiter. Ita Auila, Sotus, Toletus, Coninck & Alterius. Tertia opinio, quæ mihi tanquam probabilior magis placet, aſſerit excommunicatum excommunicatione minori non peccare adminiſtrando Sacramenta, quia excommunicatio minor id non prohibet, cùm non priuet actiua adminiſtratione Sacramentorum, ſed tantùm eorum receptione, vt patet ex iuribus allegatis, & ita docet Filliucius, Suarez, Nauarr. & alij, quos citat, & ſequitur Præpoſ. *in 3. part. q 2. de excomm. dub. 3. nu. 16.* & Hurtado *de excomm. diſp. 16. diffic. 1. num. 4.*

Secundò difficultas eſt, an ſimplex Sacerdos non approbatus ab Ordinario poſſit abſoluere ab excommunicatione minori? Prima opinio negat, quia excommunicatio minor eſt pœna à iudice inflicta: ergo requirit iuriſdictionem contentioſam in abſoluente, quam non habet ſimplex Sacerdos. Ita Tannerus *tom. 4. diſput. 6. quæſt. 8. num. 6.* Cornejo *in 3. part. tract. 1. de excommun. diſput. 11. dub. vlt.* Coninck *diſput. 14. dub. 17. num. 265.* Vaſquez, & Auila. Secunda opinio affirmat, maximè quando ſic excommunicatus non habet peccatum mortale. Ita Felinus, Tabiena, Armilla, Nauarr. & Toletus. Vnde non deſinam hîc apponere verba Ioannis de la Cruz *in direct. conſc. part. 2. de excommun. notab. 2.* vbi ſic ait. Sententia, quòd omnis Sacerdos poteſt abſoluere ab iſta excommunicatione, eſt ſatis probabilis, vt videtur colligi ex D. Thom. *in addit. quæſt. 24. art. 1.* vbi ait, qui poteſt abſoluere à peccato participationis, poteſt abſoluere à minori excommunicatione; ſed peccatum participationis ſolet eſſe veniale à quo quiuis Sacerdos abſoluit. ergo. & ſic qui iuxta iſtam ſententiam abſoluit, nõ incurrit excommunicationem Clementinæ *Religioſi. de priuileg.* contra Religioſos non expoſitos abſoluentes ab excommunicatione. Ita Sylueſter *ver. excommunicatio 7.* Tabiena *ver. excommunicatio 5.* & Manuel Rodriquez *in quæſt. regularibus, tom. 1. quæſt. 61. art. 11.* Maximè, quia nomine excommunicationis intelligitur abſolutè excommunicatio maior, iuxta *cap. ſi quem. de ſent. excomm.* Ita Ioan. de la Cruz. vide etiam Philippum de la Cruz *in Norte de Confeſſ. tract. 2. §. 1.* Sed quicquid ſit de hoc, ego teneo cum Hurtado *vbi ſuprà, difficult. 2. num. 10.* excommunicationem minorem iucurſam ob peccatum veniale, etiam poſſe abſolui à ſimplici Sacerdote, quamuis ſic excommunicatus habeat peccatum mortale, vt iudicant Tabiena & Armilla, cùm ille poſſit abſoluere à peccato, ob quod fuit incurſa; ſicut etiam proprius Sacerdos & Confeſſarius ordinarius poſſunt ab illa abſoluere, quamuis ſic excommunicatus habeat alia peccata mortalia reſeruata, à quibus nõ poſſunt abſoluere; ex eo quòd quantum eſt ex ſe, poſſunt abſoluere verè à peccato, ob quod fuit incurſa excommunicatio. Immò poſſe abſolui à quolibet ſimplici Sacerdote, quamuis ſit incurſa ob peccatum mortale, iudicat Felinus & Armilla, quod non eſt omnino à ratione alienum, quia cùm excommunicatio minor nõ exigat ad ſui incurſionem peccatum mortale, non videtur exigere abſoluentem potentem abſoluere ab eo peccato mortali. Ita Hurtado.

Notandum eſt hîc obiter cum Cornejo *vbi ſuprà*, quòd ex delegatione non ſolùm ſimplex Sacerdos, ſed etiam Diaconus, aut quilibet alius Clericus poteſt à minori excommunicatione abſoluere. Nota etiam cum Præpoſito *loco citato*, & aliis electionem paſſiuam eius, qui eſt irretitus excommunicatione minori non eſſe irritam, ſed irritandam; & ſi excommunicatus excommunicatione minori celebret, vel recipiat aliquod Sacramentũ, non incurrere irregularitatem, vel maiorem excommunicationem. Ita Villalobos *in ſumma tom. 1. tract. 17. difficult. 32. num. 2.* & alij.

RESOL. IV. *An ab excommunicatione lata generaliter ab homine, quando non reſeruatur, poſſit abſoluere Parochus, ſeu alius Confeſſarius, qui poteſt ab excommunicatione à iure lata non reſeruata?*

NEgatiuam ſententiam tenet mordicus Suar. *de cenſ. diſp. 7. ſect. 2. nu. 22.* Vaſquez *de excommunic. dub. 19. nu. 10.* & Philippus Faber *de cenſ. in 4. ſentent. diſt. 25. quæſt. 1. diſput. 4. cap. 8. num. 241.* quia, ait, reuera excommunicatio generaliter lata cõtra quoſcumque, qui aliquod delictum fecerint, non eſt excommunicatio à iure, cùm non ſit regiſtrata in corpore iuris, neque ſit ſtatutum aliquod, quia hoc reſpicit futurum; & eſt de peccatis futuris non factis: hæc autem eſt de peccatis, ſeu exceſſibus factis & præteritis. ergo debet de ea iudicari, ſicut de excommunicationibus latis ab homine decernitur in iure: de illis autem decernitur quòd non poſſint abſolui, niſi à iudice, qui illas poſuit, vel à ſuo Superiore, vt apertè habetur *cap. nuper, de ſent. excom. §. 4 & 5.* in quo ponitur diſcrimen inter excommunicationem ab homine, & à iure, & excommunicationem ab homine dicitur non relaxari, niſi à iudice eam ferente, vel ab eius Superiore; excommunicationem verò à iure poſſe relaxari ab Epiſcopo, vel à Parocho. ergo dicendum eſt excommunicationem generalem non poſſe relaxari, niſi à iudice, qui illam tulit, vel à ſuo Superiore, vt dictum eſt de aliis excommunicationibus ab homine.

Sed ego puto ſententiam affirmatiuam eſſe tenendam, quam tenet etiam Cornejo *in 3. par. tr. 5. de excommunicatione, diſput. 11. dub. 3.* Sà *ver. abſolutio ab excommunicatione, numer. 15.* Coninck *de cenſur. diſput. 14. dub. 16. numer. 257.* Auila *de cenſ. par. 2. cap. 7. diſput. 1. dub. 8.* Henriquez *lib. 13. cap. 28. numer. 5.* Layman *tract. 5. par. 1. cap. 7. num. 3.* & Hurtado *de excom. diſput. 15. diffic. 6. num. 21.* quia cùm abſoluendo à dicta excommunicatione non turbetur tribunal iudicis illam ferentis, eo ipſo quòd eius abſolutio non reſeruatur, committi videtur cuicumque, qui poteſt abſoluere à peccato, ob quod incurritur, non minus, quàm abſolutio ab excommunicatione à iure lata, quamuis in d. cap. *nuper*, id non exprimatur, cùm eadem ratio, ob quam id declarauit Pontifex de voluntate legiſlatoris lege, ſeu iure excommunicantis, non reſeruantis, currat etiam prò excommunicatione lata generaliter

ab homine eam non reſeruante; ex dictis conſtat ab excommunicatione maiori lata generaliter ab homine (etiam à Papa, vt homine, id eſt, non medio iure, ſed media ſententia, aut medio præcepto tranſitorio) quando non reſeruatur, poſſe abſoluere quemcumque, qui poteſt à peccato, ob quod imponitur, abſoluere.

Nec valet dicere quòd talis cenſura eſt ſimpliciter ab homine, & non à iure; vt iuxta iuris regulam, ex *cap. inferior, diſtinct. 25. cap. verbum, de pœnit. diſtinct. 1. cap. prudentiam. §. 6. de officio delegat. cap. ad reprimendam. & cap. paſtoralis, §. præterea, de officio ordinarij*, cenſura ab eo tollenda eſt, à quo lata fuit, aut ab eius Superiore, eo quòd non minor requiratur iuriſdictio ad abſoluendum, quàm ad ligandum, & inferior non poſſit in cenſuram latam à Superiore. Sed huic fundamento fit ſatis ex ſupradictis. nam eo ipſo quòd hæc cenſura generalis æquiparatur cenſuræ latæ à iure, & Superior, à quo impoſita eſt, eam non reſeruauit, videtur abſolutionem commiſiſſe cuicumque facultatem habenti, vt de cenſura iuris non reſeruata dictum eſt. iura autem relata procedunt de cenſura ſpeciali: ergo. & tandem hanc ſententiam poſt hæc ſcripta inuenio docere etiam Præpoſitum *in 3. par. qu. 1. de cenſ. in comm. dub. 13. num. 90.* vbi ſic ait: Dico ſecundò eos, qui poſſunt abſoluere à cenſuris latis à iure, poſſe etiam abſoluere à cenſuris latis ab homine per ſententiam generalem, quæ ſe habet per modum præcepti, vt ſi Epiſcopus præcipiat ſub pœna excommunicationis, vt omnes beneficiarij reſideant, vereſimile eſt non ſolùm Epiſcopum poſſe abſoluere, ſed etiam alium, qui poteſt abſoluere ab excommunicatione lata à iure, quia reſpectu taliũ cenſurarum nõ ita vrgent textus, qui ſemper mentionem faciunt caſus particularis, neque ex vllo vrgenti principio contrarium videtur poſſe oſtendi. & de cætero ſatis commodè idem de his poteſt eſſe iudicium, quod eſt de cenſuris à iure.

RESOL. V. *Quinam poſſit abſoluere à cenſura iuris nemini reſeruata?*

HAnc poteſtatem non habere Parochum, aut alium Sacerdotem, docet Paludanus *in 4. diſtin. 8. quæſt. 5. art. 1.* Durand. *qu. 4.* Couarr. *1. part. §. 12. num. 5.* quia Parochus non habet ex ſuo officio iuriſdictionem in foro exteriori, quæ neceſſaria eſt ad abſolutionem ab excommunicatione maiori. vide etiam Fabrum *de cenſ. in 4. ſent. diſt. 25. quæſt. 2. diſp. 4. cap. 8. num. 250.* vbi firmat hanc opinionem variis rationibus.

Sed ego reſpondeo ad dubium quæſitum, quòd à ſupradicta excommunicatione abſoluere poteſt Epiſcopus iure ordinario, vt habetur *in cap. nuper, §. in 2. caſu. de ſententia excommunicationis*, & docent omnes cùm. D. Thoma *in addition. quæſt. 24. & 21.* Et ratio eſt, quam tradit Innocen. III. *in dicto cap. nuper*, quòd ſcil. eo ipſo, quòd à iure non reſeruetur, videtur committi iuriſdictionem habentibus, quam rationem latè expendit Suarez *ſectione 4.* & quamuis in dicto cap. *nuper*, ſolùm fiat mentio de minori excommunicatione; ratio tamen aſſignata etiam currit in maiori, & idem eſt de Capitulo Sede vacante, & de Abbatibus ac aliis Prælatis Religioſorum, qui habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, hoc eſt, fori contentioſi, vt docet Suarez *ſect. 3.* & Sayrus *cap. 19. num. 11. & ſequentibus*, contra Couarruuiam, & alios, quamuis Parochus hanc poteſtatem non habeat iure ordinario, & ex vi ſui muneris, ſicut habet eam Epiſcopus, ſed ex commiſſione à Summo Pontifice factam in prædicto cap. *nuper*. Atque ita licet Parochus ligare per cenſuram minimè poſſit, poterit nihilominus ex commiſſione abſoluere: & idem exiſtimo dicendum de quolibet Sacerdote habente poteſtatem abſoluendi à mortalibus, quia iſte dici poteſt proprius Sacerdos, cui in d. cap. commiſſio datur. Et ita docet Cornejo *in 3. par. tract 5. de excommunicat. diſput. 11. dub. 1.* Præpoſitus *in 3. par. quæſt. 1. de cenſ. in comm. dub. 14. numer. 91.* Turrianus *de cenſ. lib. 2. diſput. 19. dub. 6.* Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 17. diffic. 18. num. 8.* Moſcoſo *in ſum. tr. 16. cap. 7. num. 4.* Tannerus *tom. 4. diſput. 6. qu. 10. dub. 6. num. 115.* Filliucius *tom. 1. tract. 11. cap. 9. numer. 283.* quibus adde Vaſquez, Nauarrum, Auilam & Coninck, quos citat & ſequitur Hurtado Complut. *de excommun. diſput. 15. diſpc. 2. num. 6.* vbi *num. 7.* obſeruat etiam quòd abſolutio à dicta excommunicatione maiori non ſolùm ab Epiſcopo poteſt fieri extra confeſſionem, ſed etiam à proprio Parocho, & à Confeſſario ordinario, etiam ſi prædictis remittatur ob abſolutionem à peccatis, ſeu in ordine ad eam, quia poteſt quis vti poteſtate ſibi conceſſa quoad aliquid, & nollè vti ea in totum, vt etiam dicemus *diffic. 5.* de abſolutione ab excomm. facta virtute Bull. Cruc. aut alterius ſimilis priuilegij. Ita Hurtado.

Notandum eſt hîc cum Villalobos *vbi ſuprà, numer. 11.* [Que lo que ſe ha dicho de la cenſura, que eſtà pueſta por el derecho y no reſeruada, tambien ſe ha de dezir de la cenſura permanente, pueſta por via de eſtatuto de alguna Prouincia à Obiſpo no eſtando reſeruada, aunque eſtè confirmada por el ſumo Pontifice, porque ſon de la miſma manera que las otras; y corre en ellas la miſma razon.] Sic ille.

RESOL. VI. *Quinam poſſit abſoluere ab excommunicatione maiori lata à iure, & reſeruata?*

REſpondeo eum tantùm, cui eſt reſeruata, aut eius Superiorem, aut eum, cui ipſi commiſerint, niſi excommunicatus ſit in articulo mortis. nam tunc poteſt quilibet Sacerdos ſimplex illum abſoluere ſub onere comparendi coram eo, à quo extra eum articulum erat abſoluendus, vt generaliter dicitur *in cap. eos qui. de ſent. excomm. in 6.* exigendo tamen priùs iuramentum ab excommunicato, exceptis pueris, comparendi.

Notandum eſt tamen hîc ex Concilio Tridentin. poſſe Epiſcopos abſoluere ab excommunicatione reſeruata Papæ, quando delictum eſt occultum; ſed difficultas eſt, an etiam poſſit Epiſcopus iure ordinario abſoluere ab excommunicatione, quando eſt publica, & excommunicatus

non

non poteſt recurrere ad Papam ? Et reſpondendo affirmatiuè, vt habetur *in cap. de cætero, de ſenten. excommun.* & docent Sylueſt. *ver. excommunicatio 4. n. 7.* Nauarr. *cap. 27. num. 9.* & alij, iſta autem impedimenta ſunt.

Primò periculum mortis in itinere, *cap. ſi quis ſuadente 17. quæſt. 4. cap. non dubium, cap. ea noſcitur, cap. de cætero, cap. quod de his, cap. quamuis, de ſent. excommunicationis.*

Secundò infirmitas longa, etiamſi periculoſa non ſit, ex dicto cap. *quod de his, & cap. quamuis.*

Tertiò paupertas ex dictis iuribus. nam nemo tenetur mendicare vt ad Curiam vadat pro abſolutione, niſi alias mendicus eſſet, quia tunc ire tenetur, niſi forte mendicando ſoleret ſe, vxorem, atque filios alere; vnde quando in d. cap. *ea noſcitur*, dicitur etiam pauperes teneri, non eſt ſermo de magna paupertate, quæ mendicare cogat in itinere; ad pauperes tamen reducitur obligatio alendi vxorem, filios ac familiam proprio labore.

Quartò ætas, ſiue ſenilis, ex d. cap. *ea noſcitur, & cap. quamuis*; ſiue puerilis, ſiue in puberibus, *cap. 1. & cap quamuis, de ſententia excomm.* quamuis petat poſt pubertatem abſolutionem ab excommunicatione reſeruata, quam ante pubertatem incurrerat, ex *cap. final. de ſent. excommunicationis.*

Quintò ſexus fragilitas, vt femina cuiuſcumque conditionis, *cap. mulieres, cap. quamuis, c. ea noſcitur, c. de Monialibus, de ſent. excomm.*

Sextò alteri adſtrictus, qui ſui iuris non eſt, vt filiusfamilias, & ſimiliter ſeruus quando Papam adire non poteſt ſine præiudicio parentis, vel domini, *cap. mulieres, cap. relatum, de ſent. excom.*

Septimò cura animarum, vel temporale dominium, quando timetur quòd per abſentiam oues, aut vaſalli detrimentum patiantur, ex d. cap. *mulieres, cap. de cætero*, & ex *cap. ne pro dilatione, de pœnit. & remiſſ.*

Octauò debilitas in viris delicatis, qui labores itineris ſuſtinere minimè poſſunt, in dicto cap. *mulieres, & cap. quamuis.* ſiue etiam debilitas in membris, vt cæcus & claudus, ex *cap. ea noſcitur, & cap. quamuis de ſent. excom.*

Vltimò quodlibet aliud impedimentum, quod arbitrio prudentis viri iudicetur legitimũ. Et hæc omnia docet Cornejo *in 3. par. tr. 5. de excom. diſp. 11. dub. 2.* ex Sayro, Suarez & Auila, quibus adde Hurt. *diſp. 15. de excom diff. 3. num. 10.*

Nec deſinam hîc apponere verba Adami Tanneri *tom. 4. diſp. 6. quæſt. 10. dub. 6. num. 122.* vbi ſic ait: Similiter ſi excommunicatus excommunicatione Papæ reſeruata propter legitimum impedimentum Papam, aut alium ab eo facultatem habentem adire non poſſit, poteſt abſoluere Epiſcopus; quòd ſi nec Epiſcopum poſſit adire, Parochus; eoque deficiente, quiuis approbatus Confeſſarius. Ita ille.

Notandum eſt tamen hîc contra Nauarrum *cap. 27. num. 89.* quòd ſi excommunicatus impeditus eſt ex ſupradictis cauſis adire Papã, nec tenetur adire Legatum, vel alium habentem priuilegium Papæ ad abſoluendum, ſed ſatis eſſe non poſſe adire Papam, vt ab Epiſcopo abſolui poſſit; & ratio eſt quod exiſtente impedimento recurrendi ad Papam, reſtituetur Epiſcopo ordinaria poteſtas, quæ per reſeruationem fuerat ab eo ablata. ergo non eſt cur ſit neceſſarius recurſus ad Legatum, præſertim quòd cùm talis reſeruatio fuerit odioſa, debet ſtrictè interpretari, vt ſcilicet intelligatur de recurſu ad ſolum Pontificem, & ita docet Hurtado & Cornejo *locis citatis*, qui tamen rectè obſeruant, excommunicatum ita abſolutum ab Epiſcopo, teneri poſtea ceſſante impedimento ſe præſentare Pontifici, & hæc obligatio debet ei imponi ab Epiſcopo, niſi fuerit impubes, cui hoc iniungendum non eſt; quòd ſi in mora fuerit, reincidet ipſo iure in eamdem excommunicationem: ſed nota quòd talis non tenetur ſe præſentare Papæ per ſe, ſed ſatis eſt id facere per Procuratorem; nec impeditus ire perſonaliter Romam, tenetur mittere Procuratorem pro abſolutione, nec epiſtolam. Ita ex Henriquez notat Auila *par. 2. capit. 7. diſput. 1. dub. 6. concl. 3.* & Doctores citati.

RESOL. VII. *An non ſolùm Clericus, ſed etiam laicus poſſit in articulo mortis à cenſuris abſoluere?*

NEgatiuam ſententiam ex Suarez & Vaſquez docet nouiſſimè Faber *de cenſuris in 4. ſent. diſt. 25. quæſt. 1. diſp. 4. cap. 8. num. 257.* & Turrianus *de cenſuris lib. 2. diſput. 24. dubio 4.* Præpoſitus *in 3. par. quæſt. 1. de cenſ. in communi, dub. 14. numer. 95.* Villalobos *tom. 1. tr. 16. diffic. 20. num. 18.* & Hurtado *de excomm. diſput. 15. diffic. 1. num. 3.* quia ea poteſtas nullo iure nec ſcripto, nec conſuetudine, habito, aut conſtante, conceſſa inuenitur, niſi ſolis Sacerdotibus, & ſolùm eo fine vt à peccatis abſoluant, quia abſolutio à peccatis eſt maximè neceſſaria ad ſaluationem, non verò abſolutio ab excommunicatione, quia excommunicatio ratione ſui non impedit ſaluationem, imò id quod poſt mortem manet excõmunicationis, auferri poteſt poſt ipſam mortem; vnde non eſt contra pietatem Eccleſiæ, quòd eam nõ concedat non Sacerdotibus. Et hanc ſententiam docent etiam Doctores quos adduxi *in 3. par. tr. 4. reſol. 133.*

Sed ibi pro affirmatiua ſententia aliquos adduxi, quibus nunc addo Ragucium *in lucerna Parochorum, tit. de abſolut. qu. 124. num. 6.* Sancium *in ſelectis diſp. 44. num. 7.* & Ioannem de la Cruz Dominicanum *in director. conſcien. part. 2. de excommun. dub. 5. concl. 1.* vbi ſic ait. In articulo mortis vir baptizatus, etiam laicus, etſi ſit hæreticus & præſciſſus, abſoluit ab excommunicatione. Ita Sylu. *ver. abſolutio 8. & 9.* Angel. *ver. abſolutio 1.* Ledeſma *cap. 8. de excommunicat. dub. 4.* cõtra Soto *d. 18. qu. 4. a. 4.* & Couarr. *in c. alma mater 1. p. §. 11. num. 9.* & contra alios ab eo citatos. Sed patet, nam vir baptizatus eſt capax iuriſdictionis neceſſariæ pro abſoluendo ab excommunicatione. ergo piè credendum eſt, vt ait Armilla *ver. Abſolutio*, Eccleſiam cõcedere illam tunc, ſicut in ſimili caſu concedit omnibus Sacerdotibus abſoluere ab omnibus peccatis, quia ſunt capaces illius. Omnes item concedunt Clerico

primæ

primæ Tonſuræ poſſe tunc abſoluere ab excommunicatione ergo: idem dicendum de viro ſolùm baptizato, cùm ſtando in iure diuino, vterque ſit capax talis iuriſdictionis.

Notandum eſt tamen hîc quòd ſtando in prima opinione, ſi aliquis in articulo mortis abſolutus fuit à laico, debent hæredes poſtulare abſolutionem ab eo, qui poteſt abſoluere, vt detur illi defuncto Eccleſiaſtica ſepultura, & poſſint fieri communia ſuffragia pro eo. Ita ex Vaſq. Turrian. *loco cit.*

Nota etiam hîc quòd Præpoſitus *vbi ſuprà, num.* 97. tenet, quòd probabile eſt omnem Clericum poſſe abſoluere à cenſura ſaltem excommunicationis, & interdicti perſonalis in mortis articulo de excommunicatione, indicatur §. *præterea, citat.* vbi habetur in mortis articulo poſſe etiam ſpecialiter excommunicatum abſolui ab alio, quàm ab eo, qui excommunicauit, vel Superiore, vbi per alium videtur intelligi is, cui poteſt committi iuriſdictio Eccleſiaſtica.

Dices, talis abſolutio nec eſt magnopere vtilis, nec neceſſaria, quia excommunicatus, qui dedit ſigna doloris, poterit poſt mortem abſolui. Reſpond. negando priorem partem, licet enim deficiente Sacerdote non ſit vtilis ad conſequendum beneficium abſolutionis ſacramentalis, poteſt tamen eſſe vtilis, vt amenti præbeatur viaticum, item vt publicè pro eo oretur, vt donetur ſacra ſepultura, quod non poſſet fieri à quouis poſt mortem, ſi cenſura eſſet reſeruata. nam quando aliquis non fuit in vita abſolutus, ſi cenſura ſit reſeruata, non poteſt poſt mortem à quolibet Sacerdote relaxari, ſed ſolùm ab eo, cui reſeruatur, vel eius delegato.

RESOL. VIII. *An excommunicatus ab vno Epiſcopo, poſſit ab illo abſolui, etiam ſi mutauerit domicilium, vel ſit abſoluendus ab Epiſcopo, cui tunc ſubditus eſt?*

REſpondet Suarez *de cenſ. diſp* 7. *ſect.* 2. *num.* 19. & *num.* 26. quòd ſi fiat excommunicatus per generalem ſententiam, poterit abſolui ab alio Epiſcopo, iuxta probabilem opinionem, de qua egerat paulò antea: ſi verò per particularem ſententiam, non poterit abſolui niſi ab eo, à quo excommunicatus eſt, quia cauſa eſt incepta, & ad illum pertinet cauſæ & litis conſummatio. Sed P. Vaſquez *dub.* 20. *num.* 5. videtur ſentire poſſe abſolui ab altero, quando iam eſt ſub iuriſdictione ipſius, & non aliter. & ita etiam docet Turrianus *de cenſuris lib.* 2. *diſput.* 15. *dub.* 5.

Non deſinam etiam hîc apponere verba Coninck *de Sacram. diſp.* 14. *dub.* 16. *num.* 258. vbi ſic ait. Ex dictis ſequitur Antuerpienſem, v. g. qui maxima anni parte habitans in Diœceſi Mechlinienſi, ibi contraxit excommunicationem latam per ius, aut ſententiam generalem, redeuntem domum poſſe ab ea abſolui per eum, qui habet poteſtatem ab eiuſmodi excommunicatione abſoluendi eodem modo, ac ſi eam contraxiſſet Antuerpiæ, quia cùm eiuſmodi excommunicationes non ſint particulatim reſeruatæ ei, à quo latæ ſunt, nihil refert à quo latæ, vel vbi contractæ ſint, quia ideo aliis non ſunt minus, vel magis reſeruatæ. Imò etſi excommunicatio quam talis incurriſſet in Diœceſi Mechlinienſi, eſſet reſeruata Epiſcopo, ſi non eſſet reſeruata in Diœceſi Antuerpienſi, poſſet talis domum reuerſus à ſuo Paſtore abſolui, quia Mechlinienſis per hoc quòd aliquas cenſuras reſeruet in ſua Diœceſi, non poteſt impedire Antuerpienſes ne ab iis abſoluant. Quòd ſi autem Antuerpienſis contraxiſſet in Diœceſi Mechlinienſi cenſuram latam per ſententiam particularem, deberet abſolui à iudice, qui eam tuliſſet; quia hæc excommunicatio huic eſt ſingulariter reſeruata. Ita Coninck *loco citato.* cui etiam adde Layman *tract.* 5. *par.* 1. *cap.* 7. *num.* 4. & Præpoſitum *in* 3. *par. quæſt.* 1. *de cenſ. in com. dub.* 14. *num.* 92. Non eſt igitur audiendus Philippus Faber *de cenſuris in* 4. *ſent. diſtin* 25. *quæſt.* 1. *diſput.* 4. *cap.* 8. *numer.* 242. vbi docet, Epiſcopum, qui excommunicauit, ſolùm poſſe abſolutionem impartiri.

RESOL. IX. *An qui dum verſabatur in alieno Epiſcopatu, fuit excommunicatus, rediens in patriam poſſit abſolui à proprio Epiſcopo?*

REſpondeo quòd qui verſatur in Epiſcopatu alieno, non eſt ſubditus illi Epiſcopo, ideo non poteſt excommunicari ab illo per excommunicationem ab homine, nec generaliter, nec in particulari pro quantumcumque graui delicto facto, vt patet per *cap. Romana, de ſent. excommun. in* 6. Ad hoc autem vt poſſit ab illo excommunicari, neceſſe eſt quòd fiat ſuus ſubditus, vt puta ratione delicti in ſua iuriſdictione commiſſi, vel aliquo titulo. hoc autem fieri non poteſt, niſi priùs Epiſcopus fecerit ſtatutum, quòd qui fecit tale delictum, ſit excommunicatus. Nam tunc peregrinus faciens illud delictum in Epiſcopatu alieno, fit ſubditus illi ratione delicti commiſſi, & ſic incidit in excommunicationem; ſed tunc illa excommunicatio non eſt ab homine: ſed à iure, & ideo de illa eſt iudicandum, ſicut de excommunicatione à iure: & tunc conſequenter eſt dicendum, quòd non poteſt abſolui à proprio Epiſcopo, ſed ab Epiſcopo, in cuius Diœceſi deliquit, & à cuius excommunicatione ligatus fuit, quia à tali excommunicatione in iure decernitur, vt non niſi Epiſcopus ille abſoluere poſſit, in cuius Diœceſi deliquit quia ratione criminis illius in illa cauſa ille delinquens factus eſt ſubditus illius Epiſcopi, & exemptus à iuriſdictione proprij Epiſcopi. Alio etiam modo poterit fieri ſubditus illi Epiſcopo quoad cenſuram, vt ſi fecit delictum in illa Diœceſi, ad quod non erat impoſita pœna excommunicationis, ſed Epiſcopus ſciens illud delictum præcepit huiuſmodi delinquenti, vt ſatisfaciat parti pro tali delicto ſub pœna excommunicationis incurrenda tali tempore. nam ſi eo tempore non ſatisfaciat, fit excommunicatus, nec poteſt abſolui à proprio Epiſcopo, quia ratione delicti factus eſt ſubditus illius

Epiſcopi,

Episcopi, in cuius Episcopatu deliquit, ideo potuit ei præcipere, & excommunicatione ligare. Idem dicendum si ita versatus in alieno Episcopatu citatus fuit in aliqua causa coram illo Episcopo, in qua causa contingat ipsum excommunicari, non potest ab alio absolui, quia ex lite coram ipso Episcopus ille accepit ius in illum, vt habetur *cap. proposuisti, de foro competenti.* & ita docet Philippus Faber *de censuris in 4 senten. dist. 25 quæst. 1. disp. 4. cap. 8. num. 243.* & alij.

RESOL. X. *An licitè absoluatur quis ab excommunicatione inuitus?*

VAlidam esse talem absolutionem non est dubium; difficultas est an sit licita. Multi Iuristæ putant esse licitam, vt latè refert & defendit Vgolinus *tabula 1. cap. 19. §. 2. num. 3.* P. Suarez docet primò si sit ab homine, posse ab eo licitè tolli, iustis de causis, & obseruatis prudenter circumstantiis, & hoc non est contra aliquod ius diuinum, aut humanum. Secundò si sit lata à iure, dicit quòd erit obseruanda forma assignata, si sit iure assignata, secus, prudenter rem esse considerandam, vt fiat sine peccato. S. Thom. quidem *4. dist. 18. quæst. 2. art. 8. quæst. 2.* absolutè dixit posse discretè auferri si quis videat saluti illius expedire, in quem lata est. Et P. Vasquez *dub. 18. nu. 14.* breuiter dixit illum non esse absoluendum, nisi maius malum sequeretur; & mihi videtur, prudenter consideratis circumstantiis, posse licitè absolui aliquem ab excommunicatione inuitum. Et hæc omnia docet Turrian. *de censuris lib. 2. disput. 24. dub. 7.* sed circa præsentem quæstionem ne deseras videre Philippum Fabrum *de cens. in 4. senten. dist. 25. quæst. 1. disp. 4. cap. 8. nu. 261.* vbi obseruat ex multis licere absoluere inuitum ab excommunicatione, licet non velit desistere à contumacia, & à peccato, propter quod fuit excommunicatus, & hoc quãdo iudex cognoscens quòd excommunicatio non prodest, sed obest, & consequenter non sit medicina, sed venenum, tunc enim si iudex cognoscat prudenter, quòd si absoluatur etiam inuitus & contumax, hoc proderit ipsi excommunicato, licitè poterit illum absoluere; sed hoc dicunt de absolutione ab homine, at non de absolutione à iure. Ab hac enim dicunt nunquã licere absoluere, nisi petat absolutionem, & cesset à peccato. Tamen hoc etiam licere de excommunicatione à iure, tenent recentiores, quando in iure non cauetur, vt vllo modo absoluatur, nisi satisfaciat, &c. quia tunc videtur facultas tota commissa prudenti iudicio iudicis, ideo si iudicet expedire, poterit licitè ab illa absoluere, si adsint tres conditiones. Prima quòd hoc non sit in præiudicium tertij, quia hic esset actus contra iustitiam. Secunda, dummodo non adsit scandalum, nec contemptus censuræ. Tertia, quòd sint sufficientia signa, quòd talis censura potius detrimentum afferat, quàm vtilitatem, & quòd procedendo via suauiori obedientiam obtinebit; sunt enim quidam, qui magis mouentur suaui admonitione, quàm rigorosa flagellatione.

Nota etiam quòd conclusio intelligitur de absoluente per potestatem ordinariam, & absolutam, independentem à voluntate excommunicati, vnde per Bullam Cruciatæ, vel Iubilæum, vel aliud priuilegium concessum in fauorem pœnitentis, non potest absolui inuitus. Ita P. Henriquez, & aliqui Magistri; nam vsus priuilegij pendet ex voluntate vtentis illo, vnde si non vult vti illo, non habebit Confessarius facultatem absoluendi virtute illius. Dico, concessum in fauorem pœnitentis, nam si sit concessum in fauorem Confessarij, vt si sit Religiosus, qui absoluit virtute priuilegij concessi ipsi Religioni, credo quòd absolutio erit valida.

RESOL. XI. *An sit valida & licita absolutio si detur non satisfacta parte, quam Bulla Cruciatæ, vel Iubilæum requirit, si excommunicatus satisfacere non potest?*

ALiqui affirmant non fore validam absolutionem, nisi reipsa præcedat satisfactio. Ita Corduba *tr. de Indulg. quæst. 43.* & alij. Sotus *4. dist. 22. qu. 2. art. 3.* Guttierrez *lib. 1. canon. quæst. qu. 2. cap. 5. nu. 29.* & probat, quia etsi absoluendus non possit soluere, tamen absoluens non potest absoluere, nisi seruata forma priuilegij. Aliorum sententia est validam fore absolutionem, quando absoluendus non potest re ipsa satisfactionem exhibere. hanc cum aliis sequitur P. Suar. *disp. 9. sect. 5. à num 4.* quia non est credendum formam priuilegij esse seruandam cum tanto detrimento eius, qui non potest satisfacere: & ita docet etiam Turrianus *de cens. lib. 2. disp. 24. dub. vlt.* Præpositus *in 3. par qu. 1. de cens. in comm. dub. 15. num. 114.* Hurtado *disp. 14. de excom. diffic. 5 num. 20.*

Notandum est etiam hîc cum Turriano *loco citato*, quòd si pœnitens habet probabilem opinionem, quòd nihil reuera debeat, non tenetur aliquid soluere, quia potest amplecti opinionem probabilem. Secundò, si sit purum dubium in materia iustitiæ, melior est conditio possidentis, & ita donec liberetur à dubio, nihil tenebitur soluere, & in tali euentu secundùm forum conscientiæ non erit obligandus ad satisfactionem, ad quam iure naturali non est obligatus. Et hæc sunt valde à Confessariis notanda: vnde ego olim per Bullam Cruciatæ dedi absolutionem in foro conscientiæ cuidam viro nobilissimo nominatim denuntiato, non satisfacta parte, quia eius Aduocati aiebant in fauorem excommunicati probabiles rationes adesse pro lite, de qua tunc agebatur, & reuera tunc illa excommunicatio fuit nulla, tanquàm lata post legitimam appellationem.

Aduerte etiam hîc obiter, absolutum ante realem satisfactionem reincidere in excommunicationem, si postmodum non satisfaciat, quando commodè potest, vt patet ex *cap. eos, qui, de sent. excomm. in 6.* sed vt obseruat Præpos. *loco citato*, multi contrarium sentiunt.

RESOL.

RESOL. XII. *An ſi excommunicatus poſsit parti ſatisfacere & non ſatisfacit, ſi à Confeſſario delegato à Bulla Cruciatæ, aut alio priuilegio abſoluatur, valida ſit abſolutio?*

NEgatiuè reſpondet Turrianus *de cenſuris lib. 2. diſp. 24. dub. vlt.* vbi ſic ait. Si Sacerdos abſoluat, non præmiſſa ſatisfactione partis, non ſolùm peccabit contra formam priuilegij, ſed etiam abſolutio eſt nulla, quia forma eſt obſeruanda quoties fieri poteſt. Ita ille, qui citat Suarez, quibus adde Vaſquez *de excommun. dub. 20.* & Coninck *de cenſuris diſp. 14. dub. 16. num. 211.*

Verùm ego contrariæ ſententiæ tamquam probabiliori adhæreo, quam tuetur Tannerus *tom. 4. diſp. 6. qu. 10. dub. 6. numer. 127.* Faber *de cenſ. in 4. ſent. diſt. 25. qu. 1. diſput. 4. cap. 8. num. 256.* Auila *de cenſ. par. 2. cap. 7. diſp. 3. dub. 6.* & Hurtado *diſput. 14. de excomm. diffic. 5. num. 22.* quia dicta additione nempe ſatisfacta parte, non limitatur delegato poteſtas, ſed admonetur vt ſeruet formam iuris communis, quam etiam delegans ſeruare debet, quia verba priuilegij accipienda ſunt, ſicut verba iuris communis, quando in priuilegio non adhibentur ſpeciali cautela, vt non adhibentur in Bulla Cruciatæ, nec in ſimilibus priuilegiis. In iure autē communi dicta verba non irritant abſolutionem, etiamſi eam illicitam reddant. ergo nec in priuilegio, ac proinde in priuilegio addita tantùm admonent delegatum de obligatione iuris communis: vnde multo meliùs erit valida abſolutio facta à delegato, quando in priuilegio conceditur facultas ſimpliciter, nullo addito, in quo contra Ledeſmam conueniunt communiter DD. nec in eo delegans præiudicat parti læſæ, cùm deleget ſub obligatione ſeruandi formam iuris communis, ſicut nec præiudicat, qui confert officium Ordinariorum, ex quo conuenit poteſtas adeò ampla, vt abſolutio ſupradicto modo facta ſit valida. Adde tamen eum, qui abſque dicta ſatisfactione, aut cautione abſoluit excommunicatum, teneri ad reſtitutionem damni inde ſecuti parti læſæ, quia abſoluens tenetur ad non abſoluendum ante prædicta, attendendo ad fauorem partis læſæ, vt deducitur ex dictis duobus *cap. 2. de ſent. excommun. in 6.* & ex 28. *de verborum ſignificatione.*

RESOL. XIII. *An abſolutio facta virtute Bullæ Cruciatæ, aut Iubilæi, aut alterius priuilegij, valeat etiam pro foro exteriori?*

DE hac quæſtione ego tractaui *in 1. par. tr. 11. reſol. 26.* vbi pro negatiua ſententia adduxi plures DD. quibus nunc addo Turrianum *de cenſ. lib. 2. diſput. 24. dub. vlt.* & Hurtadum *diſput. 15. de excom. diffic. 4 num. 16.* quia id eſt contra rigorem iuris, & iuriſdictionem Ordinariorum, quo Tribunal eorum non parum turbatur, quod non eſt credendum generali & abſoluta conceſſione concedi, præſertim quando in priuilegio dicitur, pro foro tantùm conſcientiæ.

Verùm præter Medinam & Rodriquez contrariam ſententiam docet Suarez *diſp. 7. ſect. 5. num. 20.* & Ioannes de la Cruz *in Direct. conſc. par. 2. de excomm. dub. 5. concl. 3.* vbi ſic ait. Nota quòd in Bulla Cruciatæ non petitur quòd abſolutio excommunicationis fiat in ſacramento Pœnitentiæ, ſed quia confeſſio eſt præuia ad abſolutionem peccatorum, conceditur ibi vt poſſit eligi Confeſſarius approbatus pro peccatis, qui etiam poſſit abſoluere ab excommunicatione, & aliis cenſuris, & valet etiam pro foro externo, ſatisfacta parte, & ceſſante contumacia, abſolutio cenſurarum facta virtute Bullæ, aut alterius ſimilis indulti. Ita ille, & ratio eſt, quia ex vna parte in dicto priuilegio facultas abſoluendi abſolutè & abſque reſtrictione conceditur, & ex altera eſt gratioſa & liberalis. Ergo non eſt reſtringenda & limitanda. Imò addit Suarez quòd quando in priuilegio dicitur, *in foro tantùm conſcientiæ*, ea reſtrictio non additur, vt ex vi illius abſolutus non habeatur vt abſolutus, & immunis ab excommunicatione in foro exteriori, & contentioſo, ſed vt iudex poſſit adhuc de delicto cognoſcere, & pœnitentiam foro contentioſo accommodatam imponere.

Notandum eſt tamen hîc ſtando etiam in prima opinione, poſſe iudicem eiuſmodi abſolutionem acceptare, quia in hoc nullum eſt incommodum, niſi fortè cederet in graue partis detrimentum, cui reus nollet ſatisfacere, cùm facile poſſet, tunc enim huic fieret iniuria. Ita Coninck *de Sacram. diſp. 14. dub. 16. num. 227.* cui adde Henriquez *lib. 8. cap. 60. num. 4. in gloſ. lit. I.* vbi ſic ait. Si iudex eſt benignus, poteſt liberare ſic abſolutum etiam in foro exteriori. Ita ille. Cui etiam adde Layman *tr. 5. par. 1. cap. 7. nu. 5.* & Auilam *de cenſ. par. 2. cap. 7. diſp. 3. dub. 12. §. ex dictis ſequitur.* Quod verò aſſerit Ioan. de la Cruz *vbi ſuprà*, nempe virtute Bullæ Cruciatæ, & aliorum priuilegiorum, poſſe Confeſſarium abſoluere excommunicatum extra ſacramentum Pœnitentiæ, latè ego contra aliquos firmaui *in 1. par. tr. 11. reſol. 25.* & firmat nouiſſimè Hurtado *de excommunic. diſp. 15. diffic. 5. num. 18.* & Præpoſitus *in 3. par. qu. 1. de cenſ. in communi dub. 14. num. 105* qui optimè notat hanc ſententiam eſſe veram, etiamſi in Bulla, ſeu priuilegiis dicatur, abſolutionem eſſe dandam in foro conſcientiæ, vel in foro pœnitentiæ, aut dicatur, *eorum confeßionibus diligenter auditis.*

RESOL. XIV. *An abſolutio ab excommunicatione data ſub conditione in futurum, validè conferatur?*

RESpondeo, quòd abſolutio à cenſura non ſolùm abſolutè, ſed etiam ſub conditione in futurum pendente, validè conferri poteſt. Vt, v.g. Te abſoluo ab excommunicatione, ſi infra quindecim dies, vel cras reſtitueris. Et ideo non deſinam hîc apponere verba Turriani *de cenſ. lib. 2. diſput. 24. dub. 1.* vbi ſic ait, abſolutionem excōmunicationis concedi poſſe ſub conditione, probatur primò ex *cap. præterea, 2. de appellationibus*, vbi tamquam valida cenſetur hæc excommunicatio, ſi quis iudex protulerit. Si intra viginti dies non ſatisfeceris, te excommunicamus. Ergo à ſimili poſſet ferri abſolutio conditionalis. Idem probat Pater Vaſquez à ſimili de eo, qui abſoluit pro certo tempore, quo elapſo reincidat, ſi non ſatisfecerit. Et mihi hæc ſententia

ſententia probatur, quia non video rationem aliquam, ob quam dicamus non poſſe abſolutionem eo modo conferri. Ita Turrianus. Videantur etiam Suarez *de cenſ. diſp. 7. ſect. 8. n. 11.* Hurtado *de excommun. diſp. 14. diffic. 2. num. 1.* Coninck *de Sacram. diſp. 14. num. 2. 8.* Præpoſitus *in 3. par. qu. 1. de cenſ. in communi dub. 15. num. 110.* Henriquez *lib. 13. cap. 29. num. 4.* & Emanuel Sà *ver. abſolutio ab excommunicatione, num. 2.* Vnde ex his apparet refellendam eſſe ſententiam D. Antonini *in 3 par. tit. 24. cap. 7.* Angeli *ver. excom. 2. num. 5.* & Sylueſtri *ver. abſolutio 3. num. 1.* docentium abſolutionem ſic factam eſſe illicitam, & nullam, quia abſolutio ſacramentalis à peccatis, cui videtur æquiparanda, facta ſub conditione, eſt illicita, & nulla. Item reijciendus eſt Auila *de cenſ. par. 2. cap. 7. diſp. 3. dub. 15.* docens abſolutionem ſic factam eſſe illicitam, quia eſt contra rationem, quod manet in ſuſpenſo, eſſe tamen validam, vtpote nullo iure irritam. Igitur talis abſolutio data ſub conditione non ſolùm valida eſt, ſed licita, quia abſolutio ſic facta nullo iure irritatur, ac proinde impleta conditione, ſub qua fuit facta, habebit effectum tollendi excommunicationem, & quòd poſſit licitè fieri probatur, quia nullo iure prohibetur; quia non poſitiuo, cùm nullum extet, nec naturali, quia ſic abſoluere non eſt contra rationem, ſicut nec excommunicare ſub conditione.

Non deſinam tamen hîc adnotare ea, quæ poſt hæc ſcripta inueni apud Villalobos *in ſumma tom. 1. tr. 16. diffic. 22. num. 3.* vbi ſic ait: [Ha ſe mucho de aduertir que no es licito abſoluer debaxo de condicion de futuro: lo vno, porque es contra la coſtumbre de la Igleſia: lo otro, porque ha de conſiderar el juez, ſi el reo tiene deuida diſpoſition para abſoluerle, y aſſi dize Nauarro, que no es licito. Verdad es, que en caſo de graue neceſſidad (qual ſeria quãdo deſpues no pudieſſe auer recurſo al ſuperior) le podrian abſoluer aſſi, porque no eſtà prohibido en derecho. y Vgolino dize abſolutamente, que es licito abſoluer deſta manera, la qual ſentencia tengo por muy verdadera en caſo de neceſſidad.] Ita ille. quem etiam ſequitur Philippus Faber *de cenſ. in 4. diſt. 25. qu. 1. diſp. 4. cap. 9. num. 266.*

RESOL. XV. *An vt abſolutus ab excommunicatione ad reincidentiam in eam reincidat, ſit neceſſaria noua culpa?*

DOctè, breuiter, & clarè, vt ſemper ſolet, Hurtado Complutenſis *de excom. diſp. 14. diffic. 3. num. 11.* notat hanc quæſtionem procedere, quando, v.g. abſolutus ad reincidentiam, nempe ad tres dies abſque conditione, & ad reliquum tempus ſub conditione alicuius operis, nullo ſuperaddito, quo indicetur abſolutio facta ſub conditione operis non omiſſi culpabiliter: (vt quando dicitur, abſoluo te ab excommunicatione ad tres dies, ita vt ſi intra eos non ſoluas, reincidas in eam,) an ſcil. tunc ſic abſolutus reincidat abſque noua culpa, id eſt, ſi inculpabiliter omittat ſoluere, vel aliud facere, vel quia non poteſt, vel aliter. Hoc ſuppoſito ex Suarez & Filliucio ad dubium propoſitum negatiuè reſpondet Hurtado *loco cit. num. 12.* cui ego addo Turrianum *de cenſ. lib. 2. diſp. 24. dub. 2.* Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 16. difficul. 23. num. 6.* & ratio eſt, quia tunc pro reliquo tempore vltra tempus determinatum, pro quo fuit abſque conditione abſolutus, non abſoluitur abſolutè, ſed ſub conditione operis, nullo ſuperaddito, quo indicetur reſpectus ad culpam. ergo deficiente conditione, quamuis abſque culpa deficiat, non perſeuerat abſolutus, ſed reincidit in excommunicationem, & non aliunde, quàm ex vi ſententiæ, quæ fuit primò lata, ex vi cuius perſeueraret, quamuis excommunicatus fieret impotens ad ſoluendum, vel ad aliud opus, ſub cuius conditione fuit abſolutus pro illo reliquo tempore. Et ex his infert Hurtado, quòd ſi excommunicatus, qui non ſoluit debitum, & abſolutus fuit ad reincidentiam ad tres dies, ſiue omnino abſolutè, ſeu priori modo dicto, ſiue pro reliquo tempore vltra tres dies ſub conditione alicuius abſolutè poſita abſque aliquo indicante reſpectum ad culpam, non impeditur à reincidentia in excommunicationem, ex eo quòd pars conſentiat, quia conſenſus partis tantùm poteſt deſeruire, vt ſic abſolutus non peccet non ſoluendo, quod non ſufficit, vt non reincidat, quia reincidit ob antiquam culpam, & vi antiquæ ſententiæ, & abſque noua culpa requiſita, vt defectu conditionis requiſitæ ad perſeuerantiam abſolutionis, impeditur tamen quando fuit abſolutus ſub conditione actus omiſſi culpabiliter, quia conſenſus partis efficit, vt omiſſio illius actus ſit inculpabilis, ac proinde vt non deficiat conditio, ſub qua facta fuit abſolutionis perſeuerantia.

Verùm his non obſtantibus contrariam ſententiam tuentur Auila *de cenſ. 2. par. cap. 7. diſput. 3. dub. 14.* Henriquez *lib. 13. cap. 29. num. 2.* Nauarrus *cap. 27. num. 277.* & alij, quia nemo poteſt de nouo ligari aliqua excommunicatione ſine nouo peccato: atqui cùm talis fuerit verè abſolutus ab excommunicatione, non poteſt in eam reincidere niſi de nouo ea ligetur; ergo opus eſt nouo peccato.

Dices, maiorem ſolùm eſſe veram, quando noua excommunicatio infligitur, ſecus autem eſſe quando prior redit, quæ non fuit abſolutè ablata, ſed ſolùm pro certo tempore, & pro reliquo tempore ſub conditione, qua non poſita, eadem excommunicatio propter idem peccatum redit. Sed contrà, vel medio illo tempore excommunicatio fuit ſolùm ſuſpenſa, ita vt ſecundùm ſe, & quaſi in actu primo verè manſerit, ita tamen vt nullum habuerit effectum, ſicut ſolet interdictum ſuſpendi, & hoc dici nequit, quia ſecundùm ius ordinarium, & communem ſententiam, excommunicatio non poteſt ita ſuſpendi, niſi in quibuſdam caſibus ad certum aliquem effectum, vel eſt abſolutè ſublata, & tunc impoſſibile eſt redeat, niſi de nouo producatur, quod nihil eſt aliud quàm abſolutum de nouo iterum excommunicari, quia intelligi nequit, quomodo id quod ſemel verè deſtructum eſt, redeat, niſi de nouo producatur ea ratione, qua produci poteſt; parum autem facit ad rem, ſiue dicatur eſſe eadem numero excommunicatio ſiue diuerſa (de quo nolo iam diſputare) quia ſiue hoc

ſiue illud dicas, æquè grauiter alter punitur, & propter eandem culpam bis puniri nequit. Habet igitur vtraque ſententia auctores & rationes pro ſe. vnde meritò Ioan. Præpoſitus *in 3. par. qu. 1. de cenſ. in comm. dub. 15. num. 113.* vtramque probabilem eſſe putauit.

Notandum eſt hîc obiter contra Auilam quòd qui poteſt abſoluere, poteſt etiam ad reincidentiam, quamuis excommunicare non poſſit, quia abſoluens ad reincidentiam, non eſt qui ſecundò excommunicat, ſed ille qui primò excommunicauit. Ita ex Suarez Hurtado *vbi ſuprà, num. 14.*

RESOL. XVI. *An Abbatiſſa poſſit præcipere Monialibus aliquid ſub pœna excommunicationis?*

VIdetur affirmatiuè reſpondendũ, quia Abbatiſſa habet ſpiritualem iuriſdictionem in ſubditas: ergo. Probatur antecedens, quia Moniales tenentur in conſcientia illi obedire: quod confirmatur ex *cap. dilecti filij. de arbitr. cap. dilecta, de exceſſ. prælat. & cap. dilecta, de maior. & obed.*

Sed reſpondendum eſt negatiuè, cùm feminæ non poſſint ferre cenſuras, cùm Ordinis clericalis & Eccleſiaſticæ iuriſdictionis ſint incapaces, ex *cap. noua, de pœnit. & remiſſ.* & docet D. Thom. *in 4. q. 1. ar. 1. dub. 19 quæſt. 3. ad 4. & diſt. 15. q. 2. ar. 1. ad. 2.* Dicendum eſt igitur Abbatiſſas non habere ſpiritualem iuriſdictionem in ſubditas, nec in foro interiori, nec in exteriori, nec poſſe ferre præcepta, quæ vim legis & præcepti habeant, ſicut Epiſcopi & cæteri Prælati Eccleſiaſtici. ſubditæ verò eis nihilominùs obedire tenentur, tum quia hoc eſt vnum ex præceptis ſuæ regulæ, tum etiam, ſicut filiæ tenentur obedire matri, & filij parentibus, quamuis parentes nullam habeant iuriſdictionem in filios. & ita docet Rodriquez *in ſumma tom. 1. cap. 3. num. 9.* Lezzana *in qq. regul. cap. 26. num. 11.* Homobonus *vol. 1. par. 2. reſp. 105.* Cornejo *in 3. par. tr. 5. de cenſ. diſp. 2. dub. 3.* qui tamen contra D. Thom. addit, mulieres non eſſe de iure diuino incapaces poteſtatis Ordinis & iuriſdictionis, ita vt etiam ex commiſſione Pontificis excommunicare, & cenſuras ferre non valeant, & citat Paludanum, Hugolinum, Henriquez, & Sayrum, quibus adde Suarez *diſput. 2. ſect. 2. numer. 7.* & Præpoſitum *in 3. par. qu. 1. de cenſ. in comm. qu. 15. dub. 4.* ſed ex Auila Coninck *de Sacrament. diſp. 13. dub. 3. num. 35.* putat cum D. Thom. quòd feminæ nè quidem Pontifex poſſit committere hanc poteſtatem. Sed ſi quis incidenter hîc quærat, an Abbatiſſa, ſi non poteſt præcipere aliquid Monialibus ſub cenſura, vt dictum eſt, poſſit præcipere ſub præcepto obedientiæ? Et affirmatiuam ſententiam docet Rodriquez *in ſumma tom. 1. cap. 3. num 9.* vbi poſt adductam rationem pro hac firmanda ſententia contra Sotum, ſic aſſerit. [La qual razon deuen conſiderar los que por dar contento à Monjas, las deſobligan de los preceros de ſu Abadeſſa, y ſon cauſa de mucho mal eſpiritual, y eſto ſe ha de tener, aunque en las queſtiones regulares me fuy tras Soto por ſu autoridad.] Ita Rodriquez, qui quidem poterat non cantare palinodiam, & Sotum ſequi, cuius opinio negatiua in hoc dubio ſequenda eſt, & illa ſequuntur Portel *in dubijs Regul. ver. Abbatiſſa num. 1.* Merolla *tom. 2. diſput. 4. cap. 4. diffic. 13. num. 126.* Ledeſma *in 2. 2. par. 4. qu. 20. art. 4.* Sanchez *in ſumma tom. 2. lib. 6. cap. 1. num. 21.* Baldellus *lib. 5. diſput. 6. num. 1. & ſeq.* Valentia *tom. 4. diſput. 7. qu. 16. punct. 3.* Sayrus *in clau. Regia lib. 5. cap. 10. num. 26.* Vgolinus *de cenſ. tab. 1. cap. 2. §. 7.* & alij penes ipſos. Dico igitur Abbatiſſas non habere poteſtatem ſpiritualem in Moniales, ſed ſolam domeſticam, qualem habet materfamilias in filios, & ideo non poſſunt præcepta ſpiritualia imponere in virtute obedientiæ, & Spiritus ſancti, ſicut poſſunt Prælati Regulares, ſed tantùm poſſe inſtar matrisfamilias præcepta imponere, quæ ad domeſticam gubernationem, & communem Monaſterij pacem conducant, & hæc præcepta obligabunt iuxta grauitatem, vel leuitatem materiæ. Non nego tamen ſententiam Rodriquez probabilem etiam eſſe, quam præter ipſum, tuetur Salas *de legibus diſput. 8. ſect. 19. in fine.* Azorius *tom. 1. lib. 13. cap. 10. quæſt. 7. in fine.* Cornejo *in 3. par. D. Th. tr. 5. de excomm. diſput. 2. dub. 5. qu. 2. num. 2.* Lezzana *in qq. Regul. cap. 26. num. 10.* Naldus *in ſumma ver. Abbatiſſa num. 4.* & alij; ſed noſtra opinio eſt probabilior.

RESOL. XVII. *An ignorantia non ſolùm inuincibilis, ſed etiam vincibilis excuſet ab incurſione cenſurarum?*

NEgatiuam ſententiam tenet Turrianus *de cenſ. lib. 1. diſput. 5. dub. 4.* Gordonus *tom. 2. lib. 7. q. 6. cap. 6. num. 3.* & alij. Sed affirmatiuam ſententiam docet Tannerus *tom. 4. diſput. 6. qu. 10. dub 3. num. 47.* vbi ſic aſſerit. Sit ergo hæc generalis aſſertio. Ignorantia inuincibilis, vel vtcumque vincibilis, dummodò craſſa, aut ſupina non ſit, ſeu facti, ſeu iuris tam vniuerſalis, quàm particularis, defendit & excuſat ab excõmunicatione incurrenda: ignorantia autem craſſa & ſupina nunquam excuſat. Ita Tannerus. Cui adde Cæleſtinum *in compen. Theol. mor. tr. 3. cap. 5. num. 2.* vbi ſic ait. Dico primò, ignorantia inuincibilis, ſiue iuris communis, ſiue particularis, atque etiam facti, excuſat ab omni excommunicatione, & hæc habet locum non ſolùm in excommunicatione, ſed etiam in ſuſpenſione, & interdicto, quamuis factum ſit iure naturali, aut diuino damnatum, & pœnæ ſtatutæ ſint ab Epiſcopo, vel à Summo Pontifice. Dico ſecundò ignorantiam vincibilem culpabilẽ moraliter, ſiue ſit iuris, ſiue facti, modò non ſit craſſa, excuſare ab excõmunicatione, & hoc habet locum, ſiue excõmunicatio ſit lata ab Epiſcopo, ſiue à Papa. Ita Cæleſtinus, me citato, vbi, me etiam citato, docet quòd quando lex imponit excommunicationem contra eos, qui ſcienter aliquid faciunt, vel facere præſumunt, non incurrunt, qui ex ignorantia craſſa, ſupina, vel affectata eam tranſgrediuntur, quia ignorans non verè dicitur præſumens, præſumptio enim importat dolum & temeritatem, quod procedit, & verum eſt in quacumque alia cenſura lata contra facientes aliquid ſcienter, aut facere præſumentes, non enim ligantur illa cenſura, qui

ex

ex ignorantia crassa, siue supina, siue affectata, siue sit iuris, siue facti, violant legem. Sic ille. Vnde sequitur innumeros non incurrere in censuras; sed circa præsentem quæstionem vide Auilam *de cens. part. 2. cap. 5. disput. 5. dub. 8. & 9.* Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 16. diffic. 12.* Præpositum *in 3. part. q. 11. de cens. in genere, dub. 8. per totum*, & Coninck *de Sacram. disp. 13. dub. 11.*

Notandum est etiam quòd post hæc scripta inuenio Hurtadum *de cens. in commun. difficult. 21. numer. 92.* contra Sanchez & Coninck docere ignorantiam vincibilem facti impedire incursionem censuræ latæ contra eos, qui scienter aliquid fecerint, etiam quando est affectata, vel adeò crassa, vt moraliter censeatur intenta, seu affectata, quia quòd fit ex ignorantia, vel cum ea, quæcumque sit, non fit scienter, seu cum dolo, quia verè fit ignoranter, & quamuis dicta ignorantia ferè æquiualeat scientiæ, seu dolo quoad incurrendam culpam, non tamen quoad pœnam, quando hæc imponitur contra scienter, seu ex dolo peccantes. Et ob eandem rationem excusat à censura lata contra eos, qui aliquid facere præsumpserint, aut contra eos, qui ausu temerario aliquid fecerint, quia pro eodem sumuntur, & idem est aliquid scienter facere, seu ex dolo, & illud facere ausu temerario, & præsumere illud facere, imò & illud contemnere. Et hæc omnia sunt valde mente tenenda.

Nec desinam hîc adnotare etiam alterum Hurtadum Salmaticensem *vol. 1. in 2.2. D. Thom. disput. 83. sect. 5. §. 42.* ex doctrina superiùs allata, videlicet per ignorantiam etiam culpabilem, dummodò non sit crassa & supina, aliquem non incurrere in excommunicationem; ex hac, inquam, doctrina obseruat sequi eandem omnino esse rationem de actuali inconsideratione inculpata. e.g. si quis hæresim profert, quam numquam cognouit esse excommunicatione prohibitã, hic ex authoribus addictis non præstringitur excõmunicatione, quia absque culpa eam ignorat: si autẽ eam aliquãdo cognouit, deinde quando hæresim loquitur, est omnino, & inculpatè oblitus excommunicationis, in eam non cadit, quia tota ratio malitiæ, & contumaciæ consistit in actuali peccato, vt oritur ab actuali cognitione, vel culpata carentia cognitionis, cognitio enim, vel eius carentia iam præterita, & nullo modo manentes, non sunt causa actus voluntatis existentis illis posterius, sed actuale peccatum, nec oritur cum cognitione censuræ, nec cum eis culpata carentia; ergo eadem ratio est, ac si numquam cognitio fuisset. Hæc omnia Hurtado de Mendoza, qui tamen suam sententiam circa præsentem quæstionem explicare noluit.

RESOL. XVIII. *An in censura ferenda necessariò requiratur monitio?*

PRima opinio est Victoriæ *in sum. de Sacr.* agendo *de excommun. num. 6.* Soti *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 2.* Ledesmæ *2. p. q. 23. art. 3.* qui affirmant non quidẽ requiri trinam, vel binam monitionem præcedentem, vt excommunicatio sit valida, requiri tamen necessariò aliquam monitionem præuiam, alioqui inutilem esse excommunicationis censurã. Probatur ex *c. Romana, de sententia excommun. in 6.* vbi id videtur definitum. Probatur secundò ex Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus & publicanus.* Vbi non datur Ecclesiæ potestas ad excommunicandum nisi pro contumacia contra præcepta Ecclesiæ. Non datur autem contumacia nisi præcedat apta admonitio.

Secunda opinio est negans, scilicet non requiri monitionem ad censuræ essentiam, quam tenet glos. *in c. Romana, citato*, & Panorm. *in cap. sacro, de sententia excomm.* Felinus *in cap. cum sit Romana, de appellationibus nu 15.* & alij iuris interpretes, quos citat Caietanus *2.2. q. 69. art. 2.* Item Cordub. *lib. de ignorantia, q. 27.* Michaël de Palatio *in 4. distinct. 18. disp. 4.* Almainus *de potestate Ecclesiæ cap. 20.* & probatur *1. ad Corinth. 5.* vbi Paulus excommunicauit incestuosum pro peccato omnino præterito, nec legitur illum priùs fuisse admonitum.

Hanc sententiam prorsus tenendam esse puto, quia Ecclesia aliter facientem priuauit ingressu Ecclesiæ, & diuinis officiis per mensem: præcipit Superiori, vt talem censuram sine difficultate relaxet, quod minimè esset perneccssarium si valida non fuisset. Et ita docent Cornejo *in 3. part. tr. 5. de cens. in gen. disp. 5. dub. vlt.* & Coninck *de Sacram. disput. 13. dub. 9. n. 78.* qui respondent ad superius pro affirmatiua sententia adducta.

Notandum est tamen, docere Præpositum *in 3. part. quæst. 1. de cens. in genere, dub. 12. numer. 83.* probabile esse non requiri monitionem ad valorem aliarum censurarum, vt de suspensione potest colligi ex *c. tam literis, in fine, de testibus*, vbi fertur sine vlla monitione. Sed de hoc vide Villalobos *in sum. tom. 1. tr. 16. diffic. 8. num. 6.* vbi sic ait. [Ha se de aduertir aqui grandemente que algunas veyes la suspencion no se pone por via de censura, sino por via de pena, como si el Obispo suspendiesse à vn Clerigo por vn delito, que cometio. Y en tallaso no es propiamente censura, que no se pone para que dexe la contumacia, sino para castigarle del delito passado, y que se pueda poner desta manera, lo diremos abaxo, y lo dizen comunmente los DD. y lo mismo es del entredicho personal especial, aunque no del general, porque esso ni està en vso, ni es necessario: y lo mismo diremos en la dificultad siguiente de la descomunion respeto del sumo Pontifice, mas no respeto de los demas Prelados, aunque muchos tienen lo contrario. Supuesto esto se ha de dezir, que quando estas penas se ponen, no como censuras, sino tan solamente como penas, no es menester que preceda alguna amonecion, como tanpoco lo es menester en otras penas.] Ita doctissimus Villalobos; cui adde Hurtadum *de cens. in genere. diffic. 18. num. 80.*

Sed hic non est relinquenda difficultas, an quãdo excommunicatio fertur à Prælato non per modum iudicij, sed per modum defensionis ad defendendum ius proprium, requiratur monitio? Aliqui iuris periti docent in hoc euentu non esse necessariam monitionẽ. Pro hac opinione aliquos refert Couarruuias infrà citandus, & eam sequitur

Vgolinus *tabula* 1. *de cenſ. lib.* 2. *cap.* 18. quia tunc excommunicatio non eſt à iudice vt iudex, ſed vt à perſona priuata defendente ſuum ius. Probatur etiam ex *c. dilecti, de ſent. excom.* Sed contrariam ſententiam docet Couarruu. *in cap. Alma mater* 1. *part. relect.* §. 9. cum aliis DD. & ſequitur P. Vaſqu. *dub.* 12. *cit. nu.* 15. P. Suarez *diſp.* 3. quia iura nullam talem faciunt exceptionem, & *in c. dilecti, cit.* nihil contra hoc dicitur: & hoc etiam docet Turrian. *de cenſ. lib.* 2. *diſp.* 18. *dub.* 5.

Non deſinam etiam hîc adnotare dubium, de quo his diebus interrogatus fui, nempe an ſi à iure decreta ſit excommunicatio, vel alia cenſura, non latæ, ſed ferendæ ſententiæ, v. g. qui tale crimen commiſerit, excommunicetur, ſuſpendatur, &c. an, inquam, in tali iudex contra reum conuictum poſſit procedere ad excommunicationem ei infligendam ſine alia monitione. Panormitanus *in cap. cùm ſit Romana, nu.* 28. *de appellat.* & affirmatiuè reſpondet Sanchez *de matrimon. tom.* 1. *lib.* 2. *diſp.* 24. *num.* 28. & Auila *part.* 2. *c.* 5. *diſp.* 1. *dub.* 5. *concl.* 1. vbi ait. In tali caſu iudicem licitè poſſe ferre ſententiam excommunicationis ſine alia monitione, ſed meliùs faciet ſi præmittat vnam ſaltem monitionem. Ita Auila, qui citat Couarr. *in c. Alma mater.* 1. *par.* §. 9. *num.* 5. quibus ego addo Bonacinam *de cenſ. diſp.* 1. *qu.* 1. *pun.* 9. *num.* 3. quia, ait ille, adeſt ſufficiens admonitio ex parte iudicis, & ſufficiens contumacia ex parte delinquentis, qui nouit prohibitionem ſub pœna cẽſuræ ferenda, tum quia non eſt maior ratio cur ad ferendam ipſo facto cenſuram antea comminatoriè latam, noua requiratur admonitio diſtincta à prohibitione, non autem requiratur, dum præceptum, vel prohibitio edita eſt ſub pœna cenſuræ ipſo facto: ſed ad hanc non requiritur noua publicatio: ergo neque ad illam. Et hanc ſententiam probabilem putat Cornejo *in* 3. *par. tract.* 5. *de cenſ. in gen. diſp.* 5 *dub.* 2.

Sed mihi contraria ſententia magis placet, quam tuetur Cornejo *loco citato* cum Hurtado *de cenſ. in com. diffic.* 8. *n.* 79. & Suarez *diſp.* 3. *ſect.* 10. *nu.* 19. quod colligitur ex *cap. reprehenſibilis, de appellat.* vbi ſic habetur: Nec Prælati (niſi canonica monitione præmiſſa) ſuſpenſionis, vel excommunicationis ſententiã ferunt in ſubiectos, niſi fortè talis ſit culpa, quæ ipſo ſuo genere (id eſt, ex ſe, ſeu ipſo facto, ait gl. *ibi.*) ſuſpenſionis, vel excommunicationis pœnam inducat. Cùm igitur exceptio firmet regulam in aliis, ſequitur ad omnem omnino cenſuram, quæ nõ ipſo facto, ſeu criminis admiſſione incurritur, ſed à iudice actualiter infligenda eſt, canonicam monitionem (eamque trinam, pèr ſe loquendo) neceſſariò præmittendam eſſe. Ratio eſt, quia ob crimen merè præteritum, aut emendatum, neque excommunicatio, neque alia propriè dicta cenſura infligi poteſt, vt ſuprà dictum. Si autem iudex excommunicationem, aliámve cenſuram ſententiæ ferendæ exequi poſſet contra criminoſum, nulla præcedẽte monitione, tunc ſæpe accideret cenſuram infligi propter crimen merè præteritum, aut emendatum. Quid enim ſi reus citatus, & crimen confeſſus, ab eo abſiſtere velit, & Eccleſiæ ſatisfacere? profectò excommunicari non poterit, cùm potiùs tunc abſolui deberet, ſi antea excommunicationem incurriſſet; iuxta *cap. qua fronte, de appel.* Confirmatur ex eo quòd cenſura hæc actualiter non à lege feratur, ſed ab homine, ideoque legis monitio ſufficere non videatur, niſi etiam hominis monitio præcedat ſaltem ordinariè, & niſi aliud cauſæ grauitas, ſeu neceſſitas requirat. Ergo, &c.

Aduertendum eſt tamen quòd etiam ſtando in prima opinione iudex talem reum non poterit excommunicare ſine citatione, dando ei terminum ad allegandum pro ſe. Ita Soto *d.* 22. *q.* 2. *art.* 2. *in* 2. *concl.* quod adeò verum eſt, vt etiam quando lex excommunicat ipſo facto, non poſſit iudex declarare excommunicatum tranſgreſſorem ſine citatione, vt docet Philip. Decius *cap peruenit el* 1. *de appellat.* Nauarr. *cap.* 27. *num.* 10. *& lib.* 5. *conſ. tit. de ſent. excom. conſ.* 20. *num.* 4. & alij multi, quos refert & ſequitur Couarr. *num. cit. circa finem,* niſi delictum eſſet notorium, pro qua limitatione facit quod tradit ipſe Couarr. *ibid. num.* 6. *verſ. & hæc quidem.* Eamdem ponit Nauarr. *conſ. cit.* & adeò verum eſt requiri citationem ad declarandum tranſgreſſorem incurriſſe excommunicationẽ iuris ipſo facto impoſitam, vt ſi aliter fiat, declaratio ſit nulla. Ita tenẽt multi DD. quos refert & ſequitur Couarr. *ibid. n.* 5. & Nauarr. *conſil. citato.* Et hæc omnia docet Auila *vbi ſuprà concl.* 2. cui adde Bonacinam in editione nouiſſima *loco citato.*

Resol. XIX. *An cenſura ſine trina monitione non ſolùm ſit illicita, ſed inualida?*

Reſpondeo negatiuè. Vnde quamuis iudex peccet excommunicando in caſibus non permiſſis ſine trina monitione, aut vna pro trina; nihilominus cenſura ita lata valida eſt, dummodo aliqua monitio etiam ſimplex præceſſerit. Et ratio eſt, quia hæc trina monitio non eſt inducta à iure, vt quid ſubſtantiale pertinens ad eſſentiam cenſuræ, ſed ſolùm vt quid accidentale pertinens ad ſolemnitatem, vt facilè colligitur ex *cap. ſacro de ſent. excom.* vbi ſupponitur excommunicationem latam ſine trina monitione poſſe eſſe iuſtam, quamuis iudex eam ferens ſit dignus pœna, ſed non poſſet eſſe iuſta, ſi eſſet nulla & inualida. ergo. & nota quòd *in cap. Romana, de ſent. excom. in* 6. cenſuræ ſine competenti monitione latæ dicuntur iniuſtæ, non obſtante quòd *in cap. ſacro, de ſent. excom.* dicantur iuſtæ, quia ſunt iniquè datæ, & contra legem, quæ præcipit ferendas eſſe præmiſſa canonica monitione, cum quo tamen ſtat quòd poſſint interdum nõ eſſe contra iuſtitiam commutatiuam, vel diſtributiuam, & ex hac parte poſſunt appellari iuſtæ, vt vocantur in dicto cap. *ſacro.*

Notandum eſt tamen hîc primò, vnaquæque harum trium monitionum aliquo dierum interuallo fieri debet, niſi periculum ſit in mora, vel ex aliqua iuſta cauſa arbitrio iudicis penſanda. Secundò neceſſitate vrgẽte poſſe licitè trinã monitionẽ, aut vnam pro trina omitti, vt in caſu, quo Clericus ſubitò à iudice ſeculari ad vltimum ſupplicium deferretur, & iam eius executio inſtaret, poſſet tunc & deberet talis iudex ab Epiſcopo excommuni-

municari ipſo facto ſine præuia monitione trina, aut quod tribus æquiualeat propter tria temporis interualla deſignata, quia ſi hæc expectanda forent, interim Clericus interficeretur, & irrideretur Eccleſiaſtica poteſtas, quod intelligendum eſt, modò pars aliqua futuri temporis etiam indeſignata, quæ ſaltem ad deliberandum ſufficiat, iudici ſeculari concedatur. Tertiò dictæ monitiones debent fieri coram perſonis idoneis, ad teſtificandum ſi opus fuerit. Quartò debent fieri in propria perſona eius, qui eſt cenſura ligandus, licet hoc in aliquibus caſibus non ſit neceſſarium. Et de his omnibus ſupradictis vide Fabrum de *cenſ. in 4. ſent. diſtinct. 25. qu. 1. diſput. 4. cap. 2. n. 75.* Bonacinam *de cenſ diſput. 1. qu. 1. punct. 9. numer. 6.* Cornejo *in 3. part. tract. 5. de cenſ. in genere diſput. 5. dub. 2. per totum.* Villalobos *in ſumm. tom. 1. tr. 16. diffic. 8. per totam.* Hurtado *de cenſ. in comm. diffic. 19. & 20.* Coninck *de Sacrament. diſput. 13. dub. 9. numer. 79.* Auilam *de cenſ part. 2. cap. 5. diſput. 1. dub. 7. & ſequent.*

Notandum eſt tamen hîc contra Sayrum *de cenſ. lib. 1. cap. 12. numer. 23.* malè citantem pro ſe Couarruu. & Hugolinum, ſine monitionibus cenſuram ferri non poſſe, etiamſi ante monitiones conſtet de contumacia rei, vt ſi publicè aſſeuerauerit cum iuramento ſe monitionibus non pariturum. Ita Suarez *de cenſ. diſp. 3. ſect. 10. num 8.* & Cornejo *vbi ſuprà.* vbi etiam notat non poſſe ſubditum cedere iuri monitionis canonicæ, ita vt non præuia trina monitione ligari poſſit per cenſuram.

RESOL. XX. *An Prælati Regularium teneantur in excommunicationibus præmittere ordinem monitionum?*

REſpondeo affirmatiuè cum multis Doctoribus, Auila *de cenſ. part. 2. cap. 5. diſp. 1. dub. 8.* & quamuis Prælati Mendicantium habeant priuilegium vt poſſint ferre ſententiam excommunicationis ſolo verbo ſine ſcriptis, vt habetur *in compendio minor. ver. excom. §. 7.* non tamen habent priuilegium ad omittendam canonicam monitionem.

Verùm hanc doctrinam limitat Cornejo *in 3. part. tract. 5 de cenſ. in genere diſp. 5 dub. 2.* & Sayrus *de cenſ. lib. 1. cap. 12. num. 22.* vt intelligatur quando Prælati Regulares præcipiunt aliquid quod non continetur in regula Ordinis, aut in regularibus obſeruantijs; ſecus verò quando id, quod præcipiunt in illis continetur. quia tunc optimè, inquit, poſſent vna, vel altera tantùm monitione excommunicare. Sed meliùs videtur dicendum attendendam eſſe conſuetudinem talis Religionis, & ſi legitimè fuerit præſcripta, præualébit contra ius; ſin autem, minimè.

RESOL. XXI. *An aliqua præcepta & mandata Epiſcoporum ſub pœna excommunicationis obligent ſemper ad peccatum mortale?*

DE hac quęſtione alibi à nobis actum eſt, nunc ponam tantùm ea quæ circa illam ſentit nouiſſimè Ioan. Henriquez *in compen. caſ. moral. cap. 20. n. 33. & ſequ.* vbi ſic ait. [Muy grande dificultad ay entre los Dotores, en auerigúar ſi los mandatos, que ponen algunos Prelados, y juezes Eccleſiaſticos con pena de deſcomunion mayor ſolamente, no diziendo, ni añadiendo latæ ſententiæ, ni otra particula ſemejante, ſi ya que no ſe incurre en deſcomunion, quebrantando eſtos mandatos, como ya hemos dicho, ſe obligaran à pecado mortal: y algunos Dotores afirman que ſi, porque la pena que amenara es graue, y aſſi obliga à culpa mortal. eſta opinion es de Caietano, Nauarro, y Azorio. Pero mas verdadero es, que en dos caſos ſolamente obligan eſtos mandatos à culpa mortal. vno es, quãdo ſe ponen ſobre materia graue, como lo dize Toledo *lib. 8. cap. 19 num. 4.* y el otro es, quãdo muchas vezes ſe ha mandado vna miſma coſa con pena de deſcomunion mayor, y por auer auido pertinacia en la deſobediencia, ſe bueluen à poner otras vezes en eſte caſo, tanbien obligan à pecado mortal, aunque la materia ſobre que ſe puſieren, no ſea muy graue, porque como dize Thom. Sanchez *tom. 2. lib. 6. cap. 4. n. 53.* la materia que de ſuyo no es muy graue, ſe haze muy graue, quando ſe manda muchas vezes. Y aſſi aduierte Vaſq. 1. 2 *qu. 96. ar. 4. num. 45.* que ſon eſcuſadas de pecado mortal muchas perſonas aquien algunos Prelados, y juezes Eccleſiaſticos mandan coſas muy leues ſopena de deſcomunion mayor. Y en la miſma facilidad con que ſe les mandan eſtas coſas con pena de deſcomunion mayor, ſa vè que los Prelados no tienen intencion de obligarlos à culpa mortal, por la qual no caſtigan à los tranſgreſſores, como à hombres que han delinquido, dando à entender con eſto, que eſtos mandatos no los ponen para ligar las conciencias con pecados, ſino para atemorizar. Ita ille qui etiam *n. 31.* addit quod de la miſma manera que los mandatos Eccleſiaſticos obligan à culpa mortal en materia graue, aſſi las leyes ciuiles, quando ſe fundan en derecho natural, o diuino, obligan tanbien à culpa mortal; pero quando las leyes ciuiles no tocan en eſtos derechos, no obligan à pena eſpiritual, aunque tengan penas corporales grauiſſimas, de manera que ſi no es, que por otra parte ſea prohibido por ley natural, o diuina, no ay culpa mortal en no guardarlas, como lo dize Nauarro *cap. 23. num. 48.* aunque muchos Dotores afirman que todas las leyes ciuiles que ponen penas grauiſſimas, obligan en conciencia, pero la dotrina de Nauarro es muy probable.] Hęc ille, quæ ſunt valde notanda.

RESOL. XXII. *An ſi pars dilatet tempus abſolutionis ad reincidentiam à iudice facta incurratur elapſo tempore excommunicatio, vel neceſſe ſit aliam excommunicationem ferre?*

AD hunc caſum ita reſpõdet Villalobos *in ſum. tom. 1. tr. 16. diffic. 23 n. 4.* [Quando la parte cõceda al juez que le abſueluan ad reincidentiã, por quinze dias, y antes que ſe cumpla el termino, lo alarga la parte por otros quinze dias, en tal caſo haſta que ſe cumplan todos los treynta dias no incurre la deſcomunion, como dizen Abad, Decio, Filino, Suarez Couar. y Rebufo, el qual dize que es comun. La razon es, porque el termino

del juez fue en fauor de la parte, y assi ella se puede prorogar, como tambien remitiendo la parte el juramento que en su fauor se haze, le remite Dios, como dize vn texto. Y la prorogacion siempre se entiende con todas las calidades y clausulas de la cosa que se prorroga, como consta del derecho. Algunos Dotores tienen que en este caso no se incurre la censura, si no se pone de nueuo: assi parece que lo tienen Syluestro, Nauar. Pedraza, y Iuan Guttier. fundase en que la intencion del juez fue hasta el primero termino, y assi passando de ai, no incurre sin nueua sentencia. La opinion contraria me parece lleua mucho mas camino, y la tienen muchos mas Dotores, y mas graues.] Sic ille, & ego huic posteriori sententiæ tanquam probabiliori adhæreo, quicquid in contrarium dicat etiam Henriquez *lib.* 13. *cap.* 2. Dico igitur elapso termino à parte prorogato incurri excommunicationem absque nouo consensu iudicis ex vi præcepti à principio facti, & lationis excommunicationis ei annexæ, quia iudex, qui præfixit terminum, v.g. trium dierum, vt intra illum fiat aliquid, v.g. solutio, non præfixit illum ad finiendum intra illum suum præceptum, & lationem excommunicationis ei annexæ, sed tantùm ad finiendam permissionem, aut licentiam differendi impletionem sui præcepti; ergo etiam post terminum à iudice præfixum, & post terminum à parte prorogatum, perseuerat præceptum iudicis, & annexio excommunicationis, ac proinde ex vi lationis excommunicationis in principio factæ absque nouo consensu iudicis incurritur excommunicatio, non quia pars directè & potestatiuè differat præceptum & lationem excommunicationis, sed quia differendo, seu suspendendo obligationem naturalem in actu secundo, v.g. soluendi, cui iudex præcepit satis fieri à debitore, consequenter, & indirectè differt, & suspendit præceptum iudicis, & lationem excommunicationis ei annexæ. Et ita docet Hurtado *disput.* 13. *de excomm. diffic.* 5 *num.* 15. & Ioan. Henriq. *in Compen. cas. mor. cap.* 20. *num.* 5. & 6. cum Sanchez *in summ. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 55. *num.* 5. & 6.

RESOL. XXIII. *An sit peccatum mortale relinquere ceremonias in absolutione excommunicationis?*

REspondeo negatiuè, secluso contemptu & scandalo. & ita ex Suarez docet Tannerus *tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 10. *dub.* 6. *n.* 124. Turrianus *de cens. lib.* 2. *disp.* 24. *dub.* 3. Auila *part.* 2. *cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 2. & Villalobos *in sum. tom.* 1. *tr.* 16. *diffic.* 14. *n.* 5. sed mendicantes, vt obseruat etiam ex Suarez Turrianus, habent priuilegium absoluendi sine solennitatibus: vnde si quis in absolutione excommunicati sine contemptu non exigeret iuramentum, vel non recitaret aliquem Psalmum pœnitentialem, aut orationem Dominicam, &c. non peccaret nisi tantùm veniali-ter.

Sed hîc obiter quærendum est quo sensu intelligatur prædictum iuramentum, quod exigitur ab excommunicato, vt suprà retulimus. P. Suarez *n.* 10. dicit non inducere obligationem obseruandi omnia mandata Ecclesiæ, quia esset nouum onus imponere fidelibus, quo peccent malitia speciali contra Religionem iuramenti, quoties aliquod Ecclesiæ præceptum violarent. Addit intelligi de non violando legem, ob cuius transgressionem imposita fuit excommunicatio; sed neque habetur vsu receptum, & saltem ob ignorantiam excusarem homines à nouo peccato. Ita Caiet. *in sum. verb. absolutio*, docet hoc iuramentum non esse postulandum nisi in magnis criminibus, interdum verò iuramentum solum est de satisfactione exhibenda, & ita docet Turrianus *vbi suprà*, quod est valde notandum.

RESOL. XXIV. *Quid faciendum sit cum excommunicato, qui tempore mortis dedit signa contritionis, sed non fuit absolutus?*

AD hoc quæsitum ita respondet Villalobos *in summ. tom.* 1. *tr.* 16. *diffic.* 20. *num.* 20. [Aduierta se mas, que el que no puede ser absuelto en el articulo de la muerte de la descomunion, si pidio penitencia, y dio señales de contricion puede ser absuelto despues de la muerte, no de los pecados (que esso es cosa llana) sino de la descomunion para que le entierren en lugar sagrado, y digan por el Missas, &c. y no le puede absolver entonces qualquier Sacerdote (que ya passò el articulo de la muerte) sino solo aquel aquien està reseruada, como consta del derecho, y lo dizen Innocentio, Panormitano, Nauarro, y Syluestro. Y estas señales de penitencia que da vno antes de la muerte, basta que se prueuen con vn testigo, como dize Enrico, Boich, y Astense, porque en esto no se haze perjuyzio à nadie: mas si no va absuelto de la censura, aunque aya dado señales de contricion, no puede ser enterrado en lugar sagrado, como dize el texto citado.] Sic ille, cui adde Moscosum *in sum. tract.* 16. *cap.* 7. *num.* 5.

Non desinam tamen hîc adnotare ea quæ docet Antonius Fernandez *in instruct. sacerd. part.* 1. *docum.* 6. *num.* 5. vbi sic ait. [El que murio descomulgado sin Bula, y sin señales de contricion, como no conste que murio en pecado mortal, lo puede el Prelado absoluer de la censura para el entierro en la Iglesia. Y aunque Enriq. *lib.* 7. *cap.* 20. *lit.* 2. diga que se le puede tomar Bula, y absoluerle de la censura, no puede ser, porque de viuos no tiene Bula, y la de defuntos no tiene esse priuilegio de absolucion.] Vide etiam Rodr. *in addit. ad Bull.* §. 5. *n.* 53.

RESOL. XXV. *An per Bullam Cruciatæ, vel per Iubileum possit Confessarius absoluere ad reincidentiam?*

SIc respondet ad hunc casum Moscoso *in summ. tr.* 16. *cap.* 7. *n.* 5. & 6. [Atento que en las Bulas no se da facultad para absoluer ad reincidentiam, sino absolutamente satisfecha la parte, de ninguña manera se puede absoluer ad reincidentiam con ella, aunque la parte lo consienta, pues no dando facultad para esto la Bula, tampoco la puede dar la parte. Mas se nota, que el juez de comission ha de guardar puntualmente lo en ella contenido, y de ordinario se le da sin facultad de absoluer ad reincidentiam. Para ganar los jubileos tengo por opi-

nion

nion muy probable, y muy conforme al intento de ſu Santidad, que abre para ello los teſoros de la Igleſia, que puede el Confeſſor abſoluer ad reincidentiam por el tiempo neceſſario para las diligencias neceſſarias, que ſe han de hazer para ganarle, confeſſar, y comulgar, y viſitar Igleſias, obligando con caucion al deſcomulgado de prendas, o fianças, o juramento de ſatisfazer a la parte y paſſado el tiempo del jubileo bueluerà à incurrir en el fuero exterior, mas no en el interior, haſta que aya nueua culpa en ſatisfazer à la parte, y para que eſto ſe pueda hazer ſin eſcandalo, dize Cordoua que la abſolucion no ſolamente es ne el fuero interior, ſino en el exterior.] Ita illa.

RESOL. XXVI. *An excommunicatus nulliter teneatur abſtinere à communione fidelium, & ab alijs prohibitis?*

AD hunc caſum reſpondet negatiuè ex multis Theologis, inſignis ille Iuriſconſultus Ludouicus Mexia, & quia Codex non inuenitur, ponam per extenſum eius verba, ſic enim ait in leg. Regiam Toleti ſubtit. *de los proprios y rentas de los Conſejos part.5. fundam. 2. num. 28. & ſequent.* Sententia nulla ius non tribuit, quodque nulliter factum eſt, factum non cenſetur. *Clem. paſtoralis, de re iud.* & Corneus explicat *in conſil. 325. incipien. Prima facie videtur, 3. col. n. 11. vol. 1.* & nouiſſimè quaſi ſub eadem caſus ſpecie, Martin. ab Azpiſcueta Nanarrus (præceptor olim meus Salmanticæ) vir ingenij acumine ac varia doctrina præcellens, *in prælectio. c. cùm contingat. de reſcript. remed. 3. pag. 160. cum ſequent.* ſecundùm meam impreſſionem, ſcribens etiam ibi plurium allegatione iurium Canoniſtarum & Theologorum ſententiam excommunicationis, quæ aliqua de cauſa eſt nulla, timendam non eſſe, *c. cui, & c. non debet 11. q. 3.* vbi Greg. Non debet, inquit, is pœnam ſuſtinere canonicam, in cuius damnatione non eſt canonica prolata ſententia. Firmans idem Martin. *ibid.* auctoritate Paludani (Theologorum omnium hac in re doctiſſimi) *in 4. diſtinct. 18. q. 1. col. 3.* & Anton. Archiep. Florent. *in 3. part. tit. 24. cap. 73.* excommunicatum nulliter denuntiatum publicè non teneri abſtinere à Diuinis, neque ab alia hominum communicatione legitima, modò nullitatis cauſa publicata fuerit per eum. Quibus non obſtat Angel. de Clauaſ. *in verb. excommunicatio 4. §. 19.* qui caſibus quindecim paulo antè ab eo relatis, quibus excommunicatio ipſo iure eſt nulla, quorum vndecim ponit gloſſ. ſingularis poſt Ioan. Monach. *in c. præſenti, de ſententia excommunic. lib 6.* ſubijcit hæc verba. In omnibus prædictis caſibus ſententia excommunicationis nullo modo eſt timenda, nec quoad Deum, nec quoad Eccleſiam, quando notoriè conſtat de aliquo ipſorum. Sed quando non conſtaret, tunc quoad Eccleſiam eſſet timenda, & ipſam contemnens peccaret mortaliter, & poſſet excommunicari. Hoc enim eius dictum dum de notorio loquitur, intelligi non debet eo modo, quo notorium capitur *in cap. veſtra, de coh. ab. cleric. & mul.* vt ibi definit Anton. *num. 31.* nec item, vt accipitur, *in cap. fin. de tempor. ordinand.* Sed in genere pro eo, quod eſt manifeſtum, hoc eſt, ſecundùm Panorm. *in d. cap. veſtra num. 13.* per clamoſam inſinuationum certo auctore præcedente parefactum. Alioqui Angel. contrarius eſſet Paludano, & D. Antonino. imò & prædictis iuribus, quod non eſt credendum. Vnde pluſculum vigilantiæ deſiderari poteſt in Syluio, mea ſententia, aliàs vigilantiſſimo *in ver. excommunicatio 2. notab. verſ. 13.* qui relatis & probatis antedictis verbis Paludani, ſubijcit hoc Angel. dictum ad verbum, eo non citato, nec aliter verbis eius temperatis, quæ tamen erudito, & in materia nororij exercitato, contraria meritò videri poſſunt. Et diligentior mihi videtur Gabriel (vir omnium conſenſu doctiſſimus) qui *in 4. diſt 18. q. 2. col. 11.* altiùs omnibus in hæc verba, quæ ad noſtrum quoque thema ſpectant, loquitur. Si verò excommunicatio fuerit nulla ob defectum iuriſdictionis ſuper excommunicatum ſimpliciter, vel in illo caſu, quo fertur excommunicatio, vel quia fertur poſt appellationem legitimè interpoſitam, vel ob alium defectum, propter quem ipſo iure eſt irrita, tunc non oportet eam timere, nec pro excommunicato agere, ſeu gerere vitando communionem Sacramentorum & hominum, quoniam quod non eſt, non oportet timere, ſed dum ſententia eſt nulla, iam non eſt excommunicatio, nec quoad Deum, nec quoad Eccleſiam, quia ſecundùm veritatem nullam ſententiam iuris incurrit, qui ſententiam, quæ nulla eſt, non cuſtodit, timenda tamen eſt nõ ſententia, ſed ſcandalum populi vulgaris neſcientis ſententiam eſſe nullam: vnde ſi aliquis publicè excommunicatur, & denunciatur nulliter ex aduerſo, publicet ipſe ſufficienter cauſam, propter quam ſententia eſt irrita, quò facto non pareat ſententiæ, & ſi aliquis tunc ſcandalizatur, non eſt ſcandalum puſillorum, ſed Phariſæorum, ſecundùm regulam Chriſti *Matth. 15.* contemnendum. Attamen non tenetur eam ſeruare in occulto ante ſcandali ſedationem; ſed neque in occulto, nec in publico coram ſapientibus, quibus nota eſt nullitas ſententiæ, tenetur eam obſeruare. Hactenus ille. Cuius, & aliorum ſententias curioſiùs hîc retuli, quo res hæc quotidiana ſit, & noſtro propoſito maximè conueniat. Et hæc omnia docet Mexia *vbi ſuprà.* Licet contrarium aſſerat Ioan. Valerus *in differ. vtr. fori. ver. excommunicat. differ. 8. per tot.* quem omnino, quando caſus occurrerit, videbis, Sed cum Mexia tenet Guttierr. *can. qq. lib. 1. cap. 4. num. 36.* vbi firmiter docet ſententiam excommunicationis nullam non eſſe timendam nullitatis cauſa publicata, & ita etiam docet ex Vaſq. Turrian. *de cenſ. lib. 2. diſput. 20. dub. 1.* vbi ſic ait. Si de excommunicatione nulla ſit ſermo, omnes fatentur reuera nullum habere effectum; ſed propter ſcandalum obſeruanda eſt in publico, donec veritas manifeſtata ſit, quod ſi ante manifeſtationem veritatis excommunicatus publicè ſe ingerat diuinis, peccabit, nullam tamen pœnam iuris incurret ipſo facto, cognita tamen veritate nullum erit ſcandalum illam non obſeruare. Docuit verò Syluester *ver. excommunicatio, 2. notabili 1. caſ. 15.* P. Vaſquez *ſup.* cum alijs DD. ſatis eſſe vt excommunicatio ſit nulla, quod ita iudice-

tur à ſapientibus, neque eſt neceſſarium vt vulgus ita iudicet. Bene autem notauit P. Vaſquez neceſſarium eſſe, vt antequam quis operetur contra illam, manifeſtetur vulgo iudicium ſapientium, hoc enim condonandum eſt ignorantiæ proximi. Sic ille.

RESOL. XXVII. *An iniuſtè excommunicatus vt, v.g. ex cauſa præſumpta, ſecundùm allegata & probata, teneatur abſtinere à communione fidelium, & ab alijs actibus prohibitis?*

DE iniuſta excommunicatione, valida tamen, notandum eſt tripliciter poſſe eſſe iniuſtam, vno modo ex prauo affectu tantùm. Secundò ex defectu ordinis à iure ſtatuti. Tertiò ex defectu cauſæ, quando reuera nō eſt, licet præſumatur. Et ſi primo tantùm modo ſit iniuſta, non videtur dubiū, quin habeat omnes effectus, quia ſi alia omnia requiſita adſint, ſolus prauus affectus iudicis nō impedit efficacitatem ſententiæ, & idem iudicandum eſt de excommunicatione iniuſta ex ſolo defectu ordinis, & iniuſta ex defectu cauſæ.

Sed circa præſentem quæſtionem prima opinio antiquorum fuit, talem ſententiam validam eſſe atque timendam, & obſeruandā. Ita S. Th. 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. Rich. *art.* 1. *qu.* Duran. *qu.* 4. & aliorum. Probatur ex *cap. ſententia* 11. *qu.* 3. vbi dicitur, ſententiam iudicis ſiue iuſtam, ſiue iniuſtam timendam eſſe. Secundò, quia ſecundùm allegata & probata talis ſententia eſt vera; ergo habet effectū. Gabr. *diſt.* 18. *qu.* 2. *art.* 2. docet, talem ſententiam non obligare quoad Deum, bene tamen quoad Eccleſiam, & ſequitur Adrian. *quodlib.* 6. *art.* 1. Maior *diſtinct.* 18. *qu.* 2. *art.* 4. & alij, qui docent eam tantùm ſeruandam eſſe in publico, non tamen in occulto. Dicendum eſt igitur in publico ſic excommunicatum obligari ad obediendū iudici, quia ſecundùm allegata & probata rectè iudicat: probabile autem eſt in occulto non teneri, eſt enim ille innocens. ergo non eſt cauſa, ob quam obligetur iſte ad obediendum, quando nullum eſt ſcandalum: fateor tamen non eſſe improbabilem ſententiam antiquorum aſſerentium, etiam in occulto obligari ad obediendum, quia iudex iuſtè procedit, & habet poteſtatem præcipiendi modo humano, hoc eſt, ſecundùm allegata & probata. Et ita ex Vaſq. docet Turrian. *de cenſ. lib.* 2. *diſp.* 20. *dub.* 1.

Sed non deſinam hîc apponere verba Gaſparis Hurtado *de cenſ. in comm. diffic.* 24. *num.* 104. vbi ſic ait. Qui iniuſtè ſententiam cenſuræ patitur, tenetur coram eis, quibus ſententia cenſuræ eſt nota, & innocentia ignota, ſe gerere, vt cenſura innodatus ratione ſcandali, ne eis videatur cenſuram contemnere, ſed non tenetur ad id ratione obedientiæ, quia non tenetur immediatè ratione cenſuræ, cùm non ſit valida, nec ratione alicuius prohibitionis à iudice ſuperadditæ ipſi cenſuræ, quia iudex nullam ponit, quia nihil aliud facit, quàm ferre cenſuram; ſed quamuis ad id teneatur ratione ſcandali, imò & admittamus teneri ratione obedientiæ, non fit irregularis celebrando, non ſolùm quando in occulto celebrat, ſed etiam quando in publico, & coram prædictis, quia quamuis teneatur abſtinere, non tamen ex vi cenſuræ. Hæc Hurtado. videatur etiam Faber *in* 4. *ſent. de cenſ. diſt.* 125. *qu.* 1. *diſput.* 4. *cap.* 3. *num.* 91. & Suarez *de cenſ. diſp.* 4. *ſect.* 6. *num.* 13. Præpoſitus *in* 3. *part. de cenſ. in gen. quæſt.* 1. *dub.* 10. *numer.* 64. & alij penes ipſos.

RESOL. XXVIII. *An iniuſtè excommunicatus incurrat in pœnas iuſtæ excommunicationis?*

ET quo ad pœnas ſpirituales, dico certum eſſe fideles orantes in publico non orare pro tali excommunicato, etiamſi illis conſtet illum eſſe innocentem, quia talis ſententia ſaltem habet vim obligandi in actionibus externis, & iudex procedit ſecundùm allegata & probata. Sed dubium eſt, an orationes Eccleſiæ generales pro fidelibus, à quibus excluduntur excommunicati, excludatur prædictus excommunicatus? Et aſſero non incurrere hanc pœnam, quia non eſt credendum Eccleſiam hoc velle; ſed difficultas eſt de pœnis externis, & de exterioribus effectibus; & aliqui aſſerunt, quòd tam in publico, quàm in priuato incurruntur. Ita, vt, v.g. ille maneat priuatus actione actiua & paſſiua beneficiorum: & huic ſententiæ fauent DD. citati *dubio præced.* qui abſolutè dixerunt talem excommunicationem obligare, non diſtinguentes de obligatione in publico, vel in ſecreto. Probatur verò hæc ſententia ex *cap. venerabilibus, de ſent. excomm. in* 6. vbi aſſignatur differentia inter abſolutionem excommunicationis iniuſtæ, & excommunicationis nullius; quòd abſolutio nullius ſolet eſſe ad cautelam, alterius verò ſemper eſt ſimplex abſolutio. Et quòd poſſit Eccleſia eas imponere pœnas, patet, quia dare ius ad electionem, vel iuriſdictionem ad adminiſtranda Sacramenta, pendet ex iudicio Eccleſiæ, & habet poteſtatem auferendi ſecundùm allegata & probata. & ita ex Vaſquez *de excommunicat. dub.* 11. *numer.* 13. docet Turrianus *de cenſ. lib.* 2. *diſp.* 20. *dub.* 2.

Verùm ego contrariam ſententiam teneo cum Suar. *de cenſ. diſp.* 4. *ſect.* 7. *n.* 14. quia non eſt credibile Eccleſiam velle hoc modo obligare. Et hanc ſententiam non carere probabilitate, præſertim in ordine ad praxim, & ſedandas conſcientias, concedit ipſemet Turrianus *loco citato.* Vnde illam tenet nouiſſimè Præpoſ. *in* 3. *part. qu.* 1. *de cenſ. in comm. dub.* 10 *numer.* 64. vbi ſic ait. Innocens non obligatur cenſura ratione ſui, ſed eatenus tantùm tenetur eam exteriùs ſeruare, quatenus eſt neceſſe ad tollendum ſcandalum, quia non eſt veriſimile Eccleſiam velle tam grauiter punire eum, qui verè eſt innocens, & ſe pro tali certò cognoſcit, & velle eum priuare ſpiritualibus bonis, & quidem ita vt ipſemet ſine alterius interuentu teneatur eſſe executor. Confirmatur, in alijs pœnis is, qui verè eſt innocens, poteſt declinare pœnam, quantum citra vim fieri poteſt. Hinc ſequitur quòd talis innocens celebrando non incurrat irregularitatem, & quòd in conſcientia poſſit recipere beneficium, & collatio non ſit irrita, item ferre ſuffragium. Ita ille, ſatis quidem probabiliter, vt dictum eſt.

Sed

Sed quid dicendum de pœnis, quas incurrunt violantes cenſuras, & de irregularitate & ſimilibus? Dico igitur illas non incurrere, quando actiones prohibitæ fiunt in occulto, quia iſtæ pœnæ nõ infliguntur ab homine, ſed à iure violanti præceptum; ſed in occulto, vt dictum eſt, non obligatur, ideo pœna non habet locum. Difficultas verò conſiſtit ſi talis excommunicatus violet cenſuras in publico, & Vaſqu. cum Turriano *locis citatis*, docent talem reuera incurrere irregularitatem, & alias pœnas iuris, quia illæ aſſignantur à iure pro his, qui violant præceptum iudicis, prædictus tamen excommunicatus reuera violat, quia in publico tenetur obedire. Sed P. Suarez *ſect. cit. art.* 2. cenſet iſtum re vera non eſſe irregularem. Primò, quia iſte reuera non eſt excommunicatus. Secundò, quia pœnæ iſtæ impoſitæ à iure non incurruntur propter actum, niſi ſit perfectus in ſua ſpecie qualis non eſt hic, quæ argumenta facilem habent ſolutionem.

Ad primam dicendum eſt illum eſſe excommunicatũ hoc ſenſu, vt teneatur obedire præcepto iudicis, qui præcipit ſecundùm allegata & probata.

Ad ſecundam violationem huius præcepti, ob quam imponitur prædicta pœna, perfectam eſſe in ſua ſpecie.

At his non obſtantibus ſententiam negatiuam, quam docet Suarez, probabilem eſſe puto, quam etiam tuetur Ioan. Præpoſ. inſignis Theologus Societ. Ieſu, *vbi ſuprà num.* 65. vbi ſic aſſerit. Dixi eatenus teneri, quatenus eſt neceſſe ad tollendum ſcandalum, quia ſi nullo modo poſſet exercere functiones per cenſuram prohibitas ſine ſcandalo, & quin cenſeretur poteſtas Eccleſiaſtica contemni, eas obire non poſſet, vnde non poteſt huiuſmodi actiones exercere coram iis, quibus non conſtat de inualiditate cenſuræ, non tamen propterea incurret irregularitatem, quia non obligatur ad id præcisè ratione cenſuræ, ſecundùm ſe ſpectatæ, ſed quodam modo per accidens, ne poteſtas Superioris cenſeatur contemni. Ita Præpoſitus, & ego. Et hanc opinionem probabilem eſſe fatetur ipſemet Turrianus *loco citato*, qui tamen optimè addit, quòd talis propter violationem cenſuræ in publico factam puniretur reuera, vt violator cenſuræ, & habebitur vt irregularis. Ex dictis infert Præpoſitus abſolutè communicantem cum tali excommunicato non incurrere pœnas iuris impoſitas cum excommunicato; ſed hoc limitat ex Vaſquez Turrianus, quando excommunicatio fit in occulto; ſecus autem in publico, & addit Præpoſ. *num.* 66. talem excommunicatum apud Deum non priuari ſuffragiis communibus Eccleſiæ; ſed hoc dictum eſt ſuprà, & de hac tota quæſtione, quando caſus acciderit, ne deſeras recognoſcere Gordonum *in ſum. tom.* 1. *lib.* 7. *qu.* 6. *cap.* 3. *num.* 11. *& ſeq.*

RESOL. XXIX. *An qui probabiliter iudicat ſententiam excommunicationis eſſe inualidam, teneatur ſe abſtinere, & incurrat in pœnas iuris?*

AD hoc dubium ſatis quidem practicabile reſpondet Vaſquez *de excomm. dub.* 11. *num.* 23. vbi ſic ait. Reſtat vt dicamus de ſententia illa, de qua probabiliter dubitatur, an ſit valida, vel non: & de hac dicendum eſt, quod docuit Sotus, quòd in dubiis pro iudice ferente ſententiam iudicandum eſt, & ita tenentur parere ſic excommunicati, tam in exteriori hominum conuictu, & apparentia, quàm in occulto, quia iudicandum eſt pro iudice, quòd ſit valida, & ſi contrà quis fecerit, incidit in omnem pœnam à iure ſtabilitam, quod licet non dicat Sotus, mihi tamen conſequenter videtur dicendum, quia iam eſt peccatum inobedientiæ etiam in occulto contra ſententiam excommunicationis. Nihilominus adhuc mihi videtur, quòd pœnæ, quæ ſunt ipſamet excommunicatio, & ipſo facto quòd quis excommunicatur, incurruntur, non incurruntur in hoc caſu, niſi in rei veritate valida ſit ſententia, quia ſi in re non eſt valida ſententia. ergo neque excommunicatio, ergo neque pœna quæ eſt excommunicatio. & in hoc verum habet dictum Nauarri & Caietani, quòd in exteriori foro ille talis reputabitur inhabilis, vel ad eligendum, vel vt eligatur. Et ita hanc ſententiam docet etiam Turrian. *de cenſ. lib.* 2. *diſp.* 21. *dub.* 3. & ne deſeras videre Villalobos *in ſum. tom.* 1. *tract.* 16. *diffic.* 11. *num.* 7. vbi ſic ait. [Si el juez pone cenſura ſiguiendo opinion probable, ligarà, aunque ſegun otra ſentencia ſea nula, y no puede el ſubdito hazer contra ella, aunque ſea de opinion contraria.] Ita ille, quod eſt valde notandum à iudicibus laicis quando excommunicantur ab Epiſcopis, licet pro ſe habeant opinionem probabilem.

RESOL. XXX. *An declaratus per Cedulones incurriſſe in aliquam excommunicationem, ſi intra terminum appellauit, poſſit liberè cum omnibus communicare?*

HIc caſus poteſt facilè occurrere, & reſponſio eſt affirmatiua, quam tuetur nouiſſimè Marcellus Vulpe *in praxi iudiciali fori Eccleſiaſtici, cap.* 1. *num.* 5. & ante illum Genuenſis *in praxi Archiep. cap.* 22. *num.* 1. omnino videndus, quibus adde Cenedum *in Can. qq. q.* 45. *n.* 45. Humada *in leg.* 21. *tit.* 9. *p.* 1. *glo ſ.* 1. *num.* 10. *& glo ſ.* 5. *n.* 2. Ioannem Valerum *in differ vtr. fori, ver. excom. differ.* 16. *nu.* 2. Megalium *in* 3. *part. lib.* 3. *q.* 1. *cap.* 2. *n.* 7. Bonacinam *de cenſ. diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 2. *num.* 8. Gordonum *in ſum. tom.* 2. *lib.* 7. *q.* 3. *c.* 5. *num.* 31. Bariolam *in Aphor. tit. E. ver. excommunicatio* §. 8. Hugolinum *de cenſ. tab.* 1. *cap.* 21. *n.* 10. & ex Theologis Auila *de cenſuris part.* 2. *cap.* 5. *diſp.* 5. *dub.* 11. *concl.* 2. vbi ſic aſſerit. Appellatio ſuſpendit declarationem excommunicationis, v. g. Iudex declarat me incurriſſe excommunicationem latam ab homine, vel à iure; ego appello à declaratione, allegans quòd non feci id, propter quod erat impoſita excommunicatio, vel quòd factum eſt dubium, talis appellatio ſuſpendit declarationem; ſic glo ſ. recepta *cap. cupientes*, §. *quod ſi per viginti, ver. priuatus, de elect. in* 6. Angel. *ver. appellatio* §. 8. Nauarr. 5. *conſil. de ſententia excomm. conſil.* 12. *& conſil.* 20. *num.* 5. Vnde talis denuntiatus non eſt vitandus poſt appellationem. Sic Nauarr. *conſil.* 22. addit Nauarr. *conſil.* 20. quòd licet à facto vero notorio non poſſit

poſſit appellari, tamen à ſententia iudicis declarantis factum eſſe notorium, poteſt appellari, quia iudex poſſet hoc iniuſtè declaraſſe. Hæc Auila *loco cit.* & tandem Hurtado *de excomm. diſp.13.diff.4.* ait. Appellatio à ſententia declaratoria excommunicationis non ſolùm deuoluit cauſam ad Superiorem, ſed etiam ſuſpendit eam ſententiam, quia ſententia declaratoria non ſecum trahit executionem. Id autem quod dictum eſt de appellatione, dicendum etiam eſt de recuſatione iudicis excommunicantis, quia eadem eſt ratio.

Notandum eſt etiam à fortiori appellationem legitimam (id eſt, ex rationabili cauſa) factam antequam iudex abſolutè ferat excommunicationē ipſo facto ob peccatum factum, impedire incurſionem excommunicationis maioris (niſi quando iudici conceſſum eſt, vt non obſtante appellatione procedat in cauſa) vt conſtat ex *cap. paſtoralis 53.de appellationib.in 6.* quia, vt dicitur *in hoc c.* per appellationem à puncto appellationis eximitur quis quoad eum articulum à poteſtate iudicis, & eius poteſtas dormitat, &, vt dicitur *in c. ſi à iudice 10. eod.tit.* eius iuriſdictio ſuſpenditur. ergo latio excommunicationis poſt appellationem facta eſt nulla, vtpote facta à non iudice, ſeu à iudice ſuſpenſo, & dormitante.

RESOL XXXI. *An abſolutio excommunicationis valeat ſi dicatur,* Abſoluo te, *non addendo, ab excommunicatione, vel ſuſpenſione?*

NOn eſſe neceſſarium exprimere nomen cenſuræ, à qua datur abſolutio, ita vt talis ſit valida, docet Hugolinus *de cenſ.tab.1.c.23.* quia ambiguitas illius verbi, *abſoluo,* determinatur ſufficienter per intentionem abſoluentis; è contra verò Sylueſter *ver.abſolutio 2.§. Quantum eſt,* docet non valere talem abſolutionem, eo quòd verbum, *abſoluo*, ad diuerſa ſignificanda trahi poteſt, ſcilicet ad peccata, & ad pœnas, nec ſufficienter determinatur per ſolam intentionem, quia illa determinatio deberet eſſe ſenſibilis. Reſpondeo tamen mediam viam tenendā eſſe, quòd ſi à patente abſolutionem determinetur cenſura, tunc vt abſolutio valida ſit, non eſt opus iam exprimere, ſed ſatis eſt dicere, Ego te abſoluo, quia ratione petitionis ſufficienter determinatur intentio, & ſignificatio illius verbi, *abſoluo;* ſicut propter eamdem rationem in ſacramento Pœnitentiæ ſatis eſt dicere, *Ego te abſoluo,* nulla facta mentione peccatorum, vt docet D. Thom.3.*part.quæſt.84.art.1.* Si verò abſolutio à cenſura detur inuito, quod fieri poſſe dicemus infrà, vel detur non petenti, vt fieri ſolet in confeſſione ante abſolutionem ſacramentalem à peccatis, etiam quando pœnitens nihil cogitat de abſolutione à cenſuris, tunc vt abſolutio à cenſura valida ſit, neceſſarium eſt eam in abſolutione exprimere, quia aliter non determinatur ſenſibiliter ſignificatio huius verbi, *abſoluo,* quantum ſatis eſt. & ita ex Suarez docet Cornejo *in 3.part.diſp.11.dub.3.quæſt.2.* Villalobos *in ſum.tom.1.tract.16.diffic.23.nu.1.* Turrianus *de cenſ.lib.2.diſp.24.dub.3.* & Coninck *de Sacrament. diſp.14.dub.5.num.31.*

Notandum eſt tamen hîc obiter, per ſe loquendo, non eſſe neceſſarium explicare cauſam, ob quā quis incurrit cenſuram, poteſt tamen eſſe neceſſarium quando quis eſſet ligatus pluribus cenſuris, & ſolùm ab vna abſolueretur, tunc enim aliquo modo vel expreſsè, vel implicitè ex circumſtantiis debet conſtare, de qua cenſura abſoluatur. An verò ſit neceſſarium vt abſolutio per verba, vel per ſcriptum proferatur, dico validam eſſe abſolutionem per verba, vel per ſcripturam; difficultas verò eſt de aliis ſignis; ſeu actionibus, & quidem ſermo poteſt eſſe vel de ſummo Pontifice, vel de inferioribus Prælatis, & de his Doctores docent nihil efficere, niſi verbis; aut ſcriptura abſoluant. & colligunt ex *Clement. vlt. de ſent. excommun.* quod reuera pendet ex iure poſitiuo. Si verò de Pontifice ſit ſermo, certum eſſe debet, qualibet alia actione id poſſe facere, vt docuit P. Suar. *ſuprà.* Ex dictis intelligitur de eſſentia huius formæ abſoluendi ab excōmunicatione ſolùm eſſe ea verba, quæ ſenſum huius abſolutionis exprimunt. Solet verò à DD. inferri hæc forma. Abſoluo te à vinculo excommunicationis, ob talem cauſam, & reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ, & communioni fidelium, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Sed ex dictis patet non omnia hęc verba eſſe de eſſentia formæ. Vide Turrianum & Cornejo *locis citatis,* quibus adde Sayrum *lib.2.cap.21.num.2.*

RESOL. XXXII. *An Epiſcopus poſſit excommunicare ſubditum exiſtentem in alieno territorio, quando cenſura eſt annexa præcepto ſiue generali, ſiue ſpeciali?*

AFfirmatiuè reſpondet Suar. *diſp.5.de cenſ.ſect.5.* & Sayrus *lib.1.cap.7.* quia præceptum & cenſura ei annexa non tam reſpiciunt territorium, ſeu locum iuriſdictionis, ſed perſonam ſubditam; ergo obligat ſubditos, & cenſura ei annexa eos afficit vbique.

Verùm ex Henriquez & Coninck Hurtadus *de cenſ.in commun.diffic 8.num.34.* contrarium docet, quia iuriſdictio Epiſcopi non extenditur vltra ſuū territorium, vt ſatis ſignificat Pontifex *in d. cap. 2.* dum reddens rationem, ob quam qui extra territorium Epiſcopi furantur non ligentur ſtatuto Epiſcopi excommunicantis fures, ait, quia extra territorium ius dicenti non paretur impunè; vbi per *ius dicere* non intelligit ferre ſtatutum, ſeu legem, quia ferè idem eſſet, non poteſt ferre ſtatutum, quia non poteſt illud ferre, ſed idem eſt ac vti iuriſdictione, ac proinde Epiſcopus tantùm habet iuriſdictionem in perſonas ratione territorij, quādo in eo habent domicilium, aut quaſi domiciliū. Vnde vtramque ſententiam ſatis probabilem eſſe exiſtimo cum Præpoſ. *in 3.part.q.1. de cenſ. in comm. dub.5.num.31.* vide etiam Auilam *part.2. cap.3. diſp.2. dub.2.concl.1.* & me ipſum *in 3 part.tract.5.reſol.21.* & *tract.6.reſol.78.*

Notandum eſt tamen hîc primò, ſi cenſura lata ſit per modum ſententiæ ſiue particularis, ſiue generalis, ligat proprios ſubditos, etiam extra proprium territorium peccantes. probatur, quia cenſura lata per modum ſententiæ pro futuris culpis abſtrahit à territorio, & ſolū reſpicit ipſas ſubditorū perſonas. ergo vbicumque exiſtant eas ligat, nec

obſtat

obſtat diuerſitas territorij, cùm vt hæc cenſura incurratur, nulla exterior vis neceſſaria ſit, vt dictum eſt. Vnde ſi non propter bonum territorij directè, ſed propter bonum ipſius ſubditi, vel aliarum perſonarum Epiſcopus præcipiat ſub cenſura alicui particulari ſubdito, aut omnibus generaliter vt ieiunent, v.g. ſexta feria, aut ab exercitio alicuius operis abſtineant, reuera cenſuram incurrent, quamuis extra territorium delinquant, & in hoc differunt cenſura lata à iure & ab homine; ſecus autem dicendum eſt ſi excommunicatio feratur pro culpa iam commiſſa. nam doctrina ſuperiùs adducta intelligitur de cenſura lata pro culpis futuris euitandis.

Nota ſecundò, poſſe Epiſcopum ferre cenſuram in ſubditum exiſtentem in alieno territorio pro crimine, quod in proprio territorio commiſit. Ita Sotus *loco cit.* & omnes communiter. Probatur tum ex vſu, tum etiam, quia aliàs Eccleſiaſtica Epiſcoporum poteſtas facilè contemneretur, & eſſet in cuiuſuis poteſtate ſe ab eorum iuriſdictione eximere, quantum ad delictorum punitionem, & ſe immediatè ſubijcere ſoli Papæ. quod probatur, quia ille, qui Salmanticæ furtum commiſit, & ſtatim ad Pinciam confugit, non poteſt excommunicari ab Epiſcopo Pinciæ, cuius ſubditus non eſt, nec ab Epiſcopo Salmanticæ vbi peccauit, quia iam extra territorium eius eſt. ergo nullibi poteſt pro tali delicto puniri Eccleſiaſtica cenſura, niſi tantùm à ſolo Papa.

Nota tertiò ſubditum exiſtentem in alieno Epiſcopatu, poſſe ligari cenſuris à ſuo Epiſcopo ratione delicti commiſſi in proprio Epiſcopatu, vt ſi habens curam animarum non reſideat, quia eſt abſens & exiſtens in alieno Epiſcopatu, quia tunc omiſſio reſidentiæ fit in proprio Epiſcopatu, aut ſi quis furtum fecit in proprio Epiſcopatu, & in alieno exiſtens non ſatisfacit. Quia ratione delicti ſortitur quis forum, vt dicitur *in cap. vlt. de foro compet.* Vnde in dictis caſibus exiſtens in alieno Epiſcopatu incurret cenſuram annexam ſtatuto, aut præcepto ſiue generali, ſiue ſpeciali notificato, (ſiue ante egreſſum à ſuo Epiſcopatu, ſiue pòſt ex conſenſu Epiſcopi loci, in quo eſt, qui requiſitus conſentire debet, quia aliter Epiſcopus habet ius ratione delicti) quia ex vna parte ſtatuto, aut præcepto notificato cenſura, quæ ei annectitur, executioni mandatur abſque actu aliquo iudiciali faciendo in alieno territorio, quia in eo inualidè fieret abſque conſenſu Epiſcopi illius territorij, quamuis iniuſtè negato, & ex altera parte, ratione delicti commiſſi in proprio Epiſcopatu manet in alieno territorio ſubditus ſuo Epiſcopo. Et hæc omnia docet Cornejo *in 3 p. tr. 5. de cenſ. in gen. diſp. 6. dub. 2.* & Hurtado *de cenſ. in com. diffic. 8.* & de his etiam infrà redibit ſermo.

RESOL. XXXIII. *An ſi delictum inchoatum ſit in proprio territorio, & conſummatum in alieno, tunc ſubditus incurrat cenſuram ſtatuti generalis ſui Epiſcopi?*

REſpondeo non incurrere. Ita Suarez *de cenſuris diſputat. 5 ſect. 4. num. 7. & ſequent.* Vnde ſi ſtuprum, v.g. ſit prohibitum in hac Diœceſi ſub excommunicatione, & quis raperet virginem, & eam extra territorium portaret, & ibi violaret eam, non incurreret cenſuram, quamuis per tactus, oſcula, & raptum intra territorium inchoaret ſtuprum. Et ratio eſt, quia hæc cenſura lata eſt abſolutè contra ſtupratores, & non contra quomodocumque ſtuprum inchoantes. ergo quouſque ſtuprum conſummatum ſit, incurri non debet; ſed in hoc caſu non conſummans ſtuprum eſt extra territorium vbi non ligatur per ſtatutum. ergo. Confirmatur, quia ſi feratur cenſura contra homicidas in Eccleſia, ille qui intra Eccleſiam exiſtens ſagittam proijceret, qua hominem extra Eccleſiam exiſtentem occideret, reuera non incurreret cenſuram illam, etiamſi homicidium fuerit intra Eccleſiam inchoatum. ergo. Vide etiam Gordonum *in ſum. tom. 2. lib. 7. cap. 2. §. 3. numer. 34.* vbi ita ait. Quid ſit cùm delictum inchoatum eſt in proprio territorio, & conſummatum eſt in alieno? vbi in primis aduerto, peccatum quoàd cenſuras, forumque exterius conſummari in actu, & effectu externo prohibito, vt iam patuit in exemplo non reſidentis, quicquid ſit de voluntate mala reſpectu Dei alibi inchoata. Quare in cõtrahendis cenſuris ſpectandum eſt vbi dicto modo ſit conſummatũ delictum, & quidem ſi delinquens conſummat delictum in alieno territorio, & nullo ex hactenus dictis titulis cenſeatur præſens, ſed planè abſens, ille tunc non contrahet cenſurã annexam huic delicto per ſtatutũ proprij Epiſcopi, nec pœnæ huic ſubijcietur. Dixi *quoad cenſuras*, nam quantum ad alias pœnas, vel effectus, recepta ſententia eſt, quando delictum in vno loco inchoatur, & conſummatur in alio, poſſe delinquentem vtrobique puniri, ex *l. 1. C. vbi de crimine agi oportet*, per illa expreſſa verba, *vbi commiſſa, vel inchoata ſunt*. At verò cenſura non ſolet ferri, nec fertur, vt nunc pono, propter inchoatum delictum, eſtque hæc mens legiſlatoris. Ita Gordonus.

Nec valet dicere quòd ex his ſequuntur duo abſurda. Primum eſt, quòd qui alterum lethaliter in propria Diœceſi vulnerauit, vbi homicidium eſt prohibitum ſub cenſura, non incurrat illam, ſi vulneratus extra propriam Diœceſim moriatur, quod eſt falſum. Secundum eſt, quòd non poſſit Epiſcopus per ſtatutum prohibere ſub cenſura, ne triticum, v.g. extra Diœceſim deferatur, aut ne Sacerdos ſubditus in aliena Diœceſi Miſſam celebret, cùm huiuſmodi delicta conſummari non poſſint, niſi extra Diœceſim, vbi talem cenſuram incurrere non poſſunt. Huic obiectioni reſpondet Suarez *num. 10. & 11.* negando ſequi illa duo abſurda. Et ad primum dicit probabilius eſſe homicidam illum incurrere cenſuram in eo caſu, quia quamuis homicidium conſummatum ſit extra territorium, quantum ad vltimum eius effectum, qui eſt mors, tamen tota actio exterior à qua prouenit, ſcilicet vulnus lethale, cauſata fuit intra territorium, ratione cuius dici poteſt homicidium fuiſſe intra territorium conſummatum quantum ad totam actionem ex qua mors ſequuta fuit, cui fauet, quòd iſte homicida non poſſit conueniri pro homicidio in alieno territorio vbi mors fuit ſequuta, cùm in eo nullum delictum cõmiſerit. ex quo ſequitur,

quòd

quòd accusari debeat in proprio territorio, non solùm ratione vulneris illati, sed etiam homicidij. Ad secundum inconueniens respondet *in num.11.* delictum illud deferendi triticum extra propriam Diœcesim quoad actionem, qua defertur, consummari intra propriam Diœcesim, quamuis quātum ad terminum extraordinarium assumatur in aliena. Et idem est dicendum ad aliud de Sacerdote, cui Episcopus sub censura prohibuit celebrare extra propriam Diœcesim, nam cùm hæc prohibitio sit expensio quædam personalis imposita Sacerdoti intra proprium territorium pro territorio alieno, non incurritur de nouo à Sacerdote quando exiſtit in aliena Diœcesi, sed eam secum defert, aut portare censetur, quando à proprio territorio exiuit, & hæc omnia præter Suar. docet Cornejo *in 3.part.tract.5.de cens.in gen.disp.6.dub.2.*

RESOL. XXXIV. *An Episcopus possit citare subditum suum existentem in aliena Diœcesi?*

AFfirmatiua sententia suaderi potest. Primò, ex doctrina Bartoli *in l.1.§.1.num.3.ff. de requirendis reis*, Cyni, Pauli Castrensis, Angeli, Alexandri, & aliorum penes Carneualiū *tom.1.de iudiciis, lib.1. tit.1.disp.2.q.2.num.20.* asserentium, quòd quando duo territoria subsunt vni Superiori, tunc vnus iudex potest citare in territorio alterius, quia in tali casu Princeps Superior videtur permittere & authoritatem præbere, vt iudex citet in alieno territorio; sed omnes Episcopi subsunt eidem Superiori, nempe Summo Pontifici. ergo videtur, vt in terminis obseruat Sigismundus Scaccia *de iudicijs, &c. lib.1.c.43.num.4.* quòd vnus Episcopus potest citare subditum in Diœcesi alterius Episcopi.

Secundò, & hoc est validissimum argumentū, citatio non est actus iudicialis. ergo potest ab Episcopo exerceri in aliena Diœcesi. Ita ex Iurisconsultis docet Abbas *in c.licet, numer.41.de foro compet.* Bossius *tit.de citatione num.20.* Chockier *de Iurisdict. part.4.q.109.num.10.* Ancharanus *in cap. cùm contingat, num.41.de foro compet.* & ex Theologis Paulus Layman *in Theolog.moral.lib.1. tract.4. cap.4. num.7.* vbi sic ait. Si subditus ratione domicilij commisso delicto fugiat, etiam absens per nuntium, vel literas potest citari, isque comparere debet, & si contumax sit, excommunicari poterit, cuius rei rationem dat Abbas, quia citatio decernitur in proprio territorio ipsius iudicis, licet nuntius exequatur extra territorium; sed illa executio nuntij iudicialis non est. Ita Laymā ex Abbate. Vnde Tuschus *litera I. concl.546.n.5.* teste Giurba *cons.32.n.7.* dixit, quòd citatio sine causæ cognitione, vt est in casu nostro, voluntariæ iurisdictionis censeri potest, quam licet Episcopis in aliena Diœcesi, vt tradit *glos.2.in l.fin.ff.de iurisd.omn.iudic. & ibi* Iason, & Orosius. Confirmatur supradictum argumentum ex illa celebri doctrina, quam docet Gonzales *in regul 8.Cancell.gloss.62.n.11.* & post illum Gratianus *in discept.forens tom.2.cap.127.n.8.* & nouissimè Barbosa *de potestate Episcopi part.2.allegat.6.num.11.* nempe posse Episcopum iurisdictionem contentiosam exercere extra suam Diœcesim, quando causæ cognitio non vertitur, & effectus confertur in suā Diœcesim. Vnde Vgolinus *de censuris, cap.27.cap.1. §.1.n.4.* docuit Episcopum, vbi causæ cognitio non adhibetur, ac pro tribunali nō sedetur, ac propterea alienum territorium non læditur extra Diœcesim posse iurisdictionem exercere. Sed hoc accidit in casu nostro; vbi nulla adest cognitio causæ in alieno territorio, & effectus dictæ citationis confertur in Diœcesim Episcopi citantis. ergo, &c.

Et tandem tertiò probatur hæc opinio ex verbis textus *in cap. Romana, §. contrahentes, de foro compet.in 6.* ibi, *Si eorum auctoritate citati*, quibus apertè significatur iudicem posse sibi subditum ratione contractus citare in alieno territorio auctoritate propria, & sine interuentu iudicis territorij.

Verùm his non obstantibus puto negatiuæ adhærendum esse sententiæ, quia Episcopus non potest exercere iurisdictionem in aliena Diœcesi, ex *cap.fin. de const.cap.Episcopum 9.q.2.ex l fin.ff. de iur. omn.iudic.* ex *Clementina 1.de foro compet.* & *ibi* Glossa. nam quoad iurisdictionem contentiosam pro priuata persona habetur Episcopus extra suam Diœcesim, ex *l.2. de offic. Proconſ.* & ex *l.fin. de offic. Præt.* Iurisdictio enim cohæret territorio, *l.fin.* & *ibi* Bartolus, *C vbi, & apud quos.*

Hoc suppositio sic argumentor, Episcopus non potest exercere iurisdictionem in alieno territorio, sed citare aliquem inconsulto Episcopo territorij, est exercere iurisdictionem. ergo. Probo minorem, quia, vt doctè obseruat ex Theologis Petrus Cornejo *in 3 part.D.Th.tract.5 de cens.in gen. disp.6.dub.2. §.dico quintò*, citatio est actus iudicialis, siue consideretur quatenus pronuntiatur à iudice in proprio territorio, siue quatenus in alieno territorio intimatur à Nuntio, quia tam pronuntiatio mandati, quā eius promulgatio & intimatio ad actum iudicialem pertinent, vnde asserunt Iurisconsulti, quòd citatio est fundamentum iudicij, & Giurba ex varijs turibus & Doctoribus *in consil.89.num.22.* probat citationem esse actum & vsum iurisdictionis, & habetur *in l.cùm Clericus, & l.omnes, C.de Epis. & Cler.* Hinc Summ. Pontifex *in Clementina pastoralis, de sent & re iudic.* determinat iudicem non posse aliquem citare in alieno territorio. Et ita nostram sententiam præter Cornejum *vbi supr.* tenent ex Theologis Societatis Iesu, Auila *de censuris part.2. cap.3.disp.2.dub.2.concluſ.3. & 4.* & Hurtadus *de cens. in communi diff.8.* Megalius *in 3.p.lib.1.cap.3. num.94.* Idem etiam docet Couarr. *pract.qq.c.10.n.7.* Petrus Barbosa *in l.hæres absens §.1.ff.de iudic.n.84.* vbi cum Aretino dicit hanc sententiam esse communem inter Canonistas, quam sequitur Rebuffus *in rubr. de literis requisitoriis à num.4. & seq.* & alij Doctores infrà citandi, & quos citat ad satietatem Carneualius *vbi suprà num.21.* quibus ego addo Nauarium *de grauaminibus vasallorum tom.1. grauam.285. num.3.* & Riccium *p.2.decis.28.num.11.*

Nec valet dicere quòd subditus excommunicari potest à proprio Episcopo pro crimine intra territorium commisso. ergo etiam potest à proprio Episcopo pro eodem delicto citari, & moneri iudicialiter, quia non videtur maior ratio vnius, quàm alterius, imò maius videtur excōmunicari, quā citari. Secundò censura est inualida, nisi præcedat

cedat aliqua ſpecialis iuris monitio & citatio. ergo vel non poteſt Epiſcopus excommunicare ſubditum extra proprium territorium exiſtentem pro delicto in proprio territorio commiſſo, ſi non poteſt eum citare ibi, & monere, vel ſi poteſt excommunicare, poteſt citare.

Reſpondetur quòd ingeniorum phœnix Baſilius Pontius *de matrim. lib. 5. cap. 7. §. 2. num. 20.* negat poſſe Epiſcopum ſententiam excommunicationis ferre contra ſubditum ſuum, exiſtentem tamen in alio territorio, etiam pro delicto commiſſo in ſuo territorio. Vel melius reſpondetur, negando conſequentiam, cum Petro Cornejo *vbi ſuprà*, eſt enim diſpar ratio inter excommunicationem & citationem, quia excommunicatio exequitur ſine ſtrepitu iudiciali, & ſine actu corporali intra aliam Diœceſim exercito, cùm ſecum trahat effectum ſuum; ſecus verò citatio iudicialis.

Ad ſecundam verò probationem reſpondet idem Cornejo, ſubditum, qui poſt delictum commiſſum malitiosè fugit extra territorium ſuum, dolosè impedire ne à proprio Epiſcopo in ſua propria perſona citetur, & moneatur; cùm autem dolus & fraus nemini patrocinentur, ſatis eſt, quòd in propria ſubditi domu, quam intra territorium habet, aut in loco publico eiuſdem territorij citetur, & in eo cenſura proferatur & promulgetur. Igitur ex ſupradictis remanet ſatis firmata opinio negatiua, nempe non poſſe Epiſcopum citare ſubditum ſuum in alieno territorio exiſtentem, quam opinionem eſſe in praxi & vſu receptam, teſtantur Doctores citati, quibus adde Iulium Clarum *lib. 5. quæſt. 31. num. 19.* Follerium *in praxi crimin. part. 1. ſecundæ part. rubr. vel eos verbaliter citari.* Scacciam *de iudic. lib. 1. cap. 40. num. 6.* Couarruuiam, Barboſam & alios *vbi ſuprà.*

Reſtat modò reſpondere ad argumenta contrariæ ſententiæ, & ad doctrinam Bartoli, in qua fundatur primum argumentum, dico non ſubſiſtere, quia in *l. 1. §. Præſides, ff. de requirendis reis*, ſtatuitur vt iudices loci delicti mittant litteras ad Magiſtratus locorum, vbi rei cõſiſtunt ad eos citandos, cùm tamen eo tempore Imperio Romano ſubiectæ eſſent omnes Prouinciæ Orbis, in quibus illud ius ciuile vigebat. Et *in § ſi quis verò comprehenſorum, in Authent. vt nulli iudicum, collat. 19.* ex quo deſumpta eſt Authent. *ſi verò criminis, C. ad leg. Iul. de adult.* requiritur epiſtola publica miſſa ad iudicem loci, vbi reus degit, id eſt, literæ deprecatoriæ, ſeu rogatoriæ, vt reus citetur, & tamen, vt eſt dictum, eo tempore Prouinciæ vni ſuperiori, videlicet Imperatori Romano, ſubditæ erant. Ex quibus labefactatur opinio Bartoli, quæ licet de iure eſſet vera, quod mordicus negamus cum DD. ſuprà citatis, tamen in vſu & practica noſtra negatiua ſententia obſeruatur, vt teſtantur in ſpecie Iul. Clarus & Sigiſmundus Scaccia *locis cit.* quibus addendus Carneualius *de iudiciis, lib. 1. tit. 1. diſp. 2. q. 1.* Adde quòd Auila *de cenſ. part. 2. cap. 3. diſp. 2. dub. 2. concl. 4.* licet ſequatur opinionem Bartoli, docet tamen procedere quando territoria ſint ſubiecta eidem Epiſcopo, ſecus autem ſi Diœceſes ſunt diſtinctæ, nam in tali caſu docet Epiſcopum non poſſe citare ſuum ſubditum in aliena Diœceſi exiſtentem.

Ad ſecundum argumentum patet reſponſio ex dictis, vbi ſatis firmatum eſt citationem in vero iuriſdictionis exercitio verſari, & eſſe actum iudicialem, vt præter DD. citatos docet etiam Correa *de immunitat. Eccleſ. part. 2. num. 27.* vnde licet Epiſcopus ea, quæ ſunt iuriſdictionis voluntariæ, poſſit extra ſuum territorium exercere, vt docet Gratianus *in diſcept. forenſ. tom. 2. cap. 127. num. 1.* tamen fallit hæc doctrina in caſibus, in quibus ad voluntariam exercendam iuriſdictionem neceſſe eſt alterius citatio, vt ex Alexandro *conſ. 67. numer. 8. volum. 1.* & Petra *de poteſtat. Principis, cap. 32. numer. 39. & 40.* tradit Giurba *conſ. 52. num. 27.* Vnde doctrina adducta in argumento ex Gratiano non poteſt applicari in caſu noſtro, nam idem Gratianus *ibidem. numer. 10. & 12.* docet citationem dari non poſſe in aliena Diœceſi, ſine illius Epiſcopi licentia, vnde non eſt admittenda ſententia Layman, & aliorum.

Ad tertium reſpondeo cum Barboſa *in l. hæres abſens, §. 1. ff. de iudic. numer. 91.* & aliis, quod authoritate iudicis contractus videtur facta citatio, quando mediantibus literis deprecatoriis ea fit per illum iudicem, in cuius territorium citandus degit, quoniam videtur iuſſu requirentis facta prædicta citatio, ex *l. à Diuo Pio, §. 1. ff. de re iudicata*, vnde textus ille *in d. cap. Romana*, non pugnat cum noſtra doctrina. Adde quòd dictus textus loquitur, quando citatio efficitur ratione contractus, tunc enim poteſt fieri de vno Epiſcopatu ad alterum: ſecus eſt de citatione ratione perſonæ, quoniam citatio, quæ fit ratione contractus, non afficit immediatè perſonam, ſed rem, ſcilicet eius bona; at verò citatio ratione delicti immediatè afficit perſonam. Ita Auila *de cenſ. part. 2. cap. 3. diſp. 2. dub. 2. concluſ. 4.* Sed mihi magis placet reſponſio Barboſæ, quam ſequitur nouiſſimè Carneualius *de iudiciis, lib. 1. tit. 1 diſp. 2. q. 1. num. 30.*

Notandum eſt tamen quòd ſupradicta ſententia à nobis tam rationibus, quàm Doctorum auctoritate fulta, nempe iudicem & Epiſcopum non poſſe citare ſuum ſubditum in alieno territorio exiſtentem. Limitatur à DD. variis modis, & præter alios primò limitatur, niſi adſit priuilegium in contrarium. vide Taſſonum *in pragm. de Antifato ver. 3. obſeru. 4. numer. 209.* Nouarium *de grauaminibus vaſallorum, tom. 1. grauam. 285. numer. 14.* Abbatem *in cap. cùm contingat, de foro compet. num. 3.* Chockier *de iuriſd. part. 4. q. 109. num. 12.* & alios. Secundò limitatur, niſi quis per conſuetudinem in alieno territorio poſſet ſubditos ſuos citare, & in eos iuriſdictionem exercere; nam ſi alterius iuriſdictio præſcribitur, multo magis, vt propriam quis in alieno territorio exerceat, conſuetudine, præſcriptioneque acquirere poteſt. Ita Vgolinus *de cenſ. cap. 27. tab. 1. §. 1. numer. 5.* Surdus *conſ. 465. numer. 6.* Gratianus *in diſcept. tom. 2. cap. 127. num. 12.* & alij. Et tandem tertiò limitatur quod ad Abbates, Guardianos, Præpoſitos, Priores, Prouinciales & Generales Regularium: hi enim circa ſuos ſubditos poſſunt exercere iuriſdictionem in quocumque territorio ſunt, quia Prælati Regularium

rium habent immediatè iurisdictionem in personas Religiosorum, ideoque etiam Episcopi iurisdictio finitur certis locorum limitibus; illorum autem iurisdictio nullis finitur locis, sed certis personis, quæ vbicumque sint, eodem modo iis subiectæ sunt, & eodem modo ab iis coërceri possunt. Cùm igitur Prælati Regulares nullum habeant territorium, ac proinde vsus iurisdictionis quam habent non est alligatus certo territorio, sequitur quòd ea possint vti in alieno, ex *l. cui iurisdictio, ff. de iurisd. omn. iud.* vt etiã de iudice arbitro habetur *in l. si cùm dies, ff. de arbitris, §. arbiter.* Igitur Prælati Regulares respectu suorum subditorum Regularium censentur habere totum mundum pro territorio. Vnde Petrus Cornejo *vbi suprà*, docet posse Prælatum Regularem capere subditum suum, etiam nõ implorato brachio iudicis secularis, vel Episcopi. Vide etiam docentem hæc omnia Villalobos *in summa tom. 1. tract. 16. diffic. 16. num. 6.* Sayrum *de cens. lib. 1. cap. 14. num. 6.* Coninck *de Sacram. disp. 13. dub. 7. n. 64.* Gordonum *in summ. tom. 1. lib. 7. c. 3. q. 2. §. 3. n. 32. & 38.* Præpositum *in 3. part. D. Thom. q. 1. de censuris in communi dub. 5. n. 28.* Vgolinum *de cens. c. 27. tab. 1. §. 1. num. 6.* qui tamen notat hæc locum non habere, vbi Prælati Regulares iurisdictionem cum territorio haberent.

RESOL. XXXV. *An Episcopus existens extra suam Diœcesim possit excommunicare suum subditum, si res sit adeò manifesta, vt non requirat cognitionem causæ?*

LIcet Episcopus existens extra proprium territorium non possit subditos suos excommunicare, ex *cap. Episcopum 9. q. 2.* iuncta glossa, quia iurisdictio contentiosa, qualis est iurisdictio ad excommunicandum, non potest exerceri in alieno territorio, ex *cap. nouit, de officio delegati, & l. 2. de offic. Procons.* Tamen Auila *de censuris part. 2. c. 3. disput. 2. dub. 1.* ex Nauarro & Syluestro limitat hanc sententiam, quando crimen est adeò clarum, vt non requirat cognitionem causæ. & ita etiam docet Bizozerus *in sum. de excom. cap. 2. n. 2.*

Sed aduersùs hanc sententiam insurgit Ioan. Præpositus *in 3. part. D. Thom. q. 1. de censuris in communi dub. 5. num. 34.* quia etiam in tali casu verum est, quòd Episcopus in alieno territorio non habeat Tribunal, & quantumcumque causa sit clara, ferre censuram est actus fori contentiosi, quod in aliena Diœcesi exerceri nequit, ex *Clement. vnica, de foro compet. in principio.* Vnde Episcopus quantum ad exercitium iurisdictionis contentiosæ, est veluti quidam priuatus, postquam Diœcesim suam est egressus, & censura ab eo ibi lata non solùm est illicita, sed etiam nulla & inualida, vt latè ostendit glossa *in cap. nouit, de officio Legati, ver. terminos* & colligitur manifestè ex ipso textu, vbi Pontifex non aliter saluat censuram interdicti à Legato contra Regem Franciæ latam, quàm ex eo quòd nondum fuerat terminos suæ legationis egressus. ergo si iam esset extra illos, censura illa nulla fuisset.

Verùm his non obstantibus sententiam Auilæ & Nauarri tenet nouissimè Petrus Cornejo *in 3 part. D. Thom. tr. 5. de cens. in genere. disp. 6. dub. 2. q. 1.* quia cùm causæ cognitio necessaria non sit, cessat ratio prohibitionis quod intellige modò monitiones præmittat; & huic sententiæ fauet textus *in cap. cùm sit, § fin. de appell. & cap euidentia, de accusat. & cap. manifesta 1. q. 1.* Vnde puto vtramque opinionem esse probabilem; sed ego affirmatiuæ libenter adhæreo.

RESOL. XXXVI. *An ratione delicti possit Episcopus excommunicare subditum alienum? vbi etiam inuenies pulcherrimum dubium.*

REspondeo affirmatiuè, dũ manet in sua Diœcesi, vel etiamsi talis alienigena profectus sit ab ea Diœcesi antequã ferretur excommunicatio, tamen fuerit prœuentus citatione, vel si ad requisitionem Episcopi eius territorij, in quo deliquit, citetur à proprio Episcopo, ad quod Episcopus requisitus tenetur, vt notant Doctores *in c. fin. de foro compet.* & obseruat in specie ex neotericis Petrus Cornejo *in 3. part D. Th. tract. 5. de cens. in genere, disp. 6. dub. 2. q. 3.* Hurtadus *de cens. in genere diffic. 9. nu. 36.* & Auila *de censuris part. 2. c. 3. disp. 2. dub. 3 concl. 2.* in tali enim casu reus tenetur respondere, & si non faciat, potest excommunicari ab Episcopo territorij, in quo deliquit.

Sed insurgit hîc practicabile, ac curiosum dubium, nempe an si Archiepiscopus Panormitanus ferat excommunicationem contra scientes quisnam fecerit tale furtum, & non manifestantes? Si Petrus, v. g. originarius Diœcesis Montis Regalis perueniat ad ciuitatem Panormi post latam hanc sententiam, & ibi acquirat domicilium, & cognoscat furem, & nõ manifestet, an ligabitur censura? Affirmatiuam sententiam tenet Ioan. Præpositus *in 3. part. D. Thom. q. 1. de cens. in communi dub. 5. num. 30.* Hurtado *vbi suprà, num. 39.* qui citat Suar. & Coninck. quia non apparet ratio propter quam talis non ligetur censura, cùm etiam post publicationẽ edicti durat eius obligatio, & impositio pœnæ. Verùm mihi contraria sententia etiam probabilis videtur, quia sententia referenda est ad tempus, in quo pronuntiatur, tunc enim incontinenti sumit vires aduersùs eos, contra quos fertur. ergo solùm habet vim contra eos, qui tunc erant subditi. Ex quo inferunt viri docti, quòd licet tempore, quo profertur huiusmodi sententia, ille alienigena existat in ciuitate Panormi, si tamen nondum est factus subditus ratione personæ, quia nondum acquisiuit domicilium, non ligabitur censura, quoniam tempore prolationis sententiæ non erat subditus, nec ratione delicti, nec ratione personæ. Ita Auila, quem sequitur Cornejo *vbi suprà*, & Sayrus.

Hinc à fortiori dicendum est cum suprà citatis DD. quòd censura lata ab Episcopo per viam sententiæ generalis non ligat, nisi subditos ratione personæ & domicilij, non autem eos, qui subditi non sunt, etiamsi intra eius territorium existant: vnde qui in alieno Episcopatu, vbi furtum prohibitum est sub censura, & ratio est, quia censura per modum sententiæ etiam generalis directè fertur in personas secundùm se præscindendo à territorio, ergo solùm ligat eas, quæ secundum se sub-

ſubditæ ſunt; ſed alienigena non eſt ſubditus. ergo.

RESOL. XXXVII. *An ſubditus Epiſcopi in alieno territorio ligetur cenſuris annexis præcepto, ſiue generali, ſiue ſpeciali ſui Epiſcopi?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Suar. *de cenſ. diſp.5.ſect.5.* Sayrus *de cenſ.lib.1.cap.7.* & alij, quia ſuperior poteſt ſuum ſubditum etiam extra territorium dirigere, atque adeò ſuperior per præcepta intendit eum dirigere vbicumque ſit, cùm præceptum reſpiciat perſonas. Vnde hanc ſententiam tenet etiam Petrus Cornejo *in 3.part. D. Th. tract.5. de cenſuris in genere, diſp.6. dub.2.§. Dico ſeptimò*, vbi ſic ait. Si cenſura lata ſit per modum ſententiæ, ſiue particularis, ſiue generalis, ligat proprios ſubditos, etiam extra proprium territorium peccantes, quia cenſura lata per modum ſententiæ pro futuris culpis abſtrahit à territorio, & ſolùm reſpicit ipſas ſubditorum perſonas. ergo vbicumque exiſtant, eos ligat. Nec obſtat diuerſitas territorij, cùm hæc cenſura vt incurratur, nulla exterior vis neceſſaria ſit: vnde ſi non propter bonum territorij directè, ſed propter bonum ipſius ſubditi, vel aliarum perſonarum Epiſcopus præcipiat ſub cenſura alicui particulari ſubdito, aut omnibus generaliter, vt ieiunent, v.g. ſexta feria, aut ab exercitio alicuius operis ſe abſtineant, reuera cenſuram incurrent, quamuis extra territorium delinquant, & in hoc differunt cenſura lata à iure, & ab homine. Ita Cornejo.

Verùm opinio negatiua probabilis etiam mihi videtur, quam docet Ioan. Præpoſitus *in 3.part. quæſt.1.de cenſ.in gen.dub.5.n.31.* & Hurtado *de cenſ. in gen.diſſic.8. n. 34.* vbi citat Henriquez & Coninck, quia peccatum inferioris phyſicè, & moraliter in tali caſu conſummatur in alieno territorio, vbi nō paretur impunè iùs dicenti, iuxta *c.vt animarum, de conſtit.in 6.* id eſt, delinquens ex eo pœnam non patitur. Hinc infertur me olim probabiliter reſpondiſſe, quòd ſi Epiſcopus prohibeat Sacerdotibus ſub pœna ſuſpenſionis ne in aliena Diœceſi celebrent, illam non incurrere celebrando.

Non eſt tamen negandum cum Hurtado *vbi ſuprà*, & aliis, ſubditum exiſtentem in alieno territorio poſſe ligari cenſuris à ſuo Epiſcopo ratione delicti commiſſi in proprio Epiſcopatu, vt ſi habens curam animarum non reſideat, quia eſt abſens, & exiſtens in alieno Epiſcopatu, quia in tali caſu omiſſio reſidentiæ fit in proprio Epiſcopatu, aut ſi quis furtum fecit in proprio Epiſcopatu, & in alieno exiſtens non ſatisfecit. Vnde ego olim dixi cum Auila *de cenſ.part.2.c.3 diſp.2.dub.2. concl.3.* quòd ſi Epiſcopus præcipiat ſub excommunicatione vt omnes Clerici ſubditi veniant ad Synodum, Clerici ſubditi, licet exiſtant in alieno territorio, ligantur, quod etiam docet Præpoſitus *loco cit.n.26.* & Villalobos *in ſum.tom.1.tr.16.diſſic.16.n.9.*

Sed obiter attingam hîc pulchrum dubium, an ſi delictum inchoatum ſit in proprio territorio, & conſummatum in alieno, ſubditus incurrat cenſuram ſtatuti generalis ſui Epiſcopi? Negatiuè reſpondet Petr. Cornejo *vbi ſup.in 3.p.tract.5. de cenſ.in genere, diſp.6. dub.2.* vbi citat Suarez. Vnde aſſerit quòd ſi ſtuprum, v.g. ſit prohibitū in hac Diœceſi ſub excommunicatione, & quis raperet Virginem, & eam extra territorium portaret, & ibi violaret eam, non incurreret cenſuram, quamuis per tactus, oſcula, & raptum intra territorium inchoaret ſtuprum. Et ratio eſt, quia hæc cenſura lata eſt abſolutè contra ſtupratores, & non contra quomodocumque ſtuprum inchoantes: ergo quouſque ſtuprum conſummatum ſit, incurri non debet; ſed in hoc caſu conſummans ſtuprum eſt extra territorium vbi non ligatur per ſtatutum. ergo. Quod confirmatur, quia ſi feratur cenſura contra homicidas in Eccleſia: ille, qui intra Eccleſiam exiſtens ſagittam proiiceret, qua hominem extra Eccleſiam exiſtentem occiderat, reuera non incurret cenſuram illam, etiamſi homicidium fuerit intra Eccleſiam inchoatum. Hęc Cornejo. Nec aduersùs hanc doctrinam facit Villalobos *in ſumm. tom.1. tract.16. diſſic.16. num.4.* vbi ſic ait. [Si el pecado començò dentro del territorio, y ſe acabò fuera del, quedaria ligado con la cenſura, como ſi hiriò algun en el territorio, y muriò quando eſtaua fuera del, o ſi le mandaron que no ſacaſſe la mercaduria del territorio.] Ita ille, & ante illum Sayrus *de cenſ.lib.1.c.6. num.41.* & alij. Non, inquam, aduerſantur ſententiæ negatiuæ iſta exempla, nam concedit Cornejus probabilius eſſe homicidam illum incurrere cenſuram in ſupradicto caſu, quia quamuis homicidium conſummatum ſit extra territorium, quantum ad vltimum eius effectum, qui eſt mors; tamē tota actio exterior à qua prouenit, ſcilicet vulnus lethale, cauſata fuit intra territorium, ratione cuius dici poteſt, homicidium fuiſſe intra territorium conſummatum, quantum ad totam actionem, ex qua mors ſequuta fuit, cui fauet, quòd iſte homicida non poſſit conueniri pro homicidio in alio territorio vbi mors fuit ſequuta, cùm in eo nullum delictum commiſerit, ex quo ſequitur quòd accuſari debeat in proprio territorio, non ſolùm ratione vulneris illati, ſed etiam homicidij. Ad alium caſum reſpondet etiam idem Cornejo delictum illud deferendi triticum extra propriam Diœceſim quoad actionem, qua defertur, conſummari intra propriam Diœceſim, quamuis quantum ad terminum extrinſecum aſſumatur in aliena.

Et tandē nota pro coronide huius reſolutionis quòd ſi aliquis aliquod crimen committat in loco exempto intra proprium territoriū, priùs Epiſcopus non poteſt eum cenſura ligare, quia talis locus comparatur alieno, quod ſecundùm aliquos, vt alibi dictū eſt, intelligitur, ſi locus ſit abſolutè exēptus, & non ſolùm quoad perſonas. Ita ex Suar. & Coninck docet Hurtado *vbi ſup.diſſic.8.num.33.* Alij verò id abſolutè pronuntiant, & intelligunt etiam de Monaſteriis Regularium. Ita Henriquez *lib.13. c.26.n.2.* Sà *ver.Excommun.n.12.* Auila *de cenſ.part.2. cap.3.diſp.2. dub.5.* quorum ſententiam probabilem eſſe ſatis indicat Præpoſitus *vbi ſuprà, n.27.* quia, ait ille, in dictis Monaſteriis Epiſcopus pro Tribunali ſedere non poteſt; & licet locus exemptus ſit de Diœceſi, & territorio Epiſcopi, tamen locus exemptus, & locus extra territoriū æquiparantur quoad iuriſ-

iurisdictionem, nam locus ille est quidem de territorio Episcopi quantùm ad situm, non autē quātum ad iurisdictionem. Vnde ex his infertur, quòd si Episcopus præcipit sub excommunicatione ne aliquis furetur rem sacram, si subditus eius furetur calicem in loco exempto, non incurrit, & ideò ex dictis infert Auila, quòd si Episcopus ponat excommunicationem contra ingredientes Monasteria Monialium ad loquendum cum illis, qui ingreditur Monasterium exemptum, nō incurret, secus est si ferret excommunicationem contra accedentes ad Monasteria etiam exempta. nam licet Monasterium sit exemptum, tamen via, qua pergitur ad illud, non est exempta, & ratio discriminis horum casuum est, quòd in primo excommunicatio non ponitur propter accessum, sed propter peccatum quod committitur intra Monasterium; in secundo ponitur propter accessum ad Monasterium. Igitur olim ego probabiliter docui, ludentes, & cudentes monetam falsam in Monasteriis Regularium contra prohibitionem Episcopi id prohibentis sub censura, illam non incurrere; sed de his infrà redibit sermo.

Resol. XXXVIII. *An Collegium, vel Communitas possit excommunicari?*

AD hoc dubium, quod in praxi sæpiùs potest accidere, sic respōdet Hurtado *de excom. diffic. 2.n.7.* Quamuis communitas excommunicari non possit ab homine ob crimen commune in aliquo vno negotio, potest tamen excommunicari excōmunicatione iuri annexa, & quamuis non possit communitas excommunicari ab homine, possunt tamen excommunicari plures communitatis ex iis qui astiterunt ei negotio etiam vt membra cōmunitatis ob idem commune crimen in aliquo vno negotio, dum nō excommunicētur omnes illi qui in eo negotio assistentes, & repræsentantes cōmunitatem, illud crimē commiserunt quia omnes isti nō possunt vt communitatis membra excommunicari ab homine, quamuis aliqui communitatis non astiterint ei negotio, possunt tamen omnes vt membra communitatis excommunicari ab homine ob diuersa crimina, alij ob vnū, & alij ob aliud, & etiam omnes vt particulares personæ etiam ob idem cōmune crimen ab illis, vt à particularibus personis commissum, quia in dicto cap. tantùm est sermo de excommunicatione ab homine lata cōtra communitatē vt talem ob peccatum cōmune ab ea commissum, quia non præsumitur omnes communitatis, qui assistunt alicui negotio, delinquere eodem communi crimine. Ita Hurtado. & ideo ex Vasq. notat Turriā. *de cens. lib. 2. disp 23. dub. 2.* doctrinam prædictam, scilicet non posse Collegiū, seu communitatem excommunicari, intelligendā esse, quādo vnica sententia excommunicatur Collegium, hoc enim est, quod prohibetur *in cap. Romana, de sententia excomm. in 6.* Si verò quilibet sigillatim excommunicetur, erit valida excommunicatio, etiamsi omnes eius Collegij excommunicentur, quia hoc non est prohibitum. Ergo si cætera adsint, valida erit sententia. Vide etiam Coninck *de Sacram. disp. 13. dub. 6. num. 48.*

Resol. XXXIX. *An excommunicatus vt absoluatur sufficiat dare fideiussoriam cautionem, si possit dare pignoratitiam?*

Licet Caietanus *ver. absolutio, c. 4.* & Nauarr. *c. 26. n. 7.* dicant, quòd si pœnitēs potest dare pignoratitiam cautionē, tenetur ad illam, & si hanc nō, ad fideiussoriam, & si nec istam, tenetur ad iuratoriam. Probabilius tamen est, quòd cautio, quæ exigitur à iure, intelligi debet disiunctiuè, ita quòd si excommunicatus habet pignora, non tenetur dare illa, sed sufficiat dare fideiussoriam. Videtur autem quòd si potest dare alteram illarum cautionū, non satisfaciat in conscientia, dando iuratoriam, quia hoc potest vergere in graue detrimentū partis lęsæ. Et ita docet Ludouicus de la Cruz *in Bulla Cruc. disp. 1. cap. 4. dub. 2. n. 15.* imò probabiliter aliqui, quos ego alibi citaui, docent sufficere cautionem iuratoriam, etiamsi possit dare fideiussoriam, vel pignoratitiam, quod est valde notandum.

Notandum est hîc obiter quòd qui incurrit excommunicationem, eò quòd cùm potuit, non soluit decimas, si postea fiat impotens, potest absolui per Bullam cū cautione, non obstante Tridentino *sess. 25. c. 12. de reformat.* dicente talem non esse absoluendum, nisi plena restitutione sequuta, quod idē in simili dicunt DD. *in expositione constitutionis de largitione munerum Regularibus interdicta*, quam nouissimè edidit Sanctiss. Clemens VIII.

Resol. XL. *An per Bullam Cruciatæ possit quis absolui ab excommunicatione lata contra causantes, procurantes, vel consulentes abortum?*

Videtur negatiuè respondendū; quia Sixtus V. edidit Motum proprium *ann.* 1588. qui incipit, *Effrænatā*, in quo reseruat Sum. Pont. absolutionē à censuris ibi latis contra prædictos causantes, vel cōsulentes abortum, & addit quòd virtute Iubilei, aut Bullę nō possit impendi absolutio ab illis, quod ita planè esse intelligendum, & ad literam, docet Rodriq. *in expos. Bullæ, §. 9. n. 90.* & fauent quidem iuniores, dicentes esse probabilius & securius.

Verùm his non obstantibus affirmatiua sententia tenenda est. Primò, quia Gregor. XIV. in proprio Motu suprà relato concedit cuilibet Confessario approbato seculari, vel regulari, vt possit in foro conscientiæ absoluere à peccato abortus, & excommunicatione lata contra personas ibi expressas, vbi planè loquitur de abortu fœtus animati, vt docet Henriquez *lib. 10. c. 35. vbi suprà.* Secundò probatur, quia in Bulla Cruciatæ datur facultas absoluendi ab omnibus censuris, etiam Papæ reseruatis, exceptis his, quæ hæresi sunt annexę. Ergo quantumcumque censurę abortus reseruatę sint Papæ, poterit quis virtute Bullæ absoluere. Nec iuuat respondere non posse, quia in prædicto Motu proprio Sixti V. continetur prohibitio, qua cauetur absolutio ab illis virtute Bullæ; hoc, inquā, non obstat, quia Commissarius ex facultate Apostolica potest suspendere, & suspendit omnia contraria Cruciatę, licet habeant clausulam contrariā tali suspēsioni, vt testati sunt viri doctissimi ab ipsomet Commissario cōsulti super hac sua facultate. Tum, quia Sixtus V. non potuit coarctare potestatē

Pon-

Pontificum, qui eidem ſucceſſerunt, omnes autem abſque vlla limitatione conceſſerunt, vt virtute Cruciatæ poſſent eam ſumentes abſolui ab omnibus peccatis & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, hæreſi dumtaxat excepta. Imò opinantur nonnulli, quòd adhuc Sixto V. viuente potuerit quiſpiam virtute Bullæ Cruciatæ per eumdem anno ſequenti conceſſæ à cenſura ex abortu incurſa abſolui. Et ita docet Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 10. in gloſſa lit. F. & lib. 10. cap. 35. lit. F.* cum Ludouico de la Cruz *in Bulla Cruc. diſp. 1. cap. 4. dub. 6. num. 7.*

Notandum eſt hic obiter contra Nauarr. c. 27. *n. 273.* Couarr. *in cap. alma mater. part. 1. §. 12. ver. ſecundò eſt inquirendum*, Felinum *in cap. cauſam, n. 6. de reſcript.* Deciũ *in cap. præterea, n. 6. de offic. deleg.* & alios, poſſe Confeſſarium virtute Bullæ Cruciatæ abſoluere aliquem ad cautelam: vt quando dubitat probabiliter, an quædam excommunicatio publicè lata comprehendat illum. Ita Coninck *de Sacram. diſp. 14. dub. 16. num. 200.* Suar. *de cenſ. diſput. 7. ſect. 8. à. num. 12.* Henriquez *lib. 13. cap. 29. num. 5.* & alij.

RESOL. XLI. *An incurratur in excommunicationem, quando opus externum, cui annexa eſt excommunicatio, fuit ſolùm veniale, ſed internum eſt mortale?*

PLacet huic dubitationi reſpondere cum verbis Laurentij de Portel, viri quidem docti, *in dub. Regul. ver. excommunicatio in addit. num. 11.* vbi ſic ait. Percuſſit quis Clericum prauo animo, ita vt ex prauo animo percuſſio ſit mortale peccatum, at ex parte operis percuſſio fuit leuis, & venialis. Quæris, inquam, an ob talem percuſſionem incurratur excommunicatio? Reſpondet Sanchez negatiuè *2. lib. Decal. cap. 8. num. 7.* citat Hériquez, Guttierrez, & alios. Et hoc idem dicendum erit in quouis alio opere, cui annexa eſt excommunicatio, ſi opus externum fuit ſolùm venialé, & leue, licet internum fuerit mortale; & ratio eſt, quia Eccleſia non excommunicat actus internos, ſed externos, & requiritur vt actus externus ſit de ſe grauis, & mortalis.

RESOL. XLII. *An poteſtas ferendi cenſuras poſſit conſuetudine, vel præſcriptione acquiri?*

REſpondeo affirmatiuè de conſuetudine. probatur ex *cap. dudum, de electione, & electi poteſtate, & cap. Romana, de ſententia excommun. in 6.* vbi idem dicitur de poteſtate abſoluendi ab excommunicatione per alium lata, ex quo deducitur argumentum à ſimili. De præſcriptione idem ſignificatur *cap. auditis, & cap. cùm olim, de præſcriptionibus*, & ratio eſt, quia iuriſdictio poteſt conſuetudine acquiri. *cap. cùm contingat, de foro competenti.* Sicut conſuetudine poteſt introduci, item abrogari obligatio obtinens vim legis, & præſcriptione poſſunt mutari iura & dominia.

Notandum tamen, etiamſi iuriſdictio hæc dicatur acquiri præſcriptione, vel conſuetudine, verè tamen conceditur à Summo Pontifice, qui hoc ſtatuit ita fieri, vt iuriſdictiones Eccleſiaſticæ eſſent firmæ, & certæ. Et ita docet Mercerus *in 3. part. de Sacram. q. 21. dub. 3.* Gordonus *in ſumma, tom. 2. lib. 7. quæſt. 2. cap. 1. §. 4. num. 16.* Et DD. communiter, qui etiam docent hanc poteſtatem poſſe acquiri circa vnam cenſuram, & non circa aliam, quia inter ipſas non eſt neceſſaria connexio, vt qui vnam efficit, poſſit & aliam ferre, neque in præſcriptionibus & conſuetudinibus locum habet, vt ius acquiſitum circa actus vnius generis extendatur ob ſimilitudinem ad alios. Ita *cap. cùm olim, de præſcript.* Abbas, qui vſum excommunicandi probauerat præſcriptione, vt etiam interdicendi & abſoluendi, defenditur à Pontifice, condemnante eumdem ſuper omnibus ceteris actibus, qui ad munus Epiſcopale pertinent.

RESOL. XLIII. *An Epiſcopi poſſint ferre cenſuras in Regulares?*

LIbet mihi reſpondere cum verbis Henrici Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 16. diffic. 5. num. 13.* vbi ſic ait. [Los Obiſpos no pueden deſcomulgar à los Religioſos, ſi no es en las cauſas en que el Papa, o el derecho les hazen juezes delegados de los Religioſos, porque los Religioſos ſon exentos de ſu juriſdicion por muchos textos, y Bulas. Si el Legado à latere puſiere alguna deſcomunion en comun, aunque ſea Paulina, no liga à los Religioſos mendicantes, ſi no es, que en ella ſe declare como concedio Nicolao V. El Obiſpo no puede deſcomulgar, ni poner entredicho à los criados de los frayles, mientras eſtan en ſu ſeruicio ſin eſpecial mandato del Romano Pontifice, y aunque lo hagan, no hazen nada por vn Priuilegio de Alexandro IV. concedido à la Orden de San Iuan.] Ita ille, vide etiam Henriquez *lib. 7. cap. 25. num. 7. in gloſ. lit. L.* Portel *in dub. regul. ver. Epiſcopus, num. 5.* & Aloyſium Bariolam *in Aphor. lit. E. ver. Epiſcopus, §. 3.* quod fallitur in quibuſdam caſibus.

Notandum eſt tamen hîc cum Moſcoſo *in ſumma, tract. 16. cap. 5. num. 6.* quòd [aunque el Obiſpo no tenga juriſdicion en vn Monaſterio de Religioſas, eſentas de ſu juriſdicion, por juſtas cauſas puede mandar el Obiſpo à ſus ſubditos con cenſuras, que no entren alla, y ſeran validas.]

RESOL. XLIV. *Dubius an cenſuram incurrerit, quid facere debet?*

DIco primò ſemper eſſe conſultiſſimum ſub conditione abſolutionem procurare, ac interim ſe gerere vt excommunicatum, quantum fieri ſine infamia & ſcandalo poteſt. Secundò à communione abſtinendum, ſi inde ſequatur ſcandalum, quod quidem communiter ſequetur ſi communis ſit perſuaſio, aut rumor de excommunicatione contracta. An autem, & quãdo ſecluſo ſcandalo teneatur aliquis in dubio ſe gerere vt excõmunicatũ, vel nõ, haud ſatis liquet. Illud tamẽ probabile eſt, quod in ſimili de irregularitate cũ Couar. *in Clem. ſi furioſus, p. 1. §. 1. n. 3.* docet Valent *diſp. 7. q. 19 punct. 2.* ſi dubium ſit de iure, tunc nec in foro externo, nec interno contrahi excommunicationẽ propter regulam iuris, *Odia reſtringenda, & fauores ampliandi*, ex qua colligitur nullam pœnam incurri, niſi in caſibus à iure expreſſis. Si autem ſit dubium facti, tunc in vtroq; foro ſe gerere debere vt

excommunicatum, vt colligitur ex *c. ad audientiam, & c. significasti 2. & c. petitio, de homicidio*, vbi tamen solùm est sermo de irregularitate. Imò verius est nec in dubio quidem facti aliquem sese gerere debere tanquam excommunicatum. Et ita docet Tannerus *tom. 4. disp. 6. quæst. 10. dub. 4. n. 60.* Sed circa præsentem quæstionem vide me ipsum *in 4. part. tract. 3. resol. 35.*

RESOL. XLV. *Quodnam peccatum committat excommunicatus excommunicatione minori ministrando Sacramenta?*

DIligenter hoc dubium discutit Philippus Faber *de cens. in 4. sentent. disp. 25. quæst. 1. disp. 4. c. 2. num. 22.* vbi sic ait. Quidam dicunt peccare mortaliter, vt Adrianus & Duran. apud Soto *in hoc 4. dist. 22. quæst. 2. art. 3.* & alij apud Suarez *disputat. cit. sect. 2. num. 5.* sed hæc opinio reijcitur, quia apertè repugnat textui allegato, siquidem ibi dicitur, quòd ligatus minori excommunicatione non videtur remoueri à collatione, sed à perceptione sacramentorum. Cùm ergo non sit illi prohibitum actiuè ministrare sacramenta, nulla est ratio quòd peccet mortaliter. Alij asserunt sic excommunicatum non peccare, per se loquendo, sed per accidens, vt Suarez *vbi supra*, qui citat alios, & eiusdem sententiæ est Nauarr. *cap. 27. num. 24.* Sed hæc sententia quoque est falsa, quia repugnat textui, qui asserit quòd talis excommunicatus peccat conferendo sacramenta, licet sacramenta valida sint. ergo per se peccat, non per accidens. At respondet illa verba, *peccat tamen conferendo Ecclesiastica sacramenta*, esse intelligenda de illa collatione, quæ simul est collatio, & receptio sacramenti, vt est ordinatio, qua Episcopus ordinat Clericos ad sacros Ordines, simul enim confert, & suscipit sacramentum; in his ergo peccat, quatenus sumit, licet non peccet quatenus confert, at quando solùm confert, sed non suscipit, vt in conferendo sacramentum Confirmationis, non peccat; verùm hæc responsio non satisfacit, quia Pontifex vniuersaliter loquitur, ideo debet intelligi vniuersaliter de collatione sacramentorum quorumcumque, vt de sacramento Pœnitentiæ, non autem de ijs solùm, quæ dum conferuntur, etiam suscipiuntur. Verba enim textus sunt hæc. *Peccat autem conferendo Ecclesiastica sacramenta, sed ab eo collata virtutis non carent effectu.* Vult ergo quòd ligatus minori excommunicatione sit remotus à quacumque susceptione sacramentorum, nõ tamen à collatione illorum; non tamen concedit, quòd sine peccato illa conferat, si conferre velit, sed rem in suo statu sinit. Vnde cùm talis excommunicatio minor aliquam indecentiam secum offerat, dicitur non carere aliqua culpa, & ideo peccare: est ergo valde extorta illa expositio. Ideo mihi placet opinio illorum, qui asserunt, sic excommunicatum conferendo sacramenta Ecclesiastica peccare venialiter, quam sequitur Soto *in hoc 4. dist. 22. q. 2. art. 3.* & indicant Couarr. *vbi supra*, & nonnulli alij, quæ suadetur vltra rationem adductam contra præcedentem opinionem, quia Pontifex in eo Canone dum dicit, quòd si ligatus excommunicatione minori celebret, peccat, apponit illam particulam, *grauiter*; sed dum loquitur de collatione actiua sacramentorum, inquit, *tantùm peccat*, non autem apponit illam particulam, *grauiter*. ergo signum est, quòd iudicat hoc secundum esse minus peccatum, illud autem primum est mortale. ergo hoc secundum erit tantùm veniale. Verùm Suarez *ead. disp. 24. sect. 2. n. 12.* aduersùs hanc sententiam insurgit, dicens, quòd ea probabilis esset, si verum esset suppositum, quod facit, scilicet ministrare in excommunicatione minori, esse peccatum veniale: hoc autem, inquit, est falsum, tum quia censura hæc per se non est culpa, sed pœna, tum quia non supponit necessariò culpam mortalem. Quòd si interdum illam supponeret, posset per contritionem deleri, & sic vult, quòd talis censura per se sola coram Deo non afferat indignitatem, aut indecentiam, propter quam sit contra rectam rationem in illa conferre sacramentum. Ego non video hanc impugnationem aliquam speciem probabilitatis habere. Nam suppositum illud est verissimum; quis enim non videt, quòd ligatus excommunicatione minori, quam incurrit per communicationé cum excommunicato maiori excommunicatione, vt videbimus nunc *infrà*, transgreditur præceptum de vitando excommunicato, quod est peccatum veniale? Vnde etiamsi pœniteat commissi peccati, adhuc non habet omnem decentiam, quam habere debent regulariter ministrantes eadem sacramenta, quia illa pœna est deformitas sufficiens: licet ergo ibi non esset peccatum, sed per contritionem esset deletum, non sequitur quòd illa simplex pœna censuræ non inducat deformitatem, propter quam ministrando in illa peccet. Nam etiam irregularis non habet peccatum, vt puta, quia per contritionem illud deleuit, & tamen peccat celebrando propter illam deformitatem pœnæ irregularitatis. Et hæc omnia docet Faber *loc. cit.*

Sed his non obstantibus puto opinionem Suarez probabilem esse, quam tuetur nouissimè Adamus Tannerus *tom. 4. disp. 6. q. 8. dub. 2. n. 25.* Valerus *vbi infrà*, qui citat Sotum, Ancharanum, Couarr. & Martinum Ledesm. Verùm ego puto neque peccare venialiter. Vnde Moscoso *in sum. tract. 16. cap. 3. n. 2.* sic ait. [La dificultad que à los Autores trae rebueltos es, si el descomulgado con descomunion menor administrando los Sacramentos peca venialmente? y nace la difficultad del cap. vltim. de Cler. excom. donde dize: Conferendo tamen grauiter peccat, tratando deste descomulgado. Dexadas opiniones y explicaciones parece llano, y certissimo, que pues le està prohibida la participacion actiua de los Sacramentos, que es poderlos administrar por ningun derecho, que ministrando no peca, ni mortal, ni venialmẽte, y assi en las palabras referidas del Capitulo sin duda habla el Pontifice del Clerigo que administra el Sacramento, y juntamente celebra, y este tal peca mortalmente, como el texto dize, grauiter, y explicar, que grauiter sea venialmente, no se dexa entender bien.] Ita ille, & ego. Vnde ex his refellendus est Doctor Sahagun, insignis Canonista Salmantinus, qui teste Valero *ver. excommunicatio, differ. 3. n. 2.* publicè docuit peccare mortaliter excommunicatum minori excommu-

communicatione,administrando alijs sacramenta, quamuis ea ipse non recipiat.

Notandum est tamen hîc obiter contra Sylvest. *ver.excommunicatio 4.num.1.* sequutum Paludanum quòd confessus excommunicato minori excommunicatione non tenetur reiterare confessionem. nam,vt benè observat ex Soto Faber *vbi suprà*, hoc apertè repugnat verbis textus Canonis, in quibus apertè dicitur quod sacramentum collatum ab huiusmodi excommunicato,non caret sua virtute,& effectu. Quod etiam dicit *ibidem* Sylvest. huiusmodi excommunicatum conferendo sacramenta peccare quoad Deum, non quoad Ecclesiam, est falsum,quia cùm hæc censura sit ab Ecclesia posita, peccat nedum quoad Deum,sed quoad Ecclesiam.

RESOL. XLVI. *An pueri ante annos pubertatis incidant in excommunicationem?*

AFfirmatiuam sententiam docet Hurtado *de cens.in comm.diffic.7.num.30.* vbi sic ait.Pueri impuberes ratione vtentes possunt simpliciter ligari quacumque censura à iure, vt constat ex *cap.1. & vlt.de sent. excomm.* quia ex vna parte possunt peccare adhuc mortaliter:& ex altera nullo iure censura contra eos lata irritatur. Imò possunt validè ligari censuris ab homine,quia ex vna parte possunt peccare adhuc mortaliter, & ex altera nullo iure censura contra eos lata irritatur, imò nec prohibetur contra eos ferri, ac proinde, vt indicat Ægidius,id potest licitè fieri à Superiore.Quòd verò non percipiant ordinem iudiciarium, non obstat, vt ligentur censuris generaliter latis.quia tunc non est necessarium ad incursionem, quod interueniat cum illis ordo iudiciarius, imò nec obstat vt ligentur censuris specialiter latis contra illos, quia instrui possunt de ordine iudiciario, sicut etiam possunt ligari alij puberes ordinem iudiciarium ignorantes, quia etiam possunt instrui, imò & quamuis non possent, cùm possint medio procuratore se defendere. Quòd si impuberes ratione vtentes possunt censuris ligari, etiam de facto ligantur, quando in eis est causa sufficiens. Ita Hurtado,qui citat Suarez & Coninck.

Sed contraria sententia non caret probabilitate,& ideo illam tenet Cœlestin. *in comp. Theol. mor. tract.3.c.6.n.9.* vbi sic ait. Dico quòd vi monitorij non tenentur impuberes reuelare, quia illi excusantur à censuris ante pubertatis annos, idque est intelligendum tam de censuris à iure latis, quàm ab homine. Sic ille. & Emanuel Sà correctus *ver. censura,num.2.* docet,censuram neminem incurrere ante annum decimum. Vide Hugolinum *de cens. tab.1.c.17.§.3.num.5.* & Vasq. *in 3.p.tom.4.q.90.art.2. dub.4.* cum Sayro *de cens.lib.1.cap.8.num.4.*

RESOL. XLVII. *An excommunicatio minor possit ferri pro peccato veniali?*

AFfirmatiuè respondet Faber *de cens.in 4.dist.25. q.1.disp.4.c.2.n.51.* vbi sic ait. Quoad iustam excommunicationem præter auctoritatem iurisdictionis in excommunicante requiritur causa iusta, & quòd hæc est peccatum graue, quod non potest esse,nisi sit mortale,veniale enim non est graue,siquidem stat cum gratia: veniale tamen si sit graue & periculosum inducendi aliquod malum graue, quod Prælati iudicio & discretioni relinquitur discernendum,potest esse materia excommunicationis minoris.e.g.Aliquis delinquit aliquo peccato veniali, sed grauiori, vt puta Regularis ambulando certis horis extra Monasterium, non tamen ad aliquem malum finem, quia autem Superior cognoscit hanc vagationem parere, vel posse parere aliquod malum, vel incommodum Religioni, potest præcipere illi sub pœna excommunicationis minoris,quæ,vt diximus,est priuatio à perceptione Sacramentorum,vel ipso facto incurrenda, ne tali hora extra Monasterium ambulet. hæc erit causa iusta. Quòd si transgrediatur, incurrit excommunicationem minorem, quia peccat per inobedientiam mortaliter, licet peccatum propter quod excommunicatio fuit imposita,sit peccatum veniale. Quòd autem peccatum veniale sit sufficiens materia excommunicationis minoris, probatur, quia de facto excommunicatur excõmunicatione minori, qui communicat cum excommunicato maiori excommunicatione in rebus humanis, vt qui salutat excommunicatum,vel cum eo loquitur de rebus humanis. At constat quòd salutare hominẽ excommunicatum,& cum eo loqui,non est peccatum mortale;est ergo peccatum veniale, & tamen pro illo imponitur excommunicatio minor, vt patet & omnes concedunt,& infrà ostendam,& habetur expressè in Conc.Carthag.IV.c.24. Sed hanc sententiam Hurtado *de cens.in com.diffic.10.n.42.* intelligit de excommunicatione minori vt nunc fertur, quæ tantùm fertur à iure, quam potest Confessarius peccati venialis auferre, & etiam potest intelligi de excommunicatione minori, si feratur generaliter ab homine, quia etiam potest à Confessario peccati venialis auferri. Non tamen est verum de excommunicatione minori si specialiter feratur ab homine,quia hæc tantùm potest à iudice in foro exteriori auferri, ac proinde tunc esset grauis pœna,quia est graue malum ex obiecto, & esset difficile ablatu.

Sed an suspensio & interdictum possint validè ferri ob peccatum tantùm veniale? Affirmant Caiet.*ver.præcepti transgressio*,Nauar.*c.27.n.165.* Henriq. & Auila,quia,vt dictum est,etiam excommunicatio minor potest ferri propter solum peccatum veniale,& tamen est maior pœna,quàm suspensio, & interdictum adhuc plenè,& integrè vt communiter feruntur. Verùm negatiuam sententiam docet Coninck *de Sacram.disp.13.dub.8.num.68.* Suarez *de cens.disp.4.sect.4.* Filliucius *tom.1.tract.11.cap.1.quæs.8.* Hurtado *vbi suprà, num. 43.* vnde puto vtramque sententiam probabilem esse.

Notandum est etiam hîc obiter cum Fabro *vbi suprà,n.55.* quandoque contingere posse vt præceptum Superioris sit de re leui,vel indifferenti in se, & tamen sit causa, & periculum inducat maioris mali,vt si Superior præcipiat ne quis tali hora ambulet in tali loco sub pœna excommunicationis absolutè,quia præuidet, vel dubitat,quòd aliquod graue malum sit euenturum, si quis transgrederetur hoc præceptum obedientiæ, licet sit de re leui

in ſe, eſſet peccatum mortale,& conſequenter ille eſſet excõmunicatus excommunicatione maiori; ſed ab huiuſmodi præceptis, ex leuibus cauſis, & cum excõmunicatione ſimpliciter eſt abſtinẽdum.

RESOL. XLVIII. *An excommunicatio poſsit ferri pro peccato purè interno?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Adrian. *quodlib.8.q.1.lit.G.* Medina Complut. *Cod.de pœnit. tract.de orat.q.15.*& Corduba *in qq.Theol.lib.4.q.13.*& ratio eſt,quia poteſtas Eccleſiæ eſt ſpiritualis. ergo poteſt præcipere & prohibere actus purè internos & ſpirituales,& inobedientes præcepto,aut prohibitioni cenſuris punire.Et cõfirmatur varijs exemplis, quia *in Clem.1.de hæreticis*, excommunicantur Inquiſitores,qui in cauſa fidei,odio, vel amore aliquid omittunt,& *in Clem.1.de ſtatu Monachorum*,excommunicatur Monachus Benedictinus, qui abſque licentia Prælati ſe confert ad Curiam Regiam animo accuſandi illum,& *in can.ſi quis, diſt.* 30. deſumpto ex Concilio Gangrenſi *c.* 18. anathematizantur, qui in die Dominica ieiunant in contemptum eiuſdem diei,& in pluribus Canonibus Cõciliorum anathematizantur, qui crediderint contra id,quod in ipſis decernitur.

Verùm omnino contraria ſententia tenenda eſt,quam nouiſſimè docet Faber *de cenſ.in 4.ſent. diſt.25.q.1.diſp.4.c.2.n.*53. vbi ſic aſſerit. Clarum eſt, quòd per peccatum internum non poteſt imponi excommunicatio,quia Eccleſia non iudicat de occultis,quæ eſt regula clara, ab omnibus Theologis & Canoniſtis conceſſa,& habetur *c.tua nos.de ſimonia.*§.3.*& c.ſicut tuis,eod.tit.*& deſumitur ex Apoſt.1. ad Cor.4. *Nolite ante tempus iudicare, quoad vſque veniat Dominus,qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo,*& ex ratione naturali eſt euidens,quia iudicium fieri non poteſt ſine cognitione, peccata autem occulta ſunt ignota pro hac vita ſecundùm legem ordinariam, ideo Eccleſia de illis non poteſt ferre iudicium condemnãdo, vel abſoluendo. Hoc autem totum verum eſt de actu interno, & occulto per ſe. At loquendo de actu interno, quatenus eſt iũctus actui externo,ſcilicet quatenus eſt cauſa actus externi,ſic cadit ſub iudicio Eccleſiæ, & poteſt præcipi,puniri,& prohiberi. Ex his deducitur quòd ſicut delictum,propter quod imponitur excommunicatio, debet eſſe actus externus, vel iunctus externo, ita nunquam incurritur excommunicatio,nec cenſura,niſi actus ſit perfectus & conſummatus,provt lex ſtatuit, quia pœnæ ſunt reſtringendæ,non ampliandæ; vnde ſi deſit aliqua conditio,per quam actus non iudicetur perfectus.& conſummatus, vt lex requirit,nunquam incurritur excommunicatio, nec cenſura. Ita Faber,cui adde Sotum *in 4.diſt.22.q.3.art.*3.Vaſq.*de excom.dub.*13.Valent.*tom.3.diſp.7.q.3.punct.*2. Cornejo *in 3.p.tr.5.de cenſ.in gen.diſp.*8.*dub.*3.Sayr.*lib.1.c.9.n.*14. Suar. *de cenſ. diſp.* 4. *ſect.*2. Coninck *de Sacr. diſp.*13. *dub.*8.& alios communiter.Vnde ex Vaſquez rectè Hurtado *de cenſ.in com.diſſic.*11. docet ex dictis exẽplis nullum actum interiorem contentum in illis præcipi, neque prohiberi, nec puniri ab Eccleſia, niſi verbo,aut alio ſigno exteriùs indicetur,quamuis coniungatur cum exteriori actu, ac proinde Inquiſitores non incurrere excommunicationem, quãuis ex odio, vel amore non procedant in cauſa fidei, niſi ſigno aliquo exteriori indicent omiſſionem producendi prouenire ex odio, vel amore, nec Monachum Benedictinum, quamuis adeat Curiam animo accuſandi Superiorẽ, niſi exteriùs indicet eo animo adire, nec eos, qui in contemptum diei Dominicæ ea die ieiunant, niſi indicent exteriùs id fieri in contemptum,nec eos, qui interiùs diſcredunt, niſi exteriùs indicẽt animum hæreticum, imò non ſufficit poſtea fateri ſe interiùs diſcredidiſſe,nec adijſſe Curiam eo animo,nec nõ proceſſiſſe in cauſa fidei,ex odio,aut ex amore;quia id nõ eſt diſcredere,nec adite Curiã eo animo,nec non procedere in cauſa fidei ex odio,aut ex amore.

RESOL. XLIX. *An actus,vel omiſsio externa,per quam feratur cenſura debeat eſſe ſignum actus interni?*

IAm dictum eſt in ſuperiori reſolutione Doctores docere ob ſolum actum internum non poſſe imponi cenſuram,ſed eſſe neceſſarium actum, vel omiſſionem externam;ſed vt verum fatear non ſatis explicarunt, an actus, vel omiſſio externa debeat eſſe ſignum actus interni;id verò fusè & ſubtiliter explicarunt duo illa lumina Societatis IESV, Vaſq.& Suarez.

Difficultas igitur eſt,an quando actus externus non eſt ſignum externum ſub peculiari ratione malitiæ, ob quam imponitur ab Eccleſia cenſura, incurratur,v.g. ſi imponatur excommunicatio ob peccatum hæreſis, & quis ex iudicio hæretico faciat actum externum, qui non ſit ſignum hæreſis quando eſt,an propter talem actũ incurratur pœna impoſita? Pater Vaſq. *in p.2.diſp.*160.*c.5.n.*20.*& c.3. & tr.de excom.dub.*19. docet,neceſſarium eſſe vt opus externum ſit ſignificatiuum actus interni ſub ratione, qua eſt prohibitus actus externus ab Eccleſia; & ratio eſt, quia actus exterior ſub ratione malitiæ omnino eſt incognitus Eccleſiæ. nã neque ex materia habet eam malitiam,neque eſt ſignum malitiæ ex fine quæ latet in voluntate. ergo.

Verùm Pater Suar.*de cenſ.diſput.4.ſect.2.n.*18.quo ad præſentem quæſtionem docet, primò ſi actus externus ſit ſecundùm ſe bonus non incurrere hominem operantem cenſuram impoſitam propter tale opus,probat *n.*2. quòd ſit bonus,& non eſt ſignum malitiæ ex fine,neque ab Eccleſia poteſt iudicari malus ob ſolam circumſtantiam finis. Secundò docet *n.*22.poſſe Eccleſiã prohibere actionẽ externam ex ſe malam,& prohibere illam,vt procedentem à peculiari affectu,& non ab alio,& hoc putat probari aliquibus argumentis quibus probari ſolet Eccleſiam punire poſſe actum internum vt connexum exteriori;& vlteriùs probat,quia etiamſi quis externo actu profiteretur hæreſim,ſi internus veram fidem retineret,non incurreret pœnam hæreſis.ergo poteſt Eccleſia actum externum punire vt coniunctũ peculiari actui interno.Tertiò docet *n.*25. Eccleſiam poſſe punire actum externũ propter defectum interni,quando eſt quaſi de ſubſtantia externi,& *num.*27. concedit poſſe aliquem incur-

incurrere pœnam ab Eccleſia ampoſitam ob defectum talis actus interni, etſi exteriùs nullum ſit ſignum eius defectus. Hæc Suarez.

Sed Turrianus *de cenſ.lib.1.diſp.4.dub.2.*& meritò magis approbat ſententiam Vaſq. & propter eius rationem approbat primum dictum Suarez. Tertium verò Turriano diſplicet, quia ratio facta pro ſententia Vaſq. eandem vim habet, quia ſicut intentio aliàs mala circa actionem ex ſe bonam externam non poteſt eſſe nota Eccleſiæ, quando nullum eſt ſignum externum. ergo vtrumque eſt per ſe incognitum Eccleſiæ. Et patet, quia ſi Eccleſia vellet imponere ob talem defectum aliquã pœnam diſtinctam à cenſura, quæ eſſet ab Eccleſia infligenda exteriùs, non poſſet, quia non poſſet probare in foro externo illud peccatum ex defectu ſigni externi, & non ſolùm ex defectu teſtimonij, vt per accidens contingit in aliis peccatis, vt ſunt ex ſe cognoſcibilia ab Eccleſia ob ſignum externum. Circa verò ſecundum dictum Patris Suarij non dubitat Turrianus poſſe Eccleſiam punire actum externum ob peculiarem actum internum, vt Suar. probat; ſed contendit non incurri cenſuram impoſitam ob actum externum cum illo interno, niſi exteriùs conſtet de affectu illo interno.

RESOL. L. *An ſi iudex ſit excommunicatus, validè alium excommunicet?*

DOctores communiter conueniunt in hoc, quòd nullus Clericus, iudex, vel alius excommunicatus, vel ſuſpenſus nominatim denuntiatus, aut notorius Clerici percuſſor, habet poteſtatem excommunicandi, quando & vbi eſt manifeſtus; & ſi tentet ferre excommunicationem, talis excommunicatio erit nulla. & ratio huius eſt, quia iudex talis non toleratur ab Eccleſia, & eſt illi penitus ablata iuriſdictio. Sed controuerſia tota eſt, quando talis iudex excommunicatus, aut ſuſpenſus eſt occultus, multi enim aſſerunt talem iudicẽ non habere auctoritatem excommunicandi, & quòd ſi tentet excommunicare excommunicationem eſſe nullam. Ita Angel. *in ſum. ver. excommunic.* Ledeſma ſecutus *gloſſ.* 24. *q.* 1. Et ratio illorum eſt; quia excommunicatio, & ſuſpenſio tollit iuriſdictionem excommunicandi, & ſuſpendendi. Contraria ſententia eſt communis aliorũ, quòd iuriſdictio excommunicandi, vel ſuſpendendi non tollitur niſi per manifeſtam ſententiam. Et ita docet Bizozerus *in ſum. de excomm. part. 2. cap. 1. num. 5.*

RESOL. LI. *An Inquiſitores poſſint excommunicare Epiſcopos, & è contra Epiſcopi Inquiſitores?*

CAſus eſt practicabilis, & accidit in hoc Regno annis non multum elapſis. Aliqui negant, affirmant alij, vt obſeruat Trimarch. *de Conſeſſ. ſollic. diſp.* 8. *ſect.* 3. *n.* 37. Sed Megalius negatiuæ ſententiæ adhæret *in* 3. *lib.* 1. *cap.* 3. *q.* 2. *n.* 43. vbi ſic ait: Nec Epiſcopi ab Inquiſitoribus ligari cenſuris poſſunt. cũ ſit ipſis Inquiſitoribus generaliter prohibitum ne contra Epiſcopos procedant. *c. Inquiſitores, de hæret. in 6.* Nec ipſe Epiſcopus hanc iuriſdictionem habet contra ipſos Inquiſitores, cùm ſint Officiales Summi Pontificis, qui cenſuris ligari non poſſunt, vt *in d. Extrauag. cùm Matthæus.* Ita ille. Verùm Didacus Cantera *in qq. crimin. cap.* 1. *de hæret. n.* 65. teſtatur Inquiſitorem Conquenſem excommunicaſſe Epiſcopum eiuſdem ciuitatis.

RESOL. LII. *An qui habet poteſtatem ferendi cenſuram, poßit ea vti in ſua cauſa?*

REſpondeo negatiuè ex *c. inter querelas, cap.* 23. *q.* 4. Nemo enim permittitur eſſe iudex in propria cauſa; quod tamen intelligit Innoc. IV. *c. dilecto filio, de ſent. excomm. in* 6. vbi Prælatus cenſuram fert per modum iudicij, non autem per modum defenſionis cõtra violentum inuaſorem, quod ex eo licere docet, quia iura omnia vim vi repellere & ſe defendere permittunt. Quo caſu etiamſi cenſura habeat rationem pœnæ, tamen primò & per ſe non infligitur vt vindicetur delictum, ſed vt præcaueatur maius malum, quod iure impedire poſſumus. Notat quoque Abbas ad *c. cùm veniſſent, de iudiciis*, idem licere non ſolùm per modum defenſionis, ſed etiam propriè dictum iudicium exercendo, vbi cauſa eſt tam manifeſta, vt neque poſſit negari, neque indigeat examinari. Et ita docet Mercerus *in* 3. *p. de Sacram. q.* 20. *dub.* 4. vbi etiam notat quòd etiamſi nemo poſſit incidere in cenſuram à ſe ipſo latam, poſſit tamen occaſione cenſuræ à ſe lætæ incidere in aliam cenſuram, quam alius tulerit, v.g. communicando cum eo, quem ipſe excommunicarit, incidit in excommunicationem minorem à iure latam, quomodo etiam celebrando in Eccleſia à ſe interdicta, fiet irregularis.

RESOL. LIII. *An excommunicatus ſi ſacramentum Pœnitentiæ recipiat, validè abſoluetur?*

ALibi ego fusè hoc dubium pertractaui cum multis Doctoribus, quibus nunc viſum eſt addere Moſcoſum *in ſum. tract.* 16. *c.* 2. *n.* 2. vbi ſic aſſerit. [La dificultad en eſte caſo eſtà en ſi el deſcomulgado tolerado, y el denunciado, y no tolerado recibieſſen el ſanto Sacramento de la Penitencia, ſi es valido? Coſa muy cierta es, que ſi el tal deſcomulgado ſabe que lo eſtà, y ſin abſoluerſe, ni confeſſar la deſcomunion, ni hazer caudal della, confieſſa, que el tal no va diſpueſto, pues ponit obicem Sacramento & gratiæ, procurando recibirle contra el mandado, y preceto de la Igleſia el Sacramento es nulo. Pero caſos ay, en que aunque eſtè deſcomulgado, y no abſuelto recibiendo el Sacramento de la Penitẽcia, ſea valido. Lo primero quãdo ignora inuincibilmẽte, y ſin culpa que eſtà deſcomulgado, entonces ſin duda recibe el Sacramẽto, y la gracia, como ſi ignoraſſe inuincibilmente alguno otro pecado, y no le confeſſaſſe. Lo ſegundo ſi confeſſando ſus pecados con oluido natural inculpable, no ſe acuerda de la deſcomuniõ, y mas dizen algunos Autores que aunque eſta ignorãcia ſea en alguna manera culpable, como ſe halla en algunos, que no les paſſa por la imaginacion que poner las manos en vn Clerigo de prima tonſura es pecado, ni que trae aneja deſcomuniõ, o no aduierten las deſcomuniones que ſe ponen cõtra los que hurtan la fruta, o no ſabẽ, y no conſiderã que es pecado mortal pedir abſoluciõ de los pecados,

y no

y no de la deſcomunion.y ſi la tal ignorancia,y oluido es culpable,no anula la confeſſion de tal manera que ſea neceſſario boluerla à hazer, aunque como los Theologos dizen, aquella Confeſſion ſeria informe,y no ſe ha de boluer à reyterar, ſolo ay obligacion de cõfeſſar la negligencia,y oluido que tuuo en confeſſar la deſcomunion, y pedir la abſolucion della primero. Verdad es,que ſi la negligencia,y oluido fueſſe craſſa enteramente, y aferada, que es de propoſito no quererlo ſaber, la confeſſion ſeria inualida. Lo tercero,ſi el penitente confeſſaſſe ſus pecados, y la deſcomunion, y pidieſſe abſolucion della, y deſpues el Confeſſor ſe oluidaſſe de abſoluerle della,y abſoluieſſe de ſolos los pecados,la confeſſion ſeria valida, y daria gracia,pues el penitente hizo de ſu parte, todo lo que deuia.La razon deſta verdad es(como eſtà dicho) porque la Igleſia no tiene dados por inualidos los Sacramentos que recibe el deſcomulgado, y aſſi hemos de juzgar del,que recibe el Sacramento de la Penitencia deſcomulgado, como del que recibe en otro qualquiera pecado, que ſi lleuan ignorancia inuincible, reciben gracia, y ſi con ignorancia algo craſſa del peccado, o deſcomunion le reciben informe,y ſin gracia] Ita ille,& ego.

RESOL. LIV. *An excommunicatio lata contra aliquos, quorum vnuſquiſque tamen minimam quantitatem furati ſunt,ſit valida?*

AFfirmatiuè reſpondeo,& ideo docet Moſco-ſo *in ſum.tract.6.c.5.num.*8.vbi ſic ait[Quando ſe pone cenſura contra los que hurtando cada vno vna pequeña cantidad ſin ſaber vnos de otros,hurtan toda la vua de vna viña, atento qnel el pecado de cada vno fue venial; ay controuerſia entre los autores, como puede la excomunion mayor ligar à cada vno: facil es de entender conſiderando la reſtitucion que cada vno deue hazer,porque aunque el hurto es venial,luego que viene a ſu noticia el notable daño que al dueño ſe le ha hecho por ſu hurto, y los demas, a de reſtituyr ſu parte ſo pena de pecado mortal,y la deſcomunion cae ſobre eſte pecado mortal, y la contumacia de no querer reſtituyr.]Ita ille,& communiter DD.

RESOL. LV. *An ad valorem cenſuræ prærequiratur contumacia reſpectu Eccleſiæ comminantis ſub cenſura?*

CErtum eſt cenſuram non poſſe validè ferri, ac proinde nec incurri, niſi ob peccatũ exterius inobedientiæ, ſeu contumaciæ reſpectu Eccleſiæ. Vnde contra Caiet.*in* 2. 2.*q.* 69. *art.* 2. Almaynum *de poteſt. Eccleſiæ,cap.*10.& Cordubam *in qq.Theolog. lib.*2.*q.*27. Ad ſecundum dicendum eſt excommunicationem maiorem, ſuſpenſionem & interdictũ non poſſe validè ferri ob peccatum exterius præteritum factum abſque inobedientia, ſeu contumacia reſpectu Eccleſiæ, ſeu miniſtrorum eius, id eſt,quando non præceſſit aliqua iuridica monitio, ſeu prohibitio, qua monuerint opus illud peccaminoſum non eſſe faciendum.

Sed difficultas eſt ad valorem cenſuræ, an prærequiratur contumacia reſpectu Eccleſiæ comminantis ſub cenſura? & affirmatiuam ſententiam docet Auila *p.*2.*c.*5.*diſput.*1. *dub.*6.*concl.*6. vbi ſic ait. Dixi ſub comminatione excommunicationis,quia nulla ſufficiet contumacia quæ non ſit contra mãdatum ſub excommunicatione,quidquid videatur ſentire Couarr.*ſupr.n.*6.*verſ.& hæc quidem.*nam *c.ſacro,& c.contingit el* 2.*de ſent.excomm.* requirunt monitionem continenté pœnam excõmunicationis.

Notandum tamen eſt, qoòd tripliciter contingit aliquem eſſe contumacem. Primo modo quãdo vocatus à iudice Eccleſiaſtico ſub excommunicationis pœna non comparet. Secundò quando licet compareat,diſcedit tamen ante licentiam, vel ſententiam iudicis. Tertiò,quando licet compareat & perſeueret vſque ad ſententiam iudicis, tamen poſtea non vult parere ſententiæ. Hic triplex modus contumaciæ ponitur *in canone certum eſt* 11. *q.*3. Ita Auila.

Sed ſententiam Couarr.tenet Hurtado *de cenſuris in comm.diffic.*12.*nu.* 15. quia abſque fundamento aliquo talis comminatio requiritur,etenim quamuis ea comminatio non fiat ab Eccleſia,qui ei non obedit, verè dicitur contumax in Eccleſiam, & eam non audire, quod ſufficit vt cenſura puniatur. Dicendum eſt igitur vtramque ſententiam probabilem eſſe;ſed ego adhæreo affirmatiuæ tamquam probabiliori. & ideo contra Hurtado dicendum eſt cum Soto *in* 4.*diſt.*22.*q.*1.*art.*2.*concl.*3. Molin.*tr.* 5.*de Iuſt.diſp* 71.*n.*9.Suar.*tom.*5.*in* 3.*p.diſp.*4. *ſect.*5.*nu.*6. Sanchez *lib.*9.*de matrim.diſp.*32.*nu.*13. Graff.*p.*1. *deciſ. lib.*4.*c.*9.*n.*14.Henriq.*lib.*13.*de excom. c.* 17. Sayro *de cenſ.lib.*1.*c.*9.*n.*25.Vgolin.*eod.tract.tab.*1.*c.*9.§.5.Auila *p.*2.*c.*5.*diſp.*1.*dub.*6.Coninck *de Sacram.diſp.*13.*dub.*9. *num.*82.ad valorem excommunicationis deſideratur,vt præcedat monitio,non quæcumque,ſed ſub pœna excommunicationis,& hoc ideo fit, vt contemptus ipſius excommunicationis, & contumacia præcedat,antequam incurratur.

RESOL. LVI. *An cenſura requirat actum conſummatum?*

REſpondeo affirmatiuè, vnde quando in iure fertur aliqua cenſura propter aliquod peccatum, niſi aliud exprimatur, intelligendum eſt de peccato in genere ſuo cõpleto, & colligitur apertè ex *c.perpetuæ ſanctionis,de elect.in* 6.vbi dicitur, ſciẽter indignum eligentes nõ incurrere iuris pœnas, niſi adeò in eo perſtiterint, quòd ex votis eorũ cõmunis electio ſubſequatur. Vbi apertè ſignificatur pœnã non incurri ob peccatum, quod nõ eſt omnino cõpletum in ſuo genere, eo quòd caruit effectu, & ratio eſt, quia cùm odia ſint reſtringenda, lex imponens pœnam ſtrictè interpretanda eſt. Ita Præpoſ.*in* 3.*p.q.*1.*de cenſur.in com.dub.*6.*n.*45.Auila *p.*2.*c.*5. *diſp.*3.*dub.*5.Suarez *de cenſ.diſp.*4.*ſect.*3.*nu.*4. Sanchez *de matrim.tom.*1.*lib.*3.*diſp.*2.*n.*5. Vnde ex his infertur, quòd qui conatur percutere Clericum, ſi verè non percutit, vel quia errauit, vel quia impeditus fuit, vel aliter,non incurrit excommunicationem canonis,*ſi quis ſuadente*, & qui percutit aliquem, ſi non ſequatur mors,non incurrit cenſuram, ſi data ſit ob homicidiũ,quouſque mors ſequatur, & ſi non ſequitur, quamuis miraculosè impediatur,numquã incur-

incurret, quia quamuis ante mortem actio ex parte delinquentis sit perfecta, non tamen est perfecta, vt significatur nomine, *homicidium*, quod significat actionem delinquentis, vt coniunctam cum morte, & qui scribit ad aliquem, non incurrit censuram latam ob scribendum ad illum, quousque ad illum perueniat scriptura, & qui profert hæresim absque consensu hæretico interiori, non incurrit excommunicationem latam contra hæreticos, quia non est perfectè hæreticus. Et ob eamdem rationem, qui consulit, aut mandat opus, cui est annexa censura, hanc non incurrit, quamuis ex consilio, aut mandato fiat opus (nisi illa sit etiam extensa ad consulentes, aut mandantes.) quia qui consulit, aut mandat opus, non efficit illud in rigore. Imò addimus quòd quando censura fertur ob consilium, aut mandatum, non incurritur, si non sequitur opus, & quamuis sequatur, non incurritur ante opus secutum, quando censura principaliter fertur ob consilium, aut mandatum, statim incurritur ante sequutum opus; & quamuis numquam sequatur, vt fertur, excommunicatio *in c. 1. de homicidio in 6.* contra eos, qui mandant aliquem occidi per assassinos (quæ excommunicatio iam non habet locum, quia iam non sunt assassini) &, vt fertur *in Clem. de pœnis, cap. 1.* contra Religiosos mendicãtes, qui in concionibus docent aliquid animo retrahendi populum à solutione decimarum, subintellige tamen animo exteriùs expresso. Et hęc omnia docet Coninck *de Sacram. disp. 13. dub. 8. num. 75. & 76.* quem sequitur Hurtado *de censuris in communi, diffic. 13. num. 58. & 59.*

Resol. LVII. *An censura lata contra facientes, comprehendat mandantes, aut consulentes?*

Affirmatiuè respondet Panorm. *in c. significauit, de Iudæis, n. 2.* Syluest. *ver. excõmunicatio 10. q. 4.* Rosella *eod. ver. 1. cas. 43. num. vlt.* & ratio est, quia facientes & consentientes, pari pœna debent puniri. Secundò, nam *in cap. mulieres, de sent. excom.* dicitur, quòd illi qui non per se ipsos, sed eorum authoritate, vel mandato alij violenter imponunt manus Clerico, incurrunt excommunicationem Canonis, & redditur ibi ratio, cùm is verè committat, cuius authoritate, vel mãdato delictũ cõmittitur. Tertiò, nã quod per alios facimus, per nos facimus.

Sed tu contrariam sententiam tene cum Auila *part. 2. cap. 5. disp. 3. dub. 2. concl. 1.* Portel *in dub. Regular. ver. excommunicare num. 7.* Finellio *de cas. reseru. cas. 4. num. 20.* Alterio *tom. 1. lib. 3. disp. 2. cap. 2.* Vgolino *tab. 1. c. 9. §. vlt.* Couarr. *in cap. Alma mater, part. 1. §. 10. n. 15.* Suar. *disp. 4. sect. 3. num. 5.* Ioan. Henriquez *in comp. cas. moral. cap. 20. n. 10.* Sanchez *de matrim. lib. 3. disp. 49. nu. 2.* & aliis. & ratio est, quia cùm lex pœnalis sit odiosa, eius verba strictè accipienda sunt, secundùm propriam & rigorosam acceptionem: atqui qui mandat aliquid fieri, propriè & in rigore non potest dici illud facere, quia mandare & facere sunt actiones distinctæ. ergo non incurrit censurã latam in facientem, nisi exprimatur. Tertiò, quia quando Pontifices volunt suis censuris comprehendere etiam mandantes, expressis & distinctis verbis illud declarant, vt patet ex *cap. vlt. de pœnis in 6.* & *Clem. 1. eodem tit.* & pluribus aliis iuribus, quod non facerent, si mandantes semper comprehenderentur sub facientibus. Dicendum est igitur, absolutè censuram latam in facientem aliquid non ligare mandantem nisi hoc exprimatur, saltem implicitè, vt si excommunicetur committens homicidium, aut quacumque ratione eiusdem causa existens, certum enim est tunc non solùm mandantem, sed etiam consulentem comprehendi. Sed cùm hæc doctrina sit vera, tamen Coninck *de Sacram. disput. 14. dub. 5. num. 188.* excipit ab illa casum, nempe quando lex esset ferè frustratoria si non comprehenderet mandantes, vt esset lex prohibens sepelire excommunicatum defunctum, si sola persona, quæ suis manibus sepelit, incurrat excommunicationem, & non id mandantes. Is tamen absque sufficienti fundamento excipit, vt in eo casu non habeat locum nostra doctrina suprà dicta, ob quam *in cap. si ciuitas 17. de sent. excomm. in 6.* necessarium fuit, vt interdictum quo ciuitas interdicitur, etiam comprehenderet suburbia, quòd Pontifex illud extenderet ad suburbia, quamuis esset ferè frustratorium, si illa non comprehenderet. & ita docet Hurtado *de cens. in comm. diffic. 14. n. 64.*

Notanda sunt tamen hîc aliqua. Dico igitur primò, quòd quando sit dubium, vtrùm in excommunicatione comprehendantur mandantes, seu consulentes, iudicandum est quòd non comprehenduntur.

Dico secundò, quando excommunicatio extenditur ad consulentes, quando consilium est ita simplex quòd non influit in effectum, quia alter erat alioqui facturus, & consilium non auxit voluntatem, nec conatum illius, non incurrit consulens. Et si petis quomodo cognoscatur vtrùm consilium influxerit, vel ne? Respondeo ab ipso, qui recepit consilium, accipiendum est, & ex aliis coniecturis, scilicet si ille, qui recepit consilium, asserat se motum esse aliquo modo ex tali consilio, & voluntatem eius auctam fuisse, hoc sufficiet: si autem hoc non possit sciri ab ipso, attendendæ sunt coniecturæ. nam si ego dedi consilium alicui ad aliquod delictum, & ille ardenti voluntate illud cõmisit, statim signum est quòd meum consilium influxit: at verò quando non exequitur statim, sed post multos dies, non potest ex hoc sumi certa cõiectura vtrùm meum consilium influxerit. nam licet pro tunc quando ego dedi consilium, forsan excitauerim, & intenderim eius volũtatem, postea tamen transactis multis diebus potuit ille feruor elanguescere, & voluntas redire ad pristinum statum, in quo erat ante consilium, & tunc quamuis delictum committatur, ego non ero causa, ac per consequens non incurro excommunicationem: si autem facta diligentia, & consideratis omnibus circumstantiis, fuerit dubium, vtrùm meum consilium influxerit in effectum, licet quantum attinet ad restitutionẽ, non maneam ego obligatus, quia in dubiis melior est conditio possidentis, tamen quantum ad excommunicationem debeo me reputare excommunicatum.

Dico tertiò quòd excommunicatio quæ extenditur ad mandantes, non comprehendit eum, qui manda-

mandauit delictum fieri, si mandatus erat aliàs facturus delictum tam prompto animo, & tanto conatu, ac si sibi non esset mandatum, & hæc omnia inuenies firmata apud Auilam *vbi suprà*.

Nota etiam quòd non ligatur excommunicatione qui paratum occidere Clericum consulit tantùm percutere, quia non dicitur culpabiliter influere in effectum prohibitum sub censura. nam ad illam incurrendam requiritur peccatum prohibitum sub censura; sed in nostro casu, qui consulit minus malum parato facere maius, non peccat: ergo, &c.

RESOL. LVIII. *An si mandans, vel consulens reuocet mandatum, vel consilium, incurrat adhuc excommunicationem si delictum hoc non obstante committatur?*

AFfirmatiuam sententiam docet quoad consulentem Bonacina *de cens. in com. disputat. 1. q. 1. punct. 6. n. 7.* Molina *de Iust. tom. 4. disp. 52. n. 2.* Nauar. *cap. 27. n. 253.* & Coninck *de Sacram. disput. 14. dub. 15. q. 6. à n. 176.* & ratio est, quia in tali casu mandans, aut consulens verè est contumax, seu inobediens Ecclesiæ, quæ quidem prohibuit mandatum, aut consilium, & hoc sub censura. ergo.

Verùm ego negatiuæ sententiæ tanquam probabiliori adhæreo, quã tenet Tabiena *ver. excom. 5. cas. 1. num. 35.* Auila *part. 2. cap. 5. disput. 3. dub. 7.* Sayrus *lib. 3. cap. 26. num. 33.* & nouissimè Hurtado *de cens. in comm. diffic. 15. num. 67.* quia per reuocationem, seu per resipiscentiam ex se efficacem cessat, imò destruitur inobedientia habitualiter perseuerans. Ecclesia autem supposita institutione censurarum, vel non potest validè, vel non intendit ligare censura eum, qui ante incursionem iam non est inobediens adhuc habitualiter, sed pœnitens efficaciter, sicut etiam debet absoluere à censura incursa eum, quem efficaciter quantum est ex se, pœniter inobedientiæ factæ. & hæc omnia docet Hurtado *vbi suprà*, & nouissimè Cælestin. *in compend. Theolog. moral. tract. 3. cap. 9. difficult. 6.* vbi sic ait. Vtrùm qui consuluit homicidium Clerici, & postea retractauit seriò consilium, & retractatio peruenit ad eum, cui factum est consilium, sequuto homicidio incurrerit in excommunicationem & irregularitatem, & an teneatur restituere damna ex tali homicidio emersa? Respondetur quòd non, si adhibuit omnem diligentiam, vt prius consilium euerteret, vel ostenderet, omnibus consideratis, esse iniquum, & non amplectendum, quia in eo casu non videtur executor ipsius consilio moueri, sed potiùs sua malitia. vnde sequitur quòd huiusmodi consulens nec incurrit excommunicationẽ, neque irregularitatem, neque obligationem ad restituenda damna, quod idem dicendum de mandante, qui ante factum homicidium reuocauit mandatum, & reuocatio peruenit ad notitiam mãdatarij, quòd si reuocatio non innotescat mandatario, incidit in excommunicationem sequuto homicidio, & cõsequenter contraxit irregularitatem & obligationem restituendi omnia damna; si verò mortuus fuerit priusquã mandatarius occideret, non contrahit excommunicationem, quæ solùm ligat viuentes, non autem defunctos. Ita Cœlestinus, & quia hic casus frequenter potest accidere, diligenter notandus est ab omnibus Confessariis.

RESOL. LIX. *An si quis eadem actione, quæ sit tota simul, v. g. baculo percutiat duos Clericos, vel sclopo duos interficiat, incurrat duas excommunicationes?*

PRobabile est vnicam dumtaxat excommunicationem incurrere, quia illa est simpliciter vna transgressio & vnicum peccatum, sicut qui vno verbo blasphemat de duodecim Apostolis vnicum tantum peccatum committit, & idem dico si eadem actione duo vasa furetur diuersorum dominorum. Nec obstat quòd ex illa iaculatione plures passiones & plura nocumenta sequantur, cùm illa non sint plura peccata, sed plures effectus eiusdem peccati. Ita Cornejo *in 3. part. tra. 5. de cens. in gen. disp. 9. dub. vlt. q. 4.* & Suarez *de cens. disp. 5. sect. 3. n. 8.* qui tamen contrariam sententiam probabiliorem putant, quia illæ pœnæ feruntur ratione iniuriæ factæ tali personæ, scilicet Ecclesiasticæ, aut ratione homicidij. ergo cùm ibi sint duæ iniuriæ, & duo homicidia, simpliciter & absolutè loquendo, ratione diuersitatis personarum debent multiplicari pœnæ, quamuis ex eadem actione culpabili procedant. Et idem existimat Cornejo dicendum, propter eamdem rationem, de eo, qui eadem actione duo vasa rapuit diuersorum dominorum, si furtum erat prohibitum sub censura; sed circa hoc contrarium sentit Suarez, vnde vtramque sententiam probabilem esse puto, licet nouissimè affirmatiuam doceat Gordonus *in sum. tom. 2. lib. 7. q. 3. c. 3. §. 3. num. 23.* vbi sic ait. Quæres quid si tota actio fiat simul atque omnino vnica, & simul tempore terminetur ad plures personas, vt cũ quis vno ictu duos occidit, aut in iudice, qui simul duabus manibus trahit duos homines vi è templo contra immunitatem, vel de eo, qui eodem tempore conuersatur cum duobus excommunicatis? putant aliqui hoc delictum esse grauius, tamen vnicum esse peccatum; quia cùm totum simul fiat, vnica transgressio est, præsertim in moralibus. Respondeo tamen probabilius videri hîc esse plura peccata, quia simpliciter, v. g. sunt plura homicidia in actu externo malo & prohibito, & hoc saltem quoad excommunicationem sufficit, vt scilicet in ordine ad eam dicamus esse plura peccata, siue in speculatione Theologica de actibus malis sint plura peccata, siue non in rigore: ponderatur enim hæc externa iniuria, & absolutiones pro pluribus excommunicationibus petendæ sunt. atque hoc in praxi securius est. Sed, vt dixi, contraria sententia est probabilis.

RESOL. LX. *An percutiens plures Clericos successiuè, incurrat in tot censuras, quot sunt Clerici percussi?*

VIdetur negatiuè respondendum, quia comedere in die prohibito carnes, pisces, & oua, eadẽ continuata actione ex parte temporis est vnica transgressio, & nõ plures, vt nunc suppono, quãuis subiecta sint diuersa. ergo similiter occidere duos homines eadẽ actione continuata ex parte tẽporis. Deinde qui continuatis asportationibus per totã noctem plura ab eodem ærario furatur, vnicam tan-

tantùm excommunicationem incurrit, ſi illi furto ſit annexa excommunicatio, & tamen iſtæ actiones in materia iuſtitiæ inueniuntur. ergo ſimiliter & in noſtro caſu.

Sed his non obſtantibus contrariam ſententiam docent communiter Doctores, vt Alterius *de cenſ. lib.3. diſp.10.cap.8.* Bonacina *de cenſ. diſput.9. dub.vlt. quæſt 3.* & alij communiter, quia iſtæ percuſſiones ſunt plures formaliter, & numero diſtinctæ, vnitas enim numerica percuſſionum non tantùm deſumitur à continuatione temporis & actionis, verùm etiam ab obiecto, circa quod exercetur actio & percuſſio. igitur dictæ percuſſiones, quamuis ex parte temporis ſint continuæ, & interruptæ, ex parte verò ſubiecti & termini ad quē, ſint indiſcretæ.

Ad primum argumentum reſpondet Cornejo negando conſequentiam: & ratio diſcriminis eſt quòd actio illa occiſiua duorum hominum, cùm ſit in materia iuſtitiæ, reſpicit ipſos homines, non ſolùm vt ſubiecta, ſed etiam vt terminos diuerſos, quia iuſtitia & iniuſtitia ſunt ad alterum, & ſic actio illa, quæ aliàs erat vna per continuationem ex parte temporis, eſt nihilominus duplex & diſcreta ſimpliciter non ſolùm ex diuerſitate ſubiectorum, ſed etiam terminorum. At verò comeſtio illa continuata, & quæuis alia actio in materia temperantiæ & aliarum virtutum, quæ non ſunt ad alterum, ſicut iuſtitia, ſed ad ipſum operantem, non habet terminos ad quos diuerſos, ſed eumdemmet operantem, atque adeò non ſunt ſimpliciter interruptæ ex ſola diuerſitate ſubiecti.

Ad ſecundum reſpondetur eſſe diſparem rationem, quia dominus earum rerum cui offenſa fit, & ad quem talis iniuſtitia terminatur, eſt vnus atque idem, & ſic plures aſportationes diuerſarum rerum continuatæ ex parte temporis non conſtituunt plura furta, nec plures tranſgreſſiones ſimpliciter; ſicut illæ duę actiones, quibus duo homines interficiuntur: vnde ſi illæ res furto ſublatæ eſſent diuerſorum dominorum, eſſent plura furta, & plures inducerent cenſuras.

Notandum eſt hîc obiter ex dictis. Primò quòd ligatus ex vna cenſura eſt adhuc capax alterius, non tantùm diuerſæ rationis, ſed eiuſdem: vnde qui ſemel Clericum percuſſit, & contraxit excommunicationem, poteſt noua cenſura ligari, iterum percutiendo eumdem, vel alium Clericum.

Secundò plures cenſuræ incurruntur ab eo, qui facit vnum actum habentē plures circumſtantias, pro quibus ſingulis lata eſt ſententia cenſuræ, ſi tamen dictæ circumſtantiæ mutent ſpeciem actus moralis: ſecus autem, ſi non mutent ſpeciem, ſed ſunt eiuſdem ſpeciei. Vnde percutiens Sacerdotem qui ſimul eſt Diaconus, & Subdiaconus, non incurrit plures excommunicationes, circumſtantiæ enim Sacerdotis & Diaconi non mutant ſpeciem in hoc caſu, ſed accidentaliter tantùm ſe habent ad tranſgreſſionem legis, quæ ſolùm ſpectauit reuerentiam ſtatus Clericalis, non verò Ordinem, quo aliquis eſt initiatus. Sicut è contra ſi quis percuteret Monachum initiatum prima Tonſura, duas incurreret excommunicationes. nam illius percuſſio cenſetur duplex tranſgreſſio, vna contra reuerentiam debitam ſtatui Clericali, alteram contra reuerentiam debitam ſtatui Religioſo. nam circumſtantia Monachi diuerſa eſt à circumſtantia Clerici, cùm alia ſit conſecratio Clerici, alia Monachi. Ita Suarez *de cenſ. diſp.5. ſect.3. n* 15. & Bonacina *loco citato n.8.* & Cornejo *q.5. & vlt. vbi ſuprà.*

Tertiò nota quòd tot cenſuræ incurruntur, quot ſunt Superiores prohibentes quando habent diuerſam poteſtatem: ſecus autem ſi eamdem. nam in iſto caſu, quamuis ferentes cenſuras multi ſint materialiter, tamen formaliter in poteſtate habentur pro vno, & non cenſentur velle ferre plura præcepta formaliter diſtincta, ſeu condere nouum ius, ſed hoc non accidit in primo caſu. ergo. Vnde ex his infertur ligari duplici cenſura, qui facit aliquod prohibitum à iure communi, & à iure particulari, aut prohibitum à Papa, vel ab Epiſcopo, modò iſti intendant nouam cenſuram imponere. Item dicendum pluribus cenſuris ligari eum, qui non denuntiat, v.g. blaſphemum, ſi ponamus ſub excommunicatione deferendum ex præcepto Inquiſitoris & Epiſcopi: ſecus autem dicendum eſt de illo, qui facit contra leges ſæpiùs repetitas & innouatas ab eodem Superiore ſub excōmunicatione, non enim contrahit niſi vnam excommunicationem. Ita Bonacina *loco citato n.11. & ſeq.*

RESOL. LXI. *An qui percuſſit Clericum publicè & notoriè ſit ſtatim vitandus ante ſententiam iudicis?*

CAſus eſt frequentiſſimus, & ad illum negatiuè reſpondet Cæleſtinus *in comp. Theolog. moral. tract.3 cap.9.difficult.3.* Nam vt vitetur publicus percuſſor Clerici, tamquam excommunicatus, neceſſe eſt vt talis percuſſio nulla poſſit tergiuerſatione celari, & nullo iuris remedio, vel ſuffragio excuſari; cùm igitur in hoc caſu, & ferè in omnibus ſimilibus, poſſit percuſſor Clerici notorius dicere fuiſſe ſe ebrium, aut in ſuam defenſionē feciſſe, vel ignoraſſe excommunicationem percuſſioni eſſe annexam, & alia tergiuerſatione celare crimen, allegando in iudicio rumoris falſitatem, ideò quamdiu non conſtat per iudicis ſententiam illum iuris remedio non poſſe excuſari, nunquam dicitur notorius Clerici percuſſor, & ideò non eſt vitandus ante ſententiam iudicis, qui eum debet citare ad allegandum pro ſe. Ita Couar. *in cap. Alma mater. part.1. §.2.n.7.* & alij. Quamobrem ratò continget percuſſionem Clerici ita notoriam eſſe facto, vt non poſſit aliquo iuris remedio, aut probabilitate aliqua excuſari. Ita Cæleſtinus, qui citat Fagundez *pr.1. lib.2.cap.5.num.12.* quem ego ante illum citaui *in 2. part.tract...reſol...* Vide etiam Conink *de Sacrament. diſput.14.*

RESOL. LXII. *An ad euitandum excommunicatum ſufficiat tantùm vt ſit per publicam ſententiam damnatus de aliquo crimine, cui certum eſt eſſe annexam excommunicationem?*

HOc ſufficere putat Sotus *in 4.diſtinct.1.q.5.art.6. & diſt.22.q.1.art.4.* Henriquez *lib.13.cap.5.n.4.* Suarez *de cenſ.diſp.9.ſect.2.n.10.* & Guttierrez *in can. qq.lib.1.cap.1.num.42.* vbi ſic ait. Obſeruandum eſt quòd nomine excommunicatorum nominatim

veniunt hæretici,ſchiſmatici,& apoſtatæ,ſi ſint hæreſis, apoſtaſiæ & ſchiſmatis condemnati, atque etiam ſimoniaci,& omnes,qui per ſententiam fuerint pronuntiati. & condemnati alicuius criminis, cui annexa ſit excommunicatio, & præterea quicumque nomine proprio propter aliquod delictum fuerit pronuntiatus.

Sed licet hæc ſententia ſit probabilis,probabilior mihi videtur contraria.Dico igitur non ſufficere vt lata ſit ſententia qua aliquis ſit damnatus, ac denuntiatus de aliquo crimine, cui annexa eſt excommunicatio, vt euitari debeat, ſed vlteriùs requiri vt expreſsè ſit denuntiatus excommunicatus. Ratio eſt, quia *in d.Extrauagant.ad euitanda*,dicitur neminem teneri euitare excommunicatum, niſi cenſura fuerit denuntiata contra perſonam ſpecialiter & expreſsè: at verò quoties quis denuntiatur de ſolo crimine, cui conſtat excommunicationem annecti, non eſt denuntiata cenſura ſpecialiter,& expreſsè,ſed ſolùm virtute,& per quamdam conſequentiam. Accedit quòd cùm decretum d.Extrauag.in fauorem animarum emanauerit, potiùs eſt extendendum vt requiratur expreſſa ac formalis cenſuræ declaratio,quàm reſtringenda, vt ſufficiat tacita ac virtualis.Idem dicendum quamuis in ſententia declaretur illum eſſe hæreticum,vel alterius criminis reum, & incurriſſe omnes illius pœnas ac cenſuras,quia adhuc non eſt ſpecialiter & expreſsè denuntiata excommunicatio. Ita Coninck *de Sacrament.diſp.14.dub.2.num.*10. Reginaldus *in praxi tom.1.lib.*1.*c.*10.*n.*118.Sanchez *in ſum.tom.*1.*lib.*2.*c.*9. *num.*4. & alij penes ipſos.

RESOL. LXIII. *An cenſuræ ſententia lata ſub forma diſiunctiua, v.g. Præcipio hoc ſub pœna excommunicationis,vel ſuſpenſionis,habeat effectum?*

CAſus eſt curioſus,& ad illum negatiuè reſpondet Nauarr. *cap.* 27. *num.*61. & Sayrus *de cenſ. lib.*4.*cap.*7.*num.*3.Henriquez *lib.*13.*cap.*32.*n.*4.Vgolinus *de cenſ.tit.*1 §.2.*n.*4.& hanc opinionem teſtatur Turrian.*vbi infrà*,docuiſſe P.Vaſquez *in tract.MS.de ſuſpenſione* §.2. loquentè in ſpecie de ſuſpenſione ab officio,vel beneficio.& ratio eſt,quia iſta verba,v.g. *Excommunico,vel ſuſpendo te*,nihil determinatè ſignificant,ergo nihil determinatè efficiunt, præſertim quòd nec vtrumque præſtare valent,vt dictum eſt, nec alterum tantùm,cùm nõ ſit maior ratio vnius, quàm alterius. & ita hanc ſententiam negatiuam mordicus tenet Gordonus *in ſum.tom.*2.*lib.*7.*q.*5.*c.*1. *n.*5.vbi ſic ait. Poteſt ferri cenſura diſiunctiuè hoc modo,Suſpenſus maneas,vel excommunicatus. & aliqui putant non valere hanc formam, quia nihil determinatè ſignificat.ergo nihil determinatè efficit,cùm verba non plus efficiant,quàm ſignificent. Alij valere putant, & in re dubia debere iſtum ab vtroque abſtinere,nẽpe beneficio, & officio. Certum tamẽ eſt ex vi diſiunctiuæ propoſitionis,quòd vterque effectus non inferatur,ſed neque particula *vel* habet ſenſum copulatiuum,vt tamen aliquando contingit in propoſitione negatiua, dum ſic dico,Nemo legat,vel ſcribat tali tempore. Nec ſatis eſt,ſi dicas,verbum *ſuſpendo* includere virtute negationem. Idem enim eſſet de quauis cenſura,& expreſſa proprietas vocis non hoc ingerit audienti ex communi concipiendi modo;aliud eſſet ſi iudex declararet ſuam mentem eſſe copulatiuam,alioquin pœnalia hæc reſtringenda ſunt; non ergo vterque effectus ex hac cauſa colligitur.Quæres,an reus ſub tali forma teneatur ſaltem ad alterutrum? Ratio dubitationis eſt,quia non videtur eſſe maior ratio de vno,quàm de altero. putat Suarez valere hanc formam hoc modo,hoc eſt,de alterutro;& in arbitrio rei eſſe vt eligat quam velit partem; ſed certè hoc durum eſt,vt ignorata ſic,& necdum explicata iudicis intentione formaque manente dubia, cogatur ſibi reus eligere condemnationem in rebus,quas ſemper in mitiorem partem interpretari oporteret,nec iuſtum hîc præceptum latens in hac forma fingi poteſt,quo teneatur ad electionem huiuſmodi faciendam. neque text. *in c.præterea.de appellat.* probat valere talem formam,vt idem auctor fatetur *diſp.*3.*ſect.*2.*n.*13. Illa etiam exempla eius de indulgentia ſic conceſſa, vel de pœnitentia in foro conſcientiæ impoſita, nihil hîc euincunt. Clarum enim eſt ex vſu,& modo ſignificandi in tali materia electionem incumbere acceptanti illud quod datur. Nihil tale eſt in materia hac, pœnaque fori exterioris,& quam quiſque non petere, ſed induſtria fugere præſumitur. Quare niſi ex materiæ circumſtantijs volũtate iudicis,aut natura rei aliud conſtet,puto non eſſe validam hanc formam non determinatam. Ita Gordonus.

Sed his non obſtantibus Alterius *de cenſ. tom.*1. *lib.*3.*diſp.*9.*c.*3. & Suar. *de cenſ.diſp.*2.*ſect.*2.*n.*12. putat talem formam habere effectum,quia electio vnius partis relinquitur arbitrio eius,in quem fertur cenſura. quòd ſi iſte nolit eligere, docet ante electionem obligari vtraque ex intentione ferentis cenſuram ne omnino eius ſententia reddatur inefficax. Mihi placet, ſi pœna relinquatur arbitrio Rei, & ipſe eligit vnam determinatè, illa ligabit ex intentione ferentis cenſuram. & ita docet Turrian. *de cenſ.lib.*1.*diſp.* 4.*dub.*1. vbi obſeruat,quòd exiſtimant aliqui intentionem ferentis ſententiam eo modo eſſe vt hoc ipſo,quòd ſubditus velit violare præceptum,ligetur minori cenſura illarum, ita vt ſubditus violans legem expreſsè,non eligat virtualiter, cenſeatur eligere minorem ex voluntate ferentis cenſuram,ne maneat ille abſque alia pœna. quod non probatur firmo aliquo argumento, quòd ſi nollet pœna obligari, niſi expreſsè ſubditus eligeret,ſubdito non eligente, non incurreretur aliqua illarum,quia non eſt maior ratio vnius,quàm alterius.In quo euentu Vgolinus,& Vaſquez videntur locuti, & idem iudicium eſſet, ſi neque Superior determinaret cenſuram, neque relinqueret arbitrio ſubditi, ratio enim facta in hoc caſu eamdem habet vim.

Verùm poſt hæc ſcripta inueni Cornejo *in* 3.*part. tract.*5.*de cenſ.in gen.diſp.*5.*dub.*4.præſentem quæſtionem pertractare,vbi quærens an in tali caſu requiratur quòd iudex determinatè intendat ſpeciem cenſuræ; & reſpondet ſatis eſſe quòd relinquat eam arbitrio ipſius Rei,vt ipſe eligat,quam maluerit,quod à ſimili probatur,quia ſententia lata in foro conſcientiæ pœnitentialis ſub forma diſiunctiua

arbitrio

arbitrio pœnitentis determinanda est valida; vt si quis imponat satisfactionem pœnitenti, hoc modo, Vel tali die ieiuna, vel fac eleëmosynam, & idem est de concessione Indulgentiarum sub hac forma. Si tali die ieiunaueris, aut eleëmosynã feceris. ergo etiam in casu conclusionis erit valida censura sub disiunctione prolata: nihilominus tamen grauiter peccaret, qui sub hac forma censuram ferret, quia non est in vsu Ecclesiæ. & quia cùm de ratione pœnæ sit, quòd inuoluntariè incurratur, censura incurrenda arbitrio Rei quodammodo est contra formam, quam iudices seruare debent in pœnis imponendis.

Resol. LXIV. *An censura possit ferri sub conditione?*

Respondeo affirmatiuè ex *c. præterea, de appellat.* & ex *cap. Romana §. caueant. de sent. excomm. in 6.* & nota censuram ita latam numquam incurri donec conditio adueniat, & impleatur, & non propter hoc est dicendum censuram fuisse suspensam vsque ad aduentum conditionis, quia solùm habuit vires suas, quando conditio extitit, & tunc censetur proferri à iudice, & non tempore pronuntiationis, vt docet Couarr. *in cap. Alma mater, 1. p. §. 10. num. 6.* Vgolinus *tab. 1. cap 2. § . 2. n. 3.*

Nota tamen quòd appellatio post sententiam excommunicationis latam sub conditione, si fiat ante completam conditionem, suspendit excommunicationem. Ita Hurtad. *de excomm. disp. 13. diffic. 4. n. 11.* Auila *p. 2. c. 5. disp. 5 dub. 11. concl. 3.* qui docent cum Guttier. *in Can. qq. lib. 1. c. 4. n. 20.* hanc doctrinam procedere etiamsi iudex dicat, Nisi, v.g. satisfeceris intra mensem Petro, ex nunc es excommunicatus: nam licet verbum *ex nunc*, sit præsentis temporis, denotat tamen futurum effectum.

Sed difficultas est, an hæc appellatio possit fieri toto tempore, quo conditio non est impleta, vel solùm intra decem dies, vt fieri solet aliarum sententiarum appellatio. iuxta *c. quod ad consultationem, de re iudicata.* Abbas *in cit. cap. præterea*, docet faciendum esse intra decẽ dies, quia ius est generale. Sed contrarium docuit glos. *in cit. c. præterea.* & Nauarr. *in c. cùm contingat, de rescript. caus.* 18. quam vt satis tutam & probabilem, magisque probandam sequitur Suar. *disp. 3. sect. 6.* & fauet *c. præterea*, illis verbis, *Medio tempore.* hoc enim est totum illud tempus, quo conditio non est impleta, antequam sententia illa non est simpliciter sentẽtia, sed secundùm quid, & ideò non mirum si non comprehendatur sub iure & lege generali: & ita etiam docet Cornejo *in 3. p. tr. 5. de cens. in gen. disp. 4 dub. 2. q. 1.* & Turrian. *de cens. lib. 1. disp. 3. dub. 3.* Vnde Auila *vbi suprà* sic ait. Nota quòd licet ab alijs sententijs appellandum sit intra tempus à iure præfixum, scilicet intra decem dies: at verò ab excommunicatione sufficit appellare ante impletam conditionem, quamuis appelletur post tempus præfixum à iure ad appellandum. Et ratio discriminis est, quòd ad excommunicationem requiritur contumacia, quæ reperitur tempore impletæ conditionis, & non retrotrahitur ad tempus in quo prolata est sententia. Sic Auila. Vnde non est audiendus Vgolinus *de cens. tab. 1. cap. 20 §. 6. num. 3.* qui ab hac doctrina dissentit propter diuisionem *cap. quod ad consultationem, de sent. & de re iudic.* vbi oppositum videtur statui, quia, vt obseruat Cornejo *loco citato*, decisio illius cap. intelligenda est de alijs sententijs iudicialibus, in quibus non interuenit aliqua censura.

Sed ex his oriuntur aliquæ pulchræ dubitationes. Prima, an si pendente conditione, ille in quem censura lata est, forũ mutet, adueniente conditione censuram nihilominus incurrat? Secunda, quid si conditione pendente iudex moriatur? Et ad primam affirmatiuè respondeo. Ad secundam verò negatiuè, ex rationibus, quas adducit Cornejo *vbi suprà in 3. p. de cens. in gen. tract. 5. disp. 4. dub. 3. q. 3. & 5.* Quæritur etiam hîc, an si conditio esset de futuro, & omnino impertinens, censura esset valida? Negatiuè respondet Cornejo *loco citato* cum Hugolino & Suarez, quia hoc esset abusus spiritualis potestatis; sed hæc ratio non placet Turriano *vbi suprà.* videtur enim probare solùm talem excommunicationem illicitam esse, non autem nullam. nam iudex potest facere suum consensum dependentem à qualibet conditione. ergo talis actus cùm alias non sit iure positiuo irritus, habebit effectum: non apparet autem quo iure sit irritus, & ideò puto vtramque sententiam probabilem esse.

Resol. LXV. *An si pendente conditione, sub qua lata est excommunicatio, si creditor, v. g. terminum solutionis à iudice datum proroget, & postea debitor non soluat, incurrat talem censuram?*

Svppono contra Hugolinum *de cens. tab. 1. cap. 20. §. 6. num. 5.* posse creditorem terminum prorogare, ita vt adueniente conditione, & primo termino à iudice concesso censura non obliget. Ita Nauarr. *c. 27. n. 14.* Sylvest. *ver excommunicatio 2. n. 1 cas. 13.* & alij communiter. Sed difficultas est, quid si debitor non soluat in secundo termino prorogato; & respondent ferè omnes Doctores non incurrere talem censuram, si prorogatio facta fuit à creditore, iudice ignorante, quia prorogare, aut suspendere censuram, est actus iurisdictionis, quam non habet creditor, vt latè prosequitur Hugolinus *loco citato*, vbi plures refert, quos sequitur Sayrus *lib. 1. de cens. cap. 11. num. 20.*

Verum oppositum tenet Cornejo *in 3. p. tract. 5. de cens. in gen. disp. 4. dub. 2. q. 3.* non quia creditor censuram suspendat, sicut suspendit terminum, sed quòd à iudice suspendi credatur eo ipso, quòd creditor, ad cuius iustantiam lata fuit, suspendi voluit ad termini prorogationem. & sic effectum habebit, si in secundo termino prorogato debitor non soluat, vt alia ratione motus docet Suarez *disp. 3. sect. 6. n. 11.* & ideò dicendum vtramque sententiam non carere sua probabilitate.

Resol. LXVI. *An Episcopus possit excommunicare subditum committentem delictum in Monasterio Regularium existente in sua Diœcesi?*

Respondent aliqui quòd licet qui commisit delictum intra proprij Episcopi Diœcesim, in loco tamen exempto, non possit ab Episcopo excommunicari, quia locus extra Diœcesim, & locus exemptus intra illam, æquiparantur, quantum

ad hoc,quod eſt non poſſe Epiſcopum in eo iuriſdictionem exercere,vt habetur *in cap.cùm Epiſcopus, de officio ordinarij in 6.cap.1.de priuileg.eodem lib.cap.luminoſo* 18.*quæſt.2.in Clemen.Archiepiſcopo de priuilegijs.* Nomine autem loci exempti intelligendum eſt oppidum,aut Parochia, quæ ſunt alterius iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, nec ſatis eſt quòd exemptus ſit præcisè ratione perſonarum,vt ſunt Monaſteria Religioſorum,quia ſubditi Epiſcopi, qui intra ea Epiſcopi ſtatuta violarent, reuera cenſuram incurrerent, quia locus ille exemptus non eſt niſi præcisè quantùm adReligioſorum perſonas,& ita docet Cornejo *in 3.part.tract.5.de cenſ.in gen.diſp.6.dub.2.* Naldus *in ſumm.ver.exemptio,n.5.*& nouiſſimè Gordonus *in ſumm.tom.2.lib.7.q.2.cap.3.§.3.num.35.* Vnde Hurtado *de cenſ.in comm.difficult.8. n.33.* ſic ait. Nomine loci exempti quoad hunc effectum intelligitur locus exemptus ratione ſui,vt ſunt Abbatiæ aliquæ,& Prioratus aliqui, & non intelliguntur Monaſteria Religioſorum , vt contra Henriquez & Auilam docent Suarez *diſput.5.ſect.* 4. & Ægidius *diſput.13.dub.7.*quia locus Monaſterij non eſt exemptus , ſed tantùm Religioſi ipſi , qui non ratione loci,ſed ratione ſui ſunt ſubditi ſuis Prælatis Religioſis,ſicut filij parentibus,& vxor marito, & ideò vbique terrarum poſſunt à ſuis Superioribus ligari cenſuris , ſiue annexis ſtatuto perpetuo , ſiue præcepto,vt aduertit Ægidius *num.64.*quod intelligimus de cenſuris annexis ſtatuto totius Religionis, & præcepto Generalis ; quoad Prouincialem verò , & Superiores immediatos domorum , ſtandum eſt legibus & conſuetudinibus Religionum. Ita Hurtado.

Sed contrariam ſententiam ego teneo, quam præter Henriquez & Auilam,tenet etiam Marcellus Vulpe *in praxi fori Eccleſ.cap.1.num.32.*& nouiſſimè ex Societate IESV Theophylus Raynaudus *in tract.de monit.part.1.cap 1.q.9.*vbi ſic ait.Hoc aliqui reſtringunt ad locum plenè exemptum , qualia aiunt eſſe,non Monaſteria &EccleſiasRegularium exemptorum , ſed oppida exempta , aut parœcias quaſdam à iuriſdictione Epiſcoporum ſubductas. Non video tamen quam diſparitatem afferre poſſint quæ ad rem faciant, aut cur domos exemptas potiùs , quàm oppida , aut parœcias velint eſſe diuerſæ,& deterioris conditionis hac in parte.Similiterque non video cur Ancharanus *in cap.vt animarum,de conſtit.in 6.*ſubſcribente,vt videtur,S.Antonino *part.3.tit.24.cap.7.§.1.* id quod diximus reſtringi voluerit ad locum exemptum , cuius Prælatus ex forma priuilegij habeat in eo loco iuriſdictionem Epiſcopalem. hoc , inquam , non video quanto iure dicatur. Nam quomodolibet ſe habeat Prælatus loci exempti (quod ad rem præſentem non videtur pertinere) dummodò locus ipſe plenè exemptus ſit à iuriſdictione illius Epiſcopi intra cuius diœceſim materialiter claditur , militat ſemper eadem ratio , vt qui in eo deliquit , non ligetur talis Epiſcopi monitorio. Quare eodem planè modo philoſophandum videtur de monitorio lato ob culpam in loco exempto admiſſam, quicumque demum is locus ſit,& quomodocumque ſe habeat eius Prælatus , ac de monitorio lato ob culpam admiſſam extra Diœceſim materialiter ſumptam.Hæc omnia Raynaudus. vnde hanc ſententiam tutò in praxi ſequi poterimus.

RESOL. LXVII. *An in articulo mortis poſsit abſoluere Confeſſarius ab omni excommunicatione?*

REſpondeo affirmatiuè ex *cap fin. de cenſuris , & cap.eos,de excomm.in 6.* & ex Concil. Trident. *ſeſſ.14.cap.7.* Sed difficultas eſt , an in tali articulo poſſit ſimplex Sacerdos abſoluere ab excommunicatione præſente Parocho , aut approbato? Prima opinio negat. Secunda affirmat. & Doctores pro vtraque ego ipſe adduxi *in 1.p.tract.5.reſol.5.* Nouiſſimè verò doctiſſ.Hurtado deMendoza tertiam docet,& nouam ſententiam , aſſerit enim *in 1.tr.de fide, vol.1.diſp.84.ſect.6.§.166.*omnes Sacerdotes diœceſanos approbatos etiam præſente Prælato poſſe facultate non petita abſoluere moribundum à quouis crimine , & cenſura in foro conſcientiæ:negat autem hoc fieri poſſe à ſimplici Sacerdote,præſente approbato diœceſano. Omnes iſtæ tres ſententiæ ſunt probabiles;quidquid contra ſecundam teneat Turrianus *de cenſuris,lib.2.diſp.10.dub.2.*

Aduerte etiam in tali caſu poſſe ſimplicem Sacerdotem abſoluere moribundum , etiamſi poſſet per Confeſſarium,vel per litteras recurrere ad Superiorem, non enim ad hoc tenetur Confeſſarius, neque imponendum eſt hoc onus ſcribendi pœnitenti,quidquid in contrarium aſſerat Bonacina *de cenſ.diſp.1.q.3.punct.3.n.5.* & Zambranus *de caſibus in articulo mortis,c.4.dub.4.n.15.*

Notandum eſt etiam hîc contra Sotum *in 4. diſt.18.q.4.art.4.* Canum & alios,nullum in præſentia ponendum eſſe diſcrimen inter articulum , & periculum mortis,quantùm attinet ad hanc,quam tractamus,abſolutionem , dummodò tale ſit periculum , quod neceſſariò adeundum ſit , & ex quo veriſimili coniectura ſequatur mors. Addo *neceſſariò adeundum*,vt excludam periculum in ludo haſtarum,taurorum agitatione,& ſimilibus. ſic hæc explicata poſterior ſententia communis eſt , vt teſtatur Couarr.*cap.Alma mater,p.1.§.11.n.8.verſic.3.* Conſentiunt Ledeſma *2.4.q.26.art.1.dub.3.* Nauarr.*c.26. num.26.* & denique Sylueſt. *Confeſſ.1. num.6.* cum Paludano,Adriano,& alijs.Ratione probatur,quia ſi deberet expectari tanta illi neceſſitas, & mortis certitudo,quantam voluit Sotus , contingere poſſet,vt multi diem clauderẽt ſine abſolutione,quod omnino eſt contra Eccleſiæ mentem , & ad quod euitandum damnum , ipſa facit plenam hanc ſuis abſoluendi poteſtatẽ. Firmari idem poteſt ex iuris locis illis vbi de hac agitur abſolutione , in quibus ſine diſcrimine periculum mortis pro articulo non rarò ſumitur , quantumuis alioqui re & nomine diſtinguantur.Ita *cap.ſi quis ſuadente 17.q.4.& cap.eos qui,de ſent.excommun.in 6.* quod verò dicit Sotus reſtringenda eſſe priuilegia , verum id quidem eſt in materia odioſa,& quæ redundat in aliorum præiudicium ;at verò fauor in hac abſolutione nihil tale habet,ac proinde,iuxta regulam iuris in 6.extendi potiùs,& ampliari deberet.

RE-

RESOL. LXVIII. *An iuramentum de parendo, &c. præstandum sit semper in absolutione excommunicationis maioris, & si omittatur, quando debet præstari, an absolutio sit nulla?*

CAsus sunt practicabiles, & ad primum respondent Sylvest. & D. Anton. quos sequitur Caietanus, solum esse exigendũ in magnis criminibus, vt in hæreticis, incendiarijs, falsarijs, Clericorum percussoribus, ac similibus. Pro contraria tamen sententia facit quòd ius discrimen nullum ponat in criminibus, vt constat ex *cùm desideres. de sent. excom.* Dici tamen potest seruari posse, quod docent illi auctores citati in ea absolutione, quæ datur in foro interiori; in foro autem exteriori standum esse consuetudini loci, si legitimè præscripsit.

Ad secundum dubium an absolutio quando omittitur iuramentum, sit vtilis, seu valida? Respondeo omisso iuramento, cùm à iure præscribitur, placuit quibusdam non valere absolutionem, vt refert gl. *in d. c. cùm desideres, de sent. excommunicat. verbo, nisi forma.* & adscribitur Hostiensi. Nihilominus dicendum est valere absolutionem, vt docet glossa citata, & Abb. *ibid.* Probatur hæc communis sententia ex *cap. super eo. 2. de sententia excommunicationis*, vbi absolutio data illi, qui iurare noluit, valida affertur, nec vlla constitutio iuris est, quæ ostendat iuramentum esse de essentia absolutionis, aut ad vllam eius causam intrinsecam spectare. & hæc omnia docet Gordonus *tom. 2. lib. 7. q. 12. cap. 9. §. 3. n. 75.*

RESOL. LXIX. *Fuit olim lata excommunicatio per vim & metum, quæsierunt tunc à me an fuerit nulla?*

NVllam fuisse, docet Cornejo *in 3 p. tract. 5. de cens. in gen. disp. 2. dub. 4.* Hugolinus *de cens. tab. 1. c. 2. §. 4. n 2.* Sayrus *lib. 1. cap. 16. num. 9.* quos citat, & sequitur nouissimè doctus Iurisconsultus Antonius Cabreros de Auendaño *in tract. de metu lib. 2. cap. 31. num. 171.* cuius fundamentum est quòd absolutio ab excommunicatione per eamdem vim & metum extorta, est inualida, vt expressè deciditur *in cap. vnic. de ijs quæ vi, metusve causa fiunt, in 6.* ergo similiter est inualida excommunicatio eodem metu extorta. Confirmatur secundò, quia iura in fauorabilibus sunt amplianda, & in odiosis restringenda. ergo si absolutio censetur iure irrita ratione metus, & violentiæ, multò magis id censendum est de ipsa excommunicatione; quia excommunicatio odiosa est, absolutio verò fauorabilis. Tertiò adstruitur ex vulgari regula à pluribus approbata, nimirũ quòd quando aliqua veteri iure facta sunt paria, id, quod iure nouo de vno statuitur, extendi debet ad alterum; sed ius ligandi, & soluendi sunt paria. ergo quod *in d. cap. vnic.* statutum est de absolutione, idem similiter statutum censeri debet de ipsa excommunicatione. Quartò probatur ex text. *in cap. verbum Dei, de pœnitentia dist. 1.* vbi dicitur eum, qui non habet potestatem absoluendi, non habere potestatem ligandi. ergo sicut metu coactus inualidè absoluit, ita etiam inualidè excommunicat. Hæc sententia est probabilis.

Sed non minùs probabilem contrariam esse existimo, nempe excommunicationem latam per vim & metum esse validam, & ita tenet Coninck *de Sacrament disput. 13. dub. 5. num. 36.* Merolla *tom. 1. disp. 1. cap. 3. dub. 19. num. 257.* Suarez *de cens. disp. 2. sect. 5. num. 2.* Alterius *de cens. tom. 1. lib. 3. cap. 2. disp. 9* & alij. Et ratio est, quia ea quæ metu fiunt, valida sunt, nisi iure aliquo impediantur, cùm voluntas coacta voluntas sit, ex Aristotele *3. Ethic. cap. 1. & l. si mulier, §. si metu. ff. quod metus causa.* ergo, &c. Deinde qui per metum fert excommunicationem, habet intentionem ligandi, vel non. Si primum, non obstat metus quominùs vim ligandi habeat, si quidem intentio nunquam potest aliqua vi humana extorqueri. Si secundum, excommunicatio erit irrita, sed non ratione metus, sed defectu intentionis. Et ideò hanc sententiam nouissimè tenet Hurtado *de censur. in comm. difficult. 6. num. 24.* vbi sic ait. Quòd autem censura feratur metu graui, seu cadente in constantem virum, non obstat valori censuræ, quia censura sic lata nullo iure irritatur, quia in primis non iure naturali, quia quamuis eo metu fiat, est simpliciter voluntaria, deinde non iure aliquo positiuo, quia nullum est, quo irritetur, etiamsi absolutio à censura, quamuis fauorabilis, ipsi absoluendo irritetur, *in c. vnico, de ijs, quæ vi, metusve causa fiunt, in 6.* quia ad hanc irritandam fuit maior ratio, quàm ad irritandam lationem censuræ. quia crebriùs contingit absolutionem fieri metu, quàm lationem censuræ, præsertim quòd nullitas absolutionis metu extortæ sit fauor potestatis Ecclesiasticæ, quæ maximè infirmaretur, si absolutio sic extorta maneat valida, non verò si latio censuræ aliàs iusta, & magis prospiciendum est fauori potestatis Ecclesiæ, quàm delinquentis indigni fauori. Hæc Hurtado, cui libenter adhæreo.

RESOL. LXX. *An si cessante excommunicatione Papali, cesset etiam Episcopalis?*

NEgatiuè videtur respondendum per ea, quæ adducit Graffius *decis. aur. part. 1. lib. 1. c. 13. n. 62.* vbi sic ait. Adnotandum est quòd si Summus Pontifex super aliquo incidenti excommunicationem ferat, & super eodem Episcopus alia excommunicatione subsequatur; si Summus Pontifex suam excommunicationem abstulerit, legitima causa superueniente, non censetur de iure Episcopalis excommunicatio sublata, quia quando sunt duo impedimenta, vno sublato, alterum non tollitur. arg. *cap. ex tuarum, de auth. & vsu pall. l. si domus. ff. de seruit. vrb. prad.* vnde non poterit de iure quilibet Sacerdos proprius absoluere. Ita Graffius. Et post illum docet etiam Aloysius Bariola *in Aphorism. littera E. ver. excommunicatio. §. 13.* Sed ibi obseruant contrarium in praxi seruari, vt etiam obseruat Ragucius *in Lucerna Parochorum, tit. de Absolutione, quæst. 133. num. 2.* & ideò Naldus *in summa verb. Episcopus, num. 8.* sic ait. Episcopali censura concurrente cum Papali, id est, quòd idem peccatum censuræ subdatur per Papam & Episcopum, tunc si Papalis tollitur, vsu communi interpretari dicitur, vt etiam Episcopalis resetuatio sublata censeatur. Ita ille, & ego.

RESOL. LXXI. *An ligentur excommunicatione accedentes ad Monaſteria Monialium Regularibus ſubiecta, ſi ſtatutum Epiſcopi inferat cenſuras contra accedentes ad Monialium Monaſteria?*

AD hunc caſum reſpondet Aloyſius Bariola *in Aphor. lit. E. ver. Epiſcopus*, §. *vlt.* ſic enim aſſerit. Epiſcopi ſtatutum ligans excommunicatione accedentes ad Monaſteria ſibi ſubiecta, non autem accedentes ad Monaſteria Regularibus ſubiecta, niſi ſpecialis mentio fiat de Cœnobijs exemptis. Sed replicari poteſt, ſtatutum Epiſcopi affigere accedentes ad quæcumque Monaſteria abſque exemptorum ſpeciali mentione; quia ex Concilio Tridentino Epiſcopi à ſancta Sede ſunt delegati pro conſeruanda Monialium clauſura, quę ob frequentes acceſſus poſſet aliqua ex parte violari. Ita Bariola, qui pro negatiua ſententia adducit Genuenſem, pro affirmatiua verò Riccium. Verùm non deſinam hîc apponere ea, quæ aſſerit circa præſentem quæſtionem Bonacina *de cenſ. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 11. n. 9.* vbi docet accedentem ad Monaſteria exempta Monialium incurrere cenſuram latam per ſtatutum ab Epiſcopo contra accedentes ad illa Monaſteria. nam acceſſus fit in territorio, non verò incurrit cenſuram latam per modum ſtatuti contra loquentes cum Monialibus. nam allocutio fit in loco exempto. Ita ille.

RESOL. LXXII. *An non reſtituens ex opinione probabili, ſi condemnetur à iudice reſtituere ſub excommunicatione, illam incurrat?*

REſpondeo affirmatiuè cum Auila *de cenſ. part. 2. c. 6. diſp. 1. dub. 2. concl. 2.* vbi ſic ait. Quando cauſa eſt dubia ex vtraque parte, ſi feratur excommunicatio in fauorem vnius partis, ligat in conſcientia. v.g. Petrus & Ioannes litigant ſuper fundum, & Aduocati inſignes pro vtraque parte dicunt iuſtitiam eſſe pro ſua parte. iudex præcipit Petro ſub excommunicatione latæ ſententiæ quòd intrà certum terminum tradat fundum Ioanni, tenetur obedire ſub excommunicatione in foro exteriori, & etiam in interiori, ſi non appellet, vel quærat alia remedia iuris, & ſi celebrat poſt talem excommunicationem, erit irregularis, quantumcumque ſui Aduocati dicant talem ſententiam eſſe iniuſtam. & probatur. Iudex habet ius ad determinandum vnam, vel alteram partem, provt iudicauerit eſſe conforme iuri. ergo eius ſententia eſt iuſta, & per conſequens illi eſt obediendum. Et ita hanc ſententiam tenet etiam Ioannes Sancius *diſp. 48. num. 33.* & & ante omnes Soto *in 4. diſt. 21. quæſt. 1. art. 5.*

Nota tamen quòd Auila *loco citato* intelligit hanc doctrinam eſſe veram quando iuſtitia cauſæ eſſet dubia quantum ad ius, quia ex vtraque parte habet rationes & opiniones probabiles; at verò quando eſſet dubia quantum ad factum, & iudex reputans eſſe iuſtam, ex falſa præſumptione ferret ſententiam excommunicationis contra Petrum, licet durante hoc dubio Petrus ſe gerere debeat & excommunicatus in publico, & in ſecreto, tamen ſi in rei veritate cauſa non fuit iuſta, excommunicatio in rei veritate erit nulla, & non ligabit in conſcientia. Ita videtur tenere Soto *loco citato*, & Medin. *Cod. de reſtit. quæſt. 3. cauſa 7. verſ. quando autem.* qui docent, quòd quando ſententia eſt declaratiua, licet ſit lata ſecundùm iura & allegata, & probata, non reddit ſecurum in conſcientia eum, in cuius fauorem lata eſt, ſi innititur falſæ probationi, vel præſumptioni, quia talis ſententia non aufert directum dominium, nec alteri accreſcit ius, vnde ſi poſtea conſtet de veritate, non eſt habendus pro excommunicato, quamuis antea peccauerit mortaliter non obediendo, quia in dubio tenebatur parere.

Sed quid dicendum quando opinio in fauorem Rei excommunicati eſt probabilior? Bonacina *de cenſur. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 10. num. 11.* docet, quòd quando probabilior eſt ſententia affirmans cauſam, propter quam lata eſt cenſura, eſſe inualidam, valdè probabiliter ſuſtineri poteſt ſubditos non ligari cenſura. Ita ille. qui citat Suar. ſed de hoc ſuprà dictum eſt.

RESOL. LXXIII. *An Prælati Regulares teneantur ferre cenſuras in ſcriptis?*

DIximus ſuprà cenſuras eſſe ferendas in ſcriptis, & non ſolo verbo, & aliter facientes peccant, & incurrunt in ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem, & à diuinis, quam ſuſpẽſionem etiam incurrit ferens cenſuram ſine expreſſione cauſæ, vt docet Angelus *ver. ſuſpenſio. 1. num. 16.* Nauarr. *cap. 27. num. 8.* Auila *part. 2. cap. 2. diſp. vn. dub. 3 & part. 3. diſp. 3. dub. 1. concluſ. 4.* & alij.

Sed difficultas eſt, an Prælati Regulares ſi ferant cenſuras ſine ſcriptura peccent, & in ſuſpenſionem incurrant. Prima opinio negat, quia durum videtur ipſis ſeruare hunc ordinem, cùm ſæpè cenſuras ferre debeant; & pro hac opinione Bonacina *de cenſ. diſput. 1. quæſt. 1. punct. 9. num. 2.* citat Sayrum, & Henriquez. Secunda opinio affirmat, quia *in cap. cùm medicinalis, de ſententia excommunicat. in 6.* abſolutè loquitur, nec adeſt ratio ſufficiens, propter quam excipiendi ſunt Religioſi, qui non debent temerè & ex leui cauſa graues cenſuras ferre. Tertia opinio aſſerit Prælatos Regulares non poſſe ferre cenſuras ſine ſcriptura, quando illas ferunt per modum ſtatuti; ſecus autem per modum ſententiæ particularis contra aliquem, & ita ſtantibus priuilegijs docet Portel *in dub. Regular. ver. excommunicare, num. 1.* vbi ſic ait. Prælatus ponens ſine ſcriptis excommunicationem per modum ſtatuti, incurret pœnam iuris, quæ eſt ſuſpenſio officij. Illa autem erit per modum ſtatuti, vel ordinationis, quæ ponitur omnibus fratribus Prouinciæ, & permanenter, Rodriquez *ibidem.* & reuera Leo X. *compen. verb. excommunicatio.* §. 7. excuſans Prælatos excommunicantes abſque ſcriptis, ſolùm loquitur de excommunicatione ab homine, & contra particularem, & proinde ſi ſtat per modum ſtatuti, & non ponatur in ſcriptis, incurrunt pœnam prædictam. Et quid ſi Guardianus pro ſuo triennio dicat ſub excommunicatione, ne ſui ſubditi talem domum ingrediantur, vel quid ſimile; ſi hoc faciat ſine ſcriptis, ſi incurret? Ego credo quòd ſic, quia illa non eſt ab homine, neque contra aliquem fratrem particularem, & ſi non eſt ſtatutum, eſt ſaltem ordinatio. Et Leo X. ſolùm excuſat excommunicantem

aliquem

aliquem particularem. Excuſabit tamen inaduertentia,ignorantia, vel conſuetudo præſcripta. Ita Portel. cui etiam adde Villalobos *in Manuali Confeſſariorum,cap.*12.*num.*7. vbi ſic ait. [Algunas condiciones pone el derecho que ſe deuen guardar en poner las cenſuras.La primera que ſe ponga por eſcrito, aunque ſi ſe hizieſſe ſin eſſo valdria, y Leon X. concedio que los Prelados de la Orden de los Frayles Menores de la Obſeruancia,quando deſcomulgan à algun frayle en capitulo o comunidad, no eſten obligados à ponerla por eſcrito, mas el Prelado que pone deſcomunion por via de eſtatuto (como ſi la puſieſſe a todos los frayeles de la Prouincia, ò Conuento, para que no hagan tal coſa) ſin eſcrito, incurre en la pena de ſuſpencion, como los demas, que no ay para eſſo priuilegio.] Sic ille,& ego.

RESOL. LXXIV. *An pro excommunicatis toleratis liceat publicè orare, & ſacrificia offerre?*

NEgatiuam ſententiam tenet Filliucius *tom.*1. *tract.*12.*cap.*2. *num.*40. Gordonus *tom.*2. *lib.*7. *quæſt.*8. *cap.*1. *num.*4. Vaſquez *de excommun. dub.*2. Auila *part.*2.*cap.*6.*diſput* 9 *dub.*6. Sotus *in* 4.*diſtinct.* 22.*quæſt.*1.*art.*4.*concluſ.*2.Mercerus *de Sacrament.in* 3. *part.q.*21.*dub.*3. Suarez *de cenſ.diſp.*9.*ſect.*2.*num.*17.*& ſeq.* & alij. Probatur primò, quia hæc prohibitio ante hanc conſtitutionem habebat in illis locum. ergo etiam poſtea,cùm expreſsè dicat Concilium Conſtantienſe ſe nolle eos in vllo releuare,nec aliquod ſuffragium eis præbere; releuaret autem ſi pœna hæc in illis non haberet locum poſt iſtam conſtitutionem. Nec dici poteſt eos directè non releuari,ſed indirectè, & conſequenter propter fauorem alijs fidelibus directè exhibitum. Non enim hoc ſpectat ad fauorem aliorum, vt qui neque hoc intendunt, neque fructum vllum inde percipiunt. Probatur ſecundò, quia ex primis verbis patet hanc conſtitutionem tantùm loqui de communicatione externa, tam in diuinis Officijs, quàm in negotijs ciuilibus, non autem de hac interna communicatione per participationem ſuffragiorum. Nec refert,quòd addatur generaliter, *aut alijs quibuſcumque diuinis*.hoc enim conuenienter accipitur de diuinis Officijs, v.g. audienda Miſſa,& horis Canonicis publicè recitandis.

Sed his non obſtantibus affirmatiuam ſententiam tenendam eſſe puto cum Megala *in* 3.*part. lib.*2.*cap.*2.*num.*20. Hurtado *diſput.*3.*de excommunic. difficult* 4.*num.*10. Coninck *de Sacrament. diſput.*14. *dub.*6.*num.*40. Henriquez *lib.* 13. *cap.*11. *num.*2. Nauarro *cap.* 27. *num.*36. Probatur, quia Concilium Conſtantienſe abſolutè concedit vt poſſimus cum talibus communicare in omnibus Officijs diuinis; atqui ſub hac communicatione comprehendit etiam illam applicationem ſuffragiorum. ergo hanc concedit. Minor probatur primò, quia cùm talis conceſſio ſit fauorabilis,extendenda eſt, quantum verba patiuntur; hanc autem ſecundùm communem loquendi modum facilè patiuntur, nam ob hanc applicationem & participationem dicitur in Eccleſia eſſe communio Sanctorum. hinc Eccleſia ſemper hæc duo pro eodem accepit, Nos cum aliquo communicare,& orationes publicas pro eo facere, vt patet ex *cap.ſacris* 38. *& cap.à nobis* 28.*de ſentent.excommunicationis*. Secundò,quia,vt ex eiſdem capitibus patet,æqualiter hæc duo ab Eccleſia permittuntur,aut prohibentur,ſcilicet pro aliquo publicè orare,& recipere oblationes ab eo,vel pro eo factas.Nam hoc ipſo quo Eccleſia has recipit, ſignificat ſe eum facere participem ſuorum ſuffragiorum,quod nullo modo conuenit eam fictè facere; atqui talis receptio eſt aperta quædam communicatio in Officijs diuinis. ergo cùm generatim omnis talis communicatio concedatur,etiam illa receptio conceditur,& conſequenter vt oretur pro talibus excommunicatis.

Notandum eſt tamen hîc,ſuffragia communia, vt ſacrificium & orationes nomine Eccleſiæ factæ, (& ſuo modo indulgentiæ)quando ſolùm generaliter & indefinitè fiunt, aut offeruntur pro fidelibus,non fieri,nec offerri pro prædictis excommunicatis,ac proinde eis non proſunt,niſi quando ſpecialiter, ſiue expreſsè,ſiue implicitè fiunt,aut offeruntur pro illis,quia abſque dubio miniſter Eccleſiæ quando id ſpecialiter non intendit, vult conformari Eccleſiæ excludenti illos à dictis ſuffragijs, etiamſi indulgeat illi,vt ſi velit,id faciat pro dictis excommunicatis. Quòd ſi excommunicatus toleratus petat pro ſe offerri ſuffragia communia,peccat, quia petitione ipſa communicat per modum commercij cum eo,à quo petit,non verò,quia petit ſuffragia,quia alter,à quo petit,ea poteſt pro eo offerre,ac proinde petendo tantùm peccat venialiter, quia ea petitio tantùm eſt mala, quia eſt communicatio in locutione.& ita docet Hurtado *diſp.* 3.*de excommunic.diffic,*4.*num.*12.

RESOL. LXXV. *An liceat offerre ſuffragia Eccleſiæ pro excommunicatis non toleratis, ſi per contritionem iuſtificentur ante obtentam abſolutionem?*

AFfirmatiuè reſpondet Megalius *in* 3.*part lib.*2. *cap.*2.*num.*18.Henriquez *lib.*9.*cap.*15.§ 3.*in gloſſa lit.P.*Sayrus *de cenſ.lib.*2.*cap.*3.*num.*5.Auila *de cenſur. part.*2.*cap.*6.*diſp.*4.*dub.*2.*concluſ.*1.Nauarr.*cap.*27.*n.*36. Couarr.*in cap. Alma,part.*1.§.6.*num.*4.*concl.*9.& alij. eò quòd Eccleſia non videatur velle ſua ſuffragia ſubtrahere ijs, qui Deo ſunt reconciliati. & hanc ſententiam docet etiam Philipp.Faber *de cenſ.in* 4. *ſent.diſtinct.*25.*quæſt.*1.*diſput.*4.*cap.*4.*num.*142. quia,ait ille, excommunicatio eſt pœna ordinata contra contumacem & inobedientem ipſi Eccleſiæ.Cùm ergo tollitur inobedientia, & contumacia,tollitur quoque excommunicatio in foro interiori,& apud Deum, quia excommunicatio eſt effectus prouenies à peccato mortali contumaciæ, tanquam à cauſa;ceſſante autem cauſa, ceſſat & effectus eius. Cùm ergo apud Deum per contritionem ſit abſolutus, etiam apud Deum reſtituitur ad priſtinum ſtatum,& ſic gaudet ſuffragijs,alijſque bonis, quibus per excommunicationem priuabatur.

Negatiuam tamen ſententiam docet Suarez *diſp.*9.*ſect.*3.*n.*2.Hugolinus *tab.*2.*cap.*9.§.1.*n.*4.Filliucius *tom.*1.*tract.*12.*cap.*2.*n.*45.Gordonus *tom.*2.*lib.*7. *quæſt.*8.*cap.*1. *num.*7. Layman *lib.* 2. *tract.* 5. *part.* 2.

cap.2.nu.4. Turrian. *de cenſ.lib.2.diſp.9.dub.2.* Vaſquez *de excommunicatione,dub.2.& 11.* Coninck *de Sacram. diſput.14.dub.6.num.49.* Sotus *in 4.diſt. 22.q.1.art.1.* Cornejo *in 3.part.tract.5 de excomm.diſp.10.§.3.dub.2.* Præpoſitus *in 3 part.q.2.de excommun. dub.6.num.38.* Hurtado *diſp. 3 de excommunicatione, diffic.5.num.14.* Mercerus *de Sacrament.in 3 part.quæſt.21.dub.3.num.2.* vbi ſic ait. Quæritur an pœna iſta locum habeat in excommunicatis contritis, ſed à cenſura nondum abſolutis? Negant S. Anton. & Nauarr. eò quòd veriſimile non ſit Eccleſiam velle ſubtrahere communia ſuffragia membris viuis fide, & charitate coniunctis. Probabiliùs affirmant Adrianus, Sotus & Alanus, quia cenſura non tollitur per ſolam interiorem pœnitentiam, alioqui poſtea abſolutione opus non eſſet, quod conſtat eſſe falſum.

Dices hunc effectum ex intentione Eccleſiæ ſuſpendi, etiamſi cenſura plenè non tollatur. Reſp. contrarium innuit Innocent. III. *cap. ſacris, de ſententia excommunicationis*, ſignificans pro talibus excommunicatis ante abſolutionem, neque oblationes recipiendas, neque orationes Deo offerendas.

Dices ſecundò, in his excommunicatis nulla ampliùs culpa eſt: ergo nec pœna. Reſpondetur licet pœna non inferatur niſi ob culpam, tamen pœna ſæpè manet poſt culpam coram Deo ablatam, donec etiam iudicio Eccleſiæ auferatur, & ita fieri conueniebat ad timorem & reuerentiam huius cenſuræ. Hæc omnia Mercerus. Vnde puto vtramque ſententiam probabilem eſſe, licet hæc ſecunda ſit probabilior. Certum eſt autem apud me, quod etiam non improbabile putat Præpoſitus *vbi ſuprà, num.37.* & Suarez *diſp 7. ſect.1. num.7. in fine*, licere applicare communia ſuffragia Eccleſiæ ei, cuius excommunicatio eſt occulta, ſi mortuus eſt in gratia, cùm enim in eo caſu communius, moraliter loquendo, non poſſit impetrari abſolutio ſine aliqua defuncti infamia, poteſt ſine peccato negligi: non videtur autem Eccleſia velle priuare hominem communibus ſuffragijs, quo caſu non poſſit abſque nota abſolui ab excommunicatione. Capitula citata apertè agunt de eo, cuius publica & nota erit excommunicatio.

RESOL. LXXVI. *An pro excommunicato iam per contritionem iuſtificato liceat applicare ſacrificium Miſſæ ante obtentam abſolutionem?*

NEgatiuè reſpondent aliqui ex dictis in ſuperiori reſolutione, & Suarez *diſp.9.ſect.4.* circa præſens dubium duo docet. Vnum eſt ſi Sacerdos offerat vt miniſter Chriſti, & applicat pro excommunicato prodeſſe illi. Probat, quia ablata indignitate ſola manet prohibitio, quæ illum non facit indignum. ergo ſacrificium ex opere operato poterit illi prodeſſe. Secundò explicat à ſimili de adminiſtratione Sacramentorum. nam aliquod Sacramentum poteſt excommunicatus prohibitus adminiſtrare, quod in ſuſcipiente habebit effectum. Secundum eſt, nomine Eccleſiæ non prodeſſe illud ſacrificium excommunicato, quia contraria eſt intentio Eccleſiæ, nec citat pro ſe, aut contra ſe auctorem aliquem. Sed contrariam ſententiam tenet Sotus *4.diſtinct.22.quæſt.1.art.3.* Vaſquez *tract.de excommun.dub.11.num.73.& tom.3.in 3.part.diſput.217.cap.3. n.26.* & alij communiter, qui abſolutè docent hoc ſacrificium non poſſe offerri pro excommunicato, & mihi placet. Ratio verò ſumenda eſt ex dictis, quia cenſura fuit iuſta, & non eſt ablata per ſolam internam iuſtificationem. ergo ſi habet Eccleſia veram poteſtatem excommunicandi, conſtituit hominem incapacem eius effectus. Aliàs ſequeretur poſſe Sacerdotem ſacrificium applicare pro excommunicato peccatore, qui non conuertatur, & non ſolùm pro excommunicato in ſtatu iuſtitiæ, & pœnitentiæ, quod eſt contra communem ſenſum Doctorum. & hæc omnia docet Turrianus *lib 2. diſp.9.dub.2.* & Cornejo *in 3.part.tract.5.de excommunicatione,diſp.10.§.3.dub.2.*

Verùm his non obſtantibus affirmatiuam ſententiam tenet ex multis nouiſſimè Philippus Faber *de cenſ.4.ſent.diſtinct.25.quæſt.1.diſp.4.cap.4 n.148.* vbi ſic ait. Ex eodem fundamento videtur eſſe reſpondendum ad dubium de oblatione Miſſæ pro huiuſmodi excommunicato contrito, videtur enim dicendum primò quòd Sacerdos offerens Miſſam pro tali excommunicato, non peccet mortaliter, nec venialiter, quia non eſt prohibitum hoc modo offerre Miſſam pro excommunicato tali, quia ſi hęc prohibitio adeſſet, maximè haberetur ex prædictis ex *cap.à nobis 2.& cap.ſacris.* At in eis non habetur talis prohibitio, ſed ſolùm habetur ibi quòd in caſu particulari, quo aliquis excommunicatus pœnitens deferretur ad Paſtorem Eccleſiæ, non debet pro eo orationes, & ſacrificium facere priuſquam abſoluerit, ſed debere eum priùs abſoluere: at in generali non habetur quòd nõ poſſit offerri ſacrificium pro excommunicato ſic pœnitente, quando abſolutio ab Eccleſia ei conferri non poteſt, vt diximus. Et hoc videntur velle dicere illi auctores, qui aſſerunt non poſſe publicè nominatim, ſed ſolùm ſecretò pro tali excommunicato Miſſam offerri: ſi enim pro tali delato ad Eccleſiam orationes & Miſſa celebraretur, celebraretur publicè nominatim pro excommunicato, quod prohibetur ab Eccleſia; nominatim autem, ſed ſecretò nõ prohibetur. Secundò videtur dicendum quòd huiuſmodi ſacrificium valeat & proſit ipſi excommunicato pœnitenti, ſiue Sacerdos offerat in perſona Chriſti, quod concedit Suarez, ſiue in perſona Eccleſiæ, ſeu vt particularis perſona, quod negat Suarez. Ratio eſt, quia Eccleſia non intendit hunc pœnitentem excludere ab his ſuffragijs, ſed ſolùm contumacem, neque ipſe vt particularis perſona peccat, ſed opus bonum, & rectè facit, ideò vt eſt ab illo, vt etiam eſt particularis perſona valet, & ei prodeſt. Ita Faber *vbi ſuprà*; vnde puto tam negatiuam, quàm affirmatiuam ſententiam ſatis probabilem eſſe.

RESOL. LXXVII. *An liceat priuatas orationes & bona opera pro excommunicatis offerre?*

NEgatiuam ſententiam (attendas quæſo amice Lector) tanquam probabilem docet Philippus Faber *de cenſ.in 4.ſent.diſtinct.25.diſp.4.cap.4.dub.151.* vbi ſic ait. Aliqui Doctores Catholici tenent excommunicatum priuari nedum communibus & publicis ſuffragijs, & orationibus Eccleſiæ, ſed etiã priua-

priuatis, & particularibus. atque huius opinionis fuit Latomus *art.7.contra Lutherum*, vt refert Suarez *vbi suprà*. Ego quidem opinioni communiori me opponere nolo, tamen probabiliter mihi videtur posse dici excommunicatum etiam esse priuatum fructu suffragiorum, & orationum particularium. Ratio est, quia in sacris Canonibus habemus excommunicatum esse eiectum extra Ecclesiam, esse priuatū communione fidelium: at in communione fidelium, quæ explicatur in Symbolo, nedum includuntur bona, orationes, & suffragia communia Ecclesiæ, quæ scilicet à Ministris publicis Ecclesiæ fiunt in sacrificijs, & sacris orationibus, sed omnes orationes, & opera pia, quæ fiunt ab vnoquoque fideli priuatim, vt sunt ieiunia, macerationes, peregrinationes, & similia; neque enim negandum est fideles omnes his iuuari, siquidem habemus in sacra Scriptura quòd propter decem iustos Deus parcit integris ciuitatibus. Cùm ergo hæc bona pertineant ad communionem fidelium, mihi videtur excommunicatum priuari fructu istorum quoque. Accedit quòd Christus instituens & significans essentiam excommunicationis dedit exemplum, *sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus*; at certum est, quòd Ethnici & infideles non gaudēt fructu orationum & precum particularium fidelium: ergo neque excommunicatus. Tertiò vel orationes priuatæ iuuant fideles ad satisfactionem pro eorum pœnis, vel ad impetrandum eis aliquod bonum spirituale & temporale in ordine ad spirituale. At excommunicatus contumax non est capax alicuius istorum bonorum, quia pro ipso non potest satisfieri cùm sit in peccato, & inobediens. Neque est capax bonorum spiritualium, vel temporalium in ordine ad spiritualia, quia Ecclesia intendit directè priuare illum huiusmodi bonis, cùm illum tradat Satanæ in pœnam suæ contumaciæ. Quòd si quis dicat, prosunt ad resipiscentiam. Respondeo quòd hoc modo etiam prosunt fidelibus peccatoribus non excommunicatis, sed vnitis Ecclesiæ, at Ecclesia intendit priuare eum omnibus bonis, quibus fideles existentes in communione sua fruuntur. ergo cùm illum excludat à sua communione, intendit etiam illum priuare huiusmodi bonis & fructibus. Quartò auctores contrariæ sententiæ non adducunt aliquem Canonem, vel aliquam auctoritatem Sanctorum, qui hanc distinctionem faciant de oratione publica, & non priuata, vt videre est. Vnde cùm communiter dicatur excommunicatum priuari communione fidelium, eijci extra Ecclesiam, tradi Satanæ, conuenientiùs exponitur de exclusione à quocumque bono Ecclesiæ tam publico, quàm priuato, quàm à solo publico; hoc tamen probabiliter sit dictum; quia est contra opinionem communem. Vnde Suarez ipse *vbi suprà* contra Latomum disputans, rationes quidem reijcit, de opinione autem sua inquit: Quidquid sit de assertione, rationes eius non sunt magni momenti, iudicauit ergo illam probabilem.

Verùm his non obstantibus affirmatiuam sententiam docent communiter DD. Durandus *in 4. dist.15.quæst.3.* Gabriel. *q.2. dub.1.* Paludanus *quæst.1. art.1.* Richardus *art.7.quæst.2.* & ideò obseruat Cornejo *in 3.part. tract.5. de excommun. disp.10.§.3. dub.3.* hanc non esse excommunicationem prohibitam ex vi censuræ, imò neque, proprie loquendo, esse communicationem in bonis spiritualibus, aut actum amicitiæ, aut benevolentiæ, sed esse actum misericordiæ, & eleëmosynæ spiritualis, quæ ex proprijs bonis licita est, sicut etiam eleëmosyna excommunicato facta. Vide etiam Mercerum *de Sacram. in 3.part.q.21.dub.3.* & alios.

Sed difficultas est, an Sacerdos possit orare pro excommunicatis in *Memento* Missæ? & negatiuam sententiam docet Ledesma *in 2.part. 4.q.23. art.1.* Medina *in summa lib.1.cap.11.§.1.* & Auila *part.2.cap.6. disp.9.dub.5. in fine.* Sed mihi placet opinio affirmatiua, quia licet tunc Sacerdos sit publicus Ecclesiæ minister, ferens personam Ecclesiæ, non tamen ita exuit personam priuatam, vt non possit ex propria sua intentione & nomine orare pro quocumque velit, simul cum oratione nomine Ecclesiæ facta, imò & ipsas eadem orationes communes & suffragia, quæ nomine Ecclesiæ offert pro non excommunicatis, potest simul nomine suo pro aliquo particulari & excommunicato offerre, dummodo id actu mentali faciat, non nominando illum exteriùs. & ita docet Hurtado *disp.3. de excomm. diffic.6. num.15.* Gordonus *in summa tom.2.lib.7.quæst.8.cap.1. §.5.num.19.* & Cornejo *vbi suprà*, licet quoad hoc vltimum, nempe posse Sacerdotem orare pro excommunicatis in orationibus publicis Missæ non nominando illos, Turrianus *lib. 2. disput.9.dub.2.* dissentiat, cùm oratio illa fiat nomine totius Ecclesiæ. vnde si de illa formaliter loquamur, putat non esse verum quod dicit Gordonus & Cornejo, quòd si loquuntur de intentione priuata concomitante, verum asserunt. Sed quidquid sit de hoc, rectè ex supradictis Filliucius *tom.1.tract.12.cap.2. num.51.* infert, Primò licere Sacerdoti vt est priuata persona orare pro excommunicato, vel in *Memento*, vel in alijs partibus Missæ occultè & secretò, etiam si excommunicatus esset denuntiatus, quia etiamsi Missa sit publicum suffragium, & Sacerdos exerceat publicum ministerium, tamen non desinit esse priuata persona, & potest simul etiam priuatim orare, non tamen offerre Missam pro excommunicato, nec nominare illum in Canone, aut alia oratione publica.

Infertur secundò licere Sacerdoti, dum publicè orat in persona Ecclesiæ, simul etiam intentione priuata orare pro excommunicato, & facere pro eo eamdem petitionem, dummodo exteriùs illum non nominet.

Infertur tertiò licere Sacerdoti totum pium opus dicendi Missam, vel Officium diuinum, quatenus est proprium, per quod habet suum meritum, & satisfactionem, vel impetrationem ex opere operantis offerre pro excommunicato priuata intētione. Ratio est, quia hoc modo illud opus aliàs publicum sit priuatū, & de hoc nulla facta est prohibitio, quod non possit offerri pro excōmunicato.

Nota hîc etiam Hurtado docere *disp.3. de excommun. diffic.6. num.16.* celebrantem posse pro excommunicatis etiam non toleratis offerre actionem ipsam celebrandi quoad valorem priuatum ipsi cele-

celebranti correſpondentem, quia verè eſt priuatus & particularis.

RESOL. LXXVIII. *An Parochus excommunicatus non toleratus validè aſsiſtat matrimonio?*

NEgatiuè reſpondet Auila *part. 2. cap. 6. diſput. 3. dub. 1. concluſ. 5.* quia, ait, illi actus, quos excommunicatus non toleratus exercet ratione publici officij ſunt nulli, vt tradit Sylu. *ver. excommunicatio 3. num. 2. & 3.* Nauarr. *cap. 27. num. 36. ad 6.* Sed in matrimonio aſsiſtit Parochus ratione publici officij, & publicæ poteſtatis: ergo. Minor probatur, nam aſsiſtit in quantum Parochus formaliter, cuius rei ſignum eſt, quòd licet loco Parochi adhibeantur mille teſtes, non valebit matrimonium. Secundò contractus, in quibus ſecundùm ius requiritur de ſubſtantia præſentia tabellionis, ſunt inualidi, & nulli, ſi tabellio ſit excommunicatus non toleratus; ſed de ſubſtantia matrimonij, requiritur poſt Tridentinum præſentia Parochi: ergo ſi ſit non toleratus, erit nullum. Maior habetur ex gloſſa *cap. decernimus, de ſententia excommunicationis in 6. in fine.* quam ſequitur Geminianus *ibi num. 6.* Francus *num. 7.* Ancharanus *column. antepenult.* Sylueſter *verb. excommunicatio 3. n. 2. circa finem,* & communiter Canoniſtæ; ſecus dicendum eſt de teſtibus. nam licet ſint excommunicati non tolerati, valet matrimonium coram illis celebratum, quia non aſsiſtunt vt perſonæ publicæ, nec ratione publici officij, ſed vt perſonæ priuatæ.

Sed contrariam ſententiam tenendam eſſe puto cum Cornejo *in 3. part. tract. 5. de excommun. diſp. 10. §. 1. dub. 5.* certum eſt enim aſsiſtentiam Parochi non eſſe actum Ordinis, cùm ipſe non ſit Miniſter huius Sacramenti, vt ſuppono, neque eſſe actum iuriſdictionis, vt latè probat Sanchez *lib. 3. de matrimonio diſp. 1.* Sed ſolùm eſſe neceſſariam, vt auctoritatem præſtet matrimonio. ergo, &c. Et hanc ſententiam tenet etiam Raynaudus *de monit. part. 2. cap. 2. n. 23.* Hurtado *diſp. 5. de matrimonio diffic. 8. n. 26.* Coninck *de Sacram. diſp. 27. dub. 2. num. 24.* & Pontius *de matrimonio, lib. 5. cap. 17. §. vnico, num. 9.* qui reſpondet ad omnia argumenta, quæ ſuprà pro ſententia Auilæ adducta ſunt, & citat pro hac ſententia Vaſquez, Suarez, & Sanchez.

RESOL. LXXIX. *An Parochus excommunicatus non toleratus licet validè, tamen illicitè aſsiſtat matrimonio?*

PEccare in tali caſu Parochum, docet Baſil. Pontius *de matrim. lib. 5. cap. 17. §. vn. num. 11.* vbi ſic ait. Tertiò colliges Parochum excommunicatum aſsiſtentem matrimonio peccare quidem ex vi eius iuris, in quo prohibita eſt excommunicato communicatio cum fidelibus. ſentit nobiſcum Gabriel Vaſquez *de excommunicatione dub. 7. num. 7.* eſt enim communicare quidem non in Sacramentis, ea enim communicatio tantùm eſt inter ſumentem, & miniſtrantem, ſed in Sacris, qualis communicatio eſt in diuinis Officijs, Miſſa audienda, & alijs huiuſmodi, quam communicationem etiam Couarruuias aſſerit eſſe mortale peccatum. Nec verò dici poteſt Parochum illum communicare in re neceſſaria, & ideò excuſari, vt indicare videtur Thom. Sanchez *lib. 3. diſp. 21. num. 8.* neque enim ſacramentum matrimonij videtur eſſe neceſſitatis, idque exemplo teſtis idonei excommunicati, tamen confirmari poteſt. Imò addiderim non eſſe venialem culpam, eſt enim communicatio in re adeò graui & ſacra. Ita Pontius.

Sed ego aduersùs illum & Vaſquez contrariam ſententiam teneo, & ita præter Sanchez adductum hanc opinionem docet Hurtado *diſput. 5. de matrim. difficult. 8. num. 27.* vbi firmat Parochum excommunicatum, quamuis non toleratum, non tantùm validè, ſed etiam licitè aſsiſtere matrimonio, quia quamuis in his duobus communicet cum alijs, id tamen efficit ob vtilitatem, imò ob neceſſitatem contrahentium, quia abſque eo, aut abſque eius licentia nequeunt contrahere, vnde nec ipſi contrahentes peccant dum coram illo contrahunt. Si tamen Parochus ab Epiſcopo, aut ab alio competente iudice prohibitus ſit aſsiſtere matrimonio, aut licentiam conferre, ſi id efficiat, quamuis peccet, validè tamen efficiet, quia ſimplici prohibitione non priuatur dicta poteſtate, imò priuari nequit quamdiu manet Parochus (quamuis ſit ad nutum amouibilis) niſi à Papa, aut Concilio generali, quia ab his accipit poteſtatem ad dicta abſque ſubordinatione ad Epiſcopum quoad eorum valorem; quando verò Parochus tantùm eſt prohibitus Sacramenta adminiſtrare, poteſt validè & licitè aſsiſtere matrimonio, & licentiam ad id conferre, quia neutrum eſt Sacramentum adminiſtrare.

RESOL. LXXX. *An Parochus excommunicatus non toleratus validè licentiam conferat Sacerdoti vt aſsiſtat matrimonio?*

NEgatiuè reſpondet Ledeſma *de matrim. q. 45. art. 9. punct. 3. dub. 4.* & Coninck *de Sacrament. diſp. 27. dub. 2. num. 25.* quia Concilium dicit eum debere dare alteri licentiam aſsiſtendi, quod videtur eſſe actus ſuperioritatis, & iuriſdictionis. Nemo enim poteſt dare alteri licentiam aliquid faciendi, niſi habeat aliquam iuriſdictionem, aut dominium, vel in eum cui dat licentiam, vel in rem circa quam dat licentiam aliquid faciendi, vt patet in omnibus ſimilibus locutionibus. Confirmatur, quia hæc licentia non tantùm requiritur ne iuri ipſius Paſtoris præiudicetur, ſicut requiritur licentia vt poſſit quis non ſubdito dare extremam Vnctionem, ſed vt aſsiſtens qualificetur, atque idoneus fiat vt aſsiſtat. Qualificare autem aliquem videtur omnino eſſe actus iuriſdictionis.

Verùm affirmatiuam ſententiam tenendam eſſe puto, quam tuetur Hurtado *diſp. 5. de matrim. diffic. 8. num. 27.* qui citat Sanchez, Pontium, Henriquez, & Rebell. & ratio eſt, quia collatio dictæ licentiæ non eſt actus iuriſdictionis, quia non eſt inſtitutio iudicis, ſed tantùm eſt quædam deſignatio ſpectatoris matrimonij, vt poſſit de eo teſtificari, facta ex ordinatione Tridentini, à quo Sacerdos dicta deſignatione ſuppoſita accipit poteſtatem ad id, & non à Parocho, quia ea ſuppoſita Sacerdos qualificatur à Tridentino ad id, ſicut & ipſe Parochus, & non à Parocho. Vnde collatio

dictæ

dictæ licentiæ non eſt actus poteſtatis Parochi vt Parochus eſt, ſed auctoritatis à Tridentino annexæ officio Parochi.

Notat etiam idem Hurtado contra Pontium non ſolùm validè Parochum excommunicatum licentiam hanc præbere, ſed etiam licitè. quod eſt valdè notandum.

RESOL. LXXXI. *An aliquando excommunicatus poſſit recipere Sacramenta ſine peccato?*

SVppono non ſolùm excommunicatum denuntiatum, & publicum percuſſorem Clerici, ſed etiam excommunicatum occultum & toleratum non poſſe licitè Sacramenta recipere. Hoc ſuppoſito ita reſpondeo ad quæſtionem propoſitam affirmatiuè, & primus caſus eſt. Si ignoraretur inuincibiliter eiuſmodi prohibitio, cùm enim poſitiua ſit humanaque, poteſt cadere in eam ignorantiam, quæ eſſet iuris. Secundus, ſi ignoraret ſe eſſe in excommunicatione, vel non aduerterit, quæ eſſet ignorantia facti, vt frequentiùs poteſt accidere. Tertius ſi eſſet vrgens neceſſitas recipiendi Sacramenta ob vitandam grauem infamiam, ſiue ſcandalum, ſiue damnum, vt periculum mortis, vel quid ſimile, & ita docet Præpoſitus *in 3.part.q.2.de excommun.dub.7.num.39.* Filliucius *tom.1.tract.12.cap.3.n.56.* Mercerus *de Sacrament. in 3.part. q.21.dub.4.* & alij. Sed videamus,

RESOL. LXXXII. *An extra caſus prædictos ſi non licitè, ſaltem validè excommunicatus recipiat Sacramenta?*

REſpondeo affirmatiuè quoad alia Sacramenta, præter ſacramentum Pœnitentiæ. nam de hoc adeſt controuerſia, quibuſdam aſſerentibus abſolutionem ſacramentalem impenſam excommunicato eſſe nullam, ita ſentiunt plures, cum quibus ſentit Vaſquez *dub.4.de excomm.n.9.* quin imò idem tenet de eo, qui ſolùm ligatur minori excommunicatione, quia *cap.vlt. de Clerico excommunicato miniſtrante*, dicitur à participatione Sacramentorum remotus, ſed alij probabilius cenſent poſſe ſubſiſtere ſacramentalem abſolutionem impenſam excommunicato, antequam abſoluatur ab excommunicatione. Ita plures, quos citat & ſequitur Suarez *diſp.10.ſect.7.n.9.* Valent. *tom.4.diſp.7.q.17.punct.2. §. Eſſet autem Sacramentum.* Sayrus *tom.1.lib.2.cap.2. num 3.* quibus adde nouiſſimè Raynaudum *de monit part.2.cap.2.num.18.*

Dico igitur primò quòd ſi interueniat peccatum mortale in receptione pœnitentiæ, Sacramentum nullum eſt. Ratio, quia id eſt contra ſubſtantiam eius, & reddit illud irritum, vt ſuppono ex materia de confeſſione. Quare ſi excommunicatus ſciens ſe non poſſe confiteri, niſi priùs abſoluatur ab excõmunicatione, vel reticeat illam malitiosè, & conſequenter faciat confeſſionẽ non integram, vel exprimat illam, & velit nihilominus abſolui à peccatis ante abſolutionem ab excommunicatione, quia in his omnibus caſibus committit peccatum mortale in ipſa confeſſione, cõfeſſio erit nulla.

Dico ſecundò, ſi nullum interueniat peccatum mortale ex parte excommunicati, quia ſcilicet excuſatur, vel ob ignorantiam, vel ob aliam neceſſitatem, vt poteſt aliquando contingere, tunc valida erit etiam pœnitentia, & habebit effectum ſuum gratiæ, & remiſſionem peccatorum. Et ratio eſt, quia per excommunicationem nihil tollitur quod ſit de ſubſtantia Sacramenti, neque enim tollitur iuriſdictio aliorum in excommunicatum, nec ipſe eſt incapax, cùm cenſura tantùm ſit vinculum quod habet adiunctum præceptum non recipiendi Sacramenta, conſequenter tantùm reddit receptionem iniquam, non autem inualidã; ſi ergo ſit cauſa aliqua excuſans à peccato, & à tranſgreſſione præcepti, erit valida & fructuoſa receptio pœnitentiæ, neque contrarium poteſt vllo iure probari. & ita docet præter Doctores citatos Præpoſitus *in 3.part. q.2. de excommunic. dub.7.num.40.* Filliucius *tom.1. tract.12.cap.3.num.58. & 59.* Mercerus *de Sacrament. in 3.p.q.21.dub.4.num.2.*

Sed ſi quis hîc quærat, an ipſo iure pœnam incurrant, qui excommunicatis vitandis Sacramenta miniſtrant? Reſpondeo aliam non incurrere, quàm quæ generatim lata eſt propter communicationem cum excommunicatis in Sacris, quæ eſt excommunicatio minor, & interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, *c.Epiſcoporum, de priuileg.in 6.* Addit tamen Pontifex *cap.ſignificauit, de ſententia excommunicationis*, eum qui participauerit ab ipſo excommunicato, incurrere eamdem excommunicationem. Sed vt hæc pœna incurratur, requiruntur multæ conditiones, ſcilicet vt excommunicatio ſit Papalis. Secundò, vt participatio fiat recipiendo excommunicatum in Officijs. Tertiò vt participans ſit Clericus. Quartò vt ſcienter & ſponte id faciat. de quibus gloſſa *ad cap. ſtatuimus, de ſententia excommunicationis in 6.* & Caietan. *in ſum.ver.excomm. cap.58.* vbi & ampliorem reſtrictionem adiungit, iuxta Extrauag. *Ad euitanda.* ſcilicet vt excommunicatus non ſit toleratus, ne nimium rigorem hæc conſtitutio Papalis contineat. vide Mercerum & Filliucium *vbi ſuprà.*

RESOL. LXXXIII. *An excommunicatus poſſit conferre Sacramenta?*

REſpondeo excommunicatum denuntiatum, qui *vitandus* communiter appellatur, eſſe priuatum actiua Sacramentorum communicatione & ſacrificij oblatione, *cap. latores, de Clerico excommunicato miniſtrante, & cap.ſi celebrat, eodem tit.* idque ſub peccato mortali, quia tam grauis materia eſt actio miniſtrandi, quàm recipiendi Sacramentum. Excuſatur tamen primò per ignorantiam inuincibilem, & naturalem inaduertentiam. *c.Apoſtolicæ, de Clerico excomm. miniſtrante,* Secundò per neceſſitatem prouenientem ex vi, aut metu graui, aut articulo, vel periculo mortis, vt conſtat ex illa, in qua poteſt eſſe paruulus non baptizatus. De alijs Sacramentis quidam negant, ſed idem probabilius eſt de ſacramento Pœnitentiæ, vtpote medio iuris diuini, & per ſe ad ſalutem neceſſario, nec eſt improbabile de ſacramento Euchariſtiæ, propter eius ſummam vtilitatem, & præcepti diuini neceſſitatem. Ita Mercerus *de Sacr.in 3.p.q.21.dub.5.* cui adde Guttierrez *in qq.can.lib.1.c.1.n.65.* Raynaudum *de monitor. p.2.c.2. n.23.* & Præpoſitum *in 3.p.q.2.de excomm.dub.8.n.44.*

vbi

vbi sic ait, Per accidens varijs casibus potest excusari à peccato. Primò si excommunicatus etiam nominatim graui metu adigatur ad celebrandum, modò id non fiat in contemptum censuræ, & Religionis, non peccat celebrando. v.g. si Princeps volens audire Sacrum die Dominico, nec habens alium, quàm nominatim excommunicatum, illum graui metu adigat, vt celebret, hic si nō possit commodè declinare, potest non obstante censura celebrare absque peccato. Secundò si excommunicatus non posset abstinere à Sacro faciendo absque infamia, vel scandalo, quod non tantùm verum est in eo, cuius excommunicatio est planè occulta, sed etiam in eo, cuius excommunicatio in alio loco est publica. quamuis enim hypothesis non ita possit inueniri respectu loci, in quo publicè constat de excommunicatione, si tamen excommunicatus ad alium locum se transferat, in quo eius censura est ignota, nec possit ibidem sine nota abstinere à Sacro, potest sine peccato & violatione censuræ celebrare. Tertiò si id esset necessarium vt detur communio moribundo, cui aliter non possit succurri, cùm enim in illo articulo communio varijs casibus possit esse moribundo necessaria ad salutem, Ecclesia non videtur cum tanto periculo & spirituali detrimento fidelium prohibere excommunicato, ne celebret; propter quam rationem si Sacerdos ipsemet excommunicatus sit morti vicinus, nec habeat alium cui possit confiteri, & à quo possit Eucharistiam recipere, potest celebrare & se ipsum communicare. Hæc omnia Præpositus. cui adde Cornejo *in 3.p.tract.5.de excomm.disp.*10.§.1.*dub.*1.vbi sic ait. Infero primò excommunicatum denuntiatum, cui imminet mortis periculū, nisi Sacramenta ministret, posse licitè ministrare. quod intelligendum est cum duplici limitatione. Prima quòd scandalum non sequatur, nec Religioni inferatur iniuria, vt contingeret, si talis ministratio extorqueretur in contemptum & vilipendium legis Ecclesiasticæ. nam tunc priùs debet mori, quàm Sacramentum ministrare. Altera est, quòd intelligatur de illis Sacramentis dumtaxat, quæ validè possunt ab excommunicato celebrari, de quibus dicemus infrà. nam de pœnitentia, v.g. quam non potest validè ministrare, nullo metu potest eius celebratio excusari. Infero secundò excommunicatum denuntiatū in vno loco posse licitè in alio, vbi eius excōmunicatio ignoratur, administrare Sacramenta, si ex eo, quòd non ministret, sequatur scandalum, aut eius infamia, vel proprij delicti publicatio, aut aliud graue nocumentum proprium. Infero tertiò Sacerdotem excommunicatum denuntiatum, aut publicum Clerici percussorem, si non adsit aliquis, à quo priùs absoluatur imminente probabili periculo mortis propriè posse licitè ministrare sibi ipsi sacramentum Eucharistiæ, siue ex præconsecratis, siue celebrando sacrificium Missæ, & maximè in casu, quo deficiat alius Minister, à quo Eucharistiam sumat. Ratio est, quia licet hoc Sacramentum in re sumptum non sit simpliciter necessarium ad salutem necessitate medij, satis est quòd sit valdè vtile, vt non teneatur tunc ab eo abstinere cum tanto sui detrimento speciali, & præsertim, si talis Sacerdos fortè non esset contritus, sed attritus dumtaxat, existimatus tantùm contritus, in quo casu tale Sacramentum erit ei vnica causa salutis. Propter quam quòd pro illo articulo mortis tenetur viaticum recipere ex præcepto diuino, quod strictiùs obligat, quàm Ecclesiasticum, à quo illud sibi ministrare prohibetur. Ita ille. Vnde non est audiendus Auila *de cens.p.2.cap.6.disp.3.dub.3.concl.3.* & Palatius *in 4.dist.5.disp.3.* asserentes excommunicatum non toleratum non posse ministrare Eucharistiam moribundo, si sacramentum Pœnitentiæ receperit; non nego tamen cum Cornejo *vbi sup. dub.*4. hanc sententiam esse probabilem. Sed quoad excommunicatos toleratos non desinam hîc apponere verba Raynaudi *de monit p.2.c.2.n.*24. vbi sic ait. Quamuis nonnulli DD. de quocumque ministro excommunicato pronuntient eum prohiberi ministrare quæcumque Sacramenta, tamen mollior nunc sententia sentit de excommunicato tolerato, quem negat quidem posse se inferre ad Sacramentorum administrationem, admitti tamen posse illa administrare, si adeatur etiam absque necessitate, siue sit Pastor, siue non sit, neque item fideles eum adeuntes & iure suo vtentes peccāt, siue aduersùs legem de non communicando, quæ post Martinum V. non vrget, siue ob cooperationem in peccatum ministri, non enim vlla ibi cernitur cooperatio ad peccatum, quia non peccat minister toleratus, si requisitus ministret. Hæc Raynaudus.

Nota etiam cum Coninck *de Sacr. disp.*14.*dub* 5. *n.*35. quòd excommunicatus etiam non toleratus validè offert sacrificium Missæ, si Sacerdos est, eiúsque fructum, qui ex opere operato habetur, validè cui voluerit, applicat, modò hic eius sit capax, quia has actiones facit immediatè in persona Christi & potestate ab eo accepta, nec in ijs pēdet ab Ecclesia.

Notandum est etiam hîc excommunicatum toleratum licitè conferre Sacramenta, quoties aut ipsius grauis necessitas, aut notabilis proximi vtilitas id exigit. hinc Præpositus *vbi suprà.n.*44. obseruat, quòd Pastor excommunicatus toleratus potest celebrare vt subditi Sacrum audiant die præcepto, si id requirant alio deficiente, qui possit substitui, quia subditi petendo non peccāt cùm ius habeant, & per Extrauag. *ad euitanda.* non vetentur cum eo communicare. Vnde Sacerdos Sacrum faciens ad illorum instantiam non peccat, nec solùm Pastor, sed etiam alius Sacerdos excommunicatus toleratus rogatus potest ob populi vtilitatem celebrare, nullo tamen modo potest sese ingerere.

Vnde Filliuc. *tom.1.tract.*12.*c.3.n.*72. docuit etiam quòd Sacerdos, qui non tenetur ex officio, si is qui petit, habet saltem communem necessitatem, & non sit alius, potest sine peccato ministrare Sacramenta. Imò plus addam, nec desinam hîc apponere verba Ioannis Præpositi *loco citato, n.*52. vbi docet, quòd licet excommunicatus toleratus si se ingerat administrationi Sacramentorum, peccet, ita vt vltrò se offerat ad illa conferenda, & etiam non rogatus; si tamen non censeatur se ingerere, sed ea conferat alijs petentibus non peccat, quia cùm alij non teneantur eum vitare, etiam in Sacramentis, non peccant contra censuram, quòd ab eo petant

Sacra-

Sacramenta, nec etiam peccant quòd eum inducant ad peccatum,& proinde non apparet, ex quo capite peccet excommunicatus,quia excommunicatus non potest dici peccare in eo , quòd iuxta qualitatem actionis,quæ ab eo petitur, conuersetur cum aliis iisdem petentibus. Vnde Sotus *in* 4. *dist.*1.*q.*5.*art.* 6. *in* 6. *propos.* censet Pastorem excommunicatum posse induci ad Sacramentum ministrandum, quamuis propositione 7. existimet non posse induci eum,qui non est Pastor.Verùm ex ratione à nobis facta patet vtrumque posse induci, quia non fundamur in eo quòd Pastor teneatur Sacramenta suo paræciano ministrare , sed in eo, quòd alij possint cum eo conuersari absque violatione censuræ iuxta qualitatem actionis , in qua cõuersari cupiunt, & quòd Sacerdos non se ingerens, sed conuersans , rogatus ab aliis non peccet. quæ ratio etiam locum habet in eo , qui non est Pastor.Vnde non solùm Pastor rogatus potest absque peccato præbere Eucharistiam suo paræciano petenti , sed etiam alius Sacerdos toleratus à quo similiter Sacramentum petitur, nec est absurdum, imò probabile,etiam si detur copia alterius, à quo Sacramentum posset recipi, nec quidquam probat ea,quæ adfert Vasq.*dub.*3.*de excomm.n.*1.*& seq.* Hæc Præpositus,quæ sunt valde notanda.

Igitur ex omnibus supradictis apparet in articulo mortis posse excommunicatum etiam nõ toleratum conferre sacramentum Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Restat modò inquirere , quid dicendum de aliis quatuor Sacramentis ? Respondetur nec licitè peti,nec dari posse in eodem mortis articulo ab excommunicato denuntiato. Ratio est, quia nõ sunt necessaria ad salutem, hoc tamen intelligendum est per se eo regulariter loquendo, nam contingere possunt aliqui casus, in quibus liceat aliqua ex illis Sacramentis ministrare.Primus est, quando existens in articulo mortis non potest sacramentum Pœnitentiæ , neque Eucharistiæ recipere,quia nullum dedit contritionis , neque motus signum , nam tunc probabilius iudico licitum esse ministrare illi à tali excommunicato sacramentum extremæ Vnctionis , vt si fortè infirmus erat attritus,fiat per tale sacramentum contritus;& ratio est , quia in illo casu iam tale sacramentum est respectu illius infirmi moraliter necessarium ad salutem. Secundus est de sacramento Ordinis in casu , quo in aliqua prouincia remota esset penuria Sacerdotum , & non esset nisi vnus Episcopus,& ille esset excommunicatus denuntiatus , aut publicus Clerici percussor , in quo casu sine damno communi licitè possit sacramentum Ordinis ministrare. Tertius in sacramento matrimonij, quando Parochus excommunicatus denuntiatus assistit matrimonio eius , qui in articulo mortis duxit vxorem, quam antea habuerat concubinam, quia ita expedit saluti spirituali ipsius infirmi , vel temporali commodo filiorum ; tum quia hæc necessitas est grauissima ; tum etiam , quia Parochus non est verus Minister huius sacramenti.Et ita docet Cornejo *in* 3. *part. tract.* 5. *de excommunicat.* §. 1. *dub.* 4.

RESOL. LXXXIV. *An nominatim excommunicatus possit validè absoluere à venialibus?*

AFfirmatiuè respondet Vasquez *in* 3.*part.tom.*4. *q.*93 *art.*1.*dub.*6.*n.*8.quia Sacerdos iure diuino habet iurisdictionem, & materiam applicatam respectu venialium; sed omnino verius est,per se loquendo non valere , pro quo suppono quod suprà suo loco ostendimus , omnino verius esse iurisdictionem respectu etiam venialium iure Ecclesiastico Sacerdotibus competere, quam iurisdictionem Ecclesia possit suspendere: suspendisse autem ex eo patet, quòd suspenderit iurisdictionem nominatim excommunicati,& ita docet Præpositus *in* 3.*p. q.*2.*dub.*8.*n.* 49. cui adde Raynaudum *de monit.p* 2. *cap.*2.*nu.*23.& Auila 2.*part.cap.*6.*disp.*3. *dub.*1. *concl.*3. sed sententiam affirmatiuam Vasquez puto etiam probabilem esse.

RESOL. LXXXV. *An excommunicati contrahentes matrimonium peccent dupliciter?*

AD hunc casum ita respondet Præpositus *in* 3 *part. qu.* 2. *de excommunicat. dub.* 8. *numer.*51. Ex dictis videtur sequi , quòd contrahentes matrimonium in excommunicatione non solùm peccent mortaliter , eo quòd sacramentum recipiant in excommunicatione, sed etiam ex eo quòd conferant,cùm iuxta communem sententiam contrahentes sint Ministri huius sacramenti,non videtur tamen improbabile , quòd ex eo capite non peccent contra censuram , quia si benè perpendantur Canones , quibus vetatur excommunicatus ministrare Sacramenta,solùm aguñt de Clerico.Ita ille, & ego.

RESOL. LXXXVI. *An excommunicati possint ingredi Ecclesiam?*

NEgatiuè respondet glossa *in cap.*1.*dist.*21. *in fin.* Abbas *in cap.*2.*num.*2. *de foro competent.* & Hostiensis *in summ.numer.*17.*ver.sed numquid, de sentent. excomm.* Verùm hæc opinio non est tenenda;ideo excommunicatus potest ingredi Ecclesiam , & in ea esse,vt docet Abbas sibi contrarius *cap.*1.*num.*9. *de vita & honest.Clericor.*Nauarr.*cap.*27.*num.*17.Couarruuias *in cap.alma.part.*1.§.3. *nu.*7. & alij. Et non solùm potest excommunicatus esse in Ecclesia, sed etiam posset ibi orare,vt patet ex glossa *in cap. qui studet.* 1. *quæst.* 1. Nauarr. *numer.* 19. quod est verum etiamsi alij fideles in Ecclesia priuatim orent, dummodo separatim ille oret, v. g. ipse in vno sacello , alij in alio , quia sic non censetur communicare. Nauarr. *dicto numer.* 19. & Caietan. *in summa, cap. de participatione cum excommunicato,* §. *illicita autem.* Imò de oratione priuata hoc verum est , etiamsi excommunicatus oret in eodem sacello,in quo alij similiter , id est,priuatim orant. Nam nec sic est inter eos communio , cùm non sit communis oratio. Ita Caiet. *loco citat.* asserens posse hos omnes orare simul priuatim in eodem cubiculo (& similiter seorsim comedere) vt contingit de oratione ; cùm pulsatur ad salutationem Angelicam ; seorsim enim orant , & pulsatur tunc ad orationem priuatam. Denique potest etiam excom-

excommunicatus in eademmet Ecclesia cum aliis in communi audire concionem. Et ita ex multis docet Raynaudus *de monit.part.2.c.2. nu.21.* Quod autem Tertullianus *lib.de pudicitia, cap.4.& 14.* asserit, excommunicatos à limine & omni tecto Ecclesiæ submoueri, accipiendum est de absentia à templo tempore Sacri, aut diuinorum Officiorum, modo tamen quo infrà.

Et ideo quæro quid si excommunicatus Ecclesiam ingrediatur quo tempore celebrantur ibidē diuina officia, non quidem vt interſit illis, sed, v.g. solùm vt transeat per Ecclesiam ob commoditatem itineris? Respondeo posse fieri. Nam sic non dicitur communicare in diuinis. Paludanus *in 4. dist.18 quæst.4. & quæst.6.* Caietanus *loco citato*, qui addit hoc verum esse, etiamsi transeundo genuflectat, & priuata oratione oret; & denique vniuersè loquendo idem dicendum est quoties excommunicatus tempore diuinorum ingreditur Ecclesiam non causa orandi, aut vt interſit diuinis, sed ob aliud quoduis negotium, vt tradit Paludanus iam citatus *quæst.6. art.1.* Innocentius *cap. nuper, de sent. excommunic.* Angel *ver excomm.* 8. §. 4. Et hæc omnia docet etiam Gordonus *in summ.tom.2. lib.7. q.8. cap.1.§.4.n 27.& seq.* Vide etiam Coninck *de Sacr. disp.14.dub.7. num.53.& 58.* & Megala *in 3. part. lib.2. cap.2.quæs.3.* Turrian. *lib.2.disp.11.dub.3.*

RESOL. LXXXVII. *An si Sacerdos sit excommunicatus, & adsint alij, sit tamen ab ipso petenda administratio Baptismi in necessitate?*

REspondet negatiuè Suar. *de cens. disput.11.sect.1. num.11.& 12.* & alij, quia existimant duo debere concurrere ad extremam necessitatem, quæ habilitant excommunicatum ad licitum ministerium sacramenti Baptismi, alterum quod se tenet ex parte ipsius baptizandi, nempe quòd sit in articulo mortis: alterum ex parte ipsius Ministri, videlicet quòd non sit alius, qui possit, & velit illud sacramentum conferre. nam si alius adsit, iam baptizandus non est in necessitate suscipiendi Baptismum ab excommunicato, cùm habeat alium, à quo possit baptizari.

Sed ego contrariam sententiā teneo cum Cornejo *in 3.part.tract.5.de excommunic.§.1.dub.2.quæst.4.* quia quando pluribus conceditur priuilegium, seruandum est inter ipsos ius commune *l. assiduis, C. qui potiores in pignore habeantur*, sed iure communi ratione suæ consecrationis munus baptizandi competit solis Sacerdotibus, *cap. Diaconos, dist.93.c. constat de consecrationib. dist.4.* ergo cùm in extrema necessitate, v.g. in articulo mortis concedatur vniuersis facultas licitè baptizandi, siue excommunicati sint, siue non, seruandum est ius commune, & eligendus Sacerdos.

Ad rationem verò Suarez respondendum est negando necessitatem extremam, in qua datur libera facultas baptizandi etiam excommunicatis integrari ex illis duobus, nam sufficit alterum ex parte ipsius baptizandi, videlicet quòd ratione mortis imminentis sit in necessitate recipiendi Baptismum, quamuis non sit in necessitate recipiendi illum præcisè ab isto excommunicato potius, quàm à quocumque alio, & est instantia in sacramento Pœnitentiæ, vbi extrema necessitas, in qua datur simplici Sacerdoti iurisdictio absoluendi etiam à peccatis reseruatis, est solus articulus mortis ipsius pœnitentis, vnde ex pluribus Sacerdotibus simplicibus assistentibus morituro potest validè, & licitè absolui à quocumque, aliàs si ex duobus assistentibus vterque vellet absoluere, neuter posset, quia pœnitens non est in extrema necessitate suscipiendi absolutionem ab illo præcisè, cùm possit eam recipere ab altero.

RESOL. LXXXVIII. *An si excommunicatus negligens sit in procuranda absolutione, peccet contra Ecclesiasticum præceptum de audienda Missa, annua Confessione, &c.*

REspondeo primò non peccare contra præceptum audiendi Missam, quia quamdiu in excommunicatione est, Missam audire non debet, sed neque ratione præcepti obligatus videtur, vt se disponat, & impedimentum tollat, cùm ea dispositio valdè remota sit; quemadmodum nec is, qui sua culpa in vinculis detinetur contra præceptum de Missa audienda festo die delinquit. Respondeo secundò excommunicatum voluntariè in excommunicatione persistentem peccare contra præcepta, etiam quatenus Ecclesiastica sunt, suscipiendi sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Et ratio est, quia ista præcepta se obligant ad mundandam animam, & consequenter ad tollenda vincula tum mortalium peccatorum etiam excommunicationis. Ita Layman *lib.2. tract 5.part.2. cap.2. num.3.* & ante illum Coninck *de Sacrament. disput.14. dub.7. n.56.* vbi sic ait. Nota excommunicatum non peccare non audiendo Missam, etiamsi negligens sit in petenda absolutione, & hac ratione fortè contra charitatem sui, & obedientiam Ecclesiæ debitam peccet (quæ per censuras intendit eum ad subiectionem, & reconciliationem compellere.) Ratio est, quia quamdiu est excommunicatus, Missam audire non potest, nec illud præceptum tanti momenti est, vt ipsum obliget, vt tam remotè se disponat vt fiat capax audiendi Sacrum, sicut incarceratus propter debita, etsi peccet contra iustitiam non soluendo creditoribus, cùm facilè posset, non tamen peccat non audiendo Sacrum, nec tenetur ideò citiùs soluere vt possit audire Sacrum. Secus est de omissione confessionis & communionis annuę. nam si excōmunicatus omittat procurare absolutionem, cùm eam facilè obtinere posset, peccat illam omittendo, tum quia hoc prę̄ceptū est magni momenti, nec admittit tā faciles excusationes; tum maximè, quia prę̄ceptū confessionis directè obligat peccatorem, vt procutet sibi solutionē omnis vinculi, quod eum diuidit ab vnione Dei & Ecclesiæ, & consequenter vt procuret absolutionem ab excommunicatione si ea ligatus sit. Idemque etiam conuenit præcepto communionis, quæ cùm instituta sit, vt perfectiùs Christo eiusque corpori vniamur, obligat nos, vt tollamus ea omnia, quæ hanc vnionem impediunt. Vide etiā circa præsentem quę̄stionem Auilam *part.2.cap.6.disp.4. dub.7.*

dub.7. & Suarez *in 3.part.tom.3.disp.88.sect.6.* & Hurtad.*disp.5.de excom.diffic.2.num.5.*

RESOL. LXXXIX. *An excommunicatus cum alio legens priuatè horas Canonicas, vel Officium B. Virginis, &c. peccet?*

IN tali casu Nauarrus *cap.27.num.36.§. ad 5.* putat excommunicatum non peccare legendo horas Canonicas, aut alias preces priuatim cum aliquo alio, quia non orat vt minister Ecclesiæ, & aliàs potest esse hæc communicatio vtilis ad conuersionē excommunicati. Sed hoc repugnat communi sententiæ. Vnde melius Gordonus *tom.2. lib.7. q.8.c.2. n.23.* Suarez *disp.12.sect.2.n.18.* & Henriquez *lib.13.c. 7.n.2.* dicunt eum peccare, venialiter tamen, quia talis recitatio in ratione communicationis est materia leuis. Et ita etiam docet Cornejo *in 3.p.tract.5. de excomm.disp.10.§.4.sect.8. dub.1.* Mercerus *de Sacr. in 3.p.q.21. dub.6.* Præpositus *in 3.p.q. 2. de excomm. dub.9.n.56.* Coninck *de Sacram. disp.14. dub.7.nu.55.* Turrian.*de cens.lib.2.disp.11. dub.2.* Couarr.*in c.alma mater.§.53.n 8.* & Megalius *in 3.part.vol.2. cap.2. q.4. n.52. & 53.* & id quod dictum est de excommunicato, dicendum est de recitante cum illo.

RESOL. XC. *An excommunicatus possit vti aqua benedicta?*

ALiqui, vt Bonacina *de cens.disp.2. qu. 2. punct.3. §.2.num.8.* docent vsum aquæ benedictæ esse excommunicatis prohibitum, ex eo quòd illa est benedicta per orationem Ecclesiæ, vt ex impetratione Ecclesiæ prosit fidelibus, & ita cùm Ecclesia priuat excommunicatum omni oratione, videtur planè priuare vsu aquæ, & ita fatentur Pater Suarez *sect. 3.* si vsus aquæ illius fiat ex intentione faciendi orationem Ecclesiæ, secus si alia intentione fiat. Aliis verò non videtur prohibitus vsus aquæ benedictæ, quia hoc non videtur expressum aliqua lege Ecclesiæ, & quod dicit de priuatione suffragiorum, intelligi vt tempore excommunicationis non fiant suffragia communia Ecclesiæ pro excommunicato, secus de applicatione, & vsu aquæ benedictæ. Vide Turrianum *lib.2.disp.11. dub.3.* qui putat secundam opinionem esse piam, sed primam esse magis probabilem. Vide etiam Gordonum *tom.2.lib.7.quæst.8.cap.3.num.36.* Hurtad.*disp.5. de excomm.diffic.3.num.3.*

RESOL. XCI. *An Sacerdos celebrans Missam, si alium non habeat, possit vti ministro excommunicato, non denuntiato?*

AFfirmatiuam sententiam docet Cornejo *in 3. part.tract.5 de excomm.disput.10.§.4. ex errore 8. dub.2.* cui adde Suarez *disp.12.sect. 1.* & Turrian.*lib. 2.de excom.disp.11. dub.1.* quia in tali Ministro potest considerari, vel indignitas personæ si est in peccato mortali. & hæc ratio non impedit, quia ad inseruiendum Missæ non est status gratiæ necessarius, vel prohibitio Ecclesiæ comparatione talis officij, & hæc credi potest pro tali euentu suspendi ab Ecclesia quæ doctrina intelligenda est, quando grauis vrgeret causa faciendi Sacrum, aliàs, vt sæpe diximus, Concilium Constantien. nullum fauorē vult concedere excommunicato: vnde etiamsi non sit denuntiatus, priuatur hac cōmunicatione. Notat etiam Turrianus quòd si loquamur de excōmunicato vitando post denuntiationē, idem dubiū esse potest, an in casu necessitatis possit inseruire Missæ, in quo consideranda est grauitas necessitatis.

RESOL. XCII. *Quid facere debeat Sacerdos si excommunicatus denuntiatus intret in Ecclesiam dum Missa celebratur?*

SI Missa non est incepta, & superueniat excommunicatus, conandum est vt expellatur per admonitionem, & per coactionem, si necessaria fuerit; quòd si non sufficiat, distinctione opus est; vel enim deuentum non est ad consecrationem, vel est deuentum; si non est deuentum, omittenda est Missa. Si tamen facta est consecratio, perficienda est Missa, quia sacrificium perficiendum est ex iure diuino, de quo in materia de sacrificio Missæ, vel in materia de Eucharistia, & in casu huius dubij hæc est communis doctrina.

Restat dubium, an sit omittenda Missa post inceptum Canonem, etiamsi consecratio non sit facta? Et Suarez *suprà*, refert contrarias sententias, & dicit rem esse vtrimque probabilem, & liberum esse Sacerdoti quam voluerit partem eligere, quāuis tutiùs putet ante consecrationē omittere Missam, etsi Canon sit inceptus. Vide Turrian. *lib. 2. disp.11.dub.1.* Layman *lib.2.tr.5.part.2.c.2. nu.6.* Filliucium *tom.1.tract.12.c.4.n.90.* & Mercerum *de Sacr. in 3.part.q.21. dub.6.* vbi notat prohiberi ne quis simul cum excommunicato audiat Missam eamdē; sed quia hæc communio eorum, qui simul Missam eamdem audiunt, est minima inter eas, quæ respectu talis rei esse possunt, non habet peculiarē pœnam impositam præter excommunicationem minorem, poteritq; à mortali excusari, si careat inductione & cooperatione, & fiat absque contemptu & scandalo, ex necessitate, aut pietate.

RESOL. XCIII. *An excommunicatus recitando horas Canonicas, & dicendo,* Dominus vobiscum, *incurrat irregularitatem, vel peccet mortaliter?*

REspondeo quòd excommunicatus quando recitat diuinum Officium, non debet dicere *Dominus vobiscum*, quia non est verbum priuatæ personæ, sed loco illius dicere debet, *Domine exaudi orationem meam.* adeò vt Nauarrus & Maior existiment irregularitatem incurrere Sacerdotem, aut Diaconum excommunicatum, si proferant *Dominus vobiscum.* quod tamen negatur ab Henriquez *3.lib.de excommunicatione, cap.7.§.2.*

Vide etiam Cornejo *in 3.p.tract.5.de excomm.§.4. ex errore 8.dub.1.* & Mercerum *de Sacram.in 3.p.q.21. dub.6.* vbi docet excommunicatum dicendo in recitatione horarum Canonicarū, *Dominus vobiscum*, secluso contemptu, peccare tantùm venialiter, non incurrere irregularitatē. Idem etiam docet Laymā *lib.2.tract.5.p.2.c.2.n.6.* Imò Auila *p.2.c.6.disp.4 dub.6. concl.3.* & Hurtado *disp.5.de excommun.diffic.2. num.3.*

nullum peccatum esse putant, si excommunicatus priuatim recitans dicat, *Dominus vobiscum*, sed hoc est contra communem, vt obseruat Coninck *de Sacr. disp. 14. dub. 7. nu. 54.* vide etiam Raynaudum *de monit. p. 2. cap. 2. n. 25.* Gordonum *tom. 2. lib. 7. quæst. 8. cap. 2. num. 23.* & Præpositum *in 3. p. q. 2. de excomm. dub. 9. num. 56.* Filliucium *tom. 1. tract. 12. cap. 4. nu. 93.* Henriquez *lib. 13. cap. 7. num. 2.*

Resol. XCIV. *An in dubio si incurrerit excommunicationem ministrando quis Sacramenta efficiatur irregularis?*

DE hoc casu actum est in tractatu *de conscientia dubia*, nunc tantùm adducam Mercetum *de Sacram. in 3. part. quæst. 21. dub. 5.* vbi sic ait: Quæritur an dubius de sua excommunicatione ministrando sacramenta fiat irregularis? Respondetur negando, si postea deprehendatur non fuisse excommunicatus. idque etiam verum est quamuis putasset se esse excommunicatum. Non enim huiusmodi pœnæ incurruntur per actum existimatum, sed re ipsa perfectum. Si autem postea deprehendatur fuisse verè excommunicatus, videndum est an ministrans cum tali dubio peccauerit mortaliter cõtra censuram: si enim excusetur à mortali peccato, etiam excusabitur à censura, secus si mortaliter peccauerit. Quod vt sciatur videndum est, an fecerit quod in se est, vt veritatem cognosceret, nisi enim id fecerit, aut ab eo faciendo, necessitate vrgente, excluſus fuerit, incurrit & peccatum & pœnam à iure constitutam: si autem fecerit quod in se est, & tamen adhuc dubius manserit, videndum est an potuerit absolui ad cautelam, si enim potuit, & tamen omisit, incurrit peccatum & pœnã: si autem non habuit, à quo talem absolutionem obtineret, & rationabilis occasio & necessitas prudenti arbitrio ponderanda ad celebrandum, vel simile faciendum se offerebat, & non obstante hoc dubio speculatiuo, deposito tamen practico celebrarit, est immunis à peccato & pœna, quia, moraliter loquendo, non exposuit se periculo, cùm & necessitas vrserit, & diligentiam adhibuerit. Dices, in dubiis tutior pars eligenda est. Respondetur. Hoc intelligitur cùm altera pars non est practicè tuta, provt in proposito est, quia iuxta aliam regulã, in dubiis melior est conditio possidentis, & in præsenti casu operans bona fide possidet libertatem in executione Ordinum suorum. ergo, &c.

Resol. XCV. *An excommunicatus incurrat aliquam pœnam, si Missæ, aut diuinis Officiis assistat?*

REspondeo negatiuè. nam in tali casu nullam specialem pœnam expressam in iure inuenio, nam non incurrit irregularitatem, cùm hæc assistentia non sit actus Ordinis; neque incurrit excommunicationem minorem, quia hæc solùm est imposita fidelibus communicantibus cum excommunicato, nõ verò ipsi excommunicato communicanti cum fidelibus. Et ita docet Cornejo *in 3. part. de Sacram. disp. 10. §. 4. ex errore 8. dub. 2.* Sed si quæras an aliquam pœnam incurrant admittentes excommunicatos ad diuina officia? Cornejo *vbi suprà dub. 3.* respondet solùm incurrere excommunicationem minorem, vt *in cap. is, qui, de sententia excommunicationis in 6.* Nam quamuis *in cap. Episcoporum, de priuilegiis in 6.* incurratur etiam interdictũ, cæterùm ille textus non procedit generaliter de omnibus, sed solùm de exemptis ab Episcopis.

Resol. XCVI. *An excommunicatus vitandus ex metu mortis possit ministrare Sacramenta?*

DIfficultas est post denuntiationem & publicationem nominatim factam, & negatiuè respondet Sylvest. *ver. excomm. 5. num. 6.* Nauarrus *cap. inter verba 11. quæst. 3. pract. 3. art. 8.* & alij.

Non desunt tamen aliqui, qui dicant posse ad vitandum periculum mortis, quia lex non obligat cum tanto periculo. Verùm Vasquez *dub. 7. num. 15.* docet apertè in sacramentis licitam non esse talem communicationem, neque illi licere administrare, quia semper datur, vel recipitur ab indigno, nempe ab excommunicato, & est de iure diuino naturali hoc præceptum, ac proinde nunquam licet, & *tom. 4. in 3. p. q. 93. art. 1. n. 16. & n. 17.* refert sub distinctione varios modos philosophandi, & citati *dub. 7.* doctrinam tradidit *1. 2. disp. 161. cap. vlt. nu. 27.* addidit tamen: Possemus dicere licitum hoc esse, non quia licitum sit manente excommunicatione, sed quia pro tali euentu Ecclesia non vult aliquem excommunicare. quæ sententiæ mihi placent, & videntur rem hanc exactè explicare, nec probo id, quod Suar. *disp. 11. sect. 1. num. 10.* videtur dicere, non posse excommunicatum metu mortis communicare alium, & hæc omnia docet Turrianus *lib. 2. disp. 10. dub. 3.*

Non desinam tamen hîc etiam apponere verba Philippi Fabri *de cens. in 4. sentent. distinct. 25. q. 1. disp. 4. cap. 4. nu. 165.* vbi sic ait. Certum est excommunicatum, denuntiatum, & publicum percussorem Clerici peccare mortaliter administrando aliquod sacramentum. Tamen est difficultas specialis, an in aliquo casu excusetur à peccato, ita quòd possit sine periculo ministrare? Ad quam breuiter respondetur primò excusari per ignorantiam inuincibilem, naturalem obliuionem, vel inaduertentiam, vt *suprà* diximus de receptione passiua. Secundò excusatur graui aliqua necessitate. Grauis autem necessitas potest prouenire ex tribus capitibus. Primò ex parte ministri. Secundò ex parte illius, cui ministratur. Ex parte ministri potest vel extrinsecus prouenire, vt si per vim & metum inducatur ad præbendum aliquod sacramentum alicui, vel ad celebrandam Missam, & quoad hoc dicendum est, sicut dictum est *suprà*, quòd quando est timor cadens in constantem virum, excusat, & multo magis vis. Vel potest prouenire intrinsecus, scilicet ne se infamet, aut occultũ suũ delictum publicet, & aliquid simile, propter quod licitè possit dimidiare confessionẽ, vt *sup.* de passiua receptione diximus, quia eadem ratio est de actiua, & passiua receptione sacramentorũ. Ex parte suscipientis potest esse necessitas quoq; quę excusat à peccato excõmunicatum ministrantẽ actiuè, vt quãdo aliquis positus in extrema necessitate nõ potest habere alium ministrum, à quo recipiat sacramentum necessarium ad salutem, vt paruulus positus in articulo mortis,

nec

nec habens alium miniſtrum à quo poſſit baptizari, niſi excommunicatum, dicitur poſitus in extrema neceſſitate habendi Baptiſmum, ideo in tali caſu miniſter excommunicatus baptizans non peccat mortaliter, nec venialiter, quia extrema neceſſitas ſuſcipientis ipſum excuſat. Ita Faber.

RESOL. XCVII. *An ſub prohibitione* cap. ſacris, & Clement. 1. de ſepult. *ne excommunicati ſepeliantur in loco ſacro includantur excommunicati tolerati?*

PRima ſententia abſolutè docet omnes publicè excommunicatos ea comprehendi. Ita Caiet. *ver. excommunicatio, cap.* 46. & quidam alij. Secunda abſolutè negat toleratos ea comprehendi. Ita Suar. *diſp.* 12. *ſect.* 4. *num.* 5. Nauarr. *cap.* 27. *nu.* 137. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 7. *num.* 2. *& cap.* 11. *num.* 13. Ratio eſt; quia prohibitio ſepulturæ immediatè dirigitur non ad mortuum, qui eius eſt incapax, ſed ad viuos, qui iam non prohibentur communicare cum toleratis. Tertia ſententia eſt media, docetque prohiberi tales ſepelire loco ſacro, quia hoc directè cederet in eorum fauorem, tamen contra facientes non incurrere cenſuram, quia iam licet nobis cum iis communicare, niſi fortè ſepeliantur hæretici, quos abſolutè ſine reſpectu ad excommunicationem *cap. quicumque, citato*, prohibemur ſepelire loco ſacro. Ita Auila 2. *p. c.* 6. *diſp.* 9. *dub.* 6. §. *ad primum. verſ. per hæc patet.* iuncta *diſp.* 10. *dub.* 1. *concluſ.* 3. *ſub fin. & dub.* 6. *concluſ.* 3.

Verùm ego puto adhærendum eſſe prorſus ſecundæ ſententiæ, & ita præter DD. citatos docet Mercerus *de Sacr. in* 3. *p. q.* 21. *dub.* 7. Turrianus *lib.* 2. *diſp.* 11. *dub.* 3. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 12. *c.* 4. *n.* 106. Cornejo *in* 3. *p. tract.* 5. *de excomm. diſp.* 10. §. 8. Gordonus *lib.* 7. *tom.* 2. *q.* 8. *c.* 3. *n.* 38. qui bene aduertit, quòd non polluitur Eccleſia ſepeliendo excommunicatum, niſi ſit ille vitandus.

RESOL. XCVIII. *Qui ſunt illi, qui ſepelientes excommunicatum in loco ſacro incurrunt excommunicationem?*

IN Clement. 1. *de ſepult.* ſic habetur. *Qui propria temeritatis audacia in cœmeteriis excommunicatos publicè, aut nominatim ſcienter ſepelire præſumunt*, &c. *nullatenus abſoluantur*, &c. Vnde videntur comprehendere nedum actu deferentes cadauer ad ſepulturam, ſed etiam eos, qui propria authoritate faciunt ſepelire in loco ſacro, iuxta *cap. mulieres*, §. *illi verò de ſententia excommunicationis*, per illa verba, *Cùm is committat verè cuius authoritate, vel mandato delictum committi probatur.* & Faber *de cenſur. in* 4. *ſent. diſt.* 25. *quæſt.* 1. *diſp.* 4. *cap... numer.* 188. putat tutiorem eſſe illam ſententiam, quæ extendit hanc cenſuram ad comitantes, cantantes, deferentes crucem, foſſores ſepulturæ, portatores cadaueris, & ſimiles. verùm multi volùt eos ſolos hanc pœnam incurrere, qui propriis manibus cadauer foſſæ imponunt, quia hi ſoli propriè dicuntur ſepelire, & verba pœnam importantia in rigoroſo ſenſu ſunt accipienda. Ita Caiet. *ver. excommunicatio, cap.* 46. Nauar. *cap.* 27. *num.* 137. & alij, ob quorum auctoritatem hæc ſententia videtur non eſſe improbabilis, & verba legis in rigore poſſent hiuſmodi accipi. Quid ego ſentiam accipe. Dico igitur per eos, qui ſepeliunt, etſi in rigore, qui propriis manibus tradunt ſepulturę intelligi videantur, attamen ex cõſueto vſu comprehenduntur etiam mandantes, non autem comitantes, & alij qui deferunt crucem, & lumina, vel etiam cantant, propriè enim hi non dicuntur ſepelire. Nec etiam cooperantes remotè, aut negatiuè, quia ſcilicet non impediunt, cùm poſſent, niſi fauor tantus eſſet, vt iure dicerentur auctores. Et ita docet Suar. *diſp.* 12. *ſect.* 4. *n.* 10. Coninck *de Sacrament. diſp.* 14. *dub.* 8. *n.* 68. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 12. *c.* 5. *n.* 111. Mercerus *de Sacram. in* 3. *p. q.* 21. *dub.* 7. & Megalius *in* 3. *p. lib.* 2. *cap.* 6. *q.* 1. *nu.* 15. vbi aſſerit ligari hac excommunicatione eos, qui ſepelire faciunt, cuiuſmodi ſunt hæredes, aut conſanguinei, ad quos hoc pertinet, & Rectores atque Clerici Eccleſiæ, vbi cadauer ſepelitur, nam & ipſi ſepelire dicuntur, quamuis propriis manibus hoc non faciant, vt probatur ex *cap. ad hæc, de priuileg.* vbi hoſpitalarij de quibus ibi, ſepeliſſe dicuntur, & tamẽ non eſt veriſimile hoc illos feciſſe propriis manibus. Nam quamuis mandantes regulariter non comprehendantur in cenſura lata contra facientes, tamen comprehenduntur quando alioquin eſſet fruſtratoria, vel quaſi, vt probatur ex *cap. ſi ciuitas, de ſent. excomm.* Verùm ſententiam Caietani & Nauarri non puto improbabilem, quam ex Henriquez & Auila docet etiam Bonacina *de cenſ. diſp.* 2. *quæſt.* 2. *punct.* 3. §. 3. *num.* 8.

Non deſinam tamen hîc adnotare aliquos docere qui excommunicatos, etiam hæreticos notorios, ſed nondum denuntiatos, in loco ſacro ſepeliunt, non incurrunt excommunicationem *Clem.* 1. *de ſepulturis*, latam aduersùs eos, qui excommunicatum ſcienter ſepeliunt, neque incurrunt excommunicationem, *c. quicumque, de hæret. in* 6. latã contra eos, qui hęreticos, eorumque fautores, &c. ſcienter in loco ſacro ſepeliunt; denique neque locus ſacer ſepultura excommunicati, aut hæretici nondũ denuntiati violatur. Hæc eſt communior, quam leges apud Nauar. *c.* 27. *num.* 137. Henriq. *lib.* 13. *c.* 11. §. 3. Ægid. *tom.* 2. *diſp.* 14. *in fine, dub.* 10. Auilã *p.* 2. *c.* 6. *diſp.* 10. *dub.* 6. Nam eo ipſo quòd tales vitandi non ſunt, ſed tolerati, nulla ex ipſorum communicatione à fidelibus, aut ſacris locis cenſura incurri poteſt. & ita etiam docet Layman *lib.* 2. *tr.* 5. *part.* 2. *c.* 4. *n.* 8.

RESOL. XCIX. *An collatio beneficij facta excommunicato tolerato ſit inualida?*

SVppono ex *cap. paſtoralis, de cler. excomm.* collationem beneficij factam excommunicato inualidam eſſe. Sed difficultas eſt, an hoc ſit verum etiamſi excommunicatus ſit toleratus? & affirmatiuè reſpondet Coninck *de Sacram. diſp.* 14. *dub.* 9. *n.* 70. Auila *p.* 2. *c.* 6. *diſp.* 5. *dub.* 2. *concl.* 1. & alij communiter. nam, etſi Concilium Conſtantienſe permittat nobiſcum talibus communicare, non tamen reddit eos habiles ad beneficia acquirenda, quia ſic immediatè iis magnũ fauorẽ præſtaret. Item etiamſi ipſe ſuã excommunicationẽ ignoret, vt quia oblitus eſt ſe eam incurriſſe, aut falsò putat ſe validè abſolutũ eſſe, quia etſi ignorantia excuſet aliquẽ à

peccato non tamen reddit eum habilem ad aliquē actum, ad quem aliàs inhabilis est. Ita communiter DD. quibus omnibus adde nouissimè Raynaudū *de monit. part. 2. c. 2. n. 29.* Sanchez *in opusc. tom. 1. lib. 2. c. 2. dub. 10 n. 7.* Fabrum *de cens. in 4. sentent. dist. 25. q. 1. disp 4 c. 4 n. 193.* Cornejo *in 3. part. tract 5. de excommunicat. disp. 10. §. 7. dub. 1.* Turrian. *lib. 2. disp. 16. dub. 1.* & Villalob. *in summ. tom. 1. tract 17. diffic. 9. n. 5.*

Non desinam tamen hìc adnotare, doctum Hurtado *disp. 6. de excomm. diffic. 2 nu. 6.* contrariam sententiam docere, sic enim ait. Nomine excommunicati, quem dicimus inhabilem ad beneficium obtinendum, communiter intelligitur à DD. etiam toleratus; quia per Extrauag. *ad euitanda scandala*, per quam toleratur, nullus intenditur fieri fauor tolerato, fieret autem si non esset inhabilis, & si collatio beneficij ei facta esset valida; id tamen difficilè existimamus, quia si collatori licitum est excommunicato tolerato beneficium conferre, iuxta dictam Extrauag. non minus, quam sacramenta administrare, vt diximus *disp. 11. diffic. 4.* quomodo collatio illi facta erit nulla, cùm iure naturali illicitum sit conferre beneficium inhabili. Quando verò in Extrauag. dicitur, quòd nullus ei intenditur fieri fauor, est verum, quamuis fiat, aut maneat habilis, quia hoc non fit vt ei faueatur, sed vt faueatur fidelibus, vt absque scrupulo possint cum illo communicare. ergo, &c.

Notandum est tamen etiam stando in prima sententia docere Coninck *vbi suprà*, & Suarez *disp. 13. sect. 1. n. 3.* excommunicatum, qui bona fide beneficium accepit in excommunicatione, eique deseruiuit, & si postea re cognita, teneatur illud relinquere, posse tamen retinere fructus interim perceptos, qui respondent congruæ ipsius sustentationi, quia hi ei pro seruitio impenso debentur, qui tamē huic sustentationi superflui sunt, restituendi sunt, quia ipse non habet ius nisi ad congruam sustentationem; nisi fortè bona fide eos ita expendisset, vt ex iis non esset factus ditior, tunc enim nec tenetur ad restitutionem ratione rei acceptæ, quia hæc nullo modo extat, nec ratione iniustæ acceptionis, quia fructus bona fide recepit, & consumpsit. Secus est de eo, qui nouit suam inhabilitatem, quia hęc omnia iniustè facit. Notat tamen Henriq. *lib. 13. c. 3. n. 3.* si talis postea illud beneficium legitimè obtineat, posse eos fructus retinere, quia hoc beneficium eò vsque vacauit, & fructus beneficij vacantis debentur successori. Sed vt hoc sit probabile, necessarium est vt ipse interim per se, vel per aliū curarit fieri omne officium illi beneficio debitum, nam aliàs melioris esset conditionis qui inualidè, quàm qui validè beneficium obtinuisset.

Notandum est etiam contra Coninck, Turrianum, Villalobos & Sanchez *vbi suprà*, quòd si prouisus ignoret se excommunicatum ignorātia probabili, tunc electio & collatio beneficij non erit irrita. Et hanc sententiam probabilem esse docent ipsimet aduersarij, vt Lessius *lib. 2. c. 34. dub. 22. n. 117.* & illam absolutè tenet contra Suarez Philip. Faber *de cens. in 4. sent. dist. 25. quæst. 1. disp. 4. cap. 4. num. 191.*

Et tandem pro coronide huius resolutionis nota quòd collatio beneficij facta ab excommunicato tolerato valida erit. Ita ex Vasquez docet Turrianus *lib. 2. disp. 15. dub. 2.*

RESOL. C. *An collatio beneficij facta suspenso, vel interdicto, sit inualida?*

DOctores qui affirmatiuam sententiam docent quoad excommunicatum toleratum, docent etiam quoad supradictos, & ita tenet Coninck *de Sacram. disp. 14. dub. 9. n. 71.* & Aula *part. 2. cap. 6. disp. 5. dub. 4. post 3. concluſ.* vbi sic ait. Vltimò nota ea quæ dicta sunt de collatione, vel electione facta excommunicato, etiam habere locum si fiat suspenso, vel interdicto. Ita ille. hæc opinio est probabilior.

Sed contrariam etiam probabilem & tutam in praxi esse existimo, & ideo Lessius *lib. 2. c. 34. dub. 22. num. 116.* sic asserit. Satis est probabile etsi suspensio siue ab officio, siue à beneficio, faciat hominem indignum collatione noui beneficij, & Canones velint eum priuari, & hac ratione possit dici inhabilis, non tamen ita esse inhabilem, vt collatio sit ipso iure irrita, & ille teneatur beneficium etiam post ablatam suspensionem, sponte dimittere. Id enim ex Canonibus nō satis potest probari, solùm enim ex illis colligitur collationē esse irritandam ipsumque esse priuandum, vt patet singulos expendenti, quæ formulæ loquendi indicant requiri sententiā iudicis. Vnde in re tam dura & difficili non videntur extendendæ ad priuationem latæ sententiæ, & inhabilitatem absolutam. Ita Lessius, qui citat Suar. *disp. 26. sect. 3. num. 7. & disp. 27 sect. 5. n. 25.* & quod dixit de suspensione, idem dicit de interdicto, & respondet ad omnes Canones, qui pro affirmatiua sententia facere videntur.

RESOL. CI. *An excommunicatus, cui facta est collatio beneficij, possit post absolutionem retinere, vel acceptare illud sine noua collatione?*

NEgatiuè respondent communiter Doctores, putant enim eo casu opus esse post absolutionē noua collatione. Ita Coninck *de Sacram. disp. 19. dub. 9. num. 73.* & Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 22. nu. 119.* Probatur primò, quia iura absolutè irritant talem collationem, actus autem irritus est, ac si non esset. Secundò, quia quando alicuius consensus essentialiter requiritur ad alicuius rei valorem, si ille detur eo tempore, quo obiectum est incapax, est ita nullus, vt postea non conualescat, atque hic consensus fertur circa obiectum incapax (excommunicatus enim est incapax beneficij acquirendi.) ergo collatio ei facta nunquam conualescit. Et confirmatur, quia matrimonium inualidum ob aliquod impedimentum dirimens nunquam conualescit sine nouo consensu. Et ita etiam hanc sententiam tenet Præpositus *quæst. 2. de excommunicatione, dub. 11. nu. 65.* ex quo infert eum, cui in excommunicatione beneficium est collatum, debere illud resignare in manus collatoris purè & simpliciter, cùm virtute talis collationis nullum ius acquisierit, poterit tamen collator eidem secundò conferre, quod etiam videtur verum cùm priori vice nouerat

uerat excommunicationē, quamuis in eo eo caſu aliqui contrarium cenſeant; ſed ex nullo iure poteſt oſtendi, quòd collator eo caſu ſit priuatus poteſtate ſecundo conferendi. Vnde ſi collatio pertinebat ad Epiſcopum, ille poteſt iteratò idem conferre. Adde varios probabiliter ſentire, quòd licet pertineat ad alium ſi iuſtæ cauſæ ſubſint, & collator non poſſit adiri ſine infamia, poſſit Epiſcopus titulum reualidare, idem poſſit, quando non poteſt Pontifex adiri, cuius erat ſecundo conferre.

Sed licet hæc ſententia ſit probabilior, probabilem tamen eſſe affirmatiuam ſententiam, docet ipſemet Leſſius & Coninck *vbi ſupr.* cum Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 7. nu. 12.* cum his tamen limitationibus. Primò vt impedimentum ſit occultum, alioquin actus nullum haberet colorem; ſed eſſet planè irritus in foro externo. Secundò vt id in nullius cedat præiudicium: ſi enim duo electi eſſent, præferendus eſſet qui caret impedimento, quia hic ſolus habet ius abſolutè. Tertiò vt ſi ſciens ſuum impedimentum acceptaret collationem beneficij, non ſolùm impetret diſpenſationem illius impedimēti prioris, ſed etiam illius, quod incurrit per talem acceptationem, ita enim acceptando beneficij collationem, incurrit vitium intruſionis, per quod fit inhabilis ad idem beneficium (etſi non ad alia, vt infrà dicetur) vnde etiam eget diſpēſatione huius impedimenti, qua obtenta poterit beneficium retinere. quæ ſententia ſic probari poteſt. Nam electio illa fuit valida. & efficax, ex parte eligentiū, vt ſupponitur. (idem dicendum de præſentatione & collatione,) ſed ſolùm requiritur capacitas in electo. ergo ſimul atque fuerit capax factus, ſublato impedimento ex vi prioris actus ius acquiret, ſicut cùm quis acceptat in excōmunicatione collationem ſibi factam ante excommunicationem, ſublato illo impedimento ius acquirit abſolutum ex vi illius acceptationis, vt antè dictum eſt. Deinde, quia electores in priore voluntate manere cenſentur, cùm illam non reuocauerint. ergo vis electionis manet ac proinde poterit eam electionem ſublato impedimento validè acceptare. Hæc omnia docet Leſſius. Et hæc opinio confirmatur ex eo, quòd tradunt plures de eo, cui in irregularitate beneficium eſt collatum, quem docent poſſe retinere beneficium poſt diſpenſationem in irregularitate.

RESOL. CII. *An excommunicatus validè acceptet beneficium ſi ante excommunicationem fuerit ei collatum?*

NEgatiuè reſpondet Raynaudus *de monit. part. 2. c. 2. n. 29.* Hurtado *diſp. 6. de excommunicat. difficult. 3. nu 8.* Layman *lib. 2. tract. 5. part. 2. c. 2. quæſt. 3. num. 11.* Coninck *de Sacrament. diſp. 14. dub. 9. nu. 78.* quia, vt patet ex *cap. ſi tibi abſenti, de præbend. in 6.* non minus quis acquirit ius in beneficium per validā collationis acceptationem, quàm per ipſam collationem: atqui ipſa collatio facta excommunicato eſt omnino inualida, quia hic eſt incapax ad acquirendum ius in beneficium. ergo ſimiliter acceptatio ab eodem facta erit inualida. Nec refert quòd talis acceptatio ſufficiat ad declarandum cōſenſum acceptantis, & quòd cenſeatur in eo permanere donec abſolutus ſit, quia etiam collatio facta excommunicato, ſufficit vt declaret collatorem habuiſſe verè voluntatem conferendi tale beneficium, & poteſt in ea permanere donec tollatur excommunicatio, & tamen vt alter validè beneficium acquirat, debet ſecundo conferri.

Dices eſſe diuerſam rationem, quia collatio cōfert verum ius alteri, acceptatio verò nullo modo, ſed tantùm eſt conditio requiſita vt collatio ſuum effectum operetur. Reſpondeo negando aſſumptum. nam vt res aliqua fiat mea, non minus dependet à meo eam acceptantis conſenſu quàm ab alterius eam dem dantis, atque ideo vtriuſque cōſenſus provt componit integrum pactum, eſt ſimpliciter cauſa acquiſitionis dominij.

Verùm his non obſtantibus ipſe Coninck fatetur contrariam ſententiam eſſe probabilem, quam abſolutè præter Couarr. *lib. 3. ver. cap. 16. nu. 4.* tenet Leſſius *lib. 2. cap. 34. dub. 22. num. 118.* Vaſq. *de excomm. dub. 6.* Toletus *lib. 1. cap. 13.* quia *in cap. poſtulaſtis*, quāuis inualidetur collatio beneficij excommunicato facta, non tamen acceptatio; adde quòd in eo cap. tantùm inualidatur actio, per quam acquiritur ius ad beneficium; acceptatione autem non acquiritur ius ad illud, quia nullus ſibi cōfert ius. ergo, &c. Deinde acceptatio ſolùm eſt declaratio propriæ voluntatis, qua certum eſt non priuari per excommunicationem, *l. ex facto, § ſi quis rogatus, 2. ff. ad SC. Trebellianum*, & præſertim cùm acceptatio ad factum potius, quàm ad ius pertineat.

Nec valet dicere quòd licet per electionem, aut collationem detur ius ad beneficium, & non per acceptationem ipſam, cùm acceptans non det ius ſibi ipſi, ſed accipiat illud ab electore, aut collatore; non tamen acquiritur hoc ius, niſi per acceptationem electionis, aut collationis, vt expreſsè decidit *in cap. ſi tibi abſenti, de præbend. in 6.* ergo quādo acceptat beneficium, tunc acquirit ius; ſed quamdiu eſt excommunicatus, eſt incapax acquirendi, vt ſuprà dictum eſt. ergo etiam eſt incapax ad accipiendum beneficium, atque ita talis acceptatio nulla erit. Sed reſpondetur, hoc argumentum ſolum probare illam acceptationem non eſſe validam quantum ad acquiſitionem iuris, quòd etiam nos fatemur, non tamen eſſe inualidam, quantum ad conſenſus declarationem, in quo ſenſu procedit noſtræ concluſionis doctrina; itaque ſi poſt talem acceptationem abſoluatur ab excommunicatione, non eſt opus alia noua collatione, aut acceptatione, ſed cùm primùm abſoluitur, acquirit ius in beneficium, & non antea: vnde ſi poſt abſolutionem moriatur, illud beneficium vacat de nouo; ſecus verò ſi moriatur antequam abſolutus ſit, etiam poſt acceptationem, quia in hoc poſteriori caſu nondum beneficium acquiſierat, & ita non vacat de nouo, quod attendendum eſt, vt ſciatur ad quem eius collatio pertineat. Ex quo infero quòd ſi ille, qui ante excommunicationem obtinuerit literas ad beneficium vacaturum, tempore quo vacat, ſit excommunicatus, poterit illud acceptare virtute Bullarum, & acceptatio erit valida, ita vt poſt abſolutionem non deſideretur noua ac-

ceptatio,ſed ſola collatio, quia literæ ad beneficiũ vacaturum non conferunt ius ſine collatione,cùm ſolùm promittant collationem , quæ fieri nequit durante excommunicatione, neque opus eſt vt fiat poſtea,& idem eſt de antiquiori Canonico, qui licet ſit excõmunicatus,poteſt validè acceptare pinguiorem præbendam, licet collatio ſuſpendenda ſit,donec abſoluatur. Et ita hanc poſteriorem ſententiam præter Doctores citatos ex Vaſquez docet Turrianus *lib.2.diſput.16.dub.2.* & Mercerus *de Sacram.in 3.part.quæſt.21.dub.8.*

RESOL. CIII. *An excommunicatus ſit inhabilis ad recipiendas penſiones?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Gordonus *in ſumma,tom.2.lib.7.quæſt.9. numer.* 45. Filliucius *tom.1.tract.12.cap.5.numer.* 123. Villalobos *in ſumma, tom.1.tract.17.diffic.9.num.3.*vbi ſic ait.] Tanbien es inhabil el deſcomulgado para recibir penſion perpetua,que ſe da en titulo de beneficio,porque eſſa es beneficio,y aſſi lo dize Abad,Couar.Suarez,Soto,y otros,y es lo que llamamos preſtamo. De las demas penſiones ay mayor duda entre los Doctores,tengo por mas cierto, que tanbien eſta inhabil para ellas,porque como no puede hazer los frutos ſuyos, no podra recibir la penſion, que es de derecho para recebirlos. A eſta parte ſe inclina Couar. y la tiene Gigas, y la fauoreze el eſtilo de la Curia , que todas las vezes que ſe conceden eſtas penſiones , ſe concede que le puedan abſoluer de las cenſuras para eſte efeto.] Ita ille. Vide etiam Suarez *diſput.13. ſect. 1. num.9.* & Mercerum *de Sacram.in 3.part.quæſt.21.dub.8.*

Sed ſolùm hæc opinio locum habere debet in penſionibus,quæ ſunt beneficium Eccleſiaſticum, quia dantur titulo ſpirituali, non verò in his,quæ non ſunt beneficium , quia dantur titulo ſeculari, quia iura loquuntur ſolùm de beneficiis,& ita docet Turrianus *lib.2.diſp.16.dub.1.* Vaſquez *de excommunicat.dub.6.num.5.*Henriquez *lib.13.cap.13.num.2.* Layman *lib.2.tract.5.part.2.cap.2.num.8.* Cornejo *in 3.part. tract.5. de excommun. diſput.10.§.7.dub.1.* Imò Auila *part.2.cap.6.diſp.5. dub.5. concluſ.* 2. putat eſſe probabile quòd penſio ſpiritualis , quæ fundatur in titulo ſpirituali, collata excommunicato ſit valida.Et hanc ſententiã abſolutè tenet (nota Lector) Ioannes Præpoſitus *in 3.part.quæſt.2. de excomm. dub. 11. num.* 64. quia conſtat excommunicatum non eſſe ex natura rei incapacem beneficij,vel penſionis.ergo incapacitas debet prouenire ex iure poſitiuo: dicimus autem non probari in particulari ex iure,quòd conceſſio penſionis facta excommunicato ſit irrita , nec ſufficienter oſtendi ex eo quòd collatio beneficij ſit irrita,cùm penſio etiam collata titulo Eccleſiaſtico non ſit beneficium,nec de ea ſit diſcurrendum , ſicut de beneficio ſine iure expreſſo , propter aliquam inter ea conuenientiam, præſertim in materia odioſa , & quantum fieri poteſt ſemper reſtringenda.Hęc Prępoſitus,licet notiſſimè aduersùs illum inſurgat Theophilus Raynaudus *de monit.part.2.cap.2.num.29.*

RESOL. CIV. *An excommunicatus priuetur fructibus beneficij ante excommunicationẽ legitimè obtenti?*

AFfirmatiuè reſpondet Filliucius *tom.1. tractat. 12.cap.5.num.*129. Vgolinus *de cenſ.tab.2.cap.*12. Couarr.*lib.3.var.cap.*13.*num.*8.Suarez *de cenſ.diſp.* 13. *ſect.*2.Toletus *lib.1.cap.*13.& Mercerus *in 3.part.q.*21. *dub.*8.*nu.*6.quia,ait ille *in cap.paſtoralis , de appellationibus* ſignificatur quòd excõmunicatus non faciat fructus ſuos,& ſimul rationem dat his verbis. Illi prouentus Eccleſiaſtici meritò ſubtrahuntur, cui Eccleſiæ communio denegatur. quamquam particulariùs probari poſſit,quòd excommunicatus ſit ab officio ſuſpenſus. ergo etiam à fructibus, quia datur beneficium propter officium , ſicut merces propter opus ; fauent enim verba capituli, ſi bene expendantur.eſt enim ſermo de illo, in quem ſententia excommunicationis lata eſt , & dicitur conſequenter ipſum beneficiis ſpoliari poſſe;id eſt,adminiſtratione & fructibus beneficiorum , deinde hunc effectum non impediri propter interpoſitam appellationem , eo quòd excommunicatio ſecum trahat executionẽ. Verbum quoque, *ſubtrahuntur*, ſonat ipſum factum, non autem præceptum iudici priuaturo impoſitum.

Sed contrariam ſententiam tenet Coninck *de Sacram.diſp.14.dub.9.num.*81.& Hurtado *diſput.6. de excom.diffic.1.num.*2.vbi citat Vaſquez & Nauarr.& docet excommunicationem maiorem non priuare fructibus beneficij , ac proinde excommunicatum poſſe adhuc licitè percipere fructus ſui beneficij,dummodo per ſe, aut Vicarium ſatisfaciat officio.& meritò; quia excommunicatio ex eo quòd generaliter eſt priuatio communionis fidelium,nõ priuat dictis fructibus, quia perceptio eorum non eſt communicare cum fidelibus , quia cuilibet excommunicato conferri poſſent , nec excommunicatio priuat illis iure aliquo peculiari , quia ſi aliquo,maximè iure dicti *c. paſtoralis.* eo autem non fit,quia in eo cap. tantùm eſt ſermo de ſubtractione facienda per iudicem media ſententia noua ſuperaddita excommunicationi , quòd ille, qui conſuluit Pontificem,ſupponit,interrogat enim an excommunicatus , qui excommunicatione iam incurſa appellauit,poſſit , non obſtante appellatione, denuntiari, ſeu publicari excommunicatus , & ad tempus ſpoliari beneficiis , id eſt, prouentibus beneficij. ſupponit ergo excommunicatione nõ ſpoliari, quia potiùs interrogaret , an excõmunicatione ipſa maneret ſpoliatus,& Pontifex eo ſuppoſito reſpondet poſſe denuntiari , & ei meritò ſubtrahi prouentus;ſententia verò ſuperaddita iudicis,ſicut etiam actu ſuperaddito excommunicationi , denunciatur.& hæc omnia docet Hurtado *vbi ſuprà*, qui etiam addit,quòd quamuis de rigore iuris excommunicatus eo ipſo abſque noua ſententia iudicis eſſet priuatus fructibus ſui beneficij,conſuetudine tamen non priuatur,quia dicto iuri, quamuis eſſet, fuiſſet dicta conſuetudine derogatum. & hanc opinionem tamquam probabilem admittit etiam Præpoſitus *in 3.part.quæſt.2. de excom. dub.* 11. *num.* 68. vbi ſic ait. Notandum communiori ſententia excommunicatum priuari fructibus beneficij

ficij antea obtenti, ex §. *verùm, cap. paſtoralis, de appellationibus.* ex quo communiùs docetur ipſo facto eis priuari, & ſuos non facere, ac proinde obligari ad eorum reſtitutionem ante omnem ſententiam. Aliqui tamen cenſent non priuari ipſo facto fructibus. Ita gloſſa *in* § *cit. ver ſubtrahuntur*, Auila *c. 6. cit. diſp. 6. dub. 1.* Rebuffus *repetit. in cap. poſtulaſtis, n. 8. de Clerico excommunicato & cap. miniſtrante*, citatus à Suar. *diſp. 13. ſect. 2. in fine*, qui ſentit ſaltem ex cõſuetudine non priuari. ex qua ſententia ſequitur non teneri ad eorumdem reſtitutionem ante ſententiam iudicis, quod non videtur omnino improbabile, cùm contrarium non ſit ita euidens. Ita ille. Vnde Mercerus *vbi ſuprà*, licet ſuam opinionẽ putet eſſe veram ex diſpoſitione iuris, addit quòd quia non ſoleat excommunicatus priuari fructibus beneficij ſui, poteſt ſe conformare huic conſuetudini, quia cùm ius illud ſit poſitiuum, poteſt ei derogari per contrariam conſuetudinem.

Sed ſtando in prima opinione, quæritur, an ſi excommunicatus ſit pauper, & fructibus indigeat vt ſuſtentetur, poſſit aliquid de fructibus percipere? Affirmat Auila *2. part. diſp. 6. dub. 5. concluſ. 3.* cuius fundamentum eſt, quod iſte poteſt fructus reſtituendos dare pauperibus. ergo poteſt reſeruare ſibi, cùm non videatur peioris conditionis, quàm cæteri pauperes. Confirmatur. Nemo obligatur rem alienam reſtituere, qua indiget ad ſui ſuſtentationem. ergo. Sed contrarium tenet Cornejo *in 3. part. tract. 5. de cenſ. diſp. 10. §. 6. dub. vn. n. 4.* quia cùm hæc ſint bona Eccleſiæ, non poteſt contra eius voluntatem ſibi vſurpare quouis prætextu neceſſitatis non extremæ, que hic eſſe non poteſt, cùm iſte excommunicatus poſſit pro ſua voluntate à contumacia diſcedere, & fructus percipere, & victum alio modo ſibi procurare.

RESOL. CV. *An præſentatio facta à patrono laico excommunicato non tolerato ſit valida?*

NEgatiuam ſententiam docet Turrianus *lib. 2. diſp. 15. dub. 3.* vbi quærit, in præſentatio beneficij facta ab excommunicato ſit valida? & reſpondet quòd in hac controuerſiã prima opinio eſt aſſerentium præſentationem eſſe validam, quia non videtur expreſſum ius quo talis præſentatio irritetur. Secunda opinio diſtinguit inter præſentationem factam à perſona Eccleſiaſtica, vel à laico: primam dicit eſſe inualidam, ſecundam eſſe validam; & hoc modo diſtinxit deciſio Rotæ *2. titulo, de iure patronatus, in antiquis, & deciſio 527. in antiquis*, quam doctrinam obſeruatam eſſe in quadam cauſa Zamorenſi, teſtatur Ludouicus Gomez *in tractatu exſpectatiuarum, n. 6.* Tertia opinio ſimpliciter docet talem præſentationem eſſe validam. hanc tenet Couarr. *in cap. alma mater, 1. part. §. 7. num. 9.* & alij, quos citat Couarruuias. & dicendum eſt præſentationem factam à patrono Eccleſiaſtico excommunicato eſſe nullam, quod fusè explicant nonnulli; ſed probandum eſt, quòd per excommunicationem priuatur excommunicatus omni iuriſdictione, & præſentatio eſt quoddam genus electionis, & ideo Authores de præſentatione facta à patrono Eccleſiaſtico, ſicut de electione loquuti ſunt. Secundò exiſtimo eodem modo eſſe philoſophandum de præſentatione facta à patrono laico, quia in iure non eſt talis diſtinctio. & hæc diſputatio à iure pendet. Ita Turrianus, & nouiſſimè Hurtado *diſp. 7. de excommun. difficult. 2. num. 9.* vbi ſic ait. Præſentatio ad beneficium facta à Patrono excommunicato, eſt illicita, & nulla, quamuis fiat à laico, vel Clerico vt laico; quia per præſentationem non ſolùm factam à Clerico, ſed etiam per eam quæ fit à laico, confertur ius ad beneficium, quod non poteſt ab excommunicato conferri nec licitè, nec validè, cùm beneficium ſit bonum commune omnibus membris Eccleſiæ, & excommunicatus ſit extra eam. Verum eſt ius collatum à laico ita vſque ad inſtitutionem, ſeu collationem factam ab Epiſcopo manere pendens in conſeruari ab ipſo patrono laico, vt patronus pro libito poſſit abſque iniuria præſentati alterum præſentare, vt deducitur ex *cap. cùm autem 24. de iure patronatus.* Hæc ille.

Sed ego contrariam ſententiam teneo cum Villalobos *in ſumma tom. 1. tract. 17. diffic. 12. num. 3.* vbi ita aſſerit. [Tanbien es inualida la preſentacion del beneficio, hecha por el deſcomulgado, que queda dicho. Aſſi lo tiene Couarr. cõ Abad, y la comun. El fundamento es, porque la elecion y preſentacion ſe equiparan en el derecho, como ſe colige de vn texto, y aſſi el que no puede eligir, tanpoco puede preſentar. La dificultad eſtà, en ſi procede eſto, no ſolo de la preſentacion que haze el Clerigo, ſino tanbien de la que haze el lego: A lo qual Couarr. (ſiguiendo à Lambertino) dize que ſi: mas yo tengo por muy cierto la contraria, la qual ſe guardò en la Rota en el año de 1533. en vna cauſa de la Ciudad de Zamora, como dize el miſmo Couarr. y la tiene Luis Gomez, y Rebufo dize, que es comun. El fundamento deſto es, porque en vn Capitulo de derecho dize el Pontifice, que la preſentacion que haze el lego, ſe puede mudar antes que ſe haga la inſtitucion, mas no la que haze el Clerigo, de lo qual coligen Abad y otros que la preſentacion que haze el Clerigo no difiere de la elecion, porque dà derecho al preſentado, mas la del lego ſi, que no dà derecho, y eſto con razon, porque el lego no puede dar derecho eſpiritual, qual es el derecho al beneficio Eccleſiaſtico.] Ita ille. & ante illum Cornejo *in 3. p. tract. 5. de excomm. diſp. 10. §. 5. dub. 1.*

Sed dubitatur an prædicta præſentatio facta à laico ſit ita valida, vt teneatur Epiſcopus eam admittere? & reſpondet negatiuè Cornejo. quod verum eſt, etiamſi perſona præſentata digna ſit, & ſola excommunicatio præſentantis obſtat. Cuius ratio eſt, quòd cùm iſte patronus peccat præſentando, poteſt Epiſcopus licitè, imò tenetur eius præſentationem non admittere, ne eam admittendo cum excommunicato communicet; quare quamuis vt talis illicita præſentatio ſufficiens ſit, Epiſcopi acceptatio accedat, vt inſtitutio & collatio ſit valida, non tamen eſt efficax, ex quo fit vt ſi patronus excommunicatus in mora ſit præſentandus, aut ſi Epiſcopus nolit præſentationem ab eo factam acceptare, poteſt Epiſcopus alteri, cui voluerit

luerit, collationem beneficij facere, quoniam ob morem ius præsentandi ad Episcopum deuoluitur. Propter quod existimat Suar. *num.* 21. valorem, quem suprà diximus, habere præsentationem factam ab excommunicato, quando ab Episcopo admittitur, non prouenire ab ipsa præsentatione, sed acceptione Episcopi, in quem est virtualiter deuolutum ius præsentandi, iuxtaque hanc doctrinam sustineri potest opinio, quam tenuit Couar. *vbi suprà*. Et quidem quoad hoc idem est dicendũ, etiamsi patronus sit excommunicatus toleratus, quia cùm illi nullus fauor fiat per Extrauag. *ad euitanda*, illicita erit præsentatio ab eo facta, nisi iure, aut alia iusta causa fuerit ab ipso præsentato postulata, atque adeò non erit efficax, cogat Episcopum eam acceptare, nam quamuis licitum sit cum tali excommunicato communicare, nullus tamen ad hoc obligatur. Dixi *nisi ab eo sit postulata*, quia in hoc casu iam erit licita. & hæc omnia docet Cornejo *vbi suprà*. cui adde Prępositum *in 3. p. q. 2. de excomm. dub. 11. num. 69.* & Hurtadum *vbi suprà*. Quicquid in contrarium asserat Vasquez *de excommun. dub. 5.* & Couarruuias *in cap. alma mater, part. 1. §. 7. num. 9.*

Resol. CVI. *An resignatio beneficij ab excommunicato facta in fauorem tertiæ personæ sit valida?*

NEgatiuè respondet Filliucius *tom. 2. tract. 12. cap. 6. num. 163.* quia quando resignatio est in fauorem tertij, resignans concurrit etiam ipse ad collationem beneficij, nominando, determinando personam, & resignando cum cõditione, dummodo detur illi, & nõ alteri, vnde acquiritur aliquod ius nominato, & æquiualet præsentationi: at excommunicatus est priuatus omni iure spirituali. ergo, &c.

Sed ego puto contrariam sententiam non esse minus probabilem, quam tuetur Turrianus *lib. 2. disp. 15. dub. 3.* vbi sic ait. Quæritur de resignatione beneficij ab excommunicato facta in fauorẽ tertiæ personæ, an sit valida? Et aliqui iudicant non esse validam, & probant, quia excommunicatus est priuatus omni vsu beneficij sui. ergo multo magis potestate donandi illud alteri. Secundò, quia resignatio in fauorem tertiæ personæ videtur esse quædam præsentatio, cùm designet personam. & sic videtur philosophari Pater Suarez *suprà disp. 14. sect. vlt. num. 35.* Sed alij sentiunt validam esse renuntiationem, quia neque est præsentatio, neque electio, neque institutio beneficij. ergo nõ est electio, vt patet. Non præsentatio, quia ille non habet ius patronatus ad præsentandum, sed solùm vult relinquere beneficium sub conditione, vt detur alteri, & licet iste posset peccare in communicatione, tamen non apparet ius, ob quod dicimus nullã esse resignationem. Ad argumenta contrariæ opinionis facilè respondetur. Ad primum non est facilè, quia ille non priuatur potestate absolutè relinquendi illud sub conditione, & Doctores contrariæ opinionis fatentur posse illud dimittere, quod est per se manifestum. Ad secundum constat ex dictis. & sanè si resignans non esset excommunicatus vitandus, facilè concedunt DD. validam esse resignationem rerum, nisi sit vitandus, non video probari nullitatem illius. Hæc omnia Turrianus *vbi suprà*.

Notandum est tamen quòd prima sententia locum habet in excommunicato vitando; si enim resignèt simpliciter, valida est, quia est merum factum, & res pendens à voluntate. Si in fauorem, est inualida, quia pertinet ad iurisdictionem: in eo autem qui vitandus non est, non videtur neque inualida, etiamsi fiat in fauorem tertij, quia potius est in fauorem resignatarij, neque illicita quando requiritur ab aliis. Vt enim non est vitandus in aliis actionibus, ita neque in hac. Ac propterea seruatur id quod dicitur in Extrauag. *ad euitanda*, vt non relenetur in aliquo ipsemet excommunicatus, sed alij tantùm. Ita Filliucius *loco citato*.

Resol. CVII. *Quam pœnam incurrant conferentes beneficium excommunicato?*

REspondetur præter excommunicationem minorem incurrere ipso iure suspensionem à collatione eiusdem beneficij, argum. *cap. cùm in cunctis §. Clerici, de electione*, vt ita puniantur in eo, in quo peccauerunt: à collatione verò aliorum beneficiorum non sunt ipso iure suspensi, sed post binam monitionem suspendi debent, vt habetur *in cap. postulasti, de Clerico excommunicato ministrante.* nam licet Panorm. *in d. cap. postulasti. num. 3.* velit suspendi debere à collatione aliorum beneficiorũ sine aliqua monitione, verius tamen est monitionem requiri, iuxta ea quæ habentur *in cap. grauem, de præb.* vt dicit Sayrus *lib. 2. cap. 5. num. 3.* licèt aliter sentiat Suarez *disp. 15. sect. 1. nu. 3.* aduersùs quem etiam insurgit Cornejo *in 3. part. tract. 5. de excomm. disput. 10. §. 7. dub. vn. q. vlt.*

Resol. CVIII. *An effectus excommunicationis quoad priuationem vsus iurisdictionis habeat locum in iudice seculari excommunicato non tolerato?*

DOctores communiter censent habere; quibus licet consentiat Malderus *tract. 6. de Iust. cap. 1. dub. 11.* censet tamen non satis probari ex Canonibus sententiã iudicis sæcularis excõmunicati esse irritam, & quidem varia capitula citari solita apertè loquuntur de iudice Ecclesiastico, alia nõ agunt de omni excommunicato, sed de excommunicatis propter certas causas, vt *cap. aduersùs, de immunit. Ecclesiarum*, decernuntur irritæ sententiæ Consulum & Rectorum ciuitatum, qui excommunicantur propter exactionem factam ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis; *cap. excommunicamus, §. credentes, de hæreticis.* non annullatur sententia excommunicati in genere, sed excommunicati propter hæresim. ergo, &c. Vide etiam Victoria *in sum. de excommun. nu. 16.*

Verùm omnino dicendum est acta iudicis secularis excommunicati non tolerati esse irrita, quod & videtur bene colligi ex *c. præsidentes, de hæreticis, in 6.* vbi aliis deficientibus datur peculiaris potestas iudicibus excommunicatis procedendi contra hæreticos ad instantiã Ordinariorum, &c. Vbi Pontifex supponit eorum potestatem aliàs impediri ratione excommunicationis; vnde etiam hi peccant vsurpatione iurisdictionis, si vllos actus iuris-

iurisdictionis officij sui exerceant, & tales actus sunt irriti & nulli, si intrinsecè sunt actus iurisdictionis. & ita docet Prępositus *in 3. part. quæst. 2. de excomm. dub. 12. num. 75.* Hurtado *disput. 8. de excomm. difficult. 2. num. 3.* & Turrianus *lib. 2. disp. 14. dub. 1.* vbi ex Suarez probat hanc sententiam ex consensu, & consuetudine Ecclesiæ, & illam etiam colligit ex *cap. penult. & vltim. 15. q. 6.* vbi subditi absoluuntur ab obligatione obediendi Superioribus excommunicatis.

RESOL. CIX. *An iudex excommunicatus toleratus possit validè exercere iurisdictionem?*

REspondeo affirmatiuè post Concilium Constantiense: sed cùm hoc sit verum, potest tamē quis illius iudicium declinare, opponendo excommunicationem. nam quamuis fideles possint cum eo conuersari, non tamen tenentur; vnde si velit censura irretire non obedientem, censura erit nulla defectu contumaciæ & peccati in altero, cùm non obediendo ei, non peccet. & ita docet Prępositus *in 3. p. q. 2. de excomm. dub. 12. nu. 78.* qui *num. 79.* censet dicta de excommunicato tolerato certo casu habere etiam locum in excommunicato vitando, si videlicet talis transferat se ad alium locū, vbi passim ignoratur quòd sit nominatim denuntiatus, vel publicus Clerici percussor, & eligatur in iudicem, illius acta valere in fauorem publicum. Vnde dicendum collationem factam à tali excommunicato valere, similiter electionem, &c. Et ita etiam docet Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 7. num. 62.* & Suar. *disp. 13. sect. 2. num. 16.*

RESOL. CX. *An excommunicatus possit esse actor in iudicio?*

REspondeo negatiuè, vt constat ex *c. decernimus, de sent. excommun.* & ex *cap. 1. de except. in 6.*

Notandum est tamen hìc Turrianum *lib. 2. disp. 14. dub. 3.* ex Suarez docere non esse peccatū mortale ex obiecto, si excommunicatus ius suum petat in iudicio, donec vel per exceptionem, vel per officium iudicis repellatur, si aliàs reuera petat iustitiam debitam, & non vtatur vi, aut fraude. Et hoc etiam docet Cornejo *in 3. part. tract. 5. de Excomm. disp. 10. §. 9. quæst. 1.*

Nota etiam cum Hurtado *disp. 8. de excomm. diffic. 3. num. 6.* si excommunicatus sit toleratus, quamuis possit à iudice reiici, quia potest non communicare cum illo, non tamen tenetur eum, quamuis publicum, reiicere, (nisi ad petitionem partis sufficienter probantis excommunicationem) quia non tenetur eum vitare.

RESOL. CXI. *An excommunicatus possit in iudicio respondere per se ipsum, vel cogatur respondere per Procuratorem?*

QVòd cogatur respondere per Procuratorem, docet Auila *part. 2. c. 6. disp. 2. dub. 2.* Hurtado *disp. 8. de excommun diffic. 4. num. 7.* & in hanc sententiam magis videtur inclinare Turrianus *lib. 2. de Iust. & iur. disp. 14. dub. 3.* & ratio est, quia id significatur *in cap. intelleximus, de iudiciis.*

Sed verius ego puto posse respondere per se ipsum, quia non videtur tali excommunicato negari quod communi iure cuiuis reo conceditur, aliàs plerumque sentiret nimis magnum grauamen, si non posset per se respondere. Confirmatur ex *cap. cùm inter, & cap. vlt. de exceptionib.* quibus absolutè cōceditur excommunicato potestas respondendi. ergo etiam per se. si tamen priùs possit obtinere absolutionem ab excommunicatione, omnino decentius est, vt ante illam per se non respondeat. Ad *c. intelleximus*, respondetur particulam, *per alium*, non excludere ipsum reum, quasi per se respondere nō possit, sed per eam Summum Pontificem velle, quòd saltem per alium debeat reus respondere. Et ita hanc sententiam docet Præpos. *in 3 part. quæst. 2. de excommun. dub. 13. num. 87.* & Coninck *de Sacrament. disp. 14. dub. 11. num. 116.*

RESOL. CXII. *An excommunicatus possit esse Tabellio, & eius acta sint valida?*

REspondeo negatiuè, ex *cap. 1. de except. in 6.* & eius acta esse inualida, ex Henriquez, Auila & Coninck, tradit nouissimè Hurtado *disp. 8. de excommunicatione diffic. 5. num. 8.* quia, vt dicitur *in cap. nullus, 3. quæst. 4.* à nemine credenda sunt, quæ ab anathematizatis dicuntur, vel conscribuntur. ergo eorum instrumenta non sunt valida, quia valor eorum in hoc consistit, quòd eis sit credendum, quod est verum etiam de instrumentis factis à tolerato, quia non est obligatio ei credendi, sicut nec communicandi cum illo. Instrumentum ergo ab excommunicato adhuc tolerato factum reiici potest in iudicio, vtpote nullum. Addunt tamen Ægidius & alij, quòd si non reiiciatur, erit validum, sumpto argumento à factis actoris excommunicati, quæ dum non repelluntur, valida sunt; sed hoc additur absque sufficienti fundamento, quia pro nullitate instrumenti Tabellionis est expressus canon, & non pro valore, quando non repellitur, & est expressus pro valore factorum ab actore quando non repelluntur. Hæc Hurtado. Et ante illum Faber *de cens. in 4. sent. dist. 25 q. 1. disp. 4. cap. 6. nu. 201.* vbi sic ait. Non potest excommunicatus exercere tabellionatum. Patet, quia hæc est communicatio maxima & grauis cum aliis fidelibus, vt patet, ideo peccat mortaliter; an verò instrumenta eius sint nulla, dicendum est si loquamur de actibus & instrumentis factis ab ipso publicè & authoritate publica esse nulla ipso facto, est enim communis sententia Canonistarum, quòd acta à publico excommunicato ratione publici muneris sunt ipso iure nulla. Aliqui tamen dicunt, si excommunicatus Tabellio à partibus scientibus esse excommunicatum ex consensu communi inducatur ad faciendum aliquam scripturam publicam, licet peccaret, tamen illam scripturam valere, & obligare partes ad illam obseruandam, quia iam in illam conuenerunt in foro conscientiæ. Quam opinionem probat Suar. *disp. 16. sect. 5. nu. 5.* Ego tamen oppositum sentio, quia iam Ecclesia prohibet illi publicum munus faciendi instrumenta, ablata autem hac potestate, scripturæ illæ non habent valorem à publica authoritate; ergo nullæ sunt. Ita Faber.

Sed his non obstantibus ego puto quòd excom-

communicatus non toleratus peccat exercēs munus Tabellionis quantumcumque ab aliis requiratur: toleratus verò non peccat, si requiratur ab aliis. Vtrùm verò acta illius sint valida quando non toleratur, potest dubitari. Varij negant, præsertim Canonistæ, quorum sententia vt sit vera pro foro exteriori, omnino tamen verius est dare firmitatē contractui in foro interno, quando admittitur ex consensu partium cognoscentium eius excommunicationem. Ita sentit Suarez *disp. 16. sect. 5. num. 4.* quia textus, qui in contrarium adferuntur, non ostendunt acta non sufficere ad faciendam fidem si Tabellio excommunicatus admittatur, sed solùm quòd non debeat admitti, vt *Can. nullus anathematizatorum 3. q. 4.* vbi Stephanus Papa dicit. *Nullus anathematizatorum suscipiatur, nec à quoquam credantur, quæ ab eis dicuntur, vel conscribuntur.* Quibus verbis non sufficienter declarantur irrita ad faciendam fidem acta Tabellionis excommunicati, sed solùm quòd admitti non debeat. Et hæc omnia docet etiam Præpositus *in 3. part. q. 2. de excom. dub. 13. num. 89.* & Turrian. *lib. 2. disp. 14. dub. 4.* licet asserat in foro exteriori seruandam esse consuetudinem, iuxta quam recepta est communis Canonistarum opinio, & addit duo. Vnum est, graue videri peccatum Tabellionis, si instrumentum publicum faciat contra prohibitionem, res enim videtur magni momenti. Alterum est post Concilium Constantiense, antequam iste Tabellio sit denuntiatus, posse alios vti officio illius, & valida esse instrumenta in vtilitatem eorum, quæ prohibitio respectu eorum ablata est. Vnde Filliucius *tom. 1. tract. 12. cap. 7. n. 186.* asserit quòd peccabit grauiter Tabellio exercēdo munus Tabellionis in excommunicatione. & quidem si vitandus sit, non est dubium tum propter communionem illi denegatam, tum propter dubium faciendi actus irritos, & expositos nullitati, & litibus. Si non est vitandus, peccabit si se ingerat; si tamen requisitus aliquid sui muneris faciat, non peccabit. possunt enim alij cum ipso agere, & consequenter etiam ipse in tali casu cum aliis,

Resol. CXIII. *An excommunicatus possit esse testis, & eius testimonium sit validum?*

Respondeo negatiuè, ex *cap. veniens 3. de testibus.* & eius testimonium esse nullum, ex Vasquez tradit Hurtado *disp. 8. de excommun. diffic. 6. n. 10.* vbi sic ait. Addendum est, testimonium excommunicati esse nullum, cùm ei credendum non sit, vt dicitur *in can. nullus 3. q. 4.* quod contra Ægidium & alios verum existimamus, etiamsi non repellatur (vt potest non repelli, quando testis est toleratus) sicut diximus de instrumento Tabellionis, qui est testis qualificatus; & id etiam existimamus verum, quamuis testis sit toleratus, quia ei, quamuis tolerato, non est obligatio credendi, valor autem testimonij consistit in eo quòd ei debeat credi. Vide etiam Cornejo *in 3 part. tract. 5. de excom. disp. 10. §. 9. quæst. 6.* & Philippū Fabrum *de cens. in 4. sent. dist. 25. quæst. 1. disp. 4. cap. 6 n. 202.* vbi ita asserit: Est dubium an validum sit testimonium excommunicati in scripturis extraiudicialibus, & priuatis, vt in testamentis, contractibus, &c. & aliqui tenent esse validum, & Suarez *ead. disp. 16. num. 7.* quia, inquit, licet iure prohibeatur, vt non licitè fiat, non tamen cauetur vt validè non fiat in scripturis priuatis. Verùm ego hoc non intelligo. nam omnis scriptura facta per Tabellionem auctoritate tabellionatus mihi videtur publica, quia authoritas Tabellionis est publica. Vnde testis testificans in tali scriptura, mihi videtur testificari publicè, quia licet actu non sit deducta ad iudiciū, tamen potest deduci, & est apta & nata deduci. Itaque mihi videtur includi in illis actibus de quibus dicitur *cap. licet, de sent. excom. in 6.* in quo dicitur excommunicatum tam in iudicialibus, quàm extraiudicialibus, à legitimis actibus esse remouendum. Ita Faber.

Verùm ego puto quòd excommunicatus non potest esse testis, vt patet *cap. decernimus, de sent. excomm. in 6.* vbi etiam decernitur vt iudices sæculares per censuras Ecclesiasticas compellantur tales repellere. Si tamen admittatur eius testimonium, est validum, quia non apparet vllum ius irritans eius testimonium, quando admittitur. Vide Henriq. *lib. 13. cap. 7. num. 5. in fine.* quod non solùm verum est in iudiciis, sed etiam in testimonio lato extra iudicia quoad contractus, & testamenta, &c. Videri potest Sayrus *tom. 1. Thesauri casuum lib. 2. cap. 8. nu. 1. & 4.* Toleratus si requisitus testetur, non solùm validè, sed etiam licitè id facit. & hæc omnia docet præter Suarez Præpositus *in 3 part. quæst. 2. de excommun. dub. 13. num. 90.* vide etiam circa præsentem quæstionem Turrian. *lib. 2. disp. 14. dub. 4.* & Filliucium *tom. 2. tract. 12. cap. 7. num. 187.* vbi *num. 188.* quærit quódnam peccatum committat, si excommunicatus sit testis in iudicio, vel extrà? Et respondet peccare tantùm venialiter, etiamsi vitandus sit, quia tantùm est communicatio humana.

Nota tamen quòd stando in prima sententia, excipiendi sunt testes excōmunicati in causa matrimonij, vt notat Sanchez *de matrim. lib. 3. disp. 41. num. 5.* & ex Auila docet etiam Cornejo *vbi suprà.* nam in casu matrimonij testes excommunicati non repelluntur, vt etiam in causa hæresis, ex *cap. in fidei de hæret. in 6.*

Resol. CXIV. *An excommunicatus possit esse Aduocatus aut Procurator?*

Respondeo quòd conueniunt DD. excommunicatum non posse licitè aduocare, nisi quando est toleratus, & inducitur à fidelibus, & quando non est toleratus, nō posse licitè admitti ad id, vt supponitur *in cap. decernimus 8. de sent. excommunic. in 6.* Quòd si à iudice de facto admittatur, & ei nō obiiciatur excommunicatio, patrocinia ab ipso facta valida sunt, quia nullibi irritantur, & tunc poterit pro illis stipendium accipere, non verò pro factis postquam ei obiecta est excommunicatio & repelluntur, quia tunc fiunt irrita ad decisionem causæ. & ita docet Hurtado *disp. 8. de excom. diffic. 7.* cui adde Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 13. diffic. 14. num. 8.* vbi sic ait. [Tanbien no puede el descomulgado ser abogado, que esto es communicacion, y especialmente le està prohibido en derecho, y assi le puede el juez repeler, y lo deue hazer si fuesse

denun-

denunciado,o notorio percussor de Clerigo. Mas si de hecho abogasse, lo que hiziere valdrà,que no està irritado por derecho,y solo en esso pecara venialmente.] Ita ille.

Sed an excommunicatus possit esse Procurator? Respondeo negatiuè ex generali prohibitione communicandi cum alijs,& in speciali facta in iuribus suprà relatis, ex quibus solùm permittitur excommunicato, vt se defendat in iudicio, quod verum est tam in Procuratore ex parte actoris, quàm ex parte rei,licet reus excommunicatus possit defendere se in iudicio, vt dictum est;hoc tamẽ concessum est ei propter necessariam sui defensionem. Procurator verò voluntarius est, eius tamen acta valida sunt, quamdiu à iudice non repellitur, si institutus fuit Procurator ante excommunicationem;si verò quando institutus fuit, excommunicatus erat,res est difficilior, sed probabilior pars affirmatiua & hæc omnia docet Cornejo *in 3.part. tract.5.de excomm.disp.*10.§.9.*quæst.*3. & 4. Philippus Faber *de cens.in* 4.*sent.dist.*25.*q.*1.*disput.*4.*cap.*6.*n.*203. cum Turriano *lib.*2.*disp.*14.*dub.*5. & Præposito *in* 3. *p.q.*2.*de excomm.dub.*13.*n* 91. vbi docet etiam matrimonium contractum per Procuratorem excommunicatum esse validum.

RESOL. CXV. *An excommunicatus possit esse tutor, vel Curator?*

REspondetur negatiuè ex generali prohibitione communicandi cum alijs, & quia excommunicatus non potest officium publicum habere, vnde tutor excommunicatus peccauit administrando res pro illis,tam in iudicio, quàm extrà;vtrùm autem validi sint contractus ab eo facti, Canonistæ negant. quos sequitur Sylvester *ver.excommunicatio*,3.*n.*2. & 3. Sed probabilis est pars affirmatiua, cuius ratio est, quia nullum datur ius eos irritans. quam sententiam ex Suarez tenet Cornejo *in* 3.*part.tract.*5.*de excom.disp.*10.§.9.*q. vlt.* & Turrianus *lib.*2. *disp.*14.*dub.*5. Vide etiam Villalobos *in summ.tom.*1.*tract.*17.*diffic.*14.*num.*10.vbi sic ait. [El poder que se dà al Procurador vale, como dizen Decio, y otros, aunque estè descomulgado,como diximos en la elecion del escriuano, que como lo que haze, no es irrito, tanpoco es irrita la elecion por donde se va para allà, que basta que se pueda irritar, y no prueban mas vnos textos, que se alegan por la parte contraria,como aduierte Suarez. Lo mismo se ha de dezir del tutor, y los mas oficios semejantes, que pecaran venialmente los que los reciben, o exercitan estando, descomulgados, porque son ciertas communicaciones, mas valdrà lo que hizieren.] Hæc Villalobos.

RESOL. CXVI. *An quis possit resalutare excommunicatum non toleratum?*

NEgatiuè respondet Nauarrus *cap.*27.*n.*20. Toletus *lib.*1.*cap.*12.*n.*4. Auila *p.*2.*c.*6.*disp.*9.*dub.*9. & Hurtado *disp.*9.*de excommun. diffic.* 1. *num.* 4. vbi contra Henriquez & Coninck putat non solùm prohibitum esse salutare excommunicatum, sed etiam resalutare. & ita etiam docet Gordonus *in sum.tom.*2.*lib.*7.*q.*10.*cap.*5.*num.*60.

Sed ego puto sententiam affirmatiuam probabilissimam esse, quam præter Henriquez & Coninck docet Præpositus *in* 3.*part. q.* 2.*de excommun. dub.*14.*n.*95.Filliucius *tom.*1.*tract.*13.*cap.*5.*n.*84.Ioan. Franciscus Suar.*in Enchirid.lib.*6.*ver.excommunicat* §. *vale.* Reginaldus *tom.*2.*lib.*31.*disput.*1.*cap.*12.*num.*81. & nouissimè alter Henriquez, Ioannes sc. *in Compend. cas. moral. cap.*20.*n.* 20. vbi sic ait. [Aduierte, que quando el descomulgado saluda à otra persona, o escriue alguna carta,se le puede boluer à saludar, y responder a la carta,porque esto no es saludarle,ni escriuirle,sino pagar vna deuda, lo qual no se prohibe por derecho alguno.] Sic ille. Addo quòd multi Doctores asserunt per particulam *Vale*, solùm prohiberi salutationem verbalem, non autem alijs signis factam, vt aperiendo caput, aut assurgendo,&c.Ita Sayrus *lib.*2.*cap.*3.*num.*7. Cuius opinionem sequens asserit Megalius *in* 3.*part. lib.*2. *cap.*5.*q.*3.*num.*19. excusandos esse à peccato, & incursione excommunicationis, & ideo Turrianus *lib.*2.*disp.*13.*dub.*1.docet,prohibitionem salutationis in nostro casu intelligi eam per verba, ita vt non sit prohibitum aliud signum reuerentiæ,v g.aperire caput,& huiusmodi signa,quæ vrbanitatis causa fieri solent ex communi hominum more. sed pro contraria sententia adducit Vasq. *de excomm.dub.*8. *num.*5. & Suarez *disp.*15.*sect.*1. Vnde puto vtramque probabilem esse. Vide etiam Mercerum *in* 3.*part. de Sacram. quæst* 21.*dub.*10. & Fabrum *de Cens. in* 4. *sent.dist.*25.*quæst.*1.*disp.*4.*cap.*6. *num.*196. & Layman *lib.*2.*tract.*5.*part.*2.*cap.*2.*num.*16.

RESOL. CXVII. *An licitum sit communicare cum excommunicato tolerato, ac si non esset excommunicatus, non solùm in humanis, sed etiam in diuinis?*

CAsus est frequentissimus, & ad illum negatiuè respondet Auila *part.* 2. *cap.* 6. *disput.* 8. *dub.*1 *conclus.*3. vbi sic ait. Quando ipse excommunicatus toleratus non se ingerit, neque est paratus ad communicandum cum alijs, non est licitum fidelibus illum prouocare, vel inuitare ad communicandum in diuinis, neque in humanis, sed ipse peccabit in hoc, & excommunicatus ipse peccabit communicando, quamuis sit inductus, vel inuitatus. Hanc tenet expressè Caietan. *ver absolutionis impedimenta.* Sylvest. atque alij DD.Probatur primò, excommunitatus ipse peccat tunc communicando. ergo etiam alij peccabunt inuitando eum,cùm non sit paratus. Secundò Concil. Constant. noluit in aliquo fauere ipsis excommunicatis toleratis, sed si talis excommunicatus licitè posset communicare cum fidelibus quotiescumque inuitaretur ab illis, etiam nulla interueniente necessitate,multum redundaret in fauorem excommunicati, & ferè nullum præstaret illi impedimentum excommunicatio. ergo. Tertiò,nam si prima opinio esset vera, etiam haberet locum in receptione Sacramentorum, quod tamen negant communiter.ergo, &c.

Sed ego contrariam sententiam tenendamesse puto cum Hurtado *disput.*2.*de excom.diffic.*4.*num.*13.

vbi docet fideles posse licitè absque vlla prohibitione adhuc diuina & naturali communicare cum excommunicato tolerato, ac si non esset excommunicatus, non solùm in humanis, etiam eum prouocando, in quo DD. conuenire videntur, sed etiam in Sacramentis, & in quibuscumque alijs diuinis. Quia Ecclesia *in Extrauag. ad euitanda scandala*, id concessit & indulsit fidelibus, dum dixit, *Nemo prætextu censuræ abstinere teneatur*, &c. Quia si supposita excommunicatione fideles indirectè ne cooperentur cum excommunicato, aut ne illum inducant ad communicationem actiuam, vel passiuam, tenerentur abstinere, non diceretur in Extrauag. ita simpliciter & absque vlla restrictione neminem teneri abstinere à communicatione prætextu censuræ, id est, quamuis ille, cum quo communicat, sit censura innodatus. Et confirmatur, quia si fideles non possent omnino liberè absque peccato aliquo cum excommunicato tolerato communicare, ac si non esset excommunicatus, non satis consultum fuisset scrupulis conscientiarum timoratarum, vt ibi consuli intenditur. & hanc sententiam docet etiã Ledesma *in 1.p.4.q.5.art.6.dub.13.* & probabilem esse fatetur ipsemet Auila *loco citat.*

RESOL. CXVIII. *An filij etiam emancipati naturales & adoptiui possint cum patre excommunicato communicare?*

PRima opinio negat. Ita Philippus Faber *de cens. in 4.sent. dist.25.q.1.disp.4.c.7. num.221.* D.Thom. *in 4.dist.18.q.2.art.4.* & communiter Theologi & Iurisperiti; & ratio est, quia talis filius iam non est sub potestate parentis, estque quasi extraneus, neque in illo habet locum ratio subiectionis actualis, quæ est in filio sub potestate patris constituto.

Secunda opinio est Suarez *disp. 15. sect.5.* qui distinguit, & ait filium emancipatum posse considerari vel secundùm quod filius est, vel quatenus emancipatus est. Docet deinde filium, vt filium posse communicare cum patre, non tamen filium vt emancipatum, & explicat, quia filius excommunicatus tenetur obedire patri, & succurrere etiamsi sit excommunicatus. ergo hac ratione potest cum illo communicare; vt verò emancipatus est, non potest communicare in his quæ non communicat v emancipatus, v.g. in eadem domo, mensa, &c. in quibus ante excommunicationem non communicabat, & hoc modo dicit se intelligere, vel limitare communem sententiam. & ita hanc limitationem ponit etiam Cornejo *in 3.p. tract. 1. de excommunic. disputat. 11. §. 10. dub.3. quæst.3.* Filliucius *tom.1. tractat.13. cap. 6. numer.108.* Sed Turrianus *lib.2.disput.13.dub.4.* putat hanc limitationem non esse contra primam opinionem communem, authores enim illius solùm contendunt non esse loquendum eodem modo de filio emancipato, & de filio non emancipato, cùm enim subest aliqua obligatio filij respectu parentis, ratione illius poterit filius communicare, quia, vt suprà dicebamus, debitor tenetur soluere debitum creditori etiam excommunicato. Et eodem pacto vt de filio adoptiuo dictum est, philosophatur Turrianus de filijs adoptiuis & illegitimis.

Tertia opinio, cui ego adhæreo, absolutè docet filium emancipatum posse cum patre excommunicato communicare, & ita docet Mercerus *de Sacrament. in 3 part. quæst.21.dub.11.* Præpos. *in 3.part.q.2. de excomm.dub.27.num.6.* Paludanus *in 4.dist.18.q.6. artic.2.* & Hugolinus *de censur.tab.2.cap.23.* & hanc opinionem etiam quoad filios adoptiuos & illegitimos nouissimè tenet Hurtado *disput.9. de excommunicatione difficult.4.num.21.* vbi sic ait. Nomine liberorum etiam comprehenduntur filij emancipati, quamuis non sint commensales, vt contra non paucos docet Paludanus, quia verè sunt filij, & etiam comprehenduntur illegitimi, ob eandem rationem, & etiam comprehenduntur adoptiui, quamdiu non sunt emancipati, qui quamdiu non sunt, verè dicuntur filij; & *in cap quoniam multos 11. quæst.3.* priuilegiantur liberi absque vlla restrictione. Ita Hurtado *vbi suprà*, satis quidem probabiliter, quicquid in contrarium asserat Turrianus *loco citato*, vbi putat sententiam Paludani, quam sequitur Hurtado *loco citato*, esse improbabilem; sed in censurandis opinionibus semper excedit Turrianus, vnde nostram sententiam probabilem & tutam in praxi vocat Villalobos *in sum.tom.1.tract.17. diffic.13.n.15.* & Suarez *disp.15.sect.5.n.4.*

RESOL. CXIX. *An nepotes, pronepotes, nurus, gener, socer, priuignus, priuigna, & pupillus comprehendantur sub nomine filiorum, ita vt possint cum excommunicato communicare?*

AFfirmatiuè respondeo cum Cornejo *in 3.part. tract 5.de excommun disputat.11.§.10.dub.3.quæst.3.* vbi sic ait. Si roges an nomine filiorum sint intelligendi nepotes & pronepotes, &c Respondetur affirmatiuè, ex *l. filij appellatione, & l. liberorum, ff. de verborum significatione*, & consequenter nomine etiam patris intelliguntur auus, abauus, &c. Si inquiras an excommunicatione comprehendantur qui ratione affinitatis loco filiorum sunt, vt nurus & gener, spurij, socceri, & priuignus & priuigna respectu nouercæ, &c. Respondetur affirmatiuè, ex *cap. affinitatis, Inslitut. de nupt.* vnde si extra conuictum suorum correlatiuorum non sunt, licita est inter eos communicatio; secus verò si iam quasi emancipati sint, quia non manet in illis naturalis illa obligatio, quæ in filijs naturalibus, sed manet sola affinitas, quæ non est radix tam strictæ obligationis vt causa communicandi cum excommunicato. Si autem iterum inquiras, an hoc etiam intelligatur de pupillo respectu tutoris. Respondetur affirmatiuè, si sit sub eius cura in eadem domo, quia respectu eius parentis vicem gerit, aliter verò solùm poterit eum communicare in his, quæ ad munus tutoris pertinent. Hæc omnia Cornejo. Cui adde Hurtado *disput.9. de excommun. difficultat.4.num.21.* Turrianum *lib.2. disputat. 13. dub.4.* Mercerum *de Sacrament. in 3. part. quæst.21.dub.11.* Gordonum *tom.2.lib.7.quæst.10.cap.6. num.76.* qui notat ea, quæ dicta sunt de nepotibus & alijs personis, aliquos recentiores limitare ad tempus, quo tales personæ sunt intra conuictum, & habituationem mutuum; sed reuera etiam quãdo sunt extra conuictũ, manet affinitatis gradus, &

nepo-

nepotis vinculum naturale, licet non ita propinquum vt in filio. Quare non videtur illis aliqua saltem deneganda communicatio, quantum scilicet morali modo requirit earum personarum status, & conditio. Hæc Gordonus.

RESOL. CXX. *An pater possit communicare cum filio excommunicato? & idem dubium est cum seruo.*

REspondeo affirmatiuè, quia eadem est ratio, nempe idem animarum periculum, quod quis prætendit euitare, & quia in iuris regula, quod in vno correlatiuo disponitur, de altero dispositum esse censetur. nam licet ad patrem spectet curare, quòd filius resipiscat & absoluatur; hoc tamẽ non semper poterit obtinere, quãuis procuret, & dato quòd non procuret, peccabit quidem contra præceptum naturale, sed non contra Ecclesiasticum de vitandis excommunicatis, vt suprà diximus de marito respectu vxoris. & si obijcias textum *in d.c. de filia, distinct.27.* vbi habetur excommunicationem incurrere parentes communicantes cum filia excommunicata, eo quòd post professionem matrimonium duxerat. Respondetur tantùm procedere in casu, quo parentes foueant illam in crimine criminoso, in quo casu etiam non licet filio cum parentibus communicare, sicut quando neque censura incursa est, ob crimen hæresis, si instet periculum infectionis, & sicut alij etiam probabiliter limitant in humanis. Vnde si filius patris Parochus sit, non licebit ei Sacra ministrare, nec coram eo diuina facere, cùm excommunicatio hæc non competat ei quatenus filius. Ita Cornejo *in 3.part.tract.5.de excomm. disp.10.§.10.dub.3.* & Gordon. *tom.2.lib.7.q.10.cap.6 num.85.*

RESOL. CXXI. *An liceat communicare cum excommunicato in diuersa mensa?*

AD hoc dubium ita respõdet Auila *p.2.c.6.disp.9. dub.7.* vbi sic ait. Contingere potest quòd mẽsæ sint materialiter diuersæ, & nihilominus sit cõmunicatio in mensa, vt si multi inuitati ad idem conuiuium comedant in diuersis mensis intra idem cubiculum, imò etiam in diuersis cubiculis. Sic ille. Cui adde Præpos. *in 3.p.q.2.de excom.dub.14. n.96.in fine.* & Cornejo *in 3.p. tr.5.de excom. disp.10. §.10.q.vlt.* vbi quærens quid prohibeatur nomine mensæ? respondet prohiberi participationem in communi cibo & potu, vnde non licet comedere & bibere simul cum excommunicato in eadem mensa, neque in diuersis quando ad idem conuiuium spectant, etsi sint in diuersis cubiculis. quia cùm ad idem conuiuium spectent, eadem mensa debet censeri. Sic Cornejo. Qui tamen addit ab hoc vltimo, quando mensæ sunt in diuersis cubiculis, dissentire Durandum *in 4.dist.18.q.5.n.7.* & Suarez *disp.15.sect.1.n.7.* quibus ego addo Mercerum *de Sacr.in 3.p.q.21.dub.10.* vbi sic ait. Addit Nauarrus prohiberi conuiuium etiam in diuersis mensis factum in eadem domo & eodem tempore per modum vnius: vt si quis inuitaret multos, quos vna mensa non caperet. quod videtur verum si mensæ sint ordinatæ in eodem refectorio, vt componant vnam artificialiter; secus fortè si sint in diuersis cubiculis. Hæc ille. & Bonacina *de cens. disp.2. quæst.2. punct.6.§.2.num.6.* Vnde puto hanc sententiam probabilem esse.

Notandum est etiam cum Auila *vbi suprà*, quod si in aliquo hospitio sit aliqna mensa mediocris longitudinis, & in vna parte mensæ comedat excommunicatus non toleratus, & in altera parte comedat alter non excommunicatus in eodem tempore nullam facientes societatem, sed vnusquisque per se, non censetur communicare in mensa, quamuis ijdem cibi apponantur illis, quia illa sunt diuersa veluti prandia. sic aliqui viri docti. Dixi *mediocris longitudinis.* nam quando mensa est paruula, censebitur communicatio in mensa. Hæc Auila. Sed quoad hoc vltimum tu cogita, quia quãdo casu & absque societate comeditur, quamuis fiat in eadem mensa, licet paruula, tunc verè vnus nõ communicat cum altero per modum societatis. ergo. & ideo ex Suarez Hurtado *disp.9. de excom. diffic.1.n.6.* docet, loquens de cohabitatione significata per particulam, *commun*io, quòd non prohibita sit, quando casu, & solùm materialiter accidit, etiam in eodem lecto. Si igitur quis non dicitur communicare cum excommunicato, si casu communicat, & dormiat cum illo in eodem lecto, dicendum est etiam non communicare cum illo, si comedat in eadem mensa, licet paruula. quando, v.g. si aliquis in eodem hospitio pernoctaret, & vna mensa, licet paruula, assignaretur simul cum excommunicato, vt de eodem lecto diximus cum Hurtado *suprà.* & dicit Mercer. *de Sacr. in 3.p. q. 21. dub.10.* Præpos. *in 3.p.q.2.de excom.dub.1.n.96.* & Faber *de cens.in 4.sent. dist.25.q.1.disp.4.c.6.n.207.*

RESOL. CXXII. *An vxori liceat communicare cum marito excommunicato?*

REspondeo vxorem non peccare cohabitando cum marito excommunicato, nec communicando etiam cum illo non tolerato tam in petitione & redditione debiti, quã in alijs omnibus obsequijs & actibus quæ ad matrimonium spectant, vt in gubernatione domus, & in communi mensa, in familiari obsequio, & cæteris omnibus, ac si excõmunicatus non esset, *ex cap. quoniam multos 11.q.3.* vbi absolutè subtrahitur ab obligatione abstinendi à communicatione cum marito, & cùm iste fauor sit, non est cur limitetur. Excipitur primò quando excõmunicatio est lata causa matrimonij, qualis est an sit legitimè contractũ. nam tunc abstinere debet vxor à cõmunicatione vt fugiat periculũ fornicationis. Excipitur secundò si coniuges essent diuortio separati, quia cùm ratione diuortij ab obsequijs mariti libera sit vxor, non potest cum viro excommunicato communicare durante diuortio; verum est tamen posse cum eo reconciliari etiam durante excommunicatione, & cum cohabitatore. Excipitur tertiò, quando communicatio est in his, propter quæ excommunicatio lata est, quia hoc esset cõmunicare in crimine, quod numquã licet. *c. inter alia, de sent.excom.* Excipitur quartò quãdo maritus excõmunicatus est simul cum alio excommunicato, ita vt sine vtriusque communicatione non possit vxor viri communicatione vti, vnde si maritus

tus inuitet talem excommunicatum, non potest vxor in eadem mensa manducare. Excipitur verò quando vir est excommunicatus ob hæresim. arg. *c. decreuit, de hæret. in 6.* & aliorum iurium, 28. *q.* 2. quamuis hoc non tam sit propter vsuram, quàm propter periculum infectionis. & hæc omnia docet Cornejo *in 3. p. tr. 5. de excom. disp. 10. §. 10. dub. 2 q. 2.* & Gordonus *vbi infrà, n. 68.*

Sed difficultas est, an si mulier scienter contraheret matrimonium cum excommunicato, possit cum illo communicare? Prima opinio affirmat, & ita docet Auila *part. 2. cap. 6. disput. 11.* Coninck *de Sacrament. disp. 14. dub. 12. num. 125. & 129.* Hugolinus *de censuris tab. 2. cap. 23. §. 6.* quia verba Gregorij *in cap. quoniam multo 11. q. 3.* generalia sunt. Secunda opinio negat. ita D. Thom. *in 4. dist. 18. q. 2. art. 4.* Gordonus *in sum. tom. 2. lib. 7. q. 10. cap. 6. num. 72.* Faber *de cens. in 4. senten. distinct. 25. q. 1. disput. 4. c. 7. n. 217.* Filliucius *tom. 1. tract. 13. cap. 6. num. 103.* Suarez *disp. 15. sect. 4. num. 6.* Cornejo *in 3. part. tr. 5. de excom. disp. 10. §. 10. dub. 2.* Mercerus *de Sacram. in 3. part. q. 21. dub. 11.* & ratio est, quia non videtur vt contractus factus in iniuriam excommunicationis tribuat ius ad communicationem per ipsam censuram prohibitam. Cõfirmatur, quia si quis directè se obligaret ad communicandum cum excommunicato, contractus esset nullus, cùm sit de re illicita: ergo contractus matrimonialis cum excommunicato factus non potest esse efficax quantum ad vim obligandi ad cohabitationem, & ad alios actus vxoris durante alterius coniugis excommunicatione, aliàs iam valida esset obligatio communicandi cum excommunicato. Excipitur tamen casus, quando vxor bona fide contraxit cum ignorantia excommunicationis, & è contra, quia tunc nihil agit contra censuram, & sic non est cur iure benè acquisito priuetur, vnde quando postea scit viri excommunicationem, non debet ab vsu iuris sui abstinere. Et idem est si scienter contraxit cum viro excommunicato tolerato, & post matrimonium denuntiatur.

Sed, vt verum fatear, ego puto cum Turriano *de cens. lib. 2. disp. 13. dub. 2.* priorem affirmatiuam sententiam amplectendam esse, quia cùm res non sit expressè definita in iure, non est causa, ob quam ita strictè velimus loqui in hac materia; & ita hanc sententiam præter DD. citatos tenet Villalobos *in summ. tom. 2. tr. 17. difficult. 13. num. 12.* vbi sic ait. [La palabra *lex*, da de entender que por la ley del matrimonio puede communicar la muger con el marido que està descomulgado, como consta del derecho, donde no solamente se dize que queda, sino que està obligada; de suerte que puede pagar el debito, dormir, y comer, con el, y hazer los demas seruicios, que los textos que hablan desto, generalmẽte hablan: y entẽdiendose esto, aunque el marido estuuiesse, descomulgado antes del matrimonio, como tiene probablemente Vgolino, porque las palabras de los textos son generales.] Hæc ille.

RESOL. CXXIII. *An maritus possit communicare cum vxore excommunicata?*

IN hoc dubio Sylvester *ver. excommunicatio 5. n. 4.* Armilla *eodem ver. n. 4.* putat non posse maritum communicare cũ vxore excommunicata. Primò, quia maritus potest cogere vxorem, vt petat absolutionem. Secundò, quia *in c. quoniam multos*, tantùm decernitur quòd vxor possit communicare cum marito. Tertiò à simili, quia *in c. de filia 27. q. 1.* contrarium videtur decerni.

Sed contrariam sententiam tenendam esse puto, quia eadẽ conditione maritus & vxor esse debent.

Postremò idem dicendum est, si contingeret vtrumque esse excommunicatum. nam concurrentes hæ excommunicationes non faciunt maius impedimentum, nec tollunt communicandi concessionẽ in dicto *cap. quoniã multos. 11. q. 3.* cõcessam.

Nec valet dicere quòd in dicto *cap. quoniam multos*, solùm excipitur vxor, & non vir, & meritò, nam cùm vir sit caput vxoris, facilè potest eam inducere & compellere vt absolutionem petat, quod si non faciat, ei imputatur, vnde excusandus non est à communicatione cum illa. Sed respondetur ibi excipi vxores, quia frequentiùs viri, quàm vxores in excommunicationem incidunt, per hoc tamen non excluduntur casus similes minùs frequentes, sed potiùs includi censentur, ex glossa *in Clem. 1. verbo, præsidentes, de rescriptis.* Et ita hanc sententiam docet Gordonus *tom. 2. lib. 7. q. 10. c. 6. n. 70.* Faber *de cens. in 4. sent. dist. 25. q. 1. disp. 4. c. 7. n. 219.* Cornejo *in 3. part. tr. 5. de excommun. disp. 10. §. 10. dub. 2.* Turr. *lib. 2. disp. 13. dub. 3.* Vasquez *de excomm. dub. 9.* Suarez *disp. 15. sect. 4. n. 14.* Hurtado *de excomm. disp. 9. diffic. 4. num. 23.* Coninck *de Sacrament. disp. 14. dub. 12. n. 123.* Villalobos *in summa tom. 1. tr. 17. diffic. 13. n. 14.* Præpositus *in 3. p. q. 2. dub. 17. n. 125.* & Mercerus *de Sacrament. in 3. p. q. 21. dub. 11.* vbi bene notat, quòd si maritus neglexerit vxorem corripere de contumacia, ob quã est excõmunicata, grauiter peccabit, eo quòd superior eius sit, nõ tamen incidet in excõmunicationẽ. Porrò idem dicendum erit si vterque cõiux sit excõmunicatus, nõ enim priuabuntur mutua ad inuicẽ communicatione. quod etiam notat Layman *lib. 2. tract. 5. part. 2. cap. 2 num. 16.* & Auila *part. 2. cap. 6. disput. 9. dub. 5. resp. ad 2.*

RESOL. CXXIV. *An serui possint communicare cum domino excommunicato?*

RESpondeo affirmatiuè; sed difficultas est quando seruitus non præcessit, sed fuit posterior excommunicatione, & in hoc casu seruos non posse communicare cum dominis excommunicatis, docet Gordonus *in sum. tom. 2. lib. 7. quæst. 10. c. 6. num. 79.* vbi sic ait. Sed quæres quid de seruis & famulis, aut etiam operarijs, qui post latam excommunicationis sententiam suas operas locant excommunicato? Respondeo hos posse adhuc communicare cum illo, si bona fide suas operas illi locauerunt, ex *cap. inter alia, de sententia excommunicationis.* si autem mala fide, & scientes illum esse excommunicatum, tunc & peccant, & incurrunt minorẽ excõmunicationẽ, tenentúrque illũ relinquere.

quere. quod tamen intelligendum est, nisi aliunde ex præcepto, scilicet charitatis ob excommunicati necessitatem excusentur à peccato, aut si nō possint sine dāno suo recedere. Præterea quando excommunicatus seruos emptione, aut donatione libera obtinuit, tunc similiter tales serui non peccant in illa noua seruitutis acquisitione (si ipsi donantem, aut vendentem ad id non induxerunt) sicut nec postea peccant inseruiendo; quia contractus, per quem facti sunt serui, fuit validus, & non est illicitum persoluere excommunicato quod illi debetur.

Et hæc omnia docet etiam Angelus *ver. excommunicatio* 8. *num.* 11. Ioan. Præpositus *in* 3. *part. q.* 2. *de excomm. dub.* 17. *num.* 126. Philippus Faber *de cens. in* 4. *sentent dist.* 25. *q.* 1. *disput.* 4. *cap.* 7. *n.* 223 Nauarr. *cap.* 27. *n.* 27. Sylvester *ver. excommunic.* 5. *n.* 4. Megala *in* 3. *p. lib.* 2. *cap.* 5. *q.* 4. *num.* 53. Layman *lib.* 2. *tract.* 5. *p.* 2. *cap.* 2. *num.* 17. Alterius *disp.* 15. *lib.* 1. *c.* 3. Suarez *disp.* 15. *sect.* 5. *num.* 13. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 13. *cap.* 6. *num.* 117. Mercerus *de Sacram. in* 3. *part. quæst.* 21. *dub.* 11. & confirmatur hæc opinio, quia *in cap. inter alia, de sententia excomm.* dicitur, ideò tales personas teneri ad familiare obsequium excommunicati, quia ante excommunicationem ad id tenebantur, quod debitum post excommunicationem adhuc durat; quæ ratio cùm deficiat in ijs, qui alteri non obligabantur ante excommunicationem, ipsi non videntur illi posse communicare.

Verùm mihi placet opinio contraria, quam nouissimè tuetur Hurtado *disp.* 9. *de excom. diffic.* 4. *n.* 24. vbi ita ait. Eximuntur omnes prædicti, etiamsi ipsi excommunicati iam excommunicati, & alij post horum excommunicationem denuntiatam fiant tales, nempe coniuges, & famuli, & domini, & Superiores, & inferiores, vt contra Angelum docent Ægidius & alij. quia quamuis post excommunicationem modo declarato illicitè fiant tales (nisi ratione vtilitatis, aut necessitatis,) nihilominus absolutè fiunt, & sunt tales, & isti tales eximuntur absolutè & absque restrictione. Et ita etiam docet Turrian. *de cens. lib.* 2. *disp.* 13. *dub.* 5. & Coninck *de Sacrament. disp.* 14. *dub.* 12. *n.* 129. qui *num.* 132. rectè obseruat, supradictas personas subiectas posse communicare cum excommunicato, etiam in sacris; hinc famulus potest dominum excommunicatum euntem ad Sacrum comitari, sicut etiam eius vxor, aut liberi; item Sacellanus poterit cum suo Episcopo legere horas, aut famulus domino celebranti inseruire, quia eiusmodi obsequia & communicatio à talibus ex officio eis debita sunt ante excommunicationem, nec per hanc ea obligatio eliditur: vt patet ex *cap. inter alia* 31. *de sententia excommunicationis.* Vide etiam Mercerum *vbi suprà*, & Layman *lib.* 2. *tract.* 5 *part.* 2 *cap.* 2. *num.* 16.

Non desinā hîc adnotare Philippum Fabrum *de cens. in* 4. *sent dist.* 25 *q.* 1. *disp.* 4. *c.* 7. *n.* 222. docere Gregorium non voluisse concedere priuilegium quibuscumque subiectis, & seruis excommunicati, sed illis solùm, qui inhonestis & necessarijs rebus inseruiunt, nō autem ijs, qui in peccatis, & sceleribus parent. Sed hoc videtur nimis rigorosum, & Doctores loquuntur absolutè, & sine vlla limitatione.

RESOL. CXXV. *An serui eiusdem domini quando vnus illorum est excommunicatus, possint alij cum illo communicare? & idem dubium est de filijs respectu alterius filij.*

REspondeo affirmatiuè, quia vix possunt communicare vni tertio sicut domino quin communicent inter se, cæterùm hoc ita intelligi debet, quòd communicatio sit eius tantùm, quod supposita cohabitatione & famulatu vitari moraliter minimè nequeat. Et ita docet Cornejo *in* 3. *p. tract.* 5. *de excom. disp.* 10. §. 10. *dub.* 3 *diffic.* 4. Gordonus *tom.* 2. *l.* 7. *q.* 10. *c.* 6. *n.* 88. Mercerus *de Sacram. in* 3. *p. q.* 21. *dub.* 11. Turrianus *lib.* 2. *disp.* 13. *dub.* 5. cui adde Villalobos *in sum. tom.* 1. *tr.* 17. *diffic.* 13. *n.* 17. vbi sic ait. [Los criados e inferiores de la misma familia no puedē comunicar el vno con el otro, quando el vno dellos està descomulgado, porque no tienen priuilegio para esto, como notò Felino, mas podrā tener la comunicacion, que moralmente no pudierē escusar, presupuesto que viuē de vna puerta adentro.] Hęc ille.

Notandum est etiam hîc obiter, quòd dominus potest communicare cum seruis excommunicatis, quamuis aliqui citati à Nauarro *in Manuali, c.* 27. *n.* 27. oppositū tenuerint, quos refellit Nauarr. cum Adriano *in* 4. *de clauibus, q.* 3. & Suarez. Nam cùm dominus & seruus sint correlatiui, quod conceditur seruis, videtur quoque intelligi concessum dominis. Absurdum est enim quòd liceat vxori cōmunicare cum marito, & non liceat marito communicare cum vxore. Præterea dominus non potest priuari iure suo in seruos propter delictū serui. Vnde Nauarrus cum Adriano dicit hoc magis reduci ad vtile, quàm ad humile. Verùm hoc videtur habere locum in seruis & alijs familiaribus, & subiectis, qui obligati sunt domino, & dominus illis carere non potest sine aliquo incommodo; at cùm sunt serui, qui liberè possunt discedere à domino, & dominus eos potest licentiare absque aliquo eius damno, puto non posse cum illis communicare, quoniam reuera textus ille *quoniam multos*, loquitur de seruis, & non de dominis, neque in dominis est obligatio ad seruum & subiectum, sicut in seruo ad dominum. & ita docet Faber *de cens. dist.* 25. *q.* 1. *disp.* 4. *c.* 7. *n.* 225. sed quoad hoc vltimum tu cogita.

RESOL. CXXVI. *An sponsus excommunicatus possit communicare cum sponsa?*

NEgatiuè respōdet Sanchez *lib.* 9 *disp.* 14. *num.* 8. Sayrus *lib.* 2. *c.* 10. *n.* 7. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 13. *cap.* 6. *n.* 105. & alij. Sed hæc opinio procedit quoad sponsos de futuro, quibus viri, & vxoris nomen conuenire non potest; sed secus dicas quoad sponsos de præsenti, quamuis per copulam matrimonium non consummauerint, quia nuptias nō concubitus, sed consensus facit. *l. nuptias, ff. de reg. iur.* Vnde meritò post Couarr. *in* 4. *Decretal.* 2. *p. c.* 1. *in initio, n.* 2. & alios, quos sequitur, dixit Guttierrez *de iur confirm. part.* 1. *cap.* 51. *num.* 2. omnia iura loquentia de marito & vxore accipienda esse, quando matrimonium per verba de præsenti contractum est, licet copula non sit secuta.

Resol. CXXVII. *An Religiosi possint communicare cum Prælato excommunicato?*

Affirmat Sotus *in 4.dist.22.q.1. art.4. concl.5.* Sed sanè nullum est priuilegium communicandi saltem in omnibus, nam excommunicatio virtute continet suspensionem. Quare non toleratus nec officium Prælaturæ, nec iurisdictionem exercet, vnde tantùm videtur cum isto concessa communicatio ea, quæ ratione habitationis vitari modo morali non potest, perinde scilicet ac si esset quiuis alius ex eadem familia sic excommunicatus. Cæterùm si iste excommunicatus esset toleratus, putat Suarez *disput.15 sectione 7.num.3.* subditos posse talem Prælatum vitare, eo modo, quo ante constitutionem Constantiensem, scilicet occultè, si excommunicatio est occulta. vel vitare publicè, si illa erit publica.

Et ita docet Gordonus *in summ.tom.2. lib.7.q.10. c.6.n.84.* Vnde Villalobos *in sum.tom.1.tract.17.diffic.13.num.21.* sic ait. [Ha se de aduertir, que como el descomulgado està priuado del vso de la jurisdicion espiritual, y la concession de la extrauag. Ad euitanda, no es precepto sino priuilegio, si el subdito no quisiesse communicar con el Prelado, que està descomulgado, sujetandose à el, no està obligado à hazerlo, aunque no estuuiesse denunciado, porque este tal tiene vso de jurisdicion en fauor de los subditos, y no en grauamen suyo, como notò Suarez. Y lo mismo se ha de dezir, si el Obispo estuuiesse descomulgado, y no fuesse denunciado por la misma razon.] Hæc ille. vide etiam Philippum Fabrum *de censuris in 4.sentent.dist 25.q.1.disp.4. cap.7.num.231.* Filliucium *tom.1.tr.13.c.6.n.125.*

Non desinam tamen hîc apponere verba Marcelli Megalij *in 3.part.lib.2.cap.5.quæs.4. num.50.* vbi sic ait. Pone Prælatum non esse denuntiatum, nec publicum Clerici percussorem, sed notorium esse in Monasterio illum esse innodatum maiori aliqua excommunicatione, quæritur an teneantur Regulares illi obedire? & videtur respondendum negatiuè, nam cùm sit ipse notoriè excommunicatus, in fauorem ipsius nulla requiritur denuntiatio, ad hoc vt vitandus sit tamquam non toleratus, per dicta suprà *in d. quæst. 2.ver. Item quoad vsum.* & posse tunc Regulares, si volunt, illi parere, & cum illo tamquam cum Prælato communicare ob beneficium eis concessum à prędicta Extrauag. *ad euitanda.* Dico tamen nullo modo posse Regulares, nec subditos alios, quicumque illi sint, ab obedientia sui Superioris se eximere, quamuis notorium sit excommunicationis censuram illum incurrisse, nisi priùs per sententiam iudicis declaretur superiorem illum in illud crimen incidisse. & hoc ex eo probatur, quòd sicut quando aliquis ex legum dispositione est ipso facto bonis & iuribus suis ob excommunicationem priuatus, & fisco bona & iura illius sunt applicata, executio de facto fieri non debet, nisi priùs super crimine fuerit declaratum, vt probatur ex *cap.cùm secundùm leg de hæret. in 6.* Ita quando Superior est suo officio ob excommunicationem priuatus, non debent subditi de facto suo iure illum priuare, nisi priùs super crimine declaratum fuerit, id est, nisi priùs declaratũ fuerit à iudice auctoritatem habente Superiorem illum in illam excommunicationem incidisse.

Resol. CXXVIII. *An validi sint contractus qui cum excommunicatis fiunt?*

Respondeo esse illicitos, nec ratione illorum datur ipsis actio in foro exteriori durante excommunicatione; sed difficultas est an sint inualidi? Et negatiuè respondeo. Probatur ex *cap. felicis, §.verum, de pœnis in 6.* vbi excommunicato absoluto conceditur repetitio debitorum, quæ contracta fuerant de postmodum acquisitis; non fuisset autem locus repetitioni debiti, nisi contractus tempore excommunicationis facti essent validi.

Probatur secundò inductione, & exemplis cõtractuum, qui, non obstante excommunicatione, validi esse admittuntur. Matrimonij *cap significasti, de eo qui duxit*, &c. Professionis in Religione, iuxta Abbatem *cap.cùm illorum, de sententia excommun.* donationis factæ ab excommunicato, *cap inter dilectos, de donationibus.* Nec refert quòd contractus isti sint prohibiti, multa enim fieri prohibentur, quæ facta tenent, vbi scilicet intercedit sola simplex prohibitio, & nulla facti irritatio, & ita res se habet in proposito, quia nusquam generatim leguntur irritari eiusmodi contractus, sed specialiter in hæreticis, & schismaticis. *cap.excommunicamus, 1.de hæreticis, §.credentes.*

Notandum tamen ex tribus causis fieri posse vt contractus ab excommunicato initi, nulli sint. Primò si sint initi virtute rescripti supplentis conditionem aliquam ad valorem eius requisitam. nam iuxta *cap.1.de rescript. in 6.* rescriptum impetratum ab excommunicato super alio quàm articulo excommunicationis, vel appellationis, nullum est. Secundò si sint initi ab eo vt à persona publica. & vt à Ministro per potestatem, quam habet ex vi sui muneris, vel beneficij. Ratio est ex defectu iurisdictionis ad contrahendum, quæ per excommunicationem suspensa est. Tertiò si in contractu fiat promissio de alio contractu excommunicatione durante faciendo. Nam talis promissio, vtpote de re illicita, nulla est. & ita docet Filliucius *tom.1.tr.12. cap.9.num.200. & seq.* Mercerus *de Sacrament. in 3. part.quæst.21.dub.13.* Couarr. *in cap.alma mater part.1. §.1.num.9.* & alij communiter.

Resol. CXXIX. *An excommunicatus possit testari, & si instituat aliquem excommunicatum pro hærede, testamentum sit validum?*

Respondeo quòd excommunicatus non potest licitè testari, & omnes conuenientes ad testamentum peccant, tamen si testetur, testamentum est validum, secundùm omnes, *cap. veritatis, de dolo & contumacia*, & alijs iuribus. An verò si quis instituat aliquem excommunicatum pro hærede. validum sit testamentum, non est ita certum. Summistæ, vt Syluester *ver hæreditas 3.n.2.* Armilla, Angelus *ver. hæres, num.22.* Tabiensis, Hostiensis *num.20.* & alij negant, hoc fundamento, quòd excommunicatus sit incapax hæreditatis, testamentum autem tunc est nullum, cùm hæres mit-

tempore testamenti est inhabilis & incapax hæreditatis. *l. sed si conditioni §. solemus, & l. si alienum, §. in extraneis ff. de hæredibus instituendis.* At Suar. optima ratione *disp. 15. sect. 9.* hanc opinionem confutat. quia supponit fundamentum falsum, scilicet quòd excommunicatus propter excommunicationem sit incapax hæreditatis; nam excommunicatio per se, sicut non priuat excommunicatum dominio rerum suarum, ita non priuat potestate acquirendi dominium aliorum, vnde si aliquando excommunicatus priuatur bonis suis, vt contingit in hæretico, hoc non prouenit ratione excommunicationis, ita quòd hic sit effectus eius proprius, sed ex accidenti in odium, & punitionem peccati hæresis. ergo, &c. Et ita docet Philippus Faber *de cens. in 4 sentent. dist. 25. q. 1. disp. 4. cap. 6. num. 206.* Mercerus *de Sacrament. in 3. part. quæst. 21. dub. 13.* & Filliucius *tom. 1. tract. 12. cap. 8. num. 207.* qui tamen optimè notat, quòd si excommunicatus non sit vitandus, etiamsi ipsi non liceat condere testamentum, tamen si velit, alijs est licitum adesse, vt Notario, testibus, quia ipsis non est prohibita communicatio. Ille etiam qui sperat se hæredem instituendum, potest testatorem inducere ad testamentum, quia id est in fauorem non excommunicati: quòd si vitandus sit, tunc neque alijs licebit communicare, nisi soli hæredi instituendo, excusatur enim propter vtilitatem, ob quam etiam forrè possunt excusari Tabellio, & testes vocati ab hærede instituendo.

Nota etiam ex eodem Filliucio *num. 209.* posse institui hæredem excommunicatum non vitandũ. Ratio, quia cum tali possumus communicare; ipse verò hæres sic institutus non potest adire hæreditatem ob communicationem prohibitam, eæ tamen actiones, quæ sine communicatione fieri possunt, vt tacita hæredis acceptatio, possessio realis per vsurpationem, &c. poterunt licitè fieri.

RESOL. CXXX. *An excommunicatus vitandus possit petere à suo debitore suum creditum & is ad id teneatur?*

NEgatiuè respondent aliqui, quos citat & sequitur Sayrus *lib. 2. cap. 9. num. 20. & 21.* vbi tandem concludit, quemquam non teneri soluere excommunicato, quod promisit soluere cum iuramento ante excommunicationem, quia communicare cum excommunicato non licet, quia, vt ait Hostiensis, opinio hæc magis tendit in fauorem fidei, & censuræ Ecclesiasticæ, tum etiam in fauorem animarum ipsorum excommunicatorum, & in odium peccatorum suorum, hac enim ratione excommunicati ipsi citiùs resipiscent à contumacia, & absolutionem procurabunt, vt quod sibi debitum est, recuperare possint, & alij etiam non excommunicati videntes quòd debita sua non recuperabunt si excommunicentur, sibi ipsis magis cauebunt, ne aliquid faciant ob quod excõmunicationem incurrant. Et hanc opinionem ego puto cum Lessio *lib. 2. cap. 16. dub. 9. n. 77.* esse probabilem.

Sed mihi magis placet opinio affirmatiua, quã tuetur Auila *part. 2. cap. 6. disp. 11. dub. 4.* Alterius *lib. 2. disp. 4 cap. 1.* Lessius *vbi suprà num. 79.* & ratio est, quia neque iure diuino, neque etiam iure humano debitor liberatur à tali debito statim soluendo post elapsum terminum. Non iure diuino, quia nullum tale ius reperitur, præsertim cùm etiam Ethnicis & publicanis debita soluenda sint: vt colligitur *ad Romanos 13.* nisi fortè spes esset tua dilatione ipsum conuersum iri, & reconciliandum Ecclesiæ, quod interdum vsu venit, quando debitor est magnæ auctoritatis, & recusat soluere creditori, nisi redeat ad Ecclesiam. Non iure humano, quia iura citata non loquuntur de debito pecuniario, sed de debito fidelitatis, & obsequij, leges enim pœnales sunt strictè interpretandæ. quamuis Medina, & quidam alij putent etiam agere de debito pecuniario, quod ex promissione, & stipulatione iuramento confirmata sit contractum, & de omni alio debito solis verbis conflato, quod est probabile.

RESOL. CXXXI. *An excommunicatus toleratus iudicium exercens peccet mortaliter?*

AFfirmatiuè respondet Coninck *de Sacrament. disputat. 14. dub. 14. num. 148.* vbi sic ait. Sequitur excommunicatum etiam toleratum peccare mortaliter contra hanc prohibitionem, si extra casus, quibus ob aliorum commodum ac instantiam, aliasque rationes ad hoc necessitatur, beneficia Ecclesiastica conferat, aut eligat ad ea, aut iudicium Ecclesiasticum, aut etiam sæculare, vt iudex exerceat, quia hi actus sunt valde honorifici excommunicato, eumque supra cæteros fideles, à quibus vt putridum membrum præcisus est, extollunt, ideoque magnam indecentiam continent, & rationibus huius prohibitionis multum repugnant. Quare in his actionibus non videtur facilè posse dari materia parua, quia eorum repugnantia non tam consistit in duratione actionis, quàm in dignitate, quæ statui excommunicati repugnat, quæ necessariò inest ombus istis actibus. Secus est de actibus alijs iudicialibus, v.g. Aduocati, Procuratoris, actoris, & testis, & similibus, quia hi non continent illam dignitatem, nec repugnantiam ita grauem cum fine illius prohibitionis; quare de ijs ferè iudicandum est, sicut de humana conuersatione. & ita hanc sententiam docet etiam Layman & Lessius *vbi infrà.*

Sed in tali casu iudicem excommunicatum, cuius acta valida sunt, peccare tantùm venialiter, docet Barthol. Ledesma *de excommun. dub. 9.* Caietanus *ver. excommunicato vetita*, Nauarr. *c. 29. num. 28. & sequent.* & ratio est, quia cùm Concilium non suspendat talem Iudicem ab officio, nec priuet vsu istius potestatis, solùm videtur illum actum prohibere, quatenus est communicatio quædam humana, non autem præcisè quatenus est actus iurisdictionis, & potestatis iudiciariæ. & hanc sententiam probabilem esse fatentur ipsimet aduersarij, vt Layman *lib. 2. tract. 5. part. 2. cap. 3. num. 2.* & Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 7. num. 59.* qui pro hac sententia citat etiam Henriquez.

RESOL. CXXXII. *An electio ad beneficium excommunicati excommunicationis minoris sit irritanda, si electores illam ignorarint?*

CAnoniſtæ communiter affirmant, vt patet apud Couarruuiam *in c. alma mater, part.*1.§.8. *num.*3.quos ſequitur Suarez *diſp.*24.*ſect.*2.*num.*18.& Coninck *de Sacram. diſp.* 14. *dub.*17. *num.*263. quia talis electio reprobata eſt non ob culpam eligentium,ſed ob incapacitatem electi, ſicuti ex adiuncto.ergo,&c.

Sed negatiuam ſententiam tuetur Auila *part.*2. *cap.*6.*diſp.*12.*dub.*4.*concl.*4.quia *in c.vlt.de Cler.excom.* dicitur,*talis electio eſt irritanda,ſi ſcienter electus ſit.* ergo talis electio cum ignorantia cenſuræ facta non eſt irritanda,quia verba legis pœnalis rigoroſè interpretanda ſunt, & ius eius ſcientiam videtur requirere.Deinde vocula illa,*ſcienter*,ita explicari debet vt non ſit ſuperflua,eſſet autem omnino ſuperflua,niſi dicamus electionem talis excommunicati caſſandam non eſſe , niſi ſcienter facta ſit ab electoribus. ergo,&c.

Sed hæc ſententia nõ ſatisfacit Laymanno *lib.*2. *tr.*5.*part.*2.*c.*3.*n.*5. Siquidem in hac electionis caſſatione non tam electores puniuntur,ſed potiùs electus. ergo nõ ad illorum,ſed huius potiùs culpam, attendendũ eſt.Quare placet mihi ſolutio gl. *in cit. c.vlt.ver.ſcienter*,ſenſum illorum verborũ eſſe : Si tamen ſcienter talis,id eſt,ſciens minorem ſuam excõmunicationem,atque inhabilitatem electus fuerit,irritandã eſſe,ſiue ſciuerint electores,ſiue ignorarint. Omnes iſtæ tres ſententiæ ſunt probabiles. Vide Sebaſtianum à Bonacina *vbi infrà,cap.*3.*dub.*65.

Notandum eſt tamen hîc Richardũ *in* 4.*diſt.*18. *art.*7.*q.*4.gloſſa *in c.ſi celebrat.ver. ſcienter, de Cler.excom.* & Alterium *de cenſ.tom.*1.*diſp.*4.*c.*2.§. *Requiritur etiam*,docere,quòd eligentes ſcienter excommunicatum minori excõmunicatione ſunt priuati voce. Sed mihi magis placet opinio negatiua,quã tuetur Sebaſtianus à Bononia *tr.de elect. part.*2.*c.* 2. *dub.*61. *n.*12.& Gordonus *tom.*2.*lib.*7.*quæſt.*11.*cap.*4.§.3.*n.*26.

RESOL. CXXXIII. *An ſit peccatum petere Sacramenta ab excommunicato tolerato?*

REſpondent communiter nõ eſſe licitum fidelibus ſine cauſa neceſſitatis, aut maioris vtilitatis ab eo Sacramenta petere, ſi videlicet alius non excommunicatus præſtò ſit, qui æquè vtiliter miniſtrare poſſit.Ratio eſt,quòd excommunicatus peccet miniſtrando Sacramenta ſine vlla neceſſitate, ſi alius æquè idoneus adſit, cùm per ſe indecens videatur, vt præciſus ab Eccleſia publica miniſteria Eccleſiæ ſine vlla neceſſitatis ratione obeat.Conſequenter etiam is peccat,qui tale quippiã ab eo petit.& ita docet Coninck *de Sacram. q.* 64. *art.*6.*dub.*2.*& diſp.*13.*dub.*2.Suarez *diſp.*11.*ſect.*4.*n.*10, Auila *part.*2.*cap.*6.*diſp.*8.*dub.*1.& alij.

Verùm ego puto contrariam ſententiam eſſe probabilem;& ita hanc ſententiam docet Sotus *in* 4.*diſt.*22.*quæſt.*1.*art.*4.*concluſ.*1. & Sanchez *de matrimonio,lib.*7.*diſp.*9.*num.*8. vnde Layman *lib.*2.*tract.*5. *part.*2.*cap.*5.*num.*5.ſic ait. Improbabile non eſt nullam eſſe culpam petere Sacramentorum adminiſtrationem ab eiuſmodi excommunicatis toleratis , propterea quòd Conſtantienſe Concilium fidelibus abſolutè conceſſerit facultatem communicandi cum talibus , tam in ſacris , quàm politicis , conſequenter neque ipſos excommunicatos præcisè ob cenſuram peccare, ſi rogati ſacramenta miniſtrent, modò ſe non ingerant. Ita ille, & ego fuſiùs alibi.

RESOL. CXXXIV. *An nominatim denuntiatum, vel publicum Clerici percuſſorem in vno loco tenear vitare in alio,vbi delictum eſt occultum?*

ABſolutè affirmatiuam ſententiam tenet Bonacina *de cenſ.diſp.*2.*q.*2.*punct.*6.§.2. *num.*48. tum quia experientia conſtat delicta vnius publica in vno loco præſcribi ad alia loca ; tum quia delinquens amiſit ius ad ſuam famam per publicitatem, ſeu notitiam publicam delicti; tum quia tenemur obedire præcepto Superioris præcipientis vitandum eſſe excommunicatum non toleratum, (& excommunicatio ſuum vtique præſtat effectum,) tum quia excommunicatus faciliùs reſipiſcet, ſi vbique euitetur. Neque obſtat ipſum excommunicatum hoc malè aceepturum,& inde triſtitiã paſſurum,hoc enim ſibi debet imputare,cùm ego habeam ius permittendi illius contriſtationem ob præceptum Eccleſiæ, & ob ipſius excommunicati vtilitatem.

Sed reſpondent communiter talem in publico vitandum non eſſe,ſed in occulto. Ratio eſt, quia à lege antiqua recedendum non eſt, niſi quatenus in lege noua exprimitur *l.præterea,in fine, C.de appellat.* Cùm igitur in Extrauagant. Conſtantienſi nihil decretum ſit circa modum excommunicatum vitandi publicè, an occultò,ſed ſolùm circa qualitatem excommunicatorum , vtrùm denuntiati ſint,nec ne,ideò ſtandum eſt iure antiquo,*cap. cùm non ab homine, de ſententia excommunicat.* vt excommunicati (intellige nunc denuntiatos.) publicè vitentur, ſi eorum excommunicatio publicè nota ſit ; occultè verò ſi publicè ignota ſit. Et ita docet Sylueſter *ver.excommunicatio.*5. *num.*2. Armilla *eõdem ver.num.*61. Sanchez *in ſumma tom.*1.*lib.*2.*cap.*11. *num.*20 Auila,Layman,*vbi infrà*,Vaſquez *de excommunicatione dub.*8.*num.*2. Henriquez *lib.*13.*c.*24.*n.*1 & alij.

Verùm ſententiam aſſerentem ſupradictum excommunicatum non ſolùm in publico, ſed neque in occulto vitandum eſſe, puto probabilem eſſe. Et ideò Ioannes Præpoſitus *in tertia part.qu.*2. *de excommun. dub.*16. *num.* 114. ſic ait: Nominatim excommunicatus intra ſupradictam explicationem eſt vbique vitandus, vt in ſuperioribus diximus;non eſt tamen improbabile , quòd ſi is alhò ſe transferat,vbi cenſura paſſim ignoretur,is,qui nouit cenſuram , non teneatur illum vitare. Auila quidem concedit de communicatione publica, in qua ſentit non poſſe vitari ; aſſerit tamen debere vitari in occulto,videri poteſt 2.*p.cap.*6.*diſp.*11. *dub.*12. Alij cenſent etiam in publico vitandum, quantum ſcilicet fieri poteſt ſine vlla eius nota;ſed quod diximus, eſt probabile,etiam de communicatione occulta. Ita Præpoſitus & alij citati ab

Henri-

Henriquez *lib.13.cap.6. in gloſſa lit. C.* & quoad publicum percuſſorem Clerici hanc ſententiam admittit etiam Auila *vbi ſuprà.* vbi ſic ait. Vir quidam doctus licet admittat concluſionem reſpectu illius, qui eſt publicè denuntiatus in vna ciuitate, non tamen admittit reſpectu illius, qui in vna ciuitate eſt notorius percuſſor Clerici, & in alia eſt occultus. nam de hoc dicit, quòd non teneor illum vitare non ſolùm publicè, verùm nec occultè, & ait eſſe de mente Durandi *in 4.diſtinct.18.quæſt.5. circa finem*, & Paludani *quæſt.6.* dicentium quòd quando aliquis eſt publicè excommunicatus in vno loco, non debet cenſeri publicus excommunicatus in alio. Et probat hanc ſententiam, quia iſte in hoc loco non eſt notorius percuſſor Clerici; & poteſt confirmari primò. Nam poſt Concilium Conſtantienſe, vt ego tenear vitare etiam in occulto percuſſorem Clerici, requiritur, quòd ſit notorius percuſſor; ſed in hoc loco non eſt notorius Clerici percuſſor. ergo. Secundò, nam hæc notorietas percuſſionis Clerici non eſt per ſententiam iudicis, vt ſuppono, ſed tantùm per notorietatem facti. ergo vbi factum eſt occultum, non eſt notorius percuſſor Clerici. Propter quę videtur mihi hæc ſententia valde probabilis, præcipuè cùm fauores ſint ampliandi. Ita Auila, quem nouiſſimè ſequitur Layman *lib.2.tract.5.part.2.cap.5.num.4.*

RESOL. CXXXV. *An iudex excommunicatus toleratus validè alium excommunicet?*

NEgatiuè reſpondet Suarez *diſp.14.ſect.2.num.15.* & Layman *lib.2.tract.5.part.2.cap.5.num.7.* quia in Extrauagante Conſtantienſi nullum jus, fauor, aut licentia data eſt ipſis excommunicatis, niſi quatenus cedit in gratiam, commodum, aut petitionem reliquorum fidelium. ergo actus iuriſdictionis coactiuæ, quos iudex ex officio exercet erga ſubditum inuitum, non minùs nunc inefficaces, ſeu irriti ſunt, quàm olim fuerunt.

Sed contrariam ſententiam non minus probabilem eſſe puto, quam videtur tenere Guttierrez *in Canon.qq.lib.1.cap.1.num.82.* & abſolutè docet Coninck *de Sacrament.diſput.14.dub.10. numer.91.* quia cùm talis quamdiu publicè agnoſcitur verus iudex, Eccleſia ipſius defectum propter bonum commune ſupplente, validè exerceat actus iuriſdictionis, validè etiam reo præcipit, vt iuſtæ ſententiæ pareat. nam hæc præceptio eſt actus talis iuriſdictionis, & conſequenter ille eſt contumax nolendo obedire; atqui quamdiu contra eum non excipitur, publicè agnoſcitur verus, ac legitimus iudex. ergo reus eſt contumax ei non obediendo. Secundò, quia eodem modo quoad exercitium actuum iudicialium iam ſe habet excommunicatus quicumque toleratus, ſicut olim ſe habebat excommunicatus occultus, quia eodem planè modo vterque verè à parte rei habet impeditam iuriſdictionem, & tamen eius actus validè exercet, Eccleſia eius defectum ſupplente. Atqui tali iudici olim reus tenebatur obedire, niſi contra eum legitimè exciperet, vt patet ex *cap.1.de exceptionibus in 6. & cap. exceptionem 12. de exceptionibus.* ergo ſimili modo tenetur etiam obedire modò tolerato etiam publicè excommunicato. Sed de tota hac materia excommunicationis fuſiorem tractatum expecta, quàm primùm typis mandandum à Patre Martino Prateſ Societatis IESV, viro quidem docto, & amiciſſimo.

TRACTATVS DECIMVS
DE
SVSPENSIONE,
ET INTERDICTO.

RESOL. I. *An ſuſpenſus ab officio ſit ſuſpenſus à beneficio?*

QVIDAM vniuersè affirmant, in quibus gloſſa *in cap. latores, de Clerico excommunicato miniſtrante.* Alij verò Canoniſtæ aſſerunt de ſuſpenſione ab homine, non de ſuſpenſione à iure, vt refert gloſſa *in Clem. capientes, de pœnis, & in cap.1.de re iudicata.* Alij contrà aſſerunt de ſuſpenſione ab officio ſi ſit iuris, non verò ſi ſit ab homine, vt refert gloſſ. *in cap.præter, diſt.23.* Valent. *q.18. punct.1.* diſtinguendo dicit à beneficio ſuſpenſum eſſe, ſi quis ſimpliciter ab officio, adeoque ab omni officio ſit ſuſpenſus, aliàs non, & citat in eandem ſententiam Sylueſtrum *ver. ſuſpenſio, n.5.* & Couarr. *epit.4.p.2.c.6.n.13. & 14.* ſed cuius paulò diuerſa eſt diſtinctio. Henriquez *lib.13.c.32.n.3.* affirmat de eo, qui ob graue crimen abſolutè ſuſpenſus eſt ab officio, & in perpetuum, vt homicida. Parochus negat de alijs, idemque ferè ſentit Couarruuias *loco citato.* & ratio horum omnium eſſe poteſt, quia beneficium non datur niſi propter officium, *cap. vltim. de reſcript. in 6.* ergo ſuſpenſus ab officio, tanquam radice, & fundamento, conſequenter ſuſpenditur à beneficio, quia acceſſorium ſequitur ſuum principale, beneficium verò eſt acceſſorium reſpectu officij. argument. *cap. ſi quis obiecerit, 1.quæſt.3.* Confirmatur, quia excommunicatio priuat fructibus, eo quòd excommunicatus ſit priuatus omni vſu officij Eccleſiaſtici. ergo ſimi-

ſimiliter ſuſpenſio. Ita gloſſ. *in cap. latores, de Clerico excommunicato miniſt.*

Sed his non obſtantibus abſolutè ego contrariam ſententiam teneo. Dico igitur ſuſpenſionem ab officio per ſe non includere ſuſpenſionem à beneficio, & ideò non priuare fructibus beneficij, quia diuerſæ pœnæ ſunt ſuſpenſio ab officio, & ſuſpenſio à beneficio, poteſt vna executioni mandari ſine altera, ſi videlicet ſuſpenſus ab officio interim beneficij temporalem adminiſtrationē gerat, & fructus percipiat; officio verò quatenus ei conceſſum eſt, ſatisfacere paratus ſit, videlicet horas Canonicas recitando, & ad alia munia Eccleſiaſtica Vicarium conſtituendo, & ita docet Vgolinus *de cenſ. tab. 4. c. 6. §. 3.* Tanner. *tom. 4. diſp. 6. dub. 6. q. 10. n. 135.* Villalob. *tom. 1. tr. 18. diffic. 3. n. 5.* Filliucius *tom. 1. tr. 17. c. 2. nu.* Gordon. *tom. 2. lib. 7. qu. 14. cap. 1. n. 17.* Megalius *in 3. part. lib. 5. c. 1. quæſ. 2. n. 12.* Reginaldus *tom. 2. lib. 31. tr. 2. c. 19. n. 11.* Turrian. *lib. 4. diſp. 39. dub. 2.* Hurtadus *de ſuſp. difficult. 4 n. 7.* Cornejo *in 3. part. tr. 5. de ſuſp. diſput. 2. dub. 1. q. 5.* Suarez *diſp. 26. ſect. 3. n. 4.* Sayrus *lib. 4. cap. 5. n. 5.* Auila *part. 2. diſput. 2. dub. 1. concluſ. 6.* Layman *lib. 1. tr. 5. part. 3. cap. 1. n. 3.* Præpoſ. *in 3. part. quæſt. 3. de ſuſp. dub. 2. n. 2.* limitat hanc ſententiam Nauarrus *cap. 27. num. 6.* niſi ſuſpenſio ſit diuturna, vt tacitè, vel expreſsè habeat vim priuationis: ſed Sanchez *de matrim. lib. 3. diſp. 51. n. 12.* & Coninck *de Sacr. diſput. 15. dub. 2. n. 6.* cum alijs abſolutè docent etiam perpetuò ſuſpenſum ab officio non eſſe ſuſpenſum à beneficio: addunt tamen ſi crimen graue ſit, beneficio priuandum eſſe, ex *cap. tuarum, de purgat. can.*

Notandum eſt etiã hîc obiter primò cum Mercero *de Sacr. in 3. part. q. 24. dub. 2.* & Fabro *de cenſ. in 4. ſent. diſt. 25. q. 1. diſp. 6. c. 1. n. 13.* ſuſpenſum ab officio non eſſe priuatum fructibus beneficij.

Notandum ſecundò quòd ſuſpenſio ab officio, quæ non ſimpliciter, ſed pro parte fertur, tantùm impedit ab ea parte Eccleſiaſtici officij, quæ per verba determinantia ſignificatur, & ab omni ſuperiori functione, quæ illam intrinſecè ſupponit, non autem ab inferiori, neque ab alia omninò diuerſa. Hinc ſequitur primò ſuſpenſum ab Ordine tantùm eſſe quidem ſuſpenſum ab omni vſu cuiuſcumque Ordinis, cùm de nullo particulari Ordine poſſit rationabiliter intelligi, non tamen à iuriſdictione, aut functione Eccleſiaſtica non dependente per ſe ab Ordine. quia ſicut ſuſpenſio ab Officio præſcindit à beneficio, ita ſuſpenſio ab Ordine præſcindit à iuriſdictione, v.g. ſuſpenſus ab Ordine nõ eſt ſuſpenſus ab eligendi iure, quod competit ratione beneficij, aut dignitatis, aut ſtatus Monaſtici. & ita docet Mercerus *de Sacram. in 3. part. quæſt. 24. dub. 7.* & ideò Layman *loc. cit. lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 1. num. 5.* ex multis Doctoribus docet ſuſpenſum ab Ordine exercere poſſe omnes actus iuriſdictionis, qui Ordinis actualem vſum non requirunt; quare Epiſcopus ſuſpenſus ab Ordine, licet confeſſiones audire non poſſit, alteri tamen poteſtatem abſoluendi delegare non prohibetur: quod præter Layman docet etiam Henriquez *lib. 13. cap. 32. n. 4.*

RESOL. II. *An ſuſpenſo ab officio illicitè conferatur beneficium?*

AFfirmatiuè reſpondet Coninck *de Sacramen. diſp. 15. dub. 2. num. 7.* vbi ſic ait. Abſolutè ſuſpenſo ab officio illicitè confertur beneficium, quia cùm beneficium detur propter officium, illicitè datur ei, qui ab officio Clericali arcetur, vt patet ex *cap. vlt. de Cler. excommunicat.* Addunt multi collationem eſſe irritam, ſed non probant. Nam ex *dicto cap.* apertè colligitur ſolùm eſſe irritandum. Ita Suarez *diſt. 26. ſect. 3. num. 8.* nec aliud probat *cap. cùm dilectus* 8. quod alij pro ſe ſolent citare, ſolent etiam citare *cap. quia diuerſitatem 5. de conceſſ. præb.* Sed nihil facit ad rem præſentem. Ita Coninck & poſt illum Layman *lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 1. num. 3.* & Mercerus *de Sacram. in 3. part. quæſt. 24. dub. 2.*

Verùm his non obſtantibus contrariam ſententiam teneo cum Acugna *in Decretum Gratiani, p. 1. diſt. 71. cap. 3. num. 3.* & Hurtado *difficult. 4. de ſuſpenſ. num. 8.* vbi ita aſſerit: Addunt aliqui ſuſpenſo abſolutè ab officio illicitè, quamuis validè, conferri beneficium. argumento deducto à ſimili *cap. vlt. de Cler. excommunicato*: id tamen nobis non probatur, quia exiſtimamus ei non ſolùm validè, ſed etiam licitè conferri, vt deducitur ex *cap. vel non eſt compos 14. de tempor. ordin.* Argumentum autem à ſimili non eſt efficax, præſertim in materia odioſa, qualis eſt præſens materia. Nihilominus *in cap. bonæ memoriæ 8. de ætate, qualitate, & ordine præficiendorum*, decernitur, collationem beneficij factam ſuſpenſo per triennium in ſuſpenſione perſeueranti eſſe irritandam. Hæc Hurtadus. Sed circa præſentem quæſtionem ne deſeras videre Turrianum *de cenſ. lib. 4. diſput. 39. dub. 2.* Vnde non eſt audiendus Auila *part. 3. diſput. 2. dub. 10.* aſſerens dictam collationem eſſe nullam; vt aduersùs illum notat Cornejo *in 3. part. tract. 5. de ſuſp. diſp. 2. dub. 1.*

RESOL. III. *An ſuſpenſus à beneficio ſit ſuſpenſus ab officio?*

REſpondeo negatiuè, quare poteſt, imò etiam debet officio ſuo ſatisfacere, & iuriſdictionē, vel adminiſtrationem ratione officij competentem exercere, quæ eſt communis ſententia Doctorum cum gloſſa *in cap cùm Vintonienſis, de elect.* Abb. *in cap. cùm dilectus, n. 20. de elect.* Igitur ſuſpenſus à beneficio intelligitur tantùm à perceptione fructuum, ac temporali adminiſtratione beneficij, quare illi œconomus conſtituendus eſt: ſi autem ſe ingerat beneficij interdictæ ſibi adminiſtrationi, ipſo iure eo priuatur, *c. cupientes, §. cæterùm, de elect. in 6.*

Sed difficultas eſt an ſuſpenſus à beneficio, ſi egeat, poſſit fructus percipere, quatenus neceſſarij ſunt ad ſe, & ſuos alendos? & reſpondet Mercerus *de Sacrament. in 3. part. quæſt. 24. dub. 3.* quòd ſi ſuſpenſus eſt pro contumacia, non eſt ſubueniendum ei de fructibus beneficij, quia ſua culpa perpetuò durante patitur hanc neceſſitatem, & minus inconueniens eſt, vt ex ſuppoſitione prauę ſuæ voluntatis mendicet, quàm vt ex iniquitate ſua reportet commodum in vilipendium Eccleſiaſticę diſciplinæ: ſi autem ſuſpenſus eſt in pœnam delicti commiſ-

commiſſi, cùm iam non ſit in eius poteſtate facere, vt pœna illa tollatur, erit ei ſubueniendum ex fructibus, iuxta arbitrium Superioris, niſi ſuſpenſio ſit ipſo iure contracta & occulta, tunc enim prudenti arbitrio poterit illis ali, vt etiam contingit in ſimili effectu excommunicationis maioris. Ita Mercerus, cui etiam adde Filliucium *tom.1.tract.17. cap.3.num.53.* Gordonum *tom.2. lib.7. quæſt.13. cap.7. num.36.* Turrianum *lib.4. diſput.39. dub.40. num.2.* Cornejo *in 3.part.tract.5 de ſuſp.diſput.2.dub.4.quæſt.1.* Suarez *diſp 27.ſect.2.num.3.* Sayrum *lib.4. cap.6.n.12.* Coninck *de Sacrament.diſput.15.dub.2.concluſ.6.* & alios. Imò, nota Lector, Aula *part.2. cap.6. diſput.6. dub.1.concl.1. & 2.& part.3. diſput.2. dub.2. concluſ.6.* cum Petro Nauarra *lib. 2. de reſtitut. cap.2. num.237.* aſſerunt quòd excommunicatus, vel ſuſpenſus à beneficio, ſi tamen præſtet officium, lucretur omnes fructus. & hanc ſententiam præter Doctores citatos docet etiam probabiliter Tannerus *tom.4. diſput.6.quæſt.10.dub.7.num.137.* & Ioan. Præpoſ. *in 3. part.quæſt.2.de ſuſpen dub.2.num.22.* vbi ſic ait Dubitatur an qui ſuſpenditur à beneficio, eo ipſo ita priuetur fructibus, vt ante omnem ſententiam eos non faciat ſuos? affirmant varij conformiter ad id quod dicunt de excommunicato; non eſt tamen improbabile, quòd ſi fructus ei non ſubducantur, poſſit eos recipere, & retinere, iuxta id, quod in ſimili dictum eſt *quæſt. præcedenti; dub.11.* & docet Sà *ver.ſuſpenſio, num.7.* Vnde aliquis ſuſpenſus per ius à beneficio poteſt tuta conſcientia recipere fructus beneficij, etiam diſtributiones, ſi diuino officio publico interfuerit. Ita ille, & ego. Vnde immeritò Hurtadus *de ſuſp. diffic.4. num.10.* hanc ſententiam falſam vocauit, licet concedat poſſe taliter ſuſpenſum recipere fructus correſpondentes labori, quẽ ſeruiendo impendit, & qui darentur ſubſtituto, quia iſti non tam ſunt fructus beneficij, quàm ſtipendium laboris. poterit quoque ob eandem rationem percipere quotidianas diſtributiones.

RESOL. IV. *Ad quid ſe extendat ſuſpenſio Ordinis Epiſcopalis?*

AD hoc dubium ita reſpondet Layman *lib.1. tract.5.part.3.cap.1.num.6.* Suſpenſio ab Ordine Epiſcopali extendit ſe ad eos actus tantùm Ordinis, qui Epiſcopo proprij ſunt, & Sacerdoti iure ordinario competere non poſſunt; cui affinis eſt ſuſpenſio à Pontificalibus, per quam per ſe ac directè prohibetur vſus inſignium Epiſcopalium, videlicet mitræ, baculi, & pallij; per accidens verò & conſecutinè omnia Epiſcopalia ſolemnia officia, quæ ſine eiuſmodi inſignibus exerceri non debent, qualia ſunt Ordines conferre, confirmare, Eccleſias, Altaria, virgines conſecrare, &c. ſecundùm gloſſ. *in Extrauag.ſuſcepti regiminis, ver.à Pontificalibus.* Sayrum *lib.4.cap.4.num.14.* Interim tamen conceſſum eſt Epiſcopo ita ſuſpenſo Miſſam priuatam ſine Pontificalibus celebrare, confeſſiones audire, iuriſdictionem forenſem exercere. Vide etiam Filliucium *tom.1.tract.17.cap.2 num.27.*

Sed difficultas eſt, an ſi Epiſcopus celebret in Pontificalibus, incurrat irregularitatem? Mihi placet opinio negatiua Ioannis Præpoſiti *in 3.p. q.3.de ſuſp.dub.2.n.13.* vbi ſic ait. Cùm quis ſuſpenditur à certo Ordine, per hunc modum interdicuntur omnes functiones illius Ordinis: vt ſi quis ſuſpendatur ab Ordine ſacerdotali, prohibetur omnis functio propria ſacerdoti, v.g. ſacrificium Miſſæ, collatio extremæ Vnctionis, benedictio ſponſæ, aquæ luſtralis; ſi quis ſuſpendatur à Pontificalibus, prohibetur etiam Ordines minores conferre, confirmare, templa, calices, chriſma conſecrare, populo ſolemniter benedicere non poteſt in Sacro, &c. vti apparatu inſignium Pontificalium: vbi tamen aduerte iuxta communiorem ſententiam non incurrere irregularitatem, ſi Sacrum cum tali apparatu faciat, eo quòd ſacrificium non ſit munus Epiſcopi vt ſic, ſed Sacerdotis, cuius exercitium per ſuſpenſionem ei non interdicitur. Ita ille, & ego. quicquid in contrarium aſſerant Doctores, quos citat Riccius *part.4.deciſ.30.*

RESOL. V. *An ſuſpenſus ab Ordine inferiori cenſeatur ſuſpenſus ab ordine ſuperiori, ita vt ſi illum exerceat, incurrat irregularitatem?*

AD hoc reſpondeo ſuſpenſum ab ordine ſuperiori non ſuſpendi ab exercitio Ordinis inferioris. nã qui prohibet maius, non cenſetur prohibere minus: ſuſpenſus tamen ab Ordine inferiori, cenſetur ſaltem aliquo modo indirectè impediri ab exercitio Ordinis ſuperioris, propter indecentiam, cùm ſit minùs decens eum, qui non poteſt licitè exercere functiones Ordinis inferioris, exercere functiones Ordinis ſuperioris, vt impeditum exercere functiones Diaconi, obire munia Sacerdotis, & aliquem impeditum exercere functiones ſacerdotales, ſeu ſuſpenſum à toto officio Sacerdotis exercere functiones Epiſcopales, propter quam rationem ſuſpenſus ab Ordine inferiori indirectè ſaltem impeditur aſcẽdere ad ſuperiorem.

Verùm aliqui apud Suarez *diſp.26.ſect.4.n.8.* putant hanc doctrinam tunc ſolùm eſſe verã, quando actus Ordinis ſuperioris nequit fieri ſine exercitio actus inferioris Ordinis. Hinc dicunt Sacerdotem ſuſpenſum ab exercitio Diaconatus poſſe audire confeſſiones, ſolemniter baptizare, &c. non tamen celebrare, quia tunc deberet legere Euangelium, quod eſt actus Diaconatus: quam ſententiam docet Suarez eſſe probabilem. Sed quicquid ſit de hoc, certum eſt exercendo talem actum ſuperioris Ordinis, non incurrere irregularitatem, modò nullo modo exerceat actus Ordinis, à quo ſuſpenſus eſt, quia talis non facit aliquid directè ſibi per cenſuram prohibitum, ſed ſolùm per quãdam conſecutionem propter indecentiam. & ita docet Cornejo *in 3.part.tract.5.de ſuſpen.diſp.2.dub.2. q.5.* Præpoſitus *in 3.part.q.3. de ſuſpen. dub.2. num.15.* Layman *lib.1.tract.5.part.3.cap.1.num.6.* Coninck *de Sacr.diſp.15.dub.2.num.10.*

Sed non deſinam hîc adnotare ea, quæ docet Villalobos *tom.1.tract.18.diffic.3.numer.57.* vbi ſic ait: [El que eſtà ſuſpenſo del oficio Eccleſiaſtico, y exercitò algo del, peca mortalmente, como tienen todos, porque es materia graue; y ſi el oficio que exercita es acto de Orden, queda ipſo facto irregular, como conſta del derecho, y eſto aunque la ſuſpen-

ſuſpenſion no ſe aya pueſto por via de cenſura, ſino por via de pena, lo qual ſe ha mucho de aduertir, como conſta de los textos citados, que hablan generalmente; y lo tiene Suarez, el qual dize, que es cierta, y no obſta el no ſer cenſura, porque la ſuſpencion que ſe da por tiempo determinado, no es propiamente cenſura, ſino pena; y el que la quebranta, incurre en irregularidad, como conſta del derecho; mas à mi pareceme probable lo cõtrario por ſer materia penal, que ſe deue reſtringir: y lo ſiente aſſi Auila, que dize, que el que ſe ordenò con Obiſpo deſcomulgado con ignorancia inuincible, queda ſuſpenſo, y que eſta no es cenſura, y ſe celebra, no queda irregular. Ita ille. Satis quidem probabiliter.

RESOL. VI. *An Epiſcopus ſuſpenſus à collatione Ordinum minorum poſsit adhuc conferre Ordines maiores?*

NEgatiuam ſententiam docet Henriquez *lib.13. cap.32.num.2.* Sayrus *lib.4.cap.4.num.19.* Hugolinus *tab.4.c.6.§.6.nu.3.* & Auila *part.3. diſp.2.dub.2. concluſ.11.* Toletus *lib.1.cap.43.num.5.*

Sed ego contrariæ ſententiæ adhæreo, quam tuetur Coninck *de Sacr.diſp.15.dub.2.n.10.* Layman *lib.1.tract.5.part.3 cap.1.num.6.* Suarez *diſp.26.ſect.4. num.11.& 14.* & Ioannes Præpoſitus *in 3.part.quæſt.3. de ſuſpenſ.dub.2.nu.18.* vbi ſic ait. Si Epiſcopus ſuſpendatur à collatione Ordinum, non poteſt etiam minores conferre, poteſt tamen conferre Tonſuram, quia non eſt Ordo: ſi ſuſpendatur à collatione certi Ordinis, videtur poſſe alios Ordines conferre, quamuis digniores, quia collatio Ordinum eſt functio eiuſdem poteſtatis, non verò vſus poteſtatis ſublimioris, & proinde conferendo maiorem Ordinem, à quo non eſt ſuſpenſus, non cenſetur vti Ordine ſublimiori, ſed ſolùm exercere functionem ſui Ordinis, quæ illi non eſt interdicta. patet in ſimili in eo, qui ſuſpenſus ab audiendis confeſſionibus, qui communi iudicio poteſt celebrare, cùm tamen adſit maius munus. Hæc Coninck. Hinc infertur cum Layman *loc.cit.* quòd Epiſcopus ſuſpenſus ab officio cõfirmãdi, non ideò ſuſpenſus cenſetur ab officio conſecrandi & ordinandi, quamuis hæc maiora ſint, ſed non connexa.

Nota etiam hîc cum Præpoſito quòd quando quis ſuſpenditur ab adminiſtratione Sacramentorum, non ſuſpenditur à celebratione Miſſæ, quia celebratio Miſſæ non ſolet comprehendi ſub adminiſtratione Sacramentorum.

RESOL. VII. *An ſuſpenſus à beneficio validè accipiat aliud nouum beneficium?*

NEgatiuam ſententiam docet Bonacina *de cenſur.diſput.3.punct.3. num. 8. in editione nouiſſima.* Leſſius *lib.2. cap.34. dub. 22. num. 116.* & Villalobos *tom.1.tract.18.diffic.4.num.6.* vbi ſic ait. [Quando ſe pone la ſuſpenſion à beneficio generalmente, impide que no ſe adquiera beneficio de nueuo, como ſe colige de vn texto; y tanbien ſe puede probar por vna ley, porque como el ſuſpenſo à beneficio eſtà priuado de los frutos Eccleſiaſticos, eſtà priuado de recebir el beneficio que ſe ordena para allà, y es como principio ſuyo. Aſſi lo dize vna gloſa, y es comun, y dize Suarez, que no ſe impide de tal manera el adquirir el beneficio, que la eleciõ fueſſe irrita ipſo facto, ſino que la ha de irritar el juez o ſuperior, que no prueua mas el cap.ſi celebrat. Mas yo tengo por verdadero el contrario, que es nula ipſo facto la eleccion, como ſe determina *in Clement. 2. de vita & honeſtate Clericor.* Ita Villalobos.

Sed ego affirmatiuæ ſententiæ adhæreo, quia Doctores citati iura, quæ conferunt, vt ſummum probant talem acquiſitionem eſſe irritandam, non autem irritam, & ita docent Coninck *de Sacrament. diſp.15.dub.2.num.14.* Gordonus *tom.1.lib.7.quæſt.13. cap.7.n.38.* Cornejo *in 3.part.tract.5.de ſuſpenſ.diſp.2. dub.4.quæſt.2.* Layman *lib.1.tract.5.part.3.cap.1.num.3.* Mercerus *de Sacrament.in 3.part.quæſt.24.dub.3.* Faber *de cenſ.in 4.ſentent. diſtinct. 25. quæſt.1. diſp.6.c.1.n.26.* & Præpoſ.*in 3.part.quæſt.3.de ſuſpenſ.dub.2.n.24.* vbi ſic ait. Si quis ſolùm ſuſpendatur à certo beneficio, non poteſt priuari fructibus aliorum beneficiorũ, poteſt etiam alia beneficia recipere, imò quamuis ſit ſimpliciter ſuſpenſus à beneficio, videtur poſſe aliquod beneficium recipere, quantum eſt ex parte cenſuræ, quia optimè poteſt conſiſtere, quòd aliquis poſſit acquirere titulum, quamuis deberet priuari fructibus inde prouenientibus. ergo quãuis verum eſſet, quòd ita ſimpliciter ſuſpenſus à beneficio priuaretur eo ipſo fructibus omnium beneficiorum, poſſet nihilominus, quantum eſt ex parte cenſuræ, nouum beneficium recipere. Ita ille. & ideò ante iudicis ſententiam talis poteſt percipere fructus beneficij, vt docet Tannerus *tom.4.diſputat.6.quæſt.10.dub.1.num.137.*

RESOL. VIII. *An ſuſpenſus à beneficio ſuſpendatur à iure collationis beneficij, confirmationis, electionis, &c. ſibi prouenient ratione beneficij à quo ſuſpenſus eſt?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Toletus *lib.1. c.43.* Sayrus *lib.4.c.6.num.7.* Nauarr.*c.27. n.16.* Henriquez *lib.13.c.32.n.4.* & Io.Præpoſ.*in 3.p.q.3.de ſuſpenſ.dub.2.n.25.* quia tale ius eſt quidam prouentus beneficij, & huiuſmodi iura ſolent cedere ijs, quibus cedunt fructus beneficij vacantis: nec obſtat, quòd ſint quædam officia, quia id, quod eſt officium, poteſt ſimul eſſe fructus alterius, v.g. beneficij, quemadmodum aliquis actus iuriſdictionis poteſt ſimul eſſe actus Ordinis, vt abſolutio Sacramentalis; vnde dico hæc & huiuſmodi ſubire & rationem officij, & rationem fructus beneficij, diuerſa conſideratione; & tam eum, qui ſuſpenditur à beneficio, quàm eum qui ſuſpenditur ab officio, ab his ſuſpendi.

Verùm ego contrariæ ſententiæ tanquam probabiliori adhæreo, quam tenet Gordonus *tom.2. lib.7.q.14.cap.7.num.41. & ſeq.* Hurtadus *de ſuſpenſ. diffic.4.num.9.* Cornejo *in 3 part. tract.5.de ſuſp.diſp.2. dub.4.quæſt.4.* Suarez *diſp.25.ſect.2 num.14.& diſp.26. ſect.4.num.5.* Auila *part.3.diſput.2.dub.1.concluſ.4.* Coninck *de Sacr.diſp.15.dub.2.n.11.* Layman *lib.1.tr.5.p.3. c.1.num.4.* & Mercerus *de Sacram. in 3.part. quæſt.24. dub.3.* vbi ſic ait. Notandum Epiſcopum à beneficio ſuſpenſum poſſe beneficia conferre, quia hæc collatio

latio non pertinet ad fructus Epiſcopatus, prout impropriè dixit gloſſ. *in cap. cùm olim de maiorit. & obed.* neque eſt actus dominij, vel beneficij vt beneficium eſt, ſed officij & iuriſdictionis, vt habet gloſſa *in cap. tranſmiſſam, de elect. in 6.* ſic etiam ſuſpenſus à beneficio non priuatur actu eligendi cõpetente propter beneficium, quia electio non eſt fructus beneficij, neque actus eius vt beneficium eſt, ſed officij ſpiritualis, cui annexum eſt ipſum beneficium. Dicendum eſt igitur quòd collatio, & electio non propriè numerantur inter beneficij fructus, quorum perceptio ſuſpenſo interdicta eſt, cùm potiùs ſint actus officij, & quaſi iuriſdictionis ratione beneficij competentis. Quamobrem Canonis auctor cùm ab vtroque tam beneficio, quàm iure eligendi, ſuſpendere vult, id ipſum exprimit, vt videre eſt *in cap. cùm in cunctis, §. vlt. de elect.* Si ergo in canone non exprimatur, non eſt cur extenſionem faciamus in materia pœnali, & ita præter Doctores citatos hanc ſententiam ſuſtinet etiam Philippus Faber *de cenſur. in 4. ſentent. diſt. 25. q. 1. diſp. 6. cap. 1. num. 29.*

RESOL. IX. *Quinam ſint effectus ſuſpenſionis?*

REſpondetur principalem effectum eſſe, quòd exercens actum à quo eſt ſuſpenſus ex ſuo genere, ſi materia grauis ſit, peccat mortaliter, ac propterea violans ſuſpenſionem à diuinis, exercendo videlicet actum alicui Ordini annexum, incurrit irregularitatem Pontifici reſeruatam, vt ex communi docet Nauarr. aliíque: patet vtrumque ex *c. 1. cùm medicinalis, de ſent. excomm. in 6. & c. 1. de ſent. & re iudicata in 6. & c. ſi quis Epiſcopus in conſilio, & c. ſi quis Epiſcopus damnatus 11. q. 3.* excuſatur tamẽ ab irregularitate, qui excuſatur à culpa, nempe vt vel grauẽ infamiam, vel ſcandalum vitet, &c. cùm enim hæc irregularitas ſit pœnalis, ceſſat ceſſante culpa, vt benè Suarez *diſp. 26 ſect. 2. n. 3.* qui meritò etiam *n. 6.* refellit Maiolum, quòd eam irregularitatis pœnã extenderit ad vſum beneficij, aut iuriſdictionis, quamuis non includentem actum Ordinis. & hæc omnia docet etiã Tanner *tom. 4. diſp. 6. q. 10. dub. 6. n. 136.* & Fernandez *in medulla part. 2. cap. 11. §. 1. n. 9.*

RESOL. X. *An ſuſpenſus ab officio prædicandi, irregularitatem incurrat, ſi concionetur ſaltem cum ſolemnitate?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Nauarr. *c. 27. num. 163. §. 8.* Valentia *tom. 4. diſp. 7. q. 18. punct. 1.* Maiolus *lib. 3. de irreg. c. 19. n. 21. §. 3.* & alij. Mihi verò magis placet negatiua ſententia quã ex Sylueſtro, Armilla, Henriquez & Medina docet nouiſſimè doctus Tannerus *to. 4. diſp. 9. q. 10. dub. 7. n. 137.* quia prædicare non eſt per ſe, & vniuerſim exercere vſum Ordinis. ergo, &c. Et idem dicendum de excõmunicato putat Bonacina *de cenſ. diſp. 2. q. 2. punct. 3. §. 2. num. 11.*

RESOL. XI. *An acta ſuſpenſi ſint valida?*

REſpondeo actus quidem Ordinis, excepta abſolutione ſacramentali, validos eſſe: at verò actus, qui iuriſdictionem poſtulant, per ſe inualidi ſunt, cũ ſuſpẽſus ſit priuatus actuali iuriſdictione, & iura non minùs de ſuſpenſione, quàm de excõmunicatione id ſtatuant. Nihilominus ſi ſuſpenſus ſit occultus, & ab Eccleſia communiter toleratus, acta eius valent, quia Eccleſia ſupplet defectum. Imò ſi ſuſpenſus non ſit ſpecialiter denuntiatus, quamuis quoad ſe ſit prohibitus, ne in officio miniſtret, ideoque peccet ſi id ex ſua ſponte ac ex ſe faciat; tamen quoad alios non eſt priuatus iuriſdictione, vt in ſimili de excommunicatione dictum, & rectè docet Suarez *diſp. 26. ſect. 2. n. 2.* & ita docet Tannerus *tom. 4. diſp. 6. q. 10. dub. 7. num. 138.* vide etiam Auilam *part. 3. diſp. 2. dub. 3. concl. 1. & 2.* Cornejo *in 3. p. tract. 5. de ſuſpenſ. diſp. 2. dub. 1. q. 4.*

RESOL. XII. *An Clericus ſuſpenſus ab officiis diuinis, ſi illa audiat, peccet?*

AFfirmatiuam ſententiam tenet Sylueſter *ver. ſuſpenſio, q. 5. ver. ſi verò ſuſpenſio*, & alij apud Sayrum *lib. 4. cap. 5. num. 26.*

Sed ego puto ſi Clericus ſuſpenſus à diuinis Officiis, illis tanquam laicus aſſiſtat, non ſolùm irregularitatem non incurrere, ſed neque peccatum admittere, quia hoc non facit ex officio, & ita docet Filliucius *tom. 1. tr. 17. cap. 2. num. 33.* & alij.

RESOL. XIII. *An ſuſpenſio diſiunctiua, nempe ab officio, vel à beneficio ſit valida?*

NEgatiuè reſpondet Henriq. *lib. 13. cap. 23. n. 4. in gloſſ. lit. E.* dicens ſuſpenſionem factam per diſiunctionem, nempe ab officio, vel beneficio, non teneri, cùm propter ineptæ ſententiæ incertitudinem, non ſit maior ratio, cur is, in quem fertur, non eximatur ab vnius potiùs, quàm ab alterius iſtorum duorum ſuſpenſione, quod tamen non videtur admodum tutum. Nam fundamento, quo nititur, facilè occurri poteſt, dicendo in pœnis iniungendis diſiunctionem non adferre incertitudinem, quæ reddat ſententiam irritam, vt ex eo patet, quod in foro conſcientiæ Confeſſarius poſſit pœnitenti iniungere, vt vel aliquo certo die ieiunet, vel det certam eleemoſynam, & in foro externo poſſit aliquis damnari, vt vel ferat aliquot verbera, vel ſoluat certam pecuniæ ſummam; quare & poterit aliquis in pœnam delicti à iudice ſuſpendi ab officio, vel à beneficio, adeò vt gl. ad *cap. latorem, de Cleric. excomm. miniſt. ver. ab officio*, habeat ſic ſuſpenſum debere abſtinere tam ab officio, quàm à beneficio. Quamquam videri poteſt ſufficere, vt ab altero eorum, quod maluerit, abſtineat, ſicut in aliis pœnis, quæ ſub diſiunctione imponuntur, niſi aliam ſuſpendentis intentionem fuiſſe conſtet, quia cenſura plus dependet à voluntate proferentis illam, quàm ex verbis; & ita hanc ſententiam tenet Reginaldus *tom. 2. lib. 32. tract. 2. cap. 9. num. 21.*

Verùm non deſinam etiam hîc apponere verba Hurtadi *de ſuſp. diffic. 4. num. 11.* vbi ſic ait. Quamuis Doctores communiter doceant ſuſpenſum ab officio, vel à beneficio ſub diſiunctione à neutro manere ſuſpenſum, quia non ab vtroque, vt patet, nec ab altero, quia non eſt maior ratio, ob quam ab vno potiùs, quàm ab altero maneat; nihilominus, vt docent nonnulli, credimus manere ſuſpenſum ab vno, vel ab altero determinatè pro optio-

ne ſuſpenſi, quam tenetur facere, ſicut qui condemnatur, vt exulet, vel vt ſoluat certam quantitatem pecuniæ, verè manet obnoxius vni, aut alteri, & obligatur vnum, aut alterũ eligere, quia abſque fundamento negatur iudicem habere auctoritatem ad ſic ferendam ſententiam pœnæ, & ad obligandum reum vt eligat quam maluerit. Sic ille. & Bizozerus *in ſumm. tr. de ſuſp. c. 1. n.* 13. abſolutè docet ſuſpenſionem ſub hac forma ſuſpendentem ab officio vel à beneficio nullam vim habere, & talem non eſſe ſuſpenſionem, & hoc etiam docet Vega *in ſpec curat. part. 2. cap. 12. §. 12. num.* 100.

Resol. XIV. *An ſuſpenſio lata ſub hac forma, ſit ſuſpenſus, liget, & ad quid?*

AD hunc caſum reſpondet Ioannes Baptiſta Bizozerus *in ſumm. tract. de ſuſpenſ. cap. 1. numer.* 13. vbi ſic ait. Dices quam vim habeat ſuſpenſio abſolutè lata in hanc formam, Suſpendo te, non expreſſo Ordine, aut beneficio, aut officio? Quidam dicunt talem ſuſpenſionem nullam habere vim, & ratio eſt, quia imperitia iudicis ſic ferentis ſuſpenſionem non debet obeſſe reo. Alij dicunt attendendam cauſam, ob quam talis ſuſpenſio fertur, quoniam qualem meretur ſuſpenſionẽ delictum, talis incurritur: vnde ſi delictũ meretur ſuſpenſionẽ ab officio, talis incurritur: ſimiliter ſi à beneficio itidem ſi ab vtroque ſimul. Alij dicunt vim habere ſuſpendendi ab officio ſimul, & beneficio, ſicut nomine excommunicationis intelligitur maior, quæ comprehendit minorem, & hæc eſt ſententia Sylueſtri *in ſumm. ver. ſuſpenſio*, & probabilior cæteris. & ita etiam docet Mercerus *de Sacram. in 3. part. quæſt. 24. dub. 1.* vbi ſic ait. Norandum quòd ſuſpenſio prolata abſque vlla determinatione includat priuationem tam officij, quàm beneficij, non enim eſt ratio cur potiùs intelligatur priuatio huius, quã illius, & talis habetur *Extrauag diuina, de priuileg.* & in Concil. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 14.* contra Epiſcopum concubinarium, qui à Synodo Prouinciali monitus, ſe non emendat. Vide etiam Gordonum *tom. 2. lib. 7. q. 14. cap. 2. num. 7.*

Resol. XV. *An ſuſpenſus à beneficio priuetur fructibus penſionis collatæ titulo Clericali?*

AFfirmatiuè reſpondet Suar. *diſp. 27. ſect. 1. nu.* 15. & Filliucius *tom. 1. tract. 17. cap. 3. num.* 42. vbi ſub nomine beneficij comprehendit omne genus beneficij, ſiue ſit ſimplex, ſiue curatum, ſiue dignitas, &c. etiam penſio quæ datur ex titulo ſpirituali & Eccleſiaſtico ratione Clericatus, non autem ea quæ ſine tali titulo cõferri ſolet laicis. Sed contrarium docet Alterius *tom. 2. diſp. 5. cap. 1. ad finem.* Megalius *in 3. par. lib. 5. cap. 1. quæſt. 1. num.* 5. quia penſio non eſt beneficium, vnde vtramque ſententiam probabilem eſſe puto.

Resol. XVI. *An ſuſpenſio ſit valida ſi poſt illam interponatur appellatio?*

AFfirmatiuam ſententiã docet Turrianus *lib. 4. diſp. 42. dub. 2.* vbi ſic ait. Notandum ſuſpenſionem non fore validam, ſi feratur poſt interpoſitam appellationem, iuxta communem opinionem Doctorum *in c. 1. de ſent. excomm. in 6.* Si verò appellatio ſequatur poſt latam ſuſpenſionem, non impedit effectum, vt habetur *c. is cui, de ſent. excommun. in 6.* quod Abbas *in cap. 2. de Clerico excommunicato miniſtrante, & c. ſæpè de appellat. in 6.* voluit eſſe intelligendum de ſola ſuſpenſione, quæ fertur ob contumaciam, non de illa, quæ eſt purè pœna. Sed hæc limitatio non placet aliis, quia caput *is cui*, citatum, ſimpliciter loquitur de ſuſpenſione abſque vlla diſtinctione, in iure verò vtraque ſuſpenſio poteſt hoc nomine ſignificari. Mihi videtur probabilis, quia videtur ſermo de ſuſpenſione, ſicut de excommunicatione, atque adeò de illo vt eſt cenſura propriè. Hæc Turrianus, quem ſequitur Faber *de cenſ. in 4. ſent. diſt. 25. q. 1. diſp. 6. cap. 1. nu.* 47. vbi ita aſſerit. Requiritur ſuſpenſio vt feratur ante appellationẽ, quia per appellationem tollitur iuriſdictio: ſi autem appellatio ſequatur ſententiam, non impedit effectum ſuſpenſionis, ſicut nec excommunicationis. *cap is cui, de ſententia excommunicationis in 6.*

Sed hæc opinio ita abſolutè prolata mihi non placet. Dico igitur quòd ſuſpenſio ab officio & ingreſſu Eccleſiæ non ſuſpenditur per appellationẽ ſubſequentem, quia ſecum executionem defert, & patet ex *cap. is cui, de ſententia excomm. in 6.* ſecus eſt de ſuſpenſione à beneficio, quod ex eodem cap. colligitur: nam cùm ibidem ſingulariter dicatur ſuſpenſionem ab officio, & ingreſſu Eccleſiæ non ſuſpendi per appellationem ſubſequentem, contrarium innuitur de aliis ſuſpenſionibus. Quidam tamen ex DD. citatis diſtinguunt inter ſuſpenſionem à beneficio, & à fructibus beneficij, aiuntque ſecundam ſuſpendi per appellationem ſubſequentem, non tamen priorem, ſed non video, in quo iure fundentur. Quare meliùs Nauarrus ait omnem ſuſpenſionem per appellationem ſubſequentem ſuſpendi præter ſuſpenſionem ab officio & ingreſſu Eccleſiæ, & ſanè vel hoc, vel nihil quod ad rem præſentem faciat, ex dicto iure colligitur. & ita docet Coninck *de Sacr. diſp. 4. dub. 4. n. 29.* & Auila *part. 3. diſput. 3. dub. 4. concl. 1.* vbi etiam docet, quòd ſuſpenſio à voce actiua, & paſſiua ſuſpenditur per appellationem legitimam ſubſequentem. & poſt hæc ſcripta inuenio etiam docere hanc noſtram ſententiam Hurtadum *de cenſ. in comm. difficult. 25. num. 110.* vbi ſic ait. Appellatio facta poſt latam ſententiam cenſuræ, & abſolutam, nequit eam impedire, imò nequit impedire denuntiationem cenſuræ iam latæ & incurſæ, vt definitur *in cap. paſtoralis.* & meritò, quia denuntiatio eſt quid acceſſorium cenſuræ, ac proinde eam ſequitur, excipimus tamen ſuſpenſionem à beneficio, & ab aliis diſtinctis ab officio & ingreſſu Eccleſiæ, quæ per ſequentem appellationem ſuſpenditur, vt indicatur in *dicto cap. is cui*, dum dicitur ſuſpenſionem ab Officio & ab ingreſſu Eccleſiæ non impediri per ſequentem appellationem, & id tacetur de ſuſpenſione à beneficio & ab aliis. Ita ille. & ego. Vide etiam Alterium *de cenſur. tom. 1. lib. 3. cap. 1. quæſ. 4. & tom. diſp. 3. c. 2.* hanc quæſtionem doctè pertractantem. Sed ex his oritur pulchra quæſtio,

Resol.

RESOL. XVII. *An ſublata, v.g. ab Epiſcopo ſuſpenſione ad reincidentiam, ſi detur interim appellatio, ſuſpendat ſententiam ne poſtea ſuſpenſio contrahatur? quod idem quæritur de interdicto.*

NEgatiuam ſententiam docet Alterius *de cenſ. tom. 2. diſp. 8. c. 6.* vbi ſic ait. Dubitari poteſt an ſi interdictum ſuſpendatur ad tempus, & durante ſuſpenſione interponatur appellatio, impediatur effectus interdicti pro futuro tempore? Reſpondet Calder. *in tr. de interdicto, p. 2. in fine, n. 31.* & primò inquit quòd interdictum perſonæ ſuſpendi non poteſt, ſicut nec excommunicatio, ſed tantùm interdictum loci. Secundò ait *n. 32.* appellationem interpoſitam in caſu propoſito nõ poſſe ſuſpendere effectum interdicti pro tempore futuro: & rationẽ adfert, quia quando ſuſpenditur interdictum non tollitur, ſed remanet habitu, & impeditur ne producat effectum in actu. Quare tranſacto tempore ſuſpenſionis non fertur nouum interdictum, ſed illud idem numero, quod erat ante ſuſpenſionem, & remanſit ſaltem habitu ligans, operatur ſuos effectus ſicut priùs, ideò appellatio erit ſequens interdictum. Appellatio autem ſequens cenſuram ſuſpendere nequit.

Sed affirmatiuam ſententiam loquens in ſpecie de ſuſpenſione docet idem Alterius *diſp. 3. c. 2.* quia Epiſcopus nunquam poteſt tollere ſuam cenſurã, niſi illam penitus tollat: quare ſi appelletur, & iuſta ſit appellatio, cenſura remanebit ſuſpenſa. Deinde in ſententiis cenſurarum primus actus non poteſt ſeparari à ſecundo, id eſt, ſubſtantia ſententiæ, quæ eſt primus actus, ſeiungi nequit ab effectu eiuſdem ſententiæ, qui eſt ſecundus actus, quia cenſuræ trahunt ſecum executionem, idcircò Epiſcopus non poteſt tollere effectum ſententiæ, remanente ſubſtantia. Quare ſi ſuſpendit ſententiam, illam prorſus extinguit. Vnde ſi poſtea ſuſpenſus appellet, talis appellatio habet vim, ne Superior poſſit iterum ferre cenſuram, niſi antea cognoſcatur de appellatione, facit *c. dilectis, verſ. quia verò, de appellat.* Vnde ego puto cum Abbate *in cap. adhæc quoniam, n. 5. de appellat.* vtramque ſententiam probabilem eſſe. Sed huic affirmatiuæ magis adhæreo, quam tenet etiam Banacina *de cenſ. diſp. 3. punct. 1. n. 4.*

RESOL. XVIII. *An ſi quis appellet generaliter à ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis, &c. ſuſpendat cenſuram?*

REſpondeo hanc appellationem ſecundùm ius ciuile eſſe validam, ſecus autem ex iure Canonico. Sed Decius *in cap. conſuluit, num. 4. & 5. de appellat.* exiſtimat quòd in vſu iuris noſtri Pontificij inutilis non eſt huiuſmodi generalis appellatio facta ſimpliciter ad iudicem competentem, nam quamuis omiſſo medio ad Papã, eiúſve legatum appellari poſſit, voluntas appellantis in dubio eſſe non cenſetur, ſed potiùs præſumendum eſt appellationem ad proximum Superiorem iudicem factam fuiſſe. in dubio enim iure communi potiùs, quàm priuilegio vti præſumitur. *l. eius. §. militia, ff. de milit. teſtament. l. in teſtamento, C. de teſtamento militis.* quæ doctrina mihi valde probabilis videtur, & ita qui appellat verbis generalibus ad iudicem competentem proximè, Superiorem deſert adire, non verò maiorem omiſſo medio, etiamſi ad illum prouocare potuiſſet.

Sed quid dicendum, quando appellans ad plures diuerſos iudices appellare poteſt, valeat alternatiua appellatio, v.g Appello ad Archiepiſcopum, vel ad Papam, vel ſi appellatio formula Procuratorem ordinaria concipiatur, v. g. Apello para ante quien con derecho puedo, y deuo; vel ſi appelletur coniuncta oratione ad diuerſos iudices, v.g. ad illum, & ad illum, quo caſu coniuncta pro diſiuncta & alternata accipiatur. *l. ſæpè, ff. de verbor. ſignificat.* multi eo caſu incertam & ſimul vitioſam appellationem eſſe exiſtimant, at Panormitanus in præſenti *num. 11.* eo caſu non vitiari alternatiuam appellationem ait, quando iudici competenti alius incompetens per alternationem adiicitur, quaſi tunc denegata appellandi poteſtate ad iudicem incompetentem, certitudo voluntatis reſtricta ſit ad vnum ſolum iudicem competentem. Si verò vterque iudex appellatus æquè competẽs ſit, nonnulli dixerunt inutilem eſſe appellationem ratione incertitudinis ortæ ex alternatione iudicum. *l. prætor, §. quod autem, ff. de teſtamentaria tutela.* Ego verò non puto huiuſmodi alternatiuam appellationem adeò eſſe inutilem, vt pro non ſcripta habeatur. nam vitium incertitudinis, quod in alternatione latet, poterit ab appellante ſequente declaratione purgari, v.g. ſi appellans vnum ex alternatis iudicibus elegerit, dum tamen talis declaratio, aut electio facta fuerit durãte termino ad appellandum deſignato, videlicet intra 10. aut 5. dies à tempore ſententiæ. *l. final. C. de tempor. appellat.* adeò vt eorum dierum tranſcurſus, aut præſcriptio eligendi facultatem excludat, quo caſu redditur proculdubio inutilis appellatio, vt aduertit, & diſputat Baldus *conſ. 320. per totum lib. 4.* Alexand. *conſ. 101. num. 2. lib. 2. & conſ. 164. 167 & conſ. 79. vol. 7.* ex multis, quos ipſe retulit. & ex gloſſa *in c. ſi is cui, de officio deleg. in 6.* & hæc omnia ſupradicta docet doctus Valboa de Magrouiejo *in lection. Salmat. tom. 1. in c. cùm conſuluit, nu. 9. & 10. de appellat.* qui etiam *num. 18.* notat quòd appellatio non debeat recipi niſi ex iuſta & rationabili cauſa in appellatione ſpecialiter expreſſa.

RESOL. XIX. *An ſuſpenſio poſſit ferri, & incurri propter ſolum peccatum veniale?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Caietan. *in verſ. ſuſpenſio.* Nauarr. *c. 27. num. 159.* & Auila *p. 3. diſp. 3. dub. 3.* quia excommunicatio minor priuat maiori bono, ſcilicet receptione Sacramentorum, & tamen incurritur, & de facto imponitur à iure pro veniali.

Sed hæc opinio ita abſolutè prolata aliquibus non placet, & illam admittunt ſolùm de ſuſpenſione leui, quæ poſſit eſſe in ratione potentiæ proportionata veniali culpæ, vt de ſuſpenſione ab vno actu eligendi, vel à diſtributionibus vnius horę, vel vnius diei. nam ſi ſit ſuſpenſio grauis, qualis eſt ab officio & beneficio ſimul, vel ab altero eorum tantùm, non poterit imponi niſi pro mortali, vt videtur

videtur docere Sotus *in 4. diſtinct. 22. quæſt. 2. art. 1. concluſ. 2* quia ſuſpenſio vt in vſu Eccleſiæ acerbior pœna eſt, quàm minor excommunicatio, tum quia licet ex genere ſuo priuet minoribus bonis, tamen difficilius tollitur, tum ſcilicet, quia aliqualem infamiam ſecum affert, & irreparabile damnum infert, ſicut de irregularitate dicemus infrà grauiorem pœnam eſſe, quàm minorem excommunicationem, propter ſimiles circumſtantias, quamuis ſuſceptione Sacramentorum non priuet, & certè ex iuſtitia, quam Eccleſia ſeruat in puniendis delictis, dicendum eſt poſſe aliquem totaliter priuari fructibus beneficij, aut vſu officij propter ſolam venialem culpam. quòd ſi excommunicatio minor incurratur propter veniale peccatum communicandi cum excommunicato, id factum eſt in odiũ excommunicationis rigidiùs obſeruatum, & ita docet Hurtadus *tract de ſuſpenſ diffic. 7. n. 19.* Vaſq. *in p. 2. diſp. 153. c. 5.* Suarez *diſp. 4. ſect. 4.* Coninck *de Sacram. diſp. 13. dub. 3.* & Cornejo *in 3 part. tract. 5. de ſuſpenſ. diſp 3. dub. 2.* vbi rectè infert, quòd ſuſpenſio, quæ in iure lata eſt pro aliquo delicto, ſi ſuſpenſio, grauis ſit, non incurrit eam in foro conſcientiæ, qui committendo delictum, illud ſolùm venialiter peccauerit, vel ex incõſideratione, vel ex paruitate materiæ, vel ex alia cauſa, quamuis in foro exteriori pro ſuſpenſo ſit habendus.

RESOL. XX. *An teneamur vitare ſuſpenſos in rebus à quibus ſuſpenſi ſunt?*

REſpondeo probabilius eſſe neminem teneri ex vi præcepti Eccleſiaſtici vitare ſuſpenſum. Ita Henriq. *lib. 13. de excom. c. 5. § 5. & cap. 33. § 3.* quem ſequitur Auila *3. part. de cenſ dub. 4. diſp. 2.* & probatur, quia nullibi reperitur tale præceptum prohibens communicare cum ſuſpenſis, ſicut datur præceptum prohibens communicare cum excommunicatis, quibus Nauarr. *cap. 27. nu. 163.* innuit oppoſitum, & ratio poteſt eſſe, quòd ſuſpenſio non reſpicit per ſe communicationem cum fidelibus ſicut excommunicatio. vnde infert, quòd ſecluſo ſcandalo non erit peccatum, etiam veniali, communicare cum ſuſpenſo in actibus, à quibus ſuſpenſus eſt, niſi quando talis communicatio fuerit, ſcilicet quædam cooperatio cum illo in delicto, & malo vſu miniſterij, nam tunc erit peccatum contra legem naturalem, & diuinam, ſiquidem cooperari peccato alterius intrinſecè malum eſt. Quando verò quis dicatur cooperari peccato ſuſpenſi? reſpondetur quando ſuſpenſum non toleratum extra caſum neceſſitatis extremæ inducit ad vſum actus prohibiti, aut ſi toleratus ſit, tamen ſine vlla prorſus neceſſitate, aut vtilitate, cùm aliàs non eſſet paratus, neque ex officio, aut dignitate obligatus, prouocat ad talem vſum, vel ei à latere miniſtrat, aut ad exercitium actus prohibiti inſeruit. Vnde per ſolam aſſiſtentiam, quæ eſt quædam pura communicatio, non peccauit, atque ita ſi ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ illam ingrediatur, vt diuina officia audiat, non teneor exire; imò ſi ſuſpenſus ab Ordine, licet denuntiatus Miſſam celebret, poterit audire licitè, modò Altari non miniſtret. & hæc omnia docet Cornejo *in 3. part. tract. 5. de ſuſpenſ. diſp. 2. dub. 1.* Vnde ex his infertur non benè docere Bonacinam *de cenſ. diſp. 3. punct. 4. n. 2.* & Megalium *in 3. p. lib. 5. cap. 3. quæſt. 1. num. 2.* nam ſi ſuſpenſus Miſſam celebret, peccare mortaliter aſſiſtentes in dicta Miſſa, nam contrarium ex Cornejo *vbi ſuprà*, dicendũ eſt, cui etiam adde Suarez *diſp. 34. ſect. 3. n. 4.* Auilam *par. 3. diſp. 2. dub. 4. concl. 4.* vbi ſic ait. Ex dictis ſequitur quòd licet aliquis ſit ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ, & ingrediatur illam ad audienda Officia diuina, non teneor exire ab Eccleſia, imò licet ſit ſuſpenſus à diuinis Officiis, & ſit nominatim denuntiatus, & tamen dicat Miſſam, nõ pecco eam audiendo ſi non induxi eum. Ita Pater Henriq. & aliqui Magiſtri, intellige niſi miniſtrem illi ad Altare. Secundò ſequitur id, quod ait Nauarr. *cap. 27. n. 163 in fine*, ſcilicet quòd ſicut tenemur vitare excommunicatum, ita tenemur vitare ſuſpenſum in eo in quo ſuſpenſus eſt, ſi generaliter intelligatur falſum eſt, ſolùm enim habet verum in duobus caſibus ſecundæ concluſionis. Vide etiam Sayrum *lib. 4. cap. 11. num. 6.* & Henriquez *lib. 13. cap. 33. num. 3.* Præpoſitum *in 3. part. q. 3. de ſuſpenſ. dub. 3. num. 27.*

RESOL. XXI. *An ſuſpenſus ab Ordine ſit ſuſpenſus à iure eligendi?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Panormitanus *in cap. cùm dilectus, num. 20. de conſuetudine*, quem ſequitur Syluester *ver. ſuſpenſio, nu. 5.* quorum fundamentum eſt, quòd iuriſdictio fundatur in Ordine. ergo ſublato exercitio Ordinis, auferetur exercitium iuriſdictionis.

Sed contrariam ſententiam docet Cornejo *in 3. part. tract. 5. de ſuſpenſ. diſp. 2. dub. 2. q. 1.* quia quamuis ex ablatione fundamenti quantum ad ſubſtantiam & exercitium ſequatur ablatio rei fundatæ, quantum ad exiſtentiam, & ſubſtantiam, ex ablatione tamen actus & exercitij fundamenti non benè ſequitur ablatio actus & exercitij rei fundatæ, quia benè ſtat quòd manente ſubſtantia fundamenti, & ſimiliter manente ſubſtantia rei fundatæ, impediatur exercitium ipſius fundamenti, non impedito exercitio rei fundatæ, eo quòd operatio rei fundatæ non pendeat ab operatione ſimultanea fundamenti, ſed ſolùm à iuſtitia & exiſtentia ipſius rei, quę eſt fundamentum, vt à conditione neceſſariò præſuppoſita. Igitur ſuſpenſus ab Ordine non eſt ſuſpenſus à iure eligendi, cùm ius eligendi ad iuriſdictionem pertineat, nec Ordinem neceſſariò præſupponit. Vnde Moniales ius eligendi habere poſſunt, *cap. in indemnitatib. de elect. in 6.* & tamen Ordinis incapaces ſunt.

RESOL. XXII. *An ſuſpenſio poſſit contrahi pro culpa alienâ?*

NEgatiuam ſententiam tenet Caiet. *ver. ſuſpenſio*, & Nauarr. *c. 27. n. 151.* quos ſequitur Suar. *diſp. 28. ſect. 4. nu. 22.* quorum fundamentum eſt neminem puniri debere ob alterius peccatum, quo ipſe caret, ex regulis traditis *c. 2. de conſt. & c. 2. de his quæ fiunt à maiori parte Capituli. l. ſancimus*, C. *de pœnis & toto tit. eodem C. ne filius pro patre*, quod maximè verum eſt in pœnis ſpiritualibus.

Sed

Sed contrariam ſententiã tenet D. Th. *in 4. diſt. 18. q. 2. art. 3. q. 2. ad 2.* & Sylueſt. *ver. ſuſpenſ. n. 4.* & ad rationem cõtrariæ ſententię reſpondet Cornejo *in 3. p. tr. 5. de ſuſp. diſp. 3. dub. 2. q. 1.* illam veram eſſe quãdo quis ſpecialiter, & ſeorſum ſuſpenditur, nam tunc vnus ſuſpendi non poteſt pro culpa alterius, ſecus verò quando ſimul ſuſpenditur collegium. nam pro vnius culpa, quia tunc nõ requiritur culpa in ſingulis, ſed ſufficit culpa plurium, vel Superioris, vt infrà, agentes de interdicto, explicabimus. Tunc ergo poteſt optimè Superior in inferioribus puniri, & communitas in membris, iuxta ea, quæ habentur *in cap. ſi ſententia de ſent. excomm. in 6.* & quamuis pœna ſuſpenſionis ſpiritualis ſit, quia tamen, vt dictum eſt, non priuat bonis pertinentibus ad propriam animam, poteſt optimè infligi pro peccato alterius, præſertim, quia, vt dicemus, huiuſmodi ſuſpenſio & interdictum non habet propriè rationem pœnæ reſpectu inferioris, cui imponitur. Vide Turrianum *lib. 4. diſp. 41. dub. 2.*

RESOL. XXIII. *An ſuſpenſio lata à iure, quæ eſt cenſura, ſi reſeruata non ſit Pontifici, poſſit tolli ab Epiſcopo?*

NEgatiuè ſtando in rigore iuris reſpondet Suarez *diſp. 29. ſect. 2. nu. 2.* Faber *de cenſ. in 4. diſt. 25. q. 1. diſp. 6. c. 2. n. 55.* & Turrianus *de cenſ. lib. 4. diſp. 45. dub. 2.* vbi aſſerunt non eſſe eamdem rationem de excommunicatione, & de hac ſuſpenſione propter maiorem neceſſitatem abſolutionis ab excõmunicatione, & abſolutionis ab hac ſuſpenſione. Hæc enim ſuſpenſio non priuat ſuffragiis Eccleſię, ſicut priuat excommunicatio, neque priuat receptione Sacramentorum.

Sed contrariam ſententiam ego teneo, quia quamuis *in cap. nuper, de ſent. excom.* ſolum ſit ſermo de excommunicatione; ratio tamen, quæ traditur, etiam in ſuſpenſione locum habet, ſcilicet quòd eo ipſo, quòd ius non reſeruat abſolutionem, videtur etiam concedere poteſtatem habenti, quæ ratio non militat in parocho non iuriſdictionem habente, ad imponendas cenſuras, atque ita ſolùm ex commiſſione ſibi facta *in cap. nuper*, poteſt ab excommunicatione abſoluere, quæ commiſſio facta eſt ad alias cenſuras: quòd ſi talis abſolutio reſeruata ſit Pontifici, & delictum ſit occultum, poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare, ex Concilio Tridentino ſuprà allegato. & ita docet Layman *lib. 1. tract. 5. part. 3. c. 4. n. 2.* Auila *part. 3. diſp. 6. dub. 1. concl. 3. & 4.* Cornejo *in 3. part. tract. 5. de ſuſp. diſp. 5. dub. 2. q. 1.* Filliucius *vbi infrà*, & Hurtadus *de ſuſpenſione diffic. 12. n. 31.* vbi ſic ait. Dicendũ eſt ſuſpenſionem à iure latam & cenſuram ſiue generalem, qua communitas; ſiue ſpecialem, qua particulares perſonæ ſuſpenduntur, poſſe quoties non reſeruatur, auferri ab Ordinario ſuſpenſi, vt efficaciter deducitur ex *c. nuper 29. de ſententia excommunic.* quia ex vna parte in abſolutione illius, nullius tribunal turbatur, cùm non fuerit lata ab homine, & ex altera eo ipſo, quòd non reſeruatur, videtur concedi inferiori, aut in eo relinqui facultas ad id, aliàs non eſſet neceſſaria reſeruatio, ſi Ordinarius non poſſit non reſeruatam auferre: eam tamen non poteſt proprius Parochus, & multo minus ordinarius Confeſſarius auferre, quia tantùm habet iuriſdictionem in foro interiori, ſeu ſacramentali, in quo nequit ſuſpenſionem auferre, quamuis poſſet excommunicationem, quia ſuſpenſio non impedit abſolutionem à peccatis, ſicut impedit excommunicatio. Hæc Hurtadus. Sed quoad hoc vltimum diſſentit Viualdus *in ſuo Candelabro tit. de ſuſpenſ. nu 31.* quem affert, nec improbat Filliucius *tom. 1. tract. 17. cap. 4. num. 70.* & hanc opinionem tenet etiam Præpoſ. *in 3. part. quæſt. 3. de ſuſp. dub. 4. nu. 31.* quando ſuſpenſio lata eſt indefinitè, & quando ponitur in pœnam propter peccatum præteritum, ſi retineat rationem cenſuræ. Verùm cum Hurtado ſentit Layman *lib. 1. tract. 5 part. 3. cap. 4. nu. 2.* Auila *part. 3. diſp. 6. dub. 1. concl. 2.* Henriquez *lib. 13. cap. 35. num. 3.* aſſerentes Parochum & alios confeſſarios non poſſe abſoluere à ſuſpenſionibus, etiam à iure communi non reſeruatis.

RESOL. XXIV. *An ſuſpenſio lata ſub conditione, v. g. donec ſatisfaciat, vel reſtituat, ſequuta ſatisfactione, tollatur ipſo facto ſine aliqua abſolutione?*

REſpondet negatiuè Suarez *diſp. 29. ſect. 2. nu. 14.* Alter. *tom. 2. diſp. 8. cap. 2.* Gordonus *tom. 2. lib. 7. quæſt. 14. num. 77.* & Filliucius *tom. 1. tract. 17. cap. 4. n. 72.* Si ſuſpenſio ſit lata tanquam cenſura, & non in puram pœnam. nam cenſura propriè dicta non tollitur niſi per abſolutionem, & ſenſus illius conditionis non eſt talem abſoluendum eſſe ante ſatisfactionem, ea autem poſita, nihil obſtare, quominus poſſit abſolui.

Sed affirmatiuæ ſententiæ ego adhæreo, quam tuetur Cornejo *in 3. part. tract. 5. de ſuſp. diſp. 5. dub. 2. quæſ. 1.* Dico igitur dictam ſuſpenſionem ſine expreſſa vlla abſolutione tolli impleta conditione. Et ita docet Layman *lib. 1. tract. 5. p. 3. c. 4. n. 1.* Hurtadus *tract. de ſuſp. diffic. 12. nu. 29.* & Bonacina *de cenſ. diſp. 3. punct. vlt. num. 1.* Nec valet dicere quòd excommunicatio lata cum hac conditione, *donec ſatisfeceris*, non ceſſat poſita ſatisfactione, ſed adhuc auferenda eſt per abſolutionem. ergo idem dicendum videtur de ſuſpenſione. Nam reſpondent aliqui negando maiorem, aliqui verò reſpondent negando conſequentiam, tum quia iudices inferiores Summo Pontifice videntur maiorem facultatem habere circa ſuſpenſionem, & interdictum, quàm circa excommunicationem, propterea ſicut poſſunt ferre ſuſpenſionem & interdictum ad aliquem ſolum effectum, ita videntur poſſe illas cenſuras ferre cum hac conditione, vt illa adimpleta ceſſent, quod non accidit in excommunicatione, tum quia ita vſu & praxi receptum eſt in ſuſpenſione, & interdicto, non verò in excommunicatione. Et ideo poſt hæc ſcripta inuenio noſtram ſententiam docere Portel *in dub. Regul. ver. ſuſpenſio, n. 11.* Vega *in ſpeculo Curat. tom. 2. cap. 12. §. 15. n. 138.* & doctus Anguianus *de leg. lib. 2. contr. 3. n. 48.* vbi ſic ait. Inter excommunicationem ex vna parte, & ſuſpenſionem & interdictum ex alia, illa videtur præcipua differentia, quòd interdictum atque ſuſpenſio nullam expoſcunt certam formam, neque verba requirunt, vt ceſſent & ſuſpendantur; contrà verò

verò excommunicatio maior certam formã prę-requirit ad hoc vt excommunicatus etiam ſecuta ſatisfactione abſoluendus ſit, ſicuti probant non-nulla iura ad id plus quàm expreſſa; inter quæ primum locum tenet text. ſic interpr. *in c. ſeruetur 2. quæſt. 3.* ibi, *quouſque Epiſcopo ſuo viſum fuerit humaniorem circa eos ferre ſententiam.* nec minùs confirmat textus *in d. cap à nobis*, ibi, *Abſolutionis etiam forma.* & *in d. cap cùm deſideres*, in illis verbis, *Niſi fuerit ſecundùm formam Eccleſiæ*, &c. quibus iuribus apertè demonſtratur abſolutionis certam præfinitamque formam in Eccleſia Catholica receptam eſſe, quæ ſub aliqualibus verbis vinculi relaxationem denotantibus concedatur, neceſſe eſt. vnde deducitur per ſequelam ad relaxationem interdicti & ſuſpenſionis ſufficere quidem tacitam Superioris voluntatem, quæ reſultat ex illis verbis, *ſuſpendo, vel interdico donec ſatisfecerit.* quippe vbi non requiritur expreſſa abſolutio, ſeu relaxatio, ſufficit tacita ex mente proferentis interdictum, ſiue ſuſpenſionem deprehenſa, ex reg. *l. 3 ff. de reb. cred. & ſi cert. petatur.* Secus dicendum eſt in excomm. cuius abſolutio non poteſt ex coniecturis, & tacita excommunicantis mente deduci, ſed expreſſa deſideratur. Hæc Anguianus, qui iuſtè carpit Ripam *in c. 1. de iudic. num. 24.* contrariam ſententiam docentem quoad interdictum.

RESOL. XXV. *An ablata contumacia ceſſet ſuſpenſio ipſo iure ſine vlla abſolutione?*

AD hoc dubium reſpondet Turrian. *lib. 4. diſp. 45. dub 2.* vbi ſic ait. Reſtat explicandum quid ſit faciendum, ſi receſſit à contumacia, & offert ſatisfactionem. Aliquorum opinio eſt in hoc euentu non egere abſolutione hominis, ſed ipſo facto manere abſolutum. Ita Innoc. *in c. ſicut, de cohabit. Cler. & mulier & in c. ex literis, de conſt.* hæc enim ſuſpenſio eſt ſimilis latæ vſque ad certum tempus, quia in ea videtur tacitè ineſſe conditio, niſi receſſerit à contumacia, & ſatisfecerit. Secunda opinio in hoc euentu eſſe neceſſariam abſolutionem. Ita Syluſter *ver. ſuſpenſio. num. 8.* & mihi placet, quia non video ius aliquod, quo ſit ſtatutum hanc ſuſpenſionem tolli ipſo facto. ergo requiritur abſolutio, neque probatur includere à principio eam conditionalem abſolutionem, quia abſolutè fertur. Hæc Turrianus. cuius ſententiam tenet etiam Suarez *diſp. 21. ſect. 2. nu. 14.* Faber *de cenſ. in 4. ſent. diſt. 25. q. 1. diſp. 6. c. 2 n. 54.* Mercerus *de Sacr. in 3 part. q. 24. dub. 5.* Layman *lib 1. tract. 5. part. 3. cap. 4. numer. 2.* Gordonus *tom. 2. lib. 7. quæſt. 14. cap. 14. n. 76.* & Portel *in dub. regul. ver. ſuſpenſio, num. 11.*

Non deſinam tamen hîc adnotare inſignem Iuriſconſultum Couarruuiam *in epit. 4. Decret. p. 2. c. 6. n. 15.* docere ſuſpenſionem latam ob contumaciam æquiparari ſuſpenſioni latæ ad certum tempus, & per ſe ipſam finiri ceſſante contumacia, vt proinde non ſit opus abſolutione alia. Fundatur hæc opinio *in c. ex literis, de conſt. & Can. Presbyter, 2. quæſt. 5.* Confirmatur, quia ſuſpenſio lata ſub hac conditione, donec reſtituas, vt habetur *c. quia ſæpe, de elect. in 6.* ceſſat per ſe ipſam impleta conditione, vt docet gloſſa. ergo hæc ſimiliter. Rurſus de excommunicatione maiori ſpecialiter eſt cautum quòd non tollatur per ſolam reſipiſcentiam abſque abſolutione, *c. cùm deſideres, de ſent. excomm.* Denique *c. qua fronte*, ſtatuitur ab excommunicatione & interdicto abſolutionem eſſe præſtandam ſub cautione iuratoria, etiam parte contradicente, vel appellante, & nulla fit mentio ſuſpenſionis ſimiliter tollendæ per abſolutionem. ergo per ſe euaneſcit. & ita hanc ſententiam præter Couarr. tenet ex Theologis Sayrus *de cenſ. lib. 4. c. 17. num. 8.* Vnde puto hanc ſententiam probabilem eſſe, quã præter Doctores citatos mordicus defendit ex noſtris Pater Megalius *in 3. p. lib. 5. c. 2. q. 1. nu. 2. & 3.* vbi reſpondet ad omnia argumenta, quæ pro negatiua ſententia adducit Suarez. Vide etiam Nauarr. *c. 27. n. 195. in fine*, & Toletum *lib. 1. c. 47. n. 1.*

RESOL. XXVI. *An ſuſpenſus à ſuſceptione Sacramentorum incurrat irregularitatem ſuſcipiendo illa?*

RESpondeo negatiuè, quia in tali caſu non violatur ſuſpenſio per exercitium Ordinis ſacri, & licet Bonacina *de cenſ. diſp 3. punct. 4. num. 6.* citet pro contraria ſententia Maiolum *lib. 3. de irregul. c. 19. nu. 20. ver. duodecima*; nihil tamen Maiolus ibi agit de hac re, imò *n. 16.* apertè noſtram ſententiam docet. Vnde aduertãt Lectores ne confidant in citationibus Doctorum, quas adducit Bonacina, nam ſæpiùs, pace viri quidem docti, adducit authores pro aliqua ſententia qui contrariam docent, vt fecit in caſu noſtro.

RESOL. XXVII. *An ordinatus per ſaltum incurrat ipſo facto ſuſpenſionem?*

ESſe talem ſuſpenſum ipſo iure ab Ordinis ſic ſuſcepti adminiſtratione, tradit Hoſtienſis & Panormit. *in c. vn. de Cler. per ſaltum promoto.* Cornejo *in 3. part. tract. 5. de ſuſpenſ. diſp 4. caſ. 4.* Nauarrus *cap. 27. num. 242. ver. ſexto.* Martinus de Ledeſma *2. 4. quæſt. 26 art. 2. de irreg. pag. 366.* Sotus *in 4. diſt. 25. q. 1. art. 4 poſt concl. 4. §. Tertius* Sebaſt. Medices *p. 2. tit. 9. q. 35. verſ. 7.* Vriald. *de ſuſp. num. 48.* Summa Coronæ *tract. de irregul. num. 19. verſ. Tertiò.* Philiarchus *de offic. ſacerd. lib. 4. c. 12. n 5.* Zerola *in praxi Epiſc. p. 1. ver. dimiſſoria §. 3. & 4.* Maiolus *lib. 4. c. 12. nu. 1.* Sayrus *in theſaur. lib. 7. cap. 10 num 39.* Henriquez *lib 6. de irregul. c. 13. n. 5 & lib. 14. c. 6 n. 3.* Tolet. *lib. 1. ſummæ, c. 50. n. 17.* Valentia *tom. 4. diſp. 7. q. 19 punct. 3 §. 5.* Suarez *de cenſ. diſp 31. ſect. 1. dub. 2. concl. 2.* Probatur hæc opinio ex *cap ſollicitudo, diſt. 52* ex *cap. vn. vbi ſuprà*, & ex Concil. Trid *ſeſſ. 23. c. 14. de reform.*

Non deſinam tamẽ hîc adnotare cum Acugna *in Decr. Gratiani part. 1. diſt. 52. cap. 1. n. 9.* contrariam ſententiam eſſe probabilem, ſcilicet talem non eſſe ipſo iure ſuſpenſum ab Ordine malè ſumpto, ſed ſuſpendendum tenent hîc Archidiac. Geminian. Præpoſ. & Turrecrem. Innocent *in cap ſi celebrat, de Cleric. excom. miniſtr.* Angel. *ver. Irregularitas, num. 36.* Tabiena *ver. Irregularitas 4. §. 2. concl. 5.* Armilla *ver. irregularitas num. 68.* Fundatur, quia ex nullo textu talis ſuſpenſio ipſo iure colligitur, vt benè expendit Suarez *diſp. 31. ſect. 1. num. 44.* licet ipſe affirmatiuam ſententiam teneat.

Notan-

Notandum ſecundò, quòd licet promotus per ſaltum ſit impeditus ad ſuperiores Ordines ſuſcipiendos, hoc impedimentum non eſt irregularitas. ita ego alibi, & expreſsè Aula *de cenſ. part. 7. diſp. 9. ſect. 1. dub. 2. concl. 1.* & ſi irregularitas eſſet, illam ſecundùm Ludouicum à San Iuan *in ſum. de Sacram. Ord. q. 2. ar. 5. dub. 11. diffic. 6. concl. 3.* poſſet Confeſſarius approbatus per Cruciatam diſpenſare.

Notandum tertiò contra Zerolam *in praxi p. 2. ver. irregularitas, dub. 3.* quòd cum ſic promoto per ſaltum poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt prætermiſſum Ordinem ſuſcipiat, & vt in Ordine malè ſuſcepto miniſtret, & ad ſuperiores aſcendat, quamuis delictum ſit publicum, dummodò talis in malè ſuſcepto Ordine, vel prætermiſſo non miniſtrauerit ante diſpenſationem, quia tunc iam fit irregularis. Et ita docet Maiolus *lib. 4. de irreg. c. 12. nu. 2.* Nauarr. *in Man. cap. 25. num. 71.* Emanuel Rodriquez *2. p ſum. c. 17. n. 9.* Sayrus *lib. 5. c. 14. n. 26. & 27. & lib. 7. c. 10. n. 40.* Henriquez *lib. 14. c. 6. n. 3.* Suarez *de cenſ. diſp 31. ſect. 1. n. 51.* Aula *de cenſ. part. 7. diſp. 9. ſect. 1 dub. 2. §. ſequitur ſecundò.* Fundamentum eſt, quia Tridentinum ita conceſſit cum hac limitatione Epiſcopis *ſeſſ 23. de reform. c. 14.* Ampliat hanc doctrinam Nauarr. vt poſſit Epiſcopus diſpenſare etiam poſt adminiſtrationem in malè ſuſcepto, ſi adminiſtratio fuit ex ignorantia, cum quo ſentit Toletus *in ſum. lib. 1 c. 50 n. 17.* citans pro ſe Panormitanum & gloſ. *hic & c. paſtoralis, de Sacr. non iteran.* Sed dicendum nunquam Epiſcopum diſpenſare poſſe, vbi talis fuit adminiſtratio, quæ irregularitatem induxerit. ita Doctores pro concluſione citati, & ſpecialiter Suarez *n. 52.* Tolet. *vbi proximè n. 18.* quamuis dicat probabile eſſe poſſe Epiſcopum cum adminiſtrante ſcienter in Ordine malè ſuſcepto diſpenſare, procul ſequuntur Geminianus, & Præpoſitus *hic*, & Hoſtienſis, & hanc ſententiam docet etiam Riccius *part. 4. deciſ. 108. nu. 3* Et tandem notandum quartò hanc ſuſpenſionem tolli per Bullam Cruc. ita Granadus *in 3. part. tract. 5. de ſuſpenſ. diſp. 4. caſ. 4. quæſt. 2.*

Resol. XXVIII. *An ordinatus per ſaltum ſit ſuſpenſus ab Ordinibus quos legitimè ſuſcepit?*

Respondeo ordinatum per ſaltum eſſe ſuſpenſum tantùm ab eo Ordine, quem per ſaltum ſuſcepit, & ita miniſtrando effici irregularem, non autem ab vſu Ordinum inferiorum, quos legitimè ſuſceperat, tenent Henriquez *in ſum. lib. 14. cap. 6. §. 3.* Aloyſius Riccius *in praxi rerum fori Eccleſ. deciſ. 318. in 1. edit.* aliàs *reſol. 276. n. 2. in 2. editione*, & in deciſione Curiæ Arch. Neapolit. *part. 4. deciſ. 150. nu. 8.* Mar. Alter. *d. c. 5. ver. hac ſuppoſita.* Bonacina *de ſuſpenſ. in particulari diſp. 3. q. 1. punct. 2. n. 10.* Aula *de cenſ. part. 7. diſp. 9 ſect 5 dub. 2. concl. 2.* Suarez *de cenſ. diſp 31. ſect. 1. n. 42* Vnde non eſt audiendus Nauar. *c. 27. n. 242.* & Maiolus *de irreg. lib. 4. c. 12.* contrarium docentes.

Resol. XXIX. *An qui miniſtrauit in Ordinibus per ſaltum ſuſcepto indigeat Apoſtolica diſpenſatione, vel ſufficiat Epiſcopalis?*

Apoſtolica indigere diſpenſatione docet Suarez *de cenſur. diſput. 31. ſect. 1. num. 52.* vbi negat Epiſcopum poſſe diſpenſare cum miniſtrante *in* malè ſuſcepto Ordine, vt in ipſo poſt ſuſceptum prætermiſſum miniſtret, & huic ſententiæ ego adhæreo, & idem docet Barboſa *de poteſtate Epiſ. part. 2. allegat. 47. num. 10* Maiolus *de irregular. lib. 4. cap. 12. num. 2.* Salzedus *ad Bernard cap. 24. lit. D* Sayrus *de cenſur. lib. 4. c. 14. nu. 26.* Alter. *d. cap 5. verſ. hoc in loco.* Filliucius *tom. 1. tract. 17. cap. 5. num. 91.* Riccius *in deciſ. Cur. Archiepiſc Neapolit. deciſ. 150. num. 5 punct. 4.* Homobonus *in examine Eccleſ. tract. 12 cap. 13. quæſ. 15. reſolut. 5.* Bonacina *de ſuſpenſ. in part. diſp. 3. quæſt. 1. punct. 2. num. 12.* & hanc ſententiam procedere non ſolùm in maioribus, ſed etiam in minoribus Ordinibus, ex ſacra Congregatione docet Riccius *part. 4. deciſ. 108. numer. 4.* & Campanili *in diuer. iur. Can. rubr. 10. cap. vn. num 6.*

Verùm non deſinam hîc adnotare doctum Acugnam contrarium docere *in Decretum Gratiani, part. 1. diſtinct. 52. cap. 1. nu. 13.* vbi ſic ait. Dico ſextò, Epiſcopus poteſt diſpenſare cum miniſtrante publicè & ſcienter ante diſpenſationem in malè ſuſcepto Ordine, vt prætermiſſum ſuſcipiat, & in malè ſuſcepto miniſtret. Fundamentum eſt, quia Epiſcopus ſolùm non poteſt diſpenſare cum malè promoto miniſtrante in taliter ſuſcepto Ordine, vt ad ſuperiores poſſit aſcendere, cùm id tantùm ipſi prohibeat Trident. *d. ſeſſ. 25 cap. 14. de reformat.* Ita Acugna.

Resol. XXX. *An ſi quis recipiat Ordines minores extra tempora ante legitimam ætatem, vel ſine litteris dimiſſoriis, incidat in ſuſpenſionem latam in Bulla Pij II. anno 1401.*

Respondeo negatiuè cum Riccio *p. 4. deciſ. 93. num. 6.* vbi ſic ait. Aduerte prædictam Pij II. Bullam ſolummodo loqui de ſuſcipientibus Ordines ſacros extra tempora, vel ante legitimam ætatem, aut ſine litteris dimiſſoriis, vel falſis, quod eſt idem, non tamen loquitur de prima Tonſura, vel de Ordinibus minoribus, ſtando etiam de iure communi in dictis caſibus non incurrebatur ſuſpenſio à ſuſcipientibus minores Ordines, vt latè probat Nauarr. *in Man. cap. 25. numer. 70. & cap. 27. num. 242.* vbi etiam aſſerit ſolummodò Pium II. ſuſpendiſſe ordinaros Ordinibus ſacris in dictis caſibus, & declaraſſe eſſe eos ipſo facto ſuſpenſos, atque irregulares ſi celebrent, non tamen ibi mentionem feciſſe de prima Tonſura, aut minoribus Ordinibus. Ita ille, cui adde Mirandam *in Man. præl. tom. 1. quæſt. 39 art. 7. concl. 1.* Henriquez *lib. 10. cap. 12. num. 2. in gloſſa lit. M.* Zerolam *in praxi Epiſc. part. 1. ver. dimiſſoriæ.* Toletum *lib. 1. cap. 49. numer. 5.* Campanili *in diuer. iur. Canon.*

Aduertendum eſt tamen quòd ex Concilio Trident. *ſeſſ 23. cap. 8.* ſic ordinati ſuſpenduntur ab Ordinum executione quamdiu proprio Ordinario videbitur, ideoque ſi ante obtentam licentiam à proprio Epiſcopo miniſtrent, fiunt irregulares, vt declarauit Congregatio Cardinalium. Ita docet Scortia *in Bulla Pontif epitome 39. theorem. 109.* & alij.

RESOL. XXXI. *An ſuſpenſus iuxta Bullam Pij II. quia ſuſcepit Ordines ſacros extra tempora ante legitimam ætatem, &c. diſpenſari poſſit ab Epiſcopo, vel à Superiore Regulari?*

NEgatiuam ſententiam docet Guttierrez *in qq. Canon.lib.1.cap.26.num.21.* vbi ſic ait,Qui extra tempora, vel ante ætatem legitimam, vel ſine dimiſſoriis promotus fuerit ad ſacros Ordines, ſuſpenſus eſt ipſo iure, donec abſolutionis beneficium à Papa fuerit conſecutus, non tantùm vſque ad ætatem legitimam, provt de iure exiſtimabat Sotus,& probatur *in cap.cùm quidam, & c.literas, de temp.ord.* ſed etiam hodie perpetuò, donec abſoluatur,vt *in d.Extrauag. Pij II.* Ita ille.& nouiſſimè hanc ſententiam ex aliis Doctoribus tenet Riccius *part. 4.deciſ.93.num.14.*

Sed contrariam ſententiam tenet Suarez *de cenſ. diſput.31.ſect.1.num.32.*Hieron. Rodriquez *vbi infrà*, & Hurtadus *tract.de ſuſpenſ.diffic.13. num.36.* vbi ſic ait,Ordinatus ſcienter, aut ex ignorantia affectata ante legitimam ætatem, aut extra tempora, aut abſque dimiſſoriis, manet ſuſpenſus ab Ordine ſic ſuſcepto,per Extrauag.Pij II. cõfirmatam à Pio V. cuius mentionem facit Auila *3.part. diſp.5. dub.7.*ab ea tamen ſuſpenſione poteſt Epiſcopus abſoluere, quamuis Sixtus V. *in Extrauag. ſanctum & ſalutare*, abſolutionem illius reſeruauerit Papæ, quia eam reuocauit Clem.VIII.Hæc Hurtadus.

Notandum eſt etiam hîc poſſe Superiores Regulares abſoluere ſuos ſubditos ſic ſuſpenſos. & ita docet Portel *in dub.regul.ver. Ordinis ſacri ſuſpenſ. n.14.*& Hieron.Rodriq.*in Compen. qq.reg. reſol.106. num.26.*& idem dicendum eſt de irregularitate ob id contracta.Vide etiam Henriquez *lib.14. cap.20. num.3.*& Beiam *part.4.caſ.37.*

RESOL. XXXII. *An qui non ſolùm cum ignorantia inuincibili, ſed etiam moraliter vincibili & craſſa ordinatur ante legitimam ætatem extra tempora, &c. incurrat ſuſpenſionem latam à Pio II.*

RESpondent aliqui affirmatiuè. Ita Fuſchus *de viſit.lib.2.c.28. nu.37.* quia non decet ignorare, quod communiter omnes ſui Ordinis ſciunt, & ideò Riccius *part.4.deciſ.91.num.6.* tutiùs exiſtimat in tali caſu diſpenſationem obtinendam eſſe. & Bonacina *de cenſ.diſp.3.punct.5.§.1. n.2.* abſolutè,docet,quòd ſi aliquis ex ignorantia moraliter vincibili ordinetur ante legitimam ætatem, incurrit hanc ſuſpenſionem.

Verùm ego puto,vt docui cum Portel *in 3. part. tract.4.reſolut.192.* ſic ordinatum nullam incurriſſe ſuſpenſionem,neque celebrando irregularitatem, & ita etiam docet Præpoſ.*in 3.p.q. vn. de ſacrament. Ord.dub.17.n.167.*vbi ſic ait. Aduerte eum, qui ante legitimam ætatem præſumit ſacrum Ordinem recipere,incurrere ſuſpenſionem,per *Extrauag.cùm ex ſacrorum*,Pij II.quam refert Nauarr.tum alibi, tum *c.27.ſummæ,num.125.*vbi notat bonam fidem, vel etiam ignorantiam craſſam excuſare à cenſura. Vnde qui bona fide,vel etiam ex ignorantia craſſa eſt ordinatus ante ætatem, quamuis nequeat vti Ordine antequam ad illam peruenerit,vbi tamẽ pertigerit ad legitimam ætatem, poteſt eo vti abſque peccato, & violatione cenſuræ, quod eſt notandum pro variis, qui minùs prudenter ſuſcipiunt ſacros Ordines ante legitimam ætatem, qui non ſunt ſtatim cenſendi hanc cenſuram incurrere, & non poſſe vti Ordine ſine diſpenſatione, cùm ad legitimam peruenerint ætatem. Sic ille. Cui adde etiam Hurtadum *tract.de ſuſp.diffic.13.num.36.* Villalobos *in ſum.tom.1.tract.11.diffic.11. num. 6.* Coninck *de Sacr.diſp.16.dub.5.num.36.*

Notandum eſt tamen hîc cum Auila *de cenſ. p. 3. diſput.5.dub.7.§.quinto*, quòd licet aliquis incurrerit hanc ſuſpenſionem, quia ordinatus eſt cum dolo, tamen ſi poſtea facta pœnitentia celebret,credens id ſibi licere,non incurrit irregularitatem,nam etiam ad hoc requiritur dolus.Ita Nauarr.*c.27. n.156. & in cap.accepta, loco citato.* Imò longè certius eſt de irregularitate, quàm de ſuſpenſione, nam verbum *præſumpſerint*, abſque vlla controuerſia cadit ſuper irregularitate, vt patet ex verbis ipſius Extrauag. iam citatis.Ita ille.

RESOL. XXXIII. *An Sacerdos aſſiſtens matrimonio clandeſtino incurrat poſt Concil. Trid. ſuſpenſionem triennalem,de quo* in c. vlt. §. final. de clandeſtin. deſponſat.

POEnam ſuſpenſionis triennalis ab officio, non tamen ipſo facto impoſitam *in d.cap. Parocho*,vel alio Sacerdoti aſſiſtenti matrimonio clandeſtino ſine aliis teſtibus non eſſe ſublatam per Concilij Tridentini decretum *ſeſſ.24.cap.1.de matrimonio*;ſed præterea licere Epiſcopis in illos alia pœna arbitraria animaduertere,tradũt Coninck *de Sacr.diſp.27. dub.10.n.84.*Alterius *de cenſ.tom.2.diſp.11.c.5.*Barboſa *de poteſt.Epiſc part.2.alleg.32.n.162.* Maiolus *de irreg. lib.3.c.23.n.16.* Ledeſma *in ſum.tom.1. de Sacram.matrimon.cap.6.concl.4.dub.16.*& alij.

Verùm Sanchez *tom.1.lib.3. diſp.48. num.4.* contrariam ſententiam docet, cui ego libenter adhæreo cum Hurtado *de matrim.diſp.5. diffic.17. num.55.* aſſerente dictam ſuſpenſionem triennalem ceſſaſſe,quia rationi conformẽ eſt, vt quando lege noua imponitur mitior pœna, quàm erat impoſita lege antiquiori,ceſſet antiqua, præſertim quando tempore legis nouæ delictum ſit factum minus pernicioſum Reipublicæ. ergo per pœnam arbitrariam impoſitam noua lege Tridentin.ceſſat antiqua ſuſpenſionis triennalis, quia illa arbitraria eſt mitior, & poſt Decretum Trident. matrimonium ſic factum,vtpote nullum,eſt minus pernicioſum Reip. quàm antea,quando validum manebat.

Nota etiam hîc vnum valde obſeruandum, quòd in Concilio Tridentio *vbi ſuprà*, ſtatuitur, vt Parochus, aut alius Sacerdos adhuc Regularis, qui auſus fuerit matrimonialiter coniungere, aut benedicere alienos Parochianos abſq; licentia Parochi proprij, ipſo iure ſuſpenſus maneat donec ab Ordinario Parochi, ad quem id pertinebat, abſoluatur, ac proinde ob rationem ſupradictam corrigitur, & ceſſat pœna excommunicationis contra Religioſos matrimonia ſolennizantes, lata *in Clement. 1. de priuileg.* quod declarauit Congregatio Cardinalium, cuius declaratio apertè

fauet

fauet noſtræ doctrinæ de ceſſatione ſuſpenſionis triennalis. Et hæc omnia docet Hurtadus *loco citato num.*56.

Notandum eſt etiam hîc obiter, quod ſtando in prima opinione, ſuſpenſum ab officio, quia interfuit matrimonio clandeſtino, non eſſe ſuſpenſum à beneficio, quia *dict. cap. vltim.* ſolùm mandat eſſe ſuſpendendum ab officio. & ita docet Alterius *loco citato*, & Barboſa *num.*165.

RESOL. XXXIV. *An ſuſpenſus ex ordinatione ante legitimam ætatem poſſit celebrare illa completa ſine alia diſpenſatione?*

NEgatiuè reſpondet Cornejo *in 3. part. tract. 5. de ſuſp diſputat. 4. caſ 3.* vbi ſic ait. Durat autem hæc ſuſpenſio etiam poſt completam ætatem, donec per Pontificem relaxetur, aut ſi ſit occulta, per Epiſcopum, aut etiam in foro conſcientiæ per Bullam. vbi nota quòd quamuis iſte ante complementum ætatis abſoluatur ab hac ſuſpenſione, adhuc non poteſt in Ordine ſuſcepto miniſtrare. Et ſi dicas, quid ergo operatur abſolutio? dico operari vnum eſt quòd impleta ætate poſſit ſtatim exercere illum Ordinem, & alterum; quòd ſi exerceat illum ante ætatem, quamuis mortaliter peccet, non incurrit irregularitatem. Ita Cornejo. Cui adde Hieronymum Rodriquez *in Compend. qq. Reg. reſol.*106. *num.*14 Henriquez *lib.*13. *cap.* 38. *num.* 1. *in gloſſa litera* F. Bonacina *de cenſur. diſputat.* 3. *quæſt.*1. *punct.*1. *numer.* 12. & alios. Sed diſtinguit Toletus *lib.*1. *cap.*49. *numer.*4. Suarez *de cenſur. diſput.* 31. *ſect.*1. *numer.* 25. Auila *part.* 3. *dub.* 7. *not.*8. & 9. Nauarrus *cap.*27. *num.* 155. & alij. Nam ſi quis inculpabiliter omnino ante legitimam ætatem ſuſcepit Ordinẽ, & iam eſt in ætate legitima, abſque incurſu irregularitatis poteſt exercere actum ſui Ordinis, quia intentio Pontificis fuit tali caſtigatione reprimere temeritatem taliter delinquentium. Si verò ſuſcepit culpabiliter, vt ſi ſciebat vetitum, licet neſciret impoſitam cenſuram, indigeret relaxatione ſuſpenſionis, licet iam peruenerit ad legitimam ætatem, iuxta præſentem conſtitutionem. Poſſet tamen ſic ſuſpenſus excuſari ab irregularitate, ſi temerariè quidem ſuſcepit Ordinem, ſed facta pœnitentia illius malæ ſuſceptionis bona fide credens iam ob legitimam ætatẽ ſibi licitum eſſe Ordinis exercitium, actum exerceret, vt ſentit Nauarr. & Suarez *locis ſuprà citatis*, eo quòd carentia præſumptionis poſſit excuſare ab irregularitate, etſi à ſuſpenſione non excuſarit. Sicut ſæpè bona fides excuſat ab irregularitate, quæ non excuſat ab excommunicatione, iuxta gloſſ. *cap. ſolet, de ſent. excommun. lib.*6.

Non deſinam tamen hîc adnotare abſolutè affirmatiuam ſententiam docere Cordubam *caſ.* 144. & Sotum *in* 4. *ſent. diſtinct.*25. *quæſt.*1. *art.*2. *in fin.* cum Medina *in Inſt. lib.*1. *cap.*11. §. 6.

Nota etiam quòd iſte talis ante ætatem ordinatus incurrit duas ſuſpenſiones, vnam ob delictum, alteram verò ob defectum ætatis, ac proinde abſolutus à prima, non cenſetur abſolutus ab alia, nec poteſt miniſtrare donec attingat legitimam ætatem, & ita docet Hieron. Rodriquez *vbi ſuprà*, Suarez *de cenſ. diſp.* 23 *ſect.*3. *num.* 4. & Portel *ver. Ordines ſacri, num.*12.

RESOL. XXXV. *An ſuſpenſus propter Ordines ſuſceptos ante legitimam ætatem poſſit exercere Ordines alios ritè ſuſceptos?*

NEgatiuè reſpondet Villalobos *in ſumm. tom.* 1. *tract.*18. *diffic.*11. *num.*2. vbi ſic ait. [Tanbien ſe aduierta que ay duda entre los Dotores, ſi el que deſta manera ſe ordena, queda ſuſpenſo de ſolo el Orden que recibe, o de todos los Ordenes. A lo qual ſe ha de reſponder, que deſpues de la Extrauagante de Sixto V. quedan ſuſpenſos de todos los Ordenes, porque dize, eoſdem Clericos poſthac malè promotos ab executione, miniſterio, & exercitio Ordinum ſuſceptorum, & ab omni ſpe & facultate aſcendendi ad alios ſuperiores perpetuò ſuſpenſos declaramus. y aſſi lo tienen Nauarro y el P. Fray Manuel Rodriguez; aunque Henriquez parece que tiene, que ſolamente eſtà ſuſpenſo del Orden, que deſta manera recibe, y dize que es probable. Auila pareciendole que habla ſolo Sixto V. de la ſuſpenſion que hablò Pio II. y no mas.] Ita ille.

Sed affirmatiuam ſententiam cum Henriquez & Auila ego teneo, quam etiam tenet Scortia *in Bulla Pontif. epit.*39. *theor.* 109. vbi docet huiuſmodi ſuſpenſionem impedire ſolum vſum Ordinis malè ſuſcepti, & in quo deliquit, & conſequenter etiam ne vlteriùs aſcendat, non autem ne vtatur Ordine inferiori ſi legitimè illum ſuſcepit, idque indicant verba illa, *ſi ſuſpenſione durante in eiſdem ordinibus miniſtrare præſumpſerint, eo ipſo irregularitatem incurrant.* In eiſdem ſcilicet malè ſuſceptis, quibus ſuſpenſi ſunt, & non in quouis Ordine, vt etiam iure antiquo ſuſpendebantur ab executione Ordinis ſolius malè ſuſcepti, ex gloſſa *c. conſultationi, de tem. ord.* & ex Concil. Trid. *ſeſſ.*14. *c.*2. *de reformat.*

RESOL. XXXVI. *An ſi quis ſuſcipiat duos Ordines maiores eadem die, incurrat ipſo facto ſuſpenſionem?*

AFfirmatiuam ſententiam docet ex Nauarro Turrianus *de cenſ. lib.*5. *diſp.*46. *dub.*1. vbi ſic ait. Prædicta ſuſpenſio ſumitur ex *cap. literas, de tempore ordin.* circa quod caput dubitari ſolet, an ibi ſit lata ipſo facto ſuſpenſio, vel imponatur ferenda? Et communis ſenſus videtur aſſerentium eſſe ſuſpenſionem latam. Ita ille, qui hoc intelligit non ſolùm quando quis ſumeret duos Ordines eadem die naturali, ſed etiam eadem die iuris fictione canonica. v.g. prohibitum eſt die Sabbati vnum Ordinem ſuſcipere, & alium die Dominico matutino tempore, etiam ſeruato ieiunio Sabbati, talis enim dicitur vnus dies iuris fictione, & ſumitur ex Leone Papa *ep.*79. *cap.*1. & habetur *c. quod à Patribus* 75. *diſt.* & hoc etiam docet Bonacina *de cenſ. diſputat.* 3. *punct.*1. §. 1. *num.* 4. ſi ſuſcipiat eodem die minores Ordines cum Subdiaconatu.

Verùm contrariam ſententiam ſecuram eſſe docet Suarez *de cenſ. diſp* 31. *ſect.*1. *num.* 41. & idem docet Villalob. *in ſum. tom.*1. *tract.*18. *diffic.*11. *num.*7. vbi ſic aſſerit. [El que ſe ordenaſſe de dos Ordenes

ſacros

ſacros en vn dia, tiene pena de ſuſpenſion, como conſta de vn texto en aquellas palabras, ab executione officij ſacerdotalis tamdiu volumus manere ſuſpenſum, donec de illo aliter diſponamus, y dudan los Dotores ſi eſtas palabras cõtienen ſuſpenſion ipſo iure, o ſolamente ferenda, lo qual dexò en duda Panorm. Nauar. y dize, que es ipſo iure, y la llama irregularidad en otra parte, y Suarez dize, que es ſola cenſura ferenda, cuya opinion ſe puede ſeguir en pratica.] Hæc ille.

Notandum eſt etiam hîc obiter contra Venerum *in Exam. Epiſc. lib. 1. c. 18. nu. 13.* Mayolum *de Irregul. lib. 4. c. 11. n. 1.* Menochium *caſ. 564. de arbitr. n. 8.* & alios, quòd Ordines minores cum Subdiaconatu poterit Epiſcopus ſimul conferre, vbi vigeret de hoc conſuetudo ante Concil. Trid. Ita Villalobos *tom. 1. tract. 11. diffic. 12. à nu. 3.* Hieron. Rodriquez *in Compen qq. reg. reſol. 106. n. 21.* Alzedus *in praxi Epiſc. p. 2. c. 5. num. 24.* Guttierrez *in qq. Can. lib. 1. c. 26. n. 31. & 32.* Velaſc. *in alleg. 4. num. 2.* & alij.

RESOL. XXXVII. *An ſuſpenſus ex ordinatione ante legitimam ætatem, ſi canat Euangelium & Epiſtolam in eadem Miſſa incurrat irregularitatem?*

AFfirmatiuè reſpondet Hurtadus *tractat. de ſuſp. diff. 13. num. 36.* vbi ita ait. Sacerdos ſimoniacè ordinatus non fit irregularis ex eo, quòd conſecret cum Epiſcopo ordinante, quia tunc eius ordinatio non eſt completa, quia nondum ei conceſſa eſt poteſtas abſoluendi à peccatis, ac proinde tunc nondum incurrit ſuſpenſionem, quia hæc tantùm incurritur ob peccatum completum ordinationis. Imò Suarez *diſp. 31. ſect. 1.* & Ægidius excuſat ab irregularitate canentes Epiſtolam & Euangelium in eadem Miſſa, quia actiones illæ non cenſentur fieri poſt ordinationem, quia ordinatio durare cenſetur, quamdiu durat Miſſa in qua fit. Nos tamen id exiſtimamus falſum, quia actiones illæ verè fiunt poſt iam perfectam ordinationem Subdiaconi & Diaconi. Ita Hurtadus, & ante illum Auila *de cenſur. part. 3 diſp. 5. dub. 7. §. Dico ſecundò.*

Sed ſententiam Suarez & Coninck, quam ipſe falſam vocat, nouiſſimè docet etiam Mercerus *de Sacram. in 3. p. q. 24. dub. 7.* vbi ſic aſſerit. Tertia ſuſpenſio fertur per Pium V. contra eos, qui ante legitimam ætatem, aut extra tempora collationi Ordinum decreta ſcienter accipiunt ſacros Ordines. Iſti ſuſpenduntur ab Ordinibus ſic ſuſceptis.

Notandum quòd Sacerdos ordinatione ſua incurrens hanc ſuſpenſionem, non fit irregularis conſecrando ſimul cum ordinante, neque Diaconus tunc canens Euangelium, quia actus hi non fiunt, moraliter loquendo, poſt ordinationem, quæ durante officio durare cenſetur. Ita ille. Cui etiam adde Coninck *de Sacr. diſp. 16. dub. 5. nu. 36.* ita enim ait. Nota Sacerdotem ſua ordinatione incurrentem hanc ſuſpenſionem non fieri irregularem cõſecrando ſimul cum ordinante, quia tunc nondum eius ordinatio perfecta eſt, & conſequenter nec ſuſpenſio perfectè incurſa; ſecus autem eſt, ſecundùm aliquos, de Diacono canente Euangelium in eodem Sacro, quia hæc eſt actio Ordinis ſequens perfectam ordinationem. Probabilius tamen Suarez *diſp. 31. ſect. 1. n. 17.* etiam de hoc id negat, quia hi actus, moraliter loquendo, non fiunt poſt ordinationem, quæ cenſetur durare, quamdiu durat Officium. Vnde immeritò hanc ſententiam doctus Hurtadus falſam vocauit, eſt enim probabilis, & tuta in praxi.

RESOL. XXXVIII. *An Epiſcopus ordinans ſubditum alienum ex ratihabitione incurrat ſuſpenſionem Concilij Trid. ſeſſ. 23. c. 8.*

AFfirmatiuam ſententiam docet Turrianus *de cenſ. lib. 5. diſp. 46. dub. 1.* vbi hęc ait. Ego exiſtimo ſecluſa ignorantia ex ſola ratihabitione non poſſe ordinare alium Epiſcopum, neque conferre Ordinem non ſibi ſubdito per ſolam ratihabitionem de futuro. Et primò quantum ad forum exterius iudicabitur ſuſpenſus talis ordinatus, quia verè ordinatus eſt ab altero ſine licentia proprij, & præſertim ſi non conſtet de ratihabitione. Proinde abſolutè ille ordinatur ſine licentia proprij, quia ratihabitio de futuro non eſt licentia de præſenti, & ita vt licitè fiat ordinatio, requiritur vt ordinatus ſit ſubditus ordinantis, vel quòd de licentia proprij ordinetur. Denique, quia talis opinio poſſet eſſe cauſa damnorum in Eccleſia & ſcandali, & ideo in praxi admittenda non eſt. Et ita hanc ſententiam docet etiã Bonacina *tom. 3. diſp. 3. q. 1. punct. 11. n. 14.* Pariſius *vol. 4 conſ. 136.* Mandoſ. *in regul. 24. Cancell. q. 4. n. 10.* Rebuffus *in praxi Epiſc. tit. de form. dimiſſ. num. 11. & 29.*

Verùm ab iſta cenſura excuſari aliquos caſus, in quibus ponitur ratihabitio rationabilis, ex Suarez docet Reginaldus *in praxi tom. 2. lib. 32 tract. 2. c. 24. ſect. 3. n. 69.* vbi ita ait. Sunt autem aliquot caſus in quibus excuſatio datur ab ea cenſura. eos Suarez perſequitur *in cit. ſect. nu. 15.* & aliquot ſequent. Primus eſt, quando ignorantia inuincibilis excuſat à mortali culpa ſuſcipientem ſic Ordinem ſacrum. Secundus quando proprius Epiſcopus eſt & ipſe ſuſpenſus ob ordinatum alienum, tunc licet ſine ipſius licentia adire alium, à quo Ordines ſuſcipiantur, iuxta *c. eos qui, §. fin. de temp. ord. in 6.* Tertius eſt, quãdo quis per triennium fuit de familia Epiſcopi alieni, hic enim illum, dummodo ſtatim det ei beneficium poteſt promouere, ex conceſſione Concil. Trid *ſeſſ. 23. de reform. c. 9.* Intellige autem de Epiſcopo ordinario, quia ei, qui tantũ eſt titularis, talis promotio eſt interdicta *in præced. ſeſſ. 14. c. 2. de reform.* Quartus eſt quãdo vnus Epiſcopus ordinat ſubditum alterius Epiſcopi ſub ſpe rationabili eiuſdem ratihabitionis, ex *c. vlt. 9. q. 2.* vbi allegatur factũ D. Epiphanij, qui iſto modo ordinauit in Diœceſi D. Chryſoſt. Hæc Reginaldus, & Barboſa *in Collect. Doct. ad Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 8. n. 36.* Hanc etiam ſententiam tenet gloſſ. *in cap. Lugdunenſis 9. q. 2. ver. quod ſanctus.* D. Thom. *in 4 diſp. 25. in expoſit. litera.* Mayol. *de irregular. lib. 4. c. 2. n. 7.*

Sed hanc ſententiam Auila *de cenſ. p. 3. diſp. 5. dub. 7. §. dico quintò*, intelligit de ratihabitione de præterito vel de præſenti, expreſſa ſigno aliquo exteriori, non tamen putat ſufficere ſpem ratihabitionis de futuro. His tamen non obſtantibus primam ſententiã abſolutè tenet Sanchez *in opuſc. lib. 7. c. 1. dub.*

dub.20.num.13. poſt Concil. Trident. vbi docet non poſſe Epiſcopum proprium talem ordinationem ratam habere. Sed quia ſecunda ſententia habet pro ſe multos Doctores, quos præter citatos vide penes me ipſum *in 3.part.tract.4.reſol.191*, puto probabilem eſſe.

RESOL. XXXIX. *An qui ab Epiſcopo excommunicato vitando ignoranter ſuſcipit Ordines, incurrat ſuſpenſionem?*

REſpondet affirmatiuè Filliucius *tom.1.tract.7. cap.5.num.81.* Bonacina *de cenſ.diſp.3.punct.5.§.1. n.7.* Idem docet Suarez *de cenſ.diſp.31.ſect.2. num.62.* quia hæc ſuſpenſio non eſt pœna, & ideo ad illam incurrendam non requiritur culpa, quod probatur ex *c.ſi quis 1.quæſt.1. & cap. ab excommunicatis 9.q.1.* & iura videntur loqui etiam in caſu ignorantiæ.

Verùm mihi cum Turriano *de cenſ. lib.5. diſp.46. dub.2.* negatiua ſententia videtur probabilis, quia iura non loquuntur expreſsè, & poſſunt explicari de ignorantia culpabili; ſi enim ſit inculpabilis, omnino nõ probatur ordinatum incurrere hanc ſuſpenſionem, & idem contra Bonacinam & Suarez *num.63.* puto dicendum cum Turriano de illo, qui Ordinem recipit à dicto Epiſcopo per metum cadentem in conſtantem virum.

RESOL. XL. *An qui ordinatur non ſeruatis temporum interſtitiis, vt, v.g. Diaconus non elapſo anno ab ordinatione Subdiaconatus, incurrat ſuſpenſionem?*

AFfirmatiuè reſpondet Portel *in dub. regul. ver. ſuſpenſio.n.14.* vbi ſic ait. Ille qui ordinatur non ſeruatis interſtitiis, ita vt inter Subdiaconatum & cæteros ſuperiores Ordines deficiat annus, incurrit ſuſpenſionem, non verò incurret ſi deſit annus inter Ordines minores, Concilium enim ſolùm loquitur de Ordinibus maioribus, & de minoribus inter Subdiaconatum remittitur ad vſum Prouinciæ. Hæc ille, qui malè citat Suarez.

Sed negatiuè reſpondendum eſt, quia nulla ſuſpenſio incurritur in iure expreſſa. ergo. Et ita docet Suarez *de cenſ.diſp 31 ſect.1.n.43.* verum eſt quòd peccabit, ſi faciat hoc abſque licentia Epiſcopi, nam facit contra præceptum Trident. *ſeſſ. 23. cap. 11.* & præter Suarez contra Portel hanc ſententiam docet Filliucius *tom.1.tract.17.cap.5.num. 86.* vbi ſic ait. Non ſeruantur interſtitia ſi diuerſis quidem diebus, & legitimis temporibus, ſed non ſeruatis debitis interſtitiis, duo Ordines ſacri ſumantur, contra ſtatutum Trid. *ſeſſ.23.cap.13.* in quo vult poſt ſuſceptum vnum Ordinem ſacrum, annum integrum debere elabi, antequam alius recipiatur abſque diſpenſatione Apoſtolica; nulla tamen pœna eſt impoſita, nec ita ſeuerè prohibitum, quin Epiſcopus nõ poſſit diſpenſare ex cauſa rationabili. Et quamuis Sixtus V. impoſuerit pœnam ſuſpenſionis ipſo facto, tamen deinde ſublata eſt per Clem. VIII. quare nec etiam erit ſuſpenſus, qui ſine diſpẽſatione recipit Subdiaconatum ante lapſum annum ab altero minori, licet grauiter peccet contra Trident. *ſeſſ 23.c.11. de refor.* In receptione autẽ Ordinum minorum nulla requiruntur interſtitia, ſed poſſunt recipi eodem die, ſi ita videatur Epiſcopo, cui ſe remittit Trident. *loco cit.* Ius autem antiquum *in cap.ſingulis, diſt.77.* eſt antiquatum. Ita ille, & ego.

Notandum eſt tamen hîc obiter primò quòd Abbas in caſibus, in quibus Tonſuram, & minores Ordines conferre poteſt, diſpenſare valet in interſtitiis. Ita Campanili *in diuerſ. iur. canon. rubr.12. c.13.num.43.* Barboſa *de poteſtate Epiſc.part.2. alleg.18. num.3.& 11.* cum Miranda *in manuali, tom.1.quæſt.38. art.7. concl.3.* & hoc procedit etiam eo caſu, quo Abbates ſuos ſubditos cum dimiſſoriis remittunt, vt ab Epiſcopis ordinentur, nec tunc examinãdos eſſe ab Epiſcopis, non obſtante Concilio Trid. vt obſeruat Villalobos *tom.1.tract.11. difficult.12.nu.4.* ex Nauarro *conſ.14.num.1.de priuil.* tradit Barboſa *in Collect.Doct.in Conc.Trid.ſeſſ.23.cap.10.num.5.*

RESOL. XLI. *An Epiſcopus cenſura ligatus tempore, quo Epiſcopatum recipit, incurrat ſuſpenſionem?*

AFfirmatiuè reſpondent Doctores, qui tenent Epiſcopatum eſſe Ordinem, quos citat, & ſequitur Sanchez *opuſc.tom.2.lib.7.cap.1. dub.9. num.2. & 3.* cum Palacio *in 4.ſent.diſt.24.qu.2.* Bellarm. *l.1. de ſacr.Ord.cap.5.* Nauarro *c.22.nu.18.* Valent. *tom.4. diſp.9.quæſt.1.punct.4.* Granado *de Sacrament.in 3.part. contr.9.tr.1.diſp.2.nu.15.* Præpoſito *in 3.part. q. vnic.de ſacram.Ord.dub.6.* Vaſq. *tom.3.diſp.240. c.3.* Fornario *de ſacr.Ord.cap.1.* Coninck *de Sacram.diſp.20. dub.2. num 9.* Emanuël Sà *ver.Ordo, nu.7.* & aliis. nam qui recipit aliquem Ordinem cenſura innodatus, ſuſpenſionem incurrit, ex *cap. cùm illorum, de ſentent. excommunicationis.*

Verùm quia cõtrariam ſententiam, nempe Epiſcopatum non eſſe Ordinem, tenet cum D. Thom. *in 3.part.quæſt.40.art.5.* Schola Patrum Dominicanorũ, vt Nugnus *loco cit.* Sotus *de Iuſt. lib.10. quæſt.1.art.2.& in 4.diſt.24.quæſt.2.art.3.* Ledeſma *de Sacram.Ord.dub.5.& ſeq.* Viguerius *in inſtit. c.16.§.6.* D. Anton. *3.part.tit.14.c.16.§.8.* Sylueſtro *ver.ordo, 1. qu.1.dub.3.* Ferrar. *contra Gentes, lib.4.cap.76.* Tabiena *ver.Epiſc.quæſt.8.* & alij. Ideo puto probabiliter cum Bonacina *de cenſ.diſp.13 punct.5 §.1.num.11.* à ſuſpenſione eximi poſſe illum, qui Epiſcopatum recipit tempore, quo cenſuræ vinculo detinetur, quia, vt dictum eſt, ex mente ſupradictorum Auctorum Epiſcopatus non eſt Ordo. ergo.

RESOL. XLII. *An Abbates conferentes Tonſuram, vel minores Ordines aliis, quàm ſuis ſubditis Regularibus, incurrant ſuſpenſionem?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Sayrus *de cenſ. lib.4.cap.13 num.5.* vbi ſic ait. Abbas etiam Regularis ſubditis laicis Tonſuram, aut minores Ordines conferens, aut eiſdem literas dimiſſorias, vt ab aliis ordinentur, concedens, ab officio, & beneficio per annum ipſo iure ſuſpenſus eſt; vt habetur in Concil. Trident. *ſeſſ.23.de reform.cap.10.*

Sed fallitur, quia Cõcil. Trid. imponit ſuſpenſionẽ, vt legenti patet, tantummodo concedentibus dimiſſorias, eamq; ad Abbates, & ad alios, etiam ad Capitula Cathedralis Eccleſiæ ſimiles dimiſſorias concedentes (excepto caſu quando Sedes

Epiſco-

Epiſcopalis per annum vacauit) extendit, ergo dicta ſuſpenſio non eſt extendenda ad ordinantes. Et ita hanc ſententiam docet Bonacina *de cenſ. diſp. 3. punct. vlt. nu. 12.* Vide etiam eumdem Bonacinam *tom. 3. diſp. 3. quæſt. 1. punct. 11. n. 4.* Vnde ego olim rectè conſului Abbatem Benedictinum Ordinibus minoribus conferentem non incurriſſe ſuſpenſionē; licet ſecundùm aliquos non poſſit dictos Ordines conferre alienis ſubditis, etiam cum dimiſſoriis proprij Epiſcopi, de qua quæſtione latiùs *infrà in tract. 2. miſcellan.*

Notandum eſt hîc à fortiori contra Maiolum *de irreg. lib. 4. c. 2. n. 11.* Abbates conferentes Ordines minores Nouitiis non eſſe ſuſpenſos. Ita Sayrus *vbi ſuprà*, Henriquez *lib. 13. cap. 38. num. 2. in gloſſ. lit. A.* & Bonacinam aſſerentē peccare ſupradictos Abbates ordinantes Nouitios, ſed non incurrere in ſuſpenſionem. Sed putat neque peccare Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 29. num. 12.* gloſſa *in cap. Abbates, ver. conuolauerint, de priuileg. in 6.* & alij.

RESOL. XLIII. *An Abbates concedendo dimiſſorias Nouitio incidant in ſuſpenſionem?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Bonacina *de cenſ. diſp. 3. punct. vlt. n. 13.* vbi ſic ait. Abbatem cōcedentem Nouitio dimiſſorias ad ſuſcipiendos Ordines, incurrere ſuſpenſionem, ſi Nouitius Clericali Tonſura initiatus iam ſit. nam huiuſmodi Clericus nondū eſt Religioſus, & in hac parte præſumitur & reputatur Clericus ſecularis, & quoad Ordines ſuſcipiendos habetur pro non ſubdito ipſi Abbati. Si verò concedat dimiſſorias ad primam Tonſuram, probabiliter mihi dicendū videtur Abbatem non ligari ſuſpenſione, quia Concilium loquitur de iis, qui dimiſſorias concedunt Clericis ſecularibus: Nouitius autem carens prima Tonſura non dicitur Clericus, præſertim ſecularis. Ita ille.

Sed tu prorſus contrariam ſententiam tene. Superiores enim Regulares, qui habuerint ſpeciale priuilegium concedendi ſuis Monachis literas dimiſſorias ad quemcumque Epiſcopum, licet in illo non exprimatur, quòd illud valeat Nouitiis communicare, poſſe tamen etiam Nouitiis illas, vt à quocumque Epiſcopo ordinentur, ſicut cæteris Monachis profeſſis concedere, tenent Sanchez *in præcept. Decal. tom. 2. lib. 6. c. 10. in fine.* Io. Baptiſta Tiber. *in inſtruct. pro ordinan. cap. 7. quæſ. 50.* Barthol. de Vecchis *in praxi obſeruanda in admitten. ad relig. ſtat. nouitiis, diſp. 11. quæſt. 8. num. 3. ver. ſi verò.* Tamburin. *de iure Abb. tom. 2. diſp. 2. quæſt. 7. nu. 2.* & alij, quos alibi ego ipſe citaui.

RESOL. XLIV. *An Monachi Benedictini incurrant ſuſpenſionem ſi non vtantur habitu præſcripto* in Clem. 1. §. ſi quis autem, de ſtatu Monach.

REſpondeo affirmatiuè; ſed nota ad hanc cenſuram incurrendam non ſolùm requiri culpā mortalem, verùm etiam præſumptionem. nam in textu dictæ Clement. dicitur, *portare præſumpſerint*, quod verbum importat dolum & temeritatem. Et ideo ab hac ſuſpenſione excuſatur non ſolùm qui cum inaduertentia huius prohibitionis Clementinæ habitum in ipſa prohibitum defert, verùm etiam qui ſcienter eo vtitur ad breue tempus. Imò Suarez *de cenſ. diſp. 31. ſect. 6. n. 10.* & Bonacina *de cenſ. diſp. 3. punct. vlt. num. 14.* putant ad hanc ſuſpenſionem incurrendam requiri vt Monachus Benedictinus vtatur habitu ſibi prohibito per modum ordinarij habitus.

RESOL. XLV. *An Epiſcopus conferens primam Tonſuram in aliena Diœceſi incurrat ſuſpenſionem?*

VIdetur affirmatiuè reſpondendum, & ita docet Campanili *in diuerſ. iur. canon. rubr. 6. cap. 1. num. 2.* & Barboſa *in Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 5. n. 9.* vbi docet Epiſcopum non poſſe in aliena Diœceſi conferre primam Clericalem Tonſuram ſuis ſubditis, abſque licentia Ordinarij loci, & ideo aliter faciētes incurrerent ſuſpenſionē latam in Trid. *vbi ſup.* Item etiam docet Alterius *tom. 2. diſput. 10. col. 2. ver. quòd ſi.* Rebuffus *in pract. Benefic. tit. de Clericis ad ſacros Ordines malè promotis, gloſ. 1. num. 4.* & alij.

Verùm mihi contraria opinio probabilis etiam videtur, & ratio eſt, quia Concilium loquitur de Epiſcopo conferente Ordines. Sed prima Tonſura non eſt Ordo, ſed initiatus ad Ordines, & ſolet concedi ſine exercitio Pontificalium. ergo, &c. & ita docet Tolet. *lib. 1. cap. 49. n. 4.* Azorius *tom. 2. lib. 3. cap. 48. q. 5.* Fornarius *de ſacr. Ord. c. 5. §. 4. not. 4.* Molfeſius *in ſumma, tom. 1. tract. 2. cap. 2. n. 15.* Henriquez *lib. 3. cap. 6. num. 6.* & alij.

Notandum eſt etiam hîc obiter cum Turriano *de cenſ. lib. 5. diſput. 46. dub. vlt.* & aliis, licere Epiſcopo ordinare proprios ſubditos in aliena Diœceſi ſi habeat licentiam ordinandi ſubditos Epiſcopi illius Diœceſis.

RESOL. XLVI. *An ordinati cum dimiſſoriis Capituli Sedis vacantis infra annum incidant in ſuſpenſionem?*

AFfirmatiuè ex Concilio Trid. *ſeſſ. 7. cap. 10.* reſpondendum eſt cum Turriano *de cenſur. lib. 5. diſp. 46. dub. vlt.* & aliis. Verùm hîc non deſinam adnotare.

Primò quòd poteſt Capitulum Sedis vacantis infra annum concedere dimiſſorias ei, qui eſt præſentatus à patrono laico ad beneficium Eccleſiaſticum iuriſpatronatus ipſius, vt illud obtinere valeat. Ita Garçias *de benef. p. 5. c. 7. n. 93.* Molfeſius *in ſumm. tom. 1. tract. 6. c. 7. n. 50.*

Secundò poteſt anno durante Epiſcopo extero concedere exercitium Pontificaliū, & ordinationem propriorum ſubditorum, nō tamen ſubditorum Sedis vacantis. Ita Piaſecius *in praxi Epiſc. p. 1. c. 1. art. 2. n. 10.* Henriq. *lib. 10. c. 22. num. 1.* Quaranta *in ſumm. Bull. ver. Capitulum Sede vacant. quæſt. 11.* & alij.

Tertiò dico poſſe quoque Capitulum Sede vacante ante lapſum anni vacationis obtinenti facultatem à Sede Apoſtolica ſuſcipiendi Ordines à quocumque Antiſtite Catholico cum licentia proprij Ordinarij (provt ſemper in conceſſionibus huiuſmodi clauſula de petenda Ordinarij licentia apponitur) facultatem hanc ſubordinatam concedere

dere poteſt, & Barboſa *de poteſt. Epiſcopi, p.2. alleg.7. num.14.* & alij.

Et tandem quartò poteſt Capitulum Sede vacante teſtimonium idoneitatis facere. Ita Barboſa *vbi ſuprà, num.16.* & alij, licet Moneta *de commutationibus vlt. volunt. cap. 10. n.182.* referat modernum Curiæ Romanæ ſtilum habere, vt Sede Epiſcopali vacante, ipſæ quoque teſtimoniales dentur ab Epiſcopo viciniori.

RESOL. XLVII. *Quidam relictis Ordinibus minoribus Subdiaconatum recepit, quæritur an ſuſpenſionem incurrerit?*

VIdetur reſpondendum quòd ſic, vt ego alibi probaui. nam pœnas impoſitas illis, qui ordinantur per ſaltum, dicunt Doctores, eſſe ſuſpenſionem ad non exercendum Ordinem ſuſceptum, & inhabilitatem ad alios ſuſcipiendos, & irregularitatem, ſi miniſtrent in Ordine ſuſcepto. ergo talis in prædictas pœnas incurriſſe dicendus eſt.

Sed contrarium probabiliter ſuſtineri poteſt. fauet huic dicto Nauarr. *conſ.28. de ſentent. excomm. à num.11. vſque ad 15.* vbi ait, quòd recipiens Ordines minores exiſtens excommunicatus, non incurrit irregularitatem ad alios recipiendos. Quod probat primò, quia iura loquentia de malè promotis, quæ ibi citat, loquuntur ſolùm de malè promotis ad Ordines ſacros, non verò de malè promotis ad Ordines minores. Secundò quia minùs peccãt iſti, quàm illi. Tertiò, quia iuxta opinionem multorum ſatis probabilem, quos ibi citat, Ordines minores non ſunt ſacramenta, ſed ſacramentalia, & proinde non eſt eadem ratio puniendi promotos per ſaltum in Ordinibus minoribus, ac in maioribus. Quartò, quia Bulla Pij II. puniens ordinatos ante legitimam ætatem, vel extra tempora, vel ſine litteris dimiſſorijs, non punit ſic ordinatos in minoribus, ſed in maioribus Ordinibus. Quod ipſum ego colligo ex duobus textibus loquentibus de promotis per ſaltum. Primus eſt *in cap. ſolicitudo, diſt.52.* qui ſolùm loquitur de illo, qui ſuſcepit Ordinem Diaconi & Preſbyteri, omiſſo Ordine Subdiaconi. Secundus textus eſt *in cap. vnico, de Clerico promoto per ſaltum*, qui ſolùm loquitur de Subdiacono, qui omiſſo Ordine Diaconi recepit Ordinem Sacerdotis, & nullus ex his loquitur de ſaltu in Ordinibus minoribus: vnde videtur, quòd accipere maiores, omiſſis minoribus, non ſit propriè ordinari per ſaltum, maximè quia pœnæ ſunt reſtringendæ, non extendendæ, idque præcipuè quando militat diuerſa ratio, vt hîc militat, iuxta Nauar. quia ſcilicet Ordines minores non ſunt ſacramenta, & circa illorum omiſſionem committatur minus peccatum. Semper tamen dico hunc peccaſſe grauiſſimè, & teneri ad ſuſcipiẽdos Ordines minores. Hæc Portel *in reſp. part.3. caſ.41. q.2. n.3.*

RESOL. XLVIII. *An ordinatus ſine titulo cum ſola fideiuſſione alimentorum, ſit ſuſpenſus?*

REſpondeo negatiuè, quia cauſa legis condendæ & mens legiſlatoris eſt attendenda, vt patet ex *l. nominis tui ff. de verb. ſignif.* & docet Pariſius *vol.3. conſ.16. num.20.21. & 22.* quia mens & anima ipſius legis eſt ratio, quæ vbicumque habet locum, vbi locum habet legis diſpoſitio, etiam quod eſſet contra ius commune, ex *l. à Titio, ff. de verb. ſignif.* Sed mens & cauſa finalis, ob quam diſpoſitio Concilij Trid. *ſeſſ.21. c.2.* cauet ne dentur Ordines ſacri non habentibus beneficium, vel penſionem, aut patrimonium, ea fuit, ne Clerici mendicent. ergo quoties prouidetur, vt fit cum fideiuſſione alimentorum, mendicanti huiuſmodi, ſatisfactum eſt menti, & cauſæ finali legis, & conſequenter diſpoſitioni, & ideò ſic ordinatus non incurrit ſuſpenſionem. Ita Grilenzonius *conſ.14.* per totum.

RESOL. XLIX. *An Clerici publicè concubinarij ſint ſuſpenſi?*

ESſe ſuſpenſos ipſo iure, docet Nauarr. *cap.29. n.76. & c.27. n.154* & probatur primò ex *cap. vlt. de cohabitatione Cler. & mul.* & ex *cap. ſi qui ſunt, diſt.81. c. nullus, & c. præter diſt.32 & cap. vlt. 15. quæſt.8. & cap. Sacerdos, diſt.50.* ſed contrariam ſententiam docet Sotus *4. diſt.1. q.5. art.6. & diſt.13. q.1. art.9.* vbi fatetur iure antiquo latam fuiſſe talem ſuſpenſionem, ſed iam ceſſaſſe, & Sotum ſequutus eſt Medina *in ſum. lib.1. c.11. §.8.* qui Doctores non aſſignant ius nouum, per quod fuerit antiquum abrogatũ, ſed per non vſum putant ceſſaſſe, & Suarez *diſp.31. ſect.4. à n.10.* hanc ſententiam docet, ait enim *n.1.* quòd licet probabile ſit in iure antiquo fuiſſe latam talem ſuſpenſionem, tamen ex vſu & conſuetudine ſatis conſtare non incurri eam ſuſpenſionem propter tale crimen. Secundò probat ex Conc. Trid. *ſeſſ.25. cap.14. de reform.* vbi hoc videtur ſupponi, dicit enim hos Clericos puniendos ſuſpenſione, ſi opus fuerit iuxta ſacros Canones. ergo ſupponit iuxta eos nõ eſſe ipſo iure ſuſpenſos. Deinde à *n.12.* doctè oſtendit etiam ex iure antiquo non ſatis colligi hanc ſuſpenſionem latam. Et hæc omnia docet etiam Turrian. *de cenſur. lib.5. diſp.46. dub.5.* & Mercerus *de Sacr. in 3. part. q.24. dub.7. n.34.* & ideò Alterius *de cenſ. tom.2. diſp.9 c.5.* exiſtimat eũ qui Ordines recipit ab Epiſcopo notorio concubinario, aut fornicario, remanere ſuſpenſum ab Ordinis executione, cùm enim Epiſcopus ob huiuſmodi crimen ſuſpenſus careat vſu, & executione ſui miniſterij non poteſt vſum, & executionem Ordinum alijs conferre. Vide etiam Cornejo *in 3. part. tr.5. de ſuſpenſ. diſp.4. caſ.1.* qui licet aſſerat dictos Clericos eſſe ipſo iure ſuſpenſos, tamen putat, & rectè, per diſſuetudinem talem ſuſpenſionem eſſe abrogatam, & ita etiam docet Medina *in inſt. lib.1. cap.11. §.8.* Guttier. *in qq can. lib.1. cap.15. num.43.* & Auila *part.3. diſp.5. dub.2.*

RESOL. L. *An qui recipit Ordines cum patrimonio ficto incidat in ſuſpenſionem?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Nauar. *c.27. n.158.* Maiolus *de irreg. lib.4 cap.25.* Moſcoſus *in ſumm. tract.8. c.2. n.9.* Medina *in ſum. lib.1. c.11. §.8.* & alij, & ratio eſt, quia Concilium Trid. *ſeſſ.21. c.2. de reform.* aſſerit quòd videatur ſi patrimonium ordinandorum ſit verum. & ſtatim ſubiungit, *antiquorum Canonum pœnas ſuper his innouando.* In quibus verbis videtur innouare Canones *in c. neminem,*

*& cap. ſanctorum diſt.*50. in quibus definitur eſſe ſuſpenſos qui ordinantur ſine beneficio, aut patrimonio. Deinde Epiſcopus ſi hoc ſciret, dimiſſorias eis non præberet. ergo incurrit ſuſpenſionem latam à Pio II. contra ordinatos ſine litteris dimiſſorijs. Idem etiam docent plures Doctores, quos citat & ſequitur Bonacina *tom.3.diſp.3.q.1 punct.8.n.3.*

Verùm ego contrariam ſententiam teneo, & illam præter multos alios tenet Coninck *de Sacram. diſp.15.dub.5.n.38.* Turrian. *de cenſ. lib.5.diſp.46.d.1.* Auila *de cenſ. part.3.diſp.5.dub.5. concl.1.* & Villalobos *in ſumm. tom.1.tract.18.diffic.10.num.3.* ex quibus infert, [que el que ſe ordenò de Subdiacono, y renunciò el patrimonio, y ſe ordenò de Euangelio, y Miſſa no queda ſuſpenſo, y es llano, porque aquella renunciacion no vale, como conſta del Concilio Trid. y diximos arriba. Lo ſegundo, que tanpoco eſtà ſuſpenſo el que ſe ordenò à titulo de patrimonio, y mintio, diziẽdo que era ſufficiente, ni tanpoco el que deuia otro tanto como el patrimonio à cuyo titulo ſe ordenò, en eſpecial ſi contraxo las deudas, deſpues que tenia el patrimonio; porque ſegun el Concilio no ſe han de pagar eſtas deudas del patrimonio, que no ſe puede enagenar. Tanbien infiere que el que ſe ordena à titulo de patrimonio, el qual tiene en bienes muebles, no es ſuſpenſo, y lo tiene tanbien Nauarro, aunque la mente del Concilio es, que el patrimonio ſea en bienes rayzes: Item que tanpoco incurre ſuſpenſion el que ſe ordenò à titulo de beneficio, el qual aun no tenia tomada la poſſeſſion.] Ita ille, & nouiſſimè Hurtadus *tract. de ſuſpenſ. diffic.13. num.*38. vbi hæc ait, qui titulo ficto, vt ficto patrimonio, aut ficto beneficio, aut ficta penſione ordinatur, grauiter peccat, ſed non incurrit ſuſpenſionem, quia id nullo iure decernitur, quia Canon *neminem*, & Canon *ſanctorum* 70. *diſt.*70. vbi ſuſpenduntur, qui ordinantur abſque titulo, reuocati ſunt per *cap. cùm ſecundùm* 16. *de præbend.* ac proinde Trident. *ſeſſ.*21. *cap. de reformat.* vbi requirens titulum ad Ordinem ſacrum recipiendum, ſe remittit ad pœnas antiquorum Canonum contra eos, qui aliter ordinantur, non ſe remittit ad dictos Canones *neminem*, & *ſanctorum*, vtpote reuocatos per aliud ius ante Trident. ſed ad alios Canones, nempe ad ſuprà citatos *de ſimonia*, & ad alios vbi puniuntur ordinationes factæ abſque titulo, præſuppoſitis ſimoniacis pactis, aut eis æquiualentibus. Nec obſtat dicere quòd obtinuiſſe Reuerendas ex cauſa falſa, eſt idem, quod non obtinuiſſe illas, non inquam, obſtat, primò quia ipſi Epiſcopo incumbit ſufficientem facere informationem, quòd patrimonium eſt verum, vt ait Doctor Spino *in ſpeculo teſtamentorum, gloſſa* 18. *num.* 78. & colligitur ex Trid. *loco cit.* ibi, *Eo quoque priùs perſpecto patrimonium illud verè ab eis obtineri.* Secundò, nam ſi fictio patrimonij ſufficeret ad incurrendam illam ſuſpenſionem, etiam ſufficeret falſitas in probatione morum & generis. Vnde ex his patet quòd ego olim rectè reſpondi, non incurriſſe ſuſpenſionem quemdam Clericum, qui impetrauit à conſanguineo patrimonium, ad cuius titulum ordinatus fuit, & promittens cum iuramento, quòd ante donationem retrodonabit. Et ita hanc ſententiam docet Henriquez *lib.13. cap.37.num.2.* Fornarius *cap.8.num* 8. *de ordine.* & alij apud Garziam *de benefic. tom.2.part.2.c.5.n.24. & ſeq.*

An verò in aliquo caſu poſſit Epiſcopus diſpenſare vt quis ordinetur ſine patrimonio, reſpondet Auila *vbi ſuprà dub.16.* quòd in caſu raro poteſt, vt ſi ſit vir doctus in Collegio, & gradu inſignis, de hoc enim certum eſt, quòd conſequitur cathedram, vel præbendam, aut beneficium, & per conſequens nulla eſt ſuſpicio, quòd mendicabit. Vnde Moſcolus *in ſum. tract.8.cap.2.n.10.* ſic ait. [Verdad es, que es opinion de graues autores, que vn Dotor de Alcala, o vn Catedratico de Salamanca puede ſer ordenado ſin beneficio, ni patrimonio, pues eſtan mas acomodados, y ſon mas importantes por la Igleſia que otros con beneficios, y patrimonios.] Et hanc opinionem docet etiam Henriq. *in lib.13.cap.37.num.2. in gloſſa lit.O.* fuiſſe in praxi deductam. Sed aliqui aſſerunt contra hanc ſententiam, vt ego alibi notaui, obſtare declarationem ſacræ Congregationis, & tenet Campanili *in diuerſ. iur.can.rubr.8.cap.4.num.6.* Garzias *de benef. p.2.cap.5. num.*128. Barboſa *de poteſt. Epiſc.p.2.alleg.19.num.*725. & alij. Sed an ordinatus, v.g. ad Subdiaconatum ſine titulo, poſſit aſcendere ad ſuperiores Ordines ſine diſpenſatione, vide Henriquez *lib.13. cap. 37. num.2. in gloſſa litera P.* Gordonum *tom.2.lib.7.cap.12. num.23.* Auilam *de cenſur. part.3.diſp.5.dub.6.* & Turrianum *de cenſ. lib.5.diſp.46 dub.1.*

RESOL. LI. *An Clericus vtens veſtibus prohibitis incurrat ſuſpenſionem?*

AFfirmatiuam ſententiam docet *ex cap.2.de vita & honeſt. Cler.* Cornejo *in 3.part. tract.5. de ſuſp. diſp.4.caſ.13.* Idem docet ex *Clem.2.eod.tit.* Mercerus *de Sacr. in 3.part.quæſt.24.dub.7.n.9.* Turrianus *de cenſ. lib.5.diſp.46.dub.3.* qui tamen cum Nauarr. *cap.27. n.*157. obſeruat ad incurrendam hanc cenſuram nõ ſufficere ſi quis ex peculiari occaſione ſemel vtatur veſtibus prohibitis, ſed Auila *de cenſ.p.3.diſp.5.dub.8.* docet quòd in tribus caſibus Clerici excuſantur ab hac pœna, primò qui geſtat has veſtes occultè, vt domi in ſtudio. Secundò, ſi geſtet ſecretò ſubtus alias veſtes, ita vt in publico non appareant. Sic Bernad. Diaz *cap.*75. Tertiò, ſi geſtet ob celebrationem alicuius feſti, vt doctoratus, nuptiarum, vel alterius ſimilis feſti, vel ob aliam iuſtam cauſam, Sic Bernard. Diaz & Nauarr. *cap.27.n.*157. & Henriquez *lib.13. de excommun. cap.39.num.3.* imò in gloſſa *lit.A.* teſtatur quoſdam recentiores aſſerere, quòd hæc pœna eſt derogata conſuetudine. Hæc Auila.

RESOL. LII. *An Sacerdos ſuſpenſus validè abſoluat?*

NEgatiuè reſpondet Sotus *in 4.diſt. 22. quæſt.1. art.5.concl.2. & diſt.*18. *quæſt.3.art.3.* dicens abſolutionem datam à ſuſpenſo eſſe nullam. Sed meritò hanc ſententiam ex eiuſdem familia refellit Victoria *in ſum. de Clauib.n.*227. & Caietan. *in 3.part. quæſt.*82. *art.9.* Vide etiam Nauarrum *cap.9.num.7.* quia ſi talis Sacerdos antea habebat iuriſdictionẽ, valida eſt eius abſolutio, vt apertè patet ex *Extrau.*

ad

ad euitanda, & ita hanc ſententiam docet etiam Ludouic. à Cruz *in Bull. Cruc. diſp. 1. c. 2. dub. 18. n 7.*

RESOL. LIII. *An Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poſſit abſoluere à ſuſpenſione incurſa per ordinationem ante legitimam ætatem?*

SVppono quòd poteſt Cõfeſſarius virtute Bullæ electus abſoluere ab omni ſuſpenſione, ſiue à iure, ſiue ab homine, & ab omni alia in ſupradicta diuiſione poſita, toties quoties, ſi non eſt reſeruata; ſi autem eſt reſeruata, ſemel in vita, & iterum in articulo mortis, excepta tamen ea ſuſpenſione, quæ incurritur ob receptionem Ordinum ante legitimam ætatem, de qua ſtatim. Ratio eſt; quia, vt manifeſtè conſtat, Bulla concedit facultatem abſoluendi ab omni cenſura: at ſuſpenſiones ſupradictæ ſunt cenſuræ, vt tenet communis Doctorum. ergo poſſunt abſolui virtute Bullæ. quod procedit etiamſi ſuſpenſio proueniat ex delicto publico, vt bene Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 13. num. 3.* quia Bulla non limitat ad delictum occultum, in quo Bullæ facultas, tum etiam & Commiſſarij, excedit eam, quam habet Epiſcopus per Trid. *ſeſſ. 14. c. 6. de reform.* quia ibi limitatur facultas Epiſcopis ad ſuſpenſiones, quæ ex delicto occulto proueniunt. Hoc ſuppoſito dico, quòd circa propoſitum dubium negatiuè reſpondet Rodriquez *in addit. ad Bull. Cruc. §. 9. num 59.* quia id non poteſt Commiſſarius, cuius poteſtas maior eſt ea, quam habet Confeſſarius per Bullam; ergo.

Sed ego affirmatiuæ ſententiæ adhæreo, quam tuetur Medina *in inſtruct. lib 1. cap. 11. §. 8.* Henriquez *lib 7. cap. 13. num. 3. in gloſſ lit. V.* Auila *de cenſ. p. 3 cap. 6. dub. 2.* & Trullenck *in Bull. Cruc. lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 16. n. 3.* & ratio eſt, quia Bulla abſolutè & ſimpliciter concedit facultatem abſoluendi ab omni cenſura, & ex alia parte nec explicitè, nec implicitè excipit dictam ſuſpenſionem. ergo cùm illa ſuſpenſio ſit cenſura, comprehenditur in generali illa facultate abſoluendi ab omni cenſura. Vnde ſuſpenſus ob malam promotionẽ ad Ordinem ante legitimam ætatem, poterit virtute Bullæ abſolui, non tamen in Ordine miniſtrare ante ætatis complementum, quia abſolutio ſuſpenſionis, non verò ætatis impedimentum tollere poteſt. Et ita hanc ſententiam præter Doctores citatos tenet etiam Cornejo *in 3. p. tract. 5. de ſuſpenſ. diſp. 4. caſ 3.* Dicendum eſt igitur virtute Cruciatæ poſſe Confeſſarium abſoluere ab omni ſuſpenſione, ſiue in ſacramento Pœnitentiæ, ſiue extra illud, ſiue ſuſpenſio ſit à iure, ſiue ab homine, ſiue pœnalis, ſiue nominatim, dummodo pars læſa modo poſſibili ſit ſatisfacta. Ita Trullenck *loc. cit.* qui etiam reſpõdet ad argumentum de Cõmiſſario, & hanc etiam opinionem tenet præter citatos DD. Auila *de cenſ. part 3. diſputat. 6. dub. 2.* vbi etiam notat, quòd per priuilegia conceſſa Societati IESV poteſt quis abſolui ab omni ſuſpenſione, & per conſequens etiam à Confeſſarijs noſtræ Religionis. Notat etiam Auila *ibidem*, & rectè, inuitum, vel abſentem poſſe abſolui à ſuſpenſione.

Notandum eſt tamen hîc obiter, ſuſpenſionem latam à Pio II. non extendi ad Epiſcopos ante ætatem ordinatos, vt patet ex ipſa Bulla præter generalem regulam, qua excluduntur ab his pœnis Epiſcopi, niſi ſpecialis eorum mentio fiat, ex *c. quia periculoſum, quæſt. 15. c. 12. §. 3. num. 15.*

RESOL. LIV. *An ignoranter promittens Epiſcopo ab eo alimenta non petiturus ſi ordinetur abſque titulo incurrat ſuſpenſionem?*

REſpondeo quòd *in cap. pen. de ſimon.* qui ordinat aliquem accepta ab eo promiſſione, aut iuramento, quòd non petet ab eo beneficium, aut alimenta; item cum tali promiſſione eum præſentans ad Ordinem, ſuſpenduntur per triennium, ille à collatione, hic ab executione Ordinum: ordinatus verò ab Ordine ſic ſuſcepto, donec à Papa abſoluatur, quod *c. per tuas nobis 37. eodem tit.* extenditur ad eum, qui neſciebat id eſſe illicitum. Sed hoc intelligendum quoad forum externum in quo præſumitur deliquiſſe, vt Suar. *diſp. 31 ſect. 1. n. 34.* & Coninck *de Sacr. diſp. 16. dub. 5. n. 37.* obſeruant. quibus etiam adde Hurtadum *tract. de ſuſp. diff. 13. n. 37.* Vnde ſic eſt intelligendus Gordonus *tom. 2. lib. 7. q. 15. §. 6. c. 12. n. 23.* aſſerens in tali caſu non excuſari ignorationem iuris: eſt, inquam, intelligendus quoad forum exterius, non autem interius.

RESOL. LV. *An qui ficto titulo impetrat dimiſſorias, incurrat ſuſpenſionem latam in eos, qui ſine literis dimiſſorijs ordinantur?*

AFfirmatiuè reſpondet Cornejo *in 3. part. tr. 5. de ſuſp. diſp. 4. caſ. 5. q. 2.* vbi docet tales duas ſuſpenſiones (licet ipſe dicat *irregularitates*, ex incuria librariorum, vel ſcriptorum) incurrere, vnam, quia ementito titulo ordinãtur; alteram, quia ſine literis dimiſſorijs. Idem etiam docet Coninck *de Sacram. diſp. 16. dub. 5. n. 38.* vbi hæc ait. Vtrùm literæ dimiſſoriæ dolo obtentæ ſint inualidæ, vt earum vi ordinatus incurrat ſuſpenſionẽ latam in eos, qui ſine literis ordinantur ab alieno Epiſcopo, dubium eſt. Quidam negant. Suarez verò ſuprà probabilius affirmat, quia conceſſa facultas non extenditur vltra mentẽ concedentis, nec videtur Epiſcopus velle vlla ratione conſentire in illius ordinationem, & conſequenter neque his literis dare facultatem. Et ita hanc ſententiam docet etiam Reginaldus *tom. 2. lib. 32. tract. 2. c. 25, num. 72.* Mercerus *de Sacr. in 3. part. quæſt. 24. dub. 7.* Hurtadus *tract. de ſuſpenſ. diff. 13. num. 38.* & Gordonus *tom. 2. lib. 7. q. 15. c. 12. §. 6. n. 24.* & alij.

Non deſinam tamen hîc adnotare Henriquez *lib. 13. cap. 37. num. 2.* contrariam ſententiam docere, ſic enim ait. Qui ob fictum patrimonium initiatur, non incurrit aliam ſuſpenſionem latam contra eos, qui abſque Reuerendis proprij Epiſcopi initiatur; quamuis enim per fraudem licentiam, & Reuerendas obtineat, eſt tamen vera licentia. Sic ille, & poſt illum Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 18. diff. 10. n. 3.* ita aſſerens. [Reſpondo que eſte llena reuerendas verdaderas, no obſtante que las aya alcancado con cauſa falſa, y que ſi el Obiſpo lo ſupiera, no ſe las diera. Lo vno, porque al Obiſpo le incumbe el aueriguar, ſi el patrimonio es verdade-

ro ò no, como conſta de aquellas palabras del Concilio, Eo quoque priùs perſpecto patrimonium illud verè ab eis obtineri. Lo ſegundo, porque ſi baſtara para incurrir la ſuſpenſion ſer fingido el patrimonio, tanbien baſtara la falſa probanca de buenas coſtumbres, y limpieza de linage, porque ſi el Obiſpo lo ſupiera, no diera las reuerendas.] Hoc etiam docet Auila, vt ſuprà viſum eſt *de cenſ. part. 3. diſp. 5. dub. 5. concl. 1. ad 3.*

Sed quid dicendũ de eo, qui patrimonio, aut donationi ſibi factæ renuntiauit, antequam literas dimiſſoriales, vel Ordinem reciperet, & Gordonus *tom. 2. lib. 7. quæſt. 15. cap. 12. §. 6. num. 24.* exiſtimat, quòd ſi valida non eſt hæc renuntiatio, non contrahi in hac promotione ſuſpenſionem, quia reuera ex valido titulo omnia geruntur: ſi autem valet renuntiatio, conſequens eſt deeſſe titulum, & proinde contrahi cenſuram. Nauarr. *c. 27. num. 158.* iudicat renuntiationem hanc (ſi fiat ante promotionem) eſſe inutilem, & minùs validam, ac proinde non contrahi cenſuram. Quod probabiliter defendi poteſt, quia tamen in dubium vocari poteſt valor renuntiationis, ideo ſecuriùs eſt abſolutionem petere ab hac ſuſpenſione expreſſis cauſis, vna, aut pluribus, prout illæ fuerint. Sed quia ego puto talem renuntiationem eſſe inualidam, puto nullam abſolutionem petendam eſſe.

RESOL. LVI. *An qui fuit ordinatus ipſo neſciente per munera, incurrat ſuſpenſionem, ſi poſtea hoc ratum habeat?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Auila *de cenſ. p. 3. diſp. 5. dub. 9. concluſ. 2.* ex D. Thom. *in 2. 2. quæſt. 100. art. vlt. ad 3.* vbi etiam loquens de promiſſione facta ab inimico fraudulenter (quo caſu ſecundùm omnes non incurritur ſuſpenſio) addit D. Thom. niſi fortè poſtmodum pacto conſenſerit ſoluendo, quod fuit promiſſum. & confirmatur; nam licet ille, qui non ratificando pactum ſoluit pecuniam ſe ignorante promiſſam ab amico, ne amicus patiatur hanc iacturam, non incurrit ſimoniæ pœnas, vt tradit Nauar. *conſ. 10. de ſimonia, n. 7.* at verò ſi ratificat, & ſoluit, incurrit, vt efficaciter probat Nauarr. *ibidem*, idemque tenet gloſſa *cap. penult. de elect. ver. ratum non habente.* vbi dicit, *Aliàs ſi poſtea conſentiret, idem eſſet, ac ſi ab initio procuraſſet.*

Verùm ego negatiuæ ſententiæ adhæreo cum Henriq. *lib. 13. cap. 37. n. 2. in gloſſa lit. E.* quia vt aliena ſimonia non impedit veram receptionem Ordinum, ita neque executionem illius, quando inculpatè recipitur. Imò plus addit Henriquez, nempe non incurrere ſuſpenſionem, vel irregularitatem ex eo, quòd poſt ordinationẽ ſciens amicum eius nomine promiſiſſe, aut dediſſe amico, hic enim quamuis ex praua intentione peccaret, non fit ſuſpenſus, quando nullo externo ſigno induxerit amicum, vt eſſet cauſa ſimoniacæ ordinationis, & noſtram ſententiam tenet etiam Bonacina *de cenſuris, diſp. 3. punct. 5. §. 1. n. 9.* vbi ſic ait. Recipiens Ordines ſimoniacè, ſed bona fide & ignoranter, non incurrit ſuſpenſionem: cùm ignorantia excuſet à cenſuris, vt accidit quando pater ipſo ignorante dedit Epiſcopo pecuniam, vt filio conferret Ordines, & hoc verum videtur, quamuis ille, qui ignoranter ordinatus eſt per ſimoniam, ratificet poſtea promiſſionem factam ab amico, nam ratihabitio non comparatur mandato in pœnis, niſi iure exprimatur. Ita ille, & ego.

RESOL. LVII. *An ſi quis renuntiat patrimonium poſt ſuſceptum Ordinem incurrat ſuſpenſionem?*

AD hoc dubium libet mihi reſpondere cum verbis Turriani *de cenſur. lib. 5. diſp. 46. dub. 1.* vbi ſic ait. Quæri poteſt an incurratur ſuſpenſio ipſo iure, ſi poſt ſuſceptum Ordinem fiat renuntiatio rei donatæ? De hac materia ſpecialiter Concil. Trid. *ſeſſ. 21. c. 2.* prohibuit alienationes rei donatæ ad Ordines ſuſcipiendos ſine licentia Epiſcopi, donec habeat ordinatus alia bona, ex quibus viuere poſſit. & ſine dubio violatio huius præcepti ex obiecto peccatum eſt graue, ſed non video ſuſpenſionem impoſitam eſſe propter tale peccatum. Ita Turrianus, cui addeGordonum *tom. 2. lib. 7. quæſt. 15. cap. 12. §. 6. num. 24. in fine.*

RESOL. LVIII. *An Regularis excommunicatus propter percuſſionem Clerici, ſi recipiat Ordines incurrat ſuſpenſionem?*

RESpondeo quòd Regularis Clericus, qui excommunicatus propter percuſſionem Clerici Ordines ſuſcipit, incurrere in ſuſpenſionem, *cap. cùm illorum, de ſentent. excomm.* quod quidem extendunt ad omnem irretitum cenſura. Sed cùm ex aliis iuribus id minus ſufficienter colligatur, &c. ſolùm agatur de præſenti caſu, talis extenſio non videtur admittenda, cùm pœnæ potiùs ſint reſtringendæ. Aduerte ad hoc vt ea cenſura incurratur requiri vt Ordo recipiatur ſcienter in contemptum diſciplinæ Eccleſiaſticæ, vt habetur *cap. cit.* Vnde qui ignorans excommunicationem præbere huiuſmodi impedimentum Ordines ſuſcipit, nõ incurrit cenſuram, quamuis ignorantia eſſet craſſa, vel etiam ſupina, & hæc omnia docet Præpoſitus *in 3. part. quæſt. 3. de ſuſpenſ. dub. 5. num. 38. & 39.* quæ quidem ſunt valde notanda.

RESOL. LIX. *An qui durante matrimonio ignoranter ſuſcipit Ordines, incurrat ſuſpenſionem?*

RESpondeo quòd ſuſpenſio incurritur ab eo, qui durante matrimonio etiam non conſummato præſumit ſuſcipere ſacros Ordines extra caſus à iure conceſſos. Ita *Extrauag. antiquæ*, Ioannis *de voto.*

Notandum ad hanc cenſuram incurrendam requiri præſumptionem; vnde qui ſolùm ex ignorantia procedit, licet craſſa, vel ſupina, non ſuſpenditur, & ſoluto matrimonio poteſt in Ordinibus miniſtrare, ſi nullum aliud intercedat impedimentum, & multò magis ſi bona fide proceſſerit, durante tamen matrimonio non poteſt: ſi præſumpſerit Ordinem ſuſcipere, non poteſt in eo miniſtrare etiam ſoluto matrimonio, nec poteſt ad alium aſcendere, vel promoueri ad officiũ, vel beneficiũ Eccleſiaſticũ. & niſi talis profiteatur in Religione approbata, ſolus Pontifex poteſt eum abſoluere, vt *Extrauag. cit.* Si profiteatur, poteſt Diœ-

ceſanus

ceſanus diſpenſare, vt *ibidem* habetur. Et hæc omnia docet Præpoſ. *in 3. part. quæſt. 3. de ſuſpenſ. dub. 5. num.* 40. Vnde ego olim ſine aliqua diſpenſatione celebrare feci poſt mortem vxoris quemdam ſic ordinatum, qui bona fide Ordinem ſuſcepit, credens coniugem eſſe mortuam.

RESOL. LX. *An tempore interdicti poſſit Miſſa celebrari in quocumque Oratorio ab Epiſcopo approbato?*

NEgatiuam ſententiam docet Turrian. *lib. 6. diſp. 49. dub. 1. & diffic. 7. num.* 18. vbi ſic ait. Conceſſio hæc fit pro Eccleſijs etiam Hoſpitalium & Monaſterij, vbi ordinariè fideles ſunt ad id congregati, non verò pro alijs locis extraordinarijs, quamuis approbatis ad celebrandum Sacrum, vt pro Oratorio approbato, quia non dicuntur Eccleſiæ, nec Monaſteria, & in dicto cap. vbi fit dicta conceſſio, tantùm fit mentio Eccleſiarum & Monaſteriorum, & multo minus pro locis non priuilegiatis. Sayrus ergo, & Auila, qui dicunt dictam conceſſionem fieri pro omnibus locis, etiam in quibus aliàs ſecluſo interdicto poſſunt diuina celebrari, nimis extendunt conceſſionem Pontificis. Exiſtimamus ergo extra dictas Eccleſias & Monaſteria non poſſe Miſſas quotidie celebrari, nec officia diuina conuentualiter dici. Ita Turrianus, & hanc ſententiam tenet etiam Mercerus *in 3. part. quæſt. 24. de interd. dub. 3.*

Sed his non obſtantibus opinionem affirmatiuam probabiliorem eſſe cenſeo, quam tuetur Præpoſ. *in 3. p. q. 4. de interd. dub. 3. n. 29.* Dicendum eſt igitur in interdicto permitti vt Miſſæ celebrentur nõ ſolũ in Eccleſijs & Monaſterijs ſtrictè ſumptis, ſed etiam in Oratorijs diuino cultui deputatis, quę in materia fauorabili poſſunt ſub Eccleſijs comprehendi. Et ita hanc ſententiam docet etiam Suarez *diſp. 34. ſect. 1. num. 8.* quem citat & ſequitur Villalob. *in ſum. tom. 1. tract. 19. diffic. 5. num. 8.* & tandem hanc ſententiam tenet etiam Filliuc. *tom. 1. tr. 18 cap. 3. n. 65.* Layman *lib. 5. tract. 5 part. 4. cap. 1. n. 4.* Blandus *de cenſur. diſp. 7. art. 7. aſſert. 7.* Ludouicus de la Cruz *in Bulla Cruc. diſp. 1. cap. 5. dub. 2. num. 6.* Trullenck *in Bulla Cruc. lib. 1. §. 3. dub. 2. num. 5.* Phil. Faber *de cenſur. in 4. ſentent. diſt. 25. q. 1. diſput. 5. cap. 2. n. 35.* & Moſcoſ. *in ſum. tr. 16. c. 8.* ſic aſſerẽs. [Aquellas palabras Igleſias, y Monaſterios no ſe han de tomar tan literalmente, que por eſſo ſe ayan de eſcluyr las Capillas, y Oratorios particulares, como algunos han querido dezir; porque verdaderamente ſe puſieron en el dicho Capitulo por cauſa de exemplo mas comun, y ordinario, y aſſi guardando la dicha forma, y cautela, es coſa cierta, que ſe puede celebrar en las Igleſias, y Monaſterios como antes, que viniera entredicho ſe podia celebrar en las dichas Capillas, y Oratorios particulares, luego oy tambien ſe podra celebrar en ellas, y en ellos con la dicha preuencion, y cautela.] Ita ille.

RESOL. LXI. *An tempore interdicti quando celebrantur diuina officia ex priuilegio per feſta Paſchatum intelligantur tantùm primi dies?*

AFfirmatiuè reſpondet Suarez *diſp. 34. ſect. 1. n. 39.* Moſcoſus *in ſum. tract. 16. cap. 8.* Alter. *de cenſur. tom. 2. diſp. 5. c. 5.* Reginald. *tom. 2. lib. 32. tract. 3. cap. 28. n. 536.* Villalob. *in ſum. tom. 1. tract. 19. diff. 7. n. 4.* vbi ſic ait. [Se aduierte que eſtas fieſtas no ſe han de entender mas que por el primero dia, que eſſe es verdaderamente el dia de la fieſta que el dia de la Natiuidad, en aquel dia ſe acaba, y el dia ſiguiente es de San Iuan, y lo miſmo es de las otras fieſtas como tiene la ſentencia comun con la Gloſſa, ſolo à Soto veo de diferente parecer ſin fundamento baſtante.]

Sed ego contrariæ ſententiæ adhęreo, quam præter Sotum *in 4. diſt. 22. q. 3. art. 1.* tenet etiam Faber *de cenſ. in 4. ſent. diſt. 25. q. 1. diſp. 5. dub. 5. n. 43.* Auila *p. 5. diſp. 4. ſect. 2. dub. 4.* Hurtad. *tract. de interd. diff. 7. n. 24.* Dicendum eſt igitur ſub nomine Paſchatum intelligi omnes dies feſtiuos, & id primis in Paſchate Reſurrect. & Pentecoſt. in non poteſt negari, quia omnes illi dies feſtiui tantùm pertinent ad ea myſteria, & in eorum honorem obſeruantur; in Paſchate quoque Natiuitatis negandum non eſt, reliquos dies feſtiuos poſt primum, ſiue duos, ſiue tres, etiam pertinere ad feſtiuitatem Natiuitatis, quamuis principaliùs ad alios Sanctos, & obſeruari non tantùm in eorum honorem, ſed etiam in honorem Natiuitatis; quia quamuis in honorem Sanctorum non obſeruarentur, etiam obſeruarentur in honorem Natiuitatis ſaltem duo poſt primum, ſicut fit in alijs Paſchatibus, &, vt obſeruetur tertius dies poſt primum, vbi obſeruatur, non parum iuuat Natiuitas Chriſti.

Notandum eſt etiam hîc cum Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. p. 2. de interd. dub. 1. concl. 3.* Ioan. Præpoſ. *in 3 p. q. 4. de interd. dub 5. n. 34.* Mercero *in 3. p. q. 24. de interd. dub. 3* Fabro, Moſcoſo, Hurtado *vbi ſuprà*, hæc feſta accipienda eſſe à primis Veſperis iuxta morem, quo Eccleſia ſolet feſtiuitates inchoare. Adde feſtum Paſchatis poſſe ſumi ſaltem à *Gloria in excelſis* ſacri diei Sabbati, quia Eccleſia cenſetur tunc inchoare feſtum Reſurrectionis, non tamen comprehenduntur Octauæ; ſed quoad ſuſpenſionem interdicti cenſentur finiri ſaltem finito Cõpletorio. Martinus V & Eugen. IV. his feſtis addiderunt Corporis Chriſti feſtum cum Octaua.

Et tandem non deſinam pro materia præſentis quæſtionis apponere hîc verba Moſcoſi *in ſumm. tr. 16. c. 8.* vbi ſic ait. [Algunos Dotores han dicho, que tanbien ſe puede dezir, y cantar con toda ſolenidad las Miſſas de las Vigilias de las tres dichas Paſcuas por virtud deſte dicho priuilegio, y que deſde ellas deueſe començar à leuantar, y ſuſpender el entredicho. No abraço eſta opinion, porque verdaderamente es hazer mucha violencia à nueſtro cap. Alma mater, que nominatim ſeñala, y declara los dias de la tres Paſcuas del año, y el de la Aſſuncion de nueſtra Señora. Pero tandem es opinion comun, y ſe puede ſeguir muy bien en quanto à la Vigilia de la Paſcua de Reſurrecion,

deſde la gloria que en ella ſe canta con toda ſolẽnidad, y con probabilidad tanbiẽ ſe puede hazer, y guardar lo propio en la Miſſa de la Vigilia de la Paſcua de Pentecoſtes, y para el acierto, y ſeguridad deſta opinion ſe lea el P. Auila de la Compañia en ſu tratado de cenſuras, que allì da la razon porque ſe deue hazer, y guardar eſtò con mas propiedad en las Miſſas deſtas dos Vigilias, que no en la Miſſa de la Vigilia de la Paſcua de Natiuidad.]

RESOL. LXII. *An Sacramentum pœnitentiæ miniſtratum à Sacerdote interdicto ſit nullum?*

AFfirmatiuè reſpondet Phil. Faber *de cenſ. in 4. ſent. diſt. 15. q. 1. diſp. 5. c. 1. n. 23.* quia priuatio miniſterij huius Sacramenti non eſt priuatio poteſtatis Ordinis, ergo iuriſdictionis, quia nulla alia adeſt poteſtas, vt patet; cenſuræ autem Eccleſiaſticæ, vt *ſuprà* diximus, & ipſe Suarez faſſus eſt, non priuant poteſtate Ordinis, ſed iuriſdictionis. Cùm ergo in tali adminiſtratione ſit carentia poteſtatis iuriſdictionis, nulla eſt abſolutio. quòd ſi aliquis bona fide accedat ad Sacerdotem interdictum, & ab illo abſoluatur, dicendum eſt ſicuti in alijs caſibus, in quibus ſit defectus ex parte Sacerdotis: vt ſi quis baptizetur ab aliquo ſine intentione debita; in his autem caſibus dicimus eſſe abſolutum, non quidem vi Sacramenti, quod nullum eſt, ſed ex pia & miſericordi clementia Dei. Ita Faber.

Sed ego contrariam ſententiam teneo, quia interdictum non priuat poteſtate Ordinis & iuriſdictionis, ſed impedit vſum licitum illius, nec aliud colligi poteſt ex iuribus allatis. Solùm poteſt obijci, quòd perſonaliter interdictus æquiparatur excommunicato, vt *ſuprà* dictum eſt, à quo certum eſt auferri omninò vſum iuriſdictionis ſi denuntiatus & non toleratus ſit; atque ita abſolutionem ſacramentalem ab eo collatam eſſe inualidam. Huic ſoli obiectioni reſponderi poteſt, æquiparari præcisè quoad hoc, quod eſt eſſe vtrique prohibitum vſum actiuum huius Sacramenti, atque ita vterque peccabit illud miniſtrando, non tamen quantum ad ablationem iuriſdictionis & inualiditatem Sacramenti, cùm hoc non reperiatur in iure expreſſum de interdicto ſicut de excommunicatione. Quòd ſi vrgeas, perſonaliter interdictus non poteſt validè abſolui. ergo nec abſoluere. Patet antecedens ex ſupradictis. Reſpondetur eſſe diſparem rationem, quia inualiditas abſolutionis receptæ ab interdicto non prouenit ob defectum iuriſdictionis in abſoluente, ſed defectu debitæ diſpoſitionis, quia cùm peccat recipiendo illam, reddit eam inualidam; inualiditas verò abſolutionis lata ab interdicto ex nullo cap. prouenire poteſt, & ita valida eſt, quia peccatum quod committit conferendo abſolutionem, non poteſt illam inualidare; & ex alia parte interdictum non abſorbet iuriſdictionem. Hæc Cornejo *in 3. part. tract. 5. de interd. §. 1. diſp. 2. dub. 3. quæſt. 4.*

RESOL. LXIII. *An liceat miniſtrare ſacramentum Confirmationis perſonaliter interdicto, qui cauſam dederit?*

POnam hîc id, quod ſentit circa præſentem quæſtionem Faber *de cenſ. in 4 ſent. diſt. q. 1. diſp. 5. c. 2. n. 17.* vbi ſic ait. Quod dictum eſt de ſacramento Baptiſmi, dicendum eſt quoque de ſacramento Confirmationis. Ratio eſt, quia *c. quoniam, de ſent. excom. in 6.* æquiparantur Baptiſmus & Confirmatio, quoad eorum miniſterium in interdicto. dicitur enim ibi, Quoniam cum Baptiſmo & Confirmatione, quæ nedum paruulis, ſed adultis propter moræ periculum exhiberi poſſunt licitè tempore interdicti, &c. In quocumque ergo interdicto tam locali, quàm perſonali licitum eſt miniſtrare hæc duo Sacramenta. & cùm non diſtinguatur de interdicto perſonali, & gratiæ ſint ampliandæ, & pœnæ reſtringendæ, mihi videtur quòd etiam perſonaliter interdictus, qui cauſam dedit interdicto, poſſit vtrumque Sacramentum dare propter moræ periculum. Velle autem excipere interdictum perſonale, videtur fieri ſine ratione. Quod autem ait Suarez, quia *in c. Alma*, interdictus perſonaliter ob cauſam datam interdicto eximi à conceſſione miniſtrationis ſacramenti Pœnitentiæ, & conſequenter à miniſtratione ſacramenti Baptiſmi & Confirmationis, quia hæc ſine prævio ſacramento Pœnitentiæ miniſtrare licitè non poſſunt, hoc eſt accidentarium, & oritur ex alia radice, ſcil. quia non licet miniſtrare Sacramentum in peccato mortali, non autem quia hoc ſit prohibitum vi interdicti. Item qui ſic miniſtraret vtrumque horum Sacramentorum non peccaret per violationem interdicti, ſed quia miniſtraret in peccato mortali, & proinde non faceret duo peccata. Secundùm Suarez autem faceret duo peccata. Primò, quia miniſtraret in peccato mortali. Secundò, quia violaret interdictum; ideo illa opinio Suarez mihi non probatur. Ita Phil. Faber, an probabiliter, iudicent alij.

RESOL. LXIV. *An licitum ſit alicui non interdicto audire Miſſam Sacerdotis interdicti?*

NEgatiuam ſententiam docet Phil. Faber *de cenſur. diſt. 15. q. 1 diſput. 5. cap. 2 num. 47.* vbi ſic ait. Dubium eſt, an perſonæ non interdictæ liceat audire Miſſam Sacerdotis interdicti perſonaliter? Reſpondeo ſi non eſt publicè denuntiatus, nulli dubium eſſe non peccare, propter Extrau. *Ad euitanda*, de qua *in diſp. de excommunicatione* diximus. Si verò eſt publicè denuntiatus, ſuſtinet Suarez *vbi ſuprà ſect. 3. n. 5.* non eſſe peccatum. Ratio eius eſt, quia interdictum perſonale militat contra perſonam interdictam ne faciat, vel audiat Miſſam, & diuina officia, cæteraſque functiones Eccleſiaſticas, non autem prohibet ne quis cum illa communicet, aut eius actionibus aſſiſtat, quia nullo in iure hæc prohibitio apparet explicitè nedum, ſed neque etiam implicitè. Vnde dummodò talis non communicet in miniſtrando diuina, ſed ſolùm aſſiſtat, inquit prædictus Suarez, minimè peccatum committere. Hæc autem opinio mihi non probatur, neque tutò in praxi ſeruari poſſe iudico, quoniam celebratio diuinorum Officiorum actiua & paſſiua eſt mutua. Vnde cùm quis priuatur ab actiua adminiſtratione diuinorum, conſequenter quoque videtur priuari aſſiſtentia paſſiua aliorum ad illa in perſona illius. Vnde cùm quis interdicitur perſonaliter à celebratione Miſſæ, ac diuinorum,

con-

conſequenter etiam prohibitio indicitur, ne alij ei aſſiſtant, quia hæc mutuò ſeſe conſequuntur. Confirmatur hæc doctrina, quia certum eſt Sacerdotem ſic miniſtrantem peccare mortaliter. cùm autem quis illius Sacrificio aſſiſtit, cooperari videtur illi, & communicat operi malo, quatenus eſt illius Sacerdotis, quia eſt ſacrilegium huiuſmodi celebrare. ergo mihi videtur etiam peccare. ideò in iure hæc prohibitio continetur implicitè. Hæc Phil Faber.

Sed his minimè obſtantibus negatiuam ſententiam cũ Suarez tenet nouiſſimè Turrian. *l. 2. diſp. 49. dub. 2.* vbi docet illicitũ eſſe inducere talem Sacerdotem ad dicendum, vel ei cooperari, non tamen ſolùm eius Miſſam audire. Prior pars eſt manifeſta, quia non licet inducere ad actum peccati. Poſterior probatur, quia in ſola auditione Miſſæ non eſt vlla ſpecies cooperationis, conſiderato iure naturali; nullum autem eſt ius poſitiuum, quo prohibeatur talis auditio Miſſæ. Ego puto vtramque ſententiam probabilem eſſe, & hanc poſteriorem tenet etiam Mercerus *in 3. part. quæſt. 24. de interdicto dub. 3.* Filliucius *tom. 1. tractat. 18. cap. 3. num. 77.*

RESOL. LXIV. *An licitum ſit celebrare coram perſonis interdictis?*

CErtum eſt debere expelli; ſed difficultas eſt, ſi perſona interdicta expelli non poteſt, & in tali caſu ſic reſpondet Phil. Faber *de cenſ. in 4. ſent. diſt. 25. q. 1. diſp. 5. c. 2. n 113.* Aliqui dicunt non eſſe celebrandam Miſſam, & ſi ſit inchoata, nec peruentum ad Canonem, eſſe ceſſandum. Alij aſſerunt Miſſam celebrari poſſe, quia nullibi in iure hic effectus aſſignatur, neque à DD. Vnde auctoritas negatiua licet non ſit aliàs efficax, in hac re tamen eſt efficax, quia DD. hunc caſum non prætermiſiſſent. Solùm ergo Sacerdoti non licet celebrare coram interdicto, quando locus eſt interdictus (quod habet locum ſolummodo quando priuatim celebrat ſecundùm limitationes *in cap. alma*, *ſuprà* explicatas, vt ex ſe patet) quia expreſsè præcipitur dicto *cap. alma*, quòd interdicti excludantur, ſed quãdo locus non eſt interdictus, ſed habilis, licet ſit aliquis interdictus præſens, dicunt licere celebrare, & alia diuina facere. Ita tenet Suarez, licet cum formidine. Ego tamen in praxi non puto hanc opinionem tutam, quia mutuò referuntur celebratio actiua & paſſiua aſſiſtentia, ideo cùm prohibetur aſſiſtentia paſſiua alicui, conſequenter agenti miniſtratio actiua etiam prohibetur. Ita Faber contra Suarez.

Sed ſententiam Suarez ſequitur Mercerus *in 3. p. q. 24. de interdicto dub. 3.* Turrian. *lib. 6. diſp. 49. dub. 2.* vbi ſic ait. Quando locus non eſt interdictus, ſed tantùm perſona eſt interdicta, & expelli nõ poteſt, probabile videri non eſſe ob eam cauſam omittendam Miſſam, quia non eſt pro hoc euentu peculiaris prohibitio iuris poſitiui, quia iura quæ decernunt excludendos eſſe interdictos, tractant de locali interdicto, neque apparet ratio quæ nos cogat oppoſitum affirmare. & explicari ampliùs poteſt, quia in tali euentu non eſt moralis cooperatio cum perſona interdicta, quia potiùs eſt contra voluntatem facientis Sacrum. Vnde conſiderato ſolo iure naturali non eſt aliquid, ratione cuius celebratio ſit inhoneſta, & contra rationem. Hæc Turrianus. qui tamen addit poſſe eſſe moralem cooperationem, ſi voluntariè permittatur interdictus audire Miſſam. Item poſſet obligatio omittendi Miſſam ante inceptum Canonem ob ſcandalum.

RESOL. LXV. *An ſit peccatum mortale dicere Miſſam tempore interdicti, omiſſa vna circumſtantia ex requiſitis in cap.* Alma mater; *vt v. g. facere Sacrum apertis ianuis?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Hurtadus *tract. de interdicto diff. 10. num. 32.* Sylueſter *ver. interdictum 5. quæſt. 5. in princ.* Tabiena *eod. ver. num. 2.* Armilla *nu. 4.* & huic ſententiæ fauet *Clem. 1. de ſententia excomm.* vbi tranſgreſſio interdicti videtur iudicari grauis, quia ianuis quibuſdam obſeratis Miſſa diceretur. Et ratio eſſe poteſt, quia in ordine ad obſeruandam pœnam interdicti, ea circumſtantia grauis videtur, & ita hanc ſententiam docet Suarez *diſput. 34. ſect. 4.* quæ etiam explicari poteſt, quia violationis materia non cenſetur ſola circumſtantia, ſed totum officium dictũ ſine illa circumſtantia, ac proinde materia eſt grauis, & ideo addit Pater Suarez, vt peccatum ſit graue, debere dici totum officium, vel magnam eius partem cum defectu eius circumſtantiæ.

Tamen, vt obſeruat Turrian. *lib. 6. diſp. 49. dub. 6.* exiſtimare poſſet aliquis non eſſe mortale defectu talis circumſtantiæ, quia ſi ſecundùm ſe circumſtantia ſola non eſt grauis, neque videtur grauis totum officium cum illo defectu celebrare; modus enim indebitus celebrandi officium ex circumſtantijs indebitis videtur colligendus, & oppoſitum non probatur ex citata Clem. quia ibi non eſt ſermo de ſolo defectu eiuſdem circumſtantiæ, ſed alijs etiam, quæ faciebant Religioſi, & non ſine ſcandalo. In hoc ergo caſu non dubito quin fuerit graue peccatum violatio interdicti; ex hoc tamen non colligitur omiſſionem circumſtantiæ vnius, vel alterius præcisè abſque ſcandalo, vel contemptu, neque ex intentione tribuendi alijs occaſionem audiendi diuina Officia tempore interdicti fore mortalem, quamuis ob periculum ſcandali ſemper magna prouidentia ſit agendum.

RESOL. LXVI. *An in interdicto perſonali generali licita ſit Eccleſiaſtica ſepultura?*

NEgatiuè reſpondet Faber *de cenſ. in 4. ſent. diſt. 23. q. 1. diſput. 5. cap. 2. num. 56.* vbi ſic ait. In interdicto perſonali ſpeciali perſona interdicta nullibi ſepeliri poteſt ſepultura Eccleſiaſtica, vt habetur *cap. ſi ciuitas, de ſentent. excomm.* & eſt communis opinio. Ratio differentiæ eſt clara, quia in primo interdicto prohibitio non fertur in perſonas abſolutè, ſed ratione loci ſolùm; in ſecundo verò abſolutè fertur in perſonas. At de interdicto perſonali generali eſt contentio inter DD. Aliqui tenent etiam ipſos priuari Eccleſiaſtica ſepultura propter iura adducta de interdicto perſonali, & præſertim

ex *cap. ſi ſententia, de ſent. excom. in 6.* vbi interdictum perſonale generale dicitur ligare ſingulas perſonas. Tamen Suarez *vbi ſuprà*, tenet oppoſitum propter Extrauag. *ad euitanda*, quæ requirit quòd perſona ſit nominatim denuntiata, & interdicta. Sed hæc opinio eſt difficilis, quia ſequeretur quòd neque priuarentur alijs effectibus, ſcilicet celebratione diuinorum Officiorum, & participatione quorumdam Sacramentorum; quod tamen eſt contra eſſentiam interdicti. Ad fundamentum eius reſpondetur ſufficere quòd ſententia interdicti perſonalis bis ſit publicata. Hæc Faber. & hanc ſententiam in praxi tenendam eſſe putat Turrian. *lib. 6. diſputat. 51. dub. 1.* & illam abſolutè contra Suarez tenet Præpoſitus *in 3. part. quæſt. 4. de interdicto. dub. 4. num. 51.*

Verùm ſententiam Suarez *diſput. 35. ſect. 3. num. 2.* quam impugnant DD. citati, ſequitur Cornejo *in 3. part. tr. 5. de irreg. §. 3. quæſt. 2.* vbi docet in interdicto perſonali generali non eſſe denegandam Eccleſiaſticam ſepulturam, ex dicta Extrauag. *ad euitanda*, vbi conceditur priuilegium erga eos, qui non ſunt nominatim denuntiati. nam quamuis in generali interdicto perſonali fiat generalis denuntiatio totius populi aut communitatis, illa tamen eſt remota reſpectu cuiuſuis in particulari. Vide etiam Megalium *in 3. part. lib. 6. cap. 2. num. 6.*

RESOL. LXVII. *An qui tempore interdicti habent priuilegium particulare aſſiſtendi diuinis Officijs, vel intereſſentes in diebus Paſchatis, Pentecoſtes, &c. poſſint in loco ſacro ſepeliri?*

NEgatiuam ſententiam docet Cornejo *in 3. part. tract. 5. de interd. diſp. 3. §. 4. q. 1.* Præpoſ. *in 3. p. q. 4. de interd. dub. 3. num. 42.* Hurtadus *tract. de interd. diſſic. 9. num. 30.* Gordonus *tom. 2 lib. 7. q. 16. cap. 4. numer. 44.* Coninck *de Sacram. diſput. 17. dub. 2 num. 55.* Suarez *diſp. 38. ſect. 1. n. 13.* Villalob. *in ſum. tom. 1. tr 19. diſſic. 8. n. 4.* Mercer. *in 3. part. q. 24. de interd dub. 4.* Filliucius *tom. 1. tract. 18. cap. 3. num. 96.* Alterius *de cenſ. tom. 2. diſput. 6. cap. 3.* & ratio eſt, quia, vt patet ex *cap. Epiſcoporum, de priuileg. in 6.* & ex *cap. ſi ſententia, de ſentent. excommunicat. in 6.* priuatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ eſt effectus interdicti diſtinctus à priuatione diuinorum Officiorum, nec cenſetur illi neceſſariò connexus, & proinde ſepultura non ſolùm ratione diuini Officij prohibetur, ſed etiam ratione ſui. Vnde ex conceſſione vnius non aptè infertur conceſſio alterius.

Verùm non deſinam hîc adnotare affirmatiuam opinionem docere Sotum *in 4. diſtinct. 22. q. 3. art. 1. poſt 4. concl.* Henriquez *lib. 13. cap. 44. num. 5.* Nauarrum *cap. 27. num. 181.* Emanuel. Sà *ver. interdictum, num. 8.* Angelum *ver. interdictum 6. num. 35. & 36.* & Auilam *p. 5. diſp. 4. ſect. 3. dub. 4. concl. 1.* qui hoc probat. Nam, vt inquit Syluester *ver. interdictum 5. q. 2. p. 4.* & Tabiena *eod. ver. §. 11. circa medium.* ſepultura negatur propter duo. Primò ratione diuini Officij annexi. Secundò ratione dependentiæ ad Ordinem ſacrum propter conſecrationem Eccleſiæ: vnde nec in loco ſacro ſine diuino Officio, nec extra locum ſacrum cum Officio diuino fieri poteſt. ergo quando vtrumque eorum licet ex priuilegio, conſequenter licebit ſepultura. Probatur cõſequẽtia, nam cui communicamus viuo, poſſumus communicare defuncto. & tandẽ hanc ſententiam docet Megala *in 3. p. l. 6. c. 2. q. 1. n. 44.* Io. de la Cruz *in direct. Confeſſ. p. 2. de ceſſatione à diuinis dub. 1. concl. 3. Epiſcop.* Moſcoſus *in ſum. tr. 16. c. 8.* vbi ſic ait. [Sepultura Eccleſiaſtica ſe puede dar generalmente en todos eſtos dias, y fieſtas priuilegiadas à Clerigos, y legos, que en eſto no ay exception de fieſtas, ni de perſonas, ſi no es, que ya vuieſſe otro algun impedimento juridico de por medio. Y alguno autores an querido dezir, que conforme à derecho no ſe pueden hazer, ni dar las tales benediciones nuptiales, ni Eccleſiaſtica ſepultura en eſtas dichas fieſtas priuilegiadas en tiempo de entredicho; pero otros muchos mas tienen, y lleuan la primera opinion en ambas coſas, la qual me parece muy bien por ſer tan piadoſa.] Ita ille. Satis quidem probabiliter, vt rectè aduertit Tannerus *tom. 4. diſput. 6. q. 10. dub. 8. num. 160.*

RESOL. LXVIII. *Quale peccatum ſit violare interdictum?*

AD hoc dubiũ reſpondet Tannerus *tom. 4. diſp. 6. q. 10. dub. 8. n. 152.* vbi ſic ait. An autẽ ſit mortale, aut veniale violare interdictum, ita diſtinguendum videtur, vt violatio quidem interdicti perſonalis facta ab illis, qui in culpa interdicti ſunt, ſit mortalis, ſiue laici ſint, ſiue Clerici, vt cum Nauar. *n. 187.* docet Henriq. *c. 23. num. 2.* Violatio autem interdicti localis in Clericis quidem, ad quos propriè hoc interdictum ſpectat, ſit ex ſuo genere peccatum mortale, vt habet communis, quamuis Sà id nõ improbabiliter reſtringat ad Clericos Ordinibus ſacris vtentes; in laicis verò ſecluſo ſcandalo, & contemptu, non ſit niſi veniale, vt docẽt Caietanus & Sà *ver. interdictum.* Hæc Tannerus. Sed an probabiliter, iudicent alij, & videant Filliucium *tom. 1. tract. 18. cap. 3. num. 85.* & Coninck *vbi infrà, n. 64.* qui nominatim Caietanum impugnat.

Sed difficultas eſt, an laicus non interdictus, ſi ſine vi, aut ſcandalo audiens Officia diuina, & præſertim Miſſam in loco interdicto, peccet mortaliter? & affirmatiuam ſententiam docet Coninck *diſp. 17. dub. 3. n. 68.* quia *in c. ſi ſent. 16. de ſent. excom. in 6.* dicit talem licitè audire diuina Officia in loco non interdicto. ergo ſupponit eum ea illicitè audire loco interdicto, & conſequenter hoc eſſe ei prohibitum, quare quando materia erit grauis, peccabit mortaliter. Ita Innoc. & Archidiac. apud Syluestr. & Suar. *diſp. 34. ſect. 4. n. 9.* vbi tamen addit talem aſſiſtẽdo alijs Officijs diuinis, excepto ſacrificio Miſſæ, facilè poſſe excuſari à peccato mortali, ob materiæ leuitatem, quia etſi nonnihil longo officio aſſiſtat, parum tamen hoc videtur repugnare Eccleſiæ voluntati, quæ talibus non ita grauiter prohibet diuinis Officijs intereſſe. Secus autem dicendũ eſſe do ſacrificio Miſſæ quoad aſſiſtentes cũ Sacerdote qui ſuo modo etiã offerunt. Hęc omnia Coninck. cui adde Suar. *diſp. 34. ſect. 3. n. 9.* Hurtadum *tr. de interd. diſſ. 10. n. 33.* & Præpoſ. *in 3. p. q. 4. de interd. dub. 5. n. 54.*

Sed ego contrariæ ſententiæ adhæreo cum Soto *in 4. diſtinct. 22. q. 3. art. 1. concl. 6.* Syluestro *ver. interdictum*

dictum 6.num.7. Angelo *eod. ver.7. num.9.* aſſerentibus in tali caſu tantùm peccatum veniale adeſſe, & præter DD.citatos tenet ex neotericis hanc ſententiam Reginaldus *tom.2.lib.32.tract.3.cap.30.n.42.* Valent.*tom.4.diſput.7.q* 18. *punct.2. ad fin.* Layman *lib.1.tract.5. part.4 cap.3.num.2.* Auila *part.5. diſput.5. dub* 2.& Henriquez *lib.13.cap.46.num.3.* Imò prædictus Auila putat probabile eſſe in tali caſu nullum adeſſe peccatum,quia nullum eſt præceptum in iure, quod dirigatur ad laicos, ſed tantùm ad Clericos,ne laicos non priuilegiatos admittant ad diuina Officia in loco interdicto,vt patet *c.reſponſum,de ſent.excommunicationis,cap.non eſt nobis,de ſponſalib.& c.licet,de priuil.in* 6.& vbi nullum eſt præceptum,nullum erit peccatum.Sed ego ad minus in tali caſu peccatum veniale adeſſe non dubito,quia talis facit aliquo modo contra intentionem Eccleſiæ. nam etſi ex interdicto principaliter feratur ad Clericos,ne laicos ad diuina Officia in loco interdicto admittant.*cap.reſponſo,de ſent. excomm. cap. non eſt nobis,de ſponſal.cap.licet.de priu.in* 6. tamen pertinet etiam conſequenter ad laicos, vt ipſi loco interdicto poſt promulgationem ſe non ingerant, ſicuti ſententia excommunicationis principaliter afficit excommunicatum, vt cum alijs non communicet. Secundariò autem & conſequenter etiã alios, vt ab eius communicatione poſt denuntiationem abſtineant.Puto tamen,vt dixi,hanc interdicti tranſgreſſionem eſſe tantùm peccatũ veniale.

RESOL. LXIX. *An Epiſcopus poſsit ſuſpendere interdictum?*

PRima opinio negat. ita Couarr.*in cap. Alma mater,part.1.§.11.num.6.ver.2.* Auila *diſput. 6. dub.4. concl.4.*& gloſſa *in cap. ad hæc, de appellat.* Probatur hæc opinio, primò, quia Epiſcopi ſunt inferiores lege Pontificia,ac ſubinde eam ſeruare,non autem priuilegio,aut diſpenſatione tollere poſſunt, iuxta regul.*cap.cùm inferior.de maior.& obed.* Deinde, quia cenſura ſuam ſecum trahit executionem, & ideo nec per appellationem eius effectus ſuſpendi poſſunt.*c.paſtoralis,§.verùm,hoc titulo.*ergo à fortiori neque Epiſcopus inferior poterit eam ſuſpendere, quemadmodum in excommunicatione etiam reſpectu proferentis, quod non poſſit concedere vt quis cum excommunicato à ſe ipſo communicet, ſed neceſſaria ſit abſolutio, quæ in totum excommunicationem tollat,reſoluunt DD.communiter, per vnam ſcilicet ex tribus formis abſolutionis ab Eccleſia receptis,vel ſimpliciter, vel ad cautelam, vel ad reincidentiam,iuxta *c.cùm deſideres,de ſentent. excomm.*ergo,&c.

Secunda opinio affirmat.ita Nauar.*cap.27.n.183.* & gloſſa *in c.præſenti,de ſent.excomm.in* 6.

Tertia opinio has ſententias contrarias fœdere diſtinctionis conciliat: aut enim interdictum eſt latum à iure,vel ab homine; quando à iure prolatum eſt,ab Epiſcopo ſuſpendi poſſe concedunt, vt ex Soto,qui hoc non dicit,*in 4.diſt.22.q.3.art.1.concluſ.3.*tradit Fr.Emanuel *qq.Regular.tom.2.q.111.art.1.* & poſt Sylueſtr.Suar.*tom.5.diſp.38.ſect.3.num.6.* per regulam textus *in cap.nuper,verſ.in ſecundo,de ſentent. excom.* quando interdictum ab homine latum eſt, ſubdiſtinguunt: vel enim agimus de Epiſcopo,qui illud protulit,vel de alijs.in priori aiunt procedere primam ſententiã deſumptam ex hoc textu; quòd ſcilicet Epiſcopus qui interdictum protulit; illud pro certo tempore,aut cauſa ſuſpendere valeat; in poſterioribus verò procedere contrariam ſententiam negatiuam,quòd inferiores Romano Pontifice interdictum ab ipſo Pontifice,vel ab alijs Prælatis prolatum relaxare non poſſunt,nec in totum, nec etiam ad tempus ſuſpendere, vt concludunt fundamenta pro eadem parte negatiua adducta, atque ita hanc diſtinctionem expreſsè tradunt Couarr.*cit.loco.* & Henriquez *in ſumm.lib.13.cap.51.* §.4.*ver.*4.Suarez *diſp.38.ſect.3.à num.5.*iuncto *num.6. verſ.& propterea.* Ratio autem proxima & efficax huius diſtinctionis ſecundùm eos illa eſt, quia effectus cenſuræ ex intentione & mente pendent proferentis. *cap.veniens 2.de teſtib.*& eatenus ligant, quatenus intendat qui ligat, ex regul. *l.non omnes, ff.ſi certum petatur,cap.cùm ſuper,de officio delegati,*cum ſimilibus.Ad fundamentum verò ex regula textus *in d.cap.paſtoralis,§.verùm,*reſpondet Suarez ſenſum illius textus eſſe quòd cenſuræ ſuam ſecum trahant executionem, abſque alio hominis miniſterio; ſed in hac ipſa actuali executione pendere interdictum, & eius effectus ex voluntate & intentione proferentis, ex qua ratione idem Couarr. Henriquez, Sayrus, & Suarez concludunt hoc ipſum in interdicto perſonali eſſe reſoluendum,& quamuis latum ſit ob perſonæ contumaciam,quæ adhuc durat, conſiderant tamen occurrere poſſe rationabiles cauſas, propter quas iuſtum ſit interdictum ſuſpendere ad tempus certum, licet non ſufficiant ad illud omnino tollendum,& hæc omnia obſeruat & docet doctus & amiciſſimus Barboſa *in collectan.Doctor.tom.1.lib.2.tit.28. c.55. num.2.* & 3. Vide etiam Layman *lib.1.tract.5. part.4.c.5.n.3.*

RESOL. LXX. *An qui habet duo domicilia, alterum in loco interdicto, alterum in loco non interdicto, cenſeatur ipſe interdictus?*

ALiqui cenſent manere interdictum. ita Calderin. *tract. de interd.* Sed contrarium docet Sylueſter *ver.interd.2.num.*13.quia non eſt maior ratio, ob quam ſentiat onus vnius populi, quàm libertatem alterius.& hanc ſententiam amplectitur Suar. *diſput.32.ſect.2.num.16.* cum ea limitatione vt quamdiu habitet in populo interdicto, ferat onus interdicti, quod videtur reuera probabile, & ad mentem legiſlatorum,& ita etiam docet Turrian. *lib.2.diſp.48.dub.2.*

RESOL. LXXI. *An Confeſſarius poſsit tollere interdictum perſonale particulare ſine reſeruatione latum poſt ſatisfactionem, vel ſatisfaciendi cautionem?*

NEgatiuam ſententiam docet Henriq.*lib.13.c.35. n.2.* & Auila *p.5.diſp.6.dub.1. concl.2.* vbi ſic ait. Parochus & Confeſſor ordinarius non poſſunt via ordinaria abſoluere ab interdicto, ſiue impoſito à iure, ſiue ab homine,quia talis abſolutio non eſt neceſſaria ad abſolutionem à peccatis,ſicuti abſolutio ab excommunicatione. Ita ille.

Verùm

Verùm contrariam ſententiam tenet Coninck *de Sacr. diſp. 7. dub. 6. n. 7.* Suar. *diſp. 38. ſect. 2. n. 9.* Præpoſ. *in 3. p. q. 4. de interd. dub. 6. n. 61.* Cornejo *in 3. p. tr. 5. de interd. diſp. 4.* Layman *lib. 1. tr. 5. p. 4. c. 5. n. 3.* Hurtadus *tract. de interd. diſſic. 16. n. 48.* & Mercerus *in 3. p. q. 24. de interd. dub. 8.* ſic enim aſſerit. Interdictum latum ab homine tollitur à ſolo illo, qui tulit, vel Superiore, vel ſucceſſore, vel delegato; latum verò à iure ſi ſit in pœnam commiſſi peccati tollitur lapſo tempore, pro quo latum eſt; ſi ſit ob contumaciam, & reſeruatum ſit, tollitur per eum, qui reſeruauerit, niſi quod per Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 6. de reform.* poſſit Epiſcopus à reſeruatis Pontifici abſoluere, modò caſus ſit occultus; ſi reſeruatum non ſit, & locale ſit, poteſt tolli ab Epiſcopo loci, vel habente iuriſdictionem Epiſcopalem, vt etiam perſonale generale: at perſonale ſpeciale à quolibet proprio Confeſſore, modò detur cautio ſufficiens. Ita Mercerus. & rationem ego adducam, quia interdictum perſonale ſpeciale non minùs quàm excommunicatio prohibet à perceptione Sacramentorum, vt ſuprà dictum eſt *cap. 2. n. 1.* ergo ſicuti excommunicationem ſi reſeruata non ſit ante abſolutionem à peccatis, quinis expoſitus Confeſſarius tollere poteſt, arg. *c. nuper de ſent. excom.* ita & interdictum hoc perſonale.

RESOL. LXXII. *An interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ prohibeatur omnis ingreſſus?*

AFfirmatiuã ſententiam docet Filliucius *tom. 1. tractat. 18. cap. 5. num. 105.* Comitolus *in reſpon. moral. lib. 6. quæſt. 49. num. 5.* Cornejo *in 3. p. tract. 5. de interd. diſput. 2. §. 4. quæſt. 1.* Iacobus Gordonus *in ſumm. tom. 2. lib. 7. q. 16. cap. 8. num. 55. & 56.* vbi ſic ait. Hîc quæri poteſt prohibito ingreſſu Eccleſiæ quid præcisè cenſeatur prohibitum ſub nomine titulóque huius ingreſſus? Reſpondent aliqui tantùm prohiberi ingreſſum tempore diuinorum Officiorum. Ita Nauarr. *cap. 27. numer. 170.* ac proinde quando non fiunt diuina, poſſe hominem ſic interdictum ingredi templum, & ibidem orare contendit. Secunda opinio eſt debere hoc limitari ad formalem, vt loquuntur, templi ingreſſum, hoc eſt, non eſſe licitum ingredi templum ob vſum, ad quem illud deſtinatum eſt, ac proinde non tantùm ad audienda diuina, ſed nec ad orandum permiſſum eſſe ingreſſum. licebit ergo in hac ſententia tranſire per templum, ibidem loqui, diſputare, imò & concionem ibi audire. Ita Suar. *diſput. 35. ſect. 4. in fine.* Tertia ſententia eſt eſſe prohibitum omnem Eccleſiæ ingreſſum. Ita Abbas *cap. Eccleſia, de immun. Eccleſ. num. 5.* Calderin. *de interdicto Eccleſiaſtico, mem. 2. verſ. ſed quæritur.* Fatetur tandem Nauar. hanc eſſe multorum ſententiam. Et ſanè ſi excipiamus conceſſionem, quæ quibuſdam diebus feſtis facta eſt interdictis hominibus, *d. cap. Alma. §. in feſtiuitatibus*, & neceſſitatem legitimam, vt ſi quis vocaretur in ius, quod poſſet interdum dici in Eccleſia. His, inquam, exceptis probabilius eſt omnem Eccleſiæ ingreſſum homini ſic interdicto eſſe prohibitum, quia nulla eſt ratio cur à verborum proprietate diſcedamus. Iſte verò ſuſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ, idque ſimpliciter, & non reſtrictè. ergo. Ita Gordonus, ſatis quidem rigidè, & ſcrupulosè.

Ideo ego negatiuam ſententiam teneo, & ita præter Nauar. docet Reginaldus *tom. 2. lib. 32. tr. 3. cap. 30. num. 41.* Couar. *in cap. Alma mater part. 2. §. 1. num. 3.* Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 19. diff. 9. num. 4.* Hurtadus *tract. de interd. diffic. 9. num. 31.* Coninck *de Sacr. diſp. 17. dub. 2. num. 59.* aſſerentes interdictos ab ingreſſu Eccleſiæ dum non celebratur diuinum Officium poſſe ibi orare, quia Eccleſia propriè inſtituta eſt ad audienda, vel celebranda diuina Officia, non autem ad priuatas orationes fundendas, niſi per accidens, & conſecutiuè. Imò ego puto probabiliter poſſe interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ tranſire per Eccleſiam dum celebrantur diuina Officia, y hazer oracion de paſſo. Ita ex Nauar. docet Auila *part. 5. diſp. 4. dub. 5. concl. 6.*

RESOL. LXXIII. *An interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ poſſit intra illam recipere Sacramenta?*

NEgatiuam ſententiam docet Gordonus *tom. 2. lib. 7. quæſt. 16. cap. 8. num. 56.* Suarez *diſp. 35. ſect. 4. num. 5.* Alter. *tom. 2. diſp. 7. cap. 2.* Hurtadus *tract. de interd. diffic. 9. num. 31.* Coninck *de Sacram. diſp. 17. dub. 2. num. 59.* aſſerentes interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ illicitè in ea ſuſcipere Sacramenta, quia credibile non videtur aliquem iudicari indignum, qui alijs diuinis Officijs interſit, & tamen ei permittere, vt cum alijs in Eccleſia Sacramenta recipiat. Et Eccleſia non tantùm inſtituta eſt ad diuina Officia celebranda, ſed etiam ad Sacramenta miniſtranda, & ſuſcipienda.

Sed affirmatiuam ſententiam probabilem eſſe puto; nam Coninck negatiuam, quam ipſe tenet *vbi ſuprà*, vocat tantùm probabiliorem. Et ita hanc ſententiam abſolutè tenet Henriquez *lib. 13. cap. 32. num. 2.* & Auila *part. 5 diſp. 4. dub. 5. concl. 6.* & ratio eſt, quia interdicto ab Eccleſia non prohibetur vſus Sacramentorum, ſed vſus diuinorum Officiorum, & ſepulturæ. ergo. Et ita hanc ſententiam poſt hæc ſcripta inuenio etiam docere Bonacinam *de cenſ. diſp. 5. punct. 5. num. 12.*

RESOL. LXXIV. *An interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ ſi moriatur cum ſignis pœnitentiæ ſit abſoluendus, vt poſſit ſepeliri in loco ſacro?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Bonacina *de cenſ. diſp. 5. punct. 5. num. 11.* vbi ſic ait. Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ non poteſt ſepeliri in Eccleſia, vel Cœmeterio, niſi forte dederit ſigna contritionis, tunc enim poteſt abſolui, & ſepeliri in loco ſacro. Ita ille.

Sed in tali caſu ad talem ſepeliendum nullam adhibendam eſſe abſolutionem, docet Cornejo *in 3. part. tract 5. de interd. diſp. 2. §. 4. quæſt. 2.* vbi ſic ait. Quæres an hoc interdictum priuet Eccleſiaſtica ſepultura? Reſpondetur affirmatiuè ex textu *in d. cap. his qui.* ibi, Talis quoque ſi hoc interdicto durante decedat, non debet in Eccleſia, vel Cœmeterio Eccleſiaſtico, niſi pœnituerit, ſepeliri. Vbi nota quòd vt iſte talis ſepeliatur in loco ſacro, nulla requiritur abſolutio à tali interdicto ab homine facta, vt cum Couarruuia docet Auila *part. 5. diſp.*

diſp.4.ſect.3.dub.1.concluſ.1.& ratio eſt. nam eo ipſo, quòd deceſſit cum pœnitentia, manſit abſolutus à iure, ſiquidem hoc interdictum quantum ad hunc effectum poſitum erat, niſi pœnituerit, atque ita conditione impleta, ſublatum manet. Ita Cornejo, & ego.

RESOL. LXXV. *An interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ poſſit in Cœmeterio Officia diuina audire, & Miſſam celebrare?*

NEgatiuam ſententiam docet Villalob. *in ſum. tom.1.tract.19.diffic.9.num.5.* vbi ſic ait. [Ha ſe de aduertir, que aunque en el cemeterio ſe dixeſſe la Miſſa, o el Oficio diuino, no puede aſſiſtir allí el que eſtà deſta manera entredicho; porque por nombre de Igleſia tanbien ſe entiende el cemeterio, como nota la Gloſa, y ſe colige de vn texto, y tiene eſta ſentencia Abad, y ha ſe de entender del cemeterio contiguo, como ſe colige del texto citado.] Ita ille.

Qui tamen ibi, & meritò, affirmatiuam ſententiam probabilem vocat, quam tuetur Filliucius *tom.1.tract.18.cap.5.num.103.* Reginald. *tom.2.lib.32. tract.3.cap.29.n.41.* & alij. Et ratio eſt, quia in talis interdicti ſententia tamquam pœnali (& ideo reſtringenda interpretatione) nomen Eccleſiæ accipiendum eſt in rigore, quo non comprehendit cœmeterium, vt patet ex communi vſu. & ideo ius *in cap. is, cui, de ſententia excomm. in 6.* tamquam non ſatis indicatum priùs nomine Eccleſiæ addidit nomen Cœmeterij, vt ad ipſum extenderet priuationem ſepulturæ Eccleſiaſticæ. Verba ſunt hæc. Talis quoque ſi hoc interdicto durante decedat, non debet in Eccleſia, vel Cœmeterio Eccleſiaſtico, niſi pœnituerit, ſepeliri. Vide etiam Suarez *diſp.35.ſect.3. num.9.& ſequen.*

RESOL. LXXVI. *An tempore interdicti, vt quis poſſet celebrare domi in Oratorio virtute Cruciatæ ſit omnino neceſſaria licentia Epiſcopi?*

REſpondeo tale Oratorium debere approbari ab Ordinario. non deſinam tamen hîc adnotare quòd conditio iſta, quam requirit Bulla, vt ſcilicet Oratorium approbetur ab Ordinario, probabiliter cenſent nonnulli, quod ſatis intelligitur de Ordinario illius, vel alterius Diœceſis. nam ſi ad eligendum Confeſſarium pro reſeruatis tenent nonnulli ſufficere approbationem à quolibet Ordinario, vt ex dictis *cap.2.* abundè conſtat, etiam ſufficiet ſimilis approbatio Oratorij ad celebrandum in eo. Quòd ſi contingat locum eſſe decentem, & idoneum ad arbitrium boni viri, & Ordinarius nolit illum approbare, nec facultatem præbere ad celebrandum in illo, poteſt certè compelli ad concedendam facultatem, quia non poteſt defraudare & priuare ſubditum priuilegio à Pontifice ſibi conceſſo de habendo domi Oratorium: priuaret autem non concedendo licentiam. Imò qui vellet huiuſmodi lites vitare, probabile ſatis videtur, quòd licitè poſſet tunc vti prædicto Oratorio, & in eo celebrare per ſe, vel per alium abſque facultate Ordinarij, quia ſuppoſita decentia & idoneitate loci ad arbitrium prudentis viri, certè licentia iuſta petita, & iniuſtè tum ab Ordinario negata, ipſo iure intelligitur conceſſa à Papa. Hæc omnia docet Ludou. la Cruz *in Bulla Cruc. diſput.1. c.5.dub.1.num.4.* & 5. cuius doctrina eſt valde notanda. nam poteſt etiam deſeruire in caſibus quotidianis, quando Papa concedit aliquibus licentiam habendi Oratorium in domo pro celebratione Miſſæ.

Notandum eſt etiam hîc quòd conſanguineorum nomine, de quibus loquitur Bulla, intelliguntur, qui ſunt verè & propriè conſanguinei vſque ad quartum gradum, tam in linea recta aſcendentium & deſcendentium, quàm collateralium, ſeu tranſuerſalium eo modo, quo diximus *ſuprà hoc §. dub.2.d.2.* nam Bulla generaliter loquitur, & ſub nomine conſanguineorum intelligitur vxor, & è contra, vt dictum eſt *loco citato.* Igitur habens Bullam poteſt tempore interdicti localis generalis conuocare famulos, & famulas, qui ipſum comitari ſolent, & adducere ad Eccleſiam, vt ſecum Miſſam audiant, & pater, aut mater, aut alius ſuos conſanguineos vſq; ad quartum gradum, & domeſticos, vt ſecum in Oratorio etiam tempore interdicti Miſſæ interſint. Et ita docet Trullenck *in Bul. Cruc. l.1.§.3.dub.5.n.3.* qui *n.4.* optimè aduertit poſſe dominum, aut cõſanguineum in Eccleſia aſſiſtere alij Miſſæ, vel in Oratorio aliam Miſſam celebrare facere ſimul cum reliquis familiaribus, vel conſanguineis, contra Auilã *de cenſ.p.5.diſp.4.ſect.2.dub.7.§.5.* qui oppoſitum iudicat ſatis probabile. nam Bulla non limitat ad vnam Miſſam, & ſic Henriquez *l.7. c.13.n.4.* ait in Oratorio etiam tempore interdicti Miſſas ratione Bullæ celebrari poſſe. Sed an dicto tempore Interdicti familiares conſanguinei, &c. debeant aſſiſtere ſimul cum domino habente Bullam in Oratorio, quando dicitur coram ipſo Miſſa. Affirmatiuè reſpondet Henriq. *l.7.c.13.* Rodriq. *in Bulla §.5.n.5.* & Trullenck. Quare ait ille ſi dominus habeat multos familiares & conſanguineos, & cũ multis audiuit Miſſam, nequeunt reliqui familiares, vel cognati abſente domino, vel conſanguineo habente Bullam aliam Miſſam audire. Sed hanc opinionem multi etiam probabiliter nõ admittunt. & ideò Lud. de la Cruz *in Bulla Cruc. diſp.1.c.5.dub.3. n.5.* ſic ait. Id autẽ quod notat Rodr. nimirũ Miſſam celebrari nõ poſſe coram familiaribus, aut conſanguineis, niſi ipſo domino præſente, non placet quibuſdam iunioribus, quia Bulla concedit poſſe celebrari in ſua ac familiarium, & domeſticorum, nec non conſanguineorũ ſuorum præſentia. ergo ſicut poſſet celebrari in ſola præſentia domini, non obſtante illa particula copulatiua, *&*, ita etiam in ſola præſentia famulorũ, maximè habentium Bullam.

RESOL. LXXVII. *An tempore interdicti poſſit moribundo conferri extrema Vnctio quando non poteſt recipere ſacramentum Pœnitentiæ?*

CAſus eſt curioſus, & affirmatiuè reſpondeo. Puto igitur in articulo mortis quando aliud ſacramentum non eſt poſſibile, non eſt improbabile poſſe miniſtrari extremam Vnctionem, etiam ab excommunicato denuntiato, & tempore interdicti, quia tunc videtur habere locum ſacramentũ

Pœniten-

Pœnitentiæ, & poteſt facere de attrito contritum. Quòd poſſit in eo caſu à denuntiato miniſtrari docent Coninck 3 *part.q.64. art.6. dub.2. num.* 48. & Auila *de cenſ.2.p.c.6.diſp.3. dub.3.concl.* 4. ſi enim à denuntiato poteſt tunc miniſtrari, poterit etiam tempore interdicti in quo poteſt pœnitentia, cuius locum eo in caſu Vnctio extrema tenere videtur, v.g. ſi poſtquam oſtendit ſigna contritionis, amiſit vſum rationis, ob idque non poteſt confiteri, etiam iam moritur, videtur tunc poſſe illi etiam tempore interdicti miniſtrare extremam Vnctionem, quia tunc locum pœnitentiæ habere cenſentur. Ita docet Trullenck *in Bulla Cruc.lib.1.§.3.dub.7.n.2.*

RESOL. LXXVIII. *An interdictum perſonale ſpeciale poſsit ferri pro culpa veniali?*

SVppono quòd cauſa, propter quam ferri poteſt interdictum, communiùs debet eſſe peccatum mortale, & quidem graue, quia communiùs interdictum eſt grauis pœna; & proinde cauſa non poteſt eſſe leuis. dico *communius*, quia leue aliquod interdictũ, v.g. ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem, &c. videtur poſſe ferri pro culpa veniali. Hoc ſuppoſito negatiuam ſententiam docet Suar. *diſp.36.ſect.3. n.3.* Layman *lib.1.tract.5.p.4.c.4.n.4.* & Præpoſ. *in 3.p. q.4 de interd.dub.1.n 3.* quia tale interdictum ratione perſonæ eſt grauis pœna. ergo.

Verùm affirmatiuæ ſententiæ adhæret Sà *ver. interdictum n.7.* Henriquez *lib.* 13. *c.*50.*n.*2. & Auila *p.5 diſp.3.dub.2.concl.2.* vnde vtramque ſententiam probabilem eſſe puto.

RESOL. LXXIX. *An interdictum perſonale generale poſsit ferri pro debito pecuniario?*

NEgatiuam ſententiam tenet Sotus *in* 4. *diſt.* 22. *q 3.art.1.poſt 3 concl.* & Auila *part.5.diſp.3. dub.3. concl.3.* quia licet *in Extrauag.prouidè, de ſententia ex-commun.* prohibeatur ſolùm hoc fieri in interdicto locali, quod intelligitur tam de generali, quàm de particulari, debet tamen extendi ad interdictum perſonale generale, propter paritatem rationis, quòd ſcilicet inde multa animarum damna ſequantur.

Sed opinio contraria magis probabilis videtur Præpoſ. *in 3. p. q.3.de interdicto dub.1.n.5.* quia Extrauagant. citata ſolùm agit de interdicto locali. ergo non eſt extendenda ad alia interdicta, & ex rei natura interdictum perſonale poni poteſt propter debitum pecuniarium. vt indicat Emanuel Sà *ver. Interdictum num.*8. & docet Suarez *diſput. 36. ſect.3. num.*8. vide etiam Villalob. *in ſumm.tom.1.tract.*19. *diffic.*10.*num.*7.

RESOL. LXXX. *An interdicto Clero intelligantur interdicti Religioſi?*

AFfirmatiuè reſpondent DD. quos citat Sayr. *lib.5. cap.4. num.*29. & hanc opinionem eſſe communem teſtatur Couarr. *in c. alma mater. p.2. c.1.n.*8.§.5. & tenet ex neotericis Megala *in 3.p.lib.2. c.1.q.2.n.*5. Suar. *diſp.32.ſect.2.n.*17. quia tota communitas diſtinguitur in populum & Clerum; ſed Religioſi non comprehenduntur ſub nomine populi: ergo ſub nomine Cleri.

Verùm tu ne diſcedas à contraria ſententia. Dico igitur quòd quando interdicitur Clerus, neque ex antecedentibus, vel conſequentibus conſtare poteſt de contraria mente iudicis, vel legiſlatoris; non comprehendantur perſonæ Religioſæ, quia vt tradunt varij, tales in odioſis non comprehenduntur nomine Cleri, etiamſi primam Tonſuram habeant, niſi ex adiunctis aliud colligatur, atque ita ſi in ſententia dicatur, Interdicimus Clerum talis ciuitatis, non comprehenduntur Religioſi. Quod intelligo, niſi Religioſus habeat beneficium ſeculare, v.g. paſtoratum, Canonicatum, ita vt cenſeatur à ſuis ſegregatus, quia talis ſub nomine Cleri comprehendetur; quòd ſi cenſura feratur ſub nomine perſonarum Eccleſiaſticarum, comprehenduntur Religioſi etiam conuerſi, & Moniales, quia etiam hi diuino ſeruitio ſe manciparunt, & vocantur perſonæ Eccleſiæ. imò comprehenduntur eremitæ; verius etiam eſt comprehendi Nouitios, quia etiam hi cenſentur perſonæ Eccleſiæ quamdiu verſantur in probatione; ſi interdicantur Religioſi, verius eſt eos non comprehendi, quia in odioſis non veniunt nomine Religioſi. Et hæc omnia docet Præpoſ. *in 3.p.q.4.de interd.dub.2. n.*11. cui adde Portel *in dub.reg.ver.interd.n.*5. vbi ſic ait. Interdicto Clero vniuerſo alicuius vrbis, non interdicuntur Religioſi illius vrbis, ſi verba aliud non indicent, quia in odioſis nomine Clerici non intelliguntur Religioſi, bene tamen in fauorabilibus. Ita ille. cui adde Vgolinum *tab.5.§.5.n.*3. Alterium *tom.2.diſp.1.c.5.dub.*6. Coninck *de Sacr.diſput.7. dub.1.num.*9. Auilam *p.5.diſp.1 dub.4 concl.*7. & Layman *lib.1.tract.5.part.4.c.4.n.*3.

RESOL. LXXXI. *An tempore interdicti licitum ſit contrahere matrimonium?*

NEgatiuam ſententiam tenet Turrian. *lib.6. diſput.*48.*dub.*3. Portel *in dub.reg.ver.interdict.n.*19. Suar. *diſp.*33 *ſect.*1.*n.*51. Phil. Faber *de cenſ.in 4.ſentent. diſt.*25.*q.*1.*diſp.*5.*cap.*2. *n.* 32. Cornejo *in 3.p.tract.*5.*de interd.*5.1.*dub.*7. & Præpoſ. *in 3.p.q.*4 *de interd. dub.*3. *num.*23. quia conſtat ex *cap.reſponſo*, ſaltem in loco interdicto non licere miniſtrare Sacramenta, exceptis ijs, quæ ius excipit. Item ex *cap ſi ſententia.de ſent.excom. in* 6. patet interdictos etiam generaliter nullibi poſſe recipere Sacramẽta, exceptis caſibus à iure expreſſis, idq; planè ſupponit Bonifacius VIII. *c.Alma mater*, cit. atqui nullum eſt ius, quo permittatur matrimonium tempore interdicti generalis perſonalis, vel in loco interdicto.

His tamen non obſtantibus affirmatiuam ſententiam tuetur Auila *p.*5.*diſp.*4.*ſect.*1.*dub.*6. Villalob. *in ſum.tom.*1.*tr.*19.*diff.*3.*n.*15. Layman *lib.*1. *tr.*5. *p.*4. *cap.*2.*n.*1. Sanchez *tom.*2.*lib.*7.*diſp.*8.*n.*8. Sà *ver.interd. num.*17. Henriq. *lib.*13.*c.*45.*n.*3. & Hurtad. *tr.de interd. diff.*8.*n.*27. qui quamuis *in cap.ſi ſententia, de ſentent. excomm.in* 6. generatim prohibeatur ſuſceptio Sacramentorum, exceptis caſibus in iure expreſſis; & Sacramentum matrimonij non excipitur, id tamen intelligitur de Sacramentis commiſſis adminiſtrationi Eccleſiæ, adminiſtratio autem ſacramenti Matrimonij non eſt commiſſa Eccleſiæ, ſeu Miniſtris ab ipſa ordinatis, aut deputatis, ſed tantùm

ipſis

ipſis contrahentibus; benedictiones tamen nuptiales fieri non poſſunt, quia ſunt Officia diuina, Adde quòd *in c. appellamus, de feriis*, dicitur matrimonium quocumque tempore contrahi poſſe; ex quo videtur excipi ſacramentum matrimonij ab illa generali prohibitione tẽpore interdicti facta. Deinde licet matrimonium ſit Sacramentum, tamen eſt contractus, & ita non videtur ſimpliciter prohibitum. & ita hanc ſententiam præter DD. citatos tenet etiam Coninck *de Sacram. diſp. 17. dub. 2. num. 4.* cui ego libenter adhæreo.

RESOL. LXXXII. *An Sacerdotes qui poſſunt in interdicto Miſſam dicere, & Clerici diuinis Officiis aſſiſtere, poſſint etiam communicare abſque celebratione?*

NEgatiuam ſentẽtiam docet Cornejo *in 3. part. tractat. 5. de interd. §. 1. dub. 4.* Præpoſ. *in 3. part. quæſt. 4. de interd. dub. 3. num. 22.* Henriq. *lib. 13. cap. 45. num. 2.* Sotus *in 4. diſtinct. 22. quæſt 3. art. 1. poſt. 4. concl.* Turrian. *lib. 2. diſp. 48. dub. 2.* Villalobos *in ſum. tom. 1. tractat. 19. diff. 3. nu. 10.* Auila *part. 5. diſp. 4. ſect. 1. dub. 5. concl. 3.* Bonacina *de cenſ. diſput. 5. punct. 3. §. 2. numer. 8.* Alter. *tom. 2. diſp. 4 cap. 4. dub. 8.* & Hurtadus *tract. de interd. diff. 8. num. 8.* Quia iure antiquo etiam erat prohibitum ſacramentum Euchariſtiæ, quia non erat exceptum niſi conſtitutis in articulo mortis, vt conſtat ex *cap. quod in te 11. de pœnitent. & rem.* & ex *cap. permittimus 57. de ſentent. excom.* in cap. autem *Alma mater*, tantùm permittitur celebratio Miſſæ, non communio more laicorum.

Verùm contrarię ſententiæ ego adhæreo, quam tuetur Suar. *diſp. 33. ſect. 1. n. 35. & ſeq.* Sà *ver. interd. nu. 17.* Sylu. *eod. ver. 5. nu. 9. ver. Quarta.* Angel. *eod. ver. 6. num. 22. ad finem.* & hanc ſententiam tanquam magis piam & fauorabilem amplectitur Sayr. *lib. 5. cap. 7. num. 21.* & ex Theologis Societ. etiam illam tenet Ægidius Coninck *de Sacram. diſput. 17. dub. 2. num. 36.* & nouiſſimè Mercer. *de Sacram. in 3. part. quæſt. 24. de interd. dub. 2.* Et ratio eſt, quia cui conceditur aſſiſtere, & à fortiori dicere Miſſam, conceditur communicare, niſi expreſsè excipiatur, prout etiam optat Conc. Trid. *ſeſſ. 22. cap. 6.* vt in ſingulis Miſſis fideles præſentes communicent. Vide etiam Megalam *in 3 part. lib. 2. cap. 2. quæſt. 1. num. 29.* & poſt hæc inueni noſtram ſententiam docere Fabrum *de cenſ. in 4. ſent. diſt. 25. quæſt. 1. diſput. 5. cap. 2. num. 25.* vbi ſic ait. Falſum eſt quòd non concedatur hæc communio laica perſonis illis, quibus licet celebrare diuina tempore interdicti. Nam *in cap. Alma*, vt conſiderat Suarez, dicitur. Dicantur diuina Officia ſicuti priùs. At priùs, id eſt, ante interdictum ita celebrantur, vt non Sacerdotes Clerici ſumant Euchariſtiam more laico. ſimiliter Sacerdotes aliquo impedimento non potentes celebrare eodem modo communicant. ergo. Item fauores ſunt ampliandi, & acceſſorium ſequitur principale. ergo dum principaliter conceditur, quod eſt celebrare diuina, etiam conceditur acceſſorium quod eſt communio laica. Ita Phil. Faber, & ego. vide etiam Filliucium *tom. 1. tract. 18. cap. 2. num. 42.*

RESOL. LXXXIII. *An laici quibus tempore interdicti licitum eſt in aliquibus diebus Miſſam audire, poſſint ſacram Euchariſtiam ſumere?*

NEgatiuam ſententiam tenet Sylueſter *ver. interd. 5. quæſt. 2.* Sotus *in 4. diſtinct. 22. quæſt. 3. art. 1. poſt. 4. concluſ.* D. Ant. *part. 3. tit. 26. cap. 4.* Præpoſ. *in 3. part. quæſt. 4. de interd. dub. 3. num. 22.* Henriq. *lib. 13. cap. 45. num. 2.* Nauarr. *cap. 27. nu. 178.* Hurtad. *tractat. de interd. diff. 7. num. 25.* Auila *part. 5. diſput. 4. ſect. 2. dub. 12.* Gordon. *tom. 2. lib. 7. quæſt. 16. cap. 4. numer. 42.* & Turrian. *vbi infrà*, quia ſupradictis ex communi ſenſu conceditur tantùm aſſiſtentia, vt poſſint audire diuina Officia, & eis prohibita eſt communio. ergo, &c.

Verùm Suarez *diſput. 33. ſect. 1. num. 36. & ſeq.* contrariam ſententiam putat probabilem, & ideo exiſtimat in diebus feſtis, in quibus *cap. Alma mater*, conceditur, vt tempore interdicti poſſint omnes audire Miſſas, poſſe intelligi, vt etiam poſſint ſumere Euchariſtiam, propter rationem factam, nempe quòd qui aſſiſtunt Miſſæ, participes fiunt ſacrificij Miſſæ & communionis, quia *cap. Alma mater* dicit, *participationem permittimus diuinorum*, quamuis tandem dicat contrariam opinionem facilè defendi poſſe, & in praxi ſeruandam eſſe Eccleſiæ conſuetudinem; & hanc poſteriorem ſententiam, quam probabilem putauit Suar. teſtatur Turr. *lib. 6. diſput. 48. dub. 2.* iudicatam etiam eſſe probabilem à multis doctiſſimis viris in Hiſpania, præſertim in Academiis Compluten. & Salmaticenſi, de hac re interrogatis, quorum reſponſa ipſe Turrianus teſtatur & vidiſſe & legiſſe; erant autem pluſquam quadraginta viri primarij ſeculares, & Religioſi ex omnibus Religionibus, qui ſenſui Suarez ſubſcripſerant, contra pauciores quoſdam & numero & doctrina inferioris cuiuſdam Academiæ in Regno Aragonenſi. & ita hanc ſententiam prętet Suar. tenet etiam Faber *de cenſ. in 4 ſentent. diſtinct. 25. quæſt. 1. diſp. 5. cap. 2. num. 25.* Layman *lib. 1. tractat. 7. part. 4. cap. 2. num. 3.* Coninck *de Sacram. diſp. 27. dub. 2. num. 36.* & Mercerus *in 3. part. quæſt. 24. de interd. dub. 2.* vbi ſic ait. Cui conceditur aſſiſtere Miſſæ, cõceditur etiam communicare, niſi expreſsè excipiatur, prout etiam optat Conc. Trid. *ſeſſ. 22. cap. 6.* vt in ſingulis Miſſis fideles præſentes communicent. Vnde etiam ſequitur, quòd laicis liceat tempore interdicti ſumere Euchariſtiam in quatuor feſtis, videlicet Paſchæ, Natiuit. Domini, Pentecoſt. & Aſſumptionis B. Mariæ, quandoquidem per *cap. Alma* poſſint tunc diuinis intereſſe, imò ad implendum præceptum de annua communione tenentur tunc communicare, cùm omne impedimentum iuris antiqui ſit ablatum per *cap. Alma mater.*

Vide etiam Megalam *in 3. part. lib. 2. cap. 2. quæſt. 1. numer. 30.* & ideò ſtante probabilitate ſupradictæ opinionis tempore interdicti ſi occurrat præceptum ſumẽdi Euchariſtiam, vt in Paſchate Reſurr. poterit dari ſecularibus. Ita Suarez & Coninck. cui adde Portel *in dub. reg. ver. interd. numer. 16.* Sed negat hoc Turrian. *loco citat.* & Auila cum Alter. *tom. 2 diſput. 4. cap. 4.*

RESOL. LXXXIV. *An benedictio nuptiarum ſit tempore interdicti illicita?*

NEgatiuam ſententiam docet Henriq. *lib.* 13. *cap.* 45 *num.* 3. & Nauarr. *cap.* 27 *num.* 19. Verùm contrariam docet Sanch. *de matr. lib.* 7. *diſp.* 8 *nu.* 17. Villalob. *in ſumm. tom.* 1. *tr.* 19. *diff.* 3. *num.* 17. Præpoſ. *in* 3. *p. q.* 4. *de interd. dub.* 3. *n.* 23. vbi ſic ait. Addendum eſt etiam benedictionem nuptialem eſſe materiam ſatis grauem, quod in Miniſtro Eccleſiæ facilè apparet, ſed etiam in ipſis contrahentibus erit grauis violatio, eo quòd illa actio ſatis videatur grauis, & apta ad peccatum mortale.

Non deſinam hîc apponere verba Fabri *de cenſ. in* 4. *diſt.* 25. *q.* 1. *diſp.* 5. *c.* 2. *n.* 30. vbi ſic ait. Dubium eſt an benedictiones nuptiales ſint prohibitæ tempore interdicti. nam communis opinio tenet eas eſſe illicitas, quia inter diuina Officia computantur, imò habent adiunctam Miſſam, & preces ſolemnes, quas tempore interdicti eſſe prohibitas certum eſt. Nihilominus Couarr. *in d. c. Alma, p.* 2. § 2. *num.* 7. tenet has benedictiones licere tempore interdicti, ſi fiant eo modo, quo conceſſum eſt celebrare diuina tempore interdicti, ſcil. clauſis ianuis, quia etiam iſtæ benedictiones ſunt quædam Officia ſacra annexa cuidam Miſſæ, & proinde cum eiſdem circumſtantiis licebit. Sed obſtat huic opinioni, quòd in huiuſmodi celebratione diuinorũ nermiſſa tempore interdicti debent excludi laici nedum interdicti, ſed etiam non interdicti. ergo ſponſus & ſponſa non poſſunt illi Miſſæ intereſſe, & conſequenter benedici non poſſunt; ideo ſententia communis non videtur derelinquenda.

Nota tamen quòd ex Suarez docet Turr. *lib.* 6. *diſp.* 49. *dub.* 4. benedictiones nuptiales poſſe fieri in diebus, in quibus permittuntur diuina Officia, vt Paſchatis, &c. quod eſt valde notandum, & notat etiam Mercerus *in* 3. *p. q.* 24. *de interd. dub.* 3. & Moſcoſo *in ſumm. tr.* 16. *c.* 8.

RESOL. LXXXV. *An Clerici coniugati poſſint intereſſe diuinis Officiis tempore interdicti?*

NEgatiuè reſpondet Hurtad. *tr. de interd. diff.* 7. *n.* 19. quia iſti non gaudent niſi priuilegio Canonis & fori, vt patet ex *c. vn. de Cler. coniug. in* 6. & ita etiam docet Io. de la Cruz *in direct. conſcien. p.* 2. *de interd. not.* 1. & Gordonus *tom.* 2. *lib.* 7. *q.* 16. *cap.* 4. *n.* 36. Trullenck *in Bulla Cruc. lib.* 1. § 3. *dub.* 2. *num.* 4. & alij.

Mihi verò magis placet opinio affirmatiua cum Villalob. *in ſumm. tom.* 1. *tr.* 19. *diff.* 5. *n.* 7. Mercero *in* 3. *p. q.* 24. *de interd. dub.* 3. & 4. Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 2. Auila *p.* 5. *diſp.* 4 *ſect.* 2. *dub.* 4. *concl.* 2. & Coninck *de Sacrament. diſp.* 17. *dub.* 2. *nu.* 30. ſi iuxta decretum Trid. ex mandato Epiſcopi alicui Eccleſiæ inſeruiant. Hoc ipſo enim quo tales Clerici ita ſeruitio Eccleſiæ deputati ſunt, videntur in hoc æquales aliis Clericis computari. & confirmatur, quia vel illi tunc non inſeruiendo Eccleſiæ reciperent ſua ſtipendia, & ſic eſſent meliori conditione, quàm alij Clerici, qui non accipiunt ſtipendia, niſi inſeruiant, & Eccleſia damnum acciperet, quæ & eorum ſeruitio, & ſuis ſtipendiis priuaretur, vel ipſi iiſdem ſtipendiis priuarentur, & hoc eſſet valde durum, cùm ea ratione in grauiſſimas neceſſitates, & Clericali ſtatu indignas ſine ſua culpa coniicerentur.

RESOL. LXXXVI. *An interdictus à Sacro faciendo poſſit Ordines conferre?*

POſſe conferre minores, conſtat, eo quòd non neceſſariò conferantur in Sacro. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 43. *num.* 1. cenſet non poſſe conferre maiores, qui extra Miſſam conferri non poſſunt; ſed omnino verius eſt poſſe conferre alio celebrante, quia non eſt neceſſe vt ordinans Sacrum faciat. & ita docet Ioan. Præpoſ. *in* 3. *part. q.* 4. *de interdict. dub.* 3. *numer.* 25.

RESOL. LXXXVII. *An deficiente Clerico poſſit Sacerdos accipere laicum ad ſeruiendum Miſſæ?*

REſpondeo affirmatiuè cum Præpoſ. *in* 3 *p. q.* 4. *de interd. dub.* 3 *num.* 31. vbi ſic ait. Notandum Sacerdotem, cui cõceditur tempore interdicti celebrare Miſſam, poſſe deficiente Clerico accipere miniſtrum laicum, quia conceſſo principali, cenſetur concedi acceſſorium, & præſertim quandõaliàs principale non poteſt iuxta morem Eccleſiæ obiri. Imò ſi Prælatus non ſolet celebrare ſine duobus Miniſtris, poteſt eos adhibere, etiam tempore interdicti, imò verius eſt id poſſe ſimplicem Sacerdotẽ, cùm olim ſolerent adhiberi duo Miniſtri in ſacrificio Miſſæ, quod licet conſuetudo ſit moderata, non tamen ſuſtulit facultatem eos adhibendi iuxta præſcriptum antiquorum Canonum. Ita Præpoſitus, cui adde Villalob. *in ſum. tom.* 1. *tract.* 19. *diffic.* 5. *num.* 13. & Mercerum *in* 3 *p. q.* 24. *de interdict. dub.* 3. & Ludouicum de la Cruz *in Bull. Cruc. diſp.* 1. *c.* 5 *dub.* 3. *num.* 4.

TRA-

TRACTATVS VNDECIMVS

DE

SIGILLO CONFESSIONIS.

MIRABERIS fortaſſe, amice Lector, me in ſequenti tractatu ſtrictiores ſemper opiniones amplecti, qui tamen in aliis ad exonerandas conſcientias benignioribus libenter adhæſi; ſed ita meritò faciendum eſſe duxi; laxæ enim opiniones circa præſentem materiam odioſum, ac oneroſum efficiunt ſacramentũ Pœnitentiæ, quod facile & leue à nobis reddendum eſſe, omnis recta ratio expoſtulat. Igitur in his materiis quando duæ adſunt opiniones, ſemper illa debet amplecti, quæ fauet Sacramento. Ad cuius ſacroſanctum Tribunal alliciendi potiùs, quàm retrahendi ſunt pœnitentes. Adde quòd licet, ſpeculatiuè loquendo, multæ ex infraſcriptis opinionibus contra ſacrum ſigillum ſint probabiles, tamen, vt concedunt ipſimet Doctores contrarij, vt in praxi ſine peccato deducantur, cum tantis circumſpectionibus faciendum eſt, vt difficile ſine aliquo ſcandalo fieri poſſe exiſtiment. Rectè igitur in hac materia ſemper à Confeſſariis in fauorem ſacri ſigilli tenendum eſſe puto, quibus in mentem adduco faſtum Iacobi I. Aragoniæ Regis, qui Gerundenſi Epiſcopo linguam à tergo extrahi imperauit, quòd confeſſionem Regis detexiſſet, vt refert Aldrete de diſciplina tuenda, lib. 2. cap. 19 num. 2. *digna profectò tanto crimine pœna, ſi à legitimo iudice inflicta fuiſſet. Caueant igitur ſilentiarij, vt cum antiquis loquar, ne dent linguarium.*

RESOL. I. *Quotuplex ſit ſigillum?*

RESPONDEO duplex eſſe ſigillum, alterum ſacramentale, alterum naturale, non quòd omne ſigillum ſacramentale non ſit etiam naturale, ſed quòd non omne naturale ſit ſacramentale, vnde ſequitur fortius eſſe ſigillum ſacramentale, quàm naturale, maioremque ac fortiorem eſſe illius obligationem, quàm huius, quoniam obligatio ſigilli naturalis ſolùm à Deo quatenus auctor naturæ, & ideo à lege naturali in proximorum bonũ introducta fuit: obligatio autem ſigilli ſacramentalis introducta eſt à Chriſto quatenus Deus eſt, & auctor gratiæ, quæ per Sacramentum confertur. Vnde patet diſtinctio inter ſecretum naturale, & ſigillum ſacramentale. nam ſecretum naturale cùm introductũ ſit in bonum proximi, in multis caſibus non obligat, quoties ſcilicet in detrimentum proximi vergit, temporale, vel ſpirituale, in damnum publicum & commune: dictat enim lex naturalis, ne aliis noceamus, ſicut nobis ab aliis noceri nolumus; ſigillum verò ſacramentale ne iniuria fiat Sacramento, ita obligat vt in nullo vitæ caſu, nec etiam pro tuendo Rege, vel liberando toto Orbe ab iniuſta conflagratione, infringi poſſit, immò nec etiam violari poterit, quamuis vniuerſa Eccleſia, & fides tota Chriſtiana per impoſſibile pereat, niſi ſacramentale ſigillum reueletur. Ita Doctores omnes communiter.

RESOL. II. *Quotũplex ſit malitia in frangendo ſigillum ſacramentale?*

REſpondeo duplicem, vnam ſacrilegij contra reuerentiam debitam Sacramento, aliam contra iuſtitiam infuſam, ſecundùm quam tenemur ſeruare ſecretum commiſſum in confeſſione. & vtraque malitia eſt inſeparabilis, quia in nullo caſu poteſt reuelari ſecretum cõfeſſionis, quin vtraque malitia reperiatur. De prima malitia ſacrilegij conſtat aſſumptum, quia ſemper dum frangitur ſigillum, fit iniuria Sacramento. Secunda malitia iniuſtitię exinde patet, quia inter Confeſſarium & pœnitentem intercedit virtuale quoddam pactum de ſeruando iſto ſecreto in omni caſu, & ſine vlla exceptione eius. ergo violatio cùm ſemper ſit iniuſta, ſemper inducet peccatum contra iuſtitiam infuſam. Cùm igitur duplex ac geminata malitia in delicto reuelationis ſigilli ſacramentalis inueniatur, ſequitur etiam duplicem culpam mortalem ſpecie diuerſam committi à violatore ſigilli, alteram contra Religionem, iniuriam Sacramento efficiendo, reddendoque illud odioſum pœnitentibus; alteram contra iuſtitiam infamando proximum, cuius delictum occultum proditur, & teneri in conſcientia prædictum violatorem hanc duplicem circumſtantiam confiteri, ſicuti duplicem quoque committit culpam lethalem, diuerſam ſpecie, qui frangit illicitè ſecretum naturale, quod ſub iuramento ſeruare promiſit; quia iuramentum trahit peccatum ad ſpeciem periurij, vnde committit peccatum periurij, & peccatum iniuſtitiæ, quæ ſunt circumſtantiæ diuerſæ. & ita docent Ochagauia *de Sacr. tract. 3. de ſigillo, q. 1. n. 4.* & Kelliſonius

sonius *in 3.part.tom.2.q.11.art.1.* cum Fagundez *pr.2. lib.6.cap.1.n.6.* & aliis communiter.

Nota verò tunc committi huiusmodi peccatum à Confessario, quando volens & aduertens aliquid ex confessione reuelat; quare si quando aliquid ex ea diceret, ex inaduertentia quadam, excusari posset à peccato mortali. Vtrùm autem & tunc posset excusari à veniali, non facilè dixerim. Suarez quidē asserit Confessarium aliquando posse etiam excusari ab omni veniali ex defectu voluntatis, & tunc quando reuelatio esset omnino indirecta, & ipse nullo modo aduerteret. Quòd neque satis probare possum. nam in primis certum videtur sufficere reuelationem indirectā, qua aliquo modo prodatur peccator, ad hoc, vt quis dicatur fractor sigilli; quare ex hoc capite non excusaretur à peccato. Præterea hoc ipso, quòd Confessarius non aduertat, cùm tamen teneretur, & deberet ex officio aduertere, non videtur excusandus saltem ab omni veniali, id quod etiam tandē videtur voluisse ipse Suar. *ibidem in fine*, admonens Cōfessarios ne quid tale committant ex negligentia, quod aliquo possit confessionem pœnitentis manifestare, & ita docet Onuphrius *opusc. de sigillo sect.5.q.1.*

RESOL. III. *An in aliquo casu Confessarius licitè possit vti notitia parta?*

AFfirmatiuè respondet Tanner. *tom.4. disp.6. q.9. dub.6.n.140.* Ochagauia *de Sacr. tr.3. de sigillo, q.7.n.2.* & alij, quos adducit Fagundez *pr.2. lib. 6.c.2.n.2.* & Sanchez *de matr. tom.1.l.3. disp.16. nu.2.* maximè in rebus gratuitis. Probatur hæc opinio, quia si Confessarius non audiuisset confessionem, irrationabiliter conquereretur pœnitens, si, v.g. ei negasset suffragium omnino gratuitū, & liberum. ergo audita confessione, irrationabilis erit querela, & suspicio de negatione ob crimen confessum, & irrationabiliter etiam retraheretur quisque à confessione. Secundò, quia alioqui daretur occasio indignis vtendi cautelis iniustis, vt eligantur, vel conseruentur in officiis ad nutum amouibilibus, & plerumque non sine magna iniuria Sacramenti, faciendo scilicet confessionem suæ indignitatis cum electoribus, vel superioribus. Vnde ex his dicti Doctores inferunt primò Confessarium, qui in confessione nouit proditionem, posse monere ad diligentem custodiam ciuitatis. Secundò, posse dimittere famulum, quem ex sola confessione nouit furē, vel posse res suas meliùs custodire. Tertiò Prædicatorem posse inuehi in grauia peccata. Quartò Episcopum posse dimissorias negare, vel non cōferre beneficium ei, quem nouit ex confessione indignum. Quintò posse occultum suffragium negari indigno. Sextò posse moneri alium, cui paratur malum, vt tali loco & tempore sibi caueat. Septimò Prælatum posse ex notitia in confessione parta amouere ab officio ad nutum amouibili eum, quem nouit sese malè gerere, non admittere ad officia eum, qui putatur nociturus, negare licentiam exeundi ex domo, posse erigere murum monasterij, & similia.

Sed prorsus contrariam sententiam tenendam esse puto, non solùm in casibus, in quibus periculū esset proditionis sigilli, vt fatentur Auctores contrariæ sententiæ, sed etiam in his, in quibus id esset cōfusioni ac pudori pœnitenti. & ita hanc sententiā docet Fagundez & Sanchez *vbi sup.* quibus ego addo Faustum *de pœnit. lib.7.q.45.* Bannez *in 2.2.q.33. art.8.* Suar. *in 3.p. tom.4. disp.33. sect.7. n.4.* Moscoso *in sum.tr.7.c.15.n.4.* Præpos. *in 3.part.q.11. de sigillo, dub.7. nu.52.* Valentiam *tom 4. disp.7.q.13. punct.3.* Granado *de Sacr. in 3.part. contr.7.tr.11. disp.7.n.5.* Onuphrium *opusc. de sigill. sect. 2. q.2. dub.2.* & alios. Et probatur hęc opinio validissimis rationibus. Primò, quia potissima ratio, ob quam sacramentale sigillum tam inuiolabiliter obligat, vt nullo modo eius notitia ad notitiam fori externi, & externorum actuum deducatur est, ne hoc diuinum Sacramentū, quod à Christo Domino in salutem animarum institutū est, reddatur hominibus formidabile, & ideo fugiendum omnino est, quicquid illud onerosum ac odiosum potest reddere. At nihil magis odiosum illud potest reddere hominibus, quàm si illi intelligant, posse priuari à suis Superioribus officiis, Ordinibus, aut mutari in alia loca, & sibi negari suffragia ad communes honores & cōmoda ob notitiam confessionis. nam, vt optimè notat Sanchez *l.3. de matrim.c.16.n.3. fine.* vt homines auertantur à confessione, & sic iniuria fiat Sacramento, satis est, quòd antecedenter sciant, posse Superiores iuuari notitia confessionis, ad huiusmodi actus externos dirigendos. quare opus est vt nec doceatur, nec in practicam adducatur doctrina primæ opinionis, vtpote periculosa, & nociua honori ac religioni Sacramenti. Secundò sacramentum Pœnitentiæ institutum fuit à Christo Domino sub hoc occultissimo sigillo & propter bonum & religionem, ac honorem Sacramenti, vt homines fidentiùs ad illud accedant, & propter bonum pœnitentium, vt illorum famæ consulatur; sed vtrumque læditur in alia opinione. ergo illa non est edocenda. Læditur honor & religio Sacramenti, quia non tam fidenter ac frequenter ad illud homines accedent, si sciant inde sibi malum aliquod euenire posse. Læditur fama pœnitentis, quia si in generali defectus alieni in confessione auditi propalari possint, periculum est, vt cognoscantur pœnitentes auctores criminum. Tandē læditur religio Sacramenti, quia impeditur solatium miserorum, quod Dominus posuit in hoc Sacramento. Et cùm hæc omnia sint maxima inconuenientia, aliena à Christi institutione ideo alia opinio omnino reiicienda est. Deinde cùm inferior, per se loquendo, debeat adire Superiorem pro casu reseruato, esset onus durissimum, si is posset sese dirigere in gubernatione subditi ex notitia in confessione comparata.

Et ideo propter inconuenientia affirmatiuę sententiæ prohibuit Superioribus Regularibus ea vti Clemens VIII. *in decreto de casuum reseruatione die 26. Maij 1594. §. 6.* vbi dicitur. Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui postea ad Superioris gradum fuerint promoti caueant diligentissimè, ne eam notitiam, quam de aliorum peccatis in confessione habuerūt, ad exteriorem gubernationem vtantur; quod decretum obligare sub mortali patet ex §. *vltimo*; ex quo patet

non

non continere solam directionem, sed etiam præceptum. Cùm ergo res sit grauis, eius transgressio erit mortalis, & cùm Pontifex voluerit consulere subditis, & integritati, & puritati confessionis, cõstat illud decretum omni euentu obligare. Vnde, iuxta illud, Superior pro nullo Religionis bono potest sese in suo regimine dirigere ex notitia habita ex confessione, nõ potest subditum ab officio etiam amouibili remouere, non potest eum aliò mittere, clausuram meliùs custodire, ostium claudere, solitum egressum è domo negare, in mores subditi acriùs inuigilare, &c. quod intelligitur de notitia per illos in confessione comparata, quia si resciant ab aliquo, qui iuxta priorem sententiam in genere monuerit, poterunt vti in sua gubernatione huiusmodi notitia, non minus quàm magistratus aliquis ciuilis.

Nec desinam præterea ad labefactandam affirmatiuam sententiam præter Decretum Pontificium adductum, etiam hic aliud Decretum magni illius viri Claudij Aquæuiuæ Præpositi Generalis Societ. Iesv, in quo anno 1590. vsum affirmatiuæ sententiæ in Societate non solùm Superioribus, sed etiam omnibus Confessariis prohibuit, & verba Decreti, quod affert Granado *vbi suprà, num.* 2. sunt hæc. Tametsi non desunt Doctores, qui sentiant, saluo sacramentalis confessionis sigillo, iustis de causis licere nonnumquam Confessario (cùm id fieri potest sine vlla reuelatæ confessionis suspicione) vti extra confessionem notitia per confessionem habita; tamen quoniam hæc doctrina & eam exigit in tanta re circumspectionem, quã seruare perdifficile sit, & interim posset aliquando retardare subditorum libertatem, quam huius fori sanctitas, & nostræ Societatis institutũ requirunt in se ipsis, rebusque suis Confessario aperiendis, idcirco visum nobis est in Domino statuere, sicut & seuerè statuimus pro reuerentia, qua semper Societas nostra coluit huius Sacramenti inuiolabile sigillum & libertatem, vt omnes Superiores diligenter caueant, ne vel ipsi, vel nostrorum aliquis supradictam doctrinam vsquam introducant, nec illam publicè, aut priuatim doceant, nec ea vtantur vllo modo (nisi fortè de pœnitentis licentia) sed ita prorsus in omnibus casibus nostri se gerant Confessarij, ac si in cõfessione nihil penitus audiuissent, sibique persuadeant, vt humanarum rerum regimen ab hoc Sacramento longissimè distat, ita debere nullatenus ab eo pendere. Hactenus Decretum. ex quo Granado *loco cit.* infert non licere Professoribus Theologiæ, aut aliis de Societate prędictam opinionem publicè, aut priuatim docere, nec illa vti, cùm ita præcipiat & satis seuerè illorum Superior, Generalis nimirum, cuius ordinationes & mandata non expirant eo expirante, sed vim habẽt, quamdiu ab alio Generali, aut generali Congregatione, aut certe à Christi Domini Vicario non reuocantur, vt constat ex *can.* 23. *Congr. IV.* Societatis Iesv. Itaque nobis amplectenda est sententia affirmans, nullo modo licere extra cõfessionem vti scientia per confessionem habita, nisi pœnitens licentiam prębeat. Ita Granado. Vnde miror Tannerum affirmatiuam sententiam docuisse.

Notandum est tamen nostram sententiam intelligendam esse in iis, quæ aliquo modo præiudicant pœnitenti, vel illius honorem, aut personam possunt lædere, aut illum rubore suffundere, vel à confessione retrahere. Vnde in aliis nõ esset illicitum iustis de causis vti scientia per confessionem comparata, vbi sine vlla violatione sigilli vsus haberi potest, v. g. non licet amouere ab honorifico officio, aut negare suffragium, etiam in electione secreta, aut Ordines sacros propter aliquid in confessione cognitũ: licebit tamen si Confessarius sciat in confessione parari sibi insidias à Petro vt illũ interficiat, nõ exire domo aut si exeat, intus armis ad defensionem solam instrui, quia id neque offendit Petrum, nec illi molestiam affert, aut à confessione auocat. Et similiter si scirem in confessione Petrũ non esse Sacerdotẽ verum, sed fictum, possem quęsito bono titulo non illi deinceps, sed alteri confiteri, & sic de aliis. Et ratio est, quia in his casibus, & similibus, iniustè aliquis & irrationabiliter retraheretur à confessione. & ita docet Sanchez *vbi sup. n.* 4. & Granado *n.* 6. cum Fagundez *cap.* 3. *num.* 1.

Restat modò respondere ad argumenta pro affirmatiua sententia adducta. Dico igitur ad primũ, ante auditam cõfessionem iniustè queri posse pœnitentem, de suffragiis sibi negatis ad honores publicos, iustè autem audita confessione, si ob notitiam illius sibi denegentur, & quamuis ille nõ possit iustè queri, adhuc ea actio priuandi ab officiis, & denegandi ea suffragia, iniuriosa est Sacramento confessionis, quia illud reddit hominibus exosum, & vt odiosum reddatur, satis est quòd sciatur ius habere Superiores ortum ex notitia confessionis ad priuandos ipsos pœnitentes huiusmodi officiis, & suffragiis.

Ad secundum respondeo nullam dari occasionem hominibus sceleratis vtendi pernicioſa cautela, vt conseruentur in suis officiis, in quibus habent occasiones peccandi, quia si Prælatis alia via constiterit de tali occasione, iustè eos poterunt priuare; si autem non constiterit, nisi per confessionem, confessio nullum ius eis tribuit ad id faciendum, vt patet. Sed ex dictis resoluendi sunt aliqui casus in particulari.

Resol. IV. *An aliquis vocalis, v. g. nostræ Religionis, vel Magister Nouitiorum, possit negare suffragium alicui propter peccatum confessum?*

Affirmatiuè respondet Ochagauia *de Sacr. tr.* 3. *de sigillo, q.* 7. *n.* 2. & alij, quos ego alibi citaui; quia in tali casu nullo modo reuelatur peccatum, quia ipse solus pœnitens id coniicit; & ita etiam docet Kellisonius *tom.* 2. *in* 3. *p. q.* 11. *art.* 1. *dub.* 4. & *ibi* Mercerus *art.* 5. *dub.* 2.

Sed hanc sententiam esse refellendam, patet ex dictis in superiori resolutione. nam eo ipso quo pœnitens intelligit se posse priuari officio, suffragio, sacris Ordinibus propter sua peccata confessa, quis dicet inde nõ reddi hoc diuinum Sacramentum hominibus formidabile? Igitur negatiuã sententiam prorsus sustinendã esse puto, quam docet Bannez, Onuphrius, Fagundez *vbi suprà citati*, quibus adde Sebastianum à Bononia *tr. de elect. p.* 1. *c.* 5. *dub.*

dub.37.n.2. Reginaldū *in praxi to.1.l.3.c.3. n.33.* Suar. *in 3 p.tom.4.disp.33 sect.7.n.12.* Sanchez *de matr.tom.1. l.3.disp.6.n.6.* Rodriq. *in qq.Regul. tom.2.q 54.art.4.* Coriolan. *de cas reseru.p.1.sect.1.art.16.* & Hurtad. *de Sacr.disp.12.de pœnit. diff.9.* quia Confessarius ita tenetur sigillo sacro confessionis, vt nequeat peccatū in confessione tantùm notū alicui dicere, non solū aliis à pœnitente, quamuis viderint peccatū à pœnitente committi, sed nec illud obiicere ipsi pœnitenti; in casu autem dicto remouere pœnitentē ab officio, aut ipsi negare suffragium, aut aliud circa ipsum efficere, quando ipse coniicit, aut coniicere potest id fieri ob peccatum confessum, est ipsi insinuare, imò est quodammodo obiicere, & exprobrare peccatum confessum, quo confessio ita fiet ei molesta & odiosa, vt ob id retrahi possit ab ipsa. ergo id est contra obligationem sigilli sacri confessionis. Deinde, vt dictum est, confessio nulli debet esse molesta, & grauis, neque ex ea debet pœnitens sentire aliquod incommodum, sed si ex confessionis scientia priuaretur pœnitens aliqua dignitate, fine dubio ex confessione sentiret aliquod incommodum, eique illa esset grauis & molesta. Neque dicas nulli reddi molestam cōfessionem, quia suffragium quod datur, est omnino occultum & secretum. Respondetur enim id esse per accidens, quòd scil. suffragium datum nesciatur à pœnitente; attamen per se confessio est illi grauis, & onerosa, quod nulla ratione videtur concedendum de confessione. Adde quòd Confessarius in tali casu accedit ad electionem, vt homo simpliciter, sed vt talis nouit eligendum dignum Prælatura, officio, sacris Ordinibus, &c. vt suppono. ergo vt talis potest, & debet illi facere. nam quod deinde in confessione nouerit illum indignum, perinde est ac si non nosset, iuxta illud D. Bern. *Nihilominus scio, quàm quæ per confessionem scio.* Et audiant Superiores Regularium verba Richardi *in 4 sen.dist.21.n.4.q.2. ad.4.* vbi sic ait. Prælatus remouendo ab officio subditum suum, etsi faciat vtilitatem ipsius, facit tamen contra vtilitatem communitatis, quia illi, qui remouentur ab officiis ex notitia confessionis proniores reddentur vt non confiteantur secundùm veritatem. Ita ille.

Resol. V. *An si pœnitens explicet aliqua in confessione, concomitanter teneatur Confessarius celare sub sigillo?*

NEgatiuè respondet Mercerus *in 3.p. q. 11. art.2.* & ideo ea, quæ non pertinent ad peccata declaranda, sed in confessione concomitanter dicuntur, propriè non contineri sub sigillo, docet Suarez *in 3.p.disp.33.sect.3.* & alij. Si nullo modo tamen inseruiant accusationi peccatorum.

Sed ego adderem cū Tannero *tom.4. disp.6. q.9. dub.6.n.136.* Si nec inseruire existimarenrur ab ipso pœnitente, ita vt nec in ordine ad peccata explicāda sint in confessione patefacta; nam si hoc modo explicarentur à pœnitente, puto sub sigillo ad illa non manifestanda Confessarium teneri. & ita etiā docet Reginald. *in praxi tom.1.lib.3.c.4.n.39.* vbi ait. Cadere sub sigillum non modò cùm ad peccatum declarandum necessarium fuerit tale quid in confessione exprimi, sed etiam cùm fuerit vtile, imò quoties in eum finem pœnitens (etiamsi in eo fortè agat minùs prudenter) aliquid dixerit, quod est in confessione tolerandum habita ratione communis modi confitendi hominum, multa sæpe dicentium animo declarandi sua peccata, quæ nihil sunt ad id necessaria, imò interdum neque vtilia; cùm ergo simplices & imprudentes auertendi nō sint à confessione, sicut nec alij, tacenda sunt quæcumque ab eis dicuntur ad explicationem suorum peccatorum, vt possint securè, & sine timore reuelationis confiteri. Sic ille. vide etiam Fabrum *de pœnit. in 4.sent.dist.19.quæst.vnic.disp.34.cap.2.n.31.*

Resol. VI. *Quidam Confessarius extra confessionem loquutus est cum pœnitente de peccatis confessis, qui eum apud Episcopum accusauit, quæsiuit tunc à me Antistes ille, an talis Confessarius tanquam fractor sigilli puniendus esset?*

REspondi in tali casu Confessarium fregisse sigillum, docuisse Sotum *in 4.dist.18.q.4. art.6.* Victoriam *in sum.n.85.* & alios. Sed negasse Vasq. *in 3.part.tom.4.q.93.art.4. dub.10.* Medinam *C.de Confess.quæst.de his, quæ à Confessario celanda sunt,* & alios. Aliquibus tamen magis placuit opinio Hurtadi *disput.12.de sacr. Pœnit.diff.11.* vbi tenet dictam locutionem non esse contra sigillum strictè sumptum, quia non est apertio secreti strictè sumpti, cùm fiat ipsi pœnitenti scienti peccata, de quibus Confessarius loquitur, esse tamen contra sigillum latè sumptum, quia est contra obligationem nulli dicendi peccata in confessione tantùm nota, quæ dici potest sigillum, seu obligatio seruandi secretum, id est, nulli dicendi. Vnde sequitur, vt ipsemet Hurtado obseruat, eum, qui sic peccat contra sigillum, non esse puniendum pœna imposita reuelantibus confessionem, quia tunc non reuelat confessionem reuelatione absolutè & strictè sumpta, sed tantùm latè sumpta, quæ non est punienda pœna imposita his, qui absolutè & simpliciter dicuntur reuelare. Et ideo ex his præfatus Illustrissimus Antistes Sacerdotem illum non damnauit ad pœnam ordinariam inflictam ex sacris Canonibus contra fractores sacri sigilli, sed puniendum duxit pœna extraordinaria; & ita in terminis hanc sententiam docet Granado *in 3.part.de Sacr.contr.11.tr.11. disp.8. n.3.* Sed ego puto in dicto casu Confessarium frangere sigillum, & esse puniendum pœna ordinaria.

Notandum est etiam hîc per ea, quæ superiùs dicta sunt, oriri aliud dubium, an Confessarius sit puniendus tanquam fractor sigilli, si asserat, v. g. audiuisse in confessione peccata publica fornicationum notissimæ meretricis; & negatiuè respondet Medina *C.de Confess.q.de his quæ à Cōfessario celāda sunt,* quia tunc Confessarius ea affirmatione nec infamat pœnitentem, nec detegit peccatū illius, vt patet, sed tantùm detegit actū confessionis, qui est pœnitenti laudabilis, quo confessio non fit odiosa.

Verùm talem Confessarium frangere sigillum, docet Sotus *in 4.dist.18.q.4.art.5.* Vasq. *in 3.p.tom.4. q.93.art.4. dub.5.* & alij communiter. Aliis tamen placet sententia Hurtadi *disp.12.de pœnit. diff.7.* existimantis dictam affirmationem non esse contra sigillum strictè sumptum, quia non est detectio

pec-

peccati ſtrictè ſumpta, nec quoad ſubſtantiam, nec quoad maiorem certitudinem, eſſe tamen contra ſigillum latè ſumptum, quia eſt contra obligationē religionis, tacendi, & nō dicendi peccata confeſſa, quod ex ſe ſit diſplicens pœnitenti, quę aliquo modo dici poteſt ſigillū. Et ideo ex his inferunt dictū Confeſſarium non eſſe puniendum vt fractorem ſigilli, ſed pœna extraordinaria condemnandum.

RESOL. VII. *An cui iniuſtè reuelata eſt confeſsio à Confeſſario, teneatur celare illa peccata manifeſtata ſub ſigillo?*

EX Medina reſpondet negatiuè Onuphr. *opuſc. de ſigillo, ſect. 3. q. vn. dub. 6.* docet enim eum, cui iniuſto titulo reuelatur aliquid ex confeſſione, non teneri ad illud celandum, niſi ſecreto naturali, quia illa cognitio, quam habet is, cui iniuſtè facta eſt reuelatio, non eſt per ſe, & immediatè ex confeſſione ſacramentali, ſed omnino extra Sacramentum. ergo non poteſt obligare niſi ad ſecretum naturale, non ad ſacramentale, quod ſolùm pendet ex confeſſione ſacramentali.

Sed prorſus contrariam ſententiam tenendā eſſe puto cum Maldero *tr. de ſigillo, c.* 13. Fagund. *pr. 2. l. 6. c. 6. nu.* 26. Suar. *in 3. p. tom. 4. diſp. 33. ſect. 4. num. 6. & ſect. 5. n.* 8. Toleto *lib. 3. c. 6. n.* 13. Pitigiano *in 4. ſent. tom. 2. diſt. 21. quæſt. 2. art. 5.* Turriano *de pœnit. diſp. 33. dub.* 1. Valboa de Magrouejo *to. 2. lect. Salmat in cap. omnis vtriuſque ſexus, de pœnitent. & remiſſion. num.* 67. Mæratius *in D. Thomam tom. 3. tract. de ſacram. Pœnit. diſp. 32. ſect. 2. n. 2.* Marchantio *in reſol. Paſtor de ſacram. Pœnit. tr. 5. c. 5. q. 3.* & Ochagauia *de Sacr. tr. 3. de ſigillo, q. 2. n. 2.* vbi ſic ait. Si Confeſſor iniquè reuelet alteri confeſſionem, omnis ille, qui audit, & omnis ille, qui habet notitiam comparatam ex confeſſione, mediatè, vel immediatè, tenetur ſigillo, quia notitia confeſſionis tranſit ad omnes cum onere ſigilli, ne iniuria fiat Sacramento, & ne moleſta reddatur confeſſio. Ita ille. qui citat Sylueſtr. & Nauarr. nec aliter ſentiendum eſſe puto: vnde rectè Fagundez ex ſupracitatis Doctoribus *vbi ſuprà*, etiam aſſerit. Omnes alij qui ab iſto, qui à Sacerdote audiuit, audierūt, & alij ab iſtis, & iſti ab aliis, tenentur ad ſigillum, iuxta allegatos Doctores. Quamobrem rectè colligunt hanc vniuerſalem & certam regulam, omnem notitiam comparatam ex confeſſione vt ſic, ſiue mediatè, ſiue immediatè, ſiue licitè, ſiue illicitè comparata ſit, manere ſub ſigillo ſacramentali. nam ſicut Confeſſarius non habebat ius reuelandi, nec illi qui confeſſionem audierunt, ius audiendi, ita non poſſunt illud iuſtè ad alios transferre.

RESOL. VIII. *An pœnitens teneatur pœnitentiam impoſitam à Confeſſario non manifeſtare ſub ſigillo?*

AFfirmatiuè reſpōdet Adrian. *q. vlt. de confeſſ. dub. vlt.* Palud. *in 4. diſt. 21. q. 3. n. 61.* & Nauarr. *in cap. Sacerdos. de pœnit. diſtinct. 6. n.* 115. Sed tu contrarium tene. Dico igitur ſi quis pœnitens reuelaret pœnitentiam ſibi à Confeſſario iniunctam, non facere contra ſigillum, ſed ſolùm contra naturale ſecretum; quod tamen verum eſt, ſi ex reuelatione huiuſmodi redundaret aliquid malæ famæ; aut aliquid minus æſtimatione dignum in Confeſſorem, aut aliquem alium. nam ſi nihil tale redundaret, ſed fortè pœnitens dixerit pœnitentiam ſibi à Cōfeſſore iniunctam, quia intelligebat ſe nimis ex illa oneratum, vnde alium conſuluerit, vt poſſit illa exonerari, tunc pœnitens non teneretur aliquo ſecreto. Ita Suar. *in 3. p. tom. 4. diſp. 33. ſect. 4. n. 2.* Richardus *in 4. diſt. 21. ar. 5. q. 3.* Sot. *de tegen ſecr. mem. 3. q. 4. cōcl. 4.* vide etiam Tannerum *tom. 4. diſp. 6. q. 9. dub. 6. n.* 135. vbi firmat quòd etſi pœnitens non obligetur ſub confeſſionis ſigillo ad occultanda ea, quæ à Confeſſario imprudenter facta, vel dicta ſunt, quia tota ſigilli ratio fauorem confeſſionis ac pœnitentis ſpectat, peccat tamen nihilominus mortaliter, ſi prodat ea, ex quibus Confeſſarij fama, vel honor notabiliter læditur, niſi forſan ſeruato debito charitatis, vel iuris ordine id priuatum, vel publicum bonum exigat, vt quando vel à Confeſſario ſollicitatur ad peccatum, vel nimis ab eo grauatur, aut quippiam ab eo in detrimentum boni communis ceſſurum intellexit.

RESOL. IX. *An Confeſſarius poſsit peccatum in confeſsione auditum reuelare, quando ipſe nequit aliter peccatum ſuum in confeſsione manifeſtare?*

AFfirmatiuam ſententiam tenet Sotus *in 4. diſt. 18. q. 4. art. 5.* Sà *ver. Confeſſor.* Gabriel *in 4. diſt. 21. q. 1. art. 3. dub. 1.* & alij, aſſerentes licitum eſſe Sacerdoti, vt integrè confiteatur ſi aliter ſe explicare nō poſſit, reuelare circumſtantiam peccati ſibi confeſſi, licet ex ea deueniatur in cognitionem pœnitentis, maximè ſi Sacerdos ſit admodum ſcrupuloſus, & in articulo mortis conſtitutus, & in hoc caſu, præſertim teſte Henriquez *lib. 3. de pœn. cap. 20. nu. 5. in gloſſ. lit. O.* mordicus in actu publico Salmanticæ ſuſtinuit hanc ſententiam Dominicus Sotus.

Sed aduersùs Sotum prorſus in nullo caſu hanc ſententiam ſuſtinendam eſſe puto, & ideo negatiuam meritò ſuſtinent DD. quos citat Fagundez *pr. 2. l. 6. c. 1. num.* 10. quibus ego addo Turrianum *de pœnit. diſput. 33. dub. 3.* Hurtadum *de Sacram. diſput. 12. diffic. 5.* Malderum *tract. de ſigillo, cap. 17.* Reginaldum *tom. 3. lib. 3. c. 2. n.* 20. Kelliſonium *tom. 2. in 3. p. q. 11. art. 1. dub. 1.* Vaſq. *in 3 p. tom. 4. q. 93. art. 4. dub. 4.* Præpoſitum *in 3. p. q. 11. de ſigillo, dub. 3. n.* 28. & Ochagau. *de Sacr. to. 3. de ſigillo, q. 4. n. 2.* quia maiorē obligationem inducit ſeruare ſecretum illud, quod propter nullam cauſam eſt violandum, quàm ſeruare integritatem confeſſionis quæ pro defendenda vita & honore, & propter alias cauſas poteſt non ſeruari. Nam licet integritas confeſſionis formalis ſit de eſſentia confeſſionis quę in hoc conſiſtit, quòd cōfiteatur quis omnia peccata quæ non habēt rationabilē cauſam ſilendi, integritas tamen materialis, quæ in hoc ſita eſt vt omnia peccata commiſſa cōfiteatur quis, non eſt de eſſentia confeſſionis.

Dicendum eſt igitur quòd maioris momenti eſt obſeruatio ſigilli confeſſionis, & in maiorem reuerentiam iudicij confeſſionis cedit, quā integritas cōfeſſionis, & ideo confeſſio dimidiari, ſeu mutilari poteſt ob graue aliquod damnum, & ob nullum poteſt rumpi ſigillum confeſſionis, quia inſtitutio

integritatis cedit bono pœnitentis, ne ipsi cõfessio sit odiosa, sigillum verò nullius bono cedit. Vnde patet responsio ad argumentum Soti. & ideo ex his obseruat, nouissimè doctus Io. Henriq. *in compend. cas. mor. c. 46. n. 9.* [Que si vn Confessor estando confessando vn hombre, cometio algun pecado en la confession (como si le absoluiesse, no pudiendole absoluer) y se vuiesse de confessar luego, el confessor deste pecado de lo qual es fuerza que se siga auer de venir, el Confessor con quien se confiesla en conocimiento del hombre aquien absoluio el Confessor, no puniendolo absoluer, està obligado en este caso a buscar Confessor que no pueda venir en conocimiento del penitente; y si esto no es possible, deue cõfessar todos los demas pecados que tuuiere, y callar aquel pecado de auer absuelto al penitente, no pudiendolo absoluer: y la razon es, porque quando concurren dos precetos incompatibles que no se puede guardar ambos, cessa la obligacion del menor, y ay obligacion de guardar el mayor; y siendo mayor el preceto de guardar el secreto de la confession, que el preceto de confessar todos los pecados mortales, por esso cessa la obligacion de este, y queda la obligacion del otro.]

Resol. X. *An Confessarius de licentia pœnitentis possit reuelare confessionem?*

NEgatiuam sententiam docet Alensis 4. *p. q. 78. mem. 3.* Scot. *in 4. dist. 21. q. 2. art. 1.* Almayn. *ibid. in fin.* Aureol. & Durand. *ibid. q. 4.* Maior *ibid. quæst. 3. art. 3.* Gabriel *ibid. q. vnic. art. 3. dub. 4.* & Angel. *ver. cõfessio 8. §. 5.* Probatur hæc opinio. Primò, quia præceptũ sigilli est de iure diuino: incommodũ autem est, vt homo priuatus, qualis est pœnitens, in præceptis diuinis dispensẽt. Secundò, quia Cõfessarius ea, quæ via confessionis scit, scit vt Deus, ergo non potest pœnitens ei dare licentiam, vt loquatur vt homo, quia iam forus internus pœnitentiæ mutabitur in externũ, & forus poli in forum soli ad arbitrium pœnitentis. Tertiò, quia licet possit pœnitens cedere iuri suo, non tamen potest cedere iuri sacramenti, cùm hoc sigillum sit introductum ex primaria Christi institutione in religionem sacramenti secundariò verò in fauorem pœnitentis.

Verùm contrariæ sententiæ tamquam communiori adhæreo, quam tuetur D. Thom. *in 4. dist. 21. q. 3. art. 3.* Tanner. *tom. 4. disp. 6. q. 9. dub. 6. n. 125.* Vasq. *in 3. p. tom. 4. q. 93. a. 4. dub. 7.* Suar. *in 3. p. tom. 4. disp. 33. sect. 5. n. 8.* Vasq. *q. 93. a. 4. dub. 5.* Ochagau. *de Sacr. tr. de sigillo, q. 5. n. 3.* Præpos. *in 3 p. q. 11. de sigillo, dub. 6. n. 43.* Hurtad. *de Sacr. disp. 12. de pœnit. diffic. 6.* Couarr. *in 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 12.* & ratio est, quia secretum sigilli licet fuerit imperatum in dignitatem ipsius sacramenti, principaliter tamen & primo loco fuit imperatum in fauorem personæ confitentis, vt facilis & suauis reddatur confessio. ergo eo ipso quòd quis cedit iuri suo, nõ fit iniuria sacramento, sicut si quis sub iuramento promittat alicui centũ, & ille postea remittat promissionem, tollitur omnis obligatio seruandi promissionem, quia hæc principaliùs ordinatur in fauorem personæ, cui promittitur, quàm in Dei cultum & reuerentiam, quæ licentia debet esse spontanea, & expressa sufficienter.

Notandum est tamen hîc non sufficere quamcumque licentiam, præsumptam, interpretatiuam, virtualem, etiam in bonum ipsius pœnitentis, ad reuelandum sigillum confessionis, sed requiri formalem atque expressam. Ita DD. penes Fagundez *pr. 2. lib. 6. c. 1. n. 14.* qui etiam *n. 18.* rectè notat, pœnitentem posse reuocare hanc licentiam quoties voluerit etiam absque vlla causa, quia dominus est illius actus.

Nota etiam quòd licentia expressa pœnitentis manifesta ad peccata audita in confessione debet esse libera & spontanea, non vi, iniuria, aut dolo extorta, imò neque per preces importunas, adde neque per metum reuerentialem ipsius Cõfessarij obtenta. Ita Fagundez *loco cit. n. 21.* & Henriq. *lib. 3. de pœnit. cap. 23. num. 1. in fine.* nam in dictis casibus licentia erit nulla, & Confessarij propriè frangerent sigillum. Vnde Magistri Nouitiorum, vel alij Superiores, aut quicumque alij Confessarij aduertant quid faciant, quando licentiam petunt à pœnitentibus manifestandi aliqua delicta in confessione audita. nam, vt rectè obseruat Fagundez in nostro casu, sola præsentia & auctoritas Confessarij sine minis, & vultuum inuersionibus sufficiet ad inducendum metum reuerentialem, & vt non valeat licentia data cum eo metu ad reuelandam confessionem, tum propter reuerentiam, quam omnes solent habere erga Confessarios, quæ sine dubio excedit reuerentiam filiorum in parentes, tum propter reuerentiam sacramenti, ne paulatim illius religio depereat. Hæc Fagundez. Vnde faxit Deus has licentias vtplurimum non esse inualidas. O quàm fœdè labuntur aliqui circa fractionem huius sacri sigilli!

Resol. XI. *An cùm Sacerdos de licentia pœnitentis reuelat alijs peccatum, illi alij teneantur ad sigillum?*

NEgatiuè respondet Vasq. *in 3. part. tom. 4. q. 93. ad 4. dub. 2. num. 10.* Kellisonius *tom. 2. in 3. part. q. 11. art. 3. dub. vnic.* Megala *in 1. part. lib. 1. cap. 16. nu. 6.* Valboa de Magrouejo *tom. 2. lect. Salmat. in cap. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss. num. 67.* Mæratius *in D. Thomam, tom. 3. tract. de sacram. Pœnit. disp. 32. sect. 3. numer. 3.* & Hurtado *de Sacram. disp. 12. de pœnit. diffic. 3.* asserentes eum, cui absque licentia pœnitentis facta est reuelatio, teneri sigillo confessionis, quia tunc cognitio peccati tantùm habet ortum ex confessione sacramentali, quia pœnitens id tantùm dixit in confessione sacramentali. Eum verò, cui facta est reuelatio peccati ex licentia pœnitentis, non teneri sigillo cõfessionis, sed tantũ secreto naturali iustitiæ, quia iste non cognouit peccatum ex confessione sacramentali adhuc remotè & mediatè, sed tantùm ex narratione non sacramentali, qua pœnitens concedens licentiam ad reuelandũ peccatum ait siue expressè, siue implicitè: Hoc peccatum, quod feci, & tibi confessus sum, me fecisse reuela. Et hanc opinionẽ tenet etiã Onuphr. *opusc. de sigill. sect. 3. q. vnic. dub. 6.* vbi ita ait. Sequitur primò Confessarium, si illi pœnitens dederit facultatem,

vt

vt petat consilium de peccato confessō, ipse verò adeat aliquem, & ex licentia habita reuelet peccatum simul & personam, non teneri nisi solo secreto naturali ad peccatum reticendum. rationem iam innuimus suprà, quia facultas pœnitentis non solùm est vt peccati notitia extendatur ad Consiliarium, sed etiam vt præterea tollatur Confessario obligatio sigilli, ita vt inde res relinquatur suæ naturæ, & sicut res ex natura sua nullo addito sacramento solùm erat sub secreto naturali, sic & quod reuelatum est Consiliario à Confessario de licentia pœnitentis relinquitur suæ naturæ, & consequenter sub solo secreto naturali. nam, vt iam constat ex dictis, ex licentia pœnitentis fit vt materia, quæ antea solùm erat materia confessionis, non ampliùs talis sit, vnde remaneat in sua natura, & consequenter solùm sub naturali secreto, quare si deinde Consiliarius loquatur de eo, quod habuit à Confessario, vt daret consilium, frangeret solùm secretum naturale, non autem sigillum.

Sed hæc opinio maximè mihi displicet, quia tales non cognoscunt peccatum nisi ex vi notitiæ confessionis, in qua fundatur Sacerdos reuelans. ergo peccatum cadit sub sigillo. Tum, quia res semper transit ad alium cum suo proprio onere, tum quia non est credendum pœnitentem dedisse huiusmodi facultatem nisi cum onere sigilli. Vnde Confessarius eo modo reuelans tenetur modum suæ cognitionis explicare, vt alij seruent secretum debitum sacramento Pœnitentiæ. Et ita docet Pitigianus *in 4. sent. tom. 2. dist. 21. q. 2. art. 5.* Turrian. *de pœnit. disp. 33. dub. 1.* Ochagauia *de Sacr. tract. 3. de sigillo conf. q. 5 n. 5.* Fagundez *pr. 2. lib. 6. cap. 5. n. 20.* Moscoso *in sum. tr. 7. c. 15. num. 7.* Cœlestin. *in comp. Theol. mor. tract. 1. cap. 17. n. 3.* Suarez *in 3. p. tom. 4. disput. 33. sect. 4. n. 6.* Tolet. *lib. 3. c. 16. n. 15.* Sà *ver. Confessor, n. 30.* Henriquez *lib. 6. c. 20. num. 3. in glossa lit. S.* & Præpositus *in 3. part. q. 11. de sigillo confessionis, dub. 4. n. 37.* Vnde ex his apparet contra Onuphrium, Vasq. & Kellisonium, Doctorem, seu Confessarium, cui ex licentia pœnitentis peccatum & persona eiusdemmet pœnitentis manifestatur, obligari sacro sigillo, quia talis Doctor huiusmodi notitiam comparauit ex confessione, nec ei data est facultas respectu aliorum vtendi ea notitia. Assumptum probatur: pœnitens non aliter crimen aperuit, quàm in confessione, & non aliter veniam dedit alteri aperiendi, quàm in ordine ad hoc sacramentum, & vt Doctor suppleat aliquo modo defectum scientiæ Confessarij, & vt Confessarius pœnitentem in hoc sacramento possit dirigere. ergo Doctor censendus est eam notitiam habere ex ipsa confessione, & in ordine ad claues, seu vt Confessarius debitè suo munere in hoc sacramento fungatur.

Notandum est tamen esse etiam personas alias, quæ ad sigillum confessionis tenentur. Dico primò teneri ad obligationem sigilli Sacerdotem excipientem confessionem. Secundò laicum, qui se gerit tanquam Sacerdotem. Tertiò interpretem, qui est instrumentum pœnitentis, & qui proximè cōcurrit ad explicationem peccatorum. Quartò eum, qui inculpatè audiuit alterius confessionem, & multo magis eum, qui sua culpa audiuit, vt qui se furtiuè ingessit ad audiendum. Quintò eum, qui peccatum audiuit ex Confessario absque licentia pœnitentis. Sextò eum, qui alterius rudis confessionem describit, vt si pœnitens petat ab aliquo peccata sua describi, vt ea meliùs possit in confessione recensere, quia hoc modo inchoatur confessio. Septimò Superiorem, cui vel ante, vel post confessionem explicatur casus reseruatus pro authoritate eum absoluendi. Et hæc omnia docet Ioan. Præpos. *in 3. p. D. Thomæ, q. 11. de sigillo confessionis, dub. 4. à n. 32. vsque ad n. 35.* Sed de aliquibus personis ex supradictis in particulari inquirendum esse puto. Quæro igitur,

RESOL. XII. *An Superior, à quo petitur potestas absoluendi à reseruatis, teneatur ad sigillum?*

NEgatiuè respōdet Vasq. *in 3. p. tom. 4. q. 93. art. 4. dub. 2. n. 13.* & Hurtado *de Sacr. disp. 12. de pœnit. diffic. 3.* vbi sic ait. Idem ob eandem rationem dicendum est de Superiore, à quo Confessarius ex licentia pœnitentis petit facultatem pro peccato reseruato pœnitentis, non teneri sigillo confessionis, quia scilicet tunc Superior non accipit notitiam peccati ex confessione sacramentali, sed ex narratione non sacramentali pœnitentis; teneri tamen strictissimo secreto naturali iustitiæ, cùm ei sit dictum causa honestissima boni spiritualis pœnitentis. Et ideo Tannerus docet Superiorem in supradicto casu teneri inuiolabili secreto, non autem sigillo sacramentali.

Sed hęc opinio est prorsus reprobāda, & ideo affirmatiuam sententiā tenet Coninck *de Sacr. disp. 9. dub. 5. n. 39.* Faust. *de pœnit. l. 7. q. 32.* Pitigian. *in 4. sent. tom. 2. dist. 21. q. 2. art. 5.* Megala *in 1. p. lib. 1. c. 16. n. 4.* Fagundez *pr. 2. l. 6. c. 6. n. 2.* Onuphr. *opusc. de sigillo, sect. 3. q. vnic. dub. 6.* Malder. *tr. de sigillo, c. 13.* Suar. *in 3. p. to. 4. disp. 33. sect. 4. n. 3.* Henriq. *lib. 3. de pœnit. c. 20. n. 1.* Villalob. *in sum. tom. 1. tr. 9. diffic. 72. n. 7.* & alij. Et ratio est, quia, moraliter loquēdo, Superior intelligitur vna persona cū Confessario in ordine ad impertiendā absolutionem pœnitenti. Cùm ergo Confessarius teneatur sigillo, eodem etiam tenebitur Superior Prælatus. Præterea, quia hic intelligitur interuenire in ipsa confessione sacramentali; ergo ligabitur sigillo. Et ideo Granado *de Sacr. in 3. p. contr. 7. tr. 11. disp. 4. n. 1.* sic ait. Certissimum est ad sigillum teneri Confessariū, quia minister est sacramenti, & ad illū reuocatur Superior, quando ab illo petitur potestas absoluendi à casu reseruato, tunc enim aliquo modo pertinet ad sacramentum confessionis ea notitia peccati, quæ superiori tribuitur, ac proinde ad illum etiam extenditur obligatio sigilli. Ita ille. Nec desinam etiam hic apponere verba Io. Malderi *tr. de sigillo cap. 13.* sic asserentis. De Superiore, cui casus aliquis est reseruatus, certum est quòd omnino sigillo teneatur, quando ab eo licentia absoluendi petitur, fit enim ei detectio vt habenti claues, & vt in foro interno deleger potestatem absoluendi. Itaque aditur etiam ipse vt iudex in hoc foro, & æqualiter tenetur cum ipso Confessario. Hæc Malderus, qui citat Suar. quibus omnibus adde Prępos. *in 3. part. q. 11. de sacro sigillo, dub. 2. n. 23.* vbi ita asserit. Aduerte Superiorem eo sigillo

obligari

obligari, quando aliquis habens casum reseruatum, eum illi explicat, à quo recepta pœnitentia remittitur ad inferiorem pro absolutione sacramentali. Obligatur etiam quando post confessionem inferiori institutam aditur pro casu reseruato, quia huiusmodi explicationes censentur ad confessionem sacramentalem pertinere, vel tamquam inchoatio, vel tamquam consummatio, posita enim casuum reseruatione, confessio hoc, vel simili modo debet perfici, & Christus non videtur absque tali onere dedisse Superioribus potestatem causas suo iudicio reseruandi; nam cùm sit onerosum pro casibus reseruatis debere Superiorem adire, nisi is eadem lege obligaretur, qua Cõfessarij, confessio redderetur valde odiosa. Similiter inferior petens veniam absoluendi à casu reseruato, nullo modo potest personam aperire, vel casum ita explicare, vt ea venire possit in notitiam Superioris, nec Superior potest curiosè inquirere cum periculo veniendi in notitiam personæ, inferior etiam ad id tenetur, licet Superior veniam non concedat. Hæc ille, & ego. nec aliter sentiendum puto.

Resol. XIII. *An si pœnitens confiteatur cum laico, existimans posse in absentia Sacerdotis absolui, teneatur laicus celare peccata audita sub sigillo?*

NEgatiuam sententiam docet Petrus de Ochagauia *de Sacrament. tract. 3. de sigillo, quæst. 2. nu. 6.* vbi sic ait. Quòd si laicus confiteatur laico ex deuotione, quamuis vera censeatur, propter ignorantiam, confessio, non tenetur audiens seruare sigillum confessionis, quia neque est Sacerdos, neque talis existimatur, ignorantia enim iuris non sufficiet ad obligandum ad secretum sigilli, sicuti ignorantia facti. quare ille laicus poterit in aliquo casu reuelare peccatum, quod non posset Sacerdos Confessarius. Ita ille, & post illum Tanner. *tom. 4. disp. 6. q. 9. dub. 6. num. 139.*

Verùm ego adhæreo contrariæ sententiæ, quam docet doctus Hurtado *de Sacrament. disp. 12. diffic. 3.* vbi ita asserit, Si pœnitens confiteatur laico, existimans eum posse in absentia Sacerdotis Confessarij absoluere, tunc laicus ille tenetur sigillo confessionis, (non minùs quàm qui se finxit Confessarium) quia tunc cognouit peccatum ex confessione intentionaliter sacramentali. Sic doctissimus Hurtado. Cui etiam addendus ex eadem Illustrissima Religione Societatis Iesv Ioannes Præpositus *in 3. part. quæst. 11. de sigillo, dub. 2. num. 22.* vbi sic asserit. Si quis confiteatur non Sacerdoti etiam laico, bona fide putans esse Sacerdotem, inducitur sigilli obligatio, quamuis enim talis confessio à parte rei non sit sacramentalis, prudenti tamen æstimatione putatur talis à pœnitente, cùm error circa ministrum non sit formalis, & circa conditionem ministri, sed solùm materialis, & facti, qui error non debet tollere obligationem sigilli, & nocere pœnitenti bona fide procedenti. Hæc ille, nec aliter sentiendum puto.

Resol. XIV. *An laicus si ex necessitate audiat alicuius confessionem, teneatur ad sigillum?*

NEgatiuam sententiam tenent communiter recentiores, Pitigianus *in 4. sent. tom. 2. dist. 21. q. 2. art. 3.* Hurtado *de Sacram. disp. 12. de pœnit. diffic. 3.* Vasquez *in 3 part. tom. 4. quæst. 93. art. 4. dub. 2.* Suarez *disp. 33. sect. 2.* Coninck *de Sacrament. disp. 9. dub. 1. n. 4.* Henriquez *lib. 3. de pœnitent. c. 19. nu. 8.* Toletus *lib. 3. cap. 16. nu. 5.* Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 7.* & alij. Et ratio est, quia talis laicus non cognouit peccatum ex confessione sacramentali adhuc intentionaliter, quia non fuit facta vero iudici. Et à fortiori idem dicendum est cum Maldero *tract. de sigillo cap. 13.* de eo laico, quem pœnitens voluit simul cum Sacerdote audire eius confessionem ad maius erubescentiæ meritum, non enim teneretur ad sacrũ sigillum sacramenti Confessionis.

Sed his non obstantibus Fagundez *præcept. 2. lib. 6. cap. 6. numer. 5.* ex Graffio, Viualdo, Adriano, Paludano, Nauarro, & aliis, docet in tali casu laicum teneri ad sigillum confessionis, quia simul ac confessio fit in forma sacramentali, & ad modum sacramentalis confessionis, adnexam habet obligationem sigilli. nam sigillum introductum fuit & in honorem ac venerationem sacramenti, & in fauorem pœnitentium, & fauores sunt ampliandi, ita vt non solùm intelligantur de sacramentali confessione, sed etiam de illa, quæ ad modum confessionis sacramentalis fit, cum dolore, & pro necessitate, siue fiat laico, siue non. Ita Fagundez, qui respondet ad argumenta, quæ pro negatiua sententia adducit Suarez.

Notandum est tamen cum Onuphrio *opusc. de sigillo, sect. 3. q. vnic. dub. 5.* quòd licet supradicta opinio negatiua esset vera, tamen in tali casu laicum, etiamsi non teneatur sigillo sacramentali, teneri tamen maximo secreto naturali (loquimur autem in casu, quo laicus assumitur loco Sacerdotis) neque pro aliqua causa debere illud infringere, etiã adhibito iuramento, & potiùs tenetur mortem subire, quàm secretum illud naturale aliquo modo violare. Sequitur secundò huiusmodi laicum assumptum à pœnitente loco Sacerdotis, etiamsi audiat delictum aliquod ex confessione illius, non posse tamen à iudice compelli ad illud iudicialiter manifestandum, neque in eo iudicem posse fundare inquisitionem aliquam: & ratio est, quia delictum illud sic auditum, non pertinet ad forum externum alicuius iudicis, vnde non potest de illo aliquo modo inquisitio fieri à iudice etiam Ecclesiastico. Sed ex his oritur alia difficultas,

Resol. XV. *An qui se fingit Sacerdotem, teneatur ad sigillum?*

HViusmodi fictum Sacerdotem non teneri nisi secreto naturali ad celanda ea, quæ ex tali confessione audiuit, tradit Toletus *l. 3. c. 6. n. 13.* cum aliis. Et ratio est, quia confessio facta coram ficto Sacerdote nõ est sacramentalis, ergo neque potest habere sigillum, neque obligare alios ad sigillum sacramentale. Et hanc opinionem tenet nouissimè

Onu-

Onuphrius *opusc. de sigillo sect.3. q. vnica, dub.* 4. vbi probat ad confessionem sacramentalem,& consequenter ad sigillum duo requiri. Primum, vt fiat confessio coram habente auctoritatem; secundum,vt fiat à pœnitente animo percipiendi sacramentum.Vnde in aliqua cõfessione, licet ex parte pœnitentis sit animus percipiendi sacramentum Pœnitentiæ,& alia omnia quæ penes pœnitentem requiruntur,si tamen deficiat primum; quod maximè requiritur, auctoritas scilicet ex parte audiẽtis,non erit confessio sacramentalis,& consequenter neque sigillum,propriè, & formaliter loquendo, & contrà si pœnitenti non sit animus percipiendi sacramentum,sed potiùs sit animus contrarius illudendi,scilicet Confessario, neque sit illi aliqua mens pœnitẽdi,etiam si sit auctoritas in audiente,neque erit cõfessio sacramentalis. Quare ad confessionem sacramentalem tantùm illa duo videntur necessaria, vt scilicet fiat à pœnitente animo percipiendi sacramentum, & præterea quod maximè requiritur vt fiat coram habente iurisdictionem.

Verùm licet hæc opinio olim mihi arriserit, nunc contraria placet,quam tuetur Valboa de Magroniejo *in lect.Salmat.tom.2. c. omnis vtriusque sexus, num* 64.Mæratius *in D. Thomam, tom 3. tract. de Sacram.Pœnit.disp.32.sect.2. num...* Raynaudus *de monitor part.1.cap.3 quæs.*4.Suarez *in 3.parte,tom.*4. *disp.*33. *sect.*2.*n.*3.cum D.Antonino, Soto & Adriano,quibus ego addo doctum Ochaganiam *de Sacramentis,tract.*3. *de sigillo confessionis,quæst.*2.*nu.*4.vbi sic ait. Hinc sequitur cum communi sententia eum, qui fingens se esse Sacerdotẽ Confessarium, cùm bona fidẽ pœnitentis audit confessionem, teneri ad sigillum.Probatur,quia pœnitens confitetur bona fide & intentione sacramenti efficiendi. ergo debet ei seruari sigillum,aliàs ipsi sacramento & pœnitenti maxima fieret iniuria,quæ omnia necessaria sunt vt sacramentum de se oneroſum, suaue reddatur.Dicendum est igitur ad obligationem sigilli non requiri confessionem esse ex omni parte absolutam,& perfectam, nam licet pœnitens non absoluatur propter indebitam dispositionem,si tamen habeat animum recipiendi verum sacramentum, & ex tali animo confessus est, tenetur Sacerdos ad seruandum sigillum, aliàs maximè retraherentur homines à confessione.ergo,&c.

RESOL. XVI. *An qui casu audit peccata alicuius,teneatur ea non manifestare sub sigillo?*

VIguerius & Tabiena asserunt tam illum, qui casu, quàm qui ex industria accedit teneri ad celandum sub peccato mortali, non tamen propriè sigillo sacramentali, sed secreto quodam per participationem sacro.Sotus *in 4.distinct.* 18. *q.*14. *artic.* 5. ait. Si quis casu audiat peccata confessa, quia fortè pœnitens reciter alta voce, teneri illa sub mortali peccato celare secreto naturali, non sacramentali; si verò ex industria audiat, teneri tunc ad sigillum, & grauiter puniendum esse, si illa reuelet aliis, non tamen puniendum esse iis pœnis,quæ infliguntur à Canone. & ita Tannerus *tom.4.disput.6.quæst.9.dub.6. nu.*134. docet casu audientem confessionem teneri inuiolabili secreto, non tamen sacro sigillo.

Sed affirmatiuam sententiam tuendam esse puto. Dico igitur quòd siue ex industria, quis audiat alterius confessionem sacramentalem teneri sigillo ad illam celandam. Et ita asserunt Doctores, quos citat Onuphrius *opusc.de sigillo sect.3.quæst. vnica, dub.*3. quibus ego addo Fabrum *de pœnitent. in* 4 *sentent.dist.*19.*quæst.vnica,disp.*34.*cap.*2.*num.*19.Pitigianum *in* 4.*tom.*2.*distinct.*21.*quæst.*2.*art.*5.Megala *in* 1.*part.lib.*1.*cap.*16.*nu.*5. Valboam de Magroniejo *in lect.Salmat.tom.*2.*c.omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.num.*63.Mæratius *in D.Thomam tom.*3. *disp.*32. *sect.*2.*num.*1.Fagundez *præcept.*2.*lib.*6. *cap.* 6. *num.*25. Suarez *in* 3.*part.tom.*4.*disp.* 33.*sect.*4. *num.*7.Moscoso *in summa,tract.*7. *cap.*15. *num.*5. Cœlestinum *in compend. tract.* 1. *cap.*17. *num.*3. Reginaldum *tom.*1.*lib.*3. *cap.*3.*num.*26.Kellisonium *tom.* 2. *in* 3 *part. quæst.*11. *art.*5.*dub.vnico.* Præpositum *in* 3. *p. quæst.* 11. *de sigillo, dub.*4.*num.* 33. Granado *de Sacramentis, controuers.*7. *tract.*11.*disp.*4.*nu.*1. Malderum *tract. de sigillo.cap.*14. Mercerum *de Sacramentis, in* 3. *part. quæst.* 11. *art.*3. & Hurtadum *de Sacramentis,disp.*12.*de pœnit. diffic.*3. Probatur hæc opinio contra Sotum, quia sic audientes confessionem, siue casu, siue ex industria cognoscunt peccata ex confessione sacramentali. ergo obligantur ea celare sub sigillo. Deinde res transit cum suo onere. ergo cùm confessio in se contineat sigillum, ad quemcumque transeat, semper transit cum hoc sigillo; ergo vel ille, qui audit confessionem alterius,audiat casu, vel industria,qui audit confessionem, sequitur quòd semper remanet obligatus ad sigillum illius. Confirmatur, quia aliàs hoc sacramentum meritò redderetur graue, si contingeret non obligari sigillo eos, qui vel casu, vel etiam sua culpa peccata in confessione audiunt, cùm confessio homini instituenda huiusmodi casibus possit esse obnoxia.Nota etiam cum Maldero *tractat.de sigillo, cap.*13. idem dicendum esse de eo, qui intelligit mutum per nutus,& signa,vel quempiam sub *dextro* altiùs confitentem. nam sic confitens non intendit publicè confiteri,sed secretò.

Vnde ex his nouissimè Io. Henriquez *in compend caſ mor.cap.*46. *num.* 12. sic asserit. [El hombre que sin querer, o queriendo oyò algun pecado de algun penitente que se estaua confessando, està obligado a guardar el secreto con el mismo rigor que el Confessor. Y si con todo esso dixere a otras personas lo que oyò en confession, quedan todos obligados a callar debaxo de la misma obligacion que el Confessor;y si la malicia vuiesse llegado a que el hombre que oyò a vn delinquente confessar vn delito, se vuiesse querellado ante algun juez deste delitto, no deziendo que lo oyò confessar,queda obligado el juez, despuez que supo que se tuuo noticia del delito por confession a no proceder en la causa,y a guardar el secreto,como si lo vuiesse oydo en confession, y a dar por nulo todo lo actuado.] Sic ille.

RESOL.

RESOL. XVII. *An Sacerdos qui sciuit in confessione furtum sibi factum, possit furem accusare ex aliis indiciis extra confessionem cognitis?*

AFfirmatiuè respondet Vasquez *in 3 part. tom. 4. quæst. 93. artic. 4. dub. 6. numer. 4.* vbi docet Sacerdotem posse accusare eum, qui confitetur se quidpiam illi furatum esse, posse, inquam, accusare ex aliis indiciis, quòd scilicet eo tempore talis res sibi defuerit, nec alius domum intrauerit. Et ratio huius sententiæ esse potest, quia Confessarius non prohibetur vti scientia aliunde parta; hinc si publicus vsurarius, vel publicus concubinarius non sint absoluti à Confessario, & petant communionem, Confessarius potest eam negare, dicendo eos esse in publico peccato. Et hanc opinionem ex Valentia & Soto docet etiam Malderus *tract. de sigillo, cap. 10.* vbi firmat posse Confessarium in tali casu accusare furem, modò nihil adminiculi ad actionem instituendam sumat ex confessione.

Sed vt verum fatear, sententia hæc circa propositum dubium in praxi non videtur tuta, quia debet supponi, quòd tota notitia facti verè sit comparata ex confessione sacramentali, & indicia seorsim sumpta non præberent sufficientem notitiam ad accusandum; vnde talis Confessarius verè vtitur scientia ex cõfessione sacramentali orta. Vnde meritò reddi posset odiosa confessio. Et ita docet Ioannes Præpositus *in 3. parte, quæst. 11. de sacro sigillo, dub. 3. num. 25.*

RESOL. XVIII. *An Confessarius si aliquem defectum commisit in confessione, possit extra illam pœnitenti illud aperire ipso renuente?*

AFfirmatiuè respondet Turrianus *de pœnitent. disputat. 33. dub. 6.* Mercerus *de Sacrament. in 3. part. quæst. 11. art. 3.* Hurtado *de Sacrament. disput. 12. de pœnit. diffic. 11.* vbi sic ait. Supponimus posse Confessarium loqui cum pœnitente (quamuis renuente, imò & debere si commodè possit) quando commisit defectum in confessione, ex quo obligatur ad monendum illum, quia tunc non loquitur illi extra confessionem, sed in confessione, eam perficiendo, supplendo defectum illius. Ita ille, & Cœlestinus *in compend. Theolog. moral. tractat. 1. cap. 17. num. 2.* & alij à fortiori hanc sententiam docet etiam Mæratius *in D. Thomam, tom. 3. disput. 32. sect. 3. quæst. 5.*

Sed hanc opinionem (quam maximè doleo primum docuisse Suarez) alibi ego reprobaui, & quia scio à quodam Confessario in praxi positam fuisse cum magno scandalo & maxima bile pœnitentis, ideo iterum illam ego reprobo cum Granado *in 3. part. de Sacram. contr. 7. tract. 11. disput. 5. numer. 1.* Onuphrio *opuscul. de sigillo, sect. 4. quæst. 5.* Præposito *in 3. part. quæst. 11. de sigillo, dub. 5. numer. 41.* vbi sic ait. Ex eo quòd non liceat sine licentia pœnitentis agere cum eo extra confessionem de rebus in confessione explicatis, authores passim tradunt Confessarium, qui in suo munere errorem commisit, nõ posse cum pœnitente tractare extra confessionem absque eiusdem licentia, & proinde monent, vt eum prudenter alliciat ad rursum sibi confitendum, vel dicat se cupere loqui de re ad confessionem pertinente, & si possit absque scandalo, &c. impetrata licentia errorem aperiat. quòd si pœnitens eam concedere nolit, Suarez censet Confessarium nihilominus posse loqui, quia non censetur loqui extra confessionem, sed eam consummare; sed omnino verius est quod dicunt alij, scilicet non posse, quia antè censetur suum ministerium absoluisse, neque potest pœnitentem inuitum secundò sibi subiicere, id enim redderet hoc tribunal valde odiosum, & onerosum; vnde eo casu totum debet relinquere. Sic Præpositus *vbi suprà*, & ego. vnde meritò aduersùs Nugnum inuehitur Malderus *tractat. de sigillo, cap. 21.* vbi sic ait. Quare non probo quòd Nugnus dicit, si Confessarius aliquid dicendum habeat pœnitenti quod in confessione fortè ipse Confessarius debebat dicere, & neglexit, & rogatus à Confessario veniam neget pœnitens secum loquendi de confessis peccatis, posse contra pœnitentis voluntatem totum nihilominus dicere Cõfessorem, quod fuerit necessarium. Ex hoc enim, inquit, nullum sequitur pœnitenti detrimentum, & hoc est necessarium ad Confessoris officium implendum, & non est in rigore loqui extra confessionem, sed potiùs est perficere confessionem. Hanc, inquam, opinionem non probo, sed potiùs existimo sequendum quod *cap. 17.* diximus. & si noluerit acquiescere pœnitens, provt ipsum debere acquiescere rectè dicit Sotus *de secreto mem. 3. quæst. 4. concl. 5. dub. 4.* rem totam esse silentio premendam, suoque tunc satis officio Confessarium esse perfunctum. Quod enim dicitur pœnitentem non grauari aliquo detrimento si ei extra confessionem ista dicantur, verum non est, quia ius habet & libertatem, ne liceat ex confessione sibi nolenti quidquam citra suum consensum extra confessionem de suis peccatis præscribi. Quod opponitur de Confessoris officio, tribunal eius cessat finita confessione, cessat voluntaria eius iurisdictio quando cessat voluntaria pœnitentis subiectio in tribunali illo diuino. Quod denique dicitur hoc non esse loqui extra confessionem, sed eam perficere, verum non est; extra confessionem enim loquitur, quia iudicium fori interni, & subiectio actualis ad claues, qua se subiicit confitens, iam cessat; neque confessionem perficit, sed affuit alterius naturæ alloquium. Hæc Malderus *vbi suprà*. non nego tamen in ipsa confessione etiam non petita licentia à pœnitente ex rationabili causa fieri posse mentionem eorum, quæ in aliis confessionibus dicta & confessa fuerunt. Vide Granadum *vbi suprà*, Malder. *cap. 22.* Henriq. *lib. 3. de pœnit. cap. 2. num. 7.* & Fagund. *pr. 2. lib. 6. cap. 4. n. 33.* vbi sententiam affirmatiuam, quam, vt diximus, Suarez primum docuit, improbabilem vocat, daretur enim ex illa casus, in quo absque licentia pœnitentis expressa loqui possit Confessarius cum ipso pœnitente de rebus sic confessis, quod negant DD. communiter. Vnde ex his refellenda prorsus est opinio Kellisonij *tom. 3. in 3. p. quæst. 11. art. 1. dist. 5.* vbi tenet quòd quamuis sit peccatum loqui cum

pœni-

pœnitente poſt confeſſionem de peccatis confeſſis, ſi ipſe hoc ægrè ferat, quia tunc eſſet odioſum, tamen hoc non eſſe contra ſigillum, quia nulla eſt renelatio, quod etiam docet, ſed non bene, Mercerus *de Sacram. in 3. part. quæſt. 11. art. 3.* Sed ex his oritur alia quæſtio, videlicet

RESOL. XIX. *An Confeſſarius ſtatim poſt finitam confeſſionem, & datam abſolutionem, poſſit loqui cum pœnitente abſque licentia de errore, v. g. commiſſo in dicta confeſſione?*

AFfirmatiuè reſpondet Tannerus *tom. 4. diſp. 6. q. 9. dub. 6. num. 132.* Henriquez *lib. 3. de pœnitent. cap. 2. num. 2. in fine*, & Ioan. Præpoſ. *in 3. part. quæſt. 11. de ſigillo, dub. 5. num. 41.* vbi ſic ait. Aduerte ſimiliter licere monere pœnitentem in eadem confeſſione etiam poſt abſolutionem, quia morali iudicio id non cenſetur fieri extra idem forum, ſed cenſetur pertinere ad actus complementum. Ita ille.

Non deſinam tamen hîc adnotare contrariam ſententiam mordicus tenere Stephanum Fagundez inſignem Theologum Societatis IESV, *pr. 2. lib. 6. cap. 4. num. 33.* vbi ita aſſerit. Aſſerunt aliqui, ſi ſtatim poſt finitam confeſſionem, & datam abſolutionem occurrat error emendandus, poſſe Confeſſarium loqui cum ipſo pœnitente de confeſſione & errore corrigendo abſque prædicta licentia, iu quo profectò minùs bene docet, tum quia ſcandalo fortè erit pœnitenti, tum quia eſt contra doctrinam, quam tradunt Doctores, qui omnes abſolutè dicunt poſt finitam confeſſionem non licere Confeſſario loqui cum pœnitente de rebus confeſſis, niſi de licentia expreſſa pœnitentis. Sicut enim finita confeſſione, ſi ſtatim peccatum aliud confitendum pœnitenti occurrat, tenetur Confeſſor illud audire, & nouam dare abſolutionem, propterea quòd eſt noua confeſſio, & nouum ſacramentum, quia per primam abſolutionem finitum fuit prius ſacramentum; ſic etiam in noſtro caſu expirauit auctoritas Confeſſarij, quam ſolùm habebat ad loquendum de rebus confeſſis intra ipſam confeſſionem, vnde ea finita, requiritur licentia expreſſa ipſius pœnitentis, vt ſæpe diximus. nam ſi poſt perfectam confeſſionem liceret Confeſſori loqui cum pœnitente de rebus in confeſſione auditis ſine eius licentia, profectò id, per ſe loquendo, eſſet valde oneroſum pœnitenti, & rubore ſuffunderetur vehementer, pudoreque afficeretur, quod ſine dubio redundaret in iniuriam Sacramenti. ergo, &c.

RESOL. XX. *An Confeſſarius in actu ſecundæ confeſſionis poſſit refricare, & meminiſſe peccatorum in priori confeſſione à pœnitente detectorum?*

AFfirmatiuè reſpondet Ioan. Henriquez *in compend. caſ. mor. cap. 46. num. 4.* vbi ſic ait. [Licito es al Confeſſor dezir en la confeſſion al miſimo penitente, lo que en otras confeſſiones le ha confeſſado el miſmo, porque no ay differencia de vna confeſſion à otra, reſpeto de vna miſma perſona.] Hæc ille. Et nouiſſimè Granado *de Sacram. in 3. part. contr. 7. tract. 11. diſp. 5. num. 1.* & Henriquez *lib. 3. de pœnit. cap. 2. num. 7.* Idem etiam docet Malderus *tract. de ſigillo, cap. 22.* vbi ſic ait. Poteſt Sacerdos vti ſcientia prioris confeſſionis, quatenus opus eſt ad directionem pœnitentis in præſenti confeſſione, & eo ipſo quo ad confeſſionem accedit, ſatis ad hoc cenſetur conſenſiſſe, vult enim iuuari in ſtatu animæ ſuæ, & res ſcitur fore ſecretiſſima propter ſigillum. Sanè ſicuti quando extra confeſſionem de peccato, quod confeſſus eſt, conſulit Confeſſarium, iam ſatis ei dat licentiam de eo loquendi, imò hoc ipſum requirit ab eo; ita ſimiliter quando ſtatum animæ ſuæ exponit, & de eo iudicari & tractari vult in ſecunda confeſſione, ſatis cenſetur de neceſſarijs ad bonam confeſſionis directionem Confeſſario tractandi ſecum poteſtatem facere. Quod magis locum habet, quando peccata prioris confeſſionis ſunt aliquo modo circumſtantiæ peccatorum, in ſecunda confeſſione expreſſorum. Hæc omnia Malderus. Et tandem hanc ſententiam approbat Præpoſitus *in 3. part. quæſt. 11. de ſigillo, dub. 5. num. 41.* ita aſſerens. Praxis communis etiam Doctorum & timoratorum Confeſſariorum ſatis declarat in foro pœnitentiæ rationabili ex cauſa fieri poſſe mentionem eorum, quæ in priori confeſſione dicta ſunt. nam Confeſſarij interdum negant abſolutionem propter indiſpoſitionem pœnitentis, & carentiam propoſiti, quam ex præcedentibus confeſſionibus aduertunt, ex quibus notant frequentem lapſum in idem peccatum.

Ex his ſequitur à fortiori contra aliquos, quos tacito nomine citat Onuph. *opuſc. de ſigillo, ſect. 4. quæſt. 5.* non poſſe Confeſſarium videntem pœnitentem pœnitentiam in confeſſione impoſitam non adimplere, illum monere vt promiſſa adimpleat, & licet Onuphr. aſſerat tutius eſſe hoc non facere; ego puto abſolutè Confeſſarium hoc facientem frangere ſigillum. nam ex illa monitione extra confeſſionem implicitè & indirectè, refricare ei videtur peccata confeſſa, & ex tali admonitione redderetur pœnitenti confeſſio oneroſa & moleſta. ergo, &c.

Verùm ego abſolutè, his non obſtantibus, exiſtimo cum Fagundez *pr. 2. lib. 6. cap. 4. num. 36.* non poſſe Confeſſarium loqui cum pœnitente in ſecunda confeſſione, niſi de illis tantùm peccatis confeſſis in prima, quæ ipſe pœnitens tangit, ac confitetur in ſecunda, non autem de omnibus, niſi de licentia expreſſa illius, quam poterit facilè petere, ſi opus fuerit, quia aliàs erit virtualis exprobratio aliorum peccatorum, & fortè id ægrè ferent pœnitentes, & moleſtam reddent, exoſamque confeſſionem: deinde oportet vt pœnitentes ſint certi de fidelitate confeſſorum in ſigillo, & denique, quia prima confeſſio iam fuit perfecta & conſummata, & in ea expirauit auctoritas Confeſſarij quoad peccata in illa confeſſa; oportet ergo habere nouam licentiam expreſsè conceſſam non in confuſo.

RESOL. XXI. *Quid facere debeat Confessarius si ex confessione vnius complicis scit peccata alterius, & alter in confessione tacet?*

HEnriquez *lib.3. de pœnit. cap.20. num.6.* asserit posse ei in eo casu differre absolutionem per dies aliquot,& tandem teneri Confessarium eum absoluere,quia post audita peccata acquisiuit pœnitens ius absolutionis.

Verùm Toletus *lib.3.cap.16.num.4.*putat non solùm posse, sed etiam debere Confessarium eum absoluere, si postquam eum interrogauit in communi, an aliquid ampliùs habeat,quod conscientiam torqueat,respondet se nihil habere,quia pœnitenti per se, & contra se credendum est, & non est maior ratio cur alteri maior fides habeatur, quàm isti. Vnde Fagundez *præc.2.lib.6.c.4.n.37.* docet in tali casu non posse Confessarium differre absolutionem.& ita ego prorsus teneo.

RESOL. XXII. *An Confessarius teneatur dare schedulam peccatori,quem non absoluit?*

HVic quæstioni respondent multi, & graues Doctores,optionem esse penes Confessarium dandi,vel non dandi,prout maluerit,tum quia nõ tenetur Confessarius cooperari occultationi peccati,sed qui sponte peccat,sibi pronideat de remedio occultationis. Parochus enim & quilibet alius Confessarius,qui negat schedulam,vtitur iure suo negando illam indignis, ex alia verò parte,quia ex genere suo videtur peccatum mortale contra charitatem proximi prodere eius crimen occultum,& non occultare,quando id facilè fieri, & sine detrimento potest proprio, aut proximorum, & quia periclitatur sigillum confessionis in hoc casu, vt consideranti patebit: si enim in prædictis circumstantijs Confessarius negat schedulas,clarum manet ex sola præcisa notitia confessionis,& ex negatione schedulæ posse huiusmodi pœnitentes venire in suspicionem apud alios,status actualis peccati mortalis,filiam apud matrem,sodales apud consodales suos,& ideò propter has rationes pro vtraque parte factas respondet Henricus *lib.3.de pœnit. cap.22.n.4.* optionem esse penes Confessarium vt partem eligat, quam maluerit,& ait ibi ad marginem *lit.M.*ita affirmasse Doctores omnes Salmanticæ hac de re consultos.

Sed contrariam sententiam docet Coninck *de Sacr.disp.9.dub.1.n.14.*vbi sic ait.Quando aliqui studiosi, aut famuli alicuius Principis tenentur ferre testimonium suæ confessionis,Confessarius debet hoc dare etiam ijs,quos non absoluit, ne testimonium hoc negando,aliquo modo prodat sigillum, & peccatorem,nec dando illud mentitur,quia tantùm testatur eos esse confessos,quod verum est.Ita ille. Et post illum Fagundez *præcept.2. lib.6.c.4.n.4.* & Moscoso *in summa,tract.7. cap.15.n.3.* Vnde non est audiendus Bonacina *de Sacram. disp. 1. quæst.6. punct.4.* negantem Confessarium non teneri dare schedulam pœnitenti,quem non absoluit.

RESOL. XXIII. *An quando quis coram multis confitetur,vt in naufragio, aut tempore pestis, teneantur omnes,qui audiunt,ad sigillum?*

SVppono cum Ioanne Henriquez *in compend.cas. moral.c.33.n.16.* quòd quando los que nauegan padecen gran tempestad con peligro proximo de perderse el nauio, y quando actualmente se estan peleando en guerra,puede cada vno dezir algunos pecados, y luego ser absuelto, y si el peligro fuera tan grande que no diere lugar à que cada persona en particular pueda comessar algunos pecados, pueden todos juntos confessar algunos, y dolerse dellos, y luego el Confessor los ha de absoluer a todos juntos,diziendo;Ego vos absoluo à peccatis vestris,in nomine Patris,& Filij, & Spiritus sancti, &c.

Hoc supposito Medina *Cod.de confess.quæst.51.* & Vialdus *in Candel.part.1.*vbi de sigillo,*num.38.*existimant huiusmodi Confessarium non teneri ad sigillum respectu eorum, qui simul secum peccata audierunt; teneri verò quoad alios. & ita tenet etiam Henriquez Societatis *lib.3.de pœnitent.cap.21. num.1.* vbi sic asserit. Quando ex causa publicè fit confessio,vt olim mos erat,non tenetur Confessarius ad sigillum. Sic ille.

Sed hæc opinio non est tenenda,quod probatur ex doctrina Suarez *in 3.part.tom.4.disput.33.sect...n.3.* vbi asserit quòd si plures Confessarij confessionem audierint quacumque occasione non posse postea inter se loqui de alienis peccatis,quia si nec licet loqui cum ipso pœnitente absque expressa illius licentia, multo minùs licebit loqui cum alijs, etiamsi notitiam confessionis habeant.Vnde à fortiori dicendum est,neque alij inter se, neque cum ipso Sacerdote id poterunt licitè facere, tenentur namque ipsi ad sigillum in tali casu. nam, vt suprà probatum est,& docet Richardus & Scotus,quos citat & sequitur Angelus *ver. Confessio, vltim. n.16.* Armilla *ver.Confessio num.8.* & alij, tenentur ad sigillum,qui alterius peccata,dum confitetur, audit siue licitè,siue illicitè,siue mediatè,siue immediatè audiat.& omnia supradicta docet etiam Fagundez *præc.2.lib.6.cap.5.num.1.*

RESOL. XXIV. *An sit contra sigillum confessionis etiam cum licentia pœnitentis reuelare peccatum complicis absque complicis licentia?*

AFfirmatiuam sententiam docet Gabriel Vasquez *in 3.part.tom.4.quæst.93. artic.4. dub.5. n.5.* quia sigillum confessionis est etiam in fauorem complicis; vnde certum est, & contrarium dicere esset falsum,Confessarium teneri seruare sigillum respectu complicis, quia manifestatio complicis pertinet ad explicationem peccati pœnitentis; & ita etiam hanc sententiam docet Kellisonius *tom.2. in 3.parte, quæst.11. artic.1. dub.2.* vbi sic ait. Notandum Sacerdotem obligari hoc sigillo etiam in gratiam complicis,quia hoc sigillum concessum est in hunc finem, vt tota causa huius fori sub secreto contineatur. quare quando persona complicis pertinet ad explicationem peccati pœnitentis, tanquam circumstantia, non potest Sacerdos

reuelare

reuelare complicem, nisi veniam habeat non solùm à pœnitente, verum etiam à complice, seu socio pœnitentis.

Non reticeam tamen negatiuam opinionem tenere Suarez *in 3.part.tom.4.disp.34.sect.3.num 7.* Malderum *tract de sigillo c.17.* & Hurtado *de Sacrament. disput 12.diffic.6.* vbi sic ait. Obseruandum est non esse contra sigillum confessionis ex licentia expressa pœnitentis reuelare peccatum complicis absque complicis licentia, quia sigillum tantùm obligat in fauorem pœnitentis, vt confessio non fiat ipsi odiosa, nec ab ea retrahatur; ex reuelatione autem complicis ex licentia pœnitentis facta, nulli alij adhuc complici fit odiosa confessio, vt ab ea retrahatur: vnde si aliàs non fiat iniuria complici, vt potest contingere, poterit eius peccatum ex licentia pœnitentis reuelari. & ita hanc sententiam docet etiam Io. Præpos. *in 3. part. quæst. 11. de sigillo, difficult.6.num.47.* Dicendum est igitur, quòd sigillum propriè est in fauorem pœnitentis, & non nisi per quandam redundantiam in fauorem complicis, quatenus potest oriri ex fauore pœnitentis; ergo quando fauor pœnitentis aliud postularet, eo concedente licentiam non remanet obligatio sigilli respectu complicis: vnde patet responsio ad rationem Vasquez, cuius tamen opinionem probabilem esse puto.

Notandum est tamen hîc obiter cadere sub sigillum quamcumque personam in confessione detectam, siue ad declarandam aliquam circumstantiam necessariam, siue imprudenter eam nominando sine necessitate. Ita Reginaldus *tom.1. lib.3. cap.4.num.41.* & alij.

RESOL. XXV. *An Confessarius possit sine fractione sigilli manifestare peccatum nondum patratum, v.g. propositum prodendi Rempublicam, vel occidendi innocentem, &c.*

CIrca præsens dubium Alexand de Ales *4.part. quæst.19 num.2.artic.2.* Adrian. *in 4.quæst.vltim. de Confessione* Sylvest. *ver.Confessio 3.quæst.5.* & Angelus *ver.Confess vltim. num.7.* docent tunc Confessarium non teneri (nisi quando dictum propositum est in pœnitente, qui antea commisit re ipsa, & in effectu simile peccatum ei, quod est in proposito, & illud etiam confitetur.) quia confessio dicti propositi perseuerantis non est sacramentalis, vtpote inepta absolutioni, quia nullus potest à proposito peccandi perseuerante absolui. Addiderunt verò, nisi quando pœnitens antea commisit in effectu simile peccatum, & illud etiam confitetur. quia tunc propositum illud ob connexionem cum eo peccato antea commisso, cuius etiam fit confessio, etiam clauditur sub sigillo confessionis sicut peccatum ipsum in effectu commissum & confessum, quod est aptum absolutioni.

Sed ego respondeo distinguendo. Dico igitur primò, quòd quando pœnitens cõfitetur tale propositum, vel animo inducendi Confessarium ad simile peccatum, vel animo illudendi illum, vel irridendi confessionem, vel simpliciter narrandi tale propositum, vt historiam quamdam, tunc certum esse non obligare sigillum, qui tunc neque adest confessio valida, neque aliquis animus efficiendi illam, sed tantùm adest simplex enarratio.

Dico secundò, quòd si quis cum animo accusandi se, & cum aliquali detestatione sui peccati confiteatur prauum propositum præsens peccandi, Confessarius non potest peccatum futurum reuelare. Probatur, quia peccatum futurum explicatur in Confessione veluti obiectum prauum voluntatis præsentis. ergo fieret contra secretum debitum Sacramento, si illud reueletur. Tum etiam, quia cùm per hoc sequatur infamia pœnitenti, maximè retraherentur homines à confessione, si hæc peccata futura reuelarentur. Et ita docet Ochagauia *de Sacram.tract de sigillo, quæst.3. num.3.* cui adde Fagundez *præc 2.lib.6.c.4. n. 26.* Suarez *tom.4 disp.33. sect.2.num.8.* Sotum *de secreto, memb.3.quæst.4. conclus.* 2. Richard. Durand. Henriquez & Coninck, quos citat & sequitur Hurtado *disp.12. de pœnit. diffic 4.* Vide etiam Onuphrium *opusc. de sigillo sect.4.quæst.6.*

RESOL. XXVI. *An pœnitens si accedat ad confessionem sine attritione, vel proposito, Confessarius teneatur ad sigillum?*

LIcet pœnitens à principio accedat sine proposito recipiendi absolutionem, vel sine contritione & proposito emendæ, si tamen habeat animum se accusandi, vt potuerit, vt aliquo modo satisfaciat Ecclesiæ, vel vt aliquo modo medelam recipiat à Sacerdote, obligat Sacerdotem ad sigillum, quia illa accusatio est saltem inchoata confessio. & ita docet Suarez *in 3.part.tom.4.disp.33.sect.2 in fine.*

Verùm hæc doctrina sic generaliter intellecta difficilis videtur Petro Ochagauiæ *de Sacramento tract.3 de sigillo quæst.2.num.7.* vnde distinguendum esse putat. Si enim nullum sit propositum emendæ, & nullus dolor adsit in pœnitente, non obligabitur Confessarius ad sigillum, quia iste pœnitens non habet animum efficiendi confessionem sacramentalem, sed animum illudendi, vel alium similem, vel animum petendi consilium, quia confessio non est sine aliquali dolore, & sine isto animo non obligat ad sigillũ. Quòd si adsit aliquale propositum emendæ, & aliqualis dolor, licet imperfecta sint hæc duo, & non sufficientia ad efficiendum verum Sacramentũ, tunc obligat sigillũ, quia pœnitens habet animum confitendi sacramentaliter, & aliàs retraherentur homines à cõfessione huiusmodi; quæ tamen vtilis est, vt homo à Confessore instruatur ad veram confessionem efficiendam. Et ita hanc sententiam cum supradicta distinctione tenet etiam Malderus *tract.de sigillo, c 15.* Reginald. *tom.1 lib.3.cap.5.num.66.* Henriquez *lib.6.cap.21.num.3. in gloss. lit.N.* & Sotus *in 4.disput 18. q.4. art.5.* cum Kellisonio *tom 2.in 3 part. quæst. 11. artic. 2. dub. 2.* & *ibi* etiam Mercerus.

RESOL. XXVII. *An qui inuenit papyrum, in qua erant peccata alicuius scripta, teneatur ad sigillum confessionis?*

NOn teneri dicta peccata tacere sub sigillo, sed sub magno secreto naturali, docet Tannerus *tom.4 disput 6.quæst 9.dub.6 num.131.* Sotus *de secreto, q.4. dub.3. num. 3.* Bannez *in 2.2. quæst. 33. artic. 8. dub.5.*

dub.5. concluſ.2. Valboa de Mogrouiejo *tom.2. lect. Salmat.in c.omnis vtriusque sexus, de pœn. & remission. n.65.* Mæratius *in D Thomam tom.3.disp.32.sect.2.n.4.* Marchantius *in resolut. Pastor. de Sacram. tract.5. de Pœnitent.cap.4.q.4.* Raynaudus *de Monitor.part.1.c.3. quæs.4.* Nauarra *de restitut.lib.2 cap.4.n.450.* Ochagauia *de Sacr.tract.3.de sigillo,quæst.2.n.2.* Granado *in 3. part.de Sacrament.controuers.7.tract.11.disp.4.n.1.* quia illa charta non erat confessio, sed via ad illam. Et ideo hanc sententiam tenet Onuphrius *opuscul. de sigillo,sect.3.q.vnic.dub.6.* vbi sic ait. Ex his solui posse quid sit dicendum de illo, qui reperit libellum, in quo sint descripta peccata alicuius, dicimus enim illum teneri ad celandum, quæ scripta peccata reperit, non sigillo sacramentali, sed secreto naturali. Et ratio est, quia etsi peccata illa descripta fuerint, aut sint futura materia remota confessionis, quia tamen non sciuntur primò & immediatè ex occasione sacramentali, sed omnino ab extrinseco, ideo qui sic reperit libellum illum, non videtur posse ligari, nisi solùm naturali secreto ad ea, quæ descripta reperit, celanda, non secus ac si quis peccatū alterius sciret aliter, quàm per confessionem. Vnde sequitur grauiter quidem illum peccaturum, si deinde cum alijs loquatur de illis, quæ sic descripta reperit in libello, ex Soto *vbi suprà.*

Mihi verò magis placet opinio affirmatiua, quā docui cum multis Doctoribus *in 3.part.tract.4.resolut.112.* quibus nunc addo Martinum Funes *in speculo morali,part.2. cap.8. num.8.* Fauſtum *de sacram. Pœnitent.lib.7.q.29.* Fornarium *in Instr.Confessar.lib.1. tract.1.c.3.n.13* Graffium *decis.aur.part.1. lib.1. cap.23. num.43.* solidas rationes pro hac sententia afferentes, quas omnino videbis; vide etiam Marchinum *de peste,part.3.cap.11.num.14.*

Vnde ex his sequitur, vt optimè obseruat Fagundez *præc. 2.lib.6.cap.4 num.28.* quòd si iudex inueniſſet peccatum rei, schedulæ commendatum ad confessionem faciendam, tenetur iudex cessare ab inquisitione criminis, & non iuuari ea notitia, imò etiamsi iam reum condemnasset conuictum testibus, & postea intelligeret totam delationem, vel accusationem ortam fuisse ex sigilli violatione, tenetur damnatum absoluere & dimittere. & ideo nostram sententiam, nempe inuenientes schedulam, in qua scripta sunt peccata, teneri ad sigillum, docet etiam Fagundez *loco citato,cap.5.num.16.* quia si charta scripta sit ad virum doctum ad petendum consilium pro confessione, assumitur ibi vir doctus, tamquam persona necessaria ad perfectionē Sacramenti, non necessaria secreto; si verò tantùm scripta sit in subsidium memoriæ, iam potest dici confessio inchoatiua, vt patet, & quia saltem hæ rationes, & Doctores faciunt hanc rem dubiam; in dubio autem inclinandum est in fauorem sigilli & Sacramenti. Iam verò si peccata, quæ inueniuntur scripta, iam sint confessa, cùm iam affecta maneant sigillo confessionis, fortiùs dicere possumus, cadere illa sub eodē sigillo, & transire semper cum suo onere sigilli: sicut enim illa, quæ mihi reuelauit aliquis, qui ea à Confessore audiuit, teneor seruare sub sigillo, sic etiam tenebor seruare hæc peccata scripta, quæ iam fuerunt confessa sub eodem sigillo, cùm par sit vtrobique ratio. nam propterea illa peccata, quæ audio ab alio, teneor seruare sub sigillo, quia scio fuisse cōfessa, & quia vbi primum confessioni subiecta fuerunt, ita affecta obligatione ac onere sigilli manserunt, vt semper transeant cum suo onere, & illud exuere numquam possint nisi de consensu confitentium, de eorum enim cōsensu possunt non solùm Sacerdotes, sed etiam quicumque alij loqui de huiusmodi rebus confessis, vt sæpe diximus. Ergo etiam propterea illa peccata, quæ fuerunt confessa, & scripta inueniuntur, affecta erunt prædicto onere, & obligatione sigilli, quia iam confessa sunt, & semel sub sigillo cesserunt, nam parum refert, quòd ego nesciam illa iam fuisse confessa, id enim per accidens est, & tunc incipient sub sigillo obligare, cùm id sciuerim.

RESOL. XXVIII. *An Confessarius possit reuelare hæredibus restitutionem faciendam, quam debebat mortuus pœnitens?*

LIcet Maior *in 4. distinct. 21. quæst. 3.* sequutus Scotum asserat non posse manifestari debita, credita, & alia similia à Confessario, quæ ipse habuit à confessione alicuius, quia hoc efficere est reuelare confessionem.

Tamen contrarium dicendum est cum Tabiena, Rosella, Graffio, Nauarro & Rodriquez, quos citat & sequitur Onuphrius *opuscul. de sigillo, sect.2. quæst.5.* dummodo adsit licentia pœnitentis, qui ante mortem dixerit Confessori, vt reueler. ex *cap. præterea, de offic.deleg.* In quo casu creditur Confessori sic dicenti, maximè si id, quod reuelatur (& est secunda conditio, quam diximus requiri) sit in bonum animæ pœnitentis iam mortui. & ratio est, quia cùm, vt iam diximus, de licentia pœnitentis possint à Confessario dici peccata illius extra confessionem, si id sit in eiusdem pœnitentis bonum, quidni etiam poterunt dici illa, quæ suprà diximus si ad ea dicenda habuerit licentiam Confessarius à pœnitente iam mortuo, & sit in bonum eiusdem. & hinc apparet fundamentū Maioris esse falsum. Sed quid si non satis constet de voluntate pœnitentis iam mortui, & hæredes ipsi dubitent, & præsumant contra Confessarium fuisse confessionem reuelatā absque aliqua licentia illius? Respondeo, & tunc præsumendum esse, id fuisse dictum à Confessario de licētia mortui pœnitentis. Id quod maximè iudico verum, quando restitutio vergit in bonum animæ ipsius mortui. Quòd si non potest apparere de voluntate confitentis, semper præsumitur contentus, quando aliter suæ saluti consuli non posset. Quid si hæredes nollent ex auaritia (vt accidit) dictis Confessarij acquiescere? ad summū esset opus illorum, vt probarent contra Confessarium, qui reuelauit, id non fuisse ex mente & licentia pœnitentis iam mortui, præsumptio enim transfert onus probandi in agentem, quia is debet probare, contra quem facit præsumptio.

RESOL. XXIX. *An sit contra sigillum reuelare defectus naturales pœnitentis?*

EX communi sententia tenendū est ad materiā sigilli pertinere non solùm peccata, sed etiam quoduis-

quoduis aliud in confessione auditum, seu cognitum, cuius declaratio, seu manifestatio possit, per se loquendo, reddere hominibus confessionem grauem, & odiosam. ex quo fit primò si pœnitens animo declarandi melius conscientiam suam, dicat Confessario aliquid sibi ignominiosum, v.g. se natum esse ex parentibus sordidis, infamibus, aut nõ coniunctis legitimo matrimonio, verè violare sigillum, si id manifestet. & ita docet ex Soto & Valentia Iacobus Granado *in 3. part. de Sacram. contr. 7. tract. 11. disp. 3. num. 2.* quibus adde Onuph. *opusc. de sigillo, sect. 4. q. 7. dub. 2.*

Aduerte tamen quod ex Coninck obseruat Kellisonius *tom. 2. in 3. part. quæst. 11. art. 2. dub. 1.* Hurtado *de Sacramentis disp. 12. diffic. 3.* quòd licet sit contra sigillum, vt dictum est, reuelare defectus naturales pœnitentis, quando ab ipso dicuntur in confessione, vt conducentes ad explicationem sui peccati; secùs verò dicendum, quando à pœnitente narrantur incidenter, & non tamquam conducentes ad id, sed in hoc casu abstinere etiam debeant Confessarij à dicta manifestatione. Imò Malderus *tract. de sigillo, cap. 15.* sic ait. Defectus naturalium, vitia occulta corporis, & similia, quæ pœnitentes sua peccata explicando reuelant, sub sigillum cadunt, etiamsi parum conducat eorum explicatio ad peccati narrationem, sed ex simplicitate pœnitentis addantur.

Resol. XXX. *An Confessarius frangat sigillum si reuelet virtutes pœnitentis, ecstasi m, & alia dona Dei?*

NEgatiuam sententiam docet Reginaldus *in praxi tom. 1. lib. 3. cap. 4. in principio*, & Petrus Ochaguia *de Sacram. tract. 3. de sigillo, quæst. 4. n. 4.* vbi sic ait. Non est contra sigillum confessionis, si quis reuelet pœnitentis virtutes, dona Dei, aut voluntatem ingrediendi Religionem, vel ducendi vxorem Maciam, aut factum aliquod, quod impertinenter fuit narratum in confessione ad explicandum peccatũ, quia per hæc non detegitur aliquid, ex quo sciri possit pœnitentẽ commisisse aliquod peccatum; occultanda tamen hæc sunt secreto naturali iuxta intentionem pœnitentis.

Sed Iacobus Granado *in 3. part. de Sacr. contr. 7. tract. 11. disp. 3. n. 4.* docet quòd dona & virtutes pœnitentis cadunt etiam sub sigillum, quando à pœnitente dicuntur vt necessaria, vel vtilia ad declaranda sua peccata, vel ob aliam rationem, ita vt velit manere omnino occulta, alioqui fieret odiosa confessio, & meritò offenderetur pœnitens. At vt verũ fatear, hæ virtutes & dona quasi semper non manifestantur ad explicationem peccati, neque ex earũ manifestatione redditur pœnitentibus odiosa confessio. ergo, &c. Et ita hanc sententiam negatiuam tenet etiam Malderus *tract. de sigillo c. 15.* vbi tamen rectè notat posse pœnitentem obligare Confessarium sub secreto naturali has virtutes & dona celandi.

Resol. XXXI. *An Confessarius sine fractione sigilli possit manifestare pœnitentiam quam imposuit pœnitenti?*

REspondeo non posse Confessarium dicere in particulari quam pœnitentiam imposuit, si illa fuerit signum culpæ mortalis certæ, aut dubiæ, aut peccatorum venialium specialium quoad numerum, vel speciem, secus si fuerit ita leuis, vt ex illa colligi nequeat, nisi tantùm, quod certum & commune est, scilicet pœnitentem confessum fuisse venialia. Et ita docet Granado *in 2. 2. controu. 7. tract. 11. disput. 6. n. 5.* Vnde ego olim dixi fregisse sigillum quemdam Confessarium, qui dixit Coronam B. Virginis imposuisse pro pœnitentia cuidam suo pœnitenti, nam talis pœnitentia non solet imponi pro peccatis venialibus; secus autem si pœnitentia esset vnum *Miserere*, quinque *Pater*, &c. & ideo optimè Malderus *tractat. de sigillo, cap. 12.* dixit non bene feciisse quemdam Confessarium, qui cùm cuidam ob grauia peccata, sed ignota, iniunxisset in confessione longo tempore publicè audire solenne Sacrum flexis genibus, indicauit eis, qui hoc obseruarunt, à se id profectum esse.

Resol. XXXII. *An si fractio sigilli efficiatur in pœnitentis vtilitatem, sit licita?*

EX tacito consensu pœnitentis posse eius confessionem reuelari, tradit Iacobus de Graffijs *in decis. aur. part. 1. lib. 1. cap. 23. num. 14.* quando cedit in eius vtilitatem.

Sed hanc sententiam meritò refellit Tannerus *tom. 4. disp. 6. quæst. 9. dub. 6. n. 124.* & Malderus *tract. de sigillo, cap. 4.* & ideo ait ille, si morti proximus habeat occultum debitum ex delicto, & petat à Sacerdote restitutionem iniungi hæredibus, non poterit Sacerdos dicere hoc ex delicto deberi, sed solùm quòd talibus hoc dari voluerit, & satius esset suadere moribundo, vt secretò suo codicillo talia inserat hæredibus iniungenda. Si tamen ex sola executione mandati oriatur suspicio delicti, Sacerdos mandatarius excusatur, vt bene Reginald. Quod ergo Graffius dixit esse casum, quo sufficiat tacitus consensus pœnitentis, vt Confessarius peccatum eius reuelet, per abusum est dictum, cùm potiùs dicere debuerit, & fortè, vt arguit exemplũ, quod adduxit, voluerit dari casum, vbi ex actione Confessarij, in quam pœnitens apertè consensit, tacitè sequatur reuelatio peccati. Sanè multum differunt tacitum esse consensum, & esse consensum in tacitam reuelationem.

Resol. XXXIII. *An sit licita fractio sigilli quando casus est talis quòd pœnitens teneatur consentire, & si non consentiat, quid facere debeat Confessarius?*

QVoad primum, certum est in tali casu etiam obligare sigillum: vt si, v.g. pœnitens cõfiteretur in quadam domo adesse conuenticula hæreticorũ, in tali casu consensus pœnitẽtis, vt talia denuntientur Inquisitoribus, est quidẽ debitus, sed à renuente pœnitẽte hoc minimè Confessarius efficere potest; sed quid facere debet in tali casu Confessarius? Certum est non esse absoluendum, si omnino sit liquidum, quòd teneatur consentire in istiusmodi reuelationem, & neque ipse reuelare velit, neque in reuelationem per Confessarium faciendam consentire. Secus si promittat se reuelaturum, aut saltem proponat se reuelaturum prima opportunitate, & malum quod per reuelatio-

nem auertendum eſt, tale ſit, vt meritò eiuſmodi dilatio pœnitenti indulgeatur. Erit etiam abſoluendus, ſi aliquo modo probabilis ſit opinio ipſius pœnitentis, qua putet ſibi non incumbere vllam obligationem huius reuelationis faciendæ, aut concedendæ hîc & nunc, cum iſtiuſmodi ſuis, quæ veriſimiliter timet, incommodis, de quibus prudenter Pœnitentiarius iudicabit. Quod obtinet etiam quando eſt liquidum licere ſufficit, probabile eſſe non teneri. Cùm autem conſenſus extortus non ſit pro conſenſu habendus, vt ſuprà diximus, videat Confeſſarius, ne vtatur conſenſu pœnitentis, quando eum indebitè coëgit, nolens abſoluere, niſi det ſibi licentiam peccatum reuelandi.

RESOL. XXXIV. *An Confeßio facta inuito Sacerdoti cadat ſub ſigillum?*

REſpondeo quòd ſi Confeſſarius voluntatem habuit audiendi, ſed non abſoluendi, obligat. Item ſi initio voluerit audire, ſed in progreſſu fiat inuitus. Si autem ab initio recuſet, & tamen audiat, videtur non obligare, quia non audit vt Deus, ſiue vice Dei, renuit enim fungi officio ſacerdotali, & ita tenet Suarez. Exiſtimo tamen (ſi nihilominus pœnitens ei vice Dei, vt putat, ſua peccata detegat) teneri propter conatum pœnitentis, qui tamquam vice Dei conatur ei loqui, ſicuti diximus teneri laicum, qui putatur eſſe Sacerdos errore pœnitentis, is enim tenetur celare peccatum, etiamſi omnino inuitus audiuerit, ſicut & ille, qui propè conſtitutus audit quid Confeſſori pœnitens dicat. Et ita docet Malderus *tract. de ſigillo, cap. 9.*

RESOL. XXXV. *An qui dixit ſe audiuiſſe in tali Monaſterio peccatum graue, frangat ſigillum etiamſi non nominet pœnitentem?*

REſpondeo affirmatiuè cum Villalobos *in ſumma tom. 1. tract. 9. diffic. 73. n. 5.* vbi ſic ait. [Digo que es licito al Confeſſor dezir: Oì tal pecado en la confeſſion ſin nombrar perſona, como ſe haga con tal aduertencia que no ſe pueda venir en conocimiento della, porque por eſte camino no ſe haze odioſa la confeſſion. Mas ha ſe mucho de aduertir, que no ſe diga eſto ſin neceſſidad, y gran vtilidad, mayormente eſtando delante muchos, y deue guardarſe que no ſe offenda la comunidad donde eſtà aquella perſona, com ſio dize, que oyò à algun Religioſo tal, o tal pecado, y en eſpecial nombrando la Religion de donde era, que eſte es pecado contra el ſigilo, come dize Suar. y Ledeſma.] Ita ille. Vide etiam Hurtadum *diſp. 12. de pœnit. diffic. 4.* vbi etiam exiſtimat eſſe contra ſigillum Confeſſarium infamare ciuitatem alicuius generis peccati, quod ex ſola confeſſione nouit, quando ipſi ciues in particulari etiam pœnitentes aliquo modo afficientur infamia illa: quod facilè contingit, quando ciuitas non eſt ampla, & pœnitentes ſunt aliquo modo ſuſpecti, quia tunc ex reuelatione illa euenit pœnitentibus aliqualis infamia, ob quam confeſſio fit illis odioſa, & ab ea retrahuntur. & ideò Kelliſonius *tom. 2. in 3. part. q. 5. artic. 1. dub. 5.* docet non ſolùm eſſe peccatum, ſed etiam contra ſigillum, ſi Confeſſarius dicat, in tali ciuitate tale & talia peccata committi ſolent, niſi hoc ſit aliunde notum. Vide etiam Vaſquez *in 3. part. tom. 4. quæſt. 93. art. 4. dub. 3.* Megalam *in 1. part. lib. 1. cap. 16. num. 11.* Fagundez *prec. 2. lib. 6. cap. 4 num. 2.* Fauſtum me citantem *de pœnit. lib. 7. quæſt. 41.* & Malderum *tract. de ſigillo, cap. 12.* vbi docet, non licere Confeſſario dicere, quòd in loco vbi confeſſiones audiuit, grauia fiant peccata. nam etiam hoc redundat in grauamen iſtius communitatis, & poſſet confeſſionem reddere odioſam, præſertim in communitate non adeò magna. Ita ille, qui etiam addit eum qui dicit in Ordine tali Religioſorum hoc, vel illud peccatum fuiſſe admiſſum, quod ex ſola confeſſione nouerit, grauiter peccare, quamuis non poſſit puniri pœna ordinaria inflicta contra fractores ſigilli.

RESOL. XXXVI. *An Magiſter Nouitiorum, vel Confeſſarius Monialium poßit in exercitiis ſpiritualibus in generali damnare peccata, quæ audiuit in confeßione?*

AD hunc caſum libet reſpondere cum verbis Malderi *tract. de ſigillo, cap. 14.* vbi ſic ait. Scandalum facilè oriri poteſt quando quis paucos habet pœnitentes ſibi ſubditos, & coram eis concionatur contra defectus in confeſſione detectos, vt ſi Confeſſarius Nouitiorum in aliquo Monaſterio, aut Confeſſarius Monialium concionetur coram ipſis de vitijs in confeſſione reuelatis, tunc enim facilè contingeret rubore ſuffundi cõfeſſos.

Notandum eſt etiam hîc obiter, quod Beja *part. 3. caſ. 15.* notat, & idem Malderus, concionantem de peccatis, quæ ſe dicit in confeſſione iſto loco audiuiſſe, modò ita prudenter id faciat, & cautè, vt impoſſibile ſit inde prodi peccatorem, non eſſe violatorem ſigilli, peccare tamen mortaliter propter ſcandalum datum, & quia confeſſionem reddit odioſam.

RESOL. XXXVII. *An Confeſſarius ſi ex confeßione intelligat famulum eſſe furem, poßit illum dimittere?*

AFfirmat Henriquez *lib. 3. de pœnit. cap. 23. num. 5.* & Vaſquez *in 3. part. tom. 4. quæſt. 93. art. 4.* Mihi verò magis placet ſententia negans, quia talis dimiſſio eſſet quædam correptio extra confeſſionẽ pudefaciens pœnitentem. Secus dixero ſi prudentiùs inuigilando in actus famuli deprehendat relapſum in furtum, tunc enim poterit alio prætextu, & occultè ipſum dimittere. Dico, *alio prætextu*, quia ſi alium prætextum inuenire non poſſit ita ſpecioſum, quin famulus ſuſpicari poſſit originem ſuæ dimiſſionis eſſe ex ſcientia confeſſionis, non probabiliter etiam tunc dimiſſionem. Et ita hanc ſententiam tenet Malderus *tract. de ſigillo, c. 14.*

RESOL. XXXVIII. *An quæ peccata non ſunt, & alios concernunt, teneatur Confeſſarius celare ſub ſigillo?*

SI confitens occaſione ſuorum peccatorum, vtpote tamquam circumſtantias, aut obiecta, aut quia pro ſua ruditate cùm non pertineant, putat ea pertinere ad explicationem ſuorum peccatorũ, aliqua talia ſecreta narret, exiſtimant Doctores talia etiam comprehendi ſigillo; ſi verò concomitanter

ter solùm in confessione narrentur, tenetur Confessarius solùm secreto naturali, nisi fortè propter scandalum, quando putarentur ad confessionem pertinere, etiam aliquid admisceatur obligationis ipsius sigilli. & ita docet Malderus *tract. de sigillo, cap.* 18. Probantur supradicta, & cùm responsio contineat tres partes, Primam probo, quia circumstantias comprehendi sigillo, est communis sententia. quod extendendum est ad alia quæcumque quæ à pœnitente dicuntur ad declarandum peccatum suum, sic enim demum securè etiam simplices peccata sua narrant. Secunda pars probatur, quia illa non pertinent ad confessionem, cùm sine illis omnino consistat integra, & hoc ipsum sciat pœnitens, qui etiam ijs non vtitur ad explicandum sua peccata; at fortè ex leuitate ibi narrat, quo casu à Confessario reprehendi deberet, aut consilium aliquod circa illa petit, aut solamen, si ipsum affligant. Sufficit ego seruare illa secreta naturali obligatione. Tertia pars, quæ casum scandali excipit, est certissima, quia, vt diximus *suprà*, hoc cederet in grauamen, & odium confessionis si reuelarentur. Vnde in casu scandali ne quidem proposito edicto de excommunicatione non reuelantis, videtur talia debere reuelare, quamuis quidam tunc putet debere reuelare; sed tu tene nostram sententiam.

RESOL. XXXIX. *An Confessarius propter correctionem fraternam debeat, aut possit extorquere complicem?*

PRorsus negatiuam sententiam tenendam esse puto, quam alibi satis docui, & nunc iterum doceo cum Maldero *tract. de sigillo, cap.* 17. vbi ex duplici capite existimat improbandum esse si Cõfessor extorqueat complicem, vt eum corripiat, aut corripi curet. Primò, quia fit iniuria Sacramento, quod natura sua tale secretum postulat, quasi detectio esset facta soli Deo, ad solius confitentis emendationẽ, adeò vt non debeat accusatio huius fori ad externum forum deriuari, aut ad correptionem alterius. Quare si reuelatio complicis nõ sit necessaria ad explicandum proprium peccatũ, non potest Sacerdos ad vllum alium finem eam vrgere, præcipuè cùm nec liceat pœnitenti eam facere, & vt faciat, sicut iam *suprà* diximus, secretum Confessarius id seruare debet. Certè neque proprium nomen, vt aliàs monuimus, tenetur pœnitens dicere, multo minus sui complicis, si non aliud accedat. Si autem est necessaria, potest pœnitens Confessario complicem secundùm dicta superiùs reuelare in eum finem, vt se accuset; sed omitti debet omnis correctio, monitio, punitio complicis ex hac reuelatione, quia hæc non est necessaria ad explicandum & emendandum proprium peccatum. Secundò, quia fieret etiam iniuria complici, quia etiamsi meritò corripiendus sit, non est tamen corripiendus, nisi ordine à Christo præscripto, cui ordini repugnat ipsum corripi ex sacramentali confessione, cùm ipsius secretum hactenus etiam in fauorem complicis redundet, vt non possit ipse vllo modo prodi per illud, nisi quatenus necessarium est ad explicationem peccati ipsius pœnitentis. Quare etiam in casu quo pœnitens tenetur corripere Petrum de peccato suo, non est conueniens medium, vt Confessario suo reuelet peccatũ Petri in illum finem, vt ipsius opera fiat correptio, si enim alio modo corripere, aut ad correptionem venire non potest, non tenetur corripere; si potest, tenetur illum alium modum adhibere, hoc relicto. Quamuis enim hic modus sit secretus, non tamen est licitus, quia in iniuriã cedit Sacramenti, & quomodo sit corripiendus proximus, alium modum Christus constituit. Si licitus esset modus qui est per confessionem, correptio ordinariè pro secretiori via amplectenda tentaretur per confessionẽ; quod esset insigne grauamen Sacramenti. Deinde diximus suprà peccata illa secreta alterius tam cõplicis, quàm non complicis in confessione narrata, claudi sigillo, & quidem sic claudi, vt sine complicis, aut illius alterius peccatoris licentia, esto habeat consensum à pœnitente, Confessor ea reuelare non possit. non ergo potest de illis Confessor corripere. Aduerte ergo Confessor, non tibi rectè reuelari ad correptionem, quia secretum seruare debes, cùm eo ipso minùs possis corripere, quo magis secreto teneris. Præterea confessio non est instituta vt corripias alium, sed vt te ipsum, si non corripiendo, aut corripiendo, aut aliter peccaueris, accuses. Et hæc omnia docet Malderus *vbi suprà*, in quibus miserrimè scio quemdam Confessarium olim cum aliorum scandalo sæpiùs deliquisse.

RESOL. XL. *An prosit testimonium Confessarij de licentia pœnitentis, vt probetur pœnitens emendatus in foro externo?*

HIc casus est practicabilis, vt Parochus, v.g. det sacram Eucharistiam, vel sepulturam Ecclesiasticam publico vsurario, vel meretrici. Et affirmatiuam sententiam tenet Fagundez *præc. 2. lib. 6. cap. 1. num.* 19. cum multis DD. asserentibus testimonium Confessarij cum licentia expressa pœnitentis datum valere, vt in foro externo probetur pœnitens emendatus de crimine commisso publico, aut publico scandalo. Et ideo Malderus *tract. de sigillo, cap.* 12. *in fine*, sic ait. Infertur quando publica meretrix est confessa mendicanti Religioso, non posse Pastorem petere testimonium à tali Confessario quòd verè de peccato suo publico pœnituerit, cõfessa & absoluta sit, hoc enim sine licentia peccatricis Confessarius non dicet, & etiamsi secretò dixerit ipsa consentiente, publicè administraturo Parocho non sufficiet, sed antequam sacram Eucharistiam ei publicè administret, aut ei sepulturam Ecclesiasticam concedat, oportet constare publicè quòd pœnituerit, quæ publicè peccauit. Confessarius enim ne quidem quòd fornicationes suas sibi confessa sit directè, aut indirectè, puta dicendo, quòd eam à peccatis suis publicis absoluerit, indicare potest; sed eo casu sufficit in genere Parochum scire quòd sit confessa, modò publicè etiam sciatur conuersa, puta per reuelationem publicam Confessarij de licentia peccatricis, aut quòd coram pluribus protestetur ipsa se de peccato isto dolere. Sine publica autem ista notitia aut detestatione non sufficit sacramentalis confessio, aut absolutio

ſolutio etiam Parocho facta, quia talis ſatisfactio debetur Eccleſiæ,& alioqui ſcandalum eſſet margaritam ſpargere ante porcos.Ita Malderus. Vide etiam Suarez *in 3.p.to.5.diſp.7.ſect.5.à n.20.* & apertiùs *n.46.* Henriquez *lib.3.de pœnitent.cap.23.n.2. in fine.* Nauarrum *in cap.1.de pœnit.diſt.6.n.90.* Guttierrez *in Can.qq.lib.1.cap.2.num.9.* & alios.

RESOL. XLI. *An Confeſſarius quando pœnitens ei dat licentiam reuelandi confeſsionem, debeat illam exigere in ſcriptis?*

AFfirmatiuè reſpondet Aldrete *de religioſa diſciplina tuenda,lib.2.cap.19.§.1. num.6.* exiſtimans licentiam in ſcriptis petendam eſſe à pœnitente,ne ſi Sacerdos accuſatus fuerit de reuelatione ſigilli, detrimentum patiatur.

Sed hanc opinionem non approbat Suarez *in 3. part.tom.4.diſp.33.ſect.5.n.14.* & Fagundez *pr.2.lib.4. cap.1.num.23.* &alij,quia eſſet valde periculoſum & oneroſum pœnitentibus. deinde in dubio an ea reuelatio fiat, vel non fiat de licentia pœnitentis, credendum eſt teſtimonio Sacerdotis,& non pœnitentis,vt docet Graffius *deciſ.aur. part.1.lib.1.c.23. num.16.* Henriquez *lib.3.de pœnit.cap.19. num.10.* & alij.ergo,&c.

RESOL. XLII. *An ſit contra ſigillum confeſsionis dicere,Non abſolui pœnitentem, v.g. Paulum?*

NEgatiuè reſpondet Henriquez *lib.6.cap.2. n.5.* & ante illum Caietanus *in ſumm.ver.Confeſſori neceſſaria.* quia poſſunt eſſe plures cauſæ honeſtæ, ob quas pœnitens abſque eius defectu non abſoluatur,vt quia confeſſio nondum ſit completa, vel quia Confeſſarius difficilis noluit abſoluere, &c.

Sed hæc opinio prorſus reijcienda eſt, quia ille, qui huiuſmodi verba audit, ſtatim conijcit pœnitentem fuiſſe confeſſum graue peccatum,ac deteſtabile,à quo non fuit abſolutus, abſolutio enim, moraliter loquendo,non negatur niſi habenti graue ac deteſtandum mortale, & ideo qui dicit ſe negaſſe alicui abſolutionem,moraliter dicit ac directè pœnitentem peccaſſe grauiter & mortaliter, & eſſe indiſpoſitum.

Dicendum eſt igitur quòd quamuis variæ ſint cauſæ honeſtæ,ob quas pœnitens poſſit abſque defectu ipſius non abſolui, ex eo tamen dicto Confeſſarij,quando non declaratur cauſa honeſta, ob quam non fuit abſolutus, vel defectu diſpoſitionis, vel quia habuit caſum aliquem reſeruatum, quod eſt contra ſigillum confeſſionis, quia id eſt modo quodam confuſo,aut modo quodam dubio inſinuare prauum ſtatum ipſius pœnitentis, & ita docent Nauarr.Viualdus,Vega,& alij,quos citant & ſequuntur Fagundez & Suarez *vbi infrà*, quibus adde Granado *in 3.part.de Sacram.controu.7.tract.11. diſp.6.num.2.* Coninck *de Sacrament.diſp.9.dub.1.n.4.* Hurtadum *de Sacram.diſput.12. de pœnit. difficult.12.* Præpoſit.*in 3. part. quæſt. 11. de ſigillo, dub.3. num.27.* Vaſquez *in 3 part. tom. 4. quæſt. 93. artic. 4. dub. 10. num.9.* & alij.

Sed difficultas an idem dicendum ſit,ſi Confeſſarius interrogatus,an Petrum abſoluerit, reſpondet, Ego eum non abſolui, quia nondum confeſſionem finiuit, propter ſuperueniens impedimentum.Sotus *in 4.diſtinct.18.art.5.q.4.* Graſſius *in deciſ. aur.part.1.lib.1.cap.23.num.37.* & Suarez *in 3.part.tom. 4.diſp.33. ſect.6.nu.1.* negatiuam ſententiam tenent; ſed immeritò quidem. Nam talis reſponſio ſtatim audientium offendit aures, & malam opinionem de ſe ingenerat circa pœnitentem,niſi alioqui probatæ,ac notæ virtutis eſſet,ac conſcientiæ. Dicendum eſt igitur in tali caſu ſi Confeſſarius modo quo ſuprà reſpondeat frangere ſigillum,& ita docet Fagundez *pr.2.lib.6.cap.5.num.9.*

Aduertit tamen Suarez *in 3.part. tom. 4. diſp. 33. ſect.6.* & Valent.*diſp.13.punct...* ſine violatione ſigilli dici poſſe,Non abſolui Petrum,quia nondum perfecit confeſſionem. Verùm, vt optimè obſeruat Granado *in 3.part.de Sacram. controu.7. tract.11. diſp. 6.num.2.* in hoc adhibenda eſt magna cautio, ne præbeatur occaſio credendi confeſſionem eſſe longam, propter peccata mortalia, vel extraordinaria venialia.

Sed an prædicti Confeſſarij, ſi in dictis caſibus frangant ſigillum,vt probatum eſt,debeant puniri pœna ordinaria inflicta contra fractores ſacri ſigilli.Bernard.Diaz *in pract.crimin.cap.109.à num.2.* exiſtimat in dictis caſibus Sacerdotem eſſe tantùm puniendum pœna arbitraria, &c. Fundamentum illius eſt, quia non poteſt verè dici illum reuelaſſe peccata confitentis, licet verùm ſit reuelaſſe confeſſionẽ,& quia iura in prædicto cap.*omnis vtriuſque ſexus, de pœnitent. & remiſsion. & in cap. Sacerdos, eodem tit.* imponunt pœnam reuelantibus peccata, & non reuelantibus confeſſionem abſolutè. Cæterùm non mihi placet illius ſententia, quia *cap. omnis*,ita habetur. Caueat autem Sacerdos ne verbo,aut ſigno,aut alio quouis modo reuelet peccatorem. Quod perinde eſt ac dicere,reuelet ſtatum peccatoris;qui autem reuelat confeſſionem, abſolutè reuelat ſtatum peccatoris in peccato mortali, ac proinde ordinarijs pœnis iuris ſubijcietur.Et ita docet Fagũdez *pr.2.l.6.c.7. n.11.* cui etiã adde Hurtadum *de Sacram.diſput.12.de pœnit. diffic.12.in fine.*

Notandum eſt etiam hîc obiter cõtra Emanuelem Sà *ver.Confeſſor*,& alios, Confeſſarium qui de publico peccatore aſſerit illum confeſſum eſſe ſuum peccatum, frangere ſigillum, nam licet hoc cedat in laudem pœnitentis, tamen hoc fieri non poteſt ſine expreſſa eius licentia. Ita ex communi docet Tannerus *tom.4.diſp.6.q.9. dub.6. n.127.* qui etiam *n.128.* contra Caiet.& Henriq. *lib.6. cap.19. num.5.* rectè docet Confeſſarium frangere ſigillum ſi dicat de publico peccatore non illum abſoluiſſe, quia non videt pœnitentiam publicam de peccato, aut quia ſcandalo publico non ſatisfacit, quia talis non tantùm ſignificat id, quod extra confeſſionem notum eſt omnibus, videlicet iſtum ſcandalo non ſatisfacere,&c. ſed etiam peccatum illud ſine vera pœnitentia fuiſſe confeſſum, quod aliàs non certò conſtat; cùm potuerit verè pœnitens eſſe confeſſus, cum propoſito videlicet & promiſſione ſatisfaciendi,& nihilominus tamen poſtea re ipſa nõ ſatisfacere. Solùm ergo dicat de tali pœnitente.Ego feci officiũ meum,ſentio cum Eccleſia Catholica,quòd impœnitentes abſoluendi nõ ſint.

RESOL.

RESOL. XLIII. *Quomodo se gerere debeat Confessarius quando interrogatur sub iuramento an in confessione audiuerit peccatum aliquod?*

DOcent Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 4 art. 5.* & Paludanus *dist. 21. q. 3.* Confessarium tunc non posse negare, quia mentitur, quod nunquam licet: & cùm id non possit affirmare, dicunt consultissimũ esse illi obiurgare interrogantem, quamuis iudicem, quia id interrogat.

Sed hæc opinio mihi non placet. Dico igitur, quòd Confessarius de peccato in confessione cognito interrogatus, negare atque etiam iurare potest, se nihil scire, nec pœnitentem, se tale crimen esse confessum, subintelligendo notitiam humanam, vel vt dicam tibi, imò ego puto ad hoc teneri, quando ex silentio, vel ex alia resp̃sione generetur suspicio, quòd pœnitens peccatum illud cõmiserit. Et ratio est, quia, vt alibi diximus, æquiuocationes ex iusta causa sunt licitæ, nec teneri respondentẽ extra casum professionis fidei respondere ad mentem iniquè interrogantis. Cùm igitur in casu nostro ex vna parte Confessarius potest salua veritate negare, addendo mentaliter supradictas restrictiones, & ex altera parte est iusta & rationabilis causa ad sic negandum, quamuis interrogans ea negatione decipiat, cùm illicitè interroget. ergo Confessarius potest licitè negare modo, quo suprà. & ita hanc sententiam tenent Tannerus *tom. 4. disput. 6. quæst. 9. dub. 6. num. 123.* Huttadus *de Sacrament. disp 12. de pœnitent. diffic. 13.* Vasquez *in 3. part. tom. 4. quæst. 93. art. 4. dub. 12.* Coninck *de Sacrament disput. 9. dub. 11 num. 21.* Henriquez *lib. 6. cap. 19. num. 7.* Ochagauia *de Sacrament. tract. 3. de sigillo Confess quæst. 9. num. 5.* & alij. Vnde ex his reijcienda est opinio Altisiodorensis *lib. 4. summæ tract. 6. cap. 3. quæs. 7.* & Gabr. *in 4. distinct. 21. quæst. 1 art. 3. dub. 1. cas. 3.* asserentium, Confessarium posse reuelare confessionem, ne sit periurus.

Non desinam tamen hìc pro Confessarijs adnotare cum Granado *de Sacram. in 3. part. contr. 7. tract. 11. disp. 6. num. 4.* quòd si peccatum sit tale, vt si Confessarius neget illud sibi fuisse confessum, detur occasio saltem rudi populo existimandi pœnitentem malè confessum fuisse, non debet Confessarius respondere negando, sed his, vel similibus verbis: Peccata tua confessus est, & ego illum absolui, vel functus sum officio meo, v. g. si meretrix, vel alia persona vitæ perditæ, quam constet hactenus non fuisse alteri confessam, accedat ad Petrum Sacerdotem, illiq́ue confiteatur: postea verò quispiam imprudens accedat & interroget, Numquid mulier hæc confessa est tibi meretriciam suam vitam? non poterit respondere Sacerdos non fuisse confessam eiusmodi peccata, quia inde saltem rudes inferre possent eam malè fuisse confessam: sed reprehendat interrogantem, & inducentem ad sacrilegium. Si verò quidpiam aliud dicturus sit, respondeat etiam ipsam aperuisse peccata sua, & ipsum functum fuisse officio suo Confessarij. Et si quærat Sacrista, vel minister Missæ à Confessario, an apponenda sit particula, *vt consecretur pro communione Petri*, respondeat Confessarius, vt ab ipso pœnitente quæratur, sic enim notat Granado & Henriquez *lib. 6. cap. 21. num. 5.* in glossa *lit. X.*

RESOL. XLIV. *An si, v. g. Petrus ante confessionem consulat virum doctum in ordine ad confessionem faciendam, non cum illo, sed cum alio, teneatur dictus Consiliarius ad sigillum?*

NEgatiuè respondet Suarez *in 3. part. tom. 4. disp. 33. sect. 4. num. 6. & sect. 2. num. 4. & 7.* Henriquez *lib. 3. cap. 21. nu. 4.* & Aragon. *in 2. 2. q. 33. art. 7.* & alij, asserentes talem Consiliarium non teneri ad sigillum, sed ad secretum naturale, quia illa reuelatio non ex confessione, nec per confessionem fit, neque in eo casu Consiliarius talis participat casum clauium, cùm non ex confessione, neque per confessionem, sed ante confessionẽ sciat peccata manifestata; vnde est diuersa ratio inter hunc casum, & illum, in quo consilium petitur ab aliquo viro docto post confessionem factam.

Sed non desunt Doctores contrariam sententiam tenentes, & illam tenent Martinus Fornarius *in institut. Confess. lib. 1. tr. 1. cap. 3. n. 13.* & Fagundez *pr. 2. lib. 6. cap. 6. num. 23.* vbi citat Nauarr. & rationes adducit pro hac firmanda sententia, cui ego libenter adhæreo, fauet enim magis sacramento Confessionis, & non retrahit homines ab illo, imò trahit. Vnde opinio Suarez odiosum facit Sacramentum. nam, vt optimè contra illum obseruat Fagundez, quamuis huiusmodi Consiliarius nec ex confessione, nec per confessionem peccata sciat, scit tamen in ordine ad confessionem, & modo aliquo participat vsum clauis scientiæ quatenus dirigit pœnitentem ad Sacramentum, quæ quidem directio quamuis pœnitenti fiat, suapte tamen natura tenet se ex parte Confessoris, & ad illum pertinet quatenus director facit id, quod debuerat facere ipse Confessarius, si doctus ac prudens esset.

Ex his rectè Medina *lib. 1. cap. 14. §. 36. ad finem*, docuit, quòd si pœnitens virum doctum consulat, vt sciat quomodo se præparare debeat ad confessionem, non teneri virum doctum manifestare Prælato, etiamsi sub excommunicatione præcipiat, quia est via ad confessionem, quod est dicere teneri ad sigillum confessionis. nam si obligatio tegendi esset tantùm secreti naturalis, & non sigilli sacramentalis, tenebatur Consiliarius manifestare sub excommunicatione rem sibi reuelatam, secretum enim naturale non obligat cum damno alicuius, quando autem Prælatus præcipit sub excommunicatione, vt sibi res reueletur, ideo præcipit, quia damnum affert sibi, vel alijs.

RESOL. XLV. *An sit contra sigillum confessionis, si, v. g. Superior alicuius domus dicat Patri Generali, vel Prouinciali, In ea domo sæpe postulari potestatem absoluendi à peccatis reseruatis?*

HOc dubium mouet & resoluit Turrianus *de pœnit. q. 11. art. 1. disp. 33. dub. 1.* vbi sic ait. Difficilius est id de quo non semel interrogatus sum, an sit contra sigillum si Superior immediatus alicuius domus religiosæ manifestet Prouinciali in ea domo, aut collegio, sæpe postulari facultatem ad absoluendum à reseruatis, & videri posset alicui hoc

non

non esse contra sigillum, cùm non explicetur peculiare peccatum alicuius subditi. Mihi tamẽ semper visum est hoc esse iniustum, secluſa ignorantia, quia vel hoc fit vt Prouincialis habeat notitiam aliquam in ordine ad gubernationem subditorum; vel non fit hoc fine: si non fit hoc fine, manifestatio est planè inutilis, & imprudens contra bonam existimationem eius communitatis; si verò fiat in ordine ad gubernationem, planè est periculum ne ex illa notitia & ex alijs circumstantijs, vel certè cognoscatur peccatum aliquod subditi, vel saltem Prouincialis siniſtram cognoscet alicuius opinionem. Hæc Turrianus, cui ego libenter adhæreo.

RESOL. XLVI. *An pro seruanda vita possit Sacerdos aliquo modo manifestare peccata pœnitentis?*

AFfirmatiuè respondet Gabriel *in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 3.* Sed meritò contrariam sententiam docent Doctores, quos citat & sequitur Turrianus *de pœnitentia disput. 33. dub. 5.* quia maius bonum est seruare secretum confessionis propter bonum fidelium, & reuerentiam Sacramenti, quàm sit vita vnius hominis, sicut in bello potest esse obligatio militis cum periculo etiam manifesto vitæ propter bonum publicum.

Ex quibus infertur primò Sacerdotem qui cum alijs iter agens, ex vno eorum per confessionem intellexit in ingressum syluæ parari sibi mortẽ, teneri potiùs mori syluam ingrediendo, quàm aut fuga, aut retrocessione confessionẽ iam factam suspectã aliquo modo reddere, exponendo periculo eum, qui indicauit sibi, quia fortè socij in eum irruent, aliàs nemo vnquam vellet in tali casu confiteri, & sic confessio efficeretur odiosa, nisi tamen posset honesto aliquo titulo rem totam ita cooperire, vt nulla inde confessionis reuelatæ possit oriri suspicio. Idem dicendum, etiam si huiusmodi Sacerdos in supradicto casu existens esset in peccato mortali, tunc enim deberet elicere actum contritionis, & sic ingredi syluam cum euidenti periculo mortis, per actum enim contritionis quisque optimè potest saluari. Ex quo patet non bene dixisse Scotum & alios posse Sacerdotem in isto casu retrocedere ab ingressu syluæ, vt sic se saluet à morte, quia huiusmodi retrocessio est actus per se indifferens. Quoniam licet retrocessio illa de se non sit manifestatiua sigilli, per accidẽs potest esse manifestatiua, scilicet ex circumstantijs, quia, vt supponimus, socij cùm animaduerterint Sacerdotem audiuisse confessionem consocij, ex repentino discessu deinde Sacerdotis, poterunt facilè suspicari detectũ illi à consocio machinatum flagitium.

Secundò infertur, Sacerdotem, qui ex confessione sibi facta cognouit in vino, in quo facturus est Sacrum, esse immixtum venenum, nec potest aut omittere Sacrum, aut petere aliud vinum sine suspicione reuelatæ confessionis, teneri vinum sic mixtum sumere, & Deo se commendare. Et ratio est, quia reuelatio etiam indirecta confessionis est per se mala, & peccatum mortale. ergo in nullo casu est licita, quod est verissimum, etiam si esset periculum mortis spiritualis animæ, vt si in casu posito Sacerdos esset in malo statu, & non posset confiteri, tunc enim deberet prouidere sibi omni meliori modo, quo posset, de contritione, quæ cũ Sacramento in voto sufficit ad æternam salutem. Ita Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 5.* Nauarr. *in cap. Sacerdos, de pœnit. dub. 6. num. 135.* Suarez *tom. 4. de pœnit. disput. 34. sect. 4. num. 7.* & plerique alij contra Scotum, Sylu. Henriquez & alios *suprà* citatos.

RESOL. XLVII. *An sacerdos Confessarius in aliquo casu dicat, v.g. Audiui Petri confessionem, vel Petri peccata, frangat sigillum?*

REspondeo affirmatiuè, & assero non posse Confessarium prædicta vsurpare, quando quis ita secretò ei confessus est, vt nolit id sciri ab aliquo, vt, v.g. à suo Confessario ordinario, qui eo cognito suspicaretur graue peccatum subesse, tunc enim talia dicendo violaretur sigillum, si non confessionis, saltem naturæ, ad quod confessionem audiens sea dstrinxit, aut expressè si rogatus est à pœnitente, ne mentionem de ea re faceret, aut tacitè si ita is latenter accessisse notatus sit, vt satis facto ipso ostenderet se nolle sciri, quòd fuerit ei confessus. Et ita docet ex Nauarro Reginaldus *tom. 1. lib. 3 cap. 4. num. 54.* cui adde Mercerum *de Sacrament. 3. part. quæst. 11. art. 2.* sic asserentem. Licet Confessor simpliciter dicat Petrum sibi esse confessum, vel esse confessum peccata sua, non reuelat sigillum, quia hic nulla fit iniuria. non priore casu, quia omnibus fidelibus est commune; non posteriore, quia id necessariò continetur in confessione: limitat tamen hanc assertionem Nauarr. Nisi quis tam secretò cuipiam confessus sit, vt nolit sciri ab aliquo se illi esse confessum, quia scilicet confitendo extraordinario veniret in suspicionem maioris peccati, quod suum ordinarium Confessarium celare voluisset.

RESOL. XLVIII. *An interpres teneatur celare peccata sub sigillo sacramentali?*

NEgatiuam sententiam docet Victoria §. 171. Caietan. *in sum. ver. Confessio, condit. 11.* Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 4 art. 5. §. per hoc respondetur*, & alij, negantes simpliciter interpretem teneri sigillo sacramentali, sed secreto naturali. Probatur hæc opinio, quia in ea confessione interpres tenet se ex parte pœnitentis, & ideo sicut non tenetur pœnitens sigillo, sic neque interpres eodem tenebitur. Deinde illa confessio per interpretem nullo modo est necessaria. quare neque etiam poterit obligare ad sigillum, & ita hanc sententiam tenet Tannerus *tom. 4. disp. 6. quæst. 9. dub. 6. num. 134.* vbi docet interpretem teneri inuiolabili secreto, non tamen sigillo sacramentali.

Verùm his non obstantibus prorsus contrariam sententiam tenendam esse puto, quam tenet Scotus, Richardus, Rosella, Sylueſter, S. Anton. Medina, Nauar. Philiarcus, Toletus, quos citat & sequitur Onuphrius *opusc. de sigillo sect. 3. quæst. vn. dub. 21.* quibus ego addo Valboam de Magrouiejo *tom. 2. sect. Salmat. in c. omnis vtriusque sexus. de pœnit. & remiſ. n. 62.* Turrianum *de pœnit. disp. 33. dub. 1.* Mæratium *in D. Thomam tom. 3. tract. de pœnit. disput. 32. sect. 2. num. 3.*

Raynau-

Raynaudum *de Monitor.part.1.cap.3.quæs.4.* Fagundez *pr.2.lib.6 cap.6.num* 17.Henriquez *lib.3. cap.19. num.9.*Ioan.Henriquez *in compen.cas.moral. cap.46. num.11.*Moscoso *in sum.tract 7.cap.15 num.5.* Suarez *in 3.part.tom 4.disput.33.sect.4 num.4.* nostrum doctum & charissimum Trimarchi. *de Confess.sollicit. disp.7.sect.4 num.18.* Cælestinum *in compen. tract.1. cap.18.num.3.*Reginaldum *tom.1.lib.3.cap.3.num.26.* Kellisonium *tom 2. in 3.part. quæst.11. art.3. dub. vn.* Mercerum *de Sacr.in 3.part. quæst. 11. art. 3.* Pitigianum *in 4.sent.tom 2.dist.21.quæst.2. art.5.* Fabrum *de pœnit.in 4.sent.dist.19.quæst.vn. disp.34. cap.2. num.21.* Præpositum *in 3 part.quæst.11.de sigillo dub.8.num.32.* Granado *de Sacram.in 3.part. contr. 7. tract.11. disp.4. num.1.*Ochagauiam *de Sacram tract.3. de sigillo Confess.quæst.2 n.1.*Villalob.*in sum. tom. 1. tract.9.diff.72. num.5.* & Hurtadum *de Sacram. disput.12. de pœnit. difficult.3.* & ratio est, quia quamuis interpres non se teneat ex parte Confessarij,cui fit confessio, sed potiùs ex parte pœnitentis, quia pœnitens medio ipso interprete confitetur Confessario, & subijcit suam confessionem illi, nihilominus cognoscit peccatum pœnitentis ex confessione inchoatiuè sacramentali,quia etiam vt directa ad ipsum interpretem est inchoatiuè sacramentalis, quia medio ipso & per ipsum fit,& dirigitur ad Confessarium, & subijcitur clauibus,ac proinde reuelando peccatum irrogat iniuriam confessioni inchoatiuè sacramentali,ex qua illud cognouit. Hæc omnia Hurtado Complut.

Deinde cùm hoc sacramentum sit maximæ necessitatis, quod tamen interdum aliter quàm per interpretem non potest institui, pœnitentes maximum grauamen sentirent,si interpres non teneretur legibus sigilli,& id cederet in maximam ipsius sacramenti iniuriam,quod hac ratione redderetur odiosum.Ex his patet responsio ad primum argumentum. Ad secundum quòd confessio per interpretem non est necessaria,non valet, quia peccata venialia non sunt necessaria, & tamen tenetur ea Sacerdos seruare sub sigillo. Vnde Ochagauia *vbi suprà*,inuehitur contra Coninck *de Sacrament. disp. 9.dub.3.*asserentem eos,qui sponte à pœnitente, & sine necessitate adhibentur ad audienda peccata non obligari sigillo.

RESOL. XLIX. *An Confessarius asserens Petrum, v.g. confessum fuisse plura peccata venialia, frangat sigillum?*

VIdetur negatiuè respondendum,quia sigillum tunc frangitur, quando reuelatur peccatum mortale in genere,vel veniale in specie;sed in casu nostro hoc non accidit. ergo,&c.

Verùm affirmatiuam sententiam docet Hurtado *disp.12.de pœnit. diffic.4.* quia qui dicit, aut aliter significat pœnitentem feciſſe,aut confessum fuisse plura venialia,reuelat quod est occultum, quia occultum est pœnitentem plura venialia feciſſe:secus est autem,si diceret pœnitentem feciſſe, seu confessum fuisse peccata venialia,non addendo plura, quia tunc non reuelat peccatum occultum, quia manifestum est,eum qui confitetur,& absoluitur, feciſſe,& confiteri ad minus venialia.Ita ille.

Notandum est etiam hîc, quòd Malderus *tract. de sigillo, cap.12.* etiam non excusat eum à fractione sigilli,qui dixerit Petrum, v.g. grauia venialia sibi esse confessum.

RESOL. L. *An frangat sigillum qui dicit, Petrus, v.g. in confessione suis minutissimis peccatis scrupulosè caput meum obtundit?*

HÆc verba frequenter Confessarij dicere solent, & in tali casu frangere sigillum docuit nouissimè Iacobus Granado *in 3.part.de Sacrament. contr.7.tract.11 disp.3.n.3.* quia quidquid pœnitenti est aliquo modo ignominiosum,& gignit erubescentiam,non potest manifestari nisi violato sigillo. quis autem est, qui non erubescat, aut aliquando doleat,si audiat se ita confiteri, vt caput obtundat Confessario suis nænijs, aut se occupare impertinentibus scrupulis Confessarios?Itaque infirmum est contrarium fundamentũ Doctorũm, nam hæ, & similes locutiones non declarant peccata venialia solùm in generali,sed in speciali significant nimietatem & defectum, quem non habent multi alij,qui & venialia plura, immò & mortalia committunt.Accedit quòd nomen *scrupulosus*,si propriè sumatur,significat hominem,qui propter ignorantiam, aut nimium timorem putat esse peccatum, quod ne probabiliter quidem est culpa;idque non semel & iterum,sed sæpe sæpiùs. ergo qui eum in confessione cognouerit,manifestè declarat aliquẽ pœnitentis defectum, & talem sanè vt multis ruborem injciat, cùm eo nomine appellantur. ergo frangit sigillum. Ita Granado.

Sed contraria sententia est cõmunis inter DD. quos ideo hîc non refero. & ratio est, quia in tali casu non manifestatur aliquod peccatum in particulari, & nomen *scrupulosus* communiter denotat hominem timoratum,& qui abstinere vult ab his, etiam quæ licita sunt, sed aliquod periculum afferunt,in quo sensu etiam ipse Granado concedit nõ frangi sigillum. Verùm his non obstantibus consulo Confessarios etiam ab his locutionibus omnino abstinere. Vnde non desinam hîc apponere verba Ægidij de Coninck *de Sacram. disp.9.dub.1. n.11.*vbi sic ait.Infertur eum non frangere sigillum, qui dicit Petrum solere sibi obtundere caput minutissima peccata confitendo.Sed etsi talis directè non frangat sigillum, malè tamen & periculosè hoc dicit; nam videtur innuere talem esse scrupulosum, aut saltem facilè posset audientibus talem ingerere opinionem, atque ita indirectè sigillum frangere.Ita ille,& ego.

RESOL. LI. *Quæ pœna imponatur Confessori reuelanti sigillum confessionis?*

REspondetur *in cap.si Sacerdos,de pœnit.dist.6.*duas pœnas imponi. primam depositionis à iudice imponendæ; secundam vt cogatur iste Sacerdos perpetuò ignominiosè peregrinari. In cap. autem *omnis vtriusque sexus,de pœnitent.& remissionibus*, confirmatur eadem depositionis pœna, & additur vt perpetuò detrudatur in Monasterium, vnde antiquum illud ius cap.*Sacerdos*,de perpetua peregrinatione per hoc ius nouius cap.*omnis vtriusque sexus.*

sublatum

sublatum est, & illa pœna est in perpetuam reclusionem immutata.

Nota tamen quòd neutra pœna, depositionis videlicet & perpetuæ reclusionis, incurritur ipso facto ante sententiam iudicis, quia ex nullo fundamento constat aliquam ex eis ipso facto incurri. Alijs verò personis distinctis à Confessario, quas etiam sigillo confessionis teneri diximus, non sunt impositæ dictæ pœnæ, vt ex dictis iuribus constat, nec eis sunt puniendi, sed mitioribus, quia in fractione sigilli non ita grauiter peccant, ac Confessarius, quamuis multo grauioribus, quàm si solum frangerent secretum naturale iustitiæ. & hæc omnia docet Ochagauia *de Sacrament. tract.3.de sigillo, q.9.num.11.* Hurtado *de Sacrament.disp.12.de pœnitent. difficult.14.* Suarez *in 3.part.tom.4.disp.33. sect.8.* Coninck *de Sacrament.disput.9.num.70.* Præpositus *in 3. part.q.11.de sigillo.dub.4.num.39.* & Onuphrius *opusc. de sigillo,sect.5.q.2.*

Notat tamen Granado *in 3. part. de Sacrament. contr.7.tract.11.disp.8.num.3.* non infligi supradictas pœnas ob quamcumque violationem sigilli, sed solùm ob reuelationem peccati, de hac enim tantùm agitur in iure, quia illa est præcipua materia sigilli; vnde qui solùm reuelaret aliquod ignominiosum in confessione cognitum, sed quod peccatum non sit, non incurreret istas pœnas, sicut nec ille, qui cũ pœnitente loqueretur extra confessionem de peccatis ab illo auditis, & non petita licentia. Ita Granado, qui etiam addit depositionem istam non solùm significare prohibitionẽ audiendi confessiones, sed etiam cuiuscumque muneris sacerdotalis.

RESOL. LII. *Quomodo possit constare de hoc delicto?*

REspondeo in primis per Confessoris dictum posse constare, alioqui alijs coniecturis vtendum, & interdum sufficient plures testes, quamuis non sint contestes, propter naturam delicti, circa quod vix possunt plures testes contestes, & eiusdem actus inueniri. Quòd si Confessor dicat se habuisse licentiam à pœnitente ad reuelandum peccatum, & pœnitens id neget, vt bene notauit Bernardus Diaz *in practica.cap.*109. in hoc negotio non potest dari certa regula; sed ex qualitate peccati, & ijsdem circumstantijs personarum, & publicatione delicti præsumptio est desumenda. & ita docet Ochagauia *de Sacrament.tract.3.de sigillo,q.9.num.12.* Hinc Onuphr. *opuscul.de sigillo, sect.5. quæst.* 3. sic ait. Vnde in hoc negotio vt rem totam perstringam, illud concludendum videtur, si id, quod opponitur Confessario, vel à pœnitente, vel à tertia persona non constet, & Confessarius de eo aut non sit cõuictus, aut non sit confessus, tum ex diuersis accidentibus, tum respectu Confessarij, tum respectu pœnitentis, vel etiam tertiæ personę, si hæc sit accusatrix, totam rem esse à iudice definiendam, ac cõcludendã, neque enim in hoc videtur certa aliqua regula tradi posse, sequitur nullo modo probari, quod asserit Viualdus *de sigillo confess.num.39.* Confessarium asserentem se non reuelasse confessionẽ, adducendum esse ad id, vt iuret, & tunc illi credendum esse. nam, vt diximus, numquam videtur redigendus in eas angustias, sed potiùs ex alijs accidentibus iudicandum esse, an simpliciter sit illi credendum. Imò, cæteris paribus, nullo etiam adhibito iuramento, semper præsumendum esse pro Confessario, vt illius simplici dicto sit standum, nisi aliud obstet. Ita ille, quem iudices Ecclesiastici in casu contingenti ne deserant videre. & etiam recognoscant Fagundez *pr.2.lib.6.cap.7.num.10.*

RESOL. LIII. *An Confessarius qui frangit sigillum, sit irregularis?*

MAiolus, qui totum mundum irregularitatibus implicare voluit, affirmatiuè respondet *in lib. 5.de irregul.cap.19. num.16.* sequutus Speculatorem, quia putat irregularitatem in hoc casu includi in depositione imposita contra fractores sigilli *in can. Sacerdos.de pœnit.dist.6.& in cap.vtriusque sexus.de.pœnitent.& remiss.* immò addit laicum, qui sine necessitate confessionem secretam audiuit, fieri irregularem, si eam reuelet.

Sed ego puto omnino negatiuam sententiam tenendam esse, quia irregularitas nunquam incurritur, nisi sit in iure clarè expressa. Sed hæc irregularitas non deducitur ex dictis iuribus, quia depositio in ipsis imposita non incurritur ipso facto, nec aliunde. ergo, &c. Et ita hanc sententiam ex Filliucio & Suarez docet Hurtado *disput.12.de pœnit. disp.* 14. & Iacobus Granado *in 3.part.de Sacram. contro.* 7.*tract.11.disp.8.num.2.* cum Onuphrio *opusc.de sigillo,sect.5.quæst.vlt.* Fagund. *pr.2.lib.6.cap.7.num.3.* Turrian *de pœnit.disp.33.dub.9.* Aldrete *de disciplina tuenda lib.2.cap.19.§.1.num.3.* & alijs.

RESOL. LIV. *An secretum tanquam in confessione detectum, obliget ac si fuisset dictum in confessione?*

CAsus passim accidit, & noster bonus & doctus senex P. Naldus ad illum sic respondet *in summa ver. Reuelare, n.5.* Reuelari non potest quod sibi dictum fuit tanquam res dicta in confessione; quamuis enim non cadat sub sigillo confessionis Sacramentalis, perinde tamen arctat ad celandum illud, ac si dictum fuisset in confessione. Ita ille.

Sed in specie nominatim contra illum insurgit nouissimè Theophilus Raynaudus *in tract. de Monitorijs part.1.cap.3.quæs.4.* vbi sic asserit. Miror autem quid in mentem venerit Naldo, vt diceret, quamuis non interueniat sigillum confessionis in ea commissione arcani cum protestatione prædicta, tamen perinde hominem arctari ad celandam rem sic commissam, ac si in confessione sacramentali fuisset concredita, hoc enim nullo modo verum est. Sic Raynaudus. Dicendum est igitur, tale arcanum sic alteri concreditum non obligare nisi sub secreto naturali, & in hoc sensu benignè interpretandus est noster Naldus, ipse enim negat tale arcanum cadere sub sigillo confessionis.

TRA-

TRACTATVS DVODECIMVS
DE
INDVLGENTIIS,
ET IVBILÆO.

RESOL. I. *An si quis intra tempus à Iubilæo præscriptum confiteatur, & ante consecutionem Indulgentiæ incidat in aliud peccatum, teneatur iterum confiteri?*

CASVS potest in praxi sæpiùs accidere, v.g. præscribitur confessio intra hebdomadam, & confessus est quis die Veneris, sed ante absolutum Sabbatum, in quo obtinetur indulgentia, peccat lethaliter, tenebitur iterum confiteri? & affirmatiuam sententiam tenet Suarez *in 3.part.tom.4. disput.52. sect.3. num.7.* Villalobos *in summa tom.1.tract.26.difficultat.11. num.2.* Filliucius *tom.1.tract.8.cap.6.num.187.* & Sanctarellus *de Iubilæo, cap.14 dub.4.*

Sed illam non approbat Iacobus Granadus *in 3. part.de Sacrament. contr.12. tract.5. disput.4. num.8.* quia tenor Indulgentiæ solùm præscribit confessionem, cùm autem ea non sit necessariò facienda in vltimo tempore Iubilæi, sed posset fieri ante dies aliquot, non est cur nouum onus alterius confessionis imponatur, quia sine illo impletur sufficienter conditio requisita in tenore Indulgentiæ, & aliunde per contritionem liberari potest à peccato lethali denuò commisso, vt ita recuperet statum gratiæ, sine quo Indulgentiæ effectus non percipitur. Imò licet tempore primæ confessionis oblitus fuerit aliquod lethale peccatum, non videtur obligandus ad illius confessionem intra tempus Iubilæi, nisi fortè Eucharistiam nondum suscepisset, quia ipse nullo præcepto tenetur intra illud tempus confiteri, aliunde verò iam confessus est, & consecutus gratiam, quæ ad consecutionem Indulgentiæ requiritur. Ita Granadus, & nouissimè Ioan. Præpositus *in 3.part D.Thom.quæst.14.de Indulgent dub.10.num.84.* vbi sic ait. Videtur dicendum eum qui ad effectum Indulgentiarum legitimè est confessus, si postea peccet, posse per contritionem disponi ad Indulgentias promerendas. Item non requiri vt oblitus alicuius peccati illud confiteatur intra tempus Indulgentiarum. Idem dicendum si quis ex causa inculpatè peccatum aliquod omittat in confessione, etiamsi in forma dicatur, Confiteatur omnia peccata, quia illo modo loquendi solùm designatur quoad effectum Indulgentiæ consequendum, confessio legitima requiratur. Hæc Ioannes Præpositus. cui etiam adde Nugnum *in addit. ad 3.part.quæst.23.art.3. dub.4.* & huic sententiæ ego adhæreo.

RESOL. II. *An per Bullam Cruciatæ quis lucretur in diebus signatis, qui vocantur stationes, omnes Indulgentias plenarias vrbis Romæ?*

NEgatiuam sententiam docet Corduba *lib.5.de Indulgent.quæst.41.* Henriquez *lib.7.de Indulgent. cap.10.num.2.* Ludouicus de la Cruz *in Bulla Cruc. disp.1.cap.8.dub.2.num.3.* Nauarr. *in Leuit.notab.9.num. 15.* Leo *de Iubilæo.part.1.q.6.n.229.* & Iacobus Granadus *in 3.part.de Sacram.contr.12.tract.6.disp.2. nu.4. & 7.* & ratio est, quia stylus Curiæ Romanæ & Regulæ Cancellariæ habet, quòd nisi in concessione exprimantur Indulgentiæ plenariæ, solùm intelligantur comprehendi non plenariæ; sed in Bulla Cruciatæ non exprimuntur Indulgentiæ plenariæ. ergo comprehenduntur tantùm non plenariæ. Vnde ex hac sequeretur per Bullam Cruciatæ non lucrari aliquam Indulgentiam plenariam nisi semel in vita & in morte.

Verùm hanc sententiam Villalobos *in summ. tr. 27.claus.8.num.3.* & Trullenck *in Bulla Cruciatæ, lib. 1.§.6.dub.1.num.5.* existimant esse falsam. Probatur primò ex summario Indulgentiarum in Bulla Hispana iussu Commissarij Generalis composito, vbi sic dicitur. [Sumario de las estaciones, y Indulgencias de Roma las quales concede su Santidad, à todas las personas que tomaren esta Bula, y hizieren, y cunplieren cerca desto lo en ella contenido.] & statim sequitur. [El primer dia de Quaresma en Santa Sabina Indulgentia plenaria.] & hoc modo percurrit alias stationes commemorando plures dies, in quibus Romæ conceduntur Indulgentiæ plenariæ. nefas ergo est credere Bullæ Cruciatæ Commissarium in re adeò graui velle fideles omnes decipere, neque credibile est huius summarij formam ignorari à Summo Pontifice. Imò persuasum mihi habeo illius scientiam habere. Secundò probatur, quia quando quis Romæ visitat Ecclesiam vbi statio est, non solùm lucratur Indulgentiã illius Ecclesiæ, sed etiam omnes alias Indulgentias septem Ecclesiarũ præcipuarũ Romæ. At in aliqua ex illis singulis diebus est Indulgẽtia plenaria; ergo Indulgentia quæ ratione stationum conceditur, est plenaria. Quare ad argumentũ oppositum dicendũ est in Bulla plumbea expressè dici, habentẽ Bullam posse lucrari Indulgentias stationũ, cumque in eis expressè contineantur Indulgentiæ plenariæ, illa generalis locutio æquipollet speciali, seu specificæ locutioni. Adde quòd in Bulla dicitur, *omnes & singulas.* Et hæc omnia docet Trullenck & Villalob. *vbi suprà*, qui pro hac sententia adducũt etiam Rodriq. *in Bulla §.8.n.6.* & Lopez *in Instr. p. 2.* vbi de Bulla

*cap.*1.quibus ego adde Garnicam *in expositione Bullæ Cruc.*§.*Item se concede.*vbi ita ait. [La Indulgencia el dia,que ay estacion es plenaria.]

Notat etiam Villalobos *vbi suprà*, [Ser mas probable que estas Indulgentias se pueden ganar muchas vezes en vn dia, visitando muchas vezes las Iglesias,que assi se ganan tanbien en las de Roma, segun dize Nauarro,y si la Indulgencia es plenaria, podrà ganarla la segunda vez, y otras por los difuntos.que para sì no las ganarà,porque auiendosele perdonado la pena de los pecados la primera vez,no queda que perdonar la segunda vez.]

RESOL. III. *An si quis sumat Indulgentiam plenariam, liberetur ab onere implendi pœnitentiam pœnalem à Confessario impositam?*

ALiter quàm alij,philosophatus est circa præsentem quæstionem insignis Theologus Societ. IESV Gregor. de Valent. & ideò negatiuam sententiam mordicus tenet *tom.*4. *disp.*7. *quæst.*20. *punct.*3.§.*sunt autem.*Primò,quia obligatio implendi pœnitentiam est iuris diuini,vt constat ex Triden. *sess.*14.*cap.*3.dicente,satisfactionem provt est in pœnitente requiri ad integritatem Sacramenti ex diuina institutione.Ita Summus Pontifex non potest abrogare ius diuinum. ergo nec relaxare pœnitentiam à Confessario impositam. Confirmatur, quia satisfactio pœnitentis pertinet ad integritatẽ confessionis. ergo. Deinde, si contraria sententia vera esset, numquam teneretur homo adimplere pœnitentiam, sed posset consequi Indulgentiam aliquam loco illius, cùm innumeræ suppetant id, quod non reputare absurdum, mihi videtur, ait Valentia, absurdissimum. Cæteras rationes penes ipsum videbis,& ita nouissimè hanc opinionẽ docet etiã Andreas Duuallius *in part.*2.*D.Thomæ tract. de Indulg. quæst.vnica art.*8.adi illum,& non pigebit. Vide etiam Nugnum *in addit ad* 3.*part.quæst.*25.*art.*1.

Verùm non est recedendum ab affirmatiua sententia asserente effectum Indulgentiæ esse liberare hominem ab obligatione implendi pœnitentiã iniunctam à Confessarijs. Et ita docent communiter Doctores, quos ad satietatem nominatim contra Valentiam adducit Tannerus *in Theolog. Scholast. tom.*4. *disput.* 6. *quæst.* 8. *dub.* 4. *num.*76.& Iacobus Granadus *in* 3.*p.de Sacram. contr.*12.*tract.*2. *disp.* 4.*num.*5.Faustus *de Iubilæo lib.*2.*quæst* 132.& Ludouicus à Cruz *in Bulla Cruc.disp.*1.*c.*8.*dub.*1 *n.*15.& debet intelligi de pœnitentia, quæ non sit præseruatiua. Ratio est, quia licet iniungere aliquam satisfactionem,seu pœnitentiam,& illam implere,sit ex iure diuino, & propterea nullus præter ipsum Deum videatur in ea re dispensare posse. Verùm quòd pœnitentia sit hæc,aut illa,vel sit maior, aut minor,pendet ex Confessarij arbitrio, vt certum est,& habetur in iure,ac proinde præceptum,quo determinata pœnitentia iniungitur, Ecclesiasticum & humanum est. ergo Pontifex potest illud abrogare, præsertim quando concedit Indulgentias commutando pœnitentias Confessarij in illud pium opus, quo quis disponitur ad Indulgentiam consequendam,& supplendo ex thesauro id satisfactionis,quod deest.

Vnde patet responsio ad primum argumentum, quod pro sua sententia adducebat Valentia. Ad secundum argumentum de absurdo respondeo cum Granado *vbi suprà*, quòd si semper inueniri posset Indulgentia omnino plenaria, aut quæ ab iniunctis pœnitentijs absolueret,semper posset homo liberari ab obligatione implendi pœnitentiam à Confessario impositam. Nec id absurdum est. Sed ab Ecclesia concessum,nec tenetur homo exequi semper id, quo reddatur certissimus de remissione,sat enim est si probabiliter id sibi persuadeat, sicut sibi persuadere potest se consecutum Indulgentiam,& ideo ad pœnitentias à Confessario iniunctas non ampliùs teneri,est tamen optimum consilium eas etiam implere, & tenentur si sunt præseruatiuæ.

RESOL. IV. *An Indulgentia sublata peccati fictione sortiatur effectum suum?*

NImis grata & consolatoria erit resolutio huius dubij,& pro sententia negatiua *in* 4.*part.tract.* 4.*resol.*94.adduxi Suarez,cui nunc addo Trullenck *in Bulla Cruciatæ lib.*1. §.1. *dub.*16. *num.*5. Fabrum *de pœnitent. in* 4.*sent. dist.*19.*quæst.vn.disput.*38.*num.*197. Sotum *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 2.*art.*3. Lauorium *de Iubileo part.* 2.*cap.* 14. *num.* 69. Pollachum *de Iubileo sect.*42.*num.*16. Sanctarellum *de Iubilæo cap.*7.*dub.*2. Leonem *de Iubileo part.* 1.*num.*86. Emanuel Sà *ver. Indulgentia,num...* Coninck *de Sacrament. disput.* 12. *dub.*7.*num.*37. Reginaldum *tom.* 1. *lib.* 7. *cap. vlt. num.*169.Zerolam *in praxi Episc.part.*2.*ver. Indulgentia num.*9. & alios penes ipsos. Probat Coninck hanc sententiam his rationibus: Primò, quia sic inimico valde liberalis fieret remissio saltem sub conditione, quod videtur absurdum. Secundò, quia ita reuiuiscere est proprium omnino Sacramentorum,quæ efficaciùs multò applicant merita Christi,quàm Indulgentiæ.Tertiò,quia ne quidem Sacramenta reuiuiscunt ei, qui ea recipiens posuit aliquod impedimentum essentiæ eorum repugnans,vt patet in pœnitentia. At perseuerantia in statu peccati mortalis repugnat essentiæ Indulgentiarum, quia hæc tota consistit in remissione pœnæ. ergo.

Sed affirmatiuam sententiam ego puto satis probabilem,& magis piam, quam præter Henriquez, Sylueſtrum, & Paludanum tenet nouissimè Iacobus Granadus *in* 3.*part. de Sacram. controu.*12. *tract.*5.*disput.*2.*num.*5. vbi sic ait. Contingere posse aliquem præstare omnia bona opera quæ ad Indulgentiæ concessionem requiruntur ex præscripto concedentis,& nihilominùs non esse in statu gratiæ.Et quidem de reliquis operibus præter cõtritionem,& confessionem nemo dubitat. Quod verò attinet ad ista duo. In primis non semper illa exiguntur tamquam dispositio ad Indulgentiam requisita à Pontifice; quando verò exigerentur, vt sæpe contingit,si quis ex proposito,aut obliuione omitteret conteri,aut confiteri,non consequeretur Indulgentiam,etiamsi postea id præstaret, vt conuincitur primo argumento.Accidere verò potest vt confiteatur quis, & dolorem aliquem concipiat,bona fide existimans se legitimè confessum

&

& contritum, & tamen non iuſtificetur, quia deficit dolori aliqua qualitas requiſita, & propterea communior ſententia Theologorũ admittit confeſſionem informem, id eſt, quæ ſit abſolutè confeſſio, & tamen non conferat gratiam, de quo in materia de Pœnitentia. Sententia ergo, quam hîc amplectimur, intelligenda eſt, quando vel confeſſio & contritio non petuntur à Pontifice in forma Indulgentiæ, vel ſi petantur, credidit homo bona fide nihil contritioni & confeſſioni ſuæ defuiſſe, quo poſito probatur iaciendo contraria fundamenta illis, quibus prior opinio nitebatur. In primis enim non ſemper Indulgentiæ tenor exigit, contritionem & confeſſionem, ſed alia ſolùm opera pia, quæ, vt ſuppono, præſtari debent; quando verò contritio & confeſſio exigitur, iam diximus ab homine præſtari debere, moraliter loquendo. Ergo quamuis propter occultum & inculpabilem defectum non receperit gratiam, credendũ eſt de pietate Eccleſiæ illi homini diſpenſaſſe theſaurum vt proſit, cùm primùm fuerit iuſtificatus. Quòd enim Eccleſia hoc modo diſpenſet theſaurum, non eſt quòd iudicetur impoſſibile. Re autem ipſa ita diſpenſare ſuadet eius pietas, quæ non patitur fideles tanto bono priuari propter prædictum defectum. Itaque licet tenor Indulgentiæ habeat, vt ſolùm verè contritis & confeſſis concedatur, intelligendus eſt hunc ſenſum reddere, vt ſcilicet tempore præſcripto homo eliciat contritionem, quam prudenter credidit ſufficere, & quæ ad confeſſionem validam, licet informem, neceſſaria eſt, dummodo poſtea iuſtificetur ad percipiendum effectum Indulgentiæ. Deinde probatur, quia omnia Sacramenta ſortiuntur effectum recedente fictione, ſaltem quando bona fide recepta ſunt ab eo, qui credebat eſſe ſe benè diſpoſitum, ergo idem de Indulgentiis dicendum eſt. Antecedens patet, quia ſi alicui Sacramento id poterat iure denegari, illud certè erat Euchariſtia, quę tam facilè iterari poteſt; oſtenſum autem eſt in materia de Euchariſtia, cùm illa recipitur bona fide, ſortiri poſtea effectũ recedente fictione. Conſequentia verò probatur, quia Sacramenta ſortiuntur prædictum effectum, quia ille eſt ex opere operato, id eſt, virtute meritorum Chriſti Domini, ſed effectus Indulgentiæ etiam eſt quaſi ex opere operato, prouenit enim ex applicatione ſatisfactionũ Chriſti Domini & Sanctorum. Denique licet qui tempore præſcripto à Pontifice non habet ſtatum gratiæ, nihil in ſe recipiat phyſicè & realiter; eo tamen ipſo, quòd reliqua pia opera præſtiterit, morale ius habet ad illam ſatisfactionem, quam Pontifex diſpenſauit iis, qui illa opera exercent. eſt ergo illa ſatisfactio quaſi in actu primo diſpenſata, ſolũque expectat oblationẽ obicis peccati, vt in actu ſecundo communicetur. & hæc omnia docet Granadus *vbi ſuprà*, & hanc ſententiam probabilem eſſe docet etiam Filliucius *tom.1.tract.8.c.6.n.* 40. licet ipſe contrariæ adhæreat.

Notandum eſt etiam hîc obiter contra Comitolum *in reſponſ.moral.lib.1. quæſt.*37. *num.*2. Conradum *in reſponſ. moral. part.1. quæſt.*204. Caietanum *tom.1. opuſcul.tract.*15 *cap.*9. Fabrinum *de Iubilæo, c.*33. & alios, vt quis ſibi obtineat effectum Indulgentiæ, non requiritur ſtatus gratiæ eo tempore, quo præſtat omnia præſcripta opera ad Indulgentiam conſequendam, ſed ſufficere ſtatum gratiæ in eo inſtanti, in quo applicatur Indulgentia, ſeu in quo danda & applicanda erit Indulgentia. & ratio eſt, quia Indulgentiæ effectus non prouenit ex opere, quod Pontifex iniungit, ſed ex ſatisfactionibus Chriſti, & Sanctorum. ergo quamuis illud opus fiat in ſtatu peccati, ac proinde non ſit ſatisfactorium, obtinebitur Indulgentia, dummodo tempore adeptionis homo ſit Deo gratus. Hoc autem tempus, ſeu potiùs inſtans eſt determinatum, illud nimirum quo verum eſt perfecta eſſe omnia, quæ Pontifex ad Indulgentiam requiſiuit. vt, v.g. conceſſit Indulgentiam illis, qui confeſſi Euchariſtiam ſuſceperint, & ieiunauerint quarta feria, ſexta, & Sabbato, cùm primùm dies Sabbati cenſetur elapſa, confertur fructus Indulgentiæ, licet quis de eo non cogitaret. & ita docet Granadus *vbi ſuprà, n.*9. qui citat Suarez, Valentiam, Sotum & Cordubam. quibus ego addo Sanctarellum *de Iubilæo, cap.*4. *dub.*1. Lauorium *de Iubilæo, part.*1. *cap.*14. *num.*77. & 78. & Pollachum *de Iubilæo, ſect.*42. *num.*10. Leonem *de Iubilæo, part.*2. *num.*120. Layman *lib.*5. *tract.*7. *cap.*6. *num.*2. Filliucium *tom.*1. *tract.*8. *c.*6 *num.*156. & 157. Faũſtum *de Iubilæo, lib.* 4. *q.*34. Fernandez *in Medulla, part.*3. *c.*8. *n.*1. & alios penes ipſos.

RESOL. V. *An ad lucrandas Indulgentias debeat opus iniunctum fieri benè moraliter, ita vt ſit in ſe honeſtum, & moraliter bonum?*

AFfirmat prima opinio, & aſſerit opus iniunctum eſſe adeò neceſſarium vt benè moraliter efficiatur: quòd ſi in eo efficiendo venialiter quis peccet, vt ſi, v.g. ex vana gloria viſitet Eccleſias, det eleëmoſynam, &c. non conſequitur Indulgentiam. Ita Adrianus, quem citat & ſequitur Nauarr. *de Indulg. notab.*19. *n.*6. & alij, quibus ego addo Syluium *in* 3. *p. D. Thom. q.*27. *ar.*1. *quæritur primò, concl.*2.

Secunda opinio negat & docet non eſſe neceſſarium vt opus requiſitum & iniunctum ad lucrandam indulgentiam debeat eſſe honeſtum & bonum moraliter, id eſt, ſecundùm omnes circumſtantias, ſeu in indiuiduo; ſed ſufficit vt ſit honeſtum & bonum ex genere ſuo. Ita Granad. *in* 3. *p. de Sacr. contr.*12. *tr.*5. *diſp* 4. *n.*10. Suar. *tom.*4. *diſp.*52. *ſect.*6. *n.*3. Henriq. *lib.*1. *cap* 9. *n.*5. Præpoſitus *in* 3. *p.* Filliuc. *tom.*1. *tr.*8. *c.*6. *n.*158. & 159. Ludouic. à Cruz *in Bull. Cruc. diſp.*1. *c.*8. *dub.*3. *n.*5.

Tertia opinio diſtinguit, & ait quòd ſi quis in adimplendo opere iniuncto pro lucranda Indulgentia peccet venialiter, talis lucratur Indulgentiam; nam cùm peccatum veniale non tollat gratiam apud Deum, nulla eſt ratio propter quam poſſit impedire effectum Indulgentiæ: nec eſt veriſimile, quòd obligare velit Papa ad faciendum opus poſtulatum cum tanto rigore. Secus verò dicendum eſt ſi opus iniunctum malè efficiatur moraliter etiam cum peccato mortali. nam in tali non valeret ad Indulgentiam lucrandam, & hanc opinionem ex multis rationibus probat Faber *de pœnit. diſt.*19. *q vn. diſp.*38. *c.*7. *n.*214. vbi reſpondet ad omnia argumenta in contrarium.

Quarta opinio eſt Bellarmini *lib.1.c.13.q.2.* Layman *lib.5.tr.7 c.6.n.4.* Nugni *in 3.p.q.27.art.3.dub.5.* aſſerentium quòd ſi illud opus pium iniunctum ſit ad placandum Deum, vel illi ſatisfaciendum non ſufficit ad Indulgentiam, quia eiuſmodi opus nec ſatisfacit, nec placet; ſi verò ob alium finem requiratur, v.g. ad ſubueniendum pauperi, tunc ſufficit ad Indulgentiam, quia illud vitium non obſtat fini intento. Sed quis ad hanc rationem reſpondere poſſet; licet illa opera vitientur aliquo malo fine, retinere aliunde aliquam bonitatem, ratione cuius Deo placere poſsũt, & interdũ illi ſatisfacere. Idem enim actus externus imperatus ab vno actu bono, & altero malo interno habet quidem aliquid demeriti, & aliquid meriti, & ſatisfactionis. ergo, &c.

Ego autem, vt verum fatear, puto circa præſentem quæſtionem non eſſe veriſimile plus requiri à Pontifice, cùm iniungit hæc opera pia ad lucrandas Indulgentias, quàm quod Eccleſia requirit ad implenda præcepta diuina, & humana, ſed mediis operibus, quæ aliquo culpæ vitio inficiuntur, implentur præcepta diuina & humana. ergo & diſponuntur homines ad Indulgentiam. Nec requiritur vt opera pia iniuncta efficiantur potiſſimùm propter conſequendam Indulgentiam, ſed ſatis eſt propter eum finem executioni mandari, licet alius finis intendatur æquè, aut magis principaliter.

Resol. VI. *An ſufficiat intentio habitualis ad lucrandas Indulgentias?*

QVod eſt quærere, an ſatis ſit ad lucrandam Indulgentiam opera iniuncta præſtare, etiamſi quis ignoret Indulgentiam facientibus illa opera conceſſam eſſe? & negatiuè reſpondet Leo *de Iub.part.2.n.135.* Corduba *de Indulgent.q* 25. Vega *in ſumm.tom.2.cap.7.caſ.2.* & alij; quia non videtur eſſe talis intentio Papæ, & ſicut ad merendum habitualis intentio non videtur ſufficere, ita neque ad lucrandam Indulgentiam.

Mihi verò ſatis probabilis videtur opinio affirmatiua, pro qua *in 4.part.tract.4 reſol.* adduxi Portel, cui nunc addo Sanctarellum *de Iubil.c.15.dub.4.* & Layman *in Theolog.moral lib.5.tract.7.c 6.n.5.* qui citat Salas. & ratio eſt, quia non eſt exiſtimandum Summum Pontificem in lucrante Indulgentiam exigere actualem intentionem, quia nec natura Indulgentiæ id neceſſariò poſtulat, nec verba conceſſionis id ſignificant, cùm ſolùm dicatur Indulgentiam, v.g. plenariam conſequendam fore à fidelibus, qui tali die Eccleſiam piè viſitauerint. id totum autem fit, etſi quis actualem intentionem non habeat Indulgentias lucrandi. ergo, &c. Et ita hanc ſententiam tenet etiam Villalobos *in ſumm. tom.1.tract.26.diffic.13.n.9.* vbi ſic ait. [Y digo mas, que aunque no tuuieſſe intencion de ganarla, quando entra en la Igleſia, parece que baſtaria que deſpues del acto, ſabiendo que auia Indulgencia, lo ratificaſſe en orden à eſſe fin.] Sic ille.

Resol. VII. *An opus iniunctum pro acquirenda Indulgentia faciendum ſit intentione principali, vel æquè principali ad illam lucrandam?*

QVod eſt quærere, an lucretur Indulgentiam, ſi quis, v.g. viſitaret Eccleſias principaliter ob recreationem, vel Romam pergeret in Anno ſancto, principaliter propter curioſitatem videndi illam, vel ad conſequendum aliquod beneficium, vel ieiunaret ex cauſa non expendendi in emendis cibis, ita quòd huiuſmodi fine non exiſtente non viſitaret Eccleſias, nec Romam iret, nec ieiunaret, licet dum facit hæc, habeat etiam intentionem lucrandi Indulgentiam, & negatiuam ſententiam mordicus tenet Corduba *de Indulgent.q.25.* Rodriquez *in Bulla Cruc.§.8.num.9.* Vega *in ſumma tom.2. cap.7.caſ.2.* cum aliis.

Verùm tu contrariam ſententiam tene cum Iacobo Granado *in 3.part. de Sacrament. contr.12.tr.5. diſp.4.n.10.* vbi ſic ait. Non requiritur vt opera pia iniuncta efficiantur potiſſimũ propter conſequendam Indulgentiam, vt Corduba contendit; ſed ſatis eſt propter eum finem executioni mandari, licet alius finis intendatur æquè, aut magis principaliter. Sic ille. & ante illum Suarez *tom.4.diſp.52. ſect.6.n.5.* & alij. Et ratio eſt, quia vt opus ſit pium, ſufficit vt quis habeat intentionem lucrandi Indulgentiam, licet intentio illa non ſit principalis, & faciat idem opus ob alium finem, quo non exiſtente non faceret opus illud, & in confeſſionibus Indulgentiarum non dicitur vt opera iniuncta efficiantur principaliter ad lucrandam Indulgentiam. ergo, &c.

Resol. VIII. *An Indulgentiæ certò & infallibiliter proſint defunctis?*

NEgatiuè reſpondet Layman *in Theolog.moral. lib.5.tract.7.cap 7.n.3.* vbi citat Bonauenturam, Richardum, Durandum, Caietanum, Cordubam, Canum, Sotum & Henriquez, aſſerentes Indulgentiam pro defunctis tantùm prodeſſe per modum ſuffragij & impetrationis ſecundùm liberalem Dei acceptantis voluntatem; quod confirmatur ex omnium fidelium conſenſu, qui poſt applicatum alicui animæ Indulgentiam, nihilominus pro ea ſacrificare & orare pergunt, quaſi ipſo facto ſignificantes Indulgentiam, etiamſi eius conceſſio iuſta cauſa ſubnixa videatur, non habere tamen infallibilem effectum.

Sed affirmatiuam ſententiam tenet Acoſta *in Bulla Cruc.quæſt.19.* Faber *de pœnit.in 4.ſentent.diſt.19. q.vn diſp.38.c.8.n.254.* Granadus *in 3.part.de Sacram. controuerſ.12.tract.5.diſp.5.n.10.* Suarez *tom.4.diſp.53. ſect.3.n 3.* Ledeſma *in 2 part.4.quæſt.29.art.3.* Sotus *in 4.diſt.21.q.2.art.3.* Valentia *tom.4.diſp.7.quæſt.20. punct.5.* Coninck *de Sacrament. diſp.12.dub.10.n.45.* Tannerus *tom.4.diſp.6.q.8.dub.4.n.92.* Trullenck *in Bulla Cruc.lib.4 dub.9.n.4.* & alij penes ipſos, quia ſatisfactiones Chriſti & Sanctorum, quæ applicantur ad pœnam Purgatorij, ſunt æquiualentes ad hanc rem, nec deeſt diuina promiſſio de tali remiſſione fundata in perpetua traditione Eccleſiæ, & in illo Matth.16. *Quodcumque ſolueris*, &c. Quid ego ſentiam dicam breuiter. hæc poſterior ſententia videtur mihi probabilior: vnde puto Valentiam *vbi ſuprà*, non rectè, neque modeſtè contrarlam vocare incautam, & nullo modo audiendam. meliùs Bellarmin. *lib.1.cap.14.* vocauit illam rationabilem, noſtram verò admodum piam. addo ego & probabiliorem.

Non-

Non desinam tamen hîc adnotare Caietanum *tom.1.opuscul.tract.10.quæst.1.& tract.16.quæst.5.* docere Indulgentias non omnibus animabus existentibus in Purgatorio valere, sed illis tantùm, quæ vt sibi prodessent meruerunt in vita per pietatem & curam erga mortuos, & Ledesma *in 2.part.4.quæst. 29.art.3.* timet ne vera sit hæc Caietani sententia. Sed meritò aduersùs illã insurgit Acosta *vbi suprà*, Granadus *disput.6.num.2.* Trullenck *dub.10. num.1.* & alij, quos citat & sequitur Tannerus *loco citato*, quia fundamentum communicationis suffragiorum non est aliquod peculiare meritum, sed solùm status gratiæ. ergo, &c.

RESOL. IX. *Vtrùm Indulgentiæ per modum suffragij prosint Catechumenis mortuis sine Baptismo?*

NEgatiuè respondet Præpositus *in 3. part. D. Thom.quæst.14.de Indulgent.dub.3. n.28.* Suarez *tom.4.disput.53.sect.4.num.8.* & alij, quia qui non est insignitus charactere baptismali, est extra Ecclesiam, & proinde Papa non habet potestatem super illum defunctum, cùm non habuerit potestatem super illum viuentem.

Sed vt verum fatear, videtur mihi nimis durum excludere ab hoc beneficio animas illas Catechumenorum, quæ propter impotentiam & inculpabiliter decesserunt ex hac vita sine sacramento Baptismi. nam etsi non habẽt characterem baptismalem, tamen voto illud susceperunt, & sunt capaces beatitudinis, & pro illis Missa offerri potest. ergo, &c. Et ita hanc sententiam docet Villalobos *in summa tom.1.tract.26.difficult.7.num.7.* Fabet *de pœnitent.in 4.sentent. distinct.19. quæst.vnic. disput.37. cap.8.num.258.* Layman *in Theolog.moral.lib.5.tract.7. c.6.n.1.* Henriquez *lib.7.c.18.n.1.* Tannerus *tom.4. disp.6.quæst.8.dub.4.n.93.* quibus adde Iacobũ Granado *in 3.part.de Sacrament.controuers.12.tract.15 disp. 6.num.2.iunct.disp.1.num.4.* vbi docet Indulgentias non solùm prodesse Catechumenis mortuis, sed etiam viuis, & doctè, vt semper solet, probat hanc sententiam, & respondet ad argumenta contraria, adi illum, & non pigebit.

RESOL. X. *An causa Indulgentiæ non solùm debeat esse pia, sed etiam proportionata?*

DVo præstantissimi Theologi Societatis IESV negatiuam sententiam docent, & hi sunt Reginaldus *in praxi tom.1.lib.7.cap.12.num.137.* & Gregor. de Valent. *tom.4 disput.7. quæst 20. punct.4.* vbi probat, quòd vt Indulgẽtia valeat, sufficere quamcumque causam piam, atque adeò eam valere absolutè tantum, quantum sonat, quamuis fieri quidem possit, vt qui concedit maximas Indulgentias propter causas minimas, peccat quãdoque ex quadam indiscretione, & fortè etiam ratione alicuius scandali, maximè si eas res contingat venire in contemptum Indulgentiarum. Et pro hac firmanda opinione Valentia multos adducit Doctores, videlicet Durandum, Alexandrũ de Ales, Gabrielem, D. Antoninum, Syluestrum, Paludanum, &, teste Corduba, omnes ferè Thomistas. & ratio est primò, quia sæpe eædem Indulgentiæ pro causis admodum differentibus conceduntur: nec id à Pontificibus temerè fieri præsumendũ est. Secundò minimam gloriam diuinam quæ ex opere quocumque pio & vtili fidelium redundare potest, lõgè pluris faciant Christus & Sancti, quàm quodlibet opus satisfactoriũ, vt præcisè satisfactoriũ est, quale ad pœnam remporalem soluendã requiritur.

Sed his non obstantibus contrariam sententiam docet Suarez *tom.4.disput.54. sect.3. n.5.* Henriquez *lib.7.cap.14.num.13.* Coninck *de Sacrament.disput.12. dub.6.conclus.2.* Layman *lib.7.tract.7.cap.5.num.1.* Bellarmin. *lib.1.de Indulgent. cap.12.* Granadus *in 3.part. controuers.12.tract.3. disput... num.5.* Præpositus *in 3. part.quæst.14.de Indulgent. dub.8. num.62.* Tannerus *tom.4.disput.6.quæst 8.dub.4.num.85.* Sotus *in 4. dist. 21.quæst.2.art.2.* Caietanus *de Indulgent. tract.9.q.1.* Syluius *in 3.part.q.25.art.2.quæritur 2. concl.2.* Filliucius *tom.1.tract.8.cap.5. num.113.* Ludouicus à Cruz *in Bull.Cruc.disput.1.cap.8.dub.9.num.11* & alij penes ipsos. Et ratio est primò, quia ad valorem Indulgentiæ necessaria est causa iusta, vt autem iusta sit, debet esse vel adæquata, vel proportionata: iustum enim non est nisi quod aliquo modo adæquatur, vel proportionatur rei. ergo, &c. Alias rationes videbis apud Authores citatos, quibus addo Tannerum *tom.4. disput.6. q.8. dub.4. num.84.* Syluium *in addit.ad 3.part.q.2.art.2.quæritur 2.* Philippum de la Cruz *in Thesaur. Eccles. tract.1.§.6.num.5.* & Philippum Fabrum *de pœnitent. in 4.sentent. dist. 19. q. vn. disput.38.cap.9.num.287.*

Quid ego sentiam dicam breuiter. Secunda opinio est communior & probabilior. primam autem puto etiam probabilẽ esse cum Villalobos *in summa tom.1.tract.26.difficult.8.num.6.* quam ex neotericis, præter Valentiam & Reginaldũ *vbi suprà*, tenet Bonacina *de Sacram.disput.7.quæst.1.punct.4.nu.5.* & vt verum fatear, huic sententiæ fauet D. Thom. *in supplement.q.25.art.3.* vbi sic ait. Quæcumque causa adsit quæ in vtilitatem Ecclesiæ & honorem Dei vergat, sufficiens est ratio Indulgentias faciendi, & ideo dicendũ, quòd Indulgentiæ simpliciter tantum valent, quantum prædicantur, dummodo ex parte dantis sit authoritas, & ex parte recipientis charitas, & ex parte causæ pietas. Ita S. Doctor, & priùs reiecerat opinionem dicentium non sufficere quamlibet causam piam ad cuiusuis Indulgentiæ valorem.

Nec desinam hîc apponere verba Emanuelis Sà post Romanam correctionem, *ver. Indulgentia 1.* vbi sic asserit. Indulgentiam etiam sine causa datam valere, quidam aiunt, alij non solùm iustam causam requiri, sed & Indulgentiæ proportionatam. ego de Indulgentia à Papa data non censeo quicquam dubitandum. Ita ille.

RESOL. XI. *An quis possit vno & eodem opere lucrari simul plures Indulgentias diuersis vijs concessas?*

VT, v.g. variæ Indulgentiæ diuersis vijs sunt concessæ, recitanti *Pater*, & *Aue*, vel Ecclesiam visitanti. Quæritur an aliquis possit omnes lucrari semel recitando *Pater*, & *Aue*; & affirmatiuè respõdet Naldus *in summa ver.Indulg. num.5.* Corduba *de Indulg.q.35.* Graffius *de Indulgent.c.5.n.55.* Henriquez *lib.7.cap.17.num.5.* Vnde Emanuel Sà correctus *ver.*

*Indulg.num.*18.ſic ait.Cùm duo Papæ pro opere aliquo dant viginti dierum Indulgentiam, qui illud facit, conſequitur 40. dierum Indulgentiam. Ita ille. & Doctores, quos citat & ſequitur Fauſtus *de Iubilæo,lib.*2.*q.*39.& Sanctarellus *cap.*15.*dub.*1.

Sed contrariam ſententiam docet Coninck *de Sacr.diſp.*12.*dub.*9.*num.*42.Villalobos *in ſumm.tom.*1. *tr.*26.*diffic.*19.*num.*2.Suarez *diſp.*52.*ſect.*8.*n.*10.Filliucius *tom.*1.*tract.*8.*cap.*6.*num.*168.& alij.quia hæc videtur eſſe mens Pontificum, cùm opus bonum plerumque adiungi ſoleat pro iuſtitia & cauſa Indulgentiæ,qui fims non ita obtinetur ſi vno opere exhibito plures Indulgentias ſimilibus rebus promiſſas lucrari liceret. ergo,&c.

Verùm circa præſens dubium ego puto cum Iacobo Granado *in* 3.*part. de Sacrament. controu.*12. *tr.*6.*diſp.*2.*n.*8.diſtinguendum eſſe,ſi enim ieiuniũ, aut ſimile opus,quod iniungitur, non ſit adſtrictũ determinato tempore, pro quo Indulgentia obtinenda eſt,non ſufficiet ſemel ieiunare,quia quæuis Indulgentia illud opus exigit indepẽdenter ab alia. Quando verò opus pro pluribus Indulgentijs requiſitum determinato loco & tempori adſtrictum fuerit,ita quòd ſemel tantùm fieri poſſit,illud ſufficiet ad omnes Indulgentias: v.g.ſi alicui propter varios titulos conceſſæ fuerint Indulgentiæ,dummodo ieiunet in vigilia Ioan. Baptiſtæ, cùm opus illud non poſſit differri, aut multiplicari, cenſendus eſt Pontifex vnicum opus exegiſſe ad omnes illas Indulgentias,dummodo ſubſit cauſa proportionata. Ita Granadus. Vnde Ioannes Præpoſitus *in* 3 *part.quæſt.*14.*de Indulgent.dub.*10. *num.*95 docet, quòd ſi conceſſæ ſint diuerſis vijs Indulgentiæ ei, qui poſt communionem in die, v.g. Pentecoſtes orauerit in certis Eccleſijs,vna communio ſufficit ad illas promerendas, ſi alia impleantur per actuũ repetitionem. Vide etiam Philippum de la Cruz *in Theſaur.Eccleſ.tract.*1.§.12.*n.*12. Layman *lib.*5.*tract.* 7.*cap.*6,*num.*6.

RESOL. XII. *An Moniales tempore Iubilæi poßint eligere quoſcumque Confeſſarios ab Ordinario approbatos, etiamſi in particulari non ſint ad earumdem Monialium confeßiones ab Ordinario deputati?*

PRo negatiua ſententia ego ipſe *in* 3.*part.tract.*4. *reſol.*154.adduxi Molfeſium,Leonem, Fauſtum, & Ioannem Franciſcum Suarez,quibus nunc addo Georgium Pollacchum *in Bull.Iubil.Vrbani VIII. ſect.*41.*n.*8.vbi ſic ait.Aduertendum hîc eſt confeſſiones Sanctimonialium nec hoc tempore ampliſſimi Iubilæi nullum Confeſſarium etiam Regularem audire poſſe, licet quoad alios fideles ſit approbatus,ſine expreſſa & peculiari licentia Ordinarij ipſarum Sanctimonialium. Ita ille, aſſerens hoc eſſe determinatum à ſacra Cardinalium Congregatione.

Sed ego maxima quærens diligentia ſupradictam ſacræ Congregationis declarationem adhuc illam minimè potui inuenire, ideo non deſinam hîc adnotare affirmatiuam ſententiam circa præſens dubium,præter Bonacinam à me *vbi ſuprà* citatum,docere nouiſſimè Angelum Boſſium in ſuo erudito *tract.de Triplici Iubilæo,ſect.*3.*caſ.*5.*num.*2.& Laurent.de Peyrinis *in priuileg.Minim. tom.*3. *cap.*4. *ſuper conſtit.Leon.X.num.*4.vbi ſic ait.Ego puto poſſe Moniales tempore Iubilæi generalem facultatem concedentis omnibus vtriuſque ſexus Chriſtianis, etiam Regularibus eligendi Confeſſarium ab Ordinario approbatum, eligere ſibi Confeſſarium à ſolo Prælato Regulari approbatum, ſi electus ſit Regularis, vel ab Epiſcopo,ſi ſit ſecularis, & hoc ſiue Moniales ſint ſubiectæ Epiſcopis, ſiue Prælatis Regularibus. nec eſt neceſſe quòd Moniales Regularibus ſubiectæ Confeſſarium eligant ex ſua Religione,ſed poſſunt eligere ex quacumque. Moueor quòd Iubilæum eſt gratia ampliſſima totum mundum exhilarans,quam facit Papa,theſaurum Eccleſiæ aperiens omnibus Chriſti fidelibus pro conſolatione animarum ſuarum. Cùm enim inter Chriſti fideles connumerari debeant Moniales, & Papa eas non excludat, non eſt cur nos excludere eas debeamus, cùm maximè priuilegiũ Principis ampliandũ ſit, & vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus,& gratiæ potius ſint ampliandæ, quàm reſtringendæ, & maſculinũ feminium includat,præſertim ſi eſt fauorabile.Nec obſtat conſtitutio Greg.XV. & declaratio Congr. Card.Nam non loquuntur in hoc caſu Iubilæi,ſed ſolùm in caſibus ordinarijs; imò ex dictis magis confirmo meam ſententiam.nam cùm minutatim diſponat ibi Congregatio circa Confeſſarium Monialium, de hoc tamen caſu Iubilæi ordinario & notiſſimo nihil dicit. Vnde coniectandũ eſt quòd de Iubilæo noluit intelligi quæ ibi diſponuntur. & ſaltem Confeſſarij ab Ordinario approbati non videntur excludi,quia Iubilæum quoad hoc punctum eligendi Confeſſorem, nihil Monialibus prodeſſet.& poſt Bullam Vrbani VIII. *Pontificia ſollicitudo,*quæ habetur *tom.*4 *Bullar.in eius conſtitut.*16. §.5.*fol.*249. hic punctus non habet ampliùs difficultatem, cùm Pontifex concedat expreſsè Monialibus, vt tempore Iubilæi poſſint ſibi aſſumere Confeſſarium approbatum ab Ordinario loci. Hæc Peyrinus *loco citato.*

RESOL. XIII. *An excommunicatus contritus ſi non poteſt obtinere abſolutionem, lucretur Indulgentias, vel Iubilæum?*

CAſus poteſt ſæpiùs accidere, & præſertim quoad eos, qui in aliquam hæreſim inciderint. & negatiuam ſententiam docet Fauſtus *de Iubilæo,lib.*3.*q.*55.qui citat Suarez,Vgolinum,Sylueſtrum,Nugnum, & Sotum, quibus ego addo Filliucium *tom.*2.*tract.*8.*cap.*6.*num.*136. Layman *lib.*1. *tract.*5.*part.*2.*cap.*2.*nu.*2. Pollacchum *de Iubilæo.ſect.* 4 *num.*22.Lauorium *de Iubilæo.part.*2.*cap.*14.*num.*51. Sanctarellum *de Iubilæo,cap.*15. *dub.*14. Nugnum *in addit.ad* 3.*part.quæſt.*17.*art.*1. & Fernandez *in exam. Theol.moral.part.*3.*cap.*7.§.4.*num.*2.& alios,quia excommunicatus etiam contritus, eſt membrum ab Eccleſia præciſum,atque adeò participare non poteſt influxum ſpiritualium bonorum ab ipſa Eccleſia prouenientium.

His tamen non obſtantibus affirmatiuam ſententiam docet Henriquez *lib.*7.*cap.*18.*n.*2.Emanuel Sà *ver. Indulgentia, num.*2. Alphonſus de Leone *in Iubilæo,*

*Iubilæo, part.1.num.*197. & nouissimè Bossius *de triplici Iubilæo, sect.4.cas.*22.§.1.*num.*12. Quia non videtur esse intentio piæ matris Ecclesiæ velle priuare huiusmodi suffragijs filios obedientes, & quantũ est ex se omnino à contumacia recedentes, & ita dicendum est etiam ex intentione eiusdem Ecclesiæ illis prodesse Indulgentiam, illiusque fructum lucrari posse. Confirmaturque magis, quia excommunicatus potest præstare opera, pro quibus datur Indulgentia, potest enim orare in Ecclesia, priuatim ieiunare, facere eleëmosynam, & licet ante absolutionem ab excommunicatione non possit recipere sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ, nihilominus quoad confessionem valde probabile est non esse necessarium quando quis vellet confiteri, & non potest, vt latiùs suprà ostendimus. Quoad communionem autem poterit excommunicatus pœnitens obtinere à Confessario electo commutationem in aliud opus pium, si Bulla Iubilæi, vel Indulgentiæ eiusmodi facultatẽ concedat, imò etiam confessio poterit tunc in aliud opus cõmutari huic excõmunicato, vt dictũ est suprà *n.*6. de suspẽso à perceptione Sacramentorũ. Ita Bossius.

Verùm ego primæ sententiæ tanquam probabiliori adhæreo, quia, vt rectè præter DD. citatos obseruat Hurtadus *de excommunic. disp.* 3. *difficult.*5. Coninck *de Sacrament. disp.*14. *num.*49. & Sotus *in* 4. *dist.*22. *q.*1. *art.*1. excommunicati quamuis contriti, ac proinde iusti, verè manent excommunicati, quia excommunicatio non tollitur pœnitentia & iustificatione, sed tantùm absolutione. ergo excluſi sunt à participatione Indulgentiarum. Non nego tamen sententiam affirmatiuam Bossij & aliorum esse satis piam & probabilem, vnde secundùm illam hæreticus si verè pœnituit, & absolutionem obtinere minimè potuit, obtinebit tamen Indulgentiã & Iubilæum si adimpleat alia opera iniuncta. Ita Bossius *loco citato*. Et idem dicendum videtur de illis qui sunt excommunicati ob pensiones, vel debita, & sunt impotentes ad soluendum. Ita Leo *vbi suprà*, & sic de similibus.

RESOL. XIV. *An quando in Bulla Iubilæi, vel Indulgentiæ præscribitur simpliciter & indeterminatè eleëmosyna, hæc facienda sit secundùm qualitatem personæ?*

AFfirmatiuè respondet Nauarr. *in comment. de Iubil. notab.*31. *n.*34. Corduba *de Indulgent. lib.*5. *q.*22. Lauorius *de Iubilæo, part.*1. *cap.*21. *nu.*46. & Reginald. *in praxi tom.*1. *lib.*7. *cap. vlt. q.*4. *num.*187. vbi sic ait. Septimum documentum est Indulgentiam, quæ conceditur danti, vel facienti aliquid indeterminatum, vt auxilium præbenti, vel oranti, acquiri ab eo, qui dat, vel facit, prout suæ personæ congruit, nempe à paupere parum dante, à diuite verò dante multum. Ita ille.

Sed prorsus contrariam sententiam tenendam esse puto, ideo ad propositum dubium negatiuè respondeo cum Fausto *tract. de Iubil. lib.*4. *quæst.*49. Sanctarello *de Iubil. c.*7. *dub.*1. Leone *de Iubil. part.*2. *n.*132. Suarez *in* 3. *part. tom.*4. *disp.*52. *sect.*8. *n.*3. *& seq.* Filliucio *tom.*1. *tract.*8. *c.*6. *n.*166. Rodriq. *in Bulla Cruc.*§. 7. *n.*4. & alijs. Dico igitur quamlibet paruã eleëmosynam etiam vnius oboli sufficere ad lucrandũ Iubilæum, dum non est determinata quantitas, & ratio est, quia illa conditio eleëmosynæ indefinitè proposita per quamlibet eleëmosynam etiam minimã adimpletur. nam, vt Aristoteles *lib. Periherm.* testatur, ad veritatem propositionis indefinitæ quælibet singularis sufficit.

Sed quid dicendum quando in Bulla præcipitur eleëmosynam faciendam esse iuxta facultates cuiusque? Aliqui apud Cæsarem Bottonũ *in obseruat. sup. Bull. Sixti V. fol.*196. asserunt in tali casu sufficere, ad lucrandam Indulgentiam etiamsi diuites non solùm pauperes darent eleëmosynam minimam. Probatur hæc opinio, quia si non sufficeret quælibet eleëmosyna, sed esset facienda proportionatè iuxta qualitatem personarum & facultatum, fideles numquam possent scire se lucratos Indulgentiam, sed ferè semper remanerent dubij de consecutione, cùm difficillimum esset scire quantitatem eleëmosynæ qualitatibus personarum, & earum facultatibus proportionatã. Secundò, quia si eleëmosyna necessariò esset facienda secundùm qualitatem personæ, oporteret vt Reges & Principes darent pro eleëmosyna centum & millia scutorum, & sic nimis difficilis redderetur consecutio Indulgentiæ. Tertiò cùm Summi Pontifices concedunt Indulgentiam plenariam porrigentibus manus auxiliatrices ad fabricam alicuius Ecclesiæ, si verba deberent intelligi de eleëmosyna proportionata facultatibus cuiusque & qualitati personę, colligeretur tanta pecuniæ summa, quæ non pro vnius tantùm, sed plurium Ecclesiarũ fabrica sufficeret, quod non est verisimile id intendi à Papa. ergo, &c. Et hanc sententiam probabilẽ esse putat Angelus Bossius *de triplici Iubilæo, sect.*4. *cas.*21. *n.*29. iuncto *n.*35. qui *n.*32. exponit hanc sententiam, vt minima quantitas eleëmosynæ respectu cuiusque non sit mensuranda mathematicè, mensurando, vt aiunt, omnes cuiusque facultates calamo & atramento, sed moraliter & prudẽtis viri arbitrio, & in vniuersum sufficiet, vt detur eleëmosyna cõpetens statui iuxta eleëmosynam, quam homines talis status communiter solent facere extra Iubilæum, v.g. vir nobilis consueuit dare in eleëmosynam Iulium vnum, talis etiam eleëmosyna sufficeret ad lucrandam Indulgentiã, concessam sub onere eleëmosynæ iuxta facultatem, & si iniunctæ fuerint tres eleëmosynæ, sat erit, si det tres Iulios. Artifex consueuit dare vnum solidũ pro eleëmosyna, eleëmosyna vnius solidi sufficiet pro lucro Indulgentiæ. Baro consueuit dare tres Iulios, Princeps scutum, Rex duos aureos, satisfacient & lucrabuntur Indulgentiam, si talem eleëmosynam erogent. Ita Bossius.

RESOL. XV. *An pauperes qui non possunt ad lucrandas Indulgentias largiri eleëmosynam, egeant commutatione in aliud opus pium?*

AFfirmatiuè respondet Sanctarellus *de Iubilæo, c.*7. *dub.*1. Leo *de Iubilæo, part.*2. *n.*72. Lauorius *de Iubilæo, c.*19 *n.*6. & alij, quia seruanda est forma Bullæ pro lucranda Indulgentia; sed Bulla pro opere iniuncto præscribit eleëmosynam. ergo si non potest fieri est commutanda in aliud opus pium,

ſicut qui non poteſt ieiunare,vel Eccleſias viſitare; & ſi contraria opinio eſſet concedenda, ſequeretur idem eſſe concedendum de eo, qui non poteſt ieiunare, vel ob tuſſim non poteſt communicare. nam in his caſibus non egeret commutatione.

Verùm his non obſtantibus negatiuam ſententiam docet Fauſtus *de Iubilæo,lib.4.quæſt.55.* Nauarr. *in Miſcellan.94.num.2.* Graſſius *in Append.lib.2.cap.5. num.58.* Henriquez *lib.7.cap.10.n.6.* in gloſſa *lit.N.* & Fernandez *in medulla part.3.cap.7.§.8.num.3.* vbi ſic ait. Cùm imponitur eleëmoſyna danda, & lucrans eſt pauper, talis non indiget commutatione eleëmoſynæ in aliud opus pium.Ita ille.& ratio eſt, quia mens Summi Pontificis in hoc caſu talis eſſe videtur,vnde puto vtramque ſententiam probabilem eſſe, & certum eſt eiuſmodi pauperibus abſque vlla commutatione ſufficere, ſi faciant eleëmoſynam minimam, etiam vnius oboli, quia ſic adimplent formam Bullæ,faciendo opus præſcriptum.Ita Boſſius *de triplici Iubilæo, ſect.4.caſ.21.n.4.* qui etiam *num.5.& 6.* obſeruat ſufficere in tali caſu, ſi pauper curet vt eleëmoſyna ab illo detur pro ſe,vel ſi ratificet eleëmoſynam datam nomine ſuo ab aliquo ipſo inſcio, dummodo ratificatio ſit intra tempus conceſſum ad lucrandam Indulgentiam.

RESOL. XVI. *An pro lucranda Indulgentia conceſſa viſitantibus quinque Altaria, ſatis ſit preces fundere ex vno loco ſine motu de vno in aliud Altare?*

NEgatiuam ſententiam docet Ioannes de Garnica *in explicatione Bullæ Cruciatæ,§. Item ſe concede.* vbi ſic ait.[Otros ay que no ſon tan eſcrupuloſos,pero ſon demaſiado libres, porque ſin meneatſe de vn lugar bueluen la cara à cinco altares: lo que à mi me parece es, que no ganan la eſtacion, ſino que ſe han de leuantar,y andar todo el trecho que tienen los cinco altares. Porque ſi no ſe vuieran de andar, tanto valiera hazer toda la eſtacion en vn ſolo altar; y eſſo no ſe puede hazer, porque por diſpenſacion dixo, que donde no vuieſſe mas que vn altar,ſi viſitaſſe cinco vezes.] Sic ille.

Sed ego *in 1.part.tract.11. reſolut.102.* affirmatiuã ſententiam tenui cum multis DD. quibus nunc addo Ludouicum de la Cruz *in Bulla Cruc. diſput.1. dub.13.n.4.* Dico igitur quòd in tali caſu nõ oportet moueri loco, ſed ſatis eſt vt vno loco fixus preces fundat versùs quinque Altaria; quare ſufficit moueri corde ab vno Altari in aliud, etiam quando nullum adeſt impedimentum, quia ſi vnum tantùm eſſet Altare, non oporteret quinquies motu corporali illud viſitare, ſed ſatis eſſet quinquies versùs illud preces fundere. ergo non requiritur, per ſe loquendo,in viſitatione Altaris motus corporalis.

Nota tamen quòd Trullenck *in Bull. Cruc. lib.1. §.6.dub.2.num.4.* licet exiſtimet quòd quando quis idem Altare quinquies viſitat, non teneri loco dimoueri, ſed eodem loco fixum poſſe illud quinquies viſitare,tamen vult, quòd qualibet viſitatione finita ſaltem corpus & caput inclinet in ſignum diſtinctæ viſitationis.

RESOL. XVII. *An ſi in Iubilæo dicatur tantùm quòd efficiatur Communio in die Dominica,quis ſatisfaceret communicando in alia die hebdomadæ?*

VIdetur reſpondendum negatiuè, quia conſtat de mente Pontificis.Verùm non deſinam hic adnotare contrarium docere Angelùm Boſſium *de Iubilæo.ſect.4.caſ.10.num.17.* vbi ſic ait. Etiamſi in Bulla expreſsè diceretur vt fieret die Dominica, quæ ieiunia proximè ſequitur, & non adderetur, ſeu in alio die dictarum hebdomadarum, adhuc mihi videtur probabile quòd ſatis ſit ſumere Euchariſtiam in alio die dictarum hebdomadarum antequam ieiunia ſint cõpleta. nam tunc dies Dominica non aſſignaretur communioni præceptiuè,ſed conſultiuè tanquam tempus magis congruum perfectiſſimo operi ob ſui excellentiam requirentis maiorem operantis diſpoſitionem, ad quam diſpoſitionem conferunt ieiunia & eleëmoſynæ,ac proinde congruentiùs communio fit vltimo loco,præmiſſis cæteris operibus tanquam præuijs diſpoſitionibus.Confirmatur primò ex ijs,quæ infrà dicemus.Si enim ſatis eſt communicare Feria 2.poſt Dominicam,multo magis ſufficiet communicare ante dictam diem Dominicam. Confirmatur ſecundò ex dictis ſuprà de Confeſſione.Et licet Sixtus V.in ſua Bulla Iubilæi *anni* 1585.ponat communionẽ vltimo loco,aſſignans illi diem Dominicã his verbis.Die verò Dominica,quæ dictas eleëmoſynas atque orationes proximè ſequetur,ſacroſanctam Euchariſtiam deuotè accipiant.Propter quæ verba Bottonus *in dictam Bullam pag.224. propoſ.4.* tenuit cõmunionem de neceſſitate pro lucro dicti Iubilæi fuiſſe faciendam vltimo loco poſt reliqua omnia opera,& in die Dominica proximè ſequente ieiunia.Nihilominus reliqui Summi Pontifices dum in ſuis Bullis Iubilæorũ addiderunt illa alia verba,*aut in alio die dictarum hebdomadarum*,declararunt Papæ intentionẽ eſſe,quòd licet conueniẽtius ſit præmittere ieiunia,& poſtea die Dominica cõmunicare.Vnde ſemper in Bullis priùs præſcribuntur ieiunia,& deinde Cõmunio;tamen hic ordo non eſt omnino neceſſarius.Quare dicta verba, *aut altero die*, &c. à poſterioribus Pontificibus addita potiùs ſunt, vt ſæpè fit,ad tollendum omnẽ dubietatem,& ſcrupulos,quàm ad faciendã nouã diſpoſitionem.Ita Boſſius,qui etiam cum DD.à me citatis *in 3.part.tract.4.reſolut.150.* probabiliter docet communionem factam in peccato mortali ſufficere ad ſatisfaciendum oneri cõmunionis iniuncto ad lucrandum Iubilæum,ſi eadem communio non ſit vltimum opus in Iubilæo præſcriptum. Et reſpondet ad argumẽtum pro contraria ſententia dum in Iubilæo dicitur Euchariſtiam ſumendam eſſe reuerenter & deuotè,quod non poteſt dici de illo,qui illam ſumit cum peccato mortali, reſpondet, inquam, Boſſius quòd illæ particulæ poſſunt ſumi adhortatiuè, & non præceptiuè, ita vt Papa ſolùm inuitet & adhortetur fideles ad reuerenter & deuotè ſuſcipiendum Euchariſtiæ Sacramentũ, conſulendo id,quod perfectius eſt,& ſecurius,quo pacto explicat particulam,*deuotè*, Bottonus *pag.271.* Si enim Papa præciperet modum Indulgentiæ

&

& deuotionis tanquam neceſſarium ad lucrandam Indulgentiam, is, qui cum peccato veniali actuali, v.g cum voluntaria diſtractione animi ad res vanas, & inutiles, vel oſtentationis, & vanæ gloriæ cauſa, vel cum quocumque actuali affectu, aut propoſito peccati venialis ſumeret Euchariſtiam ad ſatisfaciendum oneri communionis, non lucraretur Indulgentiam Iubilæam, quia non accederet deuotè, aut reuerenter. ergo, &c. Secundò illa particula, *reuerenter*, poteſt commodè intelligi de reuerentia quæ conſiſtit tum in externa compoſitione & modeſtia, qua fideles debent ad Euchariſtiam accedere, tum in externa compoſitione & modeſtia, qua fideles debent ad Euchariſtiam accedere, tum in actibus internis, qui non excludunt culpam mortalem habitualem, vt ſunt ſumere Euchariſtiam animo exercendi actum latriæ, & cultus Chriſtianæ Religionis, aut actum fidei externum, aut obediendi Eccleſiæ, vel Papæ, aut præbendi bonum exemplum ceteris fidelibus, iuxta quam acceptionem ille non reuerenter ſumeret Euchariſtiam, qui exiſtens in peccato mortali illam ſumeret ſolùm animo peccandi, ſeu inferendi iniuriam Chriſto, & nullo modo neque virtualiter, neque formaliter ad aliquem finem honeſtum dictam communionem ordinaret; particula quoque, *deuotè*, non importat idem quod dignè, ſeu abſque conſcientia peccati mortalis ad Euchariſtiam accedere, ſed idem ſonat quod attentè, ſeu mente non omnino ad aliud voluntariè diſtracta. Quare qui ſumit Euchariſtiam intentione actuali, vel ſaltem virtuali colendi Chriſtum, vel lucrandi Iubilæum, ſeu obediendi Eccleſiæ, aut Papæ, etiamſi ſit in ſtatu peccati mortalis cogniti, dici poteſt ſumere Euchariſtiam deuotè, licet non ſumat dignè.

Notandum eſt etiam hîc obiter contra Fernandez *in Medulla, p.3.c.8.§.8.n.3.* & Zenardum *in direct. Confeſſ. p.1.c.21 q.28.* pueros ex defectu ætatis Euchariſtiam ſuſcipere non valentes, minimè ſatisfacere communicando ſpiritualiter adimplendo cetera opera in Iubilæo præſcripta. nam in tali caſu commutanda eſt communio in aliud opus pium, vt rectè obſeruat Fauſtus *de Iubilæo, lib.4.q.45.* ſicut etiam infirmis & patientibus tuſſim, vomitum, vel quid ſimile, aut ei qui ex obliuione, & iniuria, ſeu inaduertentia die deſignato communionis, nempe die Dominico, bibit. & ità in ſimilibus caſibus.

RESOL. XVIII. *An qui faciunt opus requiſitum, lucrentur æquiualenter Indulgentiam?*

SVppono adeſſe cauſam ſufficientem Indulgentiæ, & opus præſcriptum requiritur à Pontifice ſolùm vt conditio, & negatiuam ſententiam docet Layman *lib.5.tr.7.c.5 n.2.* Pollachus *de Iubil. ſect.42. n.57.* Zerola *de Iubil. lib.1.c.16.dub 17.* & Coninck *de Sacram. diſp.12.dub.6.n.34.* & alij. Non enim omnes ſemper lucrantur plenarias Indulgentias etiam legitimè conceſſas, qui faciunt etiam in ſtatu gratiæ opus præſcriptum, quia fieri poteſt vt habeant tot pœnas perſoluendas, & opus tam exigua cum deuotione faciant vt eius vtilitas ad illarum finem promouendum non ſit tanta, quanta requiritur pro tot pœnis remittendis.

Dices, ſufficit quòd opera omnium ſint ſimul proportionata, præſertim cùm non ſemper requiratur aliquod opus in eo, cui conceduntur Indulgentiæ. Reſpondeo illa ſufficere vt in genere tales Indulgentiæ concedantur, non autem vt ſingulis in particulari integræ applicentur, quia aliàs lucraretur etiam eas, qui opus ita facerer, vt nullam haberet vtilitatem ad finem: nec enim in hoc caſu talis conceſſio Indulgentiarum vt huic, vel illi applicata, habet vtilitatē ad finem intentum promouendum, ſed potiùs obeſſet, ſi quantumuis tepidè peractum poſſet quantumuis magnas pœnas remittere; quia eſſet occaſio cur homines tepidè ea opera obirent, cùm ſcirent æqualiter ſe Indulgentias lucraturos ſiue tepidè, ſiue feruēter ea obirent. Confirmatur ex *Extrau. antiquorum 1. de pœnit.* vbi Bonifacius VIII. cùm conceſſiſſet pleniſſimas in anno Iubilæi Indulgentias tandem ſubiungit. Vnuſquiſque tamen plus merebitur & Indulgentiam efficaciùs cōſequetur qui Baſilicas ampliùs, & deuotiùs frequentabit. Quæ verba quantumcumque aliqui conentur ea interpretari aliter, non videntur poſſe admittere commodum ſenſum, niſi dicamus fieri poſſe, vt tepidè frequētantes Baſilicas non lucrētur plenarias omnino Indulgentias, aliàs has deuotiùs frequentantes, non poſſent illas efficaciùs lucrari.

Verùm his non obſtantibus contrariæ ſententiæ tanquam probabiliori adhæreo, quam nouiſſimè tuetur Angelus Boſſius *tract. de Iubilæo, ſect.4.caſ.21. §.1 num.38.* Filliucius *tom.1.tract.8.cap.6.n.164.* Bartholomæus à S. Fauſto *de Iubilæo, lib.3.q.66.* Benzonius *de Iubilæo, lib.5.cap.15.dub.1.* Nugnus *in addit. ad 3. part. quæſt.24.art.3.dub.6.* Suarez *in 3.part.tom.4.diſp. 52.ſect.8.n.3.* & alij. vbi aſſerunt omnes præſtando opera iniuncta in Iubilæo & in gratia exiſtentes, in momento vltimi operis ſuppoſita cauſa iuſta per ſe æqualiter Indulgentiam, ſeu remiſſionem pleniſſimam in eodem Iubilæo promiſſam percipere. & ratio eſt, quia conditio requiſita ſufficienter adimpletur, & omnia alia ad effectum Indulgentiæ Iubilæi neceſſaria ſufficienter concurrunt. ergo parem Indulgentiam conſequuntur conceſſam, v.g. facientibus eleëmoſynam, qui dant centum, quàm hi qui dant vnum aureum. Tum, quia Indulgentia operatur non ex opere operante, ſed ex opere operato, nempe meritis Chriſti, vel Sanctorum. ergo maior, vel minor deuotio quoad remiſſionem promiſſam in Iubilæo nihil addit, vel minuit: tum quia ſi hoc eſſet, ſequeretur non eſſe verum illud commune proloquium, Indulgentia tantum valet, quantum ſonat. ergo, &c.

RESOL. XIX. *An ſi præ hominum multitudine Eccleſiam ingredi non poteſt, ſufficiat foris orationem fundere ad lucrandam Indulgentiam?*

REſpondeo affirmatiuè cum Layman *lib.5.tr.7. c.3.n.9.* & aliis, quia moraliter rem æſtimando in tali caſu tales Eccleſiam viſitant, quando præſentiam exhibent ſuam, quatenus poſſunt. Et nota in eiuſmodi conceſſione etiam adiunctum cœmeterium nomine Eccleſiæ comprehendi, quia in fauorabilibus verba latè ſunt interpretanda. Vide etiam Ioannem Præpoſitum *in 3.p.D.Thom.q.14. de*

Indulg.

Indulg. dub. 10. num. 87. & Philippum de la Cruz *in thes. Eccles. tract. 1. §. 19. nu. 4.* Ludouicum de la Cruz *in Bulla Cruciatæ disp. 1. cap. 8. dub. 23. num. 5.* & alios penes ipsum cum aliis, quos ego ipse citaui *in 1. par. tract. 11. resol. 103.*

RESOL. XX. *An diruto templo Indulgentia ipsi concessa pereat?*

AD hunc casum libet respondere cum verbis Pauli Layman *in Theolog. moral. lib. 5. tr. 7. cap. 3. num. 5.* vbi sic ait. Si Ecclesia diruta iterum non reædificetur, locus priuatur Indulgentia, cùm non loco simpliciter, sed Ecclesiæ fuerit concessa; sin verò ædificetur iterum Ecclesia in eodem loco, retinet Indulgentiam, sicuti & alia priuilegia, quippe cùm moraliter eadem Ecclesia censeatur sicuti docet idem Suarez *num. 8.* Limitat tamen Innocent. *in cap. 2. de noui operis nuntiatione.* gloss. *in reg. 7. in 6.* Nisi Superioris auctoritate destruatur in pœnam delinquentium, tunc enim omnibus priuilegiis spoliari censetur, vt iterum ei expressè, seu tacitè conferenda sint, si de nouo ædificetur. Id verò non est improbabile, atque in praxi seruari solet, quod Innocent. *ibid.* docet, & Ludouicus Bononius *in tract. de Indulg. num. 79.* si Ecclesia auctoritate Superioris tali pacto destrui curetur, vt sub eodem titulo ac Patrono in alium locum transferatur, etiam Indulgentias & alia priuilegia eius transferri, quod etiam docuit glossa *in regul. iuris 7. in 6.* D. Antonin. *part. 1. tit. 19. cap. 1. §. 2.* Suarez *lib. 8. de legib. cap. 5. in fine*, qui benè id explicat, transferri priuilegia vnà cum Ecclesia, si concessa sint non ratione situs, aut loci, sed absolutè Ecclesiæ sub proprio nomine ac titulo suo. Vide etiam Villalobos *in summa tom. 1. tract. 26. difficult. 24. num. 2.* & Philippum Fabrum *de pœnit. in 4. sentent. dist. 19. q. vn. disp. 38. cap. 6. num. 184.*

RESOL. XXI. *An Prælati inferiores Episcopo per consuetudinem præscriptam possint acquirere potestatem concedendi Indulgentias?*

NEgatiuam sententiam docet Sotus *in 4. dist. 22. q. 1. art. 4.* Suarez *in 3. p. tom. 4. disp. 15. sect. 4. n. 3.* & alij, quia cùm talis potestas extendat se ad tollendas pœnas Deo debitas, non potest ea sine voluntate ipsius Dei, aut eius in terris Vicarij alicui competere. Vel igitur summus Pontifex scit, & cautè approbat eiusmodi consuetudinem, vel nescit: si scit, iam non ex consuetudine præcisè & vi propria, sed potiùs ex tacito consensu Papæ iurisdictio, seu potestas spiritualis acquiritur; si verò Papa nescit, actualiter consentire non potest, absque voluntate etiam non communicatur potestas.

His tamen non obstantibus quòd facultas dandi Indulgentias consuetudine acquiri possit, docent gloss. *in cit. c. accedentibus, ver. legitima causa. ibid.* Hostiensis & Abbas *num. 2. arg. c. cùm contingat, de foro comp.* Quorum sententia non videtur mihi improbabilis, est enim Doctorum communis sententia apud Paludanum *in 4. dist. 38. ar. 4. concl. 4.* Sanchez *lib. 4. moral. cap. 38. num. 21.* potestatem dispensandi in votis ac iuramentis ab inferioribus Prælatis per consuetudinem acquiri posse, cùm tamen dispensatio ista etiam soluat animas in foro Dei, vt proinde sine voluntate Christi, aut eius in terris Vicarij nemini competere possit. Et hæc omnia docet Layman *in Theol. moral. lib. 5. tract. 7. c. 4. num. 3.* vbi respondet ad argumentum superiùs pro negatiua sententia adductum. Vide etiam Filliucium *tom. 1. tr. 8. cap. 5. n. 91.*

Notandum est tamen hîc obiter Concilium generale non habere potestatem concedendi Indulgentias, neque alios Prælatos Episcopis inferiores etiam habentes iurisdictionem Episcopalem, neque Capitulum Sede vacante. Vnde ego olim rectè respondi Archimandritam Messanensem minimè Indulgentias, quas Episcopus concedere potest, concedere posse, per ea quæ adducit Faber *de Pœn. in 4. sent. dist. 19. q. vn. disp. 38. cap. 5 n. 148.* Granadus *in 3. p. de Sacram. contr. 12. tr. 4. disp. 3. n. 1. & seq.* Præpositus *in 3. p. q. 14. de Indulg. dub. 4. num. 37.* & alij, nisi ex consuetudine præscripta hanc potestatem accepisset, vt *suprà* dictum est.

RESOL. XXII. *An si in Bulla præcipiatur tribus diebus ieiuniorum fieri orationem, eleëmosynam, &c. an iisdem diebus facienda sit?*

RESpondent affirmatiuè communiter Doctores. Nam opera in Bulla præscripta non possunt anticipari, vel postponi, quia ad lucrandas Indulgentias seruanda est forma præscripta; vnde in hoc casu non valet regula illa quòd plus soluit qui ante tempus soluit, neque alia, quòd nihil refert quid de æquipollentibus fiat. Ita Sanctarellus *de Iubil. c. 7. dub. 1.* Leo *de Iubilæo part. 2. n. 246.* Lauorius *de Iubilæo part. 1. c. 21. n. 8. & seq.* Reginald. *tom. 1. lib. 7. cap. vlt. num. 184.* Filliucius *tom. 1. tract. 8. cap. 10. num. 255.* & alij.

Verùm his non obstantibus Angelus Bossius *de Iubilæo sect. 4. cas 8 num. 9.* cum aliis docet probabile esse eum, qui ob probabilem ignorantiam, oblitionem, vel incogitantiam, siue inaduertentiam, vel imprudentiam, absque alia culpa & negligentia omittit orare, ac eleëmosynam facere vsque ad Sabbatum, & tunc faceret eleëmosynas ac orationes notabiliter maiores, quàm tribus diebus facere tenebatur, ex quadam æquitate & tacita indulgentis, seu Papæ intentione lucrari indulgentiam. Et verisimile est Papam si de hoc casu esset interrogatus ita pro sua pietate responsurum. Vnde ex his infert ex Nauarro idem Bossius, eum qui feria 4. facit eleëmosynam æquiualentem tribus diebus faciendam, lucrari Indulgentiam, ex eadem æquitate, & tacita concedentis mente. Adde, quia in his casibus videtur impleri voluntas Papæ ordinantis eleëmosynam ad subleuamen pauperum.

Notandum est tamen, quòd quando Bulla expressè non dicit vt oratio, visitatio & eleëmosyna fiat tribus diebus, sed tantùm indeterminatè mandatur Ecclesiarum visitatio, oratio, & eleëmosyna, sufficit semel visitare, orare, & eleëmosynam facere etiam die Dominico non solùm ante, sed post communionem. Ita Henriquez *lib. 7. cap. 10. num. 6.* & alij, quos citat & sequitur Bossius *vbi suprà n. 14.*

RESOL.

RESOL. XXIII. *An si minima aliquâ pars operis iniuncti prætermittatur, consequatur quis Indulgentiam?*

REspondeo affirmatiuè; quare si Indulgentia, vt optimè obseruat Trullenck *in expos. Bullæ Cruc. lib.* 1. §. 1. *dub.* 15. *n.* 2. requirit multa opera, v. g. tres dies ieiunij, si quis omittit vnum, non consequetur Indulgentiam totam, nec aliquam eius partem, quia opera omnia habent se tanquam vnica indiuisibilis conditio concessionis. At si operis iniuncti minima pars tantùm omittatur, vt si opus iniunctũ sit vna Missa, & minima eius pars omittatur, verisimile est lucrari Indulgentiam, quia, moraliter loquendo, totum opus fieri censetur, eo quòd in moralibus parum pro nihilo reputatur; quòd si pars in se est leuis, reputatur grauis respectu operis iniuncti, non lucratur, ea omissa, Indulgentiam: vt si concedatur recitanti quinquies orationem Dominicam, omittens vnam, non consequitur eam, quia respectu totius operis est pars grauis. Et hæc omnia docet etiam Philippus Faber *in* 4. *sent. dist.* 19. *q. vn. disp.* 38. *cap.* 7. *num.* 205. Angelus Bossius *de Iubilæo sect.* 4. *cas.* 8. *num.* 3. *&* 6. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 6. *num.* 153. Præpositus *in* 3. *p. q.* 14. *de Indulg. dub.* 10. *num.* 87. Suarez *in* 3. *par. tom.* 4. *disp.* 52. *sect.* 5. *num.* 4. Sanctarellus *de Iubilæo cap.* 7. *dub.* 1. Leo *de Iubilæo p.* 2. *n.* 150. Lauorius *de Iubilæo p.* 1. *c.* 21. *num.* 20. Layman *lib.* 5. *tr.* 7. *cap.* 6. *n.* 3. & alij.

RESOL. XXIV. *An qui adimplet opera iniuncta intra duas hebdomadas, lucretur Iubilæum?*

NEgatiuam sententiam docet Leo *de Iubilæo p.* 2. *num.* 18. *&* 169. Sanctarellus *de Iubilæo cap.* 7. *dub.* 1. Zerola *de Iubilæo lib.* 1. *cap.* 16. *q.* 9. Lauorius *de Iubilæo p.* 1. *cap.* 21. *num.* 6. *&* 52. & alij, quia Bulla Iubilæi significat opera omnia esse præstanda intra eandem hebdomadam; sed concessio liberalis non subsistit, nisi impleatur conditio, sub qua fit. ergo, &c. & ita in praxi obseruatur.

Sed ego alibi probabilem contrariam sententiam tenui, & nunc iterum doceo, cum Ioanne Præposito *in* 3. *p. D. Thom q.* 14. *de Indulg. dub.* 10. *num.* 87. vbi sic ait. Quando in Iubilæis præscribuntur duæ septimanæ, videtur aliquod opus poni posse priori, aliud posteriori septimana; ieiunia tamen quæ præscribuntur, videntur debere impleri intra eandem septimanam, quia id facit ad scopum Pontificis, videl. ad maiorem carnis macerationem. Ita ille, & ex eadem Societate Layman *lib.* 5. *tr.* 7. *cap.* 8. *num.* 10. *dub.* 4. quibus adde amicissimum P. Naldum *in summa ver. Indulgentia, num.* 14. vbi sic ait: Indulgentiam Iubilæi consecuturus possitne partem tantùm operum implere in prima hebdomada, & partem in secunda, solet plerumque ambigi, quod & tunc contigit occasione præsentis Iubilæi, in quo dicitur (opera quædam esse præstanda in 4. & 6. feria, & Sabbato eiusdem, vel sequentis hebdomadæ) & cùm contrariæ de hoc essent opiniones Doctorum, nouissimè consulti Patres sacræ Pœnitentiariæ Romanæ responderunt pro parte affirmatiua, nempe posse partem operum impleri in prima hebdomada, & partem in secunda, & hoc procedit ex sola pœnitentis libera voluntate, & absque vlla Confessarij legitima concessione obtenta, id est, absque alia speciali causa prorogationis per Confessarium approbata, ita enim innuunt verba superiùs posita in hoc Iubilæo anno 1620. sic etiam declaratum fuit in prorogatione eiusdem Iubilæi Romæ facta pro 3. hebdomada lingua Italica, & hæc mihi testatus est Illustr. & Reuer. D. Gypsius Episcop. Arimin. modernus Vrbis Gubernator vigilantissimus, suis ad me literis, sub dat. Romæ die 7. Martij anni prædicti, qui sanè dignissimus Præsul paucis pòst annis interiectis Cardinalatus honore decoratus fuit. Ita Naldus *vbi suprà.*

RESOL. XXV. *An ad lucrandum Iubilæum sufficiat quòd commutatio ieiuniorum ex iusta causa fiat, v. g. feria V.*

NEgatiuam sententiam docet Iulius Lauorius *tr. de Iubilæo par.* 1. *cap.* 21. *num.* 35. vbi sic ait. Hæc commutatio à Confessore debet fieri feria quarta, non autem alijs diebus sequentibus, ne dicatur cõmutari præteritum, quod amplius fieri non potest. Quòd si quis in prima hebdomada non ieiunauit ob impotentiam, si venerit die Dominico ad confitendum, vt dicat tale impedimentum, & impotentiam, videtur per supradicta quòd Confessor non possit commutare in alia opera pia. Ita ille. & ante illum Rodriquez *in summa tom.* 1. *cap.* 265. vbi in asserit. [Se ha de notar que la commutacion del ayuno, y de las demas cosas se ha de hazer por el Confessor, no en el Viernes, ni en el Sabado, sino en el Miercoles, porque la commutacion es de cosa, que vna persona deue hazer, y està obligado à ello para efeto de ganar el Iubileo; y porque no pueda hazer la commutacion en otra que pueda hazer, y por esto no se dize commutar lo ya passado, y que no se puede ya hazer, por tanto dizen hombres doctos, que si el penitente tuuiere casos reseruados à la Sede Apostolica, y fuera la postrera semana del Iubileo, que no es cierto que le puede absoluer no le auiendo hecho la dicha commutacion; empero no teniendo casos reseruados bien le pueden commutar, pues en este caso no ay peligro, y no basta vn inconueniente que algunos ponen, conuiene à saber que puede el Confessor cõmutarle el ayuno en el Miercoles, y despues no le puede confessar, porque à esto respondo, que basta auerse eligido para este efeto, y si despues no pudo o no quiso confessarle, esto fue cosa acidental.] Hæc Rodriquez.

Sed ipse meritò ibi contrariam sententiam probabilem vocat, quam ego absolutè teneo cum Pollacho *de Iubilæo sect.* 42. *num.* 66. Leone *de Iubilæo p.* 2. *num.* 153. Angelo Bossio *de Iubilæo sect.* 1. *cas.* 38. *n.* 8 Henriquez *lib.* 7. *c.* 10. *n.* 6. & Filliucio *to.* 1. *tr.* 8. *c.* 10. *num.* 271. vbi quærit an potestas commutandi opera Iubilæi ita se extendat ad præterita, vt possit Confessarius electus commutare omnia & singula opera omissa, & respondet affirmatiuè, quod magis clarè apparebit ex sequenti resolutione.

RESOL.

RESOL. XXVI. *An qui omisit ex malitia opera præscripta in Iubilæo, posit vltimo die illud lucrari, & dicta opera à Confessario commutari?*

NEgatiuè respondet Io. Præpositus, insignis Theologus Societatis Iesu, *in 3 p D.Th. q.14. de Indulg. dub.10.n.88.* vbi sic ait. Aduerte quòd quãdo dicitur præscripta opera posse mutari in alia, respectu eius, qui detinetur impedimento, non possint mutari respectu illius, qui carens iusto impedimento neglexit præstare opera præscripta, qui enim negligit voluntariè implere conditiones requisitas, moraliter loquendo, non potest dici detentus impedimento, neque Pontifex per talem particulam censetur velle per Confessarium tali posse succurri. Confirmatur, in Bullis communiter exprimuntur aliqua, quæ sunt necessaria impedimenta, vt carcer, clausura, & similia. ergo postmodum sub clausula generali intelliguntur similia iusta impedimenta. Ex quo sequitur quòd talis differens confessionem vsque ad vltimum diem, &c. non sit capax promerendæ Indulgentiæ, & quòd Confessarius in tali circumstantia non possit illum absoluere à casibus reseruatis, vel mutare eius vota ex potestate sibi concessa in Iubilæo. Ita Præpositus, satis quidem rigidè.

Vnde sententiam affirmatiuam ego olim tenui, & nunc iterum teneo. Dico igitur quòd facultas commutandi opera Iubilæi se extendit ad præterita opera, non solùm ob legitimam causam ægritudinis, impotentiæ, &c. sed etiam ex malitia omissa. Vnde hanc commutationem fieri posse die Dominico secundæ hebdomadæ, tradit Filliucius *tom. 1. tract. 8. c. 10. n. 268. & 273.* Pollachus *de Iubilæo, sect. 42. num. 65. & 66.* Alphonsus Leo *de Iubilæo. part. 2. n. 186.* Sanctarellus *de Iubilæo c. 7. dub. 1.* & alij asserentes posse Confessariũ cum tali pœnitente dispensare sicut cum infirmo. nam quamuis ex sua malitia prædicta opera non peregerit tempore constituto, tamen quando ad pœnitentiã accedit, verè dicitur impotens. Neque obstat quòd voluntariè omittens non dicitur impeditus, *c. fin. de elect. & c. commissa, eodem in 6.* quia licet sit impedimentum in causa, tamen tunc non est voluntarium. Quare si quis peteret commutationem operum, vel dilationem consecutionis Iubilæi, ob id solùm, quia non vult illo tempore lucrari, cùm tamen commodè posset, talis non esset capax illius dispensationis, quia non diceretur impeditus. Verùm si iam omisisset opus tempori addictum, nec esset tempus illud agendi, & pœniteret, non diceretur impedimentũ amplius voluntarium, sed necessariũ ex suppositione. Neque etiam obstat quòd sit elapsum tempus, cui addicta erãt ieiunia, quia datur regulariter Cõfessario facultas differẽdi singula, & omnia opera, & hæc facultas, vt supponimus nondum expirauit.

Hinc rectè & doctè, vt semper solet, Angelus Bossius *in tract. de Iubilæo, sect. 1. cas. 38. & 39.* duo firmauit. Primò quòd Confessarius pœnitenti, qui visitauit Ecclesias statutis diebus, & die Sabbato cõfitetur, si dubitat probabiliter eum permansurum in occasione peccati, si tunc illum absoluat, potest differre absolutionem, & communionẽ vltra tempus in Bulla statutum per aliquot hebdomadas, vt eruat illum ab occasione peccatorum, & reddatur moraliter certus, quòd ad illa non redibit, & postea eum à reseruatis absoluere validè potest. Secundò quando quis ad finem Iubilæi vult confiteri, sed ob longam confessionem, puta quia habet casus valde difficiles & intricatos, Confessarius pro temporis angustia nequit illum integrè audire, possit idem Confessarius illum absoluere intra tempus Iubilæi à censuris, & à casuum reseruatione, & differre absolutionem peccatorum in aliud tempus, & finito tempore Iubilæi illũ absoluere, ita quòd vigore talis absolutionis remaneat absolutus, & consequi valeat fructum indulgentiæ Iubilæi. Sed ex his oritur pulchrum dubium.

RESOL. XXVII. *An pœnitens, cui ex iusta causa fuit dilata absolutio post tempus à Iubilæi Bulla definitum, si incidat in nouos casus reseruatos, & noua vota emittat, possit Confessarius illa absoluere, & hæc commutare?*

NEgatiuam sententiam docet Sanctarellus *de Iubilæo, cap. 8. dub. 7.* vbi sic ait. Maior difficultas est in casu in principio proposito, cui posset aliquis respondere, quòd cum præuia Confessarij facultate confessio in aliud tempus finito Iubilæo, & duabus hebdomadis elapsis, in quibus Iubilæum durat, reiecta fuerit, pœnitentem non modò à votis & casibus reseruatis ad vltimum Iubilæi terminum vsque commissis, sed etiam ad tempus vsque in quo confessio peracta fuerit, absolui posse. Ratio est, quia in ea facultate concedenda Summus Pontifex intendit fideles ad Iubilæum cõsequendum inducere, & talis facultas est via ad illius consecutionem; sed qui cum Confessarij venia confessionem distulit, & ex fragilitate in peccata & excommunicationes reseruatas incurrit, Iubilæum non potest percipere, quin primò ab ijs absoluatur: donec igitur Iubilæum consecutus fuerit Confessarius, quem elegerit, potestatẽ habet illum à peccatis & votis absoluendi, ac si nondum Iubilæi tempus esset expletum, alioquin dicendum esset illius, qui Confessario morem gessit, deteriorem esse conditionem, quàm aliorũ, & cùm Iubilæum sit Principis beneficium, animæ proficuum, sine aliquo canone & valida ratione non est restringendum id, quod in casu posito non habet locum; verùm alia sententia, vt verior, & tutior, est tenenda. Ita Sanctarellus, & post illum Alphonsus de Leone *de Iubilæo, p. 2. num. 189.*

Sed mihi affirmatiua sententia magis placet, quam tuetur nouissimè Angelus Bossius *de Iubil. sect. 1. cas. 39. n. 6.* vbi tenet prætatum pœnitentẽ posse absolui ab omnibus reseruatis commissis ante cõfessionem & absolutionem, & similiter impetrare commutationem votorum, quæ postea emisit; supponimus enim illum nondum obtinuisse Iubilæũ, & ex iusta causa eidem à Confessario prorogatam confessionem, & Iubilæi consecutionem: at pœnitens potest vi Iubilæi absolui ab omnibus reseruatis commissis ante Iubilæi consecutionem, & similiter obtinere commutationem votorum, quæ emisit ante eiusdem Iubilæi consecutionem,

quando

quando facultas absoluendi & commutandi in ordine ad dictam consecutionem, & ad alliciendos fideles ad præstanda opera pro lucro Iubilæi necessaria concedantur. Quare dum Bulla Iubilæi concedit Confessario electo auctoritatem differendi absolutionem, & consecutionem Iubilæi vltra tempus in Bulla præscriptum, concedit etiam prorogationem absoluendi à reseruatis omnibus commissis ante consecutionem, alioqui pœnitens, qui obediendo Confessario distuliſſet consecutionem Iubilæi vltra tempus in Bulla definitum, & ex fragilitate in noua reseruata incidiſſet, non posſet ampliùs consequi Iubilæum, quod absque præuia absolutione obtinere non posſet, & sic ex sua obedientia reportaret damnum, fieretque deterioris conditionis. Confirmatur hæc responsio. nam fauor Iubilæi cùm sit beneficium Principis, & animæ fauorabilis, est ampliandus, & nullo modo restringendus absque euidenti ratione. ergo, &c.

RESOL. XXVIII. *An qui lucratus est Iubilæum in prima hebdomada, iterum in secunda possit illud lucrari?*

NEgatiuè respondent Doctores, quos ego citaui *in 2. part. tract. 17. resol. 49.* quibus nunc addo Portel *in dub. Regular. ver. Indulgentia, num. 16.* & Faustum *in Thes. rel. lib. 4. q. 61.* & ita hanc sententiam declarasse sacram Cardinalium Congregationem testatur Filliucius *tom. 1. tract. 8. c. 10. n. 261.* vbi sic ait. Aduerte tamen hoc mense Maio anno 1620. declarasse sacram Congregationem Concilij tantùm semel acquiri Indulgentiam per Iubilæum, & semel tantùm à casibus absolui quempiam posse; quare huic declarationi standum erit.

Cui ego, vt par est, omni cum reuerentia starem, si mihi cõstaret talem declarationem verè emanasse à sacra Congregatione; sed quia de illa non constat authenticè, puto posse interim pœnitentes & Confessarios in praxi affirmatiuam sententiam sequi cum Doctoribus, quos ego ipse *vbi suprà* citaui, quibus nunc addo Benzonium *de Iubil. lib. 5. cap. 15. dub. 23.* Zerolam *de Iubilæo, lib. 1. c. 16. q. 20.* Sanctarellum *de Iubilæo, c. 5. dub. 4.* Lauorium *de Iubilæo, p. 1. c. 21. n. 65.* Leonem *de Iubilæo, part 2. n. 183.* Fernandez *in medulla p. 3. c. 7. §. 8. n. 4.* & nostrum Naldum *in sum. ver. Indulgentia, num 4. & 5.* cum Florono *de casibus reseruatis, part. 1. cap. 6 §. 5. num. 2.*

RESOL. XXIX. *An qui tempore Iubilæi per aliquam impotentiam physicam, vel moralem non potest confiteri; sed contritus post alia opera præscripta communionem sumit, lucretur Iubilæum?*

NEgatiuè respondet Bartholomæus à S. Fausto *tract. de Iubilæo, lib. 4. q. 41.* quia hic non adimpleuit quæ in Iubilæo præscribuntur. Nec recurrendum est ad præsumptam mentem Pontificis, quia sumus in claris, & in claris non egemus coniecturis. & ita hanc sententiam docet etiam Suar. *tom. 4. disp. 52. sect. 3. n. 6.* Sanctarellus *de Iubilæo, cap. 14. dub. 13.* Filliucius *tom. 1. tract. 8. c. 6. n. 146.* Lauorius *de Iubilæo, part. 2. c. 14. num. 80.* Homobonus *in examine Eccles. part. 2. tract. 8. c. 7. quæst. 22.* & vterque Leo, Alphonsus, & Franciscus, hic *in thesaur. fori Eccles. part. 1. cap. 7. n. 26.* ille *tract. de Iubilæo, part. 1. num. 69. & part. 2. num. 168.*

Non desunt tamen contrariam sententiam docentes, vt Henriquez *lib. 7. cap. 10. §. 6. in gloss. lit. N. & c. 12. §. 12. in gloss. lit. H.* Reginaldus *in praxi, tom. 1. lib. 7. cap. vlt quæst. 2. n. 172. & num. 185.* Layman *lib. 5. tract. 7. cap. 6. num. 7. ver. Dico tertiò, in fine.* Fernandez *in Medulla cas. part. 3. cap. 7. §. 8. num. 3.* Zanardus *in direct. Theol. part. 1. de pœnit. c. 21. quæst. 20.* Vega *in summa part. 2. cap. 7. cas. 31.* Zerola *de Iubilæo lib. 1. cap. 15. dub. 13. & 60.* & alij penes ipsos; & ratio est, quia in casu Iubilæi confessio non præcipitur tamquam actus, propter quem cõceditur Iubilæum, sed vt securior dispositio ad Indulgentiam lucrandam, & dum confessio sacramentalis est impossibilis, est omnino præsumendum piam mentem Pontificis esse, vt in tali casu sufficiat contritio, dummodo omnia alia opera iniuncta in Iubilæo adimpleantur.

Quid ego sentiam dicam breuiter, hanc secundam sententiam tamquam probabilem sequutus sum *in 3. part. tract. 4. resol. 150.* Verùm habeo contra illam validissimum argumentum; vnde primæ sententiæ modò adhæreo, quia hic non est casus, vt quis habens peccatum mortale valeat communicare absque præuia confessione, nisi scandali periculum immineat. ergo, &c.

RESOL. XXX. *An ad lucrandum dictum Iubilæum si quis non habeat mortalia, teneatur adhuc confiteri?*

REspondeo contra Pollachum *de Iubilæo, sect. 41. num. 20.* Lauorium *de Iubilæo, p. 2. cap 14. nu. 85.* Fernandez *in medulla cas. part. 3. cap. 7. §. 8. numer. 8.* Homobonum *de cas. reseru. cap. 5. obseru. 5.* Floronum *de cas reseruat. part. 1. cap. 6. §. 6. numer. 3.* Nugnum *in 3. part. quæst. 27. art. 3. dub. 2.* Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 15. num. 19. & in summa tom. 1. lib. 4. cap. 54. num. 41.* Vegam *in summ. tom. 1. c. 54. numer. 41.* & alios penes ipsos, confessionem sacramentalem non esse necessariam ad lucrandum Iubilæum, si quis peccata mortalia non habeat, quia Ecclesia non est solita præcipere confessionem, nisi de mortalibus, & ideo confessio absolutè accepta sumenda est pro confessione mortalium. Pontifex igitur præcipiendo in Iubilæis confessionem, loquitur suppositiuè, v.g. si lucraturus indiget confessione, & ita hanc sententiam docet Ludouicus à Cruz *in Bulla Cruc. disput. 1. cap. 8. dub. 7. num. 12.* Reginaldus *tom. 1. lib. 7. cap. vlt. numer. 147.* Comitolus *in respons. moral. lib. 1. quæst. 39.* Coninck *de Sacrament. disput. 12. dub. 7. n. 38.* Zanardus *in Director. Confess. part. 1. de sacrament. Pœnitent. cap. 21. quæs. 24.* Benzonius *de Iubilæo, lib. 5. cap. 1.* Leo *de Iubilæo part. 1. num. 75.* Fabrinus *de Iubilæo, c. 35. dub. 6.* Sanctarellus *de Iubilæo, cap. 14. dub. 2. & 4.* Layman *lib. 5. tract. 7. cap. 6. num. 7. & cap. 8. num. 6.* Filliucius *tom. 1. tract. 8 cap. 6. num. 145.* Bottonus *de Iubilæo Sixti V. ver. conscientia sua, fol. 182. & 183.* Suarez *tom. 4. disput. 52. sect. 3. num. 5.* Henriquez *lib. 7. cap. 12. num. 2.* Portel *in dub. regular. ver. Iubilæum, num. 6.* Zerola *de Iubilæo, lib. 1. cap. 15. dub. 16.* Faustus *de Iubilæo, lib. 4. quæst. 36.* Coninck *de Sacrament. disput. 12. dub. 7. num. 38.* Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 26. diffic. 24. num. 11.* & alij.

Nota etiam contra Villalobos *in sum. tom.1.tract.26.diffic.11.n.4.* Acoſtam *in Bulla Cruc.q.14.* Bellarminum *tom.1 lib.1.de Indulg.cap.13.quæſt.3.* Sanctarellum *de Iubilæo, cap.14.dub.3* Lauorium *de Iubilæo, part.2.cap.10.n.51.* Leonem *de Iubilæo, part.1. num.65.* Zerolam *de Iubilæo.lib.1.c.15.dub 3.n.51.& 55.* Layman *lib.5.tract.7.c.6.n.7.* Bonacinam *de Sacrament. diſp.6. q.1 punct.5.numer 5.* & alios, quòd quando in Bulla Iubilæi, vel Indulgentiæ dicitur, *Omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, vel omnibus contritis & confeſſis, qui viſitauerint Eccleſiam,* &c. *concedimus plenariam Indulgentiam*; ad lucrandam eam ſufficere veram & perfectam contritionem cum confeſſione in voto, ſeu cum propoſito confitendi tempore debito ſecundùm Eccleſiæ præceptum, etiamſi lucraturus Indulgentiam commiſerit peccata poſt vltimam confeſſionem. Ita Coninck *de Sacram. diſp.12.dub.7. num.38.* Sà *ver.Indulgentia, num.3.* Camitolus *in reſp. moral.lib.1.q.39.* Ludouicus à Cruz *in Bulla Cruc. diſp.1.c.8.dub.7.n.5.* Suarez *tom.4. diſp.52.ſect.3.num.15.* Filliucius *tom.1.tract.8.cap 6.n.148.* Henriquez *lib.7. cap.12.n.1.* & alij, quia in tali caſu confeſſio exigitur non vt opus, ſicut ſolet exigi ieiunium, eleemoſyna, &c. ſed vt diſpoſitio.

Et tandem nota, quòd confeſſio non eſt præmittenda, quando in Bulla Iubilæi, vel Indulgentiæ exigitur, ſed ſatis eſt ſi poſtponatur, dummodo ſit intra tempus Iubilæi. Ita DD. citati, quicquid in cõtrarium doceat Nauar. *de Indulg.notab.32.n.39.* Benzonius *de Iubilæo, l.5.c.15. dub.4.* Pollachus *de Iubilæo, cap 33.* loquentes tamen de Iubilæo Anni ſancti.

RESOL. XXXI. *An ſi quis in Iubilæo præberet eleemoſynam per ſeruum, qui illam tamen non daret, lucretur Iubilæum? vbi plura de eleemoſyna largienda tempore Iubilæi.*

AFfirmatiuè reſpondet Emanuel Sà etiam poſt correctionem Romanam *ver.Indulgentia, n.4.* vbi ſic ait. Cùm dicitur abſolutè vt fiat eleemoſyna, quidam requirunt ſummam quandam cuiuſque ſtatui conuenientem; ego potiùs dicerem cuiuſque deuotioni relinqui quantum det, & qui pro ſe datam ab alio ratam habet, dare cenſetur. Quòd ſi quis iuſſit famulum dare, & non dedit, quidam negant conſequi Indulgentiam, ego id non dixerim. Ita ille.

Sed aduersùs illum negatiuam ſententiam tenet Homobonus *de Iubil. lib.4.q.53.* Leo *de Iubil.p.2. q.14.ſect.6.n.175.* Bonacina *de Sacr.diſp.6.q.1. punct.5. num.22.* & Philippus de la Cruz *in theſ. Eccl tract 1. §.11.n.3.* vbi ſic ait. [Quando ſe manda dar limoſna, y el amo dio à ſu criado dineros, para que los diſtribuieſſe à los pobres, no lo hizo, no obſtante que los entregò para que ſe dieſſen, no conſigue la Indulgencia.] Sic ille. & alij aſſerentes hoc etiam dicendum eſſe de eo, qui daret eleemoſynam per famulum, qui poſt tranſactam hebdomadam dedit, qui non poteſt retrahi. & ratio eſt, quia non præſtat opus præſcriptum in tempore ad lucrandum Iubilæum. Verùm quia ſolent occurrere quoad largitionem eleemoſynæ tempore Iubilæi aliquæ difficultates, breuiter illas hic explanabo.

Dico igitur primò contra Lauorium *de Iubilæo, p.1.c.21.n.46.* & alios, quòd quando in Iubilæo ad lucrandam Indulgentiam indeterminatè & abſolutè præcipitur eleemoſyna, ſufficere quamcumque eleemoſynam minimam & paruam, etiam in ordine ad diuites: ſecus autem ſi præſcribitur eleemoſyna expreſsè ſecundùm facultatem, ſeu pro facultate vniuſcuiuſque; ſed de hac quæſtione ſatis ſuprà dictum eſt.

Dico ſecundò contra Zanardum *in Direct. Theol. p.1.de pœn.cap.21.q.26.in fine,* non ſufficere ad lucrandum Iubilæum eleemoſynam ſpiritualem, ſed debere eſſe realem & temporalem, dummodo non ſit pauper, qui viuat de quotidiano labore, vel oſtiatim mendicet. nam ſine vlla commutatione tales lucrantur Iubilæum, non largiendo eleemoſynam. Ita Fernandez *in Medull. caſ.p.3 c.7.§.8.num.3.* Henriquez *lib.7.cap.10.n.6.in gloſſa lit.N.* Graſſius *in append.lib.2.c 5 n.58.* & alij; licet ſecurior erit in tali caſu pauperes petere commutationem in aliud opus pium, vel facere ſibi ipſis à Confeſſario applicari eleemoſynam, quam pro lucranda Indulgentia tenerentur, quod eſt valde notandum.

Dico tertiò contra Homobonum *de Iubilæo l.4. q.57.* Superiore nolente pro Religioſis eleemoſynam largiri, poſſe illos ſecluſo ſcandalo aliquid è bonis Monaſterij pro eleemoſyna dare ad lucrandum Iubilæum, inſcio Superiore, qui eſt irrationabiliter inuitus; & ideo in tali caſu Religioſus ſubditus operatur ex licentia Superioris debita. Idem dicendũ eſt de vxoribus, ſeruis, filijs familiæ, Monialibus, &c. vide Sãchez *in ſum.tom.2.l.7.c.19.n.54. & 95.* licet tutius foret in tali caſu ſupradictas perſonas commutationem petere in aliud opus pium.

Dico quartò quòd eleemoſyna poteſt fieri ante, vel poſt communionem, etiamſi communio fiat die Dominico. Ita Graſſius *in Appen.lib.2.cap.5.n.58.* Henriquez *lib.7.cap.10.numer.6.* Leo *de Iubil.part.2. q.14.ſect.6.n.174.* qui aſſerit hoc fuiſſe deciſum à Gregorio XIII. Vide etiam Filliucium *tom.1.tract.8. cap.6.num.273.*

Et tandem dico quintò, quòd ad lucrandum Iubilæum ſufficit dare eleemoſynam ei, cui aliàs debetur ex obligatione præcepti naturalis, vel voti. Ita DD. quos citat & ſequitur Boſſius *tract. de Iubilæo, ſect.4.caſ.9.n 3.* vbi ſic ait. Communis opinio eſt, ſufficienter ſatisfieri oneri operum implendorum in Iubilæo per opera aliàs debita ex obligatione præcepti naturalis, vel Eccleſiaſtici, vel voti, & conſtat ex praxi. Ita ille.

RESOL. XXXII. *An in Iubilæis ſufficiat opinio probabilis ad lucrandam Indulgentiam?*

HIc caſus eſt valde notandus. nam circa opera & materiam Iubilæi adſunt hinc inde multæ DD. opiniones, ideo quæritur, an ſi aliquis tempore Iubilæi ſequatur aliquam opinionem probabilem, circa illud lucretur Indulgentiam? & negatiuam ſententiam docet Bartholomæus à S. Fauſto *in tract. de Iubilæo, lib.4.q.64.* vbi ſic aſſerit. In materia Indulgentiarum non iuuat opinio probabilis ad lucrandam Indulgentiam, ſi oppoſitum ſit verum, quia non præſtat opus præſcriptum ad acquirendam Indulgentiã. Ita ille. Vnde ſi aliquis, v.g. in

prima hebdomada ieiunauit, Ecclesias adijt, eleemosynas dedit, & in secunda confessus est, & Eucharistiam sumpsit, sufficit secundùm aliquos ad lucrandum Iubilæum; sed hæc opinio licet sit probabilis, tamen à parte rei si esset falsa, remaneret quidem talis absolutus à reseruatis; quia, vt alibi dictum est, opinio probabilis confert iurisdictionem, non tamen lucraretur Indulgentiam Iubilæi; & sic etiam dicendum erit in similibus casibus, quod vt dixi, est valde notandum. Vide etiam Bossium *de Iubilæo sect. 4 cas. 8. num. 5.*

RESOL. XXXIII. *De oratione facienda ad lucrandum Iubilæum.*

SVfficit orare iuxta mentem Summi Pontificis, quæ intentio non est necesse vt sit actualis, sed sufficit virtualis, videlicet quòd quis audita Iubilæi publicatione determinans velle illud consequi, habeat tunc propositum orandi & præstandi reliqua iuxta mentem Summi Pôtificis, licet postea actualiter non recordetur, dum orat, aut cætera opera præstat. Ita nouissimè doctus Bossius *in tr. de Iubilæo sect. 4. cas. 17. n. 15.* vbi etiam ex alijs probat, quòd quando in Bulla non præscribuntur certæ preces, sufficit fundere pro lucro Iubilæi quaslibet preces, & quacumque lingua, Latina, vulgari, Gallica, &c. & satis est etiam fundere preces alias debitas ex obligatione voti, pœnitentię, &c. Potest etiam quis orare vnà cum loci o recitando alternatim preces, & hoc sedendo, stando, & etiam operto capite. Et tandem oratio pro obtinendo Iubilæo, sufficit quęcumque etiam minima & breuis. Ita Bossius *vbi supr.* cũ Leone *de Iubil. part. 1. c. 18. n. 8.* Filliucio *tom. 1. tr 8. cap. 6. n. 164 & 165.* Suar. *tom. 4. disp. 52. sect. 8. n. 5.* & alij, quicquid in contrarium asserat Pollachus *de Iubil. sect. 42. num. 57.* & Coninck *de Sacram. disput. 12. dub. 6. numer. 34.* Consulendum tamen est omnibus vt prolixam & deuotam, quantum fieri potest, orationem faciant.

RESOL. XXXIV. *An quando in Iubilæo conceditur facultas absoluendi ab omnibus casibus & censuris Papæ reseruatis, possit Confessarius absoluere à casibus Bullæ Cœnæ?*

NEgatiuè respondent communiter. Ita Lauorius *de Iubil. part. 2. cap. 28. num. 24.* Leo *de Iubilæo, part. 2. nu. 40 & 41.* Suarez *de cens. disput. 7. sect. 5. num. 11. & disp. 21 sect. 3. num. 3.* Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 12 n. 13.* Alterius *de cens. tom. 1. lib. 4. disp. 4. cap. 2.* Bossius *vbi infrà numer. 3.* & alij penes ipsos. Nam in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus, *cap. in generali, de reg. iur. in 6.* & casus contenti in Bulla Cœnæ habẽt specialem quamdam grauitatem, propter quam non est verisimile Pontificem velle illos concedere, nisi exprimat.

Non desinam tamen hîc adnotare quod nouissimè Angelus Bossius *de Iubil. sect. 1. cas. 7. num. 2.* docet non esse improbabilem affirmatiuam sententiam, quia ait ille, facultas illa generalis absoluendi à quibuslibet casibus Papæ reseruatis, quantum est ex se, videtur se extendere etiam ad casus contentos in Bulla Cœnæ, etiamsi non sint expressi, dictio enim illa vniuersalis *ab omnibus*, nullum excludit, sed omnes comprehẽdit, præsertim in hac materia ita fauorabili respiciente bonum vniuersale animarum, & lætitiam omnium Christi fidelium, in qua materia sic fauorabili priuilegium est latissimè interpretandum; id quod etiam potest suaderi ex fine cõcessionis, qui est adeptio plenariæ Indulgentiæ, quam non possent omnes Christi fideles consequi, si ad prædictos casus non se extenderet illa facultas generalis absoluendi à reseruatis Papę; clausula autem illa reseruationis absolutionis à dictis casibus Bullæ Cœnæ derogans omnibus priuilegijs, & indultis concessis, & concedendis, non videtur loqui de Indultis vniuersalibus, nempe omnium fidelium, cuiusmodi est Iubilæum omnibus Christi fidelibus concessum, sed de priuilegijs & indultis respicientibus vel singulares personas, vel particulares vniuersitates, vt sunt Ordines Regularium, Monasteria, Confraternitates, &c. Ita Bossius. Sed penes me negatiua sententia est certa, quia cùm Summus Pontifex in Iubilæis Generalibus vult concedere casus Bullæ Cœnæ, illos in particulari explicat, vt patet. ergo dum in aliquibus Iubilæis de illis mentionem non facit, euidenter apparet quòd talem facultatem nolit concedere, pendet enim hoc ex sua voluntate.

Notandum est tamen hîc obiter contra Duardum *in Bulla Cœnæ, lib. 3. §. 2. q. 1. n. 13. 35. & 36.* & Sigismundum à Bononia *in tract. de electione, dub. 69. n. 12.* vt quis possit absoluere à casibus Bullæ Cœnæ, sufficit vt in Iubilæo dicatur, quòd conceditur facultas absoluendi etiam à casibus Bullæ Cœnæ, sine expressa derogatione ipsius Bullæ, vel specialis mentio dictorum casuum in indiuiduo. Ita ex Soto, Graffio, Suarez, & Alterio docet Bossius *vbi sup. n. 9.* quia per illa verba satis explicatur intentio Pôtificis, & specialiter dicti casus conceduntur. ergo.

RESOL. XXXV. *An quando in Iubilæo conceditur facultas absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ, excepta hæresi, adhuc sit absoluendus hæreticus occultus pœnitens & emendatus?*

AFfirmatiua sententia suaderi potest. Primò quia id necesse est ad finem lucrandi plenissimam Indulgentiam à Summo Pontifice omnibus Christi fidelibus concessam, alioquin multi destituti essent necessaria facultate ad se disponendũ pro eius receptione, ac proinde rectè dici posse videtur quòd intentio Papæ sit per illam exceptionem velle excludere à beneficio absolutionis solùm hæreticos notorios, seu declaratos, & nominatim denuntiatos, quorum crimen cùm non cõtingat nisi publico scandalo aliorum fidelium, meritò etiam in Iubilæis reseruatur ipsi Papæ, nec indistinctè committitur omnibus Confessarijs approbatis, quia ad sui curã indiget peritioribus. Secundò, quia hoc pacto intellecta prędicta exceptio aliquid operatur vltra illam. Non tamen hæreticos declaratos, &c. nã excludit omnes hæreticos notorios & publicos, licet non speciatim declaratos & denuntiatos. Demũ, quia hæresis occulta est vnũ ex delictis in iure reseruatis Episcopo, à quo per *c. 6. Conc. Trid. sess. 24. de refor.* quilibet Episcopus potest

absoluere, si pœniteus velit resipiscere. ergo quando in Iubilæo conceditur facultas absoluendi ab omnibus casibus Papæ reseruatis etiam in Bulla Cœnæ contentis, hæresi excepta, censetur etiam concessa facultas absoluendi ab hæresi occulta, quia non videtur esse intentio Papæ velle in Iubilæo vniuersalissimo & plenissimo excludere crimen, quod ipsis locorum Ordinarijs in iure permittitur, præsertim cùm in illa generali facultate absoluendi à reseruatis Papæ etiam à casibus Bullæ, comprehendantur etiam casus à iure, siue ab homine Episcopis reseruati. Et hæc omnia docet pro affirmatiua sententia firmanda Ang. Bossius *tract. de Iubilæo, sect. 1. cas. 9. n. 3.* licet in casu contingenti dicat, vt Confessarius consulat peritiores, vel adeat sacram Congregationem.

Verùm hæc opinio mihi prorsus non videtur admittenda, nam si stylus & praxis Romanæ Curiæ hodie non admittit absolutionem ab hæresi occulta, etiam quando illa non exceptá concedunt in Iubilæis casus Bullæ Cœnæ, quanto magis non poterit Confessarius ab hæresi occulta absoluere, si in Iubilæo crimen hæresis excipieretur. Sed hodie an Episcopi possint absoluere ab hæresi occulta, vide Doctores, quos ego citaui *in 1. part. tr. 5. resol. 2.* quibus nunc addo Trullenck *in Bulla Cruc. lib. 1. §. 7. c. 2 dub. 7.* & Ludouicum à Cruz etiam *in Bulla Cruc. disp. 1. c. 3. dub. 7.* qui docent per Bullam Cruciatæ, licet Confessarius non possit absoluere ab hæresi occulta, posse tamen absoluere receptatores, fautores, defensores hæreticorum, legentes, tenentes, & imprimentes eorum libros, Schismaticos, Nigromanticos, &c. quia hi non sunt formaliter hæretici, quod etiam docet Bossius *vbi sup. cas 8. n. 4.* sed de hoc vide etiam me ipsum *loc. cit. resol. 7.*

RESOL. XXXVI. *An Confessarius virtute Iubilæi Bullæ Cruciatæ, aut alterius priuilegij possit commutare vota extra sacramentalem Confessionem?*

AFfirmatiuam sententiam esse probabilissimam & tutam in praxi, satis docui *in 3. p. tr. 2. res. 9.* & iterum *in 4. p tr. 4. resol. 8.* cum multis Doctoribus, quibus nunc addo illos, quos citant, & sequuntur Faustus *in thes. Rel. lib. 4 q. 55. n. 2. & 3.* Lauorius *de Iubilæo, part. 1. c 27. n. 56.* Sanctarellus *de Iubilæo, cap. 8. dub. 8.* Polachus *de Iubilæo, sect. 42. num. 66.* Homobonus *de exam. Eccles. p. 2. tract. 8 cap. 7. q. 22.* & nouissimè Angel. Bossius *de Iubilæo, sect. 2. cas. 38. n. 3.* & Philippus de la Cruz *in Thes. Eccl. tr. 1. §. 11. n. 10.*

Sed difficultas est an in hac Diœcesi Panormitana, vbi in Synodo Eminentiss. Cardinalis ab Auria *part. 2. c. 4. n. 12.* sic habetur. Caueant Confessores ne votorum commutationem extra sacramentalem confessionem faciant; nam illud verbum, *caueant*, videtur inducere obligationem peccati mortalis, vt patet ex Decreto Clem. VIII. de casuum reseruatione, vbi dicitur. Caueant diligentissimè, ne ea notione, quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem vtantur. In quibus verbis esse præceptum docet Castrus Palaus *tom. 1. tract. 3. disp 1. punct. 9. n. 3.* & in dicta Synodo *vbi sup. num. 14.* ita etiam habetur. Caueant Sacerdotes Confessarij ne verbo, aut signo, aut alio quouis modo aliquatenus prodant peccatorem, vnde confessionis sigillum violetur. in quibus verbis certum est præceptum adesse. Ergo dicendum est etiam verba supracitata, *caueant Sacerdotes ne votorum commutationem extra sacramentalem confessionem faciant*, importare obligationem culpæ lethalis: vnde si Confessarius aliquis commutaret aliqua vota virtute Bullæ Cruciatæ, vel Iubilæi extra Sacramentum, peccaret mortaliter.

Verùm non peccare mortaliter ego puto Confessarium non obstante dicta prohibitione commutantem vota extra Sacramentum, cùm hæc opinio, vt dictum est, probabilissima sit, neque puto in illis verbis hoc prohiberi sub obligatione culpæ lethalis. nam, vt alibi probatum est, cum Caietano *in 2. 2. q. 166. art. 9. circa solut. ad 2.* & alijs, verba imperatiua non continent præceptum; vel meliùs dicendum est, tunc continere præceptum, quando ex materiæ grauitate & necessitate id appareret, quæ si magna sit, & grauiter à Legislatore fuerit ponderata, censenda sunt verba præceptiua esse. Vnde *in Clem. exiui. de verborum signific. §. item quia, ver. Nos itaque ex materia grauitate*, ait Pontifex colligendum esse præceptum ex huiusmodi verbis, quod etiam docuit Abbas, Felinus & Imola *in cap. nam concupiscentiam, in fin. de constit.* Ad auctoritatem verò desumptam ex Decreto Clem. VIII. dico quòd verba imperatiua in Concilijs, & Decretis Pontificum ferè semper accipienda sunt vt præceptiua, vt tradit Vasq. *in p. 2. disput. 158. c. 2. n. 24.* & ex materiæ grauitate verbum, *caueant*, importare præceptum in d. Decreto Clem. VIII. clarè apparere dicendum est, quod non euenit in casu prohibitionis de quo loquimur. Et hęc omnia à fortiori procedunt quoad Regulares, qui, vt alibi probatum est, non tenentur per se secluso scandalo, obseruare præcepta Synodalia, vt, me citato, tenet etiam nouissimè Merolla *in disp. Theol. tom. 2. d. 4 c. 4. dub 22. n. 306.* Vnde rectè Bariola *cons. 32. per totum*, firmat quod censuræ in Concilijs Synodalibus per Episcopos promulgatæ non ligant Regulares.

RESOL. XXXVII. *An Religiosi tempore Iubilæi possint eligere Confessarium non approbatum ab Episcopo, sed à Prælato Regularium?*

NEgatiuam sententiam docet Fagundez *pr. 2. lib. 7. cap. 2. num. 12.* Henriquez *lib. 6. cap. 6. nu. 4. in glossa lit. K. & lib. 7. cap. 22. num. 5.* ait. Quoad Regulares autem, qui Iubilęum consequi volunt, non possunt eligere Confessarium ab ipsorum Superiore tantummodò approbatum, sed necesse est, si volunt illud quærere, vt confiteantur vni ex approbatis ab Ordinario loci; modo quo dictum est suprà, hæc enim est conditio expressa Iubilæo, quæ omnino seruanda est, & facit ratio optima, quia Summus Pontifex potuit animaduertere Confessarios strictiori calculo examinari, atque approbari consueuisse ab Ordinarijs locorum, quàm à Superioribus Regularium, & ideò de ipsorum sufficientia confidens, eius munus in quo vices Pontificiæ subeundæ sunt, illis potissimùm iure merito demandari voluit. Sic etiam literæ sacræ Pœnitentiariæ solis Theologis, vel Decretorum

Doctori-

Doctoribus, approbatis tamen ab Ordinariis locorum dirigi consueuerunt; & tandem Superioribus Regularium non conueniunt verba illa in Iubileo posita Ordinariis locorum, vt palam est. ergo neque dispositio eiusdem Iubilei competere potest. Ita Naldus & ante omnes Suarez *in 3. part. tom. 4. disp. 28. sect. 6. num. 11.* & nouissimè Faustus *de Iubileo, lib. 4. quæst. 88.*

Sed ego contrariam sententiam non minùs probabilem esse puto, quam tuetur Homobonus, Coriolanus, Zerola, Sorbus, Bonacina, Zanardus, Sanctarellus, quos citat & sequitur Alphonsus de Leone *tract. de Iubileo part. 2. num. 212.* Et hanc opinionem probabilem & tutam esse docet etiam Angelus Bossius *de Iubileo, sect. 3. cas. 3. num. 10.* Igitur quando Bulla Iubilei dicit, quod Sacerdos sit ab Ordinario approbatus, verba illa *ab Ordinario*, intelligenda sunt secundùm expositionem accommodam, ita vt nomine *Ordinarij* intelligatur Episcopus, si agatur de approbatione Confessarij pro audiendis confessionibus secularium; si verò agatur de Confessario pro audiendis confessionibus Regularium, intelligatur Prælatus ipsorum, & hanc opinionem procedere etiã quoad Nouitios tradit Ioannes de la Cruz *de statu Relig. lib. 1. cap. 6. conclus. 2. in fine*, & alij, satis quidem probabiliter.

Non desinam tamen hic adnotare Filliucium *tom. 1 tractat. 8. cap. 10. num. 275.* Pollachum *de Iubileo sect. 42. num. 63.* & Lezanam *in qq. regular. cap. 19. numer. 19.* docere negatiuam sententiam esse sequendam, quando in Bulla Iubilei dicitur confitendum esse cum Confessario approbato ab Ordinario loci; affirmatiuam verò sententiam veram esse, quando in Bulla tantùm dicitur approbatum ab Ordinario, sed omnes istæ tres sententiæ sunt probabiles.

Notandum est etiam hîc contra aliquos quòd etiamsi in Bulla Iubilei non contineatur clausula derogatoria priuilegiorum, potest etiam Regularis eligere extra suum Ordinem Confessariũ approbatum, modo quo suprà dictum est, dummodò in Iubileo adsit generalis facultas eligẽdi Confessarium specificè comprehendens etiam Religiosos. Ita contra Filliucium, Pollachum & alios docet probabiliter Angelus Bossius *de Iubileo, vbi suprà sect. 3. cas. 4. num. 17.* qui contra Molfesium notat etiam cum Leone *loco citato nu. 209.* non posse Superiorem tẽpore Iubilei prohibere suis subditis ne confiteantur Sacerdotibus secularibus, vel Regularibus alterius Ordinis, vnde possunt sine Superioris licentia cum extraneis confiteri.

Resol. XXXVIII. *An Indulgentiam pro mortuis lucretur existens in peccato mortali?*

Respondeo affirmatiuè cum Ioanne Præposito *in 3. part.* D. Thom. *quæst. 14. de Indulgentiis, dub. 10. num. 93.* & Naldo *in summa, ver. Indulgentia, numer. 7.* vbi sic ait. Indulgentiam pro mortuis consequi potest etiam in mortali existens, secundùm magis receptam opinionem, in hoc enim casu non dicitur malus pro alio satisfacere, sed solũ facere opus, ob quod Papa satisfactionem Christi & Sanctorum impertitur, tum quia malus ministerialiter pro alio satisfacere potest, vt eleemosynam, vel aliud bonum mandato alicuius faciens. Ita ille, qui citat Nauarrum *notab. 22. de Indulgent. n. 30.* quibus adde etiam Fabrum *in 4. sentent. de pœnit. dist. 19. quæst. vnic. disp. 38. cap. 8. n. 256.* Granadum *in 3. part. de Sacram. contr. 12. tract. 5. disp. 6. n 1.* Trullenck *in Bulla Cruc. lib. 1. §. 6. dub. 4. n. 3.* Reginaldum *tom. 1. lib. 7. c. vlt. n. 195.* & Laurentium de Portel *in dubiis Regul. ver. Indulgentia pro Iubileo, n 24.* vbi sic ait. Tandem circa Indulgentias pro defunctis nota ex Toleto, quòd si quis sit in peccato mortali quando sumit Indulgentias pro defunctis faciẽdo id opus, per quod illas applicant in peccato mortali, tales Indulgentiæ proficiunt defunctis existentibus in Purgatorio. Ratio est, quia ratio satisfactionis, seu pretium pœnarum non est opus illius, qui est in peccato, sed Indulgentiã ipsã & thesaurus meritorum Christi & Sanctorum. Illud autem opus particulare, per quod Indulgentiæ applicantur, fit nomine Ecclesiæ, in qua nunquam deest gratia. Exemplum ponit in eo, qui dat eleemosynam, & mittit illam per manus hominis existentis in peccato mortali, non enim perditur fructus eleemosynæ ex eo quòd sit in peccato ille, qui exequitur opus. Vnde non solùm hoc intelligitur de sumente Bullam Cruciatæ pro defuncto, si soluens Bullam sit in peccato mortali, sed etiam de illo, qui dicit certas orationes iniunctas à Papa pro liberanda vna anima à Purgatorio, est enim vtrobique eadem ratio. Scio aliquos Doctores tenere oppositum, vt fatetur ipse Toletus. Est tamen hæc opinio pia, & ratione sufficienti fundata. Hæc Portel. Vnde nemo excusatur, quando à Summo Pontifice applicatur aliqua Indulgentia defunctis per modum suffragij, si illam pro illis non sumant. nam vt dictum est, & iusti, & peccatores illam pro defunctis obtinere possunt.

Resol. XXXIX. *Quando Indulgentia largitur per dies & annos, quomodo intelligenda?*

Svppono contra Cordubam *lib. 5. de Indulg. quæst. 32.* & alios non esse intelligendos de diebus & annis Purgatorij, videlicet vt tot anni ex pœna Purgatorij remittantur, quot in Indulgentia exprimuntur, sed per dies & annos intelliguntur dies & anni pœnitentiæ præsentis vitæ. Hinc si alicui esset imposita pœnitentia vt ieiunet 40. diebus siue continuando, siue interpolando, si iste lucrabitur Indulgentiam 40. dierum, erit absolutus ab illa pœnitentia. Hinc si alicui daretur pœnitentia vt per annum ieiunet, vel se disciplinet qualibet sexta feria, & sic in toto anno essent 52. dies, si iste lucrabitur Indulgẽtiam 52. dierum, absoluetur ab illa pœnitentia actuali. Hinc si alicui data est pœnitẽtia vt ieiunet per duos annos alternis vicibus, id est, vna die sic, altera verò non; & sic consequenter faceret vnum annum continuum, tunc lucrando vnum annum cõtinuum Indulgentiæ, absolutus erit ab illo vinculo, quia intẽtio imponentis est, vt ille ieiunet per dies 365. Et hęc omnia docet Faustus *de Indulg. l. 2. q. 153. & 155.* cui adde Hieronymũ Rodriq. *in comp. qq. regul. resol. 77. n. 85.*

vbi sic ait. Indulgentia tot dierum, vel annorum intelligitur primò & principaliter de diebus & annis huius vitæ, & de pœnitentiis in hoc sæculo iniunctis, vel iniungendis, & secundariò de pœnis Purgatorij respondentibus in tanto, vel maiori, aut minori tempore illis annis, & pœnitentiis huius vitæ. Itaque tantum pœnarum in Purgatorio remittitur per Indulgentiam tot dierum & annorum pœnitentiæ, ac remissionis de iniunctis sine limitatione datam, quantum remittitur, si pœnitens in hac vita sufficienter pœnitentiam egisset illis diebus, aut annis, quibus secundùm legem & iustitiam Dei ac Canones Ecclesiæ pœnitere deberet. Ita ille. Sed circa præsentem quæstionem ne deseras videre Iacobum Granadum *in 3 part. de Sacrament. contr. 12. tract. 2. disp. 3. n. 2. & sequent.* & Villalobum *in summa, tom. 1. tract. 26. diff. 9. num. 6. & 7.*

RESOL. XL. *An si tempore Iubilæi quis noluit petere commutationem votorum, possit postea eo transacto illam petere?*

AFfirmatiuam sententiam alibi docui cum Sanchez & aliis, & nunc iterum doceo cum Laurentio Portel *in dubiis Regular. ver. Indulgentia pro Iubilæo, numer. 18.* vbi sic ait. Qui tempore Iubilæi habebat votum, & noluit pro tunc illud sibi commutari, potest nihilominus transacto Iubilæo petere illius voti commutationem, eamque dare potest quilibet Confessor. Nam concessio illa sibi facta in Iubilæo pro commutandis votis, & priuilegium, & hoc priuilegium non est alligatum tempori, quo durat Iubilæus, sed potest eo vti eo tempore transacto (non sic verò potest vti licentia vt absoluatur à reseruatis, nisi de oblitis Iubilæo finito.) Iam enim pœnitens per confessionem factam tempore Iubilei acquisiuit ius ad hoc priuilegium, & vt posset postea dictum votum commutare. Ita ille, & post illum nouissimè Angelus Bossius *de Iubilæo. sect. 2. cas. 47.*

Hinc à fortiori infertur contra Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 6. c. 16. n. 4.* Filliucium *tom. 1. tract. 8. cap. 10. n. 279.* Layman *lib. 5. tract. 7. c. 8. n. 9.* Lauorium *de Iubilæo p. 1. c. 14. num. 94.* Pollachum *de Iubilæo, sect. 42. num. 69.* & alios, quando tempore Iubilæi quis obtinuit à Confessario generalem commutationem & dispensationem circa vota, censetur sublata reseruatio votorum oblitorum, & sic illa transacto Iubilæo possunt commutari à quocumque Confessario. Ita tenet Sanchez *de matrim. lib. 8. disput. 15. num. 16. & in summa, tom. 1. lib. 4. cap. 54. num. 37.* Sanctarell. *de Iubil. c. 8. dub. 3.* Leo *de Iubilæo, part. 2. n. 201.* & Bossius *vbi suprà, cas. 44.*

Imò ego puto etiam quòd quando intra tempus in Iubilæo præscriptum nulla facta est à Confessario electo commutatio, vel dispensatio generalis votorum, sed aut nulla vota pœnitentis sunt commutata, vel ea sola in specie quæ ab eodem pœnitente fuerunt Confessario detecta, vota oblita possint tempore Iubilæi elapso ab alio Confessario commutari, si pœnitens verè lucratus est Iubilæum. Ita Zerola *de Iubilæo, lib. 2. c. 12. dub. 10.* Henriquez *l. 7. c. 11. n. 4.* Sanchez *de matr. vbi suprà, nu. 17. & in sum. n. 39.* Fernandez *in medulla, part. 3. cap. 7. §. 8. n. 6.* Sanctarellus *de Iubilæo, cap. 13. dub. 1.* Leo *loc. cit. num. 200.* & alij, quicquid in contrarium etiam probabiliter asserat Suarez, Filliucius, Layman, Pollachus, & Lauorius *locis citatis.*

RESOL. XLI. *An qui tempore Iubilæi obtinuit commutationem votorum, sed aliquorum oblitus est, transacto eo tempore possit à dictis votis oblitis commutationem petere, non obstante quòd lucratus non sit Iubilæum?*

AFfirmatiuam sententiam ex Homobono docet noster Pater Alphonsis de Leone *de Iubil. p. 2. n. 203.* quia in Bulla Iubilæi eodem tenore conceditur facultas absoluendi à reseruatis, & commutandi vota, ergo coniunctorum eadem debet esse dispositio; sed quando quis confessus est tempore Iubilæi animo illud lucrandi, remanet liber à reseruatione peccatorum reseruatorum oblitorũ, etiamsi nullum casum reseruatum confessus sit, & postea non lucretur Iubilæum, ergo etiam remanet liber à reseruatione votorum, tametsi nullius voti commutationem petierit, & obtinuerit.

Sed hanc sententiam non admittit Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 4. c. 54. num. 52.* quem nouissimè sequitur Angelus Bossius *de Iubilæo, sect. 2. cas. 45. n. 2.* quibus ego addo Filliucium *tom. 1. tract. 8. c. 10. nu. 279.* asserunt enim disparem esse rationem inter absolutionem à peccatis, & cõmutationem votorum.

Certum est tamen vota commutata etiam si quis postea non lucretur ex culpa Iubilæum, minimè reuiuiscere, vt tradit Pollachus *de Iubil. sect. 42. n. 69.* Lauorius *de Iubilæo part. 2. c. 27. n. 217.* Sanctarellus *de Iubilæo, cap. 12. dub. 3.* Layman *lib. 5. tract. 7. c. 8. n. 9.* Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 26. diffic. 24. n. 12.* Filliucius *vbi suprà, nu. 80.* & alij. Et nota hanc opinionem esse veram etiam circa vota commutata à Confessario tantùm generaliter remittendo opera subrogata à se, vel ab alio postea præscribenda. Ita Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 4. cap. 54. num. 50.*

Verùm post hæc scripta inueni omnia dicta in præsenti resolutione docere etiam Portel *in dub. Regul. ver. Indulgentia pro Iubilæo, numer. 19.* vbi sic ait. Qui in principio Iubilæi intendens illum lucrari cõfessus est multa reseruata, & absolutus est ab eis, postea ex negligentia non est lucratus Iubilæum, aliqui dicunt illum reincidere in reseruata, & in censuras, à quibus est absolutus. Sed verior sententia tenet, non reincidere, sed manere verè absolutum, quia peccata, vel censura semel extincta non reuiuiscunt, neque ibi datur absolutio ad reincidentiam, sed absolutè. Imò si tempore Iubilæi habebat quis peccatum reseruatũ, & tunc oblitus est illud confiteri, potest transacto Iubilæo ab illo absolui à quouis Cõfessore: quamuis enim tale reseruatum oblitum secundùm veriorem sententiã adhuc sit reseruatũm in se, attamen pœnitens per cõfessionem præteritam factam tempore Iubilæi, acquisiuit ius vt possit postea per quemuis Cõfessorẽ absolui ab illo. Vnde colliges quòd si pro Iubilæo lucrãdo non est confessus, quia nõ habet mortale, vt aliqui dicunt posse facere, iste talis non poterit postea absolui ab illo reseruato, quia non est ablata

reser-

reſeruatio illa. Si verò etiam in principio Iubilæi intendens illud comparare in cõfeſſione obtinuit commutationem aliquorum votorum, & poſtea ex negligentia non eſt illud lucratus, talia vota manent nihilominus verè commutata. Secus dicendum eſt de votis oblitis in illa confeſſione facta non lucrato Iubilæo, hæc enim non poterunt commutari tranſacto Iubilæo. Hæc omnia Portel, cui adde Philippum de la Cruz *in theſauro Eccleſ. tract.*1.§.20.*num.*3.

RESOL. XLII. *An qui tempore Iubilæi abſolutus fuit à reſeruatis, & obtinuit commutationem votorum ſi ex culpa ſua voluntariè poſtea non lucretur Iubilæum, peccet mortaliter?*

REſpondeo negatiuè cum Portel *in dubiis Regul. ver. Iudulgentia pro Iubilæo,n.*20.vbi ſic ait. Non peccat mortaliter ille, qui Iubilæum lucrari intendens,eaque de cauſa obtinuit abſolutionem à cenſuris & reſeruatis, & votorum commutationem, & poſtea retrocedens Iubilæum non lucratur, ſi dolus defuit. & id verius puto, nam talis retrocedens,& non lucrans,nihil promiſit, nec Confeſſarius illi aliquam obligationem impoſuit, neque conſtat de tali Pontificis intentione, ſi enim tale Papa intenderet, id facilè poſſet explicare, vt fit aliquando in aliis conceſſionibus Pontificiis. Eſt enim regula generalis, quòd quando eſt dubium, an pro aliqua re ſit præceptum impoſitum, tunc iudicandum eſt non dari tale præceptum,idque in fauorem libertatis in eo dubio poſſidentis. Ita ille, & ego alibi cum multis Doctoribus.

RESOL. XLIII. *An ſi quis viſitet Oratorium in domo ſua pro Miſſa celebranda approbatum,lucretur Indulgentiam Bullæ Cruciatæ,cum onere viſitandi Eccleſias,vel Altaria?*

REſpondeo affirmatiuè cum Ægidio Trullenck *in expoſit.Bull.Cruciat.l.*1 §.*6.dub...n.*2.vbi ſic ait. Quæres primò quid hîc nomine *Eccleſiæ* intelligatur?reſpondeo intelligi Templa ad diuinum cultum dedicata, monaſteria, Hoſpitalia, Oratoria priuata, tum etiam eremitoria, quia hæc omnia ſub nomine *Eccleſiæ* abſolutè ſumptę comprehendi diximus, vnde poteſt quis Indulgentiam ſtationũ viſitando Oratorium priuatum lucrari, quia præſertim in fauorabilibus cenſetur Eccleſia: vnde vir nobilis viſitando quinquies Oratorium ſuum ab Epiſcopo deſignatum, & approbatum, lucratur hanc indulgentiam. Quidam iunior limitat,quãdo talis vir eſt infirmus, vel in oppido,in quo non ſunt quinque Altaria, reperitur, quam quidem limitationem reiiciendam cenſeo, quia, vt dictum eſt,Oratorium,abſolutè loquendo,ſub nomine *Eccleſiæ* comprehenditur;cur ergo hic fauor limitabitur? Addo cum Rodriquez ſic viſitantem Oratorium priuatum quinquies non teneri intrare, vel exire quinquies Oratorium,quod libenter admitto,ſed ſufficere vt quinquies corde viſitet, non autem motu corporali,quia Eccleſia in ſuis præceptis ita obligare videtur, vt homo politicus appareat, quod etſi probabile ſit, probabilius tamen exiſtimo requiri aliquem motum corporalem,etſi modicum & bene compoſitum:vt ſi poſt primam viſitationem, ſeu orationem finitam profundè caput & corpus inclinaret,per quã inclinationem viſitationes ſatis diſtinguerentur. hæc omnia Trullenck, cui adde etiam Ludouicum de la Cruz *in Bulla Cruc.diſp.*1.*cap.*8.*dub.*13.*n.*2.

RESOL. XLIV. *An oratio facienda in dictis Eccleſiis, vel Altaribus pro lucranda indulgentia Bullæ Cruciatæ ſufficiat vt ſit mentalis?*

NEgatiuè reſpõdet Rodriq.*in Bulla Cruciatæ*,§.7. *nu.*2. vbi ſic ait. [Dudaſe ſi eſta oracion baſta que ſea mental,reſpondo que no baſta que ſea mẽtal, mas ha de ſer externa, y viſible, aſſi como la Igleſia es viſible, no porque la oracion mental no ſea de mucha eficacia,y importancia, ſino porque la oracion que aqui ſe manda, es como obra ſatisfatoria,mandada por el Papa Principe de la Igleſia, el qual en ſu nombre quando manda hazer las dichas obras ſatisfatorias,entiende de las exteriores, y viſibles,y no de las mentales,que ſon inuiſibles: y aſſi diche communmente en la materia de la ſatisfacion, que no baſta la oracion mental para cũplir la penitencia que impone el Confeſſor, quando manda rezar algunas oraciones, por lo qual quando la Igleſia nos obliga a rezar el Oficio diuino,y dezir Miſſa,no ſe cõtenta con que recitemos, y digamos la Miſſa mentalmente, ni ſe contenta con que la leamos en el libro, mas quiere con la voz,la exprimamos.]Ita ille,& nouiſſimè hãc ſententiam docet Ludouicus de la Cruz *in Bulla Cruc. diſp.*1.*cap.*8.*dub.*13.*n.*6.

Sed mihi contraria ſententia non minùs probabilis videtur, quam tenet doctus Ægidius Trullenck *in Bulla Cruc.lib.*1.§.6.*dub.*2.*n.*7. quia ſolùm præcipitur in Bulla, vt effundant ibi orationes :at nomen *orationis* propriiſſimè conuenit mentali, imò & præcipuè. nam oratio interna præferenda eſt,cæteris paribus, vocali, quando hæc eſt voluntaria,ſeu non eſt in præcepto, quia, per ſe loquendo,& ordinariè,mentalis eſt magis fructuoſa. nam multum illuminat animos in iis, quæ ad Deum & ad ſalutem pertinent, & præparat illos ad vincendas tentationes & pericula peccatorum vitanda. Secundò probatur, quia ad talem indulgentiam comparandã non præſcribitur oratio publica, ſed priuata : ergo poterit hæc ad libitũ eſſe vocalis,vel mẽtalis. In hoc enim valde diſtinguitur oratio publica à priuata, quia hæc poteſt eſſe vocalis & mẽtalis ; publica verò, quæ talis ideo dicitur,quia fit ab Eccleſia per miniſtros ſuos,vt tales ſunt, debet eſſe ſemper vocalis. Nec obſtat fidelium vſus ad conſecutionem Indulgentiæ huius preces vocales fundentium, quia ex hoc ſolùm infertur has preces eſſe ſufficiẽtes ad prædictam Indulgentiam lucrandam, quod eſt certum, non tamen neceſſarium.Ad argumenta verò Rodriquez ſatis reſpondet Trullenck *loco citato num.*8.

RESOL. XLV. *An Indulgentiam ſtationum poſſit quis in die multoties lucrari?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Angelus *ver. Indulgentia,*§.4.Roſella *eod.ver.* §.12. Nauarrus

§.*in Leuitico,notab.*32.*n.*46.*&* 47.& alij. Negatiuam verò tenet Paludanus *in* 4.*diſt.*20. *quæſt.* 4. *art.*7. D. *Thom.in addit.*3.*p.q.*25.*art.*2.*ad* 4.D.Antonin.*p.*1. *tit.* 10.*cap.*3.§.3.& alij.

Verùm circa præſentem quæſtionem Ludouicus de la Cruz *in Bulla Cruc.diſp.*1.*cap.*8. *dub.*13. *n.*10. cum diſtinctione putat eſſe loquendum. nam vel Indulgentia cõceditur ad tempus determinatum, vt viſitantibus tali die,& hora, & tunc ſemel tantùm poteſt illam quis lucrari. Vnde cùm ſtationes Romæ ſignatæ concedantur in Bulla certis & determinatis diebus , inde eſt quòd ſemel tantùm poteſt quis illas lucrari,niſi aliud exprimat Pontifex. Quando verò Indulgentia conceditur indeterminatè,& quaſi perpetuò ſub hac forma , *Quicumque viſitauerit talem Eccleſiam , vel Altare,conſequetur hanc,vel illam Indulgentiam;*tunc poteſt quis eam lucrari,toties,quoties , idque ſatis probat ipſa cõſuetudo , quæ eſt optima legum & conceſſionum humanarum interpres , & ſic conciliari poſſunt prædictæ opiniones. Hoc tamen vltimum debet intelligi,dummodo iteratio viſitationis non cedat in irriſionem , vt reuera cederet , ſi quis viſitaret eamdem Eccleſiam continuò egrediendo , & ingrediendo , quia non eſt veriſimile de prudentia Pontificis illo modo reiterandi viſitationem,multiplicare indulgentias.Sic ille.

Sed his tamen non obſtantibus nouiſſimè Ægidius de Trullenck *in Bulla Cruc.lib.*1.§.*d.dub.*4. *n.*2. abſolutè docet Indulgentiam ſtationum poſſe in die multoties lucrari, quia Bulla id non reſtringit, nec limitat, ſed abſolutè eam concedit:at quando Indulgentia cõceditur indefinitè viſitandi tali die talem Eccleſiam , toties eam quis lucratur,quoties eo die moraliter & ſecundùm prudentiam illam viſitat. Secundò probatur , quia iuris diſpoſitio etiam in odioſa materia comprehendit omnes caſus, ad quos verba diſpoſitionis iuxta propriam ſignificationem & diſpoſitionem ſe extendunt, ſecundùm doctrinam Iuriſconſultorum ; ſed verba Indulgentiarum Romæ,& verba Cruciatæ,& verba Iubilei, in quo præcipiuntur ſtationes ad lucrãdas Indulgentias iuxta propriam ſignificationem , extendi poſſunt ad plures vices in die. ergo extendẽda potiùs,quàm limitanda,cùm talis conceſſio ſit Principis fauor, & in tertij præiudicium non cedat.Ita ille,& ego *in* 1.*part.tract.*11.*reſol.*104.

RESOL. XLVI. *An in articulo mortis poſſit virtute Bullæ Cruciatæ applicari Indulgentia ab alio , quàm à Sacerdote?*

NEgatiuam ſententiam docet Ludouicus de la Cruz *in Bulla Cruc.diſp.*1.*cap.*8.*dub.*14. *numer.*2. quia in Bulla habetur quòd ſemel in articulo mortis poſſit Confeſſarius Indulgentiam plenariam impendere.ergo qui non fuerit Sacerdos,non poterit id præſtare.Patet conſequentia, quia cùm Indulgentiæ ſint ſtricti iuris,in propria ſua ſignificatione ſunt verba eius accipienda,& ſecundùm ius; ſed nomine Confeſſarij propriè intelligitur Sacerdos habens facultatẽ confitendi à iure , vel ab homine ; ergo cùm huic dumtaxat concedat Pontifex in Bulla facultatem impendendi Indulgentiam , nullus alius præter Sacerdotem id poterit præſtare.

Verùm his non obſtantibus affirmatiuam ſententiam me conſulente & impellente ne timeant in praxim deducere non ſolùm Clerici tonſurati, ſed etiam laici,ſi Sacerdos tamen non adſit, & ita hanc opinionem præter Io.Valerum, quem citaui *in* 1.*p.tr.*11.*reſol.*106.tenent Doctores, quos citat & ſequitur Trullenck *in Bulla Cruc.lib.* 1.§.7. *c.*2.*dub.* 19.*n.*6.vbi ſic ait. In abſentia Sacerdotis hãc Indulgentiam in mortis articulo probabile eſt poſſe etiam ſimplicem Tonſuratum applicare. Ratio eſt, quia abſolutio & remiſſio pœnæ , quæ fit per Indulgentiam,non eſt abſolutio à peccatis , nec ab ea dependens;nec requiritur quòd concedens Indulgentiam , aut eam executioni mandans, ſit Sacerdos , vt communiter DD. Quare ſicut in tali articulo poteſt primò tonſuratus à cenſuris abſoluere, ita & applicare hanc Indulgentiã,qui quoad hunc effectum latè dicitur Confeſſarius.Quòd ſi in tali articulo nec Clericus haberi poſſit , exiſtimat Nauarrus poſſe laicum hanc Indulgentiam applicare. Pia quidem ſententia , & propter tanti Doctoris auctoritatem probabilis,& quæ ſi non poteſt prodeſſe, ſaltem obeſſe non poterit. Ita Trullenck,& hanc ſententiam ex Theologis Societatis docet etiam Reginaldus *tom.* 1. *lib.*7. *cap.*13.*num.*157. Vnde hæc opinio ſatis remanet probabilis aduersùs Ludouicum de la Cruz *vbi ſuprà.*

Notandum eſt tamen hic obiter vnum notabile,quod neſcio an alibi à me adnotatum ſit, nempe quòd aliquando hæc Indulgentia in articulo mortis in caſu licet raro , videtur poſſe applicari abſenti , videlicet ſi Parochus poſtquam vnctionem extremam contulit pœnitenti ęgrotanti,oblitus eſt huius applicationem , & infirmus iam iam moritur, nec poteſt Parochus eum adire,poterit è domo ſua infirmo tali abſenti applicare Indulgentiam , quia ſi hæc poteſt applicari extra confeſſionem infirmo, qui nullum ſignum dederit contritionis, nec huius applicatio dependet ab abſolutione ſacramentali , & ex alio capite hic eſt capax Indulgentiæ , eo quòd ſupponimus eſſe in ſtatu gratiæ conſtitutum per confeſſionem , quod mirum ſi in hoc tali caſu poſſit applicari in abſentia, ſicut etiam abſens à cenſuris abſolui , præſertim cùm nulla ſcientia , nec formalis petitio requiratur ex parte eius,cui eſt hæc Indulgentia applicanda. ergo, &c. Et ita hanc ſententiam docet Trullenck *vbi ſuprà in Bulla Cruciatæ, lib.* 1.§.7. *cap.* 2. *dub.*19.*num.*7.

RESOL. XLVII. *An per Iubileum ſit eligibilis in Confeſſarium Parochus, qui renuntiauit beneficium,vel ab illo fuit priuatus?*

NEgatiuè reſpondeo cum DD. quos ego ipſe citaui *in* 1.*part.tract.*11.*reſol.*8.loquens de Bulla Cruciatæ,quibus nunc addo Fagundez *pr.* 2. *lib.*7. *cap.*2.*n.*38.Floronum *de caſibus reſerv.part.*1. *c.*4.§.12. *nu.*7.& Barboſa *de poteſt.Epiſc.part.*2. *allegat.*25. *n.*18. quia Concilium ad hoc vt Parochus reputetur idoneus ad confeſſiones , expreſsè requirit vt beneficium actu habeat,vt patet ex illis verbis,*niſi aut*

parochiale

parochiale beneficium habeat. & non addit, *aut habuerit.* ergo, &c. Et hanc opinionem ego teneo tamquam probabiliorem, & ita hanc ſententiam tenet etiam Ludouicus de la Cruz *in Bulla Cruc. diſput.* 2. *cap.* 2. *dub* 7. *num.* 10. qui tamen *n.* 4. meritò contrariam ſententiam probabilem vocat cum Villalobos, Ioanne de la Cruz, & Rodriquez, quibus adde Trullenck *vbi infrà, num.* 4. quia talis Parochus habebat approbationem ab Ordinario, imò & ab ipſo iure, ſed per ablationem, vel amiſſionem etiam per litem beneficij parochialis ſolùm tollitur ei iuriſdictio, non verò approbatio. ergo manet eligibilis per Bullam. Conſequentia cum maiori & minori probatur, approbatio enim non habet neceſſariam dependentiam & connexionem cum parochiali illo beneficio. ergo non eo ipſo, quòd aufertur beneficium, aufertur approbatio. Hinc autem inferunt primò quòd ſi Parochus beneficium amittit, vel illud relinquit per ingreſſum Religionis, poterit eligi virtute Iubilæi, quo pœnitenti conceditur facultas eligendi in Confeſſorem Sacerdotem approbatum, quia non amiſit ſimplicem approbationem, ea tamen poſita Papa per ſpeciale Iubilæi priuilegium ei confert iuriſdictionẽ. Inferunt ſecundò quòd Parochus poterit ei, qui antea erat Parochus, dare facultatem audiendi cõfeſſiones in ſua Parochia, quia hoc poterat ante Trident. concedere & ſimplici Sacerdoti, Tridentinum verò ſolùm addidit approbationem, quam adhuc ille retinet. ergo, &c.

Sed quicquid ſit de hoc, certum eſt Parochum adhuc habentem beneficium Curati, non ſolùm eſſe eligibilem per Iubilæum intra eamdem Diœceſim, ſed extra, & vbique terrarum, & ita contra Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 11. *num.* 7. Floronum *de caſ. reſeru. part.* 1. *c.* 4. §. 12. *num.* 2. Homobonum *in exam. Eccleſ. part.* 1. *tract.* 5 *c.* 3 *quæſt.* 15. & Guttierrez *lib.* 1. *qq. Canon. cap.* 27. *num.* 21. docet Trullenck *in Bulla Cruciatæ. lib.* 1. §. 7. *dub.* 4. *num.* 3. Ioannes Valerus *in differ. vtr. fori, ver. abſolutio, differ.* 1. *num.* 16. Molfeſius *in ſumma. tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 15. *num.* 89. Fagundez *pr.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 36. Suarez *tom* 4. *in* 3. *part. diſput.* 28. *ſect.* 4. *num.* 8. Henriquez *lib.* 3. *de pœnit. cap.* 6. *num.* 8. *in fine, & num.* 7. *initio.* Toletus *in ſumma, lib.* 3. *c.* 13. *num.* 6. & alij. & ratio eſt, quia huiuſmodi beneficiatus ex Concilio Tridentino nullam aliam approbationem requirit, præterquam quòd Parochiale beneficium habeat, vt poſſit confeſſiones ſecularium audire. quo ergo fundamento addemus vltra beneficium parochiale requiri etiam approbationem ſui Epiſcopi? Secundò probatur, quia, vt Suarez notat, Concilium quoad hanc partem non tam condit ius nouum, quàm retinet antiquum. nam de iure antiquo quilibet Parochus poterat eligi in Confeſſarium per quamcumque facultatem, & per delegationem & commiſſionem propriarum ouium factam ab alijs Parochis. ergo & modò poterit, cùm idem ius omnino perſeueret, nunquam enim recedendum eſt à iure antiquo propter nouum, niſi quatenus id in eo exprimitur. Tertiò probatur, quia ſi extra diœceſim non poſſet eligi, nec etiam extra ſuam Parochiam intra eandem poſſet, cũ ex vi beneficij ſolùm videatur approbatus pro ſua Parochia, & nihilominus ex vi Concilij reputatur illa approbatio ſufficiens pro alijs Parochijs ſuæ Diœceſis, quia Miniſter publicus debet ſimpliciter reputari ſufficiens, vt ibi eligatur. ergo, &c.

RESOL. XLVIII. *An in aliquo caſu ſit eligibilis per Iubilæum Sacerdos non approbatus ab Epiſcopo, ſed à Parocho?*

QVamuis verum ſit Parochi approbationem alicuius Sacerdotis non eſſe ſufficientem, quãtumuis electus ſanctæ vitæ & doctrinæ ſit, vt inter multos probat Suar. *in* 3. *p. tom.* 4. *diſput.* 28. *ſect* 4. *n.* 3. Tamen Ludouicus de la Cruz *in Bulla Cruc. diſp.* 1. *cap.* 2. *dub.* 10. *n...* cenſet ſatis probabile poſſe Parochum in nonnullis caſibus, vt ſi nimium ſit fatigatus in Hebdomada ſancta, vel tempore Iubilæi, in quo concurrunt plures confeſſiones, approbare Sacerdotem doctum, ſi non ſit facilis recurſus ad Epiſcopum longè diſtantem. Et ita hanc ſententiam docuerunt olim duo lumina inclytæ Salmaticenſis Academiæ Mancius, & Gallus, quos citat & ſequitur Henriquez *lib.* 6. *cap.* 6. *n.* 2. *in gloſſa lit.* F. & G. rationes autem pro hac firmanda ſententia recognoſcendæ ſunt penes de la Cruz *vbi ſuprà.*

Notandum eſt vnum hîc obiter, & perpetuò menti tenendum, poſſe Parochum ſuis ſubditis licentiam præbere vt confiteatur cum Sacerdote approbato ab Epiſcopo alterius diœceſis, ſecluſa prohibitione proprij Ordinarij, & ideo hac ſecluſa, quæ tamen adeſt in noſtra Synodo, poteſt Parochus Panormitanus exponere ad confeſſiones audiendas in ſua Parochia Sacerdotem Meſſanenſem, v.g. approbatum ab Archiepiſcopo Meſſanenſi, vel ab alio Antiſtite. Ita Ægidius Trullenck *in Bulla Cruc. l.* 1. §. 7. *dub.* 3. *n.* 15. & alij, quos ego alibi citaui. quia talis Sacerdos ab aliquo Ordinario approbatus eſt capax iuriſdictionis delegatæ, & ex alia parte Parochi, habet integrum ius ſuum, quia ex parte ipſius Parochi per Tridentinum non eſt limitatum: ſicut ergo ante Tridentinum poterat Parochus vices ſuas cuicumque Sacerdoti idoneo, cuiuſcumque diœceſis eſſet, committere, ita & nunc poterit cuicumque Sacerdoti cuiuſcumque Diœceſis, approbato tamen ab Ordinario, cõmittere, vel ſuo Parocho licentiam concedere, vt cum tali approbato confiteri poſſit. Vnde cùm facultas hæc à Parochis à iure illæſa maneat, ſolumque ex parte perſonæ cui conceditur à Tridentino, ſit modificata, nimirũ quòd ſit ab Ordinario approbata, & Concilium abſolutè & ſimpliciter ſine reſtrictione aliqua loquatur, poterit Parochus cuilibet approbato cuiuſcumque Diœceſis ſit, facultatem concedere vt ſuorum ſubditorum confeſſiones excipiat. ergo, &c.

RESOL. XLIX. *An per Iubilæum ſit vbique eligibilis in Confeſſarium ſecularis, ſeu Regularis approbatus tantùm limitatè ad paruum oppidum, vel quoad perſonas?*

DE hac quæſtione ego egi loquens de Bulla Cruc. *in* 1. *p. tr.* 11. *reſol.* 10. cum multis DD. quibus nunc addo Ægidium Trullenck *in Bulla Cruc. lib.* 1.

*lib.1.§.7.dub.2.*Ludouicum de la Cruz *in Bulla Cruc. disput.1.cap.2. dub.9.* & Angelum Bossium *de Iubilæo sect.3.cas.2.§.10.* vbi *n.245. uncto n.238.* admittit absolutè tanquam probabilem affirmatiuam sententiam circa præsentem quæstionem,quia verum est dicere talem Sacerdotem esse approbatum ab Ordinario,iuxta formam Concilij *in d.c.15.sess.23.* vbi non exprimit necessarium esse quòd Sacerdos vt sit idoneus & eligibilis, sit approbatus absolutè absque vlla limitatione;sed tantùm requirit,quòd sit approbatus ab eodem Episcopo, seu Ordinario. ergo vt prædicto modo possit eligi, sufficit etiam quòd sit approbatus pro tali, vel talibus personis, versamur enim in materia fauorabili, ac proinde facienda est latior interpretatio seruata verborum proprietate.

Sed contraria sententia est probabilior.Dico igitur quòd qui ex defectu scientię sunt approbati in suo oppido, vel pro vno genere personarum, ab illis dumtaxat,& non ab alijs possunt eligi virtute Iubilæi.& ratio est,quia nequit virtute Iubilæi quis in Confessarium eligi, nisi sit ab Ordinario simpliciter approbatus;sed qui ad vnum genus personarum, id est,rusticorum,seu ad vnum oppidum, in quo nec contractus, nec casus difficiles euenire solent, est tantùm approbatus ex defectu scientię, non est simpliciter approbatus,imò potiùs reprobatus ad omnem alium locum, & ad omnes alias personas;igitur ab illis tantùm est eligibilis virtute Bullæ. Secundò approbatio non plus valet,quàm pro illo,pro quo data est. ergo approbatus ad vnũ tantùm locum,& ad vnum dumtaxat genus personarum, maximè ex defectu scientiæ, non valet in Confessorem eligi,nisi ab illis personis,pro quibus data est illi talis approbatio. Ita Trullenck,& Ludou. à Cruz *vbi suprà.*

RESOL. L. *An Religiosus ab Episcopo approbatus sit eligibilis per Iubilæum,etiamsi à suo Prælato per sententiam priuatus sit,ne confessiones secularium audiat?*

NEgatiuè respondet Io.de la Cruz *de statu Relig. lib.2. cap.6. dub.2.* Rodriquez *in addit. ad Bull. Cruc.§ 9.num.7 & 8.& in qq. regular.tom.1.quæst.60. art.2.*cum alijs. Verùm nouissimè loquens de Bulla, quod idem est de Iubilæo, contrariam sententiam docet Trullenck *in Bulla Cruc. lib.1.§.7.dub.6. num.7.* vbi sic ait. Existimo Confessores regulares ab Ordinario approbatos quoad seculares,siue per sententiam, siue per simplex mandatum à suis Superioribus prohibeantur,ne secularium confessiones audiant, posse per Bullam validè eligi.Imò teneo probabile esse, etiam sine Bulla validè posse secularium confessiones audire virtute approbationis & iurisdictionis ab Ordinario concessæ,etiamsi legitimè non fuerit Ordinario præsentatus, & per suum Superiorem per sententiam prohibitus. Ducor, quia sunt verè approbati, vt supponimus,& retinent adhuc iurisdictionem in seculares. quod probatur primò, quia iurisdictio non promanat à Prelato, sed ab Episcopo, & consensus Prælati non est conditio necessaria, vt confessio validè,sed tantùm vt licitè fiat.Secundò,quia Syluester & Sotus supracitati tantùm dicunt sic prohibitos peccare, & non posse audire confessiones secularium,non autem affirmant confessiones esse inualidas. Tertiò probatur,cùm habeant hanc approbationem secundùm iuris communis dispositionem à Tridentino *sess.23. cap.15.* non est dicendum Regularium Prælatos habere circa illam potestatẽ nisi à iure,vel ex priuilegio eam habeant:at non constat eam habere ex iure, neque ex priuilegio,aut motu proprio.nam constitutio Iulij III.data Romæ *die 17.Ianuarij, anno* 1555.quam citat Rodriquez, & constitutio Greg.XIII. *die 3. Maij, anno* 1575. solùm volunt ne iurisdictio, quam Prælati Regularium habent, & possunt conferre in suos subditos, in eos deriuetur absque ipsorum Prælatorum licentia, non tamen dat facultatem vt possint approbatos ab Ordinario reprobare, & ab eis iurisdictionem, quam erga seculares habent, auferre,& quamuis hoc sit declaratum à Greg. XIII. viuæ vocis oraculo pro Societate Iesu, vt refert Henriquez *lib.3.de pœn. cap.6.num.6.*ex P.Claudio *in comp.ver.gratia,§.2.*dici potest hoc non constare; & dato quòd constet esse speciale Indultum in fauorem Societatis Iesu. Ita Trullenck *vbi sup.*adde quòd modò omnia viuæ vocis oracula per Bullam SS. Vrbani VIII. iam sublata sunt. Vide me ipsum *in 1.p.tr.11.res.13.*

RESOL. LI. *An tempore Iubilæi possit quis petere commutationem votorum, vel operum iniunctorum ab vno Confessario,& postea cum altero confiteri?*

REspondeo affirmatiuè cum Henriquez *lib.7. cap.10.num.8.* Vega *in summa part.2.cap.7.n.19.* Sanchez *in summa tom.1.lib.4.c.54. n.17.* & Lauorio *de Iubil.p.1.cap.25.n 37.* vbi sic ait. Quando in Bulla iniungitur vt opera possint commutari per Confessarium electum, si quis iam elegit, & ab eo est facta commutatio,non tamen illi confessus est sua peccata, sed alteri, commutatio valet. Sic ille, & rectè quidem. nam in Bulla Iubilæi requiritur solùm vt commutans sit Confessarius approbatus ab Ordinario,quod accidit in casu nostro.ergo & ita declarasse Gregorium XIII.testatur Henriquez *vbi suprà.*

RESOL. LII. *An per Iubilæum sit eligibilis in Confessarium Prælatus Regularium non approbatus ab Ordinario loci?*

NEgatiuam sententiam docet Suarez *in 3.part. tom.4.disput.28.sect.8.n.2.* Tamburinius *de iure Abbat.tom.2.disp.6.quæst.17.*Fagundez *pr.2.lib.7.c.2. num.39.*& ratio est, quia Concilium Tridentinum loquitur de secularibus, qui habent beneficium Parochiale, & non de Religiosis. Secundò, quia loquens de omnibus Religiosis, expressè ait illos debere esse ab Episcopo approbatos, vt possint confessiones secularium etiam Sacerdotem audire, idoneique Confessarij secularium reputari, vnde cùm huiusmodi Prelatus Religiosus sit, & non sit ab Episcopo approbatus,sequitur euidenter non esse eligibilem ad confessiones secularium licitè & validè audiendas, vt parum refert quòd in alijs iure equiparetur Parochis, cùm constet de

mente

mente & ipſo Concilij. Deinde ſi contraria opinio eſſet vera, ſequeretur Prælatos Regularium poſſe abſque vlla approbatione audire confeſſiones ſecularium etiam extra tempus Iubilæi. Et ita hanc ſententiam præter Doctores citatos tenet etiam Rodriquez *in Bull Cruciatæ, § 9. n. 4.* vbi ſic ait. [En la palabra de beneficio curado parece ſe incluyen todos aquellos aquienes ſe les ha encomẽdado cargo de animas, como ſon los Guardianes, Prouinciales, y los otros Prelados de las Religiones: y es coſa cierta, que el Concilio da por aprouados à los que tienen beneficio Paroquial, porque en ellos ſe les encomienda el cargo de las animas, ora ſe dè el beneficio por el Obiſpo, o por otro qualquiera que le pueda dar; y pues à los Prelados de las Religiones ſe les da cargo de animas mas eſtendido que à los Curas, parece que ſe ayan de tener por aprouado; empero aunque hõbres doctos han tenido eſta opinion, à mi me parece que no ſe deue tener, porque della ſe ſiguiria que vn Cura de vn Obiſpado ſeria Confeſſor en todos los Obiſpados, pues ya tiene beneficio paroquial, y lo contrario ſe vſa, y la coſtunbre es muy buen interprete de la ley, y mas que los tales Prelados ſon Curas de Frayles, los quales no tienen neceſſidad de Curas tan letrados, como los ſeglares, y aſſi el Concilio Tridentino no los obliga à confeſſarſe con los approuados por el Obiſpo, como obliga à los ſeglares.] Ita ille.

Non deſinam tamen hîc adnotare affirmatiuã ſententiam docuiſſe olim preclara illa inclytę Academiæ Salmaticenſis lumina, Mantium, Gallum, Bannes, Medinam, quos citat & ſequitur doctiſſimus Henriquez *lib. 6. c. 6. n. 2. in gloſſa lit. E. & F.* Cui adde Ioannem Valerum *in differ. vtr fort, ver. nullitas, differ. 5. numer. 5.* Salas in quadam lectura quoad habentes Bullam Cruciatæ. Et hanc ſententiam licet loquatur cum formidine, ſpeculatiuè probabilem eſſe putat Ludouicus de la Cruz in expoſitione Bullæ Cruc. *diſp. 1. cap. 2. dub. 11. num. 8.* Sed ſine metu non ſolùm ſpeculatiuè, ſed etiam practicè probabilem eſſe putat nouiſſimè Angelus Boſſius *in tr. de Iubilæo ſect. 3. caſ. 2. §. 2. n. 53. in fine*, vbi ſic ait. Dixi *probabilius*, quia etiam prior ſententia eſt probabilis, ob rationem & auctoritates tot Doctorum, ac proinde in foro interiori quis poſſit illam in praxi ſeruare, etſi in foro exteriori Epiſcopi non permitterent. Ita Boſſius. & ratio eſt, quia nomine habentis beneficium parochiale, ſeu Curatum, videntur comprehendi omnes, quibus ratione dignitatis, vel proprij officij demandata eſt cura animarum, quales ſunt Generales, Prouinciales Religionum & Guardiani, ſeu Præpoſiti Monaſteriorum, atque adeò hi, ſicuti Parochi, iuxta Concilium erunt ſufficienter idonei, vt poſſint proximè eligi vi Bullæ, vel priuilegij in Confeſſarios. Confirmatur, quia non alia de cauſa Concilium Tridentinum admittit tanquam idoneos, & ſufficienter approbatos illos, qui habent parochiale beneficium, niſi quia ipſis eſt commiſſa animarum cura, ſiue cura fuerit commiſſa ab Epiſcopo, ſiue à quolibet alio valente curatum beneficium conferre. Nam, vt dictum eſt, eo ipſo quòd alicui animarum cura demandatur, ſufficienter declaratur idoneus ad confeſſiones audiendas. ergo cùm Prælatis Religionem ex vi ſui officij ſit demandata cura, & etiam cum ampliori iuriſdictione, quàm Parochis, cenſendi ſunt iuxta Concilium ſufficienter idonei & approbati ad confeſſiones ſecularium audiendas, & præſertim quia dicti Prælati regulares ſunt communiter probatiores & digniores tam literis, quàm moribus, quàm plerique ex ſecularibus habentibus curata beneficia. Adde etiam quòd Canonicus pœnitentiarius ſine ſpeciali Epiſcopi approbatione eſt eligibilis per Bullam, nam eo ipſo quo eligitur in Canonicum pœnitentiarium, ipſo iure impenditur ei approbatio ad audiendas confeſſiones. nam ad hoc munus ſpecialiter eligitur. ergo ſicut iſte ſine ſpeciali approbatione Epiſcopi eſt eligibilis per Bullã, ita & Prælatus Monaſterij. Imò maior ratio eſt de illo quàm de Pœnitentiario, quia Pœnitentiarius non eſt propriè Parochus, nec Ordinarius, Prælatus verò ſic. Nec obſtat dicere, vt aiunt quidam recentiores, Pœnitentiarium recipere approbationem ab Epiſcopo eo ipſo, quo eum in Pœnitentiarium eligit. Neque, inquam, obſtat, quia Pœnitentiarius & maximè in Eccleſijs Cathedralibus, non eligitur ab Epiſcopo, ſed à Capitulo, vbi plerumque eligitur contra Epiſcopi voluntatem.

RESOL. LIII. *A quo Epiſcopo debeat eſſe approbatus Confeſſarius per Iubilæum eligibilis?*

PRima opinio aſſerit quòd ſufficit approbatio Epiſcopi loci, in quo auditurus eſt Confeſſarius confeſſiones, licet pœnitens vi Iubilæi ipſum eligens ſit alterius Epiſcopatus. Ita Layman *lib. 5. tr. 6. c. 11. n. 9.* Lezzana *in qq. reg. c. 19. n. 4. & 19.* Florontus *de caſ. reſerv. p. 1. c. 4. §. 12. n. 6.* Guttierrez *in qq. can. l. 1. c. 27. n. 6.* Campanili *de diuer. iur. Canon. rubr. 12. cap. 13. num. 77.* Homobonus *in exam. Eccleſ. par. 1. tr. 5. cap. 3. q. 14. & 15.* Barboſa *de poteſtate Epiſcopi par. 2. alleg. 25. num. 15.* & alij.

Secunda opinio docet, quòd ſatis erit ſi Confeſſarius fuerit approbatus ab Epiſcopo, ſeu Ordinario pœnitentis habentis per Iubilæum facultatem eligendi quemlibet approbatum ab Ordinario, licet non adſit approbatio Epiſcopi loci. Ita Sotus *in 4. diſt. 18. q. 4 art. 3.* & alij quos citat Boſſius *de Iubilæo ſect. 3. caſ. 2. § 6. n. 202 iuncto § 7. n. 212.*

Tertia opinio tenet ſufficere approbationem Epiſcopi eiuſdem Confeſſarij, ita vt Sacerdos à ſuo Epiſcopo abſolutè & ſimpliciter approbatus ad audiendas confeſſiones poſſit vbique terrarum eligi ab habente facultatem eligendi quemlibet Confeſſarium ab Ordinario approbatum vi Iubilæi, licet non ſit approbatus ab Epiſcopo pœnitentis, vel loci. Ita Suarez *in 3. par. diſp. 28 ſect. 6. num. 10. & ſect. 7. n. 3 & 8.* Filliucius *par. 1. tr. 7. cap. 9. nu. 260.* Fagundez *pr. 2. lib. 7 cap. 2. n. 92.* & alij. omnes iſtę tres ſententiæ ſunt probabiles.

Vnde ego abſolutè puto quòd concedente Bulla, vel Iubilæo, aut priuilegio Pontificis facultatem eligendi Confeſſarium approbatum ab Ordinario, Sacerdos ſiue ſecularis, ſiue Regularis ſemel abſolutè approbatus à ſuo ordinario Epiſcopo, ſiue ille Epiſcopus ſit originis, ſiue beneficij, ſiue domicilij,

&

& ſiue ſit Epiſcopus pœnitentis,ſiue Cõfeſſarij,ſiue loci,vbi audiuntur confeſſiones, & conſequenter à quocumque Epiſcopo,ſeu Ordinario ſimpliciter approbatus,vi talis Bullæ,& Iubilæi, vel priuilegij poteſt vbique terrarum licitè & validè eligi ſaltem quoad forum conſcientiæ.Et ita ego docui loquẽs de Bulla Cruc.*in 1.par.tract.11.reſol.7.* cum multis Doctoribus, quibus nunc addo Medinam *in 1.2. quæſt.19.art.6.circa finem*,& Boſſium *de Iubilæo ſect.3. caſ.2.§.7.n.215.*vbi *n.225.*reſpondet ad quaſdam declarationes ſacræ Congregationis, & docet quòd vt prædictæ declarationes ad modum legis obligent in vtroque foro, non ſufficit vt ſint ſignatæ ſigillo ipſius Congregationis,ſed inſuper requiritur, vel quòd Papa det Breue,quo iubeat illas ſeruari,vel quòd Auditor Cameræ det monitoriũ in earum executionem, ſeu ſub cenſura mandet ſeruari.Ita ille, quod mihi non placet. Nam ex Decreto SS.D.N.Vrbani VIII.dictæ declarationes ſacræ Congregationis faciunt fidem in iudicio & extra, ſi in authentica forma,ſolito ſigillo,& ſubſcriptione eminentiſſimi Cardinalis Præfecti ac Secretarij eiuſdem Congregationis pro tempore exiſtentium munitæ fuerint,aliter minimè. Verba autem Decreti ſunt hæc. Cùm ad notitiam huius ſacræ Congregationis peruenerit,quàm plures declarationes,decreta, ſeu deciſiones ſub nomine eiuſdem ſacræ Congregationis abſque illius authoritate impreſſas in libris,ſeu alijs operibus circumferri & allegari, multaſq́ue ex declarationibus,decretis,ſeu deciſionibus iuxta contingentiam caſuum,illorumq́ue qualitates,& circumſtantias,à ſe diuerſis temporibus factas, ſecundùm ea, quæ proponebantur,fuiſſe alteratas,immutatas, diminutas, ac forſan aliàs mentito S. Congregationis nomine confectas,nulloq́ue propterea authentico ſigillo munitas,illaſq́ue per Tribunalia tam in Vrbe, quàm per orbem circumferri & allegari,conſiderans eadem ſacra Congregatio Rituum,quantum detrimenti recipi poſſit ſi aliqua fides illis adhibeatur, ex ſpeciali SS. D. N. Vrbani VIII. iuſſu mandat, & præcipit huiuſmodi declarationibus, decretis,ſeu deciſionibus,tam impreſſis,quàm imprimendis,ac etiam manuſcriptis nullam fidem in iudicio,vel extra eſſe adhibendam, ſed tantùm illis, quæ in authentica forma, ſolito ſigillo & ſubſcriptione Eminen. Cardinalis Præfecti ac Secretarij eiuſdem Congregationis pro tempore exiſtentium munitæ fuerint. In quorum fidem hæc propria manu ſubſcripſimus,& ſigilli proprij S.Rituum Congregationis impreſſione communiri ac typis mandari iuſſimus.Dat. Romæ die 11.Auguſti 1632. C.Epiſc.Port. Card.Pius. locus † ſigilli. Iul. Riſpigloſſ.Secr.

RESOL.LIV. *An ſi quis v.g. hic Panormi poſt publicatum Iubilæum viſitauit Eccleſias, compulſus poſtea ex aliquo negotio è Panormo diſcedere, poſſit in alio loco reliqua opera præſcripta præſtare,& Iubilæum lucrari?*

CAſus eſt practicabilis, & affirmatiuè reſpondeo,quia fauor Iubilei eſt perſonalis,ac proinde poſtquam quis viſitauit Eccleſias deſignatas;nihil refert vbi ieiunet,faciat eleemoſynam,& confiteatur & communicet, & ita vbique poteſt eligere Confeſſarium eo modo quo ſuprà dictum eſt. Et ita docet Layman *lib.5.tr.7.cap 8. num.11.* vbi ſic ait.Si ciuis in patria ſua promulgato Iubilæo deſignatas ibidem Eccleſias viſitet, ſed eadem hebdomada cauſa piæ peregrinationis aliò migraturus ſit, vtrum ieiunium, confeſſionem, communionemq́ue in alia Diœceſi peragere poſſit ad lucrandum Iubilæum?Reſp. licet ſecurius ſit in patria,vel ſaltem in loco vbi Iubilæum promulgatum fuit, opera omnia perficere, valde tamen credibile eſt illum etiam in d.caſu indulgentiam Iubilæi conſecuturum eſſe. Quia ſi proceſſioni interſit, vel in Eccleſia deſignata orat, nihil intereſſe videtur vbi ieiunet,imò etiam vbi de peccatis ſuis confiteatur, & cõmunicet, cùm hoc tempore cuiuis ab Ordinario cuiuſque loci expoſito Sacerdoti confiteri licitum ſit, ſicuti ex verbis Bullæ colligitur.Ita ille.

RESOL. LV. *An quis poſſit lucrari Iubilæum præſtando opera, quæ ex alio capite facere tenetur?*

REſpondeo ad lucrandum Iubilæum ſufficere præſtare opera, quæ aliàs quis tenetur facere ex obligatione præcepti diuini,aut Eccleſiaſtici,aut Confeſſarij, vel voti. Ita Pollachus *de Iubilæo part.1. num.152.& par.2.n.147.*Sanctarellus *de Iubilæo cap.4. dub.10.& c.7.dub.1.*Fernandez *in medulla par.3.cap.7. §..0.num.2.*Comitolus *in reſponſ.moral.lib.1.qu.38.*& Layman *in Theol.moral.lib.5.tr.7.cap.8.num.13.*& alij. quod patet ex praxi. Vnde in Quadrageſima publicatur Iubilæum.Item tempore quatuor temporum,aut vigiliæ;& ratio eſt,quia nõ repugnat quominus vno actu pluribus obligationibus quis ſatisfaciat, dummodo natura talium obligationum id patiatur,vt eſt in caſu noſtro. & ideo in Iubilæo ſufficit dare eleemoſynam extremè indigenti, & preces fundere, quas aliàs ex voto tenetur dicere, & ideo Layman *vbi ſuprà* ait,quòd ſi Monachij Iubilęum promulgetur in Dominica Oculi,illius participes fieri poſſunt,qui pręmiſſis operibus in Bulla præſcriptis in Dominica paſſionis confitentur, & communicant,ſicuti conſtat ex ſupradictis,conſequenter tales communicantes liberi tum erunt à præcepto Eccleſiaſtico de Communione Paſchali, quandoquidem tempus Paſchale in hac ciuitate quatuor ſeptimanas continet. Ita ille.

RESOL. LVI. *Quot Eccleſiæ in Iubilæo ſint viſitandæ.*

FIlliucius *tom.1.tr.8.cap.10.n.274.* & Leo *de Iubilæo p.2.num.131.*aſſerunt ſufficere duas tantùm viſitare. Sed in caſibus contingentibus obſeruanda ſunt verba Bullæ Iubilæi, illaq́ue ſeruanda. nam aliquando Pontifex præſcribit tres Eccleſias,iniungens fidelibus, vt omnes tres viſitent, & ſic fecit SS.D.N.Vrb.VIII.in Iubilæo anno 1631. & hoc etiam anno 1636.

Notandum eſt tamen hîc vnum valdè notabile cum Angelo Boſſio *de Iubilæo ſect.4.caſ.16.n.6.* quòd ſi Epiſcopus deputaret plures Eccleſias, quàm ſint à Papa præſcriptæ in Vrbe, tunc cenſeo ſufficere, ſi tot viſitentur, quot fuerint in Vrbe aſſignatæ à

Papa,

Papa. nam Episcopus non potest onerare priuilegium à Papa concessum, & præsumendum est solùm ob maiorem populi commoditatem, & non ad necessitatem imponendam plures Ecclesias deputasse. Si verò Ordinarius pauciores Ecclesias, aut etiam vnam tantùm deputaret, vt fit in oppidis paucis, in quibus vna reperitur Ecclesia, tunc sufficit illam visitare.

RESOL. LVI. *An virtute Iubilæi possit Confessarius commutare iuramentum soluendi vsuras, aut metu iniusto extorta?*

NEgatiuam sententiam docet Ludouicus de la Cruz, Sanchez, & Suarez, quos citaui *in* 4. *part. tract.* 4. *resolut.* 19. quibus nunc addo Layman *lib* 4. *tract.* 3. *cap.* 11. *num.* 8. vbi docet quòd facultas dispensandi in votis, aut illa commutandi, non attenditur ad relaxationem & commutationem iuramentorum, per quæ nullum ius parti, cui iuramenta præstantur, acquiritur, qualia sunt iuramenta adiecta contractui, in quo est turpitudo, vel iniustitia in creditore, vt est iuramentum factum homini soluendi vsuras, aut metu extorta.

Sed licet hæc opinio sit probabilis, non minus probabilem contrariam existimo, quam præter Trullenck, Ledesmam, & Rodriquez, quos in dicta resolutione citaui, tenet etiam nouissimè Bossius *de Iubilæo sect.* 2 *cas.* 6. *num.* 4. vbi sic ait. His tamen non obstantibus non caret magna probabilitate affirmatiua sententia, quòd si facultas delegata circa vota extendatur ad talia iuramenta, cum iniuria, vel iniustitia extorta, quia cùm per talia iuramenta nullum ius, nullaque obligatio acquiratur homini, cui præstantur, neque etiam secundariò; sed tota obligatio oritur, seu acquiritur Deo, qui in testem inuocatur, ac proinde solus Deus sit creditor, teneaturque iurans seruare iuramentum solùm propter Dei honorem, & intuitu Religionis, iuramenta videntur verè induere rationem voti, votisque æquiparari, & licet iuramenta non sint facta Deo, sed homini, quoad obligationem tamen censentur tanquam iuramenta facta Deo, cùm obligent intuitu solius honoris Dei. ergo cui conceditur facultas relaxandi, vel commutandi vota, quibus promissio soli Deo acquiritur, censentur etiam concedi hæc omnia iuramenta, per quæ soli Deo obligatio acquiritur.

Notandum est tamen hîc obiter posse Confessarium virtute Iubilæi commutare vota in fauorem tertij facta, nondum tamen acceptata, vt, v.g. si quis voueret se daturum Calicem certæ Ecclesiæ, vel eleemosynam certæ personæ, aut constructurum Ecclesiam in honorem talis Sancti, &c. In his casibus potest Confessarius dicta vota in alia commutare, sine consensu illius, in cuius fauorem sunt facta. Ita Pontius *de matr. lib.* 8. *c.* 8. §. 1. *n.* 8. Filliucius *tom.* 2. *tr.* 26. *c.* 9. *n.* 257. Barbos. *de potestate Episcopi p.* 2. *alleg.* 36. *n.* 2. Moneta *de commutatione vltimæ volunt. c.* 6. *n.* 64. & alij.

RESOL. LVII. *An Confessarius virtute Iubilæi habens facultatem dispensandi & commutandi vota, extendatur hæc facultas ad iuramenta promissoria Deo facta, vel ad vota iurata?*

NEgatiuam sententiam docet Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 6. *punct.* 4. Azorius *tom.* 1. *lib.* 11. *c.* 10. *quæst.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 12. *num.* 60. Sanchez *in summa tom.* 1. *lib.* 4. *cas.* 53. *num.* 20. & alij. Probatur hæc opinio, quia cùm conceditur priuilegium gratis, non est laxè interpretandum, sed strictè. Si ergo conceditur facultas ad dispensandum in voto, non est extendenda ad vinculum iuramenti, iuxta regulam textus *in cap. porrò, de priuileg.* Secundò, quia ista sunt vincula diuersæ rationis, cùm autem conceditur maius, concessum intelligitur minus, si sint eiusdem rationis, vnde in dispensationibus matrimonij quoties impedimenta sunt diuersæ rationis, non censetur sublatum vnum impedimentum minus ex ablatione maioris. & *in cap. cui de non Sacerdotali. de præbend. in* 6. dicitur potestatem ex priuilegio datam ad prouidendum de maiori præbenda non esse extendendam ad minorem præbendam. Tertiò, quia quando conceditur priuilegium ad dispensandum in votis, solet in nonnullis concedi etiam ad dispensandum in iuramentis. Signum ergo est, necessarium esse tale priuilegium expressum. Hæc opinio est satis probabilis.

Sed ego contrariæ tanquam probabiliori adhæreo, quam tuetur Basilius Pontius *de matrim. lib.* 8. *cap.* 11. *num.* 5. Suarez *de Religione tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 14. *à num.* 19. Dico igitur delegatam potestatem in votis dispensandi, illaque commutandi, extendi tum ad iuramenta pia absolutè facta, tum ad vota iuramento ex proposito confirmata, tum etiam ad vota iurata, tametsi iuramentum & votum eiusdem materiæ concomitanter se habeat; & ratio est, quia si solùm esset votum, dispensabile esset, etiamsi solum esset iuramentum. ex eo autem quòd sint concomitantia illa duo vincula, vnum non mutat suam naturam ex consortio alterius; vt si quis teneatur irregularitate ex homicidio casuali, & ex voluntario, hæc coniunctio non tollit, quominus possit in casuali Episcopus dispensare iuxta formam Tridentini. & hanc sententiam probabilem vocat Filliucius *tom.* 2. *tract.* 26. *cap.* 9. *num.* 256. & Sanchez *vbi suprà, & cap.* 54. *num.* 21.

An verò si facultas delegata dispensandi, aut commutandi, esset limitata ad vnicum votum, tunc posset auferri iuramentum de eadem materia illi concomitanter adiunctum? Respondet Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.* 14. *num. vlt.* non posse tolli nisi adiunctum accessoriè: at verò Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 2. *cap.* 53. *num.* 21. tenet posse vtrumque tolli, & suadet ratio adducta *num.* 21. quia scilicet sublato voto, seu remissa promissione, tollitur etiam indirectè iuramenti vinculum.

RESOL. LVIII. *An in Iubilæo poßit Confeßarius commutare vota peregrinationis in Hieruſalem,ad limina Apoſtolorum, & ad D. Iacobum Compoſtellanum, ſi non exprimantur?*

VIdetur prima facie negatiuè reſpondendum ex Suarez *de Relig.tom.2.lib.6.de voto cap.25.n.4.* Sanchez *in ſumma tom.1.lib.4.cap.40.num.16.* Filliucio *tom.2.tract.26.c.9.n.274.* Layman *lib.4.tract.4 cap.8.num.7.* & Lauorio *de Iubilæo p.2.cap.27.n.6.* vbi docent in generali conceſſione diſpenſandi in votis non contineri ſupradicta vota,quia quæ ſpeciatim ſunt reſeruata, ea ſpecialem & expreſſam conceſſionem poſtulant,vt habetur *in c.ſi Epiſcopus, de pœn. & remiß. in 6. & in Extrauag. & ſi dominici 1. & 2.* ibi, *ex ſpeciali licentia, & certa ſcientia noſtra, de pœnit.& remiſſ.*

Verùm probabiliter alij aſſerunt, dicta vota comprehendi in illa generali conceſſione, niſi expreſsè excipiantur. Ita Sotus *de Iuſt.lib.7.q.4.art.3.* Sanchez *de matrim.lib.8. diſp.9.n.2.* & ex neotericis Ioan.Malderus *in 2.2.tract.10.cap.5. dub.10.* vbi ſic ait. Nota tertiò diſcrimen inter votum caſtitatis perpetuæ, vel Religionis, & reliqua Pontifici reſeruata, quòd illa duo priora relaxandi poteſtas non cenſeatur conceſſa generali conceſſione, niſi exprimatur; hæc autem relaxandi poteſtas ſatis in generali cenſeatur expreſſa.Ita ille.Et ratio eſt,quia horum votorũ reſeruatio non eſt ita antiqua, ſicut reſeruatio votorum caſtitatis & Religionis,neque eſt tanti momenti. ergo non eſt accipienda tam ſtrictè, & cum tanto rigore, & ideo dicendum comprehendi in generali conceſſione commutandi omnia vota.

Quid ego ſentiam,dicam breuiter. Prima opinio eſt probabilior, ſecunda verò non caret ſua probabilitate; & certa eſſet, primò etiam quoad vota caſtitatis & Religionis, ſi Papa concederet abſolutè generalem facultatem commutandi vota reſeruata, vel in votis reſeruatis diſpenſandi, quia ſatis exprimuntur explicata reſeruatione. Ita Suarez *vbi ſuprà, num.5.* & Sanchez *num.17.* Secundò certa etiam eſſet ſi Papa in facultate diſpenſandi in omnibus votis exciperet votum caſtitatis & Religionis, vt ſtylus eſt faciendi in omnibus Iubilæis. nam in tali caſu vota illa tria peregrinationis intelligerentur conceſſa, quia exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis. Ita Doctores citati.

RESOL. LIX. *An Confeßarius vi Iubilæi, in quo datur facultas commutandi vota, exceptis votis caſtitatis, & Religionis,poßit commutare iuramenta pia Religionis, & perpetuæ caſtitatis?*

NEgatiuam ſententiam docet in terminis Sanchez *de matr.lib.8.diſp.13.n.7. & in ſumm.tom.1. lib.4.cap.54.n.21.*Layman *lib.4.tr.3.cap.11.n.4.*& alij, quos ego ipſe citaui & ſequutus ſum *in 4.p.tract.4. reſol.70.*ex ratione ibi adducta.

Verùm contrariam ſententiam non carere ſua probabilitate,ibi etiam probauimus, quam apertè docere videtur in terminis Iubilæi Alphonſus de Leon *part.2.quæſt.13.ſect.1.num.83.* vbi ſic ait. Quæritur primò,an poſſit Confeſſarius commutare iuramenta caſtitatis & Religionis; & Sanchez *part.1. ſumm.c.54.num.24.* videtur negare ex eo quòd dicta iuramenta reſpiciant aliquam promiſſionem Deo factam, induunt rationem votorum, & ſic pari paſſu cum illis ambulant,tamen concedit ipſe Sanchez contra aliquos, quòd dicta iuramenta non ſint reſeruata Summo Pontifici, ſed tantùm Epiſcopis, vnde videtur omnino affirmandum, quòd dicta iuramenta poſſit Confeſſarius commutare vi Iubilæi, omnia vota quæ poteſt Epiſcopus commutare auctoritate ordinaria. Vnde Sanchez,ſi hoc negaret, deberet probare etiam quòd poſſint commutare dicta vota vt delegati Summi Pontificis, quod neque probat, neque probare poteſt.

RESOL. LX. *An Confeßarius vi Iubilæi poßit diſpenſare, vel commutare votum perpetuæ caſtitatis vel Religionis,quando non eſt tota materia voti?*

VT, e.g. quis vouet Religionem, aut eleemoſynam mille aureorum, quæritur an poſſit Confeſſarius hoc votum alternatiuum, cuius pars aliqua non eſt reſeruata,commutare? & difficultas maxima eſt, quando ſic vouens poſtea apud ſe ſtatuit non velle erogare eleemoſynam, ſed ingredi Religionem, & in hoc caſu tunc eſſe votum Papæ reſeruatum, nec poſſe relaxari, aut commutari ab Epiſcopo, vel à Confeſſario vigore Iubilæi, tradunt Doctores, quos ego citaui *in 1.part.tract.11. reſolut.65.* quibus nunc addo Layman *lib.4.tract.4. cap.8.num.12.*

Non deſinam tamen hîc adnotare Angelum Boſſium,virum quidem doctum, *in ſuo tractatu de triplici Iubilæo* contrariam ſententiam, tanquam probabilem docere,ſic enim ait *ſect.2.caſ.11.num.7.* Non videtur carere probabilitate,quòd etiam poſt dictum propoſitum, ſeu efficacem, electionem dummodo noua promiſſio materiæ reſeruatæ non fuerit facta Deo ſimul, vel poſt electionem, poſſit adhuc vouens mutato eo propoſito prioris electionis abſque peccato & violatione voti eligere alteram partem non reſeruatam, & conſequenter ſemper, ante,& poſt electionem materiæ reſeruatæ abſque noua promiſſione eiuſdem materiæ reſeruatæ poſſe Confeſſarium electum vi Iubilæi, & Epiſcopum tale votum alternatiuum commutare,& huius rei ratio eſt, tum quia etiam homini facta declaratio eiuſmodi propoſiti electiui, ſeu ſtatutæ electionis,modò non fiat per modum promiſſi,& facti ex natura rei, & ex iure naturæ,non videtur eam obligationem parere,vt re adhuc integra debitor à tali electione non poſſit deſiſtere, quidquid ſit de iure poſitiuo; tum quia etiamſi nudum propoſitum,ſeu decretum electionis Deus videat, non tamen proponendo cenſemur Deo loqui; aut ei indicare noſtrum propoſitum, ſed promittendo. quare ſi propoſitum illud licet efficax,& cum animo ſe obligandi elicitum ſit abſque promiſſione noua ſuperaddita voto priori, poterit adhuc abſque peccato & violatione voti arbitrio vouentis mutare, & vouens eligere alteram

partem

partem non reſeruatam. Nec enim etiam reſpectu Dei ſolum propoſitum efficax præſtandi aliquid in eius obſequium, tametſi cum intentione animoque ſe obligandi, ſi ſit nudum & abſque promiſſione, ita obligat, vt non poſſit is, qui proponit, citra culpam mortalem emittere propoſiti executionem. Neque etiam verum eſt nudum illud propoſitum, quo is, qui firmiter ſtatuit exequi partem reſeruatam voti alternatiui, eſſe nouam voti reſeruati emiſſionem, licet tali propoſito poſſit noua promiſſio addi. In dubio autem an propoſito efficaci fuerit addita noua promiſſio, ſeu voti materiæ reſeruatæ emiſſio, cenſeo præſumendum fuiſſe nudum propoſitum. Hæc omnia Boſſius *loco citato*, ſatis quidem probabiliter, & ante illum hanc ſententiam docuerat etiam Malderus, quem ego ipſe citaui *in dicta reſol. 65. vbi ſuprà*.

Notandum eſt tamen hîc obiter contra Azorium, gloſſam, & Archidiaconum, id, quod alibi puto à me etiam notatum fuiſſe, poſtquam votum Religionis, aut caſtitatis perpetuæ fuit à Summo Pontifice commutatum in materiam non reſeruatam, v.g. in eleemoſynas, in confeſſiones menſtruas, &c. poſſe Confeſſarium vi Iubilæi, & Epiſcopum hanc materiam commutationis non reſeruatam commutare in aliam materiam. Ita Lauorius *de Iubilæo p. 2. cap. 27. numer. 202.* Tambur. *de iure Abb. tom. 2. diſput. 18 q. 8. numer. 11.* Aragon. *in 2. 2. quæſt. 88. articul. 12.* Malderus *in 2. 2. tractat. 10. cap. 5. dub. 11.* Sayrus *in Claui Regia lib. 6. cap. 12. n. 24.* Leſſius *lib. 2. cap. 40. dub. 13. num. 105.* Sanchez *de matrim. lib. 8. diſput. 9. num. 20.* & Pontius *de matrim. lib. 8. cap. 8. §. 2. numer. 24.* vbi ſic ait. Sextò colligitur Epiſcopum etiam diſpenſare poſſe in materia in quam à Pontifice commutata ſunt prædicta vota reſeruata, & idem dicendum eſt de quouis alio habente priuilegium ad diſpenſandum in votis, quia poſt commutationem prioris voti materia non eſt reſeruata Pontifici. Ita ille, & ego. Nec valet dicere, Primò quòd ſubrogatum ſapit naturam eius cuius loco ſubrogatur, *l. 1. C. de rei vxoriæ actione.* Cùm ergo ſit votum caſtitatis, aut Religionis, cuius loco ſubrogatur materia illa, in quam facta eſt commutatio, reſeruata erit ſicut votum caſtitatis, aut Religionis. Secundò, quia onus illud, in quod facta eſt commutatio, videtur impoſitum ex præſcripto Pontificis, in præcepto autem Superioris non poteſt inferior diſpenſare, *l. minor. magiſtratus, ff. de arbitris.* Nam reſpondeo ad primum, illud axioma eſſe verum in fauorabilibus, non autem in odioſis, qualis eſt reſeruatio. Ad ſecundum reſpondeo non eſſe ibi peculiare præceptum Pontificis, ſed ex cauſa conceſſa eſt in gratiam vouentis facultas diſpenſandi, aut commutandi viro alicui docto, ea tamen lege, aut conditione, vt vouenti imponat pia aliqua opera, non tamen præcepit Pontifex illa pia opera ita manere ſub obligatione, vt non poſſit Epiſcopus ex cauſa in illis diſpenſare.

RESOL. LXI. *An Confeſſarius vi Iubilæi poſſit commutare votum perpetuæ caſtitatis, vel Religionis metu leui extortum?*

NEgatiuam ſententiam docet ex Sylueſtro Iulius Lauorius *de Iubil. part. 2. cap. 27. numer. 187.* & Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 6. de voto cap. 26. num. 4. & 5.* quia inuoluntarium, quod in tali voto inuenitur, eſt tantùm ſecundùm quid, quod non ſufficit ad tollendam reſeruationem, vt eſt clarum in votis emiſſis in periculo mortis & naufragij, in quibus inuoluntarium ſecundùm quid non tollit reſeruationem.

Verùm his non obſtantibus contrariam ſententiam tenendam eſſe puto cum Leſſio *lib. 2. cap. 40. num. 31.* Henriquez *lib. 11. cap. 15. num 8. in gloſſa lit. A.* Layman *lib. 4. tract. 4. cap. 8 num. 11.* & Leo *de Iubilæo part. 2. q. 17. ſect. 1. num 97.* vbi ſic ait. Quæritur an poſſint diſpenſare Epiſcopi, & per conſequens etiam Confeſſarius virtute Iubilæi quando Religionis votum & caſtitatis fuerit metu leui emiſſum, loquimur enim hîc de metu incuſſo ab extrinſeco, non autem de incuſſo ab intrinſeco, puta emiſſo ratione infirmitatis, naufragij, &c. quia hic metus non tribuit, ſecundùm communem Doctorum ſententiam, facultatem Epiſcopis, vt in noſtro tractatu, cùm de obligatione voti diximus, & reſpondetur affirmatiuè. Ita ille. & ratio eſt, quia talia vota facilis diſpenſationis eſſe debent, tum ob imperfectionem conſenſus, quippe aliquo modo extorti, tum etiam ob odium iniuſtè extorquentis, præſumendum non eſt Papam ſibi reſeruare velle. Adde, vt obſeruat Layman *loco citato* ex Nauarro & Rodriquez, votum etiam ſolemne ex leui metu iniuſtè incuſſo editum in foro conſcientiæ eſſe irritum.

Sed circa caſus occurrentes in Iubilæo quoad commutationem votorum remitto me ad ea, quæ dixi *in part. 1. tract. 11. à reſolutione 39. vſque ad reſolutionem 85.* loquens de Bulla Cruciatæ.

TRACTATVS DECIMVSTERTIVS,

MISCELLANEVS I.

RESOL. I. *An ſumptio Tabachi in folio, puluere, & fumo impediat Communionem?*

CAsvs eſt curioſus, & quotidianus, & de illo loquens Franciſcus de Nigro *in addit. ad Ruiz part. 1. præſ. 4. num. 32. quæſt. 18.* ſic ait. An vſus tabachi ante Miſſam ſit licitus? vtuntur omnes communiter, & dicunt non eſſe illicitum, & præcipuè Hiſpani. Ego tamen laudarem contrariam, quia ſæpiſſimè deſcendit in gutture, & videtur potiùs irreuerentia, & video timoratos ſcrupolizare. Ita ille. Sed abſolutè vſum tabachi ante cõmunionem nouiſſimè damnat doctus & eruditus Antonius de Leone *in qq. moral. de Cocholate. p. 2. §. 4. n. 10. & ſeq.* & quia codex rarus eſt, ponam hîc per extenſum eius verba. [De los tres modos en que el tabaco ſe vſa, que ſon en hoja, en humo, y en poluo, aſſiẽto que todos tres quebrantã el ayuno natural, por lo qual ninguno ſe puede vſar antes de la ſagrada Comuniõ. En quanto al primero, que es traer la hoja en la boca para desflemar, no ay duda, pues vna vez, o otra ſiempre paſſa algun ſumo al eſtomago, y lo miſmo ſe dize del poluo. En quanto al ſegundo, que es al humo, parece que tiene alguna duda. Sed ipſe putat violare ieiunium, quia fumus aliquo modo nutrit, & ideo affert aliqua exempla multorum, qui ex ſolo fumo multo tempore vixerunt, & poſtea ſubdit. Ni cõtra eſto ſe ſigue, que todas las vezes que vno entraſſe dõde vuieſſe humo, ſiendo como es, forçoſo tragar alguno, quebrantaria el ayuno natural, porque entonces falta la voluntad, la opilaciõ y la acion, que ſon circunſtantias que en el tabaco concurren. Por lo qual declaro, que el ayuno natural quebranta con la menor parte de comida, o beuida, y que no es neceſſario que eſto ſea de coſa verdaderamente potable, o comeſtible, ſino que baſta que el que en ello es agente lo aplique por beuida, o comida, y lo embie al eſtomago, pues es euidẽte que la tierra, el barro, el carbon, la carcoma, la cera, y otra coſas deſte modo ni ſuſtentan moralmente, ni ſon comeſtibles, ni potables, y ay mugeres que las comẽ por vicio, y no ay duda de que todas con eſtas eſpecies quebrantan el ayuno natural. Y es à mi juyzio tan delicado eſte preceto, y verdadera eſta dotrina, que ſi por guſto ſe comiera alguno vn perdigon de plomo, o vna moneda, me pareceria que auia quebrantado eſte ayuno, y que no podia aquel dia recebir la ſagrada Comunion. Y colijo de lo dicho, que aunque el humo de ſuyo no es comeſtible, ni potable ſegun el vſo comun de los hombres, ſegun el particular de algunos es potable, y los que vſan el tabaco en humo, lo beuen, y eſta fraze es propia de los que deſta yerba eſcriuen. Y quantos exercẽ eſte vicio del humo, le paſſan al eſtomago por guſto, voluntad, y aplicacion del miſmo modo que ſi comieran, o beuieran vn gran regalo; y lo tienen por tanto ſuſtento, que en haziendo coſtumbre en ello, ſe les enflaqueze el eſtomago ſi tardan en beuerla; pues con eſtas calidades y circumſtancias quien dirà que no quebranta el ayuno natural?] Huc vſque Antonius de Leon, qui etiam pro hac firmanda ſententia duo Concilia Prouincialia adducit, & primum eſt Limenſe III. *Act. 3. c. 20.* vbi ſic habetur. Prohibetur ſub reatu mortis æternæ Preſbyteris celebraturis, ne tabachi fumũ, ſeu tabachi puluerem naribus, etiam prætextu medicinę, ante Miſſę ſacrificium ſumant. Alterum Concilium eſt Mexicanum III. *l. 3. tit. 15 §. 13.* vbi ſic dicitur. Pręcipitur ne vllus Sacerdos ante Miſſæ celebrationem, aut quæuis alia perſona ante cõmunionem, quidquam tabachi per modum fumalis euaporationis aut quouis modo percipiat. Et licet dicta Concilia vt prouincialia non obligent extra prouinciam, tamen afferunt magnam auctoritatem huic ſententiæ, maximè cum fuerint approbata à ſacra Cardinalium Congregatione.

Verùm his non obſtantibus negatiuæ ſententiæ ego adhæreo, & ideo ſuppono cũ Ioan. de Lugo *de ſacr. Euch. diſp. 15. ſect. 2. n. 28. & 33.* duo requiri, vt naturale ieiunium ſoluatur ad impediendam ſumptionem Euchariſtię. Primũ quòd ſumatur aliquis cibus & potus. Secundum quòd talis cibus & potus ſumatur per actionem, quę ſit comeſtio & potatio. Prima conditio probatur ex VII. Concilio Toletano *can. 2.* vbi ſic dicitur. Nullus poſt cibũ potumque quamlibet minimum ſumptum, Miſſas facere præſumat. Secunda conditio patet ex Filliuc. *tom. 1. tr. 4. c. 8. n. 286.* Mercero *de Sacr. q. 80. art. 8.* Laymã *l. 5. tr. 4. c. 6. n. 18.* Reginaldo *tom. 2. l. 29. c. 6. n. 119.* Marchantio *in Candel. de ſacram. Euch. tract. 4. c. 2. q. 2. caſ. 4. in fine.* Bonacina *de Sacram. diſput. 4. q. punct. 2. n. 16.* Fauſto *de ſacram. Euchar. lib. 1. q. 379.* Syluio *n 3. p. q. 80. art. 8.* Tannero *tom. 4. diſput. 5. q. 8. dub. 4. num. 78.* Fagundez *pr. 3. lib. 3 c. 5. num. 14.* Coninck *de Sacram. q. 80. art. 8. n. 47.* Pitigiano *in 4. ſent. tom. 1. diſt. 8. q. 3. art. 2.* Suarez *in 3. p. tom. 3. diſp. 68 ſect. 4. §. quares rurſus*, aſſerentibus ſumere aliquid per modum cibi, vel potus eſſe accipere aliquid ore, quod propria actione vitali per os traiiciatur in ſtomachum.

Hoc ſuppoſito reſpondeo ad quæſtionem propoſitam negatiuè. nam tabachus in folio & puluere ſumitur per nares. ergo non frangit naturale ieiunium, quia non ſumitur per actionem comeſtiuã, quæ ſolo ore efficitur. & ideo Suarez & Fagundez *vbi ſup.* docent, quòd ſi quis per nares aliquantulum aquæ ſumat, non frangit ieiunium naturale, quia illa aqua non poteſt dici ſumpta per modum potus, quæ tamen certum eſt, quòd frangeret ieiuniũ naturale, ſi per os ſumeretur. Vnde Cæleſtinus

in

in Compend. Theolog. moral. tract. 8. *cap.* 3. *dub.* 5. ſic habet. Non frangit ieiunium Eccleſiaſticum, atque ideo poteſt ſine ſcrupulo communionem ſumere, quando quis aliquantulum aquæ per nares attrahit, vel ſimilia, quæ in ſtomachum tranſmittuntur. Ita ille, cui etiam adde Bartholomæum à S. Fauſto *de ſacram. Euchariſt. lib.* 1. *q.* 382. ſic aſſerentem: Si aliquis aliquantulum aquæ per nares attrahat, quæ in ſtomachum tranſmittatur, non frangit ieiunium naturæ, nec manet impeditus ad ſumendam Euchariſtiam, quia non fuit per modum cibi, aut per modum potus tranſmiſſa in ſtomachum. Ita Fauſtus, & ne auctore careat noſtra ſententia, ſcias ex ſupradicta ratione docere illam noſtrum doctum & amiciſſimum P. Alphonſum de Leone *de Offic. Capell. quæſt.* 8. *ſect.* 17. *caſ.* 2. *num.* 134. vbi ita ait. Non frangere ieiunium docti plerique dixerunt de his, qui ante Miſſæ celebrationem tabachum, vt vocant, in folio, vel in puluere recipiunt. nam primo caſu de folio tantùm poteſt contingere traiectio humoris alicuius ex capite manantis in ſtomachum. & ſecundo caſu de puluere fit attractio per nares, & licet aliqua eius pars traijciatur in ſtomachum, non impedit, vt dixi de aqua attracta per nares. Hæc Leo contra alium Leonem.

Sed quid dicendum quando tabachus ſumitur in fumo? Antonius de Leone *vbi ſuprà*, vt viſum eſt, docet frangere ieiunium naturale; verùm ego reſpondeo negatiuè. Primò, quia licet fumus tabachi nutriret, & per os ſumeretur, non deſcendit in ſtomachum, ſed ſtatim per nares exit. ergo non frangit ieiunium; etenim, vt docet Filliucius, & Doctores à me ſuperiùs citati, vt cibus frangat ieiunium naturale, neceſſe eſt vt traijciatur in ſtomachum, & ideo Io. Præpoſitus *in* 3. *p. q.* 80. *art.* 8. *num.* 39. tunc aſſerit ſumptionem tabachi impedire communionem, quando tranſmittitur per os in ſtomachum. Secundò reſpondeo quòd etiam ſi aliquid ex fumo tabachi in ſtomachum deſcenderet, adhuc non frangeret ieiunium naturale, quia recipitur in ſtomachum per modum reſpirationis, non autem per actionem, quæ ſit comeſtio, vel potatio. ergo non frangit ieiunium. Et ideo Suarez *in* 3. *p. tom.* 3. *diſp.* 68. *ſect.* 4. §. *quære rurſus.* Fagundez *præc.* 3. *lib.* 3. *c.* 5. *n.* 14. Pitigianus *in* 4. *tom.* 2. *diſt.* 6. *q.* 3. *art.* 2. Villalobos *in ſumma tom.* 1. *tract.* 7. *diffic.* 39. *num.* 5. Alexius Troiſſet *de ſacram. Euch p.* 2. *ſect.* 27. Bonacina *de Sacrament. diſp.* 4. *q.* 6. *punct.* 2. *n.* 6. Lugo *de ſacram. Euch. diſput.* 15. *ſect.* 2. *n.* 33. aſſerunt, ſi quid per modum reſpirationis attrahatur, quod poſſit nutrire, hoc non impedire ſumptionem ſacramenti, quia illud non eſt comedere, nec bibere, nec eſt ſumere per modum cibi, vel potus, quando aliquid huiuſmodi ore accipitur, quod per ſe & propria actione vitali in ſtomachum traijcitur comedendo, vel bibendo. Ita Suarez *vbi ſuprà*, & alij. Hinc in terminis caſus noſtri de fumo ſic aſſeruit Iacobus Granado ex Societ. Iesv doctiſſ. Theologus *in* 3. *p. de Sacr. contr.* 6. *tr.* 10. *diſp.* 8. *num.* 4. Si quis reſpirando attraxerit vaporem aliquem etiam in quantitate, quæ ſufficiat ad aliqualem nutritionem, poſſet adhuc ad Euchariſtiã accedere, quia id non ſumitur per modum cibi. Ita Granadus. Adde quòd ſi contraria opinio eſſet vera, ſequeretur, quòd ſi quis ex induſtria aperto ore fumoſum halitum carnis in magna quantitate, tempore, v. g. Quadrageſimæ, reſpirando attraheret, non ſolùm ieiunium naturale, ſed etiam Eccleſiaſticum ſolueret, quod eſt abſurdum, & ideo, vt reor, nullus Confeſſarius, ſi quis ſe accuſaret per totum manè alicuius vigiliæ ex induſtria in culina permanſiſſet hauriendo fumum Perdicum, Caponum, &c. nullus, inquam, Confeſſarius talem de peccato mortali damnaret, & ob id à communione illa die arceret. Ad exempla verò quæ Antonius de Leone adducit, quòd multi ex ſumptione fumi multos dies vixerunt, reſpondet Dandinus *de anima lib.* 2. *com.* 53. *digreſſ.* 25. non eſſe facilè credenda. Et ideo noſtram ſententiam docet etiam Alphonſus de Leone *loco citato*, aſſerens tabachum in fumo ſumptum non impedire communionem.

Verùm modò diſcutiendum eſt, an ſi folia tabachi, vt apponuntur ab aliquibus in nare, apponantur in ore, impediant communionem? Et reſpondeo cum Alphonſo de Leone & Ioanne Præpoſito *in* 3. *part. q.* 80. *art.* 8. *dub.* 1. *num.* 39. quòd tunc impeditur communio per ſumptionem tabachi quando per os ſumitur, & in ſtomachũ tranſmittitur, quia ſumitur per modum cibi. Igitur ſi nihil de illo in ſtomachum traijciatur, non impeditur communio. Sicuti Coninck *de Sacram. q.* 8. *artic.* 8. *num.* 148. Petrus Matthæus *in rubr. Miſſ. cap.* 9. *num* 3. Mercerus *de Sacram. quæſt.* 80. *art.* 8. *notab.* 1. Bonacina *de Sacrament. diſp.* 4. *quæſt.* 6. *punct.* 2. *n.* 9. & alij dixerunt licere aromata ori imponere ante communionem ad vitandum noxium aërem, eaque etiam dentibus conterere, modò de illis nihil deglutiatur. Imò Tannerus *tom.* 4. *diſp.* 5. *quæſt.* 8. *dub.* 4. *n.* 79. & Fauſtus *de Sacrament. Euchariſt. lib.* 1. *quæſt.* 381. docent quòd ſi quis aliquid aromaticum ore circumfert, ſed nihil ex intentione deglutit, niſi minimum quid per modum ſucci inſeparabiliter ſaliuæ immixtum, non frangit ieiunium naturale, atque adeò poſſe Euchariſtiam ſumere; ſecundùm Lorichium *in theſauro ver. Miſſa num.* 21. §. 3. non impedit communionem ſi quis granum aliquod paruum in os ſumeret ad maſticandum, pro confortatione capitis, ſine intentione comedendi, ſi caſu in ſtomachum deſcenderet. Antonius tamen de Leone ſupponit ſemper aliquid de tabacho in ſtomachum tranſmitti impediens communionem. Reſtat modò reſpondere ad alia argumenta, quæ pro ſua ſentẽtia adducit dictus Antonius Le Leone. Dico igitur non eſſe admittendum illud principium, res non comeſtibiles, neque nutritiuas ſi ab agente ſumantur cum applicatione & intentione ſumendi illa per modum cibi, frangere ieiunium Euchariſticum; non eſt, inquam, hoc admittendum. nam ſi res, quæ ſumuntur à parte rei, non ſunt cibi, non poſſunt frangere ieiunium, intentio enim & applicatio agentis non poteſt facere de non cibo cibum, & Concilia, & Canones, vt ſuprà viſum eſt, ſolos cibos prohibent. ergo de illis cibis loquuntur, qui in ſtomacho alterari, & concoqui poſſunt. Et licet Granadus *de Sacr. contr.* 6. *tract.* 10. *diſputat.* 8. *numer.* 6. & alij, quos ego retuli *in* 3. *part. tract.*

tract.4.reſol.38. faueant contrariæ ſententiæ; tamen alij, quos ego ibi ſum ſequutus, probabiliter aſſerunt rem non comeſtibilem neque nutritiuam, etiamſi ſumatur ab agente per modum cibi, non frangere ieiunium. Et hanc ſententiam præter Doctores ibi adductos cum Cæleſtino, Alphonſo de Leone & Vega *in Eſpejo de Curas tom.1. cap.* 10.§.17. *num.*161. tenent nouiſſimè, me citato, duo docti recentiores, Ioannes Sancius in editione Lugdunenſi *diſput.42.num.*23. & Ioannes de Lugo *de Sacrament. Euchar diſput.*15.*ſect.*2.*num.*29. & probatur, quia, ait Lugo, ſi cibus ſit in quantitate notabili, nullum videtur eſſe diſcrimen inter ieiunium naturale, & Eccleſiaſticum, niſi excuſet materiæ paruitas; ſed certum eſt quòd ſi aliquæ materiæ adductæ ab Antonio de Leone ſumerentur in magna quantitate, non frangerent ieiunium Eccleſiaſticum. ergo neque naturale, & ideo cum dicto de Lugo contra dictum de Leone, dicendum eſt quòd ſi quis deglutiret in magna quantitate nummos aureos, non violaret neque ieiunium Eccleſiaſticum, neque naturale, & ideo dicendum eſt contra Leonē de plumbo, & ego addo de oſſiculis aliquorum fructuum, de fragmentis metallorum, de vitro, de lapillulis, ligno duriori & ſimilibus. & ratio horū eſt, quia nomine cibi non intelliguntur niſi ea, quę, per ſe loquendo, alterari poſſunt à ſtomacho. Nec valet dicere in fauorem Leonis, & contra Lugo, quòd aurum nutrire videtur, nam in medicamentis interdum adhibetur. nam reſpondeo cum Dandino *de anima lib.*1. *com.*53. *digreſſ.*25. quòd præterquam medicamentum quatenus medicamentum eſt, nutrire non debet, ſed qualitate quapiam alterare, aut efficere viuentis ſubſtantiam aurum illud exiguæ quantitatis, in puluereſque contuſum, potione aliqua temperatum ſit oportet, vt à calore ſuperari queat, alioqui ſi integrum deuoraretur, vt eſt in caſu, de quo loquitur Lugo, cū excrementis eijcitur. Vnde ex ſupradictis infero non bene Nugnum *in* 3.*part. quæſt.*80. *art.* 8. dixiſſe improbabile eſſe quod aliqui aſſerunt, tranſglutientē papyrum communicare poſſe, & adducit pro ſua ſententia D. Thomam *vbi ſuprà ad* 4. eo quòd dicat non referre quicquam ad ſoluendum ieiunium naturale, quòd illud, quod aſſumitur, nutriat, vel non, dummodo aſſumatur per modum cibi. At his verbis S. Doctor ſuam non munit ſententiam, cùm ſolùm aſſerat nihil referre ad ſoluendum ieiunium naturæ, quando illud quod aſſumitur, eſſet in tam modica quantitate, vt non nutriat, quod ego etiam aſſero. Sed non dixit D. Thomas nihil referre ad frangendum naturale ieiunium illud quod aſſumitur, eſſe vel non eſſe nutritiuum, quod tamen aſſerere neceſſarium eſſet, vt ſententia Nugni faueret. & hæc omnia contra illum docet Sancius *in ſelectis, diſput.*42.*num.*23. Sed dato, & non conceſſo, quòd res non nutritiuæ frangerent ieiunium naturale, dicendum eſt non frangere illud, niſi ſumantur per actionem comeſtiuam, vt ſuprà ſatis probatum eſt, quod non accidit in ſumptione tabachi de qua loquimur, cùm ſumatur per nares, vel per modum reſpirationis, vel in ſtomachum non traijciatur. ergo, &c.

Ad auctoritatem verò Conciliorum prouincialium Limenſis, & Mexicani, quæ pro ſua ſententia adducit Leo, reſpondeo quòd in illis partibus forſitan tabachus ſumitur in tali modo, vt ferè ſemper ad vomitum prouocet, & ideo rectè ab illis Concilijs eius ſumptio prohibita fuit, & hoc ego colligo apertè ex Synodo Epiſcopatus Canariarum, relato ab ipſo Leone. vbi in conſtitutione *de vita & honeſtate Clericorum, fol.*228. ſic habetur. [Item ordenamos que ningun Clerigo antes de dezir Miſſa, ni dos horas deſpues de auerla dicho tome tabaco ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ] ex quibus verbis apparet ſumptionem tabachi non prohiberi niſi ratione vomitus. nam aliàs non prohiberetur poſt ſumptam Euchariſtiam, etenim poſt illam non ſolùm tabachus, ſed omnis cibus ſumi poteſt. & hæc dicta ſufficiant in defenſionem ſumptionis tabachi, quem tamen ego non ſumo.

RESOL. II. *An ſit laudabile Miſſam defunctorum, & officium ſibi applicari, decantari, & exequias celebrari, quaſi ipſe mortuus ſit?*

DE hoc caſu olim interrogatus fui ab Excellentiſſimo Duce Alcalenſe huius Regni Priorege, & morem hunc in Lotharingia vigere teſtatur Lucas Pinellus *de Miſſa part.*2. *cap.*7. *dub.*3. quem ipſe defendit, atque etiam tuetur ac laudat Bartholomæus à S. Fauſto *de ſacrament. Euchariſt. l.*2.*quæſt.*148. ne fortè poſtea hæredes, vt ſæpè fit, negligentes ſint in huiuſmodi ſuffragijs faciendis. Hinc ex eadem ratione motus Laurentius de Peyrinis *in priuileg. Minim. tom.*3. *cap.*1. *num.*21. docuit licere alicui facere ſibi celebrari officium, & Miſſam defunctorum dum viuit. & de Miſſa docet etiam Nauarrus *tom.*1. *lib.*3. *conſil. de celebrat. Miſſarum conſil.*6. Homobonus *in exam. Eccleſiaſt. part.*1. *tract.*3. *cap.*14. *quæſ.*127. Zerola *in praxi Epiſcoporum part.*2. *ver. Miſſa.* quibus adde Barboſam *in collectan. Doctorū ad Conc. Trident. ſeſſ.*22. *c.*3. *n.*8. qui tamen limitant hanc ſententiam, modò in Miſſa non dicantur illæ orationes, quæ ſupponunt aliquem eſſe iam mortuum, vt Oratio, *Inclina Domine*, in qua habentur hæc verba, *quam de hoc ſeculo migrare iußiſti*; & hoc ne mendacium committatur. Sed hanc limitationem non eſſe neceſſariam, putat Fauſtus *loco cit.* quia etiam in Miſſis de *Requie*, quæ dicuntur pro ijs, qui iam ſunt in Purgatorio, dicitur in officio Miſſæ, *ne cadant in obſcurum, ne abſorbeat eas Tartarus.* in qua oratione Eccleſia orat, ne animæ defunctorum ad pœnas ignis detrudantur, cùm tamen illæ iam in eodem igne ſint, & tamen dum ſic orat, nullum mendacium committit, quia ne committatur, ſufficit quòd Eccleſia repræſentet illas animas Chriſto ac ſi tunc eſſent agonizantes, & pro ijs orat, vt à Purgatorij pœnis liberentur. Sic etiam in caſu, de quo loquimur, vt veritas ſalua perſiſtat, ſufficit ſi Sacerdos oret pro viuis, & repræſentet eos Chriſto Domino, ac ſi iam eſſent mortui: modus autem anticipatè loquendi vſitatiſſimus eſt in ſacris Scripturis.

Verùm ego contrariæ ſententiæ adhærendum

eſſe

esse puto, quam tuetur Layman *lib.5. tract.5. cap.2. numer.15.* vbi sic ait. Talem consuetudinem nullo modo introducendam arbitror, sed potiùs tollendam si introducta est, tum quia ritibus, & ordinationi Ecclesiæ Romanæ conformis non est, tum quia non video quam vtilitatem talis sacrificandi modus habere possit. Nam ex sacrificio duplex potissimùm fructus prouenire solet, vnus est ex opere operato & infallibilis, quatenus oblatio fit in Christi persona, & hic fructus statim prouenit ei, pro quo offertur, si capax est, nec potest in futurum suspendi. consequenter eiusmodi sacrificia non liberabunt hominem à Purgatorio, si contingat eum post mortem reum esse, sed solùm conferent ad remissionem pœnæ temporalis consequendam, dum viuus est, cuiusmodi fructum etiam quis per alia sacrificia similiter consequi potest. Alter est fructus, qui per modum impetrationis prouenit, quatenus cum sacrificio iuncta sunt Ecclesiæ suffragia, siue preces, & hæ quidem secundùm propriam tum institutionem, tum significationem referuntur ad solos mortuos, vt non nisi impropriè, & imperitè, ne dicã superstitiosè, viuis applicari possint. Accedit quòd Sacerdos in his suffragijs propria sua intentione, non possit mutare intentionem Ecclesiæ. Intentio autem Ecclesiæ est, vt Missa, quæ dicitur de Requie, & officium funebre dicatur pro mortuis; nam ad eum finem collectæ & preces factæ sunt. ergo inutiliter, & infructuosè, ne dicam superstitiosè, dicuntur pro viuis quippe præter, aut contra Ecclesiæ intentionem. & hæ sunt rationes, quas pro sua firmanda sententia adducit *vbi suprà* Layman, quam ego libenter sequor, & docet etiam Fraxinellus *de Sacerd. obligat. sect.4 præm.4.§.4.* licet malè pro hac sententia Nauarrum adducat.

Restat modo respondere ad argumentum Fausti & Peyrini. Dico igitur ad vitandam negligentiã hæredum posse viuos sibi applicare Missas de Sanctis, Missas pro remissione peccatorum, &c. quæ quidem Missæ fuerunt ab Ecclesia pro viuis institutæ, & non Missas de Requie, quæ ex institutione, & significatione ad solos mortuos referuntur, hoc enim est de directo contrariare ritibus Ecclesiæ Romanæ, & confundere eius ordinationes; diuersa enim officia & Missas ipsa instituit & assignauit pro viuis, & pro defunctis.

Nec exemplum adductum à Fausto de illis verbis, quæ in Missa de Requie dicuntur, *Ne cadat in obscurum, ne absorbeat eam Tartarus*, &c. valeat in fauorem sententiæ, quam reprobamus. nam in illis verbis Sacerdos se accõmodat sensui instituto, & intentioni Ecclesiæ, quæ sic illam Missam pro tam mortuis ordinauit, & instituit. At in nostro casu Sacerdos ageret contra institutionem, & mutaret intentionem Ecclesiæ. nam eius intentio est, vt Missa de Requie dicatur pro mortuis, & ad hunc finem preces & collectas composuit pro viuis autem alia sacrificia ordinauit. ergo, &c. Vnde contra Nauarr. & alios, *vbi suprà*, etiam si in Missa de Requie non diceretur oratio, *Inclina Domine*, vt mendacium euitaretur, adhuc ex rationibus adductis dicendum est pro viuis Missam de Requie celebrare permittendum non esse.

Nota tamen quòd post hæc scripta intueni Frãciscum de Nigro *in addit ad Ruiz, part.2.reg.3.quæst.5.* hanc quæstionem pertractare, & pro sententia quam ego suprà docui cum Layman, adducere etiam Puteum *de sacrament. Missæ, lib.2. disput.4 quæst.1. num.2.* & P. Trimarchi. & ideo ita omnino tenendum esse puto.

RESOL. III. *An qui in Paschate non communicauit teneatur statim initio sequentis anni Eucharistiam sumere?*

VTinam casus frequenter non accideret, & affirmatiuam sententiam tenent communiter DD. quos citaui *in 3.part. tract.4.resolut.130.* quibus nunc addo Ochagauiam *de Sacrament. tract. 2. de Eucharist. quæst.15. num.4.* Hurtadum *de Sacrament. disput.10. de Eucharist. difficult.3. & disput.7. de pœnitent. difficult.12.* Verùm ibi cum aliquibus negatiuam sententiam probabilem esse putaui. Sed scio contra me quemdam Theologastrum mussitasse, immeritò tamen. nam præter Doctores ibi citatos non solùm hanc sententiam probabilem esse, sed probabiliorem putat ex Societate IESV Iacobus Granado *in 3.part. de Sacrament. controuers.6. tract.10. disp.4. num.4. & sequent.* vbi sic ait. Oritur difficultas, an qui intra Paschæ tempus non sumpsit Eucharistiam, teneatur ex vi præcepti Ecclesiastici sumere, cùm primùm postea possit, an non; sed sine nouo peccato differri liceat vsque ad aliud Pascha. Aliqui asserunt huiusmodi hominem teneri ad Eucharistiam accedere cùm primùm possit; nihilominus contraria sententia probabilior est, quia quando aliquod præceptum est pro tempore aliquo determinato, elapso illo tempore cessat obligatio, nisi adsint circumstantiæ aliud suadentes; sed sumptio Eucharistiæ præcepta est pro tempore Paschali, nec sunt circumstantiæ suadentes obligationem post illud tempus perseuerare. ergo elapso Paschate cessat prædicta obligatio. Maior patet in præcepto audiendi Sacrum die festo, aut ieiunandi in peruigilio, aut in Quadragesima, elapso enim eo determinato die, vel tempore, cessat obligatio. Minor quoad priorem partem certa est ex Decreto Innocentij suprà adducto, quoad posteriorem verò probatur, quia nulla circumstantia specialis est quæ suadeat hanc obligationem ex vi Ecclesiastici præcepti durare, vt patebit respondendo ad argumenta. Nunc solùm aduerto gratis asseri ab aduersarijs Ecclesiam præcepisse duo, scilicet & suscipi Eucharistiam in Paschate, & non vlterius differri; nam eodem modo dici posset, cùm Ecclesia præcipit auditionem Sacri singulis diebus Dominicis, præcipere auditionem in eo die, & non vlteriùs differri illud opus diuini cultus, quod ab ipsa præscriptum est, vt fideles satisfaciant diuino præcepto communionis. Huc vsque Iacobus Granadus *loco citato*, cuius quidem opinio, vt diximus, probabilis est, non tamen probabilior, vt ipse putat, & ita nostram sententiam docet etiam Prepositus *in 3.part. D. Thom. quæst.80. art.11. dub.2.n 63. in fine.* vbi sic ait. Aduerte primùm sententiam dicentem eum, qui non communicauit in die Pa-

ſchatis, non teneri elapſo tempore communicare, non eſſe omninò improbabilem, ſi abſit ſcandalum, & ſtatuta particularia propter multitudinem Doctorum in id conſpirantium. Sic ille.

Non deſinam tamen hîc adnotare Ioannem de Lugo *de ſacramento Euchariſt. diſput. 16. ſect. 4. num. 66.* circa præſentem quæſtionem viam mediam tenere, docet enim non extingui obligationem communicandi elapſo termino Paſchatis, ſed negat quòd ipſa vlterior obligatio nouam ſemper culpam afferat. vide illum, & non pigebit.

RÉSOL. IV. *Quidam in die tetigit ſæpius carnaliter verenda ſua, vnde nocte pollutionem poſtea paſſus eſt, quæritur an teneatur fateri dictam pollutionem in ſomnis habitam?*

NEgatiuè reſpondet Sanchez *in ſelectis, diſput. 21. num. 17.* vbi ita aſſerit. Imò etſi tactus ſint continuati cum commotione ſpirituum magna, non intercedit obligatio confitendi pollutionem ſequutam in ſomnis. Nam ſi ſtatim non ſequitur pollutio, ſignum eſt talem commotionem influxum efficacem non habere in pollutionem, & multo minus in eam, quæ in ſomnis euenit, cùm ipſa longiùs à commotione diſtet. Huic conſenſit doctrinæ vir doctiſſimus Societatis IESV, quòd idem doceat Caietanus 2. 2. *q.* 154. *art.* 5. vbi ait, quòd deſiderium habendi pollutionem, ſiue affectus, ſi accipiatur abſolutè vt deſiderium tantùm, tunc eſt cauſa remota pollutionis; ſi verò accipiatur vt commotiuum corporis ad pollutionem, ſic habet rationem cauſæ imperfectæ, & diſpoſitiuæ, & per accidens. Itaque, infert Caietanus, quòd non eſt magis in ſe peccatum huiuſmodi pollutio nocturna orta ex deſiderio pollutionis, vt commotiuo corporis, quàm pollutio ex cogitationibus moroſis ſine voluntate pollutionis. Quando verò pollutio peccatum ſit, dicendum infrà. Vt autem in hac re quid verum ſit vnico verbo comprehendam; aduertendum nullam dari cauſam intra genus luxuriæ, quæ efficax ſit ad pollutionem ſequutam in ſomnis. Nam ſi dum præſens eſt cauſa, influxum efficacem non habet, multò minùs illum habebit, dum abſens reperitur. Quapropter opus non erit fateri pollutionem præmiſſam in omni cauſa, quæ ſit peccatum mortale intra genus luxuriæ, niſi quãdo cauſa fuiſſet appoſita ea intentione, quòd videlicet ſequeretur in ſomnis pollutio. Hæc omnia Sanchez *loco cit.* qui putat, vt ex *num.* 13. patet, ſatis eſſe confiteri cauſam pollutionis, & non eſſe neceſſarium ipſam pollutionem in ſomnis habitam explicare. Sed contrarium docet alter Sanchez *de matrimonio, tom. 3. lib. 9. diſp. 45. num. 30.* afferens non eſſe ſatis cauſam pollutionis datam fateri, ſed etiam fatendam eſſe ipſam pollutionem.

RESOL. V. *An ſi quis peccauit cum femina, ſufficiat de hoc ſe accuſare, non addendo ſe illam inuitaſſe?*

CAſus eſt frequentiſſimus, & negatiuam ſententiam docet Lorca *in* 2. 2. *D. Thom. quæſt. 43. art. 8. ſect. 3. diſp. 56. n. 6.* vbi ſic ait. Scandalum actiuum quando nõ eſt ſpeciale peccatum, eſt circumſtantia, & adeò aggrauans, vt nimis augeat peccatum, & ſit in confeſſione explicanda; qui enim eſſet cauſa peccati alterius, non ſatisfaceret integritati confeſſionis, ſi ſolùm diceret. Peccaui cũ quadam femina, aut fui particeps homicidij, quod quidam commiſit, ſed exprimere tenetur, fui cauſa peccati alterius, & induxi illum ad peccandum. Neque quiſquam conceſſit hanc circumſtantiam taceri poſſe, neque tutò, & ſine temeritate concederetur. Siue ergo ſcandalum actiuum indirectè volitum ſit circumſtantia mutans ſpeciem, ſiue nõ, eſt in confeſſione explicandum. Ita ille. Vnde ex his ſequitur numerum feminarum, quibuſcum adulterium, v.g. fuit commiſſum, eſſe explicandum, eo quòd peccatum ſcandali ſit diſtinctum perſonas ad fornicationem inuitare.

Sed aduersùs illum inſurgit vterque Sanchez, Thomas & Ioannes, hic *in ſelect. diſp. 1. num. 24.* ille *in ſumma to. 1. lib. 1. cap. 6. num. 14.* vbi docet, quòd licet crimen ſcandali ſit feminam inducere, opus tamẽ non eſt illud in confeſſione explicare, quia dum fatetur vir fornicationẽ commiſiſſe, communiter intelligitur, vt ego etiam alibi notaui, feminam ſollicitaſſe; ſicut è contra dicendum eſt fatendam eſſe circumſtantiam ſcandali, ſi femina virum paratum ſollicitaſſet, quia in fornicatione feminę ea circumſtantia non exprimitur, feminæ enim communiter non ſollicitant, ſed viri, vnde hi non tenentur circumſtantiam ſcandali aperire, illæ autem ſic. Ad illationem verò contrariæ ſententię reſpondeo non eſſe grauius crimen decies eandem feminam inducere, quàm ſigillatim decem feminas, cùm in vtroque caſu inductio ſolùm denaria ſit. Certum eſt tamen inductionem ſpeciem mutare, & neceſſariò eſſe confitendam, quando inductio facta eſt extraordinarijs precibus, & æquiualentibus violentiæ morali, vt docet Salas *in p. 2. tom. 2. tr. 13. diſput. 5 ſect. 15 num. 133.*

Non deſinam tamen hîc adnotare celebrem doctrinam, quam ex Vaſquez docet Ludouicus Mæratius *in D. Thom. tom. 3. tr. de ſacramen. Pœnitentiæ diſp. 27. ſect. 4. num. 8.* vbi ſic ait. Eum qui vel verbo, vel facto cauſa eſt alteri peccandi, vel cauſam eſſe peccandi ſecum, vel non ſecum; ſi ſecundum, debere confiteri hanc cauſalitatis circumſtantiam, quia eſt peccatum ab eo, quod committit ipſe numero diſtinctum; ſin autem primum, diſtinguendum rurſus eſt: vel enim peccatum, ad quod ſecum committendum alterum inuitat, tale eſt ſua natura, vt non niſi à duobus committi poſſit, cuiuſmodi fornicatio eſt; vel tale non eſt: ſi ſecundum, illa inuitatio declaranda eſt, quia peccatum numero diuerſum eſt ab eo, quod committit ille, qui alium ad peccandum inuitat; ſi primum, ſententia probabilis eſt, & in praxi tuta, quam ſequitur Vaſquez *hîc ad art. 1. qu. 91. dub. 4.* non eſſe neceſſarium illam inuitationem declarare, quòd idem numero peccatum ſit cum eo, ad quod inuitat: quamquã probabile etiam ſit, & fortè probabilius multò illam erga peccatum perſonæ ad peccandum inuitatæ cauſalitatem eſſe diuerſum numero peccatum, ac proinde in confeſſione declarandum. Ita Mæratius.

RESOL.

RESOL. VI. *An Regulares, quando adire non poſſunt Summum Pontificem, vel ſacram Congregationem, debeant pignorare vaſa, lampades & candelabra argentea cum licentia Epiſcopi?*

INter Regulares poteſt frequenter hic caſus accidere. Et ſuppono ex Caſtro Palao *tom.2.tract.12. diſput.vn.pun.15.§.1.numer.2.* Hieronymo Rodriq.*in Compen.qq.Regular.reſol.7.num.23.* Barboſa *de poteſtate Epiſcopi par.3.allegat.95.num.38.* Bonacina *de alienat. diſp.2.quæſt.vn.pun.3.num.30.* Leſſio *l.2.cap.24.dub.11. num.62.* & alijs,non ſolùm res immobiles Eccleſiæ non poſſe alienari, vel pignorari abſque licentia Pontificis;ſed neque etiam mobiles,ſi ſint pretioſę, & ſeruando ſeruari poſſint, vt ſunt vaſa aurea, argentea,gemmæ,caſulæ pretioſæ,tapetes,item quęcumque triennio non corrumpuntur, & ſimul fructificant, vt ouium grex, &c. Nam prohibita alienatione à iure, etiam prohibita eſt pignoratio, ex *l.fin.C.de reb.alien.non.alien.* Sed quid faciendum in caſu, quando Pontifex adiri non poteſt? docet Peregrinus in nouo compendio noſtrorum priuilegiorum *ver. Alienatio dub.9.* vbi ſic aſſerit. Nona dubitatio eſt, quid ſi immineat ſumma neceſſitas alienandi, quæ Superiorem adiri non patiatur; vt pro redemptione captiuorum, alimonia pauperũ, vel noſtrorum; vtrùm poſſint Superiores noſtri abſque licentia alienare mobilia pretioſa, vel immobilia? Reſpondeo quòd alienare poſſunt mobilia pretioſa in ſupradictis, & ſimilibus caſibus, ſed cum conſenſu Epiſcopi loci, ſi haberi commodè poteſt. Hæc ille.

Sed hæc opinio Peregrini ſummoperè mihi diſplicet. nam ſubijcit Regulares Epiſcopis in caſu, in quo minimè ſubiecti ſunt. Etenim in tali caſu omnes Doctores aſſerunt alienationem eſſe licitam ſine conſenſu Pontificis, nec vllam faciunt mentionem de licentia obtinenda ab Epiſcopo, ſed poſſe Regulares pignorari ſupradicta bona abſque alia ſolemnitate, abſolutè docent. Et ita pro hac ſententia multos adducit Quaranta *in ſumma Bullarum ver. Alienatio rerum Eccleſiæ num.42. limitat.7.* quibus ego addo Filliucium *tom.3. tr.44. cap.5.num.11.* & in terminis,vt dici ſolet, terminantibus Peyrinum *in ſuo Formulario lit.A.cap.11.num.3.* vbi ſic ait. Vlteriùs quæro,an Regulares indigentes victu, nec reperientes,qui creditò illis tribuat, nec poſſint expectare conſenſum Romani Pontificis, poſſint abſque dicto conſenſu & abſque incurſu cenſurarum res pretioſas in pignus tradere, ſeu pecunias ad cambium ſumere, ſi aliter non reperiant. Et dato quòd tradito pignore non reperiant, an poſſint dictas res pretioſas vendere, imò & immobilia? Reſpondeo affirmatiuè, tum quia lex non ligat, quando de facto ſeruari non poteſt.*l.1.§.dies.ff.quando appelland.ſit cap.erit autem diſt.4.* Tum, quia lex ſeruanda non eſt, quando iniquè fieret,ſi ſeruaretur, vt probat D.Thom. *2.2.qu.120.art.1.* Tum,quia in qualibet prohibitione cenſetur excepta cauſa occurrens, quæ ſuaderet oppoſitum, *cap. de cætero, & cap.quamuis de ſent. excom.cap.excellentißimus 11.qu.3.* Tum,quia quæ ob fauorem ſunt introducta, non debent in odium retorqueri. *l.nulla iuris ratio ff.de leg.reg.quod ob gratiam,de reg.iur.in 6.* Tum,quia impoſſibilium nulla eſt obligatio. *l.impoßibilium,ff.de reg. iur.* Et ita anno Domini 1627. Panormi ex conſilio noſtri Patris Trimarchi ſeruatum fuit in Conuentu noſtro S. Oliuæ. Fratres enim in pignus tradiderunt lampades argenteas. Ita Peyrinus *vbi ſuprà.* vnde non eſt audiendus Peregrinus.

Sed circa præſentem quæſtionem refellendus eſt etiam Megalius *in Prompt.ver. Alienatio n.15.* vbi ſic ait. Exiſtimo in noſtra Religione, in qua ex eleemoſynis ſpontè oblatis viuimus, & quas non ſemper pro opportunitate habemus, non peccare noſtros pignori dando res pretioſas cum conſenſu Præpoſiti, & Vocalium, vt occurrant vrgentibus neceſſitatibus;nam cùm in noſtra Religione ſolus conſenſus Præpoſiti & Vocalium ac Reuerendiſſimi Patris Generalis pro qualibet alienatione ſufficiat,vt dictum eſt *ſupr.* & apud nos ſępiùs occurrat,res pretioſas pignori tradere, Præpoſito Generali, & vniuerſa Religione hoc ſciente, & non contradicente, videtur ab eodem Patre Generali, & vniuerſa Religione vniuerſaliter conceſſum, vt poſſint noſtri hoc facere cum conſenſu Præpoſiti & Vocalium. Hęc omnia Megalius. Quæ quidem mihi approbanda minimè videntur;nam ſi noſtri Superiores locales poſſunt prędidere neceſſitatem oppignorandi, ſi tempus adeſt,non video qua ratione non teneantur ſumere licentiam à Patre Generali, cùm ius clamet, alienationes, & per cõſequens pignorationes non eſſe faciendas à Regularibus inconſulto ſummo Pontifice; pro quo ex priuilegio ſuccedit in noſtra Religione Pater Generalis. Neque adeſſe licentiam illam generalem pignorandi in noſtra Religione exiſtimo,quia veriſimiliter non poteſt præſumi Generalis voluiſſe hanc poteſtatem à ſe ipſis abdicare, & Præpoſitis ac Capitulis Domorũ præbere. Imò ego puto neque poſſe: nam, vt patet, Bullæ Pontificiæ,& Decreta ſacræ Congregationis penitus hanc auctoritatem ex iuſtis rationibus à Capitulis & Superioribus inferioribus domorum tollere voluerunt, & de facto abſtulerunt. Ergo quo pacto Generales poſſint hanc poteſtatem contra mentem Pontificum eis tribuere? Nec ipſi iuſtum motiuum ad faciendum hoc habuiſſent. Nam ſi neceſſitas adeſſet, & Superiores locales pro licentia ab ipſis obtinenda tempus non haberent, iam tunc,vt dictum eſt,pignoratio Generali inconſulto eſſet licita;ſi autem tempus concederet, vt pro licentia ad Generalem ſcribatur, ſicuti Bullæ Pontificiæ decernunt, quænam ratio vult, vt Generali inconſulto contra mentem Pontificum talis alienatio efficiatur? Adde quòd dicta licentia Generalis,quam ſupponit adeſſe Megala, non ſufficeret, debent enim Generales hanc licentiam Capitulis & Præpoſitis Domorum præbere ſingulis vicibus cauſa cognita, id eſt, ex informationibus ad ipſos pro hoc effectu à Præpoſitis domorum miſſis, cognoſcere an pro alienatione adſit iuſta cauſa, nempe euidens vtilitas, & vt eſſet in caſu, de quo loquimur, neceſſitas, cui aliter ſuccurri minimè poſſit. Et ita docet Marcellus Vulpius *in praxi c.6.num.27.*

&

& ſequent. Confertius *in priuileg. Mendican. tit. 9. cap. 2.* & alij, ac etiam patet ex praxi omnium Religionum. Vnde in noſtra paſſim video, quando talis caſus occurrit, noſtros Superiores locales, ſi tempus adeſt informare Patrem Generalem de neceſſitate, & licentiam pignorādi obtinere, & ſi aliquādo id non faciunt, procedit ex neceſſitate vrgenti, quia tempus non præbet, vt ad Generalem pro licentia, & conſenſu recurratur; in quo caſu, vt dictum eſt, poſſunt Regulares ſupradicta bona pignorare. Ergo dicendum eſt contra Megalam noſtros Superiores locales non poſſe pignorare vaſa argentea inconſulto Generali, cùm pro licentia ad illum recurrere poſſunt.

Sed ex his oritur magna difficultas, de qua ego olim fui Romæ interrogatus ab admodum R.P.D. Philippo Maria Guadagni, nunc ſecunda vice Generali noſtro meritiſſimo, huiuſque literaturæ conſultiſſimo. Nam videtur Superiores locales nunc etiam conſulto Generali non poſſe alienare, atque ideo oppignorare bona mobilia, quæ ſeruando ſeruari poſſunt inconſulta ſacra Congregatione, vt patet ex ſequenti Decreto. Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum cenſuit, Religionem Clericorum Regularium Theatinorum, quamdiu inſtitutum propoſitum retineat quoad bona immobilia non comprehendi in prohibitione nuper edita de rebus Regularium non alienandis. *Coſmas Cardinalis de Torres. Proſper Fagnanus S. Congreg. Secretar.* Ex qua declaratione, vt patet, conceditur nobis licentia inconſulta ſacra Congregatione alienandi bona immobilia, non autem mobilia. ergo, &c. Et ita hanc ſententiam tenet Peregrinus *in Compen. priuil. ver. alienatio. in principio ſui ſcholij.* Pro qua firmanda rationem non adducit, & hæc eſſet; quia cùm ſit prohibitum alienare bona immobilia, & mobilia, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, dum ſacra Congregatio concedit alienari poſſe immobilia, ſequitur alienari non poſſe mobilia; nam incluſio vnius, eſt excluſio alterius, ex *l. cùm Prætor. ff. de iudic. l. cùm maritus, C. de procurat. l. quamuis, C. de pignor.* & tradit Menoch. *conſ. 106. numer. 314. & ſequen. & conſ. 1148. num. 13. & ſequen.* Surdus *deciſ. 145. num. 12. & conſ. 25. num. 3.* cum alijs penes ipſos.

Sed his nō obſtātibus poſſet aliquis dicere quòd in dicta declaratione ſacræ Congregationis etiam data ſit licentia alienandi bona mobilia, quia vt optimè obſeruat Caſtrus Palaus *tom. 2. tr. 12. diſp. vn. pun. 15. num. 13.* tota ratio prohibitionis alienandi res mobiles, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, eſt, quia inter bona immobilia computantur. Ergo cōceſſa licentia alienandi bona immobilia, conſequenter conceditur licentia alienandi bona mobilia; nam, vt dictum eſt, bona mobilia quæ ſeruando ſeruari poſſunt, bona immobilia reputantur. Et ita hanc ſententiam, non adducens tamen hanc rationem, docet in terminis Ioannes Antonius Nouarius *in ſumma Bullarum de alienatione rerum Regularium prohibita num. 29.* vbi poſtquam ſupradictam declarationem ſacræ Congregationis attuliſſet, ex illa ſic infert. Vnde alienatio bonorum in Religione Theatinorum ſiue omninò, ſiue per conſtitutionē cenſus redimibilis, ſiue per conceſſionem in emphyteuſim fieri poteſt à Præpoſitis cum conſenſu duarum partium Vocalium illius domus, cuius bona ſunt alienanda, ſiue ſint mobilia etiam pretioſa, ſiue ſint immobilia cuiuſcumq; qualitatis & valoris, & in quocumque loco exiſtentia, obtenta tantùm facultate Præpoſiti Generalis, non autem Summi Pontificis, aut ſacræ Congregationis. Ita Nouarius. In quibus verbis, vt vides, non obſtante quòd in dicta declaratione ſolū efficiatur mentio de bonis immobilibus; hic author tamen ait idem dicendum eſſe de mobilibus, quæ, vt dictum eſt, ſi ſeruando ſeruari poſſunt, inter immobilia numerantur; & ideo in licentia illa alienandi includuntur etiam iſta.

Reſtat modò reſpondere ad argumentum pro contraria ſententia adductum. Dico igitur veram eſſe regulam, quòd incluſio vnius, eſt excluſio alterius; ſed limitatur quando eadem ratio militat in excluſo, quæ in incluſo, vt tradit Thomas de Thomaſettis *in floribus legum reg.* 148. Menochius *conſil. 197. n. 83. ver. Non obſtat primò,* & neoterici Barboſa, Simeon, & Auguſtinus, ille *in locis communibus lit. L. num. 17.* hic *in axiomatibus iuris, axiom. 120. n. 12.* Sed in noſtro caſu, vt clarè patet, eadem ratio militat in bonis immobilibus, ac in bonis mobilibus; ergo incluſionem bonorum immobilium in Decreto ſacræ Congregationis factam dicendum eſt non excludere bona mobilia. Sed omnia ſupradicta diſputationis cauſa dicta eſſe volo, nam reſolutionem huius difficultatis ad oraculum Purpuratorum Patrum remitto.

RESOL. VII. *An quis licitè poſſit dicere Miſſam vſque ad primam horam poſt meridiem?*

DIcam quid ſentiat Philippus de la Cruz *en ſu Norte de Confeſſores. tr. 10. §. 3. corol. 2. fol. mihi 161.* vbi ſic ait. [Haſta medio dia, que ſon las doze ſe puede dezir Miſſa ſin opinion. Lo que haze dificuldad es ſaber ſi ſe puede dezir Miſſa deſpues de ellas, y no conprehendemos los Obiſpos, Patriarcas, Arçobiſpos que pueden dezir Miſſa antes de amanecer, y deſpues de medio dia, y dar licencia para dezilla a eſta hora, y antes que amanezca, y de noche por alguna cauſa ò neceſſidad, ſegū lo tiene Paludano, y ſan Antonino. y lo que por epiqueya ſin licencia del Obiſpo interueniendo alguna neceſſidad celebran en los dichos tiempos, como lo reſuelue Nauarro. No hablamos tanpoco de quādo ay alguna fieſta principal, ſi ſe acaba el Oficio à las dos, ſe puede dezir Miſſa, porque no quede el pueblo, ò parte del ſin oyrla. O quando alguna camina que podra llegando cerca de la vna dezir Miſſa, como no ſea deſpues, ſegun lo tiene Manuel Rodriguez. Supueſto lo dicho podraſſe dezir Miſſa dadas las doze, haſta la vna ſin exceder mas. Aſſi lo vemos pueſto en vſo, y que los Pontifices lo ven, y los Obiſpos aquien es de oficio les cōpete ſu diſpenſacion, no hablan ſino que lo permiten, y pueſto que no hemos de andar midiendo los tiempos, y no cōſiſtir en indiuiſibles, y que los relojes no ſiempre andan vniformes, antes ſiempre ſucede vnos andar media hora antes, ò deſpues de

otros,

otros, y aſſi ſerà quedando el vltimo las doze, à la media hora deſpues del primero vendrà à ſer, que reſpecto del vltimo, aunque la Miſſa ſe diga à la vna, ſerà en orden al primero reloje las doze y media. No obſtante eſta razon, ſino por las antecedentes ſe puede dezir generalmente haſta la vna, y ſi de aqui ſe excedieſſe el Sacerdote pecaria mortalmente.] Hæc ille, qui magis amplè loquitur, quàm Ioannes Præpoſitus; quem citaui *in 4. part. tract. 4. reſol. 105.* Sed contrariam ſententiam docent communiter Doctores.

RESOL. VIII. *An vna nox ſit longum tempus, vt poſſit quis confiteri reſeruata cum Sacerdote non habente auctoritatem ab illis abſoluendi?*

SVpponendum eſt cum P. Suarez *tom. 4. diſp. 23. ſect. 2. num. 7.* & Iacobo Granado *in 3. part. de Sacram. contr. 7. tr. 9. diſp. 5. ſect. 3. num. 22.* poſſe quem confiteri dimidiata confeſſione, vel etiam explicato caſu reſeruato cum onere poſtea comparendi, quando longa temporis mora eſt interiicienda, antequam legitimus iudex poſſet adiri, tunc eſſet grauiſſimo damno peccatori longa mora in confeſſione, tum quia priuatur pœnitens longo tempore gratia ſacramentali remiſſiua peccatorum, & auxiliis gratiæ ad vitanda peccata de cetero, quæ ob illud Sacramentum dantur; maximè verò priuaretur gratia Euchariſtica, quæ maioris momenti eſt, quàm omnia incommoda temporalia, tum quia eſt grauiſſimum damnum tamdiu eſſe in peccato mortali. contritio flagitioſis eſt plerumque difficilis, ad quam illi non animantur frequenter, quos à peccatis arcet non tam amor Dei, quàm ſuppliciorum minæ: attritio autem eſt facilior, atque communior, eſtque horrendum in peccato mortali diu verſari. ergo, &c.

Sed difficultas eſt, ſi tempus vnius noctis dicatur longum tempus? Ad hoc dubium reſpondet Hurtad. *in 2. 2. diſp. 84. ſect. 7. §. 190.* vbi ſic ait. Optarem ego vt P. Suarez & alij exponerent, an interiecta vna nox eſſet breue tempus, an longum? & vtrùm eſſet cauſa ſufficiens ad indirectam abſolutionem, peccatorem ire cubitum Deo reconciliatum? qui enim ſe ſentiret difficilem in exercenda contritione, & cognoſceret ſe ſatis eſſe paratum ad confeſſionem, habetque præſtò Sacerdotem, an infelix hic homo iturus eſt ad ſomnum in peccato mortali? & fortè ex illo ſomno rapiatur ad tartara? Author libri de ſpiritualibus documentis, *cap. 53. tom. 4. Operum Auguſtini*, explanans teſtimonium Chriſti apud Lucam 12. *Stulte, hac nocte repetent animam tuam*, rectè hæc ait. Heu quare non timemus, quod Euangelium terribiliter inſonat, dicens: Stulte, hac nocte expoſcent animam tuam. & Auguſtinus ipſe *tom. 10. lib. homil. 48.* Non & vitã fugabat, & de craſtino cogitabat, quod in aliis expectabat, in ſe nõ ſperabat. Vnde concludo voluiſſe Chriſtũ omnes monitos non differendam pœnitentiam à nocte in diem ſequentem, quia fortè illum non aſpiciemus, vt innumeris contingit. Ad rationem Suarez reſponderi poſſet eſſe rationabilẽ cauſam exemplum tot hominum raptorum ad tumulum derepentè, & nullum niſi periuſanũ poſſe in mortali dormire peccato. At nihil audeo decernere, quia quæſtionem hanc vidi nullibi, nec volo alicui in alterutram partem præire. Ita Hurtado de Mendoza. Sed, vt verum fatear, non mihi videtur longum tempus ſpatium vnius noctis, vt quis poſſit modo quo ſuprà confiteri; & ad id, quod aſſerit Hurtadus, dico, quòd ſicut quis in ſpatio vnius noctis, poteſt derepentè occumbere, ita etiam poteſt in ſpatio vnius horæ, imò & momenti; vnde ex hoc capite quis ſemper poſſet confiteri cum quolibet Confeſſario, ſi non haberet copiam alterius habentis poteſtatem abſoluendi à reſeruatis.

RESOL. IX. *An qui habet peccata reſeruata, & nullum aliud ſimplex, ſi non adeſt Confeſſarius habens in illa iuriſdictionem, teneatur confiteri venialia?*

NEgatiuè reſpondet Suarez *in 3. p. tom. 4. diſp. 23. ſect. 2. n. 6.* & ratio eſt, quia nullus tenetur confiteri peccata venialia.

Verùm huic doctrinæ non acquieſcit Hurtadus de Mendoza *in 2. 2. diſp. 84. ſect. 7. §. 182.* Qui enim eſt Euchariſtiam accepturus, tenetur ſe purgare à peccato mortali, qua potuerit ſecuriori ratione, ita vt habeat moralem ſatisfactionem, quam potuerit; ſed de contritione non poſſumus tam moraliter eſſe certi, quàm de confeſſione, quia contritio eſt peccatori difficilior, & cognitu difficillima. ergo non eſt ſatis contritionem procurare, quando adeſt Confeſſarius. Ad argumentum reſpondeo non eſſe obligationem per ſe confitendi venialia, per accidens autem poteſt eſſe propter peccatum mortale, quod tunc dimittendum eſt, eſt tamen obligatio ſe Deo reconciliandi ante Euchariſtiam, quod tunc non fit tam ſecurè, quàm per confeſſionem. Ita ille. Et hanc opinionem in caſu ſimili docet etiam Iacobus Granado *in 3 part. de Sacr. controu. 7. tract. 9. diſp. 5. ſect. 3. num. 23.* vbi ſic ait. An qui ſolùm haberet vnum peccatum mortale, & illud non poſſet declarare Confeſſario ſine aliquo ex notabilibus incommodis ſuprà enumeratis, teneretur illud tacendo confiteri ſola venialia, quando obligat præceptum confeſſionis extra etiam mortis articulum. Negat Suarez. Sed profectò mihi verisimilius videtur ad id teneri. nam præceptum Confeſſionis obligat etiam huiuſmodi pœnitentem, cùm reuera habeat peccatum lethale; & licet illud non confiteatur propter notabile damnum inde prouenturum, certè confitendo venialia, conſequetur etiam mortalis, quod tacet, remiſſionem, quæ eſt finis, & ratio ob quam tale præceptum imponitur. Hæc Iacobus Granado. Vnde puto vtramque ſententiam eſſe probabilem; ſed ego affirmatiuæ tanquam probabiliori adhæreo.

RESOL. X. *An ſi quis habeat peccata reſeruata, & ratione ſcandali teneatur confiteri, ſi non adſit Sacerdos in talia peccata facultatem habens, poſſit quis confiteri alia peccata & reſeruata relinquere?*

NEgatiuè reſpondet Valentia *tom. 4. diſp. 7. q. 11. punct. 1.* cum Caietano & Soto. aſſerunt enim hi tali caſu omnia peccata eſſe neceſſariò confitenda, reſeruata videlicet, & non reſeruata, quia confeſſio debet eſſe integra quoad poſſit, & in tali caſu

peccata

peccata non reſeruata abſoluuntur directè, & reſeruata indirectè. Adde quòd ratio medicinæ id poſtulat.

Sed contrariam ſententiam docet Alexander *in 4.part.q.18.num.4.art.5.§.2.* quam nouiſſimè tenet etiam doctus Hurtadus de Mẽdoza *in 2.2.diſp.84. ſect.7.§.182.* quia talis Confeſſarius non eſt iudex illorum criminum reſeruatorum, neque hæc peccata ſunt materia tunc illius confeſſionis, medicinam autem coniunctam habet cum iudicio. Item illa abſolutio eſt indirecta, ad quam non eſt opus explicare peccatum, vt patet in multis aliis occaſionibus. ergo, &c. Neque argumenta contraria vrgent, debet enim confeſſio eſſe integra materialiter, quando eſt iuriſdictio directa, eorum autem, quæ non cadunt in iuriſdictionem Sacerdotis, non eſt neceſſaria illa integritas, à qua excuſamur ob defectum iuriſdictionis: medicinam autem ſatis aptam adhibet Confeſſarius; quia tunc pœnitens tenetur illi indicare motiuum generale contra omnia peccata mortalia. puto igitur vtramque ſententiam probabilem eſſe. Vnde in caſu contingenti poteſt quis, vt ego etiam alibi notaui, reticere, vel confiteri peccata reſeruata. Et ideo ego olim ſatis probabiliter contra quemdam ignarum Confeſſarium conſului adoleſcentem, qui magnum ruborem habebat confiteri in caſu, de quo loquimur, peccata reſeruata cum quodam Sacerdote, ſatis, inquam, probabiliter conſului potuiſſe illa non confiteri, ſed alia peccata mortalia ei in confeſſione aperire, & abſolutionem obtinere. recognoſce Suarez *in 3.part.tom.4.diſp.31.ſect.3.n 8.*

Ex his etiam deducitur reſolutio illius caſus, de quo his diebus à viro magnæ auctoritatis interrogatus fui, nempe quid facere debeat ille, qui tenetur confiteri tempore Paſchatis, vel facere Sacrum, aut ſumere Euchariſtiam ratione ſcandali, & tamen eſt innodatus excommunicatione propter hæreſim?

Reſpondeo quòd talis hæreticus vel tenetur dimidiare confeſſionem tacendo hæreſim, vel illam exponere Confeſſori approbato, qui directè poſſit abſoluere à peccato ſimplici, & indirectè ab hæreſi, tunc enim poteſt impleri præceptũ quoad ſubſtantiam, eiq́ue eſt imponendũ onus comparendi ante aliam confeſſionem ſacramentalem; quòd ſi culpatè non comparet, committit peccatum nouum: vrgente autem præcepto ſecunda vice, eſt maior cautio exigenda. Quòd ſi pertinax ſit in comparendo, eſt ei neganda abſolutio, vt aliis, de quorum emendatione deſperatur. Hic autem caſus & ſequens eſt moraliter impoſſibilis in Hiſpania, vbi Miniſtri Quæſitoris præſtò ſunt cuiuis mortalium, quibus ſe poſſit iſtere hæreticus. Probatur hæc opinio, quia integritas materialis huius Sacramenti non obligat cum tanto diſpendio, & quemadmodum ad vitandam infamiam, ex reuelatione confeſſionis poteſt quis eam dimidiare, & indirectè abſolui à peccato tacito: ita poteſt in noſtro caſu eam dimidiare, vel abſolui indirectè confeſſa hæreſi, quia abſolutio directa non obligat ad tam graue damnum, & quidem ſe abſtinere à communione, vel Sacro, eſſet cymbalo euulgare cum aliquo crimine capitali teneri, quo arceatur à communione. Si verò abſque graui nota poteſt vitare communionem, aut Sacrum, donec ſe ſiſtat ſuo iudici, id tenetur præſtare. Et hæc omnia docet Hurtadus de Mendoza *vbi ſuprà in 2.2.diſp.84. ſect.7.§.185. & ſequent.*

Non nego tamen noſtram ſententiam circa præſentem quæſtionem negari ab aliquibus; & ideò illam non admittit alter Hurtadus Complutenſis *de pœnit.diſp.11.diffic.14.* ex Concilio Trident. *ſeſſ.14.c.7.* dum ait. Extra articulum mortis Sacerdotes nihil poſſe in caſibus reſeruatis; ſi ergo Sacerdotes inferiores poſt auditionem reſeruatorum poſſint ab illis abſoluere aliquo modo, iam aliquid poſſent in caſibus reſeruatis ſibi confeſſis. Adde quòd ex contraria opinione ſequeretur extra articulum mortis in caſu grauis neceſſitatis eum, qui habet mortalia & venialia, poſſe confiteri ſimplici Sacerdoti non approbato, & ab eo abſolui ab illis. Conſequens autem eſt contra conſuetudinem Eccleſiæ. Sequela probatur, quia ſimplex Sacerdos habet iuriſdictionem completam in venialia. ergo auditis mortalibus, & venialibus, poſſet pœnitentem abſoluere etiam à mortalibus. Putat igitur Gaſpar Hurtadus peccata reſeruata habentem poſſe extra articulum mortis procedere, ac ſi non haberet copiam Confeſſarij, ac proinde in caſu grauis notæ ex eo, quòd non communicet, aut celebret, poſſe abſque præuia confeſſione ſola contritione perfecta iuſtificatum communicare, aut celebrare, quamuis peccatis reſeruatis ſit annexa excommunicatio. Et hanc etiam opinionem docet Vaſquez *in 3.part.tom.4. quæſt.91.art.3.dub.9.* & Turrianus *de pœnitent.diſp.31. dub.9.*

Sed his non obſtantibus, vt dixi, ego ſatis probabiliter puto cum Valentia debere pœnitentem in his caſibus reſeruata confiteri, vel cum Hurtado de Mendoza reticere, & non reſeruata explicare, & ſic cum ſola attritione gratiam in Sacramento ſuſcipere, quam cum contritione perfecta obtinere nemo eſt qui non cognoſcat multum quidem difficile eſſe. Noſtra igitur ſententia nimis animarum conſolatoria eſt.

RESOL. XI. *An liceat Romæ, v.g. famulari, nutrire, &c. Iudæos, ſi non adſit periculum ſubuerſionis, quia tales ſeruientes firmi ſint in fide?*

VIdetur negatiuè reſpondendum ex *cap.ad hæc, de Iudæis*, & aliis iuribus. Sed Sanchez *in Summa tom.1.lib.2.cap.31.num.2.* putat, dictam legem ſolùm obligare fideles expoſitos alicui periculo, & ideo ad illam non teneri, qui firmi ſunt in fide, & periculo immunes, quia in tali caſu ceſſat finis legis.

Verùm hanc ſententiam Hurtadus de Mendoza *in 2.2.diſp.76.ſect.3.num.81.* probat tantùm in ordine ad familiaritatem ſolam: ſecus autem in famulatu, nutricatu, conuiuiis, & aliis id genus, quia in tali caſu putat legem omnes obligare, quia non ceſſat totus finis legis; ſed hoc non ceſſante non ceſſat lex in particulari. ergo. Maior probatur, quia intereſſe conuiuiis, frequentare domos, & alia id genus,

genus, cadunt in honorem Iudæi, & patiunt ſuſpicionem ſuſpectæ fidei. At confabulari in foro, eſſe caſu in balneo, & alia, poſſunt fieri abſque honore & ſuſpicione, maximè cùm homo eſt doctus, & literatus, à quo non poſſunt illiterati ſuſpicionem ſumere, aut malum exemplum. Ita ille. & ante illum Suarez *de fide diſput.* 18. *ſect.* 6. *num.* 6.

Notandum eſt tamen hîc contra Suarez *vbi ſuprà, numer.* 10. hanc legem accipiendam eſſe ſolùm contra Iudæos, non autem contra Sarracenos, & Paganos, quia Iudæi ſunt acerbiores in Chriſtum, tum quia argumentis minus ſtultis poſſunt decipere familiares, & tandem, quia quando leges volunt Sarracenos & alios Paganos amplecti, id exprimunt. Ita ex Sanchez Hurtadus *loco citato.*

Quodnam verò peccatum ſit violare has leges, Aragon. *in* 2.2 *q.* 10. *art.* 9. & Sà *ver. Iudæus*, cenſent peccatum eſſe veniale, ſi deſit periculum ſubuerſionis. Azorius cum alijs penes Sanchez *vbi ſuprà, num.* 26. putat peccatum eſſe mortale; verùm ipſe, & cum ipſo Hurtado *loco citato, §.* 45. diſtinguunt; aſſerunt enim nimiam familiaritatem, & conſuetudinem, item cohabitationem, ſeruitutem, & permiſſionem iuriſdictionis eſſe peccatum mortale, quia eſt lege prohibitum, ob vitandas Chriſtianorum ruinas: ſi autem hæc lex publicè violetur, eſt per ſe occaſio ruinæ, vt alij eam quoque violent, & ruant, eaſque ob cauſas tam graues pœnæ proponuntur, vt videri poſſit *in c. ad hoc, de Iudæis & Sarracenis. & c. nullus* 28. *quæſt.* 1. Clericus præcipitur deponi, laicus verò excommunicari, quod in hoc ſenſu intelligo. At verò lauari interdùm in balneo, nonnunquam excipi, aut excipere conuiuio, & alia id genus rarius effecta, non ſunt mortalia, ſi deſit occaſio ruinæ.

Non deſinam tamen hîc adnotare, Villalobos *in ſumm. tom.* 2. *tractat.* 1. *diffic.* 14. *num.* 7. ſententiam Sanchez reprobare, ſic enim ait. [La duda es, ſi toda eſta communicacion que eſtà prohibida en eſtos caſos, es pecado mortal, y parece que ſi, por las graues penas que ſe ponen en algunos dellos, que es deſcomunion, como dixo Angelos, y otros; aunque algunos dizen, que no lo es ſi no es quando ay continua conuerſacion, o demaſiada familiaridad con ellos, o comiendo los azimos que ellos comen, ſaluo ſi ay peligro de ſubuerſion o eſcandalo. Aſſi lo tiene Sanchez con otros. El fundamento es, porque parece que ceſſa la razon de la prohibicion. Mas yo ſoy de parecer, que en los caſos que ſe prohibe con pena de deſcomunion, obligarà à pecado mortal, como en otras coſas; porque el ceſſar la razon de la ley en particular, no haze que ceſſa la ley.] Ita Villalobos. Sed tu ſententiam Sanchez & Hurtadi tamquam probabiliſſimam, ſi vis, potes amplecti.

RESOL. XII. *Quis eſt damnatus ad mortem, & iam eſt v.g. vt vulgò dicitur, in Capella, penes Dominos Societatis Alborum, inuenitur eſſe hæreticus; quæritur, an ſit petenda facultas ab Inquiſitoribus illum abſoluendi?*

SVppono poſſe hoc fieri ſine Rei manifeſtatione. Et hoc non obſtante negatiuam ſententiam teneo, quam tuetur Hurtadus de Mendoza *in* 2.2. *diſp.* 84. *ſect.* 7. §. 125. vbi ſic ait. Carcerati afficiendi vltimo ſupplicio ſunt in mortis articulo, lata igitur ſententia, & inſtante exequutione, ſunt in mortis articulo, in quo nulla eſt reſeruatio. Nec tenentur mittere Confeſſarium, vt petat à Superiore facultatem, quia rectè monet Sanchez illud futurum oneri Confeſſario ipſi potiùs, quàm pœnitenti, qui quidem adire non poteſt. Addo eum non teneri Superiorem adire, quamuis poſſet. e.g. ſint ſimul in eadem domo Prælatus & ſubiectus, hic autem habeat crimina reſeruata Prælato, non tenetur illum adire magis, quàm ſi eſſet ex morbo moribundus. Ad hoc autem eum non teneri, oſtendam inferiùs. Ratio eſt, quia ex ſententia iuſta, aut iniuſta violentia hîc eſt in mortis articulo, non ſecus, ac qui ex morbo. Hæc autem immunitas à reſeruatis non oritur ex hac, aut illa occaſione periculi, ſed ex ipſo mortis articulo, vt in eo homo ſine vlla difficultate ſit expeditus ad ſe reconciliandum Deo, & cùm iam ſit exceſſurus è viuis, non eget eo reſeruationis fræno, nec cum illo agitur more cæterorum. Ita Hurtadus, & ego.

RESOL. XIII. *An qui narrat conſilia, v.g. Regis noſtri Catholici alicui Turcarum proditori, incidat in cenſuram Bullæ Cœnæ?*

NEgatiuè reſpondet Suarez *in* 3. *p. tom.* 5. *diſp.* 21. *ſect.* 2. *num.* 58. quia id non exprimitur in Bulla. Cùm enim *ibi* Pontifex dixiſſet, Nec non & alios, qui Turcas de rebus concernentibus ſtatum, certiores faciunt; adijcit, Illiſque ad id conſilium, aut auxilium præſtant: ſed pronomen *illis*, non refert certiores facientes, ſed Turcas ipſos, id eſt, illiſque Turcis ad id fauorem dederint.

Verùm his non obſtantibus affirmatiuam ſententiam docet Hurtadus de Mẽdoza *in* 2.2. *diſp.* 76. *ſect.* 3. §. 68. quia pronomẽ, *illis*, refert vtroſque, nempe & Turcas, & omnes, qui arma ferunt, certioreſque faciunt hoſtes; cùm enim ea lege velint Pontifices hoſtibus arma eripere, omnemque rationem impetendi Chriſtianos, eius animus eſt negari omne auxilium, conſilium, & fauorem. Turcis negatur fauor, ne poſſint iuuari, fidelibus ne iuuare; cùm enim vtrumque ſit apprimè vtile ad Pontificis inſtitutum, & verba poſſint in vtrumque quadrare proprijſſimè, cur non fiet, maximè cùm nomen *ad id*, hoc ſonet apertè; refert enim damnum. In damnum, inquit, Catholicæ Religionis certiorem faciunt, illiſque ad id conſilium præſtant. Ac ſi dicat, præſtant auxilium ad id damnum, non ſolùm ad explorationem conſiliorum, ſed ad damnum. Deinde ſi ly *illiſq;*, refert Turcas, adhuc Conſiliarius comprehenditur. Proditio enim conſilij Regij fauor eſt in Turcam, quem ipſe emeret carò. Et hæc omnia docet Hurtadus *vbi ſuprà.* Vnde puto vtramque ſententiam probabilem eſſe.

RESOL. XIV. *An deferre hæreticis arma, & inſtrumenta bellica, ſit prohibitum?*

PEtrus Lorca *in* 2.2. *diſp.* 52. *num.* 7. affirmatiuam ſententiam docet, putat enim appellatione hoſtium nominis Chriſtiani, includi etiam hæreticos

quia omnes illi sunt absolutè infideles, & inimici Christiani nominis.

Sed mihi magis placet contraria sententia, quã tuetur Hurtadus de Mendoza *in* 2.2. *disp.*76.*sect.*3. §.83. quia hæretici nomen Christi non oderunt, sed amant.quamuis enim doctrinam Christianam ex parte deprauant, Christiano tamen nomine gloriantur. Turcæ autem ipsi nomini Christiano sunt infensi.Vnde& hæretici commune nobiscum bellum Turcis indicunt,vt hostibus nominis,quod ipsi hæretici colunt.Moueor secundò,quia Bulla in Cœna Domini nihil iuuat infideles,in quorum odium exardent antiqua iura, sed eis faueret, si per hostes Christianorum intelligerentur hæretici.ergo. Probo minorem,quia ex iure antiquo nulli publico hosti nominis Christiani possunt arma deferri,quamuis non sit publicè denuntiatus hostis à Romana Sede, vt nunc non possunt. At ex Bulla Cœnæ solis hæreticis publicè denuntiatis à Romana Sede interdicuntur arma.ergo Bulla fauisset infidelibus. Cùm ergo Bulla aliquid nouum præceperit contra hanc infidelium speciem, illud fuit in eius odium, & non in fauorem. Signum ergo est eos nunc de nouo comprehendi.

RESOL. XV. *An licitum sit deferre arma infidelibus si pecunia reportata sit Christianis vtilior?*

AFfirmatiuè respondet Reginaldus *tom.*1.*lib.*9. *cap* 18. *numer.*301. putat enim probabile, non incidere in censuram Bullæ Cœnæ:qui arma deferunt infidelibus maiori cum vtilitate Christianæ Reipublicæ,quàm damno, vt si pecunia reportata pro armis sit Christianis vtilior, quàm arma sunt noxia.

Verùm Hurtado de Mendoza *in* 2.2. *disput.*76, *sect.*3.§.130.negatiuæ sententiæ adhæret.Putat enim negatiuam sententiam viam sternere ad perpetuã abolitionem huius legis, censerent enim singuli mercaturam suam vtiliorem esse Christianis, nec esset vlla mercatoris compescendi ratio, essetque fidelibus scandalo. Quapropter si qua Respublica id de suis mercatoribus censeret, consulere teneretur Summum Pontificem, vt veritate sincerè perspecta prouideret tunc, & cessaret scandalum, nec deesset ratio compescendi violatores. Nec enim cuiuis fas est tam publica & diuturna vti Epiikeia,quãdo tam facilè potest legislator aditi,quod factum esse à Genuensibus,& Venetis credendum est, Respublicæ enim tam Catholicæ & Romanæ Sedi obedientes non erant effecturæ, vt malo exemplo suspicionem parerent contumaciæ.

RESOL. XVI. *An libri Catholicorum cum explanatione hæreticorum,& commentarijs sint prohibiti?*

PRima opinio est Patris Suarez *de fide disput.*20. *sect.*2.*num.*13. asserentis hos libros esse prohibitos si scholia hæreticorum sint magna, secus si essent exigua.

Secunda opinio est Sanchez *in summa*, *tom.*1. *lib.*2.*cap.*20.*num.*25. aientis tales libros non esse prohibitos, licet in se contineant scholia hæreticorum magna, quia semper talis liber dicitur Auctoris Catholici.

Tertia opinio est Hurtadi de Mendoza *in* 2.2 *disp.*76.*sect.*8.§.303. vbi existimat vtramque sententiam in parte esse veram. bifariam enim scribitur in alicuius authoris librum. Primum,vt nihil scribatur, nisi faciens explanationi textus, à quo non possit nisi incommodè Commentarius abiungi: vt Commentaria Caietani non possunt abiungi à textu Thomistico, quia tota sunt ad explanandã argumentorum vim,oppugnãda aduersantium dicta,& methodum explicandam. Hi libri non sunt prohibiti,quia absolutè sunt & dicuntur S.Thom. & non Caietani, siue Commentaria sint prolixa, siue minuta: parum enim interest moles. Quòd si considerandum est præcipuè quid contineant, quid interest magnitudo, aut paruitas, cùm in paruo libello possint plures hæreses doceri,quàm in alio magno volumine. Si autem præter explanationem alia disputet hæreticus non facientia textui explanando,sed quæ abiungi commodè possunt, liber est interdictus, quamuis sit exiguus, quia verè est ab hæretico authore. Sic ipsius Patris Suarez Commentaria ab ipso, non à S.Thoma denominantur;complura enim disputat, quæ iam non spectant ad explicationem. Itaque scripta illa à quibus non pendent authoris Catholici explicatus,sunt prohibita,& liber ob illa.Alioquin occasione explanandi textum, possent hæretici omnia sua dogmata disputare, vt scholastici Doctores sua disputant,cùm Magistrũ,aut S.Thomam explicant.Huc vsque Hurtadus *loc. cit.*

RESOL. XVII. *An sit hæreticus externus, qui simulat dormire,& profert aliquam hæresim quam verè tenet, si audientes sibi persuadeant eum verè dormire?*

CAsus est curiosus. Vnde in tui gratiam visum est mihi, amice Lector, ea quæ circa ipsum philosophatur Hurtadus de Mendoza, hic apponere; is enim, qui semper de thesauro suo noua profert,sic ait *in* 2.2.*disp.*83.*sect.*3.§.29. Demus hominem non dormire,sed simulare somnum, ita vt omnes sibi persuadeant eum dormire, & cum hac simulatione loquatur hæresim, quam tunc verè conceptam habet,pono fictionem illam somni esse occultam per se,& purè mentalem,non explicatam signo vllo eam indicante probabiliter. Rogas vtrũ hic sit hæreticus externus:Quæstionem hanc numquam audiui, videtur autẽ dirimi posse ex principiis adductis in partem negantem,quia tunc nullus absque peccato temeritatis potest loquentis mentem hæreticam interpretari, persuasi enim illum dormire,non habent fundamentum ad eum damnandum hæresis.quod confirmo primò. Si quis simulet amentiam tam aptè, vt eam omnibus persuadeat,si verè sit hæreticus,& hæresim loquatur, à nullo censeri potest hæreticus,vt à nullo censetur iniuriosus,aut blasphemus,aut latro,tametsi multa efficiat, quæ in homine sano essent euidenti argumẽto illorum vitiorũ.Secundò confirmatur.Si comœdus sit hæreticus purè mẽtalis,agens autẽ fabulã suscipiat personam hæretici,hæreseſque proferat, illas quidẽ sentiens animo hæretico,hic non est hæreticus externus in hoc sensu, quamuis committat

pecca-

peccatum externum contra fidei confeſſionem; licet enim ab ipſis Quæſitoribus & Papa audiatur, nullam parit hæreſis ſuſpicionem, quia ex circumſtantiis comœdiæ debent illa verba adſcribi, non hæreſi, ſed tragico muneri. eſt ergo illa hæreſis putè mentalis, quod attinet ad eius coniecturam faciendam ex eo ſigno, ex quo non poteſt fieri magis, quàm ſi non eſſet, quo differt ab hæretico externo, qui eſt occultus per accidens, qui ſi nõ cognoſcitur ab alijs, eſt ex defectu audientium, non ex defectu ſui. At comœdus ſi non cognoſcitur eſſe hæreticus, non ex defectu audientium, auditur enim ab ipſo Papa, ſed ex defectu ſui, quia loquitur in circumſtantijs, in quibus non manifeſtatur hæreſis eius, ſed illius, cuius ſuſcepit perſonam. Ratio eſt, quia vt ſigna imperfecta ſolent ex circumſtantiis perfectè ſignificare hæreſim, & animum occultum, ſic perfecta ſigna poſſunt ob circumſtantias illã occulere. A poſteriori autem eſt argumentum quòd nullus, quamuis ardenti ſtudio fidei flagret, hæreſim ſuſpicatur in loquẽte, quem dormire credit, ſed verba accipit cum riſu, vt in amente, atque comœdo in theatro. Eſt ergo opus vt ex ſigno poſſimus prudenter credere rem ſignificatã; ſi autẽ non per accidens, ſed per ſe non poſſimus mentem loquentis hæreticam interpretari, hæreſis eſt per ſe occulta & interna. Si verò humanitus poſſet quis prudẽter credere illos homines nec dormire, nec eſſe in amentia, ſed eam ſimulari, tunc abſque controuerſia eſſent hæretici externi, quia tunc hæreſis eſſet occulta per accidẽs, & non per ſe, in foro autẽ conſcientiæ illæ actiones ſunt peccata externa, & explicanda in confeſſione. Ita Hurtad. qui tamẽ, his non obſtantibus, nõ audet abſolutè aſſerere hos nõ eſſe hæreticos externos, quia hæretici ſunt, qui exprimunt verbis ſuam hęreſim, quã occultant per accidens, & non per ſe. Vnde Villalobos *in ſum. tom.* 21. *tr.* 1 *diſſic.* 11. *n.* 4. ſic ait. [Baſta que la heregia ſe manifieſte exteriormente por palabra, obra, y ſeñal, aunque ſea oculta, porque en tal caſo la heregia verdaderamẽte es exterior, aunque accidentalmente es oculta.] Et vt verum fatear hos eſſe hęreticos videtur apparere, quia eorum locutio licet in ſomno ſimulato coniungitur hæreſi, & manifeſtatur, quod non accidit in vero dormiente.

RESOL. XVIII. *An hæreticus ignorans excommunicationem in illam incurrat?*

VIdetur negatiue reſpondendum ex Sanchez *in ſumma, tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 5. vbi indicat hæreticum ignorantem cenſuram, in illam non incutrere; quod de omni excommunicatione ob quoduis delictum dixerat *tom.* 3. *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 32. *num.* 13. & hæc contra Suarez *in* 3. *part. tom.* 5. *diſput.* 4. *ſect.* 19. *num.* 10. Ego ipſe alibi cum Sanchez *loco citato num.* 31. putaui ſatis probabile eſſe, etiamſi delinquens ignoraret cenſuram ignorantia culpata, & vincibili, non autem craſſa, neque ſupina.

Sed hæc doctrina non procedit in Regnis vbi tamquam eorum fulcrum, & fundamentum ſacroſanctum Noſtrum Inquiſitionis Hiſpanicę Tribunal inſtitutũ eſt. & ideo Hurtadus de Mendoza *in* 2. 2. *diſp.* 89. *ſect.* 2. §. 9. ſic aſſerit. Obſerua in Hiſpania moraliter eſſe impoſſibilem ignorantiam legis Eccleſiaſticæ excommunicantis hæreticos, cuia Quæſitorius Pharus totum Regnum illuſtrat, nec angulus non torretur eius igne. Tota item Prouincia eſt plena Quæſitorum miniſtris, quorum edicta de concione frequẽter perſonant. Quapropter nullus poteſt ad abſolutionem ignorantiam prætexere, niſi craſſiſſimam. Inconſideratio actualis faciliùs contingeret, ſi hæreticus ſit ſolus, poteſt enim raptus in contemplationem erroris, legum Eccleſiaſticarum oblitus cenſere falli vniuerſam Eccleſiam, idque voce proferre; ſæpe enim ardor ſtudij mentem auocat ab aliarum rerum conſideratione, nec ſinit præuerti ratione actus externos. Hac in re arbitror apud noſtrates id eſſe moraliter impoſſibile, eſt enim tanta mutatio de Catholico in hæreticum, vt non crediderim eam fieri, quin rectè expendantur quæſitoriæ leges. Si verò teſtis adſit, magis impoſſibilis eſt moraliter ea hæreſis externa cũ incõſideratione, tantus enim eſt metus, ne ad Quęſitores deferatur eius nomen, vt ſit attentiſſimus actionibus externis; prudentiores enim nos reddit metus iniectus, quàm obliuioſos ſtudium. Idem dixerim de Prouincijs, in quibus more Hiſpanienſi Quæſitores vigent, niſi fortè apud barbaros Indos, & parum cultos nonnullos eiuſmodi inuenies diſtantes à miniſtris Quæſitorijs. quod item eſt impoſſibile, propter diligentiam Magiſtrorum. Quapropter exiſtimo apud nos non poſſe probabiliter aliquem excuſari à cenſura, nec reſeruatione. Hæc omnia Hurtadus, cui ego libenter adhæreo.

RESOL. XIX. *Quando obliget præceptum fidei.*

AD hunc caſum ita reſpondet Villalobos *in ſumma, tom.* 2. *tract.* 1. *diſſic.* 2. *num.* 2. [Eſte precepto obliga al infiel, quando ſe le propone la Fè ſuficientemente. Segundo, à los niños bautizados criados entre Fieles eſtan obligados, quando llegan à vſo de razon, y oyen tratar los myſterios de la Fè; como neceſſario para la ſalud à creerlos. Tercero, tanbien obliga eſte precepto quando vno tiene vna gran tentaciõ contra la Fè para reſiſtir à ella. Algunos otros tiempos ay, en que eſtà vn hombre obligado al acto de la Fè accidentalmẽte por razon de otros preceptos adjuntos. Tal ſeria quando tuuieſſe obligacion de confeſſar exteriormente la Fè, o quando vuieſſe de recuperar la gracia, que ha perdido, que no ſe puede recuperar, ſi no ay eſperança, y eſſa requiere Fè. Y por eſta via podria obligar vna vez al año, como obliga la confeſſion, o quando vuieſſe peligro de caer en alguno pecado en otra materia, ſi no tuuieſſe acto de Fè, y aun en el articulo de la muerte por las graues tentaciones de la Fè, que de ordinario ſuelen allì ocurrir, como dize Sanchez *in ſum. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 1. *num.* 2. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 27. *quæſt.* 8. Aragonius *in* 2. 2 *quæſt.* 10. *art.* 1.

Non deſinam tamen hîc adnotare, quod Hurtadus de Mendoza *in* 2. 2. *diſp.* 93. §. 5 exiſtimat cõtra Sãchez, alia duo tẽpora per ſe obligare ad eliciendũ actum fidei, alterum eſt cũ mors imminet, cùm enim actibus fidei iaciamus fundamentũ ad ædificium cœleſtis Hieruſalem, cùm iam ſimus ad eius con-

conſpectum adducti lex fidei per ſe obligat, quia nulla poteſt eſſe grauior occaſio, quàm momentum illud, à quo pendet æternitas, ob quod ex Eccleſiæ conſuetudine moribundi cum viatico donantur, excitantur à Sacerdote ad actus fidei, & cùm aliquis vltimo & publico afficitur ſupplicio, animatur ad ſymbolum recitandum à circumfuſo etiam populo. aliud tempus eſt intra ſingulos annos. Qui enim toto anno fidem non exercet, in graui periculo eſt eam amittendi, quia diſſuetudine ſeneſcere videntur habitus. Ita Hurtadus. qui citat Valentiam pro primo tempore, & Ledeſmam pro ſecundo.

RESOL. XX. *An qui vocat amaſiam Deam, vel Idolum ſuum, ſit blaſphemus?*

QVidam Confeſſarius ſcrupuloſus, & parum ſciens, affirmatiuam ſententiam olim docuit. Sed talem non eſſe blaſphemiam dicendum eſt. Et ratio erit, quia verba hæc nec proferuntur, nec accipiuntur in ſignificatione propria, ſed in hyperbolica. Et ita docet Lorca *in* 2.2. *quæſt.* 13. *articul.* 3. *numer.* 9. & Hurtadus de Mendoza *in* 2.2. *diſp.* 91. *ſect.* 4. §. 16.

RESOL. XXI. *An omnes blaſphemiæ ſint eiuſdem ſpeciei?*

NEgatiuam ſententiam docet nouiſſimè Hurtadus de Mendoza *in* 2.2. *diſput.* 91. *ſect.* 12. §. 54. quia blaſphemia eſt peccatum propter contumeliam in Deum; ſed contumeliæ differunt ſpecie ergo & voluntas de illis. Minor probatur, quia mala, quæ poſſumus Deo blaſphemè adſcribere, ſunt diuerſa ſpecie. Vt enim apud homines diuerſa iniuria eſt aliquem appellare latronem, ac appellare inceſtuoſum, & ſodomiticum, & ebrioſum; ita apud Deum, quia ea omnia mala, vt inter homines ſunt contumeliæ diſtinctæ, propter diuerſam peccatorum turpitudinem, ſic & cùm conijciuntur in Deum. Vnde deducit Hurtadus in confeſſione explanandas eſſe hæreticales blaſphemias prę imprecatiuis, non ſolùm ob oppoſitionem cum fidei cõfeſſione, ſed quod intra blaſphemiæ limites eſt diuerſum conuicium, aſſertio rei turpis, ac imprecatio; & inter hæreticales exponendæ ſunt ſpecies contumeliarum, quæ actæ ſunt in Deum, & inter imprecatiuas, quæ grauiora mala ſignificant; item & quæ ſunt in Deum ſimul, & Sanctos, quia habent duas malitias ſpecie diſtinctas irreligionis, & irreuerentiæ in Sanctos, quia violatur Religio, & Dulia, & inter Sanctos exponenda eſt circumſtantia in Virginem Matrem Dei, quia eſt contra Hyperduliam, quia hæc virtus aut ſpecie differt à Dulia, aut habet grauitatem exponendam in confeſſione. Ita Hurtadus, probabiliter quidem.

Sed contrariam ſententiam non minus probabilem eſſe puto, niſi blaſphemia ſit hæreticalis, vel imprecatiua cum odio Dei. Vide Fauſtum *de ſacr. pœnit. lib.* 4. *q.* 137. Cæleſtinum *in Comp. Theolog. moral. tract.* 1. *cap.* 9. *diffic.* 4. Leonem *de Correct. Confeſ. tom.* 1. *recol.* 12. *num.* 7. Duuallium *in* 2.2. *D. Thom. tract. de fide q.* 9. *art.* 2. *in fine*, & recognoſce omnino me ipſum *in* 1. *part. tract.* 7. *reſol.* 50.

RESOL. XXII. *An laicus doctus poſſit diſputare cum hæretico?*

NEgatiuè reſpõdet Villalob. *in ſum. tr.* 1. *diff.* 7. § 4. Suar. *de fide, diſp.* 20. *ſect.* 1. *n.* 11. Azor. *to.* 1. *l.* 8. *c.* 26. *q.* 1. Sanch. *in ſum. to.* 1. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 5. & alij, & ex *c. inhibemus, de hæret. in* 6. vbi prohibetur expreſsè laicus ſub excõmunicatione diſputare de fide Catholica, licet laicus ſit doctus, tamẽ adhuc obligatur, & includitur ſub dicta prohibitione, quia ceſſante priuatiuè in ſingulari fine legis, nõ ceſſat in ſingulari eius vis.

His tamen nõ oſtantibus ego puto contrariam ſententiam eſſe probabiliorem, quam tuentur Caietanus & Bannez *in* 2.2. *quæſt.* 10. *art.* 7. Ledeſma *in ſumm. tom.* 2. *tract.* 1. *c.* 5. *concl.* 13. & Hurtadus de Mendoza *in* 2.2. *diſp.* 74. *ſect.* 3. §. 24. quia talis prohibitio facta eſt à lege, ne periculum creetur diſputanti, aut audienti, & nullum alium finem, nec proximũ, nec remotum propoſuit ſibi ea lex. Sed ceſſante fine legis in particulari, ceſſat eius obligatio, vt alibi ſatis probatum eſt. ergo, &c. Et ita hanc ſententiam probabilem eſſe docent ipſi aduerſarij, vt Sanchez, & Villalobos *vbi ſuprà.*

Sed obiter hîc explicandum eſt, quid in dicto cap. *inhibemus*, ſignificent illa verba, *Inhibemus, ne cuique laicæ perſonæ*, &c. Sanchez *vbi ſuprà, n.* 6. & Lorca *in* 2.2. *quæſt.* 10. *art.* 7. putant ſub illis verbis comprehendi omnes, qui nec Clerici ſunt, nec Religioſi. Hurtadus autem docet ſignificari omnes, qui carent tonſura & habitu clericali, etiam Religioſos, & præſertim qui in Religione vocantur laici, ſeu conuerſi donati, &c. Sed quid dicendum de Sanctimonialibus, comprehenduntúrne ſub dictis verbis? Negat Lorca illas hoc canone præſtringi, ſed mordicus affirmat Hurtadus.

RESOL. XXIII. *An qui eſt in peccato mortali teneatur prouidere alienæ ſaluti cum vitæ diſcrimine?*

SVppono ex Villalobos *in ſumma, tom.* 1. *tract.* 3. *difficult.* 7. *num.* 7. & alijs communiter, in extrema neceſſitate proximi teneri vnumquemque cum vitæ periculo ei ſuccurrere, niſi qui opem eſt laturus, periculo ſe exponat amittendi iuſtitiam; vt ſi quis, v. g. timeat cruciatuum ſæuitiam, nec ſe ſatis exiſtimet ad eam perferendam, tenetur ſe cohibere. Et ſecundò, niſi quis teneatur ſtrictiori vinculo alijs proximis, qui, ipſo vita functo, magnum ſint ſubituri diſcrimen pereundi. Hoc ſuppoſito ad dubium propoſitum Hurtadus de Mendoza *in* 2.2. *diſput.* 144. *ſect.* 3 §. 25. diſtinguit duo genera periculorum. Primum imminet ab hominibus in odium fidei, aut pietatis, tunc vnuſquiſque tenetur prouidere proximo, quia attritio ſupernaturalis facilis eſt cum gratia Dei, cum qua ſalutem aſſequitur æternam, quia vel illa ſufficit cum martyrio (etenim tunc martyrium eſſet.) vel Deus tunc ei contritionem prouidit, ipſe autem actus eſt ſe martyrio obijci, qua in occaſione, Deo fauente, nullus perit, niſi ipſe ſponte deficiat, quod ipſe tunc timet probabiliter, ſed potiùs ſperat à Deo auxilia efficacia ad ferendos cruciatus. Secundum genus periculi eſt vel à rebus inanimatis, vel ab hominibus non in odium Dei, ſed priuatũ; vt ſi moribundus ſit vltra

flumen,

ſum en, quod ſum traiecturus cum periculo, vt ægrum abſoluam, aut baptizem; vel ſim comprehendendus ab inimico priuato, & occidendus, tunc ſi poſſum facile exercere amorem Dei ſuper omnia, & valde probabiliter opinari me eſſe reconciliatum Deo, non ſecus ac id exiſtimo per confeſſionem, tunc teneor ſubire mortis diſcrimẽ, quia non eſt neceſſaria certitudo, ſed prudens opinio de iuſtitia ſanctificante. At verò ſi homo ſit diuturnis peccatis aſſuetus, & perdifficilis ad contritionem perfectam, nec ſatis ſibi perſuadet verum amorem Dei, & nixus illum exercere, adhuc prudenter timet, non tenetur ſe exponere periculo mortis, quia in periculo æquali priùs tenetur ſibi, quàm proximo: adultus autem moribundus conetur ſe diſponere; quòd ſi adultus non ſit, nullus ei tenetur prouidere cum graui periculo æternæ ſalutis. Immò Bannez *in art. 5. concl. 2.* omnem peccatorem excuſare videtur, dum aſſerit, hominem iuſtum teneri. ergo peccator non tenetur.

RESOL. XXIV. *Quænam ſit extrema neceſſitas, in qua quis tenetur cum vita periculo opem ferre alienæ ſaluti?*

MVlti aſſerunt caſum extremæ neceſſitatis eſſe, quando aliquis non poteſt niſi cum graui difficultate vitare damnationẽ æternam, quamuis phyſicè poſſit. Ita docet Suarez *de charitate diſp. 9. ſect. 2. n. 3.* Valentia *tom. 3. diſp. 3. q. 4. punct. 3.* Azorius *tom. 2. lib. 12. cap. 4. §. Primus caſus.* Bannez *in 2. 2. quæſt. 23. art. 5.* Filliucius *tom. 2. tract. 28. n. 32.* & Lorca *in 2. 2. diſp. 28. à num. 32.* & alij.

Sed contrariam ſententiam mordicus tenet Hurtadus de Mendoza *in 2. 2. diſp. 144. ſect. 3. §. 28.* exiſtimat enim neceſſitrtem extremam eam eſſe, in qua phyſicè eſt impoſſibilis Petro, v. g. ſalus, niſi me illi opitulante; ſi verò Petrus phyſicè ſuis viribus, adiutis gratia Dei, poſſit ſalutem adipiſci, quamuis difficillimè & ægrè, ille non eſt in extrema neceſſitate opis alienæ. Et ratio eſt, quia extrema neceſſitas eſt illa, qua nullus poteſt ſibi prouidere, indiget autem externis auxiliis ad ſalutem; qui verò ſibi poteſt prouidere, & ſalutem adipiſci, niſi id præſtet, eſt illius vitio: at nullus tenetur cum vitæ diſpendio eripere alium à malo, quod ipſe vitare poteſt, & quod, ſi non vitatur, eſt ob vitium pereuntis. ergo illa ſola eſt neceſſitas extrema. Minor probatur primùm ratione, quia ad id teneor ſubuenire Petro cum meo diſpendio, quia ipſe ſibi non eſt ſatis, & pro viribus illi deficientibus, ſubrogandæ ſunt alienæ; ſed in eo caſu vires non deficiunt Petro, cui gratia Dei eſt præſto, vt ſupponitur in controuerſia. ergo non tenemur illi tunc prouidere. Secundò, exemplo apud omnes conſtanti. Si quis me aggreditur iniuſtè, non teneor abſtinere ab eius cæde, licet apertè illum videam damnandum, ſi occidatur; ſed hoc nulla alia ratione, niſi quia cùm ipſe ſibi prouidere poſſit, non teneor illud præſtare. ergo de ratione neceſſitatis extremæ eſt, vt egens non poſſit ſibi prouidere.

Ex quibus primò deducit me non teneri per ſe lege charitatis ad commorandum in vrbe purganda, aut defendenda ab hæreſi, ob ſalutem priuatam huius, aut illius hominis; tum quia hæreſim nullus contrahit, niſi ſuo vitio. ergo poteſt ipſe ſuo arbitrio cum gratiæ viribus ſe tueri. Secundò deducit nullum teneri adulto opitulari cum vitæ diſcrimine, quoties ipſe adultus ſe poteſt eripere cum Dei gratia ab interitu æterno; ratio redditur à Soto, quia tunc illa non eget abſolutè mea induſtria. Verùm ſupradicta intelligenda ſunt per ſe, & ex vi præcepti charitatis; ſecus autem dicendum eſt, quando quis ex voto, aut ex officio tenetur ad ſubueniendum aliis. Vnde Epiſcopus non poteſt fugere vim hæreticorum, ſi adſit ſpes fructus, quia bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis. Idem dico de Curione tempore peſtis, aut perſecutionis, niſi ſubrogent pro ſe alios, qui tam benè, quàm ipſi eo munere fungantur, vt dicit Bannez, immò & Sotus. Illi autem debent eſſe ſoluti alia obligatione aſſiſtendi. Ita fecit ſanctus Maximus Nolanus, qui Nolæ reliquit Felicem, qui quamuis erat Preſbyter, at non legitur eum fuiſſe Beneficiatum, hac lege tenentur omnes Beneficiati, quia beneficia conferuntur ob ſpiritualia ſubſidia populi, qui illis tunc maximè egent. Idem dico de Canonicis. Milites Ordinum Militarium non tenentur, quia beneficia dantur ob bellum; tenentur tamen tueri armis eos, à quibus beneficium habent. At Sacerdotes Curati tenentur vt ceteri, quia ea cura omnia ea munera amplectitur.

RESOL. XXV. *An prouocatus ad duellum teneatur è domo non exire dum non componitur pax?*

CAſus eſt practicabilis. Pro cuius deciſione ſuppono me non teneri omittere eas actiones, quas ſine graui, & proportionato damno præterire non poſſum, licet ex eis alius vitio ſit accepturus occaſionem ruinæ propriæ. Hoc ſuppoſito reſpondeo ad dubium propoſitum, prouocatum non teneri ſe domi continere, quando ſine graui & proportionato damno id efficere non poſſit. nam in tali caſu poteſt licitè in publicum exire. Ita Bannez *in 2. 2. q. 64. art. 7. dub. 3. in fine,* & Sanchez *in ſumm. tom. 1. l. 2. c. 39. n. 11.* In quibus verò caſibus incluſio intra domum erit maximè incommoda prouocato, explanat Hurtad. de Mendoza *in 2. 2. diſp. 170. ſect. 12. §. 96. & 97.* vbi in fine docet hoc licitum eſſe, quoties prouocatus non poteſt honeſtè ſe domi continere, quia prudens quiſque cenſebit id oriri non à ratione, ſed à timiditate, quæ omnia licita eſſe probat in illis caſibus, in quibus prouocatus certò ſcit inimicum eſſe in loco, per quem ipſe eſt iturus, vel etiam quando faciendum eſt iter per locum conductum, vbi prouocator expectat armatus. In his autem caſibus, in quibus licitum eſt prouocato exire ad ſua negotia peragenda cum periculo pugnandi, poteſt & debet ire benè armatus, non ſecus ac ſi ipſe eſſet pugnaturus. Se enim armare non eſt peccatum, ea autem in occaſione prudentis eſt timere peiora, & ſe ad illa cõparare. Nec poteſt prouocator inde ſcandalum pati, quia cùm ipſe alium prouocatione coëgerit, vt ſe armet, alioquin apud omnes erit imprudens, cur excandeſcet prouocator, aut cur inde anſam arripiet pugnandi.

Sed quánam voluntate debeat prouocatus è domo in publicum exire? Reſpondeo non voluntate abſoluta pugnandi, ſed conditionata, qua prouocatus decernit pugnare, ſi à prouocatore cogatur, nec poſſit ſe aliter honeſtè tueri. & ratio eſt, quia hæc voluntas non eſt mala, eſt enim de obiecto bono, quia quando non poteſt periculum aliter effugi, quàm dimicando cum iniuſto aggreſſore, tunc cum illo pugnare eſt bonum, quia eſt neceſſaria defenſio ab iniuſta vi. Tunc autem prouocatus egrediens domo, vult abſolutè negotia ſua gerere, & ſuum munus explere; quod quidem honeſtum eſt: media autem, quæ elegit, ſunt indifferentia ad bonum & malum; honeſtari autem poſſunt ab honeſto illo fine: ſunt autē ea media egreſſus è domo, inambulatio per vias publicas, & alia id genus; à quibus non tenetur prouocatus abſtinere cum graui ſuo damno, quamuis ſibi perſuadeat prouocatorem eis abuſurum ad pugnam; ille enim abuſus non oritur ex meis actionibus, quibus eſt ille per accidens abuſurus, oritur autem per ſe à ſola malitia prouocatoris, qui ex meis actionibus honeſtis abripit anſam ad peccandum.

RESOL. XXVI. *An ſi aliquis obiiciat alicui verum crimen, poſſit illi reſpondere, Mentiris?*

LIcitum eſt dicere, Mentiris, quando contumelioſus meum crimen ſciuit ſecreto naturali, vt ſi ab illo conſilium petiui, ſponſo prius ſecreto naturali; licet enim non ſit illius tam ſtricta obligatio, quàm ſacramentalis, tamen ſatis eſt ad eum obligandum, vt in ea occaſione taceat. Secundò licet dicere, Mentiris, quando crimen ita occultum eſt, vt contumelioſus peccet mortaliter in illo euulgando, quamuis euulgatio eſſet ſine contumelia, tunc enim *Mentiris* ſignificat me illud crimen non admiſiſſe, vt ab aliis ſciatur, & ita docet Hurtadus de Mendoza *in* 2.2. *diſp.*70. *ſect.*14 §.121. & à fortiori hanc ſententiam docebit Bannez *in* 2.2 *quæſt.*64. *art.*7. *dub.*4. *verſ. ad argumenta.* vbi docet licere defenſionem aduersùs obiicientem crimen verum occultum, non obſtante eius morte; quam doctrinam ſequitur etiam Mendoza *vbi ſuprà, ſect.*8. §.67.

Notandum eſt etiam hîc quòd licet non ſit licitum obiicere contumelioſo alia crimina, quæ non ſunt per ſe vtilia ad depulſionem iniuriæ, ſed ſufficit dicere, Mentiris, tamē ſi adſtantes non ſunt crediturí illum eſſe mentitum, poteſt illi obiici aliud crimen, ex quo adſtantes facilè credant illum eſſe mendacem, quia illa noui criminis obiectio eſt vtilis & neceſſaria ad tuendum honorem. Ita Hurtadus *vbi ſuprà, ſect.*14. §.117 *iuncto* §.120.

RESOL. XXVII. *An ſi accuſator offerat duellum purgatiuum poſſit innocens illud acceptare ad tuenda bona temporalia?*

NEgatiuam ſententiam docet Leſſius *lib.*2. *c.*9. *dub.*8. *num.*47. Filliucius *tom.*2. *tract.*29. *n.*144. Suarez *de charitate diſp.*13. *ſect. vlt. num.*5. & ante omnes Petrus de Aragon *in* 2.2. *quæſt.*64. *art.*3. *ad tertium argumentum*, & quia caſus eſt curioſus, ponam per extenſum eius verba; ſic igitur ait. Aliqui aſſerunt, quòd innocens licitè poteſt accuſatorem per calumniam vſque ad mortem prævalentem interficere, eumque prouocare ad ſingulare certamen; nam cùm accuſator tunc iniuſtè innocentem aggrediatur gladio materiali iudicis, & quicumque inuaſus gladio licitè poſſit etiam cum morte aggreſſoris ſe defendere, fit vt etiam licitè tunc poſſit innocens in propriam defenſionem accuſatorem interficere. Sed hæc ſententia eſt apertè falſa. Primò, nam ex ea ſequeretur, quòd qui accuſaret innocentem bona fide ex ignorantia inuincibili, licitè poſſit ab eo interfici in propriam defenſionem; conſequens autem eſt falſum, & contra rectam rationem. nam ſic eſſet maxima perturbatio in Republica, & vnuſquiſque ſuum interficeret accuſatorem, dicens ſe ab eo iniuſtè accuſari, quod eſt abſurdum. ergo & illud ex quo ſequitur. Probo ſequelam, ſi quis inuaderet me bona fide ex ignorantia inuincibili, ego licitè poſſem illum interficere in meam defenſionem, ſed accuſans aggreditur innocentem gladio materiali iudicis ſecundùm Caietanum; ergo etiamſi ex ignorantia inuincibili id faciat, licitè poterit ab innocente interfici. Secundò, quando dominus mittit ſeruum ad me interficiendum, quamuis ſit licitum occidere ſeruum me inuadentem, non tamen eſt licitum occidere dominum domi manentem, vt omnes concedunt. ergo pari ratione, quamuis accuſator occidat me per iudicem, non erit licitum occidere illum domi manentem. Vltimò, ſi ſententia Caietani eſſet vera, ſequeretur quòd ſi quis per calumniam me accuſando eſſet cauſa, quòd ego coniicerer in carcerem, aut quòd perderem bona mea, liceret mihi illum occidere. Conſequens autem eſt plus quàm falſum. ergo & illud ex quo ſequitur. Probo ſequelam. Nam ſi quis per vim priuata authoritate me coniiceret in carcerem, aut acciperet bona mea, licitè poſſem illum interficere in meam defenſionem, & ſecundùm Caietanum tunc infert vim accuſator. Hactenus Petrus de Aragon.

Verùm his non obſtantibus ſententiam affirmatiuam tuetur Sanchez *in ſum. tom.*1. *lib.*2. *cap.*39. *n.*7. & Bannez *in* 2.2. *q.*64. *art.*7. *dub.*4. qui non ſolùm loquitur de acceptatione certaminis; ſed etiam de prouocatione. Et idem etiam docet Caietan. *in* 2.2. *q.*25. *art.*8. *ad* 3. *& in ſum. ver. duellum*, quibus adde Hurtadum de Mendoza *in* 2.2. *diſp.*70. *ſect.*8. §.70. Probatur hæc opinio, quia talis acceptatio non eſt duellum, ſed iuſta defenſio, cùm enim licitum ſit occidere iniuſtum direptorem bonorum, quando alia ratione quis non poteſt ea defendere; ita in noſtro caſu acceptatio certaminis eſt medium neceſſarium ad defenſionem bonorum ab iniuſta direptione. ergo licita erit ea acceptatio, dummodo prouocator iniuſtè me accuſauit, & non bona fide, & præmonitus fuit, vt reſipiſcat, ſi eſt locus præmonitionibus, vt frequenter eſt in via iuridica.

Notandum eſt etiam hîc cum Hurtado *vbi ſuprà* §.77. quòd quæ dicta ſunt de acceptatione certaminis purgatiui, habere vim eamdem in certamine non purgatiuo. v.g. Antonius me vult occidere domi, ſi ego ibi eum poſſum occidere, non poſſum acceptare certamen, quia interficere aggreſſorem

ſorem iniuſtum, quando actu mihi phyſicè mortem intentat, magis conſentaneum eſt iure naturali & Eccleſiaſtico, quàm in campum exire ad pugnandum. Si verò ego eum non poſſem domi occidere, vel quia ille cum comitibus armatis, vel quacumque alia ratione me impedit, me tamen inuitat ad ſingulare certamen, me occiſurus, niſi illud acceptem, vel me bonis ſpoliaturus, poſſum illud acceptare; hoc enim non eſt duellare, ſed opportunitatem quærere, me, & mea iuſtè defendendi ab iniuſta vi. Mihi enim ius eſt me tuendi, etiam per necem inimici quod ſi hoc in loco poſſum, cur non potero locum alium quærere? Certè non video vel probabile veſtigium ad dubitandum. Nam ſi domi me ille compelleret, vt cum illo pugnarem, alioquin periturus, poſſem pugnare. ergo etiam poſſum acceptare locum, quem ille mihi offert quando alia ratione non poſſum necem effugere, aut bona tueri.

Nota etiam quòd licet non poſſit acceptari duellum honoris cauſa, tamen licita erit acceptatio certaminis, ne amittantur honores, & munera publica. Dico igitur in tali caſu offerente accuſatore duellum purgatiuum, poſſe licitè acceptari, quando acceptatio eſt vnicè neceſſaria ad dicta bona conſeruanda. quod probatur apertè, quia, v.g. ad conſeruandam nobilitatem, & munera publica, eſt medium vnicè neceſſarium acceptatio pugnæ. ergo eſt licita. Probo conſequentiam, quia tunc eſt inculpata defenſio bonorum proportionatorum damno inferendo criminatori. Antecedens probo, quia criminator mihi crimen obiecit dignum amiſſione nobilitatis, & munerum, cuius ego innocens ſum, & alter obiecit illud mala fide, quod crimen cenſebitur eſſe probatum, recuſato à me certamine, hęc enim eſt huius duelli natura, de quo agimus. Antecedens probo, quia coniectus ſum ego in anguſtias, vt vel mihi pugnandum ſit cum criminatore iniuſto, vel amiſſurus ſim nobilitatem, & munera; ergo tunc ſubire certamen eſt vnicè neceſſarium ad tuendam nobilitatem. Ita Hurtadus *loco citato*, §. 76. quæ omnia à fortiori procedunt in caſu vitandæ mortis iniuſtæ eo pacto, quo explicat idem Hurtadus *ſect.* 7 §. 16. *& ſeq.*

Sed maxima difficultas eſt, an innocens poſſit criminatori offerre ſingulare certamen, quando alia ratione non poteſt ſe ſuaque tueri? & affirmatiuè reſpondet Hurtadus de Mendoza *in* 2.2. *diſp.* 170. *ſect.* 9 §. 82. vbi ſic ait. Licitum eſt offerre certamen ei, qui mihi molitur iam mortem iniuſtam. v.g. Antonius mihi falſum crimen obiecit, neque habeo probabilem ſpem illum deſtituturum à ceteris diligentius, ſed potiùs timorem moraliter certum illas ab eo adhibendas, item expectare, vt me ille prouocet, eſt mihi multo periculoſius, nec poſſum aliter certam mortem effugere. In hoc caſu dico licitam eſſe prouocationem. Et ratio eſt, quia talis accuſator infert mihi vim, in qua eſt actu; ſed prouocatio ad certamen eſt medium vnicum ad effugiendam mortem iniuſtam. ergo prouocatio habet rationem inculpatæ tutelæ. Confirmatur: ſi quis me vellet domi occidere, in qua ego minimè poſſem me commodè tueri, poſſem tamen alio in loco, poſſem ego licitè illi dicere, ne me peteret domi, ſed vt egrederetur in locum ampliorem, vbi vtriuſque vires eſſent apertiores. In hoc enim nulla cernitur ratio peccati, quia ſi ego poſſum alium impetere gladio ad tuendam vitam, cur non potero eligere alium locum mihi neceſſarium ad eamdem defenſionem? ſed eadem ratio eſt in caſu noſtro. ergo. Minor probatur, quia qui mihi vim iniuſtam infert per alios, in prudenti æſtimatione, & moraliter perinde eſt, ac ſi per ſe ipſum illam inferret, quia per ſe ipſum multa facit iniuſtè, propter quæ ego occidar iniuſtè. Quid igitur intereſt me ab illo peti proprio ipſius gladio, an gladio iudicis, aut ſerui, quibus ipſe præcipit, aut conſulit vt me occidant; aut ille quod habet ius, ne ego illi linguam præcidam, qua me occidit potiùs, quàm ne illi manum ſecem, qua & cædit. Eſt igitur eadem ratio in acceptando, & offerendo certamine, quando vtrumque eſt ſimpliciter neceſſarium ad effugiendam mortem iniuſtam. Et ita hanc ſententiam à fortiori præter Hurtadum docet cum Caietano Bannez *in* 2.2. *quæſt.* 64. *art.* 7. *dub.* 4. *concluſ.* 2. & Sanchez *in ſum. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 39 *num* 7. cum Petro Nauarra, aſſerentibus licitum eſſe talem accuſatorem occidi occultè.

Nec valet dicere, quòd qui prouocat accuſatorem iniuſtum, eſt cauſa vt accuſator peccet acceptatione duelli. nam reſpondeo hanc difficultatem eſſe communem omni militi iuſtè prælianti, cui non liceret hoſti prælium offerre. quod nullius dicet. Vtriuſque ratio eſt, quia qui iuſtam cauſam defendit, ſupponit inimicum eſſe in actuali peccato homicidij, neque illum inuitat ad amandum de nouo aliquod obiectum malum. Item illum non inuitat ſimpliciter ad pugnam, ſed ſub conditione, id eſt, ſi adhuc perſeueras in voluntate me occidendi, te prouoco; ſi verò deſiſtere vis ab homicidio, ego quoque à certamine deſiſto.

Sed circa præſentem quæſtionem, & omnia ſupradicta, præter citatos Doctores recognoſce etiam Caſtrum Palaum *tom* 1. *tract.* 6. *diſp.* 5. *punct.* 7. *num.* 11. *& ſeq.* Coninck *de fide diſp.* 32. *dub.* 2 *num.* 17. Molinam *de Iuſt. tract* 2. *diſp.* 17. *num.* 7. Nauarram *de reſt. lib.* 2. *cap* 3. *num.* 289. Valentiam *tom.* 3 *diſp.* 3 *quæſt.* 17. *punct.* 1. & alios penes ipſos, quibus nouiſſimè adde Andream Duualium *in* 2.2. *D. Thom tract. de charitate q.* 17. *art.* 1.

RESOL. XXVIII. *An ſi non adeſſet præceptum ſumendi Euchariſtiam, potuiſſet quis ſaluari, ſi non haberet propoſitum illam recipiendi?*

QVod eſt quærere, an Euchariſtia ſit peculiariter neceſſaria ad vitam æternam neceſſitate diſtincta à puta neceſſitate præcepti, & non orta ex illa. Aliqui aſſerunt ſacramentum Euchariſtiæ in re, vel in voto ſub diſiunctione eſſe peculiariter neceſſarium adultis neceſſitate medij ad vitam æternam. Vide Becanum *de Sacram cap.* 15. *quæſ.* 7. & probatur ex Ioan. 7. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.*

Verùm contrariæ ſententiæ adhæreo, quam communiter tuentur recentiores, vt Suares, Vaſquez, Coninck, Layman, & Tannerus, quos citat

& ſequitur Hurtadus Complutenſis *de Euchariſt. diſp.* 1. *diffic.* 6. quibus adde Villalobos *in ſum. tom.* 1. *tract.* 7. *diffic.* 34. *n.* 2. & 3. vbi ſic ait. [El Sacramento de la Euchariſtia recebido in re, no es medio neceſſario para la bienauenturança, ne in voto, queremos dezir, que ſi no vuiera preceto de comulgar, ſe pudiera vno ſaluar ſin tener propoſito de recebirle. El fundamento deſta concluſion es, porque para alcançar la bienauenturança ſolo es neceſſario eſtar en gracia, y perſeuerar en ella haſta el fin de la vida, y la gracia cierto es, que ſe da por la penitencia, y los demas Sacramentos, y no ſolo por eſte la perſeuerancia en gracia es fauor eſpecialiſſimo de Dios, y no es efeto propio deſte Sacramento, aunque ayuda mucho para ello; y aſſi no es medio neceſſario eſte Sacramento. Confirmaſe, porque ſi Dios reuocara aora la inſtitucion deſte Sacramento, con todo eſſo ſe pudieran los hombres ſaluar ſin intento de recebirle: y ſi fuera neceſſario neceſſitate medij, no lo negara la Igleſia à los paruulos, mayormente en el articulo de la muerte.] Ita ille, & alij, qui reſpondent ad teſtimonium Ioannis.

RESOL. XXIX. *An Sacerdotes ſumentes ſpeciem corporis, & ſanguinis Chriſti, recipiant maiorem gratiam, quàm laici ſumentes tantùm corpus Chriſti?*

PRima opinio negat. Ita Caietanus *in* 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 12. Sotus *in* 4 *diſt.* 12. *q.* 1. *art.* 12 Ledeſma *in* 1. *part.* 4 *quæſt.* 21 *art.* 12. *dub.* 2. Suarez *in* 3. *p. tom.* 3. *diſp.* 63. *ſect.* 2. Coninck *de Sacrament. quæſt.* 79. *art.* 1. *num.* 34. & Villalobos *in ſumma tom.* 1. *tract.* 7. *difficult.* 31. *num.* 2. & alij; quod probatur, quia ſumenti Euchariſtiam confertur ex opere operato gratia, quia ſumit ſacramentaliter Chriſtum, eiuſque corpus & ſanguinem; ſed qui ſumit vnam tantùm ſpeciem, non minus perfectè ſumit ſacramentaliter Chriſtum, eiuſque corpus & ſanguinem, quàm qui ſumit vtramque, vt patet. ergo non minus gratiæ confertur ſumenti vnam tantùm ſpeciem, quàm ſumenti vtramque, ſi aliàs ſint æqualiter diſpoſiti.

Secunda opinio affirmat, quam ex Alenſi, Caſalio, Arboreo, Vaſquez, tenet nouiſſimè Hurtadus Complutenſis *de Euchariſtia diſp.* 10. *difficult.* 6. quod etiam ſenſit Clemens VI. *in Bulla ad Regem Angliæ anno* 1541. in qua illi conceſſit vt ad gratiæ augmentum ſub vtraque ſpecie communicaret, & ratione probatur, quia quælibet ſpecies ratione ſui diuerſo modo ſpecifico ſignificat, & confert gratiam. ergo quælibet ratione ſui confert diuerſum & peculiarem gradum gratiæ, quia quodlibet ratione ſui diuerſo modo ſpecifico, quam ſpecies vini ſignificant, & conferunt gratiam, quia ſpecies panis ſignificant, & conferunt gratiam, vt ſatiantem, quia illam ſignificant, & conferunt tanquam cibus; ſpecies verò vini ſignificant, & conferunt illam, vt refrigerantem, quia illam ſignificant, & conferunt vt potus. ergo, &c. Vnde ego puto vtramque ſententiam probabilem eſſe.

Notandum eſt tamen hîc cum Villalobos *vbi ſuprà, num.* 3. quòd ſtando etiam in prima opinione, [Si ſucedieſſe que el Sacerdote vuieſſe pueſto eſtoruo para la gracia quando recibio la Hoſtia antes que recibieſſe el Caliz, tuuieſſe cõtricion, ya en tal caſo era otra ſumcion moralmente hablando, y recibiria gracia, como fuera tambien ſi recibiera dos formas, y antes de recibir la ſegunda, tuuiera contricion. [Sic ille.

RESOL. XXX. *Quæ Sacramenta fictè ſuſcepta, recedente fictione conferant gratiam.*

DIcam breuiter quæ DD. dicunt. Durandus *in* 4. *diſt.* 4. *quæſt.* 4. & Canus *de pœnitent. part.* 5. docent Baptiſmum, & pœnitentiam conferre gratiam recedente fictione. Maior *in* 4. *diſt.* 4. *quæſt.* 2. & Couarruuias *in c. Alma mater part.* 1. §. 4. *num.* 23. Baptiſmum, Confirmationem, Ordinem, & Matrimonium pro tempore, quo durat vinculum ipſius, & extremam Vnctionem pro tempore, quo in infirmitate, in qua datur, durat periculum mortis, Suarez *in* 3. *part. tom.* 3. *diſp.* 28. *ſect.* 6. Baptiſmum, Confirmationem, Ordinem, Matrimonium, extremam Vnctionem, & Pœnitentiam. Vaſquez *in* 3. *part. tom.* 2. *diſp.* 161. Sotus *in* 4. *diſt.* 6 *quæſt.* 1. *art.* 8. & alij, conferre gratiam recedente fictione, putat ſoli Baptiſmo conuenire. Sed alter Sotus, Petrus ſcilicet *in inſtit. Sacer. lect.* 5. *de Baptiſmo*, & Caiet. *tom.* 1. *opuſc. tr.* 5. docent, omnia ſeptem Sacramẽta fictè recepta conferre gratiam, dicta fictione recedente.

Vnde meritò dixit Villalobos *in ſumma tom.* 1. *tract.* 5. *diffic.* 21. *num.* 2. [Que en eſta queſtion no ay coſa cierta.] ipſe tamen magis probabiliter tenet [que todos los Sacramentos quitada la ficcion, tiene ſu efeto;] & ratio eſſe poteſt, quia Baptiſmus ideò confert gratiam recedente fictione, quia quamuis gratia Baptiſmi ſuppleri poſſit per contritionem, id tamen eſt melius, & vtilius hominibus; ſed etiam eſt illis melius & vtilius, quòd reliqua Sacramenta fictè ſuſcepta, poſtea recedente fictione conferant gratiam. ergo id etiam eſt illis tribuendum, ſicut & Baptiſmo.

RESOL. XXXI. *An alia Sacramenta præter Baptiſmum & Pœnitentiam, aliquando conferant primam gratiam?*

VIllalobos *vbi infrà*, & Hurtadus Complutenſis ex Gabriele Vaſquez *diſp. de Sacram. in genere, diffic.* 4. negatiuè reſpondent, ſecluſa extrema Vnctione, quia exiſtimat Hurtadus per hanc etiam conferri primam gratiam attritis, & abſque mala fide ſuſcipientibus illam.

Verùm ego libenter affirmatiuæ ſententiæ adhæreo. Dico igitur quinque Sacramenta viuorum conferre primam gratiam aliquando, videl. quando peccator accedit attritus, exiſtimans bona fide ſe eſſe in ſtatu gratiæ abſque peccato mortali, quia de diuina clementia credi poteſt, quòd voluerit ſic accedenti conferri primam gratiam. Id tamen non eodem modo defenditur ab auctoribus huius ſententiæ, quia alij exiſtimant id habere dicta Sacramenta per ſe, & ex primaria inſtitutione eorum ſecundùm rationẽ genericam Sacramenti, quamuis ſecundùm ſpecificam fuerint inſtituta ad conferendum augmentum gratiæ; alij verò exiſtimant id habere

habere dicta Sacramenta ex inſtitutione ipſorum ſecundùm rationem ſpecificam, ſecundariò tamẽ, & per accidens. Et hanc ſententiam probabilem eſſe docent ipſimet aduerſarij. & ideo Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 4. difficult. 7. num. 2.* ſic ait. [Es probable que los Sacramentos de los viuos dan primera gracia, porque los Sacramentos de los muertos dan augmento de gracia, quando los recibe vn hombre que eſtà en gracia, lo qual parece de per accidens, pues no fueron inſtituydos para eſſo principalmente; luego tanbien los Sacramentos de los viuos daran la primera gracia de per accidens al que llegare con ſufficiente diſpoſicion, la qual parece que tiene el que llega con buena fe, y no pono eſtorno al efeto de los Sacramentos.] Ita ille. & abſolutè noſtram ſententiam docet Coninck *de Sacram. quæſt. 62. art. 1. dub. 2.* Reginaldus *tom. 2. lib. 26. numer. 45.* & alij. Hæc opinio ſatis animarum conſolatoria eſt. Ex illa ſequitur quòd ſi aliquis v.g. quia non potuit confiteri, ſumeret Euchariſtiam, putando ſe habere contritionem, ſi habeat tantùm attritionem, adhuc ex ſumptione Sacramenti obtineret primam gratiam.

RESOL. XXXII. *An ad valorem Sacramenti requiratur poſitiuus conſenſus illud ſuſcipiendi?*

QVidam Sacerdos ſumpſit Preſbyteratus Ordinem, & vt ipſe aiebat, in eius ſuſceptione neque actualiter, neque virtualiter habuit intentionem ſuſcipiendi illum. ſcrupulis poſtea angebatur, quia ex D. Thoma *in 3. part. quæſt. 68. art. 7.* Scoto *in 4. diſtinct. 4. quæſt. 4.* Coninck *de Sacrament. quæſt. 64. art. 8. dub. 5.* & alijs communiter ad valorem Sacramenti in adultis requiritur poſitiuus conſenſus ſuſcipiendi illud: ergo, &c.

Sed ego tunc dictum Sacerdotem ab illa anxietate liberaui, non ex doctrina Caietani *in 3. part. quæſt. 68. art. 7.* & Ledeſmæ *in 4. part. 1. quæſt. 9. art. 7.* aſſerentium ad valorem Sacramenti in adultis non requiri poſitiuum conſenſum, ſed ſufficere quòd non reſiſtant, vt videtur expreſſiſſe Innocentius III. *in cap. maiores, de Baptiſmo.* Non inquam, tunc hanc doctrinam adduxi, ſed aliam; nempe quòd licet in adultis requiratur, vt dictum eſt, poſitiuus conſenſus ad valorem Sacramentorum, ſufficit tamen habitualis, id eſt, præteritus non reuocatus, vt ſupponitur *in dict. cap. maiores.* & ſatis congruenter, quia ſuſcipiens non ſe habet vt agens & operans, ſicut ſe habet miniſter, ſed tãtùm ſe habet vt patiens, ac proinde non eſt neceſſarium conſenſum eſſe actualiter, neque virtualiter, vt ex eo tanquam ex efficiente deriuetur, & fiat Sacramentum; ſed ſufficit, quòd ſuſcipiens aliquo modo conſentiat in ſuſceptionem Sacramenti; ad quod ſufficit conſenſus præteritus nondum reuocatus. Et etiam ſufficit conſenſus ex metu coactus, vt ſupponitur *in dict. c. maiores*, & in Concilio Toletano IV. *can. 55.* quia conſenſus iſte eſt ſimpliciter voluntarius, & liber, quamuis aliquid inuoluntarij habeat admixtum; imò non eſt neceſſarius conſenſus ſpecialis, ſed ſufficit quilibet etiam generalis, quia quodlibet ſuſcipiens dicitur in ſuſceptionem Sacramenti conſentire, vt conſenſus, quo quis catholicè viuens deſiderat aliquando vti medijs Eccleſiæ, vel ea ſibi conferri, quando ipſis indigeat, & hunc ad minus præſumit Eccleſia in moribundo, quem extremè vngit, quamuis id non petierit. Et ita docet Hurtadus *de Sacram. in genere diſp. 4. diffic. 13.* doctè vt ſemper ſolet.

RESOL. XXXIII. *Quando obliget præceptum contritionis?*

HIc caſus erit multùm plauſibilis ijs, qui ſcrupulis anguntur, ſi tamen meam ſequi velint opinionem.

Prima opinio eſt Guilielmi Pariſienſis *tract. de pœnit. cap. 19.* Argentinæ *in 4. diſt. 17. art. 4.* Maioris *quæſt. 2.* Petri Soto *lect. 13. de pœnit.* Sylueſtri *verb. contritio, n. 4.* & Diui Antonini *3. part. tit. 14. cap. 18.* aſſerentium, præceptum contritionis, ſtatim ac commiſſum eſt peccatum mortale, obligare.

Secunda opinio eſt Marſilij *in 4. quæſt. 12. art. 1.* Viguerij *in inſt. cap. 16. §. 4.* Petri Soto *vbi ſuprà*, aientium peccatorem teneri præcepto ipſo contritionis in diebus feſtis.

Tertia opinio eſt Adriani *in 4. quæſt. 3. de Confeſſione*, & Petri Soto dicentium, peccatores obligari præcepto contritionis, quando magna aliqua calamitas populo imminet.

Quarta opinio eſt Dominici Soto *in 4. ſententiar. diſt. 17. quæſt. 1. art. 6.* qui docet, peccatorem teneri præcepto ipſo contritionis, quando eſt in periculo probabili obliuionis peccatorum.

Quinta opinio eſt Suarez *in 3 part. tom. 4. diſp. 15. ſect. 6.* Coninck *diſp. 3. dub. 3.* Ochagauiæ *quæſt. 16.* & aliorum, qui tenent, peccatorem teneri ante articulum mortis ad non multum differendam contritionem, poſtquam commiſſum fuerit peccatum mortale, nullum tamen determinatum tempus aſſignant, pro quo peccator obligetur.

Sed omnes has opiniones optimè refellit Hurtadus Complutenſis *diſput. 3. de pœnit. difficult. 4.* vbi cum Caietano *in ſumm. verb. contritio*, & Vaſquez *in 3. part. tom. 4. quæſt. 86. art. 2. dub. 6.* docet peccatorem præcepto ipſo contritionis non teneri, niſi in articulo mortis, aut in periculo, quando medio ſacramento Pœnitentiæ iuſtificari non poteſt; nam aliàs peccator excuſatur ab obligatione præcepti contritionis, quando alia via iuſtificatur; & ratio eſt, quia tota obligatio præcepti contritionis oritur ex neceſſitate iuſtificationis: ergo ceſſat, ceſſante dicta neceſſitate. Et ita ego hanc ſententiam teneo, quam præter doctores citatos tenet etiam Villalobos *in ſumm. tom. 1. tract. 9. diffic. 21. nu. 4. & 5.* Dico igitur peccatorem, qui Sacramento non iuſtificatur, teneri in actu ſecundo ratione ſui & per ſe in articulo, & in periculo mortis extra hæc tempora per accidens ratione præcepti alterius virtutis à charitate diſtinctæ; vt quando adminiſtrandum eſt aliquod Sacramentum, & non adſit Confeſſarius, tunc, vt dixi, per accidens ex virtute Religionis, vt dignè manifeſtentur Sacramenta, teneretur elicere actum contritionis.

Vnde ex his contra Alexandrum *4. part. quæſt. 68. membr. 2. art. 2.* Richardum *in 4. diſt. 14. art. 9. quæſt. 1.* Gabrielem

Gabrielem *quæst.3. dub.1.* Paludanum *distinct. 17. quæst.1.art.3.* & Syluestrum *verb. contritio,quæst.2.* dicendum est eum, qui peccauit, non teneri præcepto affirmatiuo habendi contritionem de peccatis iam remissis, quoties memoriæ occurrunt, quia non modò hæc obligatio durissima videtur absque fundamento,sed etiam contra rationem;præceptum enim istud, vt dictum est, ideò obligat in actu secundo quatenus indigemus iustificatione à peccatis, & reconciliatione cum Deo. Ergo qui semel ab illis iustificatus est, manet exemptus ab obligatione illius. Et ita docet Caietanus *in 3.part.quæst.84.art.8.& 9.* Petrus Sotus *lect.13.de pœnit.* Dominicus Sotus *in 4.dist.14.quæst.1.art.9.* Suarez *disp.15.sect.8.*& alij.

RESOL. XXXIV. *An qui peccet mortaliter, si formam absolutionis variet,dummodo tamen verba significent actum iudicialem?*

CAsus est curiosus, & suppono quòd forma absolutionis conferri debet modo indicatiuo, non autē deprecatiuo; si enim aliquis diceret,Absoluat te Deus,Sacramentū erit inualidum.Verùm non solùm valida erit absolutio facta modo indicatiuo, vt dictum est, sed etiam imperatiuo; vt si dicatur, Absoluaris, vel, Absoluatur Petrus. quia sententia decisiua iudicis conuenientius adhibetur non solùm modo indicatiuo, sed etiam imperatiuo. Imò contra Caietanum, & Sotum docet Scotus *in 4. dist.14. quæst.4.* Gabriel *quæst.2. art.1.* Vasquez *in 3.part. tom.4. quæst.84. art.3. dub.3.* Suarez *disp.19.sect.1.* & alij, formam absolutionis esse sufficientem, quoties significent actum iudicialem, & sententiam decisiuam absolutionis à peccatis, vt si Confessarius dicat, Volo absoluaris, Libet te absolui, &c. quia in his verbis saluatur sensus formæ sacramentalis absolutionis, quæ instituta est à Christo, instar sententiæ iudicis.

Sed difficultas est, an Confessarius supradictis verbis absoluendo pœnitentem, peccet mortaliter? quid sentiam, non proferam; dicam solùm ea, quæ docet Hurtadus Complutensis *disput.5. de pœnit. difficult.3.* vbi sic asserit. Quamuis forma absolutionis supradicto modo prolata sit sufficiens ad valorem Sacramenti, illicitè fiet si non proferatur modo indicatiuo,quia erit contra consuetudinem Ecclesiæ solo modo indicatiuo vtentis, id tamē non erit peccatum mortale,sed veniale, quia ea mutatio non est grauis,sed leuis. Ita ille.

RESOL. XXXV. *In quadam Religione tenebantur Religiosi confiteri determinatis temporibus, quæsierunt à me,an ad hoc tenerentur si tantùm peccata venialia haberent?*

NEgatiuè respondi, quia,vt rectè contra Alexand. *4.part.quæst.18.memb.4.art.2.* Bonauent.*in 4.dist.17 par.2. art.2. quæst.1.* & Richardum *art.2. quæst.8.* docet Diuus Thomas *in 4.dist.17.q.3. art.1. quæstiunc.3.* Scotus *quæst.1.* Suarez *in 3.p.tom.4.disp.36. sect.2.* Vasquez *quæst.90.artic.2.dub.2.*& alij.Nullus fidelis carens peccato mortali tenetur ad confitendum ex vi præcepti confessionis:imò,quod est notandum, nec ad comparendum coram suo Parocho, nisi fortè aliquando per accidens ad sedandum scandalum, quando fortè ortum sit ex eo, quòd quis non confiteatur;& ratio est,quia Ecclesia præcepto annuæ confessionis tantùm præcipit semel in anno fieri id,quod Christus præcepit fieri extra articulum mortis, non determinando tempus; sed Christus nullo modo præcepit confessionem venialium,sed tantùm mortalium. ergo ex vi dictorum præceptorum nullus tenetur ad confessionem venialium,adhuc quando non habet mortalia.

Sed aduersùs hanc doctrinam facere videtur Clem.*Ne in agro Dominico,de statu Monachorum.* Vnde asserit Vasquez *vbi suprà dub.3.* Suarez *sect.5.* Canus *relect.de pœnit.dist.6.num.22.*& alij, quòd ex illa Monachi Benedictini tenentur confiteri singulis mensibus, etiamsi habeant tantùm peccata venialia, & hoc sub onere peccati mortalis, vt vult ex Vasquez Hurtadus *disput.7.de pœnit.diffic.8.*

Verùm licet Paludanus *in 4.dist.17.quæst.2.art.4.* Sotus *dist.18.quæst.1.art.3.*glossa *dict.Clement.* & alij contrarium asserant, hęc non obstant in casu nostro. Primò quia præceptum dictæ Clementinæ fuit impositum ab Ecclesia, quæ tamen potest secundùm aliquos præcipere confessionem venialium, vt probat Hurtadus *loco citato.* Sed in casu de quo interrogatus fui,adest tantùm præceptum regulæ illius Religionis, quæ certum est nullam potuisse habere facultatem, & potestatem circa materiam sacramenti Pœnitentię.ergo,&c.Secundò asserunt aliqui, præceptum dictæ Clementinæ obligare tantùm, quando Patres Benedictini habent conscientiam peccati mortalis: & ita cum multis alijs docet Villalobos *in summ. tom.1.tract.9. diffic.28.num.5.* qui antea *num.4.* sententiam, quam ego circa præsentem quæstionem consului, tenet in terminis, vt dici solet, terminantibus; sic enim ait. [El que no tiene mas de pecados veniales, no tiene obligacion de confessarse al año; la razon es,porque el preceto diuino no obliga à confessar los pecados veniales; y como este preceto Ecclesiastico no es nueuo,sino que determina solamente el tiempo,siguese que tanpoco por fuerça deste preceto estamos obligados à confessar los pecados veniales; y entonces basta que se presente al paroco, porque no parezca que llega temerariamente al Sacramento de la Eucharistia. Infierese tanbien que los Religiosos que estan obligados por sus reglas à confessarse en ciertos tiempos,no estan obligados à hazerlo, no teniendo pecado mortal.] Ita ille, qui,vt visum est,in his vltimis verbis in specie determinauit casum,de quo ego interrogatus fui.

Notandum est etiam hic obiter, quòd Patres Benedictini,etiamsi haberent peccata mortalia,tenerentur cōfiteri tantùm sub onere peccati venialis. Ita contra Hurtadum probabiliter tenet Henriquez *lib.1.de pœnit.cap.4.num.10.* & Villalobos *vbi suprà*, qui etiam addit præceptum dictæ Clementinæ esse contrario vsu derogatum.

RESOL.

RESOL. XXXVI. *An Confessarius teneatur imponere pœnitentiam ante absolutionem?*

AFfirmatiuè respondet glossa *in Clement. dudum, de sepult. verb. audire*, quia in eo textu pœnitentia priùs imponitur, quàm absoluatur pœnitens, & ita consuetudo inualuit, vt patet. ergo, &c.

Sed dicendum est liberum esse Confessario post absolutionem etiam imponere satisfactionem. Probatur ex *cap. finali, de censibus in 6.* vbi sic dicitur. Potest Archiepiscopus dum visitat, confessiones suffraganeorum audire, ac absoluere confitentes, ipsisque salutares iniungere pœnitentias. Sic ibi. Igitur potest Confessarius ante & post absolutionem pœnitentiam imponere, vt patet ex dictis iuribus, licet consuetudo iam obtinuerit, tanquam quid melius, vt priùs imponatur pœnitentia, quàm pœnitens absoluatur à peccatis. Nota tamen dictam consuetudinem nullam induxisse obligationem, vt rectè notat Ochagauia *de Sacrament. tract. vlt. de pœnit. quæst. 10. num. 7.*

RESOL. XXXVII. *An Confessarius imponens pœnitentiam, etiam tempus determinando, post illud elapsum teneatur pœnitens adhuc illam adimplere?*

REspondeo quòd cùm Confessarij imponentes pœnitentiam etiam tempus determinando non tam habeant rationem temporis & cultus eo tempore exhibendi, quã ipsius operis in se, quod iniungunt, scilicet in satisfactionem peccati, & per modum medicinæ in futurum, si pœnitens præfixo tempore pœnitentiam non impleuerit, siue culpabiliter, siue absque culpa, debet proximo commodo tempore eam adimplere, vt tenet Toletus *lib. 3. c. 11. num. 11.* & breuiter indicat Vasquez *quæst. 94. art. 2. dub. 4. nu 1.* Contrarium tenet Henriquez *lib. 5. cap. 22. numer. 7.* cuius sententia vera esse potest, quando ex circumstantijs potest colligi non fuisse mentem Confessarij exacto tempore pœnitentem obligare.

RESOL. XXXVIII. *An satisfactio sacramentalis in peccato mortali facta habeat suum effectum?*

EX Soto, Adriano, Ledesma & Suarez negatiuam sententiam docet Ochagauia *de Sacram. tract. vlt. de pœnit. quæst. 15. nu. 6.* Idem etiam ex Henriquez, & Coninck tenet Hurtadus *de Sacramentis, disp. 14. de pœn. diffic 14.* quibus adde Ioannem Præpositum *in 3. part. quæst. 12. de satisfact. dub. 6. num. 82.* Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 9. difficult. 76. num. 89.* & ratio est, quia ad satisfaciendum re vera ex vi Sacramenti, & tamquam pars sacramentalis ex opere operato tantùm videtur assumptum illud opus pœnale, quod ex se & natura sua, & ex omnibus suis circumstantijs est satisfactorium ex opere operantis, illa enim tantùm est satisfactio legitima, quemadmodum ad rationem Sacramenti matrimonij tantùm videtur assumptus à Christo contractus matrimonialis legitimus inter legitimas personas; sed opus pœnale factum in statu peccati mortalis non est satisfactorium ex opere operantis, vt patet ex secunda conclusione. ergo neque est satisfactorium ex opere operato, & ex vi Sacramenti.

Verùm his non obstantibus affirmatiuam sententiam non minùs probabilem esse puto. Dico igitur opus satisfactorium, quatenus est pars Sacramenti, & à Confessario impositum, remittere pœnam temporalem debitam pro peccatis dimissis per absolutionem sacramentalem præcedentem, & hoc ex opere operato, etiamsi in peccato mortali fiat. Et ita hanc opinionẽ tenet, qui penes me instar multorum est, sapientissimus Vasq. *in 3. part. tom. 4. q. 94. art. 2. dub. 5. num. 10.* & ante illum Marsil. *in 4. q. 11. art. 3.* & Med. C. *de pœnit. q. de pœnit. iniuncta extra gratiã impleta* Probatur hæc opinio, quia si aliquid obstaret, quominus satisfactio sacramentalis in peccato exhibita remitteret pœnam temporalem, aut hoc esset, quia homo in peccato mortali existẽs incapax est remissionis pœnæ. Et hoc non, quia ei, qui existit in peccato mortali, remitti potest pœna temporalis, licet non possit remitti culpa aliqua mortalis, aut venialis, quod ex se patet, cùm nullum habeat inconueniens, nec etiam obstat prædictæ remissioni pœnæ, quòd opus non est meritorium ex defectu hominis satisfacientis, qui debebat ad satisfaciendum esse in gratia, quia satisfactio nõ operatur vbi per modũ meriti condigni, sed per modum Sacramenti mortuorum impetrando remissionem pœnæ temporalis: ergo ad hoc non est necessaria gratia. Dicendum est igitur, quod status peccati mortalis non est obex remissioni pœnę temporalis faciendæ media pœnitentia sacramentali. ergo in eo statu causatur dicta remissio media pœnitentia in eo statu facta. Consequentia patet, quia Sacramentum & pars Sacramenti operantur suum effectum in subiecto non habente obicem. Antecedens autem probatur, quia pœnitentia sacramentalis non causat remissionem pœnæ temporalis media infusione gratiæ, nec per modum meriti de condigno, quibus status peccati mortalis est obex, sed impetrando illam a Deo, cui impetrationi non obest, quia peccator multa potest à Deo impetrare & impetrat.

Notandum est tamen stando in prima sententia, Caietanum, Victoriam, Suarez, Henriq. & Coninck asserere pœnitentiam in statu peccati mortalis impletam remittere postea pœnam temporalem ex opere operato, quando recedit fictio, id est quando cessat status ille. Sed Hurtadus *vbi suprà* docet hæc à supradictis auctoribus dici sine fundamento, quia si tribuere effectum ex opere operato, recedente fictione, conuenit Baptismo, & fortè pœnitentiæ informi (si datur informis) idcirco est, quia hæc duo Sacramenta sunt media necessaria ad remissionem culpæ, & pœnæ æternę; pœnitentia verò sacramentalis non est necessaria ad remissionem pœnæ temporalis reliquis, quia hæc potest pluribus alijs operibus haberi. ergo, &c. & ita hanc sententiam docet etiam Præpositus *vbi sup. in 3. p. q. 12. de satisfact. dub. 6. n 82.*

Nota etiam hic obiter cõtra Petrum Soto *lect. 1. de satisfact.* Suar. *in 3. p. tom. 4. disp 38. sect. 5.* Vasq. *q 94. art. 2. dub. 6.* Ochagauiam *vbi suprà q. 16.* Turrianum

*de pœnit. diſp.*38 *dub.*5. Reginald. *tom.*1. *lib.*7. *c.*5. *n.*47. pœnitentiam à Confeſſario taxatam iuxta grauitatem peccatorum,& non minorata ob fragilitatem pœnitentis extinguere debitum totius pœnæ temporalis reſtantis. Ita cum Scoto, Soto, Gabriele, Maiore, & Medina docet Hurtadus *vbi ſup. diffic.*15. adi illum,& non pigebit.

RESOL. XXXIX. *An Epiſcopus ex Religione Minimorum aſſumptus teneatur ad votum vitæ Quadrageſimalis?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Laurent. de Peyrinis *in priuileg. Minim. to.*3. *c.*14. *n.*3. vbi hoc probat ex auctoritate trium Summorum Pontificum. Primus fuit Paulus V. qui Duci de Alburquerque, eo tempore Legato Romæ pro Rege Hiſpaniarum, petenti diſpenſationem ſuper hoc voto pro R.P.Fr. Gondiſaluo de Angulo Ordinis noſtri Epiſcopo Valenzolæ in Indijs, reſpondit: Ego ſemper fui huius Religionis deuotiſſimus, & abſtinui à Fratribus dictæ Religionis in Epiſcopos promouendis, ne cogerer cum eis ſuper voto vitę quadrageſimali diſpenſare. & ſic diſpenſare recuſauit. Ita teſtatus eſt P. Trimarchi dicti Ordinis audiuiſſe ab ipſomet Duce Alburquerque, cùm eſſet Prorex Siciliæ *anno* 1628. Secundus fuit Greg. XV. qui noluit diſpenſare, quamuis multum rogatus ſuper duo vota cum R. P. Fr. Franciſco à Mayda Ordinis noſtri Generali, & Epiſcopo Lauellẽſi, qui etiam Epiſcopus eiuſdem opinionis erat, retulit enim ipſemet mihi Romæ, quòd cùm quadam die fuiſſet inuitatus à quibuſdam Prælatis ad prandium, parauerunt illi cibos Paſchales, dicentes: Iam Domine Epiſcope potes nobiſcum cibos Paſchales comedere. Qui reſpondit: Non equidem, nam teneor obſeruare dictum votum, ſicut antequam eſſem Epiſcopus, & erat hic Epiſcopus vir doctiſſimus, & eloquentiſſimus concionator. Tertius Pontifex fuit Vrbanus VIII. qui in examine, quod fiebat coram ipſo R.P.Fr. Franciſco Caſtellano Epiſcopo Caprulienſi Ordinis noſtri, petijt ab eo, an teneretur ad votũ vitæ quadrageſimalis? & cùm ipſe Caſtellanus reſpondiſſet, non teneri; reſpondit Papa: Erraſti, teneris enim, quin ex hoc ſolùm arceretur à dicto Epiſcopatu conſequendo, nec voluit cum eo ſuper dicto voto diſpenſare.

Secundò probatur eadem concluſio; quia Minimi vouent obſeruare vitam quadrageſimalem toto tempore vitæ ſuæ, vt patet ex eorum profeſſione *in Correctorio. n.*18. Nec valet dicere quòd illud, *toto tempore vitæ ſuæ*, intelligitur, quamdiu in Religione permanſerint. nam eſt implicantia in terminis, quòd quis profitendo intelligat perſeueranter viuere ſub voto quadrageſimalis vitæ, & id expreſsè dicat, & quòd deinde intelligat vitam quadrageſimalem obſeruare, quamdiu tantùm in Religione ſteterit, ſi enim vult perſeueranter viuere toto tempore vitæ ſuæ in Religione, quomodo poteſt intelligi quòd nolit ſe obligare ad ſeruandum votum vitę quadrageſimalis, niſi quatenus in Religione ſteterit? Hæc omnia Peyrinus, qui tamẽ pro negatiua ſententia me citat, ſed immeritò amiciſſimus vir aſſeruit eſſe parum cõſideratè prolatã.

Nam licet affirmatiua ſententia circa præſentem quæſtionem ſit ſatis probabilis, negatiuam tamen non minus probabilem eſſe exiſtimo, quam nouiſſimè tuetur doctus Ioannes Henriq. *in Compend. caſuum moral. cap.*6. *num.*17. vbi ſic ait. [El Religioſo expulſo de la Orden de los Minimos, ſiendo la expulſion perpetua, y el Obiſpo de la miſma Religion, no eſtan obligados à guardar el voto de la vida quareſmal por la mudança de la materia in qua.] Sic ille. Ad auctoritatem verò Summorum Pontificum, quam affert Peyrinus, reſpondeo primò de illis reſponſionibus non conſtare authenticè, vel dicendum eſt dictos Pontifices ita reſpondiſſe adhærendo opinioni affirmatiuæ, quam nos, vt diximus, probabilem etiam eſſe exiſtimamus, ſed non exinde ſequitur negatiuam ſententiam carere probabilitate.

RESOL. XL. *An qui edit vſque ad vomitum peccet mortaliter?*

DE hac quæſtione olim mihi quæſtio fuit cum quodam Religioſo Dominicano, viro quidem docto, & amiciſſimo, ille enim aientem ſententiam ſuſtinebat, ego negantem, quam nunc etiam teneo, & tenet nouiſſimè Ioannes Henriquez *in Compend. caſuum moral. cap.*19. *num.*9. vbi ſic ait. [Algunos Dotores an afirmado, que tanbien es pecado mortal la gula, quando el hombre aduertidamente come haſta vomitar. Pero otros Dotores firman mas probablemente, que eſto no es mas que pecado venial; porque no ay razon alguna, que prueue ſer pecado mortal, pues no es eſto contra algun mandamiento de Dios, ni de la Igleſia, ni es en daño notable de perſona alguna, ni ſe pone en eſto el vltimo fin.] Sic ille, & ego.

RESOL. XLI. *An quando delictum eſt occultum, teneatur ad correctionem faciendam quis adhibere teſtes, etiamſi illud peccatum antea non cognouerint?*

CAſus practicabilis eſt, & negatiuam ſententiam tenet Durandus *in* 4. *diſt.*9. *quæſt.*4. Vnde in fauorem huius ſententiæ non grauabor hîc apponere verba Ioannis Henriquez *in Compend. caſ. moral. cap.*28. *num.*2. vbi ſic ait. [Quando el delito es tan oculto, que no lo ſabe mas que vn hombre ſolo, deue hazer la primera correcion à ſolas entre el, y el culpado, y no deue paſſar mas adelante, ni hazer ſegundo auiſo delante de teſtigos, aunque no ſe aya emendado, ſino dexarle que ſe eſtè en ſu pecado. Porque la ſegunda correcion que ſe auia de hazer delante de los teſtigos ſe entiende, que han de ſer de los hombres, que ya ſaben el delito por otro camino, para que el culpado no pueda negar ſu culpa: y aſſi ſi llamaſſen teſtigos, que no ſaben el delito por otro camino, el culpado puede negar ſu culpa: y aſſi los teſtigos no tienen mayor obligacion de creer al que corrige, afirmando que ſe cometio tal pecado, que al otro que lo cometio en ſecreto, diziendo que no le cometio. Y ſi ſe dixeſſe que los teſtigos eſtan mas obligados à creer al hombre que corrige, que al corregido, ſeguiria de aqui que qualquier hombre deſalmado, que quiſiere hazer mal à otro, podria

dria llamar teſtigos, y delante dellos corregir falſamente, diziendo que viuia mal, y que ya en particular, y à ſolas le auia corregido ſecretamente, ſiendo todo falſo; y deſte modo podria hazer, que caſtigaſſen qualquier perſona, que viuieſſe bien. Y ſi ſe concedieſſe que los teſtigos no eſtan obligados à creer quien los llama, ſino al hombre que niega, podrà el que niega, aunque ſea culpado, querellarſe de que el hombre que lo corrige, lo difama, y le quita la honra delante de teſtigos. Y no pudiendo probarſe el contrario por ſer el delito oculto, podria hazer que caſtiguen al que corrige con la pena de talion. Eſta dotrina es de todos los Canoniſtas, y la trae Pedro de Nauarra *tom.1. lib.2.cap.4.dub.13.* aun que los Theologos tienen el contrario. Ita Henriquez *vbi ſuprà.*

Sed nouiſſimè contrariam ſententiam docet Iacobus Granado *in 2.2. contr.3. de charit. tract.12. diſp.7.n.6.* vbi ſic ait. Reſpondent aliqui ſolùm adhibendos eſſe teſtes, qui illud peccatũ antea cognouerint, & quidem id verum eſſet, quando reperirentur eiuſmodi teſtes, & prodeſſe poſſent, ſic enim minus infamaretur delinquens; ſi verò non reperirentur eiuſmodi teſtes, adhiberi poſſunt & debent alij, quibus crimen ad hunc finem detegatur; quia licet hoc modo aliquam famæ iacturam patiatur, ea cenſenda eſt minoris momenti, quàm ſpirituale damnum, quod patitur frater, dum in ſuo peccato perſeuerat. Et quamuis ij teſtes non aliunde acceperint notitiam peccati, quàm ab illo ipſo, qui priuatim admonuerat, nihilominus multùm prodeſſe poterit coram eis palàm corrigere. Primò, quia ſic maiori rubore ſuffunderetur delinquens. Secundò, quia magis & magis timebit iterum delinquere, ſciens eſſe iam plures, qui cognouerint eum peccauiſſe, poſſintque, ſi velint, illum ſolerter obſeruare. Hæc autem ſine dubio magni momenti ſunt ad emendationem. Ita Iacobus Granado. cui etiam adde Tanner. *tom.3. diſp.2.q.5. dub.5. num.97.* Vnde huic poſteriori ſententiæ tamquam probabiliori adhæreo.

RESOL. XLII. *An modus præſcriptus à Domino* Matth. 18. *in facienda correctione contineat præceptum, vel ſolum conſilium?*

VErba Chriſti Domini in ſupradicto loco non continere præceptum, ſed ſolùm conſilium, tradunt aliqui, quos nouiſſimè citat, & ſequitur Hurtad. de Mendoza *vol.2. in 2.2. diſp.163. ſect.5. §.207.* vbi ſic ait. Non erit difficile colligere, an illa verba Chriſti præceptũ contineant, an conſilium? Pono eſſe præceptum de correctione fraterna, item de præmonitione ſecreta, antequam deferatur crimen occultè, & paternè ad alium, ſi æquè bene ſperatur profutura, aut parum minus. Item pono hoc præceptum contineri in verbis Chriſti per ſimilitudinem; aſſero tamen verba Chriſti, vt ab ipſo dicta, non eſſe præceptum, ſed conſilium, nec ibi præceptum modum correctionis fraternę, de qua diſputamus. Bernard. de Areualis ſatis doctè hanc concluſionem docet, in quem tamen inuectus eſt P. Valent. *tom.3. diſp.10. punct.5. §.1.* quem *perſ. ex quibus patet*, intolerabilem, & ſingularem appellat; quia aduerſatur communi ſententiæ Theologorum, ac Patrum, nulliſque firmis innititur fundamentis. Et quidem non eſt ſingularis, ſiquidem B. Bonau. ſequutus eſt opinionem eamdem in *c.17. Lucę, Si peccauerint in te*, &c. ait enim. Hic autem ordo congruitatis eſt, non neceſſitatis. Certum eſt nõ eſſe præceptum de illo ordine ſeruando in peccatis venialibus. Item ſi de ſolis agitur mortalibus iniurioſis, non eſt præceptum de illis ciuiliter condonandis, quia poſſumus ſatisfactionem petere. Vt autem videas Bonauent. & Areualum non fuiſſe ſingulares, audi Maldon. *Matth.18.15.* Origenes inquit, *tract.in Matth.6.* de ſolis venialibus, ſiue contra nos, ſiue contra Deum factis locum interpretatur. Hieronymus, Hilar. Chryſoſt. Ambroſ. *in c.17. Lucæ.* Auguſt. *ſerm.16. de verbis Domini ſecundùm Matthæum.* Theophyl. & Euthymius *de mortalibus*; ſed de his tantũ quę contra nos, non de ijs, quę contra Deum fiunt. nam ea non ſunt diſſimulanda. Hæc ille. ergo non eſt præceptum, quia diſſimulatio noſtræ iniuriæ non eſt præcepta, quia licitè poſſumus eam nõ diſſimulare, & petere poſſumus ſatisfactionẽ, maximè cùm publica eſt iniuria. P. Maldon. *ibid.* ait, apertè illud eſſe conſilium. Spectandum enim eſt, inquit, Chriſti cõſilium, vt peccantem non acerbè accuſemus, ſed benignè corrigamus. Pater Salm. *tom.4. in Euang. tract.17.* cenſet hanc opinionem Areuali eſſe probabilem, quod ibi latè confirmat. Caietan. adductus id ſatis apertè dixit, affirmans meam iniuriam poſſe à me condonari, & accuſari. Stella *in Luc.17.* in illud, *increpa illum*, aſſerit, non poſſe certum ordinem præſcribi. In his, inquit, regula certa dari non poteſt, quando licebit ſtatim dicere Prælato, &c. At regula à Chriſto ibi inſinuata certa eſt; cenſet ergo Stella eam non eſſe præceptum de ordine correctionis. Barthol. Piſanus accipit verba de peccato digno excommunicatione, in quo quia publicum, non obligat ille ordo. S. Thomas *quodl.11.* eum ordinem non colligit in occulta delatione, ſed in publica, vt item *2.2.q.33.art.7.& 8.* Denique Pater Suar. *lib.10.c.7.n.13.* quamuis præceptum naturale agnoſcit, fatetur tamen id difficilè colligi ex verbis Chriſti: num. autem 15. ait difficilius eſſe præceptum de inductione teſtium; & quamuis S. Thomas cenſet eam eſſe præceptã, ait Pater Suarez ab eo id non probari niſi quadã congruentia. Ratione probatur, quia remiſſio illa externa iniuriarũ non eſt præcepta, ſunt duæ conditiones iniuriæ; altera interna, qua deponitur odium, quod concipi poterat in eam inferentẽ. Hęc condonatio, ſeu odij carentia eſt de neceſſitate præcepti. Chriſtus enim negauit nobis criminum veniam, niſi remiſerimus fratribus de cordibus noſtris. Secunda remiſſio eſt externa, qua iniuriam ferimus non petita ſatisfactione, ſed volumus externè etiam reconciliare nobis eum, qui intulit iniuriam. Hoc conſuluit Chriſtus, vt iam explicui, ſed nihil horũ eſt in præcepto. ergo verba Chriſti non ſunt præceptũ. Minor probatur, quia non eſt de ſe peccatum petere ſatisfactionem. nec expectare, vt eam faciat, qui intulit iniuriã. Quo enim præcepto naturali, aut poſitiuo adſtringitur affectus iniuria, ad conueniendũ eum qui intulit? Huc vſque Hurtadus *vbi ſuprà.*

Sed pace viri doctiſſimi, hanc ſententiam non approbo. Igitur cùm D. Thom. 2.2. *q.* 33. *art.* 7. & 8. & communi Theologorum ſententia omnino dicendum eſt, Matth. 18. præcipi ordinem, quem in correctione ſeruare debeamus, atque adeò quando adſunt conditiones ad hoc requiſitæ, nos ſub peccato obligari eum ſeruare. Probatur primò, quia eſt communis omnium ferè Doctorum, pauciſſimis exceptis, qui nulla probabili ratione contrarium aſſerunt; quamquam nec illos credo generaliter contrarium velle aſſerere: ſiue nos numquam obligari ad eum ordinem ſeruandum, ſed fortè ſolùm voluerunt non ita ſæpe occurrere omnes circumſtantias neceſſarias, vt obligemur eum ſeruare. Secundò, quia hæc videtur etiam communis ſententia Patrum, vt patet ex S. Auguſt. *ſerm.* 16. *de verbis Domini.* vbi hunc ordinem explicat Chryſoſt. *hom.* 62. S. Gregor. *lib.* 4. *Regiſtri epiſt.* 36. vbi ait. Et nos quidem ſeruamus, quod Veritas præcipit, dicens: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Idem docent cæteri. Tertiò, quia hoc in iure Canonico ſæpe à Pontificibus aut aſſeritur, aut tamquam certum ſupponitur. Nam Innoc. III. *c. cùm ex iniuncto* 12. *de hæreticis*, §. *Nec quiſquam*, ait. Cùm aliud ſit fratrem in ſe peccantem occultè corripere, quod quiſque tenetur efficere ſecundùm regulam Euangelicam, &c. Et *c. nouit. de iudiciis*, cùm recitaſſet dictum locum Matth. vocat eum regulam Euangelicam. Cùm igitur omnis regula obliget, ſequitur eo loco dari præceptum. Item *c. licet Heli* 31. *de ſimonia*, apertè dicitur ſecundùm regulam Euangelicam correctionem charitatiuam neceſſariò præcedere denuntiationem. Et hæc omnia docet Coninck *diſp.* 28. *de charit. dub.* 8. *n.* 138. Iacobus Granado *in* 2.2. *controu.* 3. *de charit. tract.* 12. *diſp.* 1. *num.* 3. Caſtrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 6. *diſp.* 3. *punct.* 8. *nu.* 4. Turrianus *tom.* 2. *in* 2.2. *diſp.* 89. *dub.* 2. *concluſ.* 2. & 3. Suarez *de Relig. tom.* 4. *lib.* 10. *cap.* 7. *à num.* 10. Tannerus *tom.* 3. *diſp.* 2. *q.* 5. *dub.* 5. *num.* 96. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 28. *cap.* 7. *num.* 147. Becanus *de fide, ſpe, & charitate, cap.* 21. *dub.* 4. *num.* 30. Lorca *in* 2.2. *diſp.* 46. *ſect.* 3. *num.* 26. Bann. *in* 2.2. *q.* 33. *art.* 8. *dub.* 2. *concl.* 4. Villalob. *in ſum. tom.* 1. *tract.* 4. *diffic.* 9. & alij neoterici communiter.

Sed hîc incidenter quærendum eſt, an ordo correctionis præſcriptus, vt probatum eſt, à Chriſto Domino in ſupradictis verbis Matth. *Si peccauerit in te frater tuus*, &c. ſemper ſit ſub præcepto ſeruandus? Reſpondeo, in his caſibus non neceſſariò ſeruandus eſt. Primò, quando peccatum proximi eſt publicum; tunc enim non opus eſt præmittere ſecretam correctionem, ſed poteſt publicè corripi. Ratio prioris partis eſt, quia ſecreta correctio inſtituta eſt, vt conſulatur famæ proximi, & peccatũ illius nõ publicetur. Si ergo iam publicum eſt, non eſt opus ſecreta correctione. Ratio poſterioris eſt, quia quando peccatum eſt publicũ, tunc non ſolũ peccati adhibendum eſt remedium, vt emendetur; ſed etiam alijs, ne & ipſi liberiùs peccent, ſi videant publica peccata manere impunita. Hoc ſenſu loquitur Apoſtolus 1. ad Timoth 5. 20. *Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.* Secundò, quando peccatum proximi, tametſi occultum ſit, vergit in detrimentum aliorũ, & non videtur efficaciter, ac tempeſtiuè occurri poſſe per priuatam monitionem: vt ſi aliquis moliatur clàm proditionem, vel incendium ciuitatis, aut ſi occultè inficiat alios hæreſi; tunc enim immediatè ad Superiorem recurrendum eſt, vt efficaciter, ac tempeſtiuè impediat eiuſmodi malũ. Ita D. Thomas *art.* 7. Ratio eſt, quia in tali caſu pluris æſtimanda eſt ſalus aliorum, qui innocentes ſunt, quàm fama vnius, qui nocens eſt. Tertiò, quando quis prudenter iudicat, qualecumque tandem ſit peccatum proximi, ſe nihil effecturum, ſeruando ordinem correctionis, ſed melius fore ſi relicta ſecreta monitione, vel inductione teſtium, immediatè procedatur ad Superiorem, vt is opportunum adhibeat remedium. Ita D. Thomas *art.* 8. *ad* 1. Ratio eſt, quia ordo ille inſtitutus eſt ad emendationem proximi; ſi ergo prudenter iudicemus eiuſmodi ordinẽ non profecturum, poſſumus illũ intermittere, & id facere, quod ad eumdẽ finem videbitur vtilius. Quartò quando proximus propter maiorem profectum ſpiritualẽ paratus eſt, & paratum ſe eſſe profitetur, vt ipſius imperfectiones & peccata, tametſi occulta, manifeſtentur Superiori, & ab eo corrigantur, nulla præmiſſa ſecreta monitione, & hoc laudabiliter fit apud quoſdam Religioſos, qui ſuo iuri de conſeruanda fama in hoc puncto renuntiant. Et hæc omnia docet Becanus, & alij *vbi ſuprà.*

RESOL. XLIII. *An hæreticus occultus poſſit abſolui in abſentia ab Epiſcopo, ſi ipſum adire non poſſit?*

CAſus eſt practicabilis, & ad illum affirmatiuè reſpondet Ioan. Henriq. *in comp. caſ. mor. c.* 20. *n.* 64. vbi ſic ait. [De aqui nace vna duda, y es, ſi vn hombre impoſſibilitado de poder yr al Obiſpo, incurrieſſe en el crimen de la heregia oculta, para lo qual no puede el Obiſpo dar ſus vezes à otra perſona, como eſtà declarado en el miſmo Concilio, en el cap. 6. alegado, que es loque ſe deue hazer en eſte caſo? A lo qual reſpondo, que el Obiſpo puede abſoluerlo de la deſcomunion en auſencia; y quitada la deſcomunion, queda el pecado ſin reſeruacion alguna, y qualquier Confeſſor lo puede abſoluer del pecado. Porque es coſa muy cierta, que todos los deſcomulgados pueden ſer abſueltos de la deſcomunion en auſencia, y contra ſu voluntad, pues la abſolucion de la deſcomuniõ no es ſacramental.] Sic ille. Sed hæc ſententia procedit in opinione illorum aſſerentium facultatem Epiſcopis conceſſam in Concil. Trid. abſoluendi hæreticos occultos non eſſe ſublatam; quod nouiſſimè docet Hurtad. de Mendoza *vol.* 1. *in* 2.2. *diſp.* 84. *ſect.* 2. & Lopez de Texeda *in controuerſ. Theol. moral. l.* 2. *tract.* 1. *controu.* 18 *n.* 14. Duuallius *in* 2.2. *D. Thom. tract. de fide, q.* 7. *art. vlt. concluſ.* 1. & alij, quos ego ipſe citaui *in* 4. *p. tract.* 4. *reſol.* 239. Verùm ego ibi, & meritò, contrariam ſententiam docui.

RESOL. XLIV. *An Equites Diui Iacobi, Alcantaræ, &c. gaudeant priuilegio Canonis?*

NEgatiuam ſententiã docet Lopez de Texeda *in contr.* 11. *dub.* 1. *n.* 16. vbi ſic ait. De Commendatarijs,

datarijs, quos vulgo vocat *de Santiago*, Calatraua, Alcantara. & de Aris, quales ſunt in Luſitania, manifeſtum eſt à principio Ordinem ipſorum habuiſſe hoc Canonis priuilegium, illoque perfectiſſimè gaudere, vt non ſolùm quia erant Religioſi in communitate viuentes, & profitebantur tria vota, tamen ſi qui eorum ſolam caſtitatem coniugalem profiterentur, inter quos quidam eorum ſeruabant regulam D. Aug. quales erant Commendatarij D. Iacobi, & alij regulam D. Benedicti. Sed quia Alexander III. in Bulla quadam edita anno 1175. Commendatarios D. Iacobi approbauit, & tamquam veros Religioſos confirmauit; hodie tamen cùm huiuſmodi Commendatarij per multos annos in communitate non viuant, & circa vota caſtitatis, & paupertatis diſpenſationem obtinuerint, imò nec regulam ſeruent, & viuant vt merè ſeculares, & nullum habeant exercitium obedientiæ, exiſtimo priuilegio Canonis non gaudere; & ideo qui eos percuſſerint, non incurrerent prædictam excommunicationem, niſi aliud aliquibus in Regnis, & Prouincijs obtinuerit conſuetudo, vel priuilegium aliquod illis patrocinetur.

Sed hæc opinio prorſus eſt refellenda; & ideo affirmatiuam ſententiam docent communiter Doctores, quos egò alibi citaui; vnde nouiſſimè Ioan. Henriquez *in compend. caſ. moral. c.* 20. *n.*70. ſic ait. [Tanbien ſe deue aduertir que los Caualleros de las Ordines Militares, gozan deſte Indulto, porque ſon Religioſos; y aun que algunos Dotores afirmen, que los Caualleros del habito de Santiago, y los demas que hazen voto de caſtidad conjugal, no gozan, porque ſe pueden caſar; pero no prueuan eſto con razon alguna, y aſſi hablan mas probablemente, los que afirman que todos gozan deſte Indulto.] Sic ille. Et, me citato, tenet etiam nouiſſimè hanc opinionem doctiſſimus, & amiciſſimus Dominus meus Illuſtriſſimus Ambroſius Machin Archiepiſcopus Calaritanus *in defenſione immunitatis Ordinis Militarium, art.*4. *n.*37. *& art.*5. *n.* 90. vbi probat dictos Equites gaudere priuilegio Canonis, etiamſi profeſſionem non emiſerint, ſed tantùm habitum acceperint, quam doctrinam, vt ipſemet Illuſtriſſ. Antiſtes obſeruat, ego olim docui *in* 1. *part. tract.*6. *reſol.*23. De priuilegio autem fori, quo gaudent dicti Equites, diximus *ſuprà in tract.*1.

RESOL. XLV. *An ſi Epiſcopus neget Religioſis dignis, & idoneis approbationem ad audiendas confeßiones, poßint hoc non obſtante confeßiones audire?*

NOuiſſimè affirmatiuam ſententiam docet Cœleſtinus *in compend. Theolog. moral. tract.*1. *cap.*16. *num.*1. *& cap.*14. *q.*2. *num.*4. vbi ſic ait. Approbationem tenentur dare Domini Epiſcopi, ſi Religioſi illis præſentati ſecundùm formam *Clemen. dudum, de ſepulturis*, poſt examen inuenti ſunt capaces, & idonei ad Officium confeſſionum audiendarũ, & ſi ſuam approbationem abſque rationabili cauſa dare recuſent; docet nihilominus Gammachæus *Commentar. in D. Thom. de ſacram. Pœnit. cap.*18. quòd poſſunt audire confeſſiones, & id non eſſe prohibitum à Tridentino; & hoc aſſerit prædictus Doctor Gammachæus conſequenter ad verba *Clement. dudum, de ſepultur. in* 6. & quia illius authoris verba ſunt magni momenti, ea referam de verbo ad verbum. Tributque, inquit, Summus Pontifex Religioſis Ordinis Prædicatorum, & Minorum poteſtatem audiendi confeſſiones omnium ad ſe venientium, ita vt præfati Religioſi debeant priùs examinari à Prælatis, & licentiam humiliter ab eis petere; ſi tamen obtinere non potuerint, & re vera digni inuenti fuerint, tunc temporis Summus Pontifex de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis eamdem facultatem illis concedit. Atque iſtę Extrauagantes, Bonifacij ſcilicet VIII. & Clementis V. in corpus iuris communis relatæ ſunt, & multis iam locis redactæ, neque à Concilio Tridentino mutatæ, aut reuocatæ; ſed & Clement. *dudum*, eſt Concilij totius Generalis Viennenſis. Hæc ille Doctor. Et ante eum docuerunt hanc ſententiam Rodriquez *in addition. ad Bullam Cruciatæ*, §. 9. *num.* 30. *& in quæſtionum regularium tom.*1. *quæſt.*59. *art.*3. Nauarrus *in Manuali, cap.* 27. *num.* 264. & alij plures. Huc vſque Cœleſtinus, qui etiam addit licentias ſemel legitimè, & præuio examine factas Religioſis ab Epiſcopo non debere, nec poſſe reuocari abſque magna cauſa, etiamſi dixerit in approbatione velle illas tantùm valere ad beneplacitum. Sed ne deſeras videre me ipſum *part.*3. *tractat.*2. *reſol.*25. *&* 26. vbi hanc quæſtionem magis amplè pertracto, & communem ſententiam Doctorum appono.

RESOL. XLVI. *An Regulares aliarum Religionum poßint vti priuilegijs Societatis* IESV, *quæ concedun-tur aßignatis tantùm à Patre Generali?*

AD hunc caſum ſatis quidem practicabilem, ſic reſpondet Cœleſtinus *in compend. Theol. mor. tract.*8. *cap.*15. Quæres ſecundò, an attento quòd Religioſi Societatis IESV non poſſunt vti gratijs, & facultatibus directè, aut indirectè per viam communicationis ipſis conceſſis, niſi à Præpoſito Generali, aut alijs per ipſum communicentur, prout conceſſit illis Gregorius XIII. poſſint Religioſi aliarum Religionum vti illis priuilegijs directè, aut indirectè ſibi per communicationem conceſſis, ſine eo, quòd ipſis à ſuis Præpoſitis Generalibus, aut ab alijs nomine ipſorum communicentur? Reſpondeo quòd ſic. Nam Gregor. XIV. Crucigeris, aut Religioni Clericorum miniſtrantium infirmis communicationem priuilegiorum Societatis conceſſit, ſine eo quòd illarum Religionum profeſſores à ſuis Generalibus ea mendicarent. Præterea dicta priuilegia fuerunt illis communicata abſolutè, & nobis etiam abſolutè, ac ſi fuiſſent noſtra, conceduntur, nec per communicationem imponuntur reſtrictiones, & limitationes, quæ ab alijs Ordinibus propter eorum peculiare regimen à Sede Apoſtolica fuerunt impetratæ, cuiuſmodi reſtrictus eſt vſus priuilegiorum in Societate, quòd ſcilicet non poſſit ſortiri effectus, niſi prout à Generalibus fuerit diſpẽſatus, à quo pẽdet tota ipſius Societatis gubernatio, etiam quoad peculiaria, quę ab aliarum Religionum Præpoſitis Generalibus non exequuntur, huc referri. Et hæc omnia docet Cœleſtinus *vbi ſuprà*. Vnde licet ego olim *in* 3. *part.*

tract.2.reſol.14. docuerim Confeſſarios Regulares non poſſe diſpenſare cum ſæcularibus ad petendũ debitum, ſi à ſuis Superioribus ad hoc minimè deputati fuerint, puto nunc tamen cum Cœleſtino affirmatiuam ſententiam non eſſe improbabilem.

RESOL. XLVII. *An ſi adſint opiniones probabiles pro validitate, vel nullitate alicuius Ordinis, teneatur in hoc caſu quis Ordinem denuo accipere?*

CErtum eſt quoties dubium occurrit, an Ordo ſit verè collatus, ſiue quia materia eſt dubia, ſiue quia ſunt rationes ſufficientes dubitandi, poſſe tunc & debere iterari ſub conditione. Sed difficultas eſt, quando adſunt opiniones probabiles pro nullitate, vel validitate Ordinis; & in tali caſu placet mihi opinio Iacobi Granado *in 3.part. de Sacrament.controuerſ.9 tract.1.diſp.6.num.2.* vbi ſic ait. Supponendum eſt, ſi ſit opinio probabilis Ordinẽ verè fuiſſe ſuſceptum, & ſit etiam probabilis oppoſita ſententia, poſſe tunc ſine dubio iterari Ordinem ſub conditione, vt in generali diximus de omnibus Sacramentis *tract. 1. de Sacrament. in gen. diſputat.4.* Vtrùm autem teneatur quis illum Ordinẽ iterare, ibidem breuiter explicuimus; ſi enim Ordo ſit ſacerdotalis, aut Epiſcopalis, tenetur ſine dubio iterare, quia alioqui exponitur periculo non conſecrandi, non abſoluendi pœnitentes, non ordinandi, cùm probabile ſit illum non habere poteſtatem Ordinis ad id requiſitam; cùm autem id cedat in maximum detrimentum fidelium, tenetur Ordinarius vitare huiuſmodi incommodum, recipiendo prædictum Ordinem ſecundùm certam doctrinam, & non iuxta opiniones, in quibus poteſt eſſe deceptio. Quod verò attinet ad reliquos Ordines inferiores, non obligarem eum, qui iuxta probabilem opinionem eos recepiſſet, vt illos iteraret etiam ſub conditione. Moueor ad ita ſentiendum, quia iſti Ordines non ſunt ita neceſſarij, vt per ſacerdotalem poteſtatem ſuppleri non poſſint munera, propter quæ ſunt inſtituti, & propterea non habent annexum aliquem actum abſolutè neceſſarium ad ſalutem fidelium, aut defectu cuius proueniat Eccleſiæ notabile detrimentum; cùm ergo aliunde homo ſit ordinatus iuxta probabilem opinionem, ac proinde prudenter poſſit ſibi perſuadere Ordinem fuiſſe validum, non eſt cur ad illius iterationem obligetur. Ita Iacobus Granado, & ego.

Vnde ex his infertur cum dicto Granado, quòd Sacerdos, & Epiſcopus, ſi non tetigit vaſa ſacra, aut illud inſtrumentum, in cuius porrectione imprimitur character, tenetur iterare Ordinem ſub cõditione; ſecus autem ſi quis ſumeret Diaconatum, vel Subdiaconatum. Et ratio eſt, quia adſunt opiniones probabiles hinc inde, an contractus vaſorum ſacrorum, aut inſtrumenti, verbi gratia, Calicis cum patena, & Hoſtia in ſacerdotio ſit de eſſentia Sacramenti, ita vt ſine illo non ſit verus Ordo. Negat enim Caietanus *in ſumm. ver. Ordinantiũ peccata.* Armilla *verb.Ordo,num.4.* Sotus *in 4.diſtinct. 44.quæſt.1.artic.2.* Victoria *in ſumma,quæſt.211.* Emanuel Sà *verb.Ordo,num.3.* Tabiena *eodem ver.2.num.1.* Et hanc opinionem probabilem eſſe docet Henriquez *lib.de Ordine,cap.10.num.1.* Sed negatiuam ſententiã tenet Diuus Thomas *in addit.ad 3.part. quæſt. 34.art.5.ad tertium*, & ſe retractans Caietanus *tom.1. opuſc.tract.26.* Paludanus *in 4.diſtinct.24.quæſt.1.art.1. num.6.* Ledeſma *in 2.part.4. quæſt.36. art.5.* Palacius *in 4.ſentent.tom.2.diſtinct. 24.quæſt.1.* Angelus *verb. Ordo,n.9.* Sylueſter *eodem verb.2. quæſt.5. dicto 3.* Nauarrus *in Manuali,cap.22.num.3.* Bartholomæus Ledeſma *de ſacramento Ordinis,dub.3.* & alij, aſſerentes, quod neceſſe eſt ad Sacramenti veritatem attingere ipſa inſtrumenta. Igitur in tali caſu, vt dictum eſt, Subdiaconus, & Diaconus non tenerentur iterare Ordinem, ſi non tetigerunt inſtrumenta; ſecùs autem Sacerdos, & Epiſcopus. Nota tamen, vt ego alibi notaui, & notat etiam Iacobus Granado *vbi ſuprà num.10.* Sacerdotem, qui immediatè tetigit patenam, licet non tetigerit hoſtiam, poſſe tuta conſcientia exercere Ordinem ſacerdotalem, nec teneri illum iterare.

Et tandem pro ſcrupuloſis notandum eſt hîc oportere hac in re diſtinguere ſcrupulum, aut nimium timorem à vero dubio, aut opinione, non enim quia quis timet num ordinatus ſit, aut præcisè, quia non recordatur tetigiſſe vaſa ſacra, aut nõ tetigiſſe imaginatur, illicò Ordo iterandus eſt, ſola enim obliuio, aut ſolus timor non eſt ſufficiens ad verum dubium, aut probabilitatem; multa enim obliuiſcimur, quæ verè fecimus, & timor ipſe, ac nimia ſollicitudo tangendi inſtrumenta, in quorum porrectione imprimitur character, faciunt videri obliuioni traditum, quod re vera memoramur. Sed ex his oritur alia non leuis difficultas. Quæro igitur,

RESOL. XLVIII. *An ſ. Epiſcopus proferat verba formæ antequam applicetur materia, vel è contra, Ordo ſit iterandus?*

AFfirmatiuam ſententiam ex profeſſo docet Caiet. *tom.1.opuſc.tract.26.* Nauarr. *in Manuali, cap 22.n.17.* qui adducit *c.vlt.de Sacr.non iterand.* vbi Greg. IX. aſſerit. Impoſitio manuum debet fieri cùm oratio ſuper caput effunditur ordinantis. Et ideo in Pontificali ſtatuitur, vt ſingulis Sacerdotibus dicantur verba formæ, cùm ordinantur, vt nimirum poſſit forma ſimul cum materia exiſtere ſaltem quoad aliquam partem.

Sed his non obſtantibus aliqui aſſerunt in ſacramento Ordinis ſufficere ſimultatem materiæ moralem, & formæ. imò & eſſe ſpecialem rationem in hoc Sacramento, vt non petatur phyſica ſimultas. Cùm enim forma ſit modi imperatiui, ſufficientiſſimè verificatur, quod Epiſcopus dicit, ſcilicet, Accipe, &c. ſi finitis verbis ſine magna mora accipiat, ſeu tangat librum, vel Calicem, &c. In cuius confirmationem facit, quòd in Pontificali cùm ordinantur Subdiaconi, dicitur omnes debere ſucceſſiuè tangere Calicem, & patenam, & tamen verba dicuntur ſimul omnibus, ita vt ſit certum, cùm plures accedunt ad tangendum, iam eſſe finitam prolationem formæ, & idipſum notatur ibidem in minoribus Ordinibus.

Verùm non grauabor hîc apponere verba Iacobi Granado

Granado *in 3.part.de Sacramentis,controuerſ.9.tract.1. diſp.6.n.16.* vbi tenet poſteriorem ſententiam negatiuam eſſe longè probabiliorem, & addit, quòd ſi vlteriùs petatur an contraria opinio ſufficientem habeat probabilitatem, vt iterari debeat Ordo, quando materia & forma ſecundùm nullam partem coextiterint realiter,dicerem duo ſub meliori iudicio. Primum eſt in Subdiaconatu, & minoribus Ordinibus nullo modo debere iterari, quia & varij Doctores reputant Ordinem eſſe legitimè collatum, & non eſt credibile Pontificale Romanum ſequutum eſſe opinionem, ſecundùm quam non maneret omnino tutus,qui ordinatur. Et denique minor neceſſitas,& perfectio horum Ordinum facit, vt minori certitudine debeamus eſſe contenti. Quare in praxi non video ſufficientem probabilitatem, vt poſſit,vel debeat aliquis prædictorum Ordinum iterari, nec de his agitur in illo cap. ſuprà citato.Secundum eſt,in Preſbyteratu,& Diaconatu eſſe ſufficientem probabilitatem vt ordinati ſine reali coexiſtentia materiæ, & formæ, poſſint iterare Ordinem ſub conditione. Probatur,tum quia Caietanus,& Nauarrus,viri doctiſſimi,ſentiunt Ordinem aliter eſſe nullum.Tum,quia iſti Ordines ſunt multo ſacratiores, magiſque neceſſarij. & ratio dictat in eiuſmodi rebus quærendam eſſe maiorem certitudinẽ; tum denique,quia in his Ordinibus peculiariter notat Pontificale,ita proferri verba formæ, vt ſimul concutrere poſſint cum materia. Ex quo vlteriùs infertur,ſaltem eſſe probabile Sacerdotem prædicto modo ordinatum teneri iterum petere Ordinem ſub conditione; Diaconum verò non ita. Et hæc omnia docet etiam Iacobus Granado *vbi ſuprà.*

RESOL. XLIX. *An Generales Regularium poſſint,non obſtante Bulla Gregorij XV.edita anno 1623. & Vrbani VIII.anno 1631.præbere ſubditis licentiam legendi libros prohibitos?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Laurentius de Peyrinis *in priuilegiis Minimorum,tom.2. conſtit.9. Pauli V.n.10.* Quia Pontifices ſupradicti,vt patet ex lectura Bullarum, loquuntur tantùm de licentiis particularibus conceſſis ad legendos libros hæreticorum,vel de hæreſi ſuſpectorum, ſeu aliàs quomodocumque prohibitos, non autem de priuilegiis Regularibus conceſſis,neque his derogant. Et in omni caſu ſuſpenſos, donec corrigantur, non prohibent legi ab his, qui aliàs habent per priuilegia facultatem.Ita Peyrinus.& Lezzana *in compend. quæſt. Regularium,c.18. n.96.* putat hanc ſententiam ſpeculatiuè probabilem eſſe, dummodo priuilegia Regularium non ſint facta viuæ vocis oraculo. Vnde ex hac opinione ſequeretur dominos Inquiſitores poſſe hodie legere libros prohibitos, quia hoc eis competit ex priuilegio conceſſo dignitati, & non perſonæ. & dictæ Bullæ Pontificiæ, vt viſum eſt, tollunt licentias quibuſcumque perſonis conceſſas,non autem priuilegia. ergo,&c.

Sed his non obſtantibus amiciſſimus,& doctiſſimus Lezzana *vbi ſuprà* negatiuam ſententiam tenet, quia in prædictis Bullis reuocantur facultates conceſſæ etiam per litteras Apoſtolicas, & aliter quomodocumque. in quibus verbis videntur etiam comprehendi priuilegia. Vnde ſubdit Lezzana: Secutior eſt hæc ſententia, & in praxi conſulenda. Hinc ſtantibus ſupradictis difficultatibus, ego auctoritate Eminentiſſimi Principis,& Domini mei Don Franciſci Barberini S.R.E.Cardinalis ampliſſimi, impetraui à ſacra Congregatione S.R. Generalis & vniuerſalis Inquiſitionis licentiam legendi quoſcumque damnatorum authorum libros, ſeu aliàs quomodolibet prohibitos, etiam damnatos in Indice Romano librorum prohibitorum, quam licentiam authenticam penes me habeo,datam in Conuentu ſanctæ Mariæ ſuper Minertia die 15.Iulij 1636. & regiſtratam hîc Panormi in noſtro Tribunali ſancti Officij die 20.Auguſti, eodem anno 1636.

RESOL. L. *An priuans ſe facultate repetendi pecuniam mutuatam per tantum tempus, poſſit aliquid licitè pro hoc exigere?*

COmmuniter negatiuè reſpondent Doctores, quos ego citaui *in 1.part.tract.8.reſol.48.* ſed *ibi* adduxi pro affirmatiua ſententia Petrum de Ledeſma Dominicanum,cui nunc addo Cœleſtinum *in compend.Theolog.moralis,tract.11.c.5.quæſt.2.* & quia hæc quæſtio torquet doctorũ hominum ingenia, ponã per extẽſum ei⁹ verba; ſic enim ait: Quæres vtrùm ratione carentiæ pecuniæ, ſeu obligationis non repetendi ante certum tempus, poſſit aliquid exigi,vt ſi mutuem tibi mille aureos ad vnũ annũ, priuans me non ſolùm pecunia, ſed etiam facultate repetendi per tantum tempus? Ad hoc reſpondet Medina *C.de reſtit.quæſt.32.§.inde refertur,* quòd ſit licitum, tum,quia quælibet obligatio ciuilis eſt pretio æſtimabilis: hîc autem interuenit obligatio non repetendi ante tantum tempus. ergo, &c. Tum,quia hæc obligatio eſt onus quoddam indebitum:ergo non teneor illud ſubire gratis,ſed poſſum aliquid petere pro illo ſecundo. tum quia ſicut priuare ſe inſtrumento ſuæ artis eſt quid pecunia æſtimabile,ita etiam onus carendi ſua pecunia tanto tempore, cùm pecunia ſit inſtrumentum mercatorum. tum denique, quia id poſtulat commune bonum Reipublicæ. nam cùm multi pecunia egeant, nec facilè inueniri queant, qui velint mutuare gratis, partim ratione periculi ſortis,partim ne ſe priuent commoditate variis modis negotiandi,& maximè per cambia,quæ hoc tempore vigent, æquum eſt vt mercatores ſpectatis omnibus circumſtantiis communi conſenſu conſtituant certa pretia carentiæ pecuniæ,ex quibus ea carentia poſſet pro tempore pluris, vel minoris æſtimari; vt hîc videtur eſſe vſus plateæ Lugdunenſis, quo mercatores quotidie conueniunt, & habita ratione copiæ, vel inopiæ pecuniæ, multitudinis cambiorum, mercimoniorum, & omnium lucrandi rationum, in quibus opus eſt præſenti pecunia, ſtatuunt pretium ſex, aut ſeptem, octo, aut nouem, vel etiam decem in centum, pro eo quòd tanto tempore ſua pecunia careant, nec ante terminum conſtitutum liceat repetere. Hæ ſunt rationes ſpeculatiuè conſideratæ, quibus nititur hæc opinio, propter quas ſpeculatiuè conſi-

conſiderata probabilis videtur. Leſſius *loco citato, dub.* 16. & etiam Reginaldus *lib.* 25. *cap.* 12. *n.* 246. nec damnare audent mercatores, qui ita ſe gerere conſueuerunt, imò excuſabiles eſſe aiunt, quamuis eam non eſſe in praxi admittendam tutius iudicent, ne aperiatur oſtium vſuris prætextu periculi palliandis. Et vt ego referam quid ſentiam de hac re, dicam paucis, hanc opinionem mihi videri tutam in conſcientia, & in praxi hoc tempore amplecti, & conſuli poſſe, tum quia non auſim damnare tot mercatores timoratæ conſcientiæ, qui id agunt, præſertim ex conſilio virorum doctorum, quos ipſi quotidie conſulunt, quique dicunt hoc licere, tum quia huic carentiæ pecuniæ, ordinariè loquendo, ſolent admiſceri, & coniungi varij tituli, ex quibus ſuprà oſtendimus poſſe in mutuo accipi aliquid vltra ſortem, & primò illic reperitur periculum ſortis amittendæ, periculum, inquam, non quidem incertum, ſed probabile, vel quaſi certum; multi enim mercatores, qui ſecundùm vulgi opinionem exiſtimantur ditiſſimi, telonio cedunt, ex quo creditores exponuntur periculo amittendi integram ſortem, vel tertiam, aut dimidiam partem; & hoc ſatis experientia conſtat, præſertim à decem annis. Secundò reperitur labor, diligentia, & moleſtiæ in parandis pecuniis mutuò dandis, qui titulus, vt docuimus ſuprà ex Valentia, eſt iuſtus, licetque ea ratione aliquid vltra ſortem accipere. Tertiò reperitur etiam non rarò lucrum ceſſans, quia ex hac pecunia mercatores negotiarentur. His titulis accedit & titulus ſocietatis, quam ineunt mercatores in negotiando. Hîc etiam interuenit donatio liberalis; mercatores enim ſponte donare malunt mutuatori aliquid vltra ſortem, vt ſic & conſulant honori, & creditum ſeruent, quæ cedendo telonio amittunt, ac in hoc perinde ſe habent, ac qui, vt vitent naufragium, vel omnes merces, vel aliquam illarum partem dimittunt in mare; nam etſi hæc proiectio videatur inuoluntaria, tamen abſolutè eſt libera; ita etiam hæc donatio lucri ſupra ſortem eſt abſolutè libera, non coacta. Et hæc omnia docet Cœleſtinus *loco citato*. Sed an probabiliter, iudicent alij. Vide me ipſum in citata reſolutione.

RESOL. LI. *An Miſſa conuentualis poſſit applicari? & alij duo caſus explicantur.*

AFfirmatiuam ſententiam docet Peyrinus *in Priuil. tom.* 3. *cap.* 1. *num.* 20. vbi ſic ait. Exiſtimo quòd dicta Miſſa conuentualis poſſit applicari pro quocumque voluerit Prælatus; non enim apparet vllum præceptum, neque diuinum, neque humanum in contrarium. Vnde intrat regula, quòd omnia ſunt conceſſa, quæ non inueniuntur prohibita. Ita ille, qui citat Cordubam, Rodriquez, & noſtrũ doctum amiciſſimum Trimarchi, quibus ex eadem Religione adde nouiſſimè P. Franciſc. de Nigro *in add. ad Ruyz. p.* 1. *præſup.* 1. *q.* 15. & ex noſtro P. Leone *de offic. Capellani, q.* 8. *ſect.* 18. *num.* 188. quorum opinionem ego teneo, ſecluſa conſuetudine in contrarium; & ideo non eſt audiendus Bonac. *diſp.* 4. *de Sacram. q. vlt. punct.* 7. §. 2. *n.* 9. Fraxinellus *de oblig. ſect.* 4. *concl.* 4. §. 16. & alij, aſſerentes Miſſam conuentualem non poſſe applicari ei, qui dedit ſtipendiũ.

Notandum eſt etiam hîc obiter quòd dictus Peyrinus *loco citato, num.* 23. quærit, an poſſit Capellanus, quando licitè, & ex honeſtate poteſt vacare à celebratione Miſſæ impoſitæ, an, inquam, in tali caſu poſſit celebrare Miſſam non pro ſtipe, quod clarùm eſt, ſed pro charitate in ſui vtilitatem, vel parentum, aut amicorũ. Et reſpondet affirmatiuè, quia dura nimis eſſet captiuitas obligare pauperem Sacerdotem, vt nullo vnquam tempore poſſet pro ſe, vel ſuis vnam Miſſam dicere, & colligo clarè ex *dicto c. ſignificatum*, ibi, *ſalua honeſtate*, id eſt, æquitate; at honeſtas, & æquitas talem indulgentiam concedunt. Colligo etiam ex illa clauſula eiuſdem capitis, *Nec ſibi liceat hoc illi ſubtrahere ſine cauſa voluptatis*. Ergo ſi non licet talem vacantiam aſſumere cauſa voluptatis corporalis, & temporalis, licebit quidem cauſa deuotionis, & charitatis, ac voluptatis ſpiritualis. Idem intellige ſi Prælatus mihi quotidie celebrare præcipiat in genere: nam hoc præceptum etiam humano modo intelligendum eſt, cùm ſit humanum, humanitas autem, ſeu æquitas vacationem concedit. Ita Peyrinus. vide etiam de Nigro *in addit. ad Ruyz. part.* 1. *præſup.* 1 *q.* 1. Nota etiam quòd idem Peyrinus *n.* 24. tenet, quòd ſi Capellanus obligatus ad quotidie celebrandum ægrotaret per duos menſes, non teneri per alium celebrare, nec ipſe factus ſanus relictas Miſſas dicere, quia breue tempus intelligitur ſpatium duorum menſium, & cùm fundator mentem ſuam non explicuerit, ſe non intendere dare ſtipendium niſi quotidie celebranti, quacumque cauſa exeluſa, non eſt credendum quòd voluerit tam ſtrictè obligare: vnde enim viuet pauper Capellanus infirmus, qui nihil habet præter ſtipendium Miſſæ, ſi eo paruo tempore, quo plus indiget, tenetur alteri ſtipendium elargiri. Hæc Peyrinus, & ante illum Bariola *in aphoriſm. lit. C. verb. Capellanus*. vbi ſic ait. Capellanus ægrotans toto anni ſpatio poteſt excuſari per bimenſem tantùm à Miſſis celebrandis ſingulo anno, occaſione infirmitatis. Ita ille, & tandem nouiſſimè hanc ſententiam, me citato, tenet Ioan. de Lugo *de ſacr. Euchariſt. diſp.* 21. *ſect.* 1. *num.* 49. qui ridet Vegam *in ſum. cap.* 28. *caſ.* 14. & P. Steph. de Auila *in manuſcript.* aſſerentes Capellanum per duos menſes infirmum, non teneri per alium celebrare. & idem etiam docet Franciſc. de Nigro *in addit. ad Ruyz. p.* 1. *præſup.* 1. *q.* 1. quæ omnia à fortiori magis probabilem faciunt ſententiam, quam ego docui *in* 4 *p. tr.* 4. *ref.* 238. cum Hurt. nempe Capellanum infirmum Miſſas omiſſas pro vno menſe non teneri compenſare.

RESOL. LII. *An quando ſtipendium Miſſæ eſt in aliquo loco taxatum, & Sacerdos, qui nihil habet vnde viuat, exiguum accipit, poſſit deinde ad iuſti ſtipendij rationem Miſſas applicare?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Peyrinus *de priuil. tom.* 3. *c.* 1. *num.* 26. per ea, quæ ego ipſe adduxi *in* 1. *p. tract.* 14. *reſol.* 7. Neque, ait ille, huic opinioni videtur obſtare decretum ſacræ Congregationis de celebratione Miſſarum. § 2. vbi Congregatio ſub obteſtatione diuini iudicij mandat, vt tot

Miſſæ

Miſſæ dicantur, quot fuerunt præſcriptæ, quamuis recepta ſtipendia ſint exigua, & incongrua. Nam debet intelligi, quando Sacerdos omnino voluntariè, non coactus paupertate, contentus fuit oblato ſtipendio, & expreſsè promiſit ſe tot Miſſas integras dicturum; quo modo etiam limitauit Suarez, & tunc tenebitur magis ratione fidelitatis, & præcepti, quàm iuſtitiæ. Ita Peyrinus.

Sed contrariam ſententiam ego docui *vbi ſuprà*; nam dictum decretum abſolutè loquitur, & vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; & verba decreti ſunt ita clara, vt aliquam expoſitionem minimè admittant, & ita etiam ſentiunt docti recentiores à me conſulti.

RESOL. LIII. *Quidam Princeps ſumere voluit ſecunda vice Bullam Cruciatæ, quæſitus fui an teneretur ſoluere tarenos decem?*

QVidam Theologus affirmatiuè tunc reſpondit, ſed neque authores, neque rationes adducebat. Dico igitur, Henriquez *lib.7.cap.20.num.3. in gloſſa, litera Z.* docere eos, qui ſecundùm taxam ſuprà poſitam tenentur drachmas octo contribuere, ſi ſecundùm Bullam ſumant tantùm teneri duas dare, ait enim talem præſumi intentionem Commiſſarij; quod quidem ſi aliquo modo conſtaret, verum exiſtimarem; non enim video vnde hæc intentio præſumi poſſit; imò potiùs contrarium ex Commiſſarij intentione colligitur. nam pro iis perſonis abſolutè deſignat octo argenteos, & nullo modo diſtinguit in prima, vel ſecunda vice; & ratio, quæ militat in prima vice, ſcilicet belli ſubſidium, & qualitas perſonæ militat in ſecunda, ac proinde in ea vice verius exiſtimo, etiam octo argenteos contribuere teneri. Et hæc omnia docet Trullench *in expoſit. Bullæ Cruc. lib.1.§.3.dub.1.n.15.*

Notandum eſt etiam hîc, viduas, quæ mortuis maritis nullo modo manent dominæ, nec vſufructuariæ bonorum habentium vaſallos, licet vocentur Comitiſſæ, Marchioniſſæ, Duciſſæ, & Principiſſæ, non teneri pro ſumenda Bulla contribuere decem tarenos; patet enim ex contextu Bullæ ibi; *Viuiendos ſus maridos.* Secus autem ſi manſiſſent vſufructuariæ; quia re vera dominæ ſunt vaſallorum, filij verò ipſarum, dum propriis bonis non vtuntur, non tenentur hanc maiorem eleëmoſynam contribuere. nam licet ſint domini proprietarij bonorum, carent tamen vſufructu eorum, & ita non habent bona, quæ tunc poſſint diſpenſare ad ſumendam Bullam, niſi illa, quæ voluerit mater dare, vnde vt gaudeant prædicto priuilegio, tantùm tenentur communem eleemoſynam contribuere. Ita Trullench *num. citato 12.*

Nota etiam illos, qui titulos ſumunt ſuper cognomina, vel loca, & vaſallos non habent, non teneri contribuere dictam ſummam, ſi Bullam ſumere volunt. quod patet ex Trullench *vbi ſuprà.*

Et tandem poteſt hîc quæri, an domina vaſallorum, quæ ratione ſuæ dotis eſt domina, ſi vxor ſit alterius, & ita non habeat bonorum adminiſtrationem, contribuere teneatur octo argenteos? Negat Henriquez *lib.7.cap.20. num.3. litera Z.* Verius eſt tamen teneri. nam etiamſi bonorum non habeat adminiſtrationem, eſt tamen vxor illius, qui tenetur octo argenteos ſoluere; at Commiſſarius in ſupradicta taxa abſolutè aſſerit, teneri etiam vxores eorum, qui ad ſummam maiorē tenentur, & vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Sic vxores Ducum, Comitum, Marchionum, Conſiliariorum Regiorum, Commendatorum maiorum, tenentur ſoluere octo drachmas eo ipſo, quòd ſint vxores virorum, qui octo argenteos contribuere tenentur, propter illa verba Commiſſarij, *Y las mugeres de todos los eſtados ya dichos ayan de dar ocho reales de limoſna.* Et ita docet ſupradictus Trullench *num.14.*

RESOL. LIV. *An cenſeatur matrimonium conſummatum, ſi ſolus vir intra vas ſeminet naturale, femina verò non ſeminante?*

AFfirmatiuam ſententiam docent Doctores quos citat Sanch. *vbi infrà, num.10.* quibus ego addo Guttierrez *de matr. cap.54.num.22.* vbi ex multis probat, quòd ſi ſolus vir intra vas naturale feminæ ſeminet, conſummatur matrimonium, quia ſemen femineum non eſt ad generandum neceſſarium.

Sed quamuis hæc opinio ſit communior & probabiliot, tamen contrariam probabilem etiam eſſe exiſtimo cum Sanchez *de matrim. tom.1.lib.2.diſp.21. num.11.* vbi ex pluribus Doctoribus probat per vtriuſque ſeminis commixtionem fieri coniuges vnam carnem, & per conſequens conſummari matrimonium. Et ideo hanc ſententiam mordicus tenet nouiſſimè doctus Alphonſus Caranza in eruditis ſuis commentariis *de partu humano, cap.20. quæſ.1.num.6.* vbi firmat, femina ſemen non emittente, matrimonium non conſummari; & ad argumentum affirmatiuæ ſententiæ reſpondeo illud principium philoſophicū, quòd ſemen femineum non ſit neceſſarium ad generationem; non eſſe ita certum, vt probabiliter quis cōtrarium tenere non poſſit; & ita tenent præter Doctores, quos citat Sanchez *vbi ſuprà*, Leuinus Lemnius *lib.4.de occultis naturæ miraculis, c.23.* Ambroſius Paræus *de anatom. lib.23 cap.1.* Andreas Laurentius *de hiſtoria anatomica, lib.8.cap.2.q.5. & cap.4.q.11.* Iacobus Guillemaus *de generatione, fol.205.* Ioannes Baptiſta Saluaticus *in controu. medic. c.79.* Sancta Cruz *de Hippocrate philoſ. ſuper text.73. de dieta.* Plutarchus *lib.5.de placitis Philoſophorum, cap.5.* Lactantius Firmianus *de opificio Dei, cap.12.* Nemeſius *lib. de natura hominis, cap.25.* Et hanc ſententiam apertè docuit etiam Iuſtinianus (quod adhuc Iuriſconſulti non obſeruarunt) in Authentica *de triente, & ſemiſſe*, quæ eſt Nouella 18. vbi ſic ait. *Neque enim maſculus ipſe in ſe, nec femina ſolum ad natiuitatis propagationem ſufficiens eſt; ſed vtrumque eorum coaptauit Deus ad generationis opus.* Idem Iuſtinianus *in § ſed hæc inſtitutio de exhæreditat. liberorum.* Ita vtraque perſona in hominum procreatione ſimili naturæ officio fungitur, quod ipſum antea ſuppoſuerat in leg.12. tabularum *cap.14. de legitimis heredibus.* & ab his intelligendus eſt Baldus, qui filium quoddam compoſitum appellat *in l. fin. in fine. C. de ſeruis fugitiuis.* Sequitur Boërius poſt alios *deciſ.241. num.7.* & poſt Georgium Robalg.

notat Andreas Dalnerus *de iure hominis, part.6. n.5.* noniſſimè Thomas Actius poſt Syluam nuptialem *in tract. de infirmitate legali, c.20. n.7.* Et tandem notandum eſt hanc ſententiam confirmare ſacrum textum in illis verbis Iob, c.10. *Nónne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti.* quibus in conceptu ſeminum maris & feminæ concurſus, & commixtio diuerſorum, ac in caſeo, (ad generationem humanam neceſſarius) velut exprimitur.

Ceteras verò rationes pro hac opinione videbis apud Caranzam *loco citato*, à quo ſupradicta ſum mutuatus. quæ omnia ſatis confirmant id de quo olim Romæ à quodam eminentiſſimo interrogatus fni, & quod probabiliter ego docui *in 4. part. tract.2. reſolut.43.* cum Ioanne Præpoſito Theologo Societatis IESV, quòd ſi viro ſeminante femina non ſeminauerit, idque partibus conſtet, poſſent Religionem ingredi & profiteri, & pars relicta in ſæculo aliud matrimonium inire. Vide etiam ibi ex probabilitate huius ſententiæ alios caſus deciſos.

RESOL. LV. *An qui adminiſtrauit ſacramentum Baptiſmi, & Ordinis inualidè, teneatur cum periculo honoris, & vitæ, manifeſtare hunc defectum?*

VIdetur negatiuè reſpondendum, quia licet Confeſſarius, qui dedit abſolutionem inualidam, teneatur admonere pœnitentem de tali defectu; hoc tamen Doctores communiter aſſerunt procedere, niſi graue damnum, aut ſcandalum ſequatur Confeſſario. ergo.

Verùm affirmatiuam ſententiam tenet Petrus Ochagauia *de Sacram. tract. 2. de Confeßionis ſacramento, q.41. num.6.* vbi ſic ait. Secus eſt in Baptiſmo & in Ordine; vt cùm quis inualidè hæc adminiſtraſſet, quia enim ex hoc multa poſſunt grauia mala ſequi, ideo teneretur miniſter reuelare hos defectus, etiam cum magno honoris, aut vitæ periculo. Sic ille. Et ad argumentũ ſuperiùs adductum poteſt quis reſpõdere eſſe diſparem rationem, quia Confeſſarius in illo caſu non tenetur monere pœnitentem; nam pœnitens tunc poteſt per aliam confeſſionem, vel contritionem iuſtificari, & licet contra hoc videatur obſtare confeſſionis integritas, contra quam videtur fieri, ſi illa peccata non iterum confiteantur, tamen ſi propter dictas cauſas poteſt pœnitens in confeſſione omittere aliquod peccatum, ita poterit Confeſſor propter eas relinquere admonitionem, & permittere pœnitentem non integrè confiteri de illis peccatis.

Sed his non obſtantibus opinionem Ochagauiæ quoad ſacramentum Baptiſmi veram eſſe puto; ſecus autem quoad ſacramentũ Ordinis, quando videlicet quis inualidè fuiſſet ordinatus Subdiaconus, vel Diaconus, & poſtea validè ſuſcepiſſet ſacrum Ordinem Preſbyteratus; & licet pro hac opinione non habeam auctorem, habeo tamen rationem, quæ magis valet. Nam, vt obſeruat Sotus *in 4. diſt.24. quæſt.1. art.4. in fine.* & Sanchez *in opuſc. tom.2. lib.7. cap.1. dub.14. num.3.* & alij. Sacerdos ritè ordinatus licet alios Ordines non ſuſceperit, poteſt omnium Ordinum functiones validè exercere, quia in eo virtute continentur, ergo ſi aliquis inualidè ordinauit Subdiaconum, vel Diaconum, poſtea validè ordinatum Sacerdotem, non tenetur cum notabili periculo vitæ, aut famæ, manifeſtare talem defectum, quia, ſuppoſito, vt dictum eſt, charactere ſacerdotali, validè exercebit functiones dictorum Ordinum, atque adeò mala, quæ timebat Ochagauia in noſtro caſu, minimè ſequi poſſunt. Vnde optimè docuit etiam Iacobus Granado *in 1.2. D. Thom. controu.9. tract.1. diſp.6. num.2.* dictos Ordines non eſſe ita neceſſarios, vt per ſacerdotalem poteſtatem ſuppleri non poſſint munera, propter quæ inſtituta ſunt, & præterea non habent annexum aliquem actum abſolutè neceſſarium ad fidelium ſalutem, aut defectu cuius, proueniat Eccleſiæ notabile damnum, Ita Iacobus Granado. Et ideo ex his noſtram ſententiam ſcio ſummoperè placuiſſe pluribus Patribus Societatis IESV. Secus autem dicendum erit, ſi inualidè fuiſſet collatus Ordo ſacerdotalis, aut Epiſcopalis, & in hoc caſu amplector opinionem Ochagauiæ; tunc enim puto cum periculo vitæ, aut famæ manifeſtandum eſſe defectum; quia alioquin ſic ordinati exponerentur periculo non conſecrandi, non abſoluendi pœnitentes, non ordinandi; ſed cùm id cederet in maximum fidelium detrimentum. ergo, &c.

RESOL. LVI. *An ſi quis inaduertenter non abſoluit pœnitentem, poßit illum abſoluere parum diſtantem?*

DE hoc dubio alibi dictum eſt, nunc verò tantùm adducam opinionem Petri Ochagauiæ *de Sacram. tract.2. de Confeſſ. ſacram. quæſt.41. num.6.* vbi ſic ait. Quòd ſi pœnitentem debitè diſpoſitum dimiſit quis ſine abſolutione per inaduertentiam, aut alia via, ſi poſſet ſine graui incommodo, deberet illum reuocare, & admonere. Cùm verò non poteſt ſine ſcandalo reuocare, & pœnitens vel exſpectat communionem, vel ex qualitate perſonæ cognoſcit quòd non incidat in nouum peccatum, debet abſolui, ſi eſt præſens, licet aliquantùm remotus, aliàs commoditas expectanda, & admonendus. Ita Ochagauia.

RESOL. LVII. *An Ordines Regularium habentes priuilegium, vt poßint ordinari Regulares extra tempora, poßint eo vti, vbi Concilium Tridentinum receptum eſt?*

NEgatiuam ſententiam docet doctus & amiciſſimus P. Magiſter Lezzana *in ſum. quæſtionũ Regul. cap.14. n.19.* vbi ſic ait. Regulares non poſſunt modò poſt Concil. Trident. extra tempora ordinari. Ratio eſt, quia licet de hoc varia fuerint priuilegia Religionibus conceſſa, vt patet ex *compend. priuileg. ver. Ordines ſacri.* Concilium tamen Tridentinum *ſeſſ.23. c.8.* id prohibet fieri, & conſonant conſtitutiones Pij II. & Sixti V. & praxis Eccleſiæ; maximè, quia ipſum Concilium *ſeſſ.25. c.22.* præcipit omnia & ſingula in ſuis decretis contenta obſeruari à Regularibus, non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis, &c. Sic ille. In Tridentino autem ſic decernitur. Hæc omnia, & ſingula in ſuperioribus decretis contenta obſeruari ſancta Synodus præcipit in omnibus Cœnobiis, ac Monaſteriis, Collegiis, ac Domibus quorumcumque Monachorum,

ac Regularium, &c. non obſtantibus eorum omnium, ac ſingulorum priuilegijs ſub quibuſcumque formulis verborum conceptis, &c.

Verùm probabilius eſt, quòd vti poſſint ſuo priuilegio, & quòd generalis illa derogatio ſit applicanda locis Concilij, in quibus derogatur priuilegijs Religioſorum, non verò ſe extendat ad omnia decreta, quæ etiam ſine derogatione priuilegiorũ ſint edita. hoc ſenſu ſancta Synodus vult omnia ſupradicta decreta ſeruari etiam cum derogatione priuilegiorum, quãdo ea in aliquo decreto eſt appoſita, quaſi illa generalis derogatio ſit appoſita ad maiorem inculcationem particularium, non verò reſpiciat ea decreta, in quibus non fuit derogatum priuilegijs. Et ita docet Ioan. Præpoſitus *in 3.p.q. vnic.de ſacram.Ordinis, dub.15.num.156.* & ideo *in compend.noſtrorum priuileg. ver. Diſpenſatio.* §.11. ſic habetur. Cum licentia & diſpenſatione admodum R.P. Generalis poſſunt Noſtri ſuſcipere Ordines etiam ſacros, & etiam Preſbyteratus extra tempora à iure ſtatuta, tribus tamen diebus Dominicis, vel alijs feſtiuis etiam continuis à quocumque Antiſtite, non obſtante Concil. Trid. decreto. Gregor. XIII. Societati Iesv quod incipit, *Pium & vtile*, &c. ſub die 22. Septembr. 1582. Pontificatus ſui anno 11. quodque refert Emanuel Rodriq. *in ſua collectione priuilegiorum Bulla* 25. ſub Greg XIII. & in Bullario Romano etiam refertur, *tom.2.Bulla* 77. *fol.* 460. quæ incipit, *Pium & vtile*, &c. Et licet in hoc priuilegio adſit clauſula prohibitiua communicationis, & participationis, *nobis non obſtat*, vt obſeruat Peregr. *in ſcholio*, quin vti poſſimus dicto priuilegio, vt clarè patet ex priuilegio Greg. XIV. apud dictum compendium in introductione §.7. & ita docẽt etiam Doctores, quos ego adduxi *in 3.p.tract.2 reſol.31.* & me citato nouiſſimè hanc ſententiam docet Cæleſtinus *in compend.Theol.moral.tract.8.c.4.q.4.* quicquid in contrarium aſſerat Lezzana *vbi ſuprà*. vnde plures ex Noſtris vigore ſupradictorum priuilegiorum fuerunt à multis Epiſcopis ad Ordines extra tempora admiſſi, & in caſu contingenti vltra præſentem reſolutionem, ne deſeras videre ſupradictam *reſol.31.p.3.tract.4.*

An verò pertineat ad Superiores Regularium diſpenſare in interſtitijs, diximus *in 3.p.tract.2.reſol. 32. & in 4.p.tract.4.reſol.209.* Nunc verò addam pro ſententia affirmatiua Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib.7. cap.1.dub.54.nũm.8.* & Cœleſtinum *in compend.Theolog.moral.tract.8.cap.4.quæſ.4.* & pro negatiua ſententia Lezzanam *vbi ſuprà num.15.*

Resol. LVIII. *An Monachi peccent mortaliter extra caſum neceſſitatis aliquem baptizando?*

De hoc caſu alibi dictum eſt. Non reticeam tamen hîc apponere ſententiam Iacobi Granado *de Sacrament. in 3 part. controuerſ.4.tract.2.diſp. 1.num.3.* vbi ſic ait. Notandum eſt *in can. placuit 2.16.quæſt.1.* Monacho præcipi ne baptizet, & ideo videri id prohibitum Religioſis. Emanuel verò Rodriquez *tom.1.quæſtionum Regularium, q.31. art.1.* ait, in hoc canone ſolùm prohiberi Monachis ne baptizent ſine licentia Ordinarij; & gloſſa *in can.peruenit.18.quæſt.2.* etiam exiſtimat id licere. Ego crediderim id non præcipi ſub mortali *in* iure, & fieri poſſe ſaltem aliquando ſine veniali. Ita Iacobus Granado.

Resol. LIX. *An ſi quis dicat alicui, Tecum pugnabo prima vice, quâ tibi per vrbem obuiam ero, incidat in pœnas duelli?*

Affirmatiuam ſententiam docet Bonacina *de cenſuris diſp.2.q.6.punct.1.n.7.* vbi ſic ait. Idem valet dum quis alterum ad pugnam prouocat, cùm prima vice ſibi occurrerit in vrbe, adeſt enim aſſignatio loci, & temporis illius, ſcilicet quo ſeſe obuiam habuerint. Ita ille.

Sed mihi contraria ſententia magis placet, quam ego olim practicaui, & poſtea inueni illam docere Iacobum Mancinum *in practica viſitandi infirmos, pract.4.num.16.dub.9.* Nam tota vrbs non eſt propria loci aſſignatio, quia locus non eſt certus. Nec eſt propria aſſignatio temporis, cùm ſeſe obuiam habuerint; nam cùm tempus ſit etiam incertum, non poteſt dici aſſignatio temporis, & in definitione duelli requiruntur neceſſariò hæ duæ conditiones, ita vt altera illarum deficiente, non erit duellum, vt inquit ipſemet Bonacina, qui in hoc videtur ſibi aduerſari, & ita ſenſiſſe viros doctos à ſe conſultos teſtatur Mancinus *vbi ſuprà.*

Resol. LX. *An ſi in Calice non conſecrato quis celebret bona fide, remaneat conſecratus?*

Affirmatiuam ſententiam ego docui *in part.1. tract.de celebrat.Miſſ reſol.69.* Sed nouiſſimè cõtra me inſurgit amiciſſimus P. Lugo *in 3. part. tom. 2.de ſacrament.Euchariſt.diſp.20 ſect.4.num.91.* Verùm aduersùs illum nominatim in mei defenſionem colluctatur Franciſcus de Nigro *in addit. ad Ruiz, part.6.animaduerſ.8.num.4.* vbi ſic ait. Vtrùm Calix, & patena nondum conſecrata ex eo tantùm conſecrata remaneant, ſi cum eis bona fide ante conſecrationem celebretur? Negat Lugo, affirmat Diana, & licet ipſe nullum Authorem pro ſua ſententia adducat, tamen illam docet P. Trimarchi, & probabilem putat P. de Peyrinis, quibus adhæreo. Poſſet probari primò hæc ſententia; quia Eccleſia polluta non eget alia reconciliatione, ſi quis in ea bona fide celebrauit. Igitur Calix etiam non egebit conſecratione, vel benedictione, poſtquam in illo celebratum eſt. Antecedens non continet doctrinam falſam, vt contra Dianam ait Lugo, ſed continet doctrinam veram, & grauium, ac claſſicorum Theologorum, Caſtri *lib.2. de leg. pœn. cap. vltim.* Emanuelis Sà *verb. Eccleſia, num.19.* Auilæ *de cenſ.part.5.diſput.7.dub.3.concluſ.1.* Henriquez *lib.9.de Miſſa.cap.27.num.6.* & aliorum. Et patet, quia ſacrificij dignitas habet vt ſanctificet locum ſine alia reconciliatione. Conſequentia verò probatur, quia ſicut Eccleſia ſanctificatur per ſacrificium, ita & Calix. Et P. Trimarchi, qui Dianam defendit, dicit contra Lugum, quòd paritates Doctorum non debent currere quatuor pedibus, ſed duobus tantùm modo humano. Secundò probatur, quia per contactum ſanguinis Chriſti ſanctificatur Calix. ergo non indiget alia conſecratione, vel benedictione, nam quærit P. Trimarchi à Lugo, cur requiritur

ritur conſecratio in Calice ? reſpondebit Lugus, quia Calix non conſecratus eſt materia prophana, & per conſecrationem non eſt ampliùs prophana, ſed ſacra. Sic argumentatur, ſed per contactum ſanguinis Chriſti Calix iam non eſt ampliùs materia prophana, ſed ſacra, quod nemo negabit. ergo & calix non conſecratus non eget conſecratione, ſi in eo bona fide celebretur. Huc vſque Nigro pro me contra Lugum, vnde canendum eſt mihi illud Ouidianum,

Sæpe premente Deo, fert Deus alter opem.

Notandum eſt etiam noſtram ſententiam præter Doctores citatos, docere nouiſſimè etiam Cæleſtinum *in Compen. Theolog. moral. tract. 8. cap. 5. quæſ. 9.* vbi ſic ait. Vtrùm Sacerdos poſſit celebrare in patena, & Calice nondum conſecrato, ſi alius Sacerdos bona fide cum ipſis Miſſam antè celebrauit ? Reſpondeo quòd ſic, quia per talem Miſſam bona fide celebratam benedicta remanſerunt. Ita ille. Et reuera, quia alia conſecratione dicendum eſt indigere Calicem, & patenam, per contactum ſanguinis & corporis Chriſti ſanctificata.

RESOL. LXI. *An ſi quis adeſſet præſens tempore conſecrationis, ſatisfaceret præcepto Miſſæ ?*

NEgatiuam ſententiam docet Marchantius *in reſol. Paſt. de Sacram. tract. 4. cap. 6. quæſ. 4.* vbi ſic ait. Similiter dic, ſi quis voluntariè & ſine neceſſitate exeat ante conſecrationem, & vtraque facta redeat, cenſeri omiſſam partem notabilem, quia eſſentialis eſt ſacrificio.

Verùm affirmatiuam ſententiam docet Hurtado *diſp. 5. de ſacrificio Miſſæ, difficult. 1.* vbi ita aſſerit. Omiſſio partis Miſſæ à conſecratione incluſiuè vſque ad *Pater noſter* etiam incluſiuè, eſt mortalis ob dignitatem huius partis, non tamen omiſſio ſolius conſecrationis, quamuis totius; bene tamen omiſſio totius cõſecrationis, & ſumptionis, quamuis aſſiſtatur intermedio ob dignitatem harum duarum partium. Sic ille.

Sed ego vtramque ſententiam amplecti poſſe puto cum Ioanne de Lugo *de Sacram. diſp. 22. ſect. 1. num. 4.* vbi ait. Quæritur, an qui non adeſſet Miſſæ tempore conſecrationis, & adeſſet omnibus alijs, ſatisfaceret ? Videtur quòd non, quia illa eſt pars eſſentialis, in qua eſſentialiter conſiſtit ſubſtantia ſacrificij. ergo qui tunc non adeſt, non adeſt oblationi ſacrificij. Reſpondeo loquendo per principia intrinſeca, ita eſſe dicendum, quia tamen ſub opinione eſt, an eſſentia ſacrificij conſiſtat in conſecratione, vel communione, vt ſuprà vidimus, potes in praxi amplecti hanc, vel illam ſententiam; ſi tamen abeſſet conſecrationis, & communionis tempore, non ſatisfeciſſet præcepto. Ita Lugo. vbi etiam *num. 6.* quærit, an qui non poteſt Miſſam integram audire, quia venit, v.g. in medio Miſſæ vltimæ, teneatur ſaltem audire illam partem quæ reſtat ? & poſt citatam meam ſententiam affirmantem ipſe cenſet diſtinguendum; nam vel aliquis poteſt adeſſe conſecrationi, vel non. Si poteſt, credo quòd teneatur illi adeſſe, quia illa eſt pars principalis, & reliqua pertinent ad eius complementũ; ſi verò peracta ſit cõſecratio, non tenetur reliquæ parti adeſſe; ſic enim feria ſexta Hebdomadæ ſanctæ non tenemur adeſſe officio illius diei, etiam occurrente feſto, quia deeſt conſecratio; ſed ille, qui veniret peracta conſecratione, ſolùm adeſſet communioni, & orationibus, quibus etiam adeſſe poſſumus illa feria ſexta. ergo non magis tenebitur adeſſe illi parti, quàm illa feria ſexta, vtraque enim communio fit à Sacerdote vt miniſtro publico, & nomine Eccleſiæ, vt vidimus in ſuperioribus. Vnde probabiliter infero, qui nullo modo poſſet adeſſe tempore conſecrationis, licet poſſet adeſſe omnibus alijs partibus, non obligari ad eas audiendas. Ratio à priori eſt, quia adeſſe Miſſæ, vt videbimus, non eſt ſolùm corpore adeſſe, ſed offerre ſacrificium ſimul cum Sacerdote offerente: qui autem non adeſt tempore conſecrationis, non offert ſacrificium illud, niſi generali ratione, ſicut omnes alij fideles. ergo non obligatur ad aſſiſtendum alijs partibus, ſicut in die, nec in die Paraſceues obligatur, propter eamdem rationem. dixi tamen, *qui nullo modo poſſet adeſſe.* nam ſi quis eo tempore ingreſſus fuiſſet ſacriſtiam, vt afferret aliquid ad ſacrificij cultum neceſſarium, ille aliquo modo diceretur adeſſe conſecrationi, & facere vnum corpus cum alijs qui aſſiſtunt. Hæc omnia Pater Lugo, ſatis quidem probabiliter; qui etiam *ſect. 2. nu. 26.* me citato docet eum ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam, etiamſi in illa audienda voluntariam internam mentis euagationem, & diſtractionem haberet, quod idem mecum docet in recitatione horarum Canonicarum.

RESOL. LXII. *An recipiens Euchariſtiam contra præceptum aliquod humanum, committat duo peccata, vnum contra prohibitionem illam, alterum quia communicat indignè ?*

CAſus eſt practicabilis, maximè in excommunicatis, & nouiſſimè contra me affirmatiuam ſententiam docet Theophilus Raynaudus *de monitor. part. 2. cap. 2. num. 17.* vbi ſic ait. Quamuis non ſit duplex peccatum cõmunicare abſque confeſſione, eo quòd tunc confeſſio non præcipiatur per ſe, ſed tantùm ratione communionis, vt rectè ſtatuũt Vaſquez *3. p. diſt. 208. nu. 24.* & Suarez *tom. 4. 3. part. diſt. 35. ſect. 3.* contra Canum *relect. de pœnit. p. 4.* tamen ſi peccatum tale ſit, vt non modò inuehat defectũ gratiæ, ſed etiam ſpecialiter ſit annexa ex præcepto Eccleſiæ repulſa à communione, (quale eſt peccatum propter quod quis excommunicatione perculſus eſt) non dubito quin excommunicatus ſuperſtite ea labe ad Euchariſtiam accedens duplici mortali peccato contaminetur, altero contra legem de perceptione Euchariſtiæ in gratia, altero contra legem de abſtinendo ab Euchariſtia per tempus excommunicationis; ſicut dupliciter peccat, qui ſe ingurgitat, quo tempore indictum erat ieiunium. nam & temperantiam & Eccleſiaſticam ieiunij legem violat. & ita rectè in præſenti negotio Bonacina *quæſt. 6. de Euchar. part. 1. n. 34.* contra Vaſq. *3. part. diſt. 207. num. 5.* cui ſuffragatus videtur Diana *part. 2. tract. 14 reſol. 22.* Huc vſque Raynaudus.

His tamen non obſtantibus ego cum Vaſquez iterum negatiuam ſententiam doceo, quia vtrumque

que præceptum eſt ex eodem motiuo Religionis, cuius intuitu legiſlatore humano remouetur ille indiginis ne recipiat Euchariſtiam; ſed plura præcepta non multiplicant peccata, quando oriuntur ex eodem motiuo. ergo talis circumſtantia non eſt explicanda in confeſſione, quia non variat ſpeciē. & ita nouiſſimè hanc ſententiam docet etiam Ioannes de Lugo *de ſacram. Euchar. diſp. 14. ſect. 1. n. 20.* vbi quoad praxim exiſtimat hanc doctrinam eſſe veram, nec oportere explicare vtrumque illud præceptum, quia licet præceptum humanum non habeat forſaſſe totum motiuum quod habet præceptum diuinum; hæc tamen habet totum motiuū quod habet præceptum humanum, nempe remouere ab hoc Sacramento indignos, ex quo motiuo remouentur ab Eccleſia excommunicati, etiam quando ſunt in ſtatu gratiæ, propter indignitatem aliquam præcedentem, licet non ſint nunc peccatores; ſicut & remouentur nō ieiuni, propter eamdem reuerentiam Sacramenti, licet ſint in gratia. Ille ergo qui explicat ſe accepiſſe Euchariſtiam indignè, ſeu in ſtatu peccati, iam explicat ſufficienter malitiam, quæ ſumitur etiam ex prohibitione Eccleſiæ, ſcil. ſe peccaſſe contra præceptum remouens indignos ab hoc Sacramento, in quo motiuo conuenit vtrumque præceptum. ergo, &c.

RESOL. LXIII. *An Sacerdos, vt ipſe, vel alij impleant præceptum Paſchale, poſſit abſque præuia confeſſione celebrare?*

NEgatiua ſententia probatur, quia lex Eccleſiaſtica non obligat ad communionē, niſi quando debito, & legitimo modo haberi poteſt. & ita docet Syluius *in 3. part. quæſt. 80. art. 4. dub. 2.* & Suarez, cū quo his diebus quidā Theologaſter (credo quòd alium authorem non habebat) ita mordicus hanc ſententiam tenebat, vt affirmatiuam, quam ego conſului, improbabilē non dubitarit vocare.

Sed toto cælo errauit. Dico igitur probabilius in tali caſu Sacerdotem poſſe celebrare cum ſola cōtritione, & laicos communionem accipere, & ita docet Henriquez *lib. 8. cap. 46. num. 4.* & Coninck *de Sacram quæſt. 80 ar. 4. dub. 2. n. 17.* & Ioan. de Lugo *de ſacram. Euchar. diſp. 14. ſect. 5. num. 116.* quia præceptum illud Eccleſię de communione, non eſt purè Eccleſiaſticum, ſed eſt præceptum diuinum determinatum ab Eccleſia quoad tempus. Quare ſicut vrgente præcepto diuino viatici ſumendi noluit Deus obligare ad confeſſionem præmittendam, ſi non eſt copia Confeſſarij; ſic vrgente præcepto diuino communionis etiam extra mortis articulum idem credi poteſt; præſertim cùm præceptum diuinum communionis extra mortis articulum reſpiciat etiam neceſſitatem, quam habemus illius cibi, quem quia eſt neceſſarius ad ſuſtentationem animæ ſpiritualem, ideo præcepit nobis Deus illum aliquamdiu in vita ſumere. ergo hoc præceptum etiam extra mortis articulum debebat permittere communionem abſque confeſſione, quando non eſſet copia Sacerdotis, vtpote præceptum de cibo neceſſario, & de re neceſſaria. & hæc omnia docet Lugo *vbi ſuprà*, qui etiam optimè infert aliter dicendum eſſe de communione debita ex voto, aut etiam ex præcepto.

RESOL. LXIV. *An ſi quis vrgente neceſſitate celebrandi caſum reſeruatum cum omnibus alijs peccatis, confeſſus ſit cum inferiori Confeſſario, teneatur poſtea quamprimùm ex præcepto Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 7. confeſſionem facere cum Superiori?*

CAſus eſt curioſus, & poteſt faciliter in praxi occurrere, & ad illum nouiſſimè reſpondet Ioannes de Lugo *de Sacram. diſp. 14. ſect. 7. num. 152.* vbi ſic ait. Quæri poteſt de illo, qui habens caſum reſeruatum, & non potens recurrere ad Superiorem; confitetur; vrgente neceſſitate celebrandi, inferiori, ab eoque abſoluitur indirectè à non reſeruatis, an iſte obligetur illo præcepto Tridentini ad confitendum poſtea quamprimùm Superiori; an verò ſufficiat confiteri Superiori tempore debito, quando ſcilicet inſtet obligatio, aut præceptum confeſſionis annuæ, vel propter recipiendam Euchariſtiam? De hoc dubio nihil inuenio apud auctores, conſequenter tamen ad doctrinam ſuprapoſitam videtur hic etiam comprehendi præcepto confitendi poſtea quàm primùm poſſit, quia hic reuera celebrauit ratione neceſſitatis vrgentis abſque confeſſione illius peccati, cuius conſcientiam habebat, & quam præmittere debebat. quòd autem confeſſus fuerit alia peccata non reſeruata, nō videtur ſufficere, ſicut neque in illo, qui confeſſus eſt alia, & poſtea recordatur ante Miſſam alterius peccati, quod non dixerat, quem tamen diximus debere poſt Miſſam quamprimùm confiteri. Ita Lugo. qui etiam putat in dicto decreto Concilij comprehenſum eſſe eum, qui priùs quidem confeſſus fuerat & abſolutus, ſed poſtea recordatur peccati, non explicati in confeſſione, & ob neceſſitatem & carentiam Confeſſarij celebrat abſque noua confeſſione.

Non deſinam tamen hîc obiter adnotare pro intelligentia illlorum verborum Concilij *quamprimum*, hæc P. Lugo aſſerere, vbi ſuprà *num. 158.* Alij dicunt verba iſta intelligi vt Sacerdos poſtea confiteatur ſuo tempore, nempe ante aliam celebrationem, quam ſententiam ſaltem per principia extrinſeca probabilem eſſe docet idem Diana *loco citato*, & pro ea affert Stephan. Fagundez *de præcept. Eccleſ tract. 3. lib. 3. cap. 8. num. 9.* Molfeſium *in ſumm. tom. 1. tract 3. cap. 10. num 28.* & Petr. Binsfeldium *in enchir. Theolog. paſt c. 5.* verùm ex his auctoribus ſolus Fagundez id dixit abſque alio auctore, vel ratione. Nam Molfeſius loquitur ibi expreſsè de laico communicante, vrgente neceſſitate abſque præuia confeſſione, & de illo dicit debere habere contritionem cum propoſito confitendi non ſtatim, ſed ſuo tempore, pro quo affert Suarium & alios auctores, qui certè id non dicunt de Sacerdote celebrante. Petrus verò Binsfeldius citatur à P. Diana, non deſignata parte illius operis; oportet tamen quòd ſi in 1. part. non cap. 5. ſed cap. 6. in quo tractat de illa obligatione Sacerdotis; ſed ibi nullo modo inſinuat eiuſmodi ſententiam, non poteſt ergo manere probabilis propter ſola principia extrinſeca, quæ non habet alium auctorem, niſi vnū, & eſt contra omnes alios. Huc vſque Lugo. Sed aduertat Lector, Molfeſium & Binsfeldium in

fauorem

sanorum sententiæ Fagundez non esse à me citatos falsò, vnde puto eorum codices quos penes se tetinet amicissimus vir, non rectè impressos esse, vt ex incuria & ex reiteratis editionibus sæpe accidere solet. & ideo Binsfeldius, quem penes me habeo, *in enchir. Theol. pastor. part. 1. cap. 5. §. 9. concl. 6.* sic ait. Quando Sacerdoti existenti in Altari in mentem venit aliquod peccatum mortale, quod non est confessus, tunc sola contritio sufficit; verùm tenebitur absoluto sacrificio quamprimùm poterit confiteri, id est, antequam ampliùs celebret. Sic ille. Molfesius autem *in summ. tom. 1. tract. 3. cap. 10. n. 28.* sic asserit. Est igitur alia secunda & vera limitatio ex parte celebrantis, si nempe inchoasset sacrificiū, nec posset illud relinquere, vel ob scandalum, vel quia cœpta esset consecratio, & recordetur se esse in peccato mortali, vel quia post cœptum sacrificiū cogitatione peccasset mortaliter, & sic de alijs; si non posset vocare Confessarium, cui confiteatur, dum non potest commodè confiteri, nec sacrificium inchoatum relinquere, potest, imò debet cōplere; conetur tamen contritionem habere cum proposito confitendi citiùs: quod licet tutius sit & securius statim confiteri post completum sacrificium, data copia Confessarij; hoc tamen non est de præcepto, & satis est pro adimplendo præcepto si confiteatur suo tempore, nempe ante aliam celebrationem. Hęc Molfesius, licet citet aliquos qui hoc non asserunt; tuentur igitur sententiā Fagundez alij duo Auctores; verùm, vt dixi, ex rationibus à priori mihi non placet.

RESOL. LXV. *An post pollutionem voluntariam, si eodem die pœnitens confiteatur, faciat contra consilium sumendo Eucharistiam?*

NEgatiuam sententiam docet mordicus Ioannes Sanctius *in selectis, disp. 23. num. 30.* vbi negat in tali casu contra aliquos Doctores peccatum veniale adesse, quia, ait ille, in Concilio Tridentino *sess. 13. c. 7.* statuitur illum sanctè & dignè Eucharistiam suscipere, qui nullius criminis mortalis est sibi conscius, aut si sit conscius, dignè accedet, se per confessionem probando. Igitur asserere deleto iam peccato per confessionem adhuc fidelem non esse dignum Eucharistiæ suscipiendæ, quia si suscipiat, peccatum veniale sit commissurus, aduersari Concilio videtur manifestum, cùm sequatur eum non accedere tunc sanctè & dignè, cùm actionem exerceat ex mente horum auctorum intrinsecè malam & culpabilem. Nec obstat in rubrica Missalis consuli, habentem pollutionem nocturnam à celebratione abstinere, (quod herclè non consulit Pontifex vt particularis Doctor, sed vt caput Ecclesiæ, in quo video aliquos deceptos. nam vt particularis Doctor non potest Ecclesiæ vniuersali regulas præscribere.) non, inquam, obstat; nam esto vt caput rubricā illam tradit, id efficit intra sphæram probabilitatis, sicut dum beatificat aliquem Sanctum, vt Ecclesiæ caput munere beatificandi fungitur, & tamen per beatificationem solùm consequitur quòd probabilius sit talem Sanctum in gloria esse collocatum. At dicet quis se non experiri carnis tentationes à se auferri; imò nec minui, quamuis quotidie Eucharistiam sumat. quanam ergo ratione Sancti inquiunt aduersùs carnis tentationes Eucharistiā maximè proficere? Animaduertat ille non Eucharistiam dari, vt tentationes auferat, sed vt fortitudinem præstet ad illas vincendas; hoćque maius donum est in habentibus fomitis peccatum. Hucusque Sancius.

Sed in tali casu culpam venialem adesse docet Ioan. de la Cruz *in direct. conscient. p. 2. de Eucharistia, quæst. 5. dub. 3.* Nugnus *in 3. part. quæst. 80. art. 8. concluſ. 10. & 11.* Ochagauia *de sacrament. Euchar. tract. 2. quæst. 11. num. 5.* & nominatim aduersùs Sancium insurgit nouissimè Ioannes de Lugo *de Sacrament. Euchar. disput. 15. sect. 1. num. 4.* omnino videndus.

Cauendum est etiam ab illis verbis à Sancio enuntiatis, v.g. Summum Pontificem per beatificationem declarare, quòd probabilius sit, talem Sanctum in gloria esse collocatum, quæ quidem verba non demonstrant certitudinem gloriæ Sanctorum, & in prima editione non inueniuntur, sed appositа sunt in Additionibus secundæ editionis post mortem authoris. Vnde credi potest (debeo enim excusare amicissimum virum) ex aliquo errore irrepsisse.

RESOL. LXVI. *An si in aliqua ordinatione officialis Episcopi protestetur Episcopum nolle ordinare irregulares, v.g. carentes patrimonio, &c. tales hoc non obstante reuera ordinentur?*

AD hanc quæstionem respondet Ioannes de Lugo *de Sacram. disput. 8. sect. 7. num. 119.* vbi sic ait. Infero secundò quid dicendum sit de protestatione, qua aliqui Episcoporū officiales solent ante Ordinum collationem publicè protestari Episcopum non habere intentionem ordinandi eos, qui cum aliquo legitimo impedimento ad Ordines accedunt, v.g. irregulares, aut carentes patrimonio & beneficio, vel legitimis literis dimissoriis, &c. Nam si reuera Episcopus habet talem intentionem, proculdubio qui illis impedimentis fuerint ligati, non recipient verum Ordinem. Aliqui tamen existimant protestationem illam fieri solùm ad terrendum; Episcopum autem habere absolutum animum ordinandi eum, qui accedit, quicumque ille sit. Ego quidem vsum talis protestationis nullo modo probo, tum quia in ritibus Ecclesiasticis fundamentum non habet. nam licet in Pontificalibus antiquis & modernis apponatur formula, qua ordinandi moneantur ex parte Episcopi ne vllus accedat irregularis absque ætate, vel facultate legitima, &c. in nullo tamen Pontificali legitur & inuenitur talis protestatio de defectu intentionis; quare officiales Episcopi, dum illam protestationem addunt, id de suo addunt, & non iuxta formulam in Pontificali constitutam; tum etiam, quia licet existente grauissima causa posset aliquando Episcopus habere intentionem sub conditione vt fatetur Vasq. *d. c. 7. n. 86.* de ministro absolutionis. Si, v.g. aliquis simulans se alium petat ordinari, cùm multum referat hunc non ordinari. Cæterùm eiusmodi voluntas conditionata vniuersalis cum omnibus haberi nō potest absque grauissimis inconuenientijs, propter dubia quæ inde oriuntur

circa

circa valorem Ordinis. Poteſt enim contingere in primis quòd aliquis tale impedimentum habeat, illudque vel ignoret, vel eius actu nõ recordetur. Poteſt item ſuboriri dubium, an reuera habuerit aliquid ex iis impedimentis: denique dato quòd illud habuerit, & cognouerit, dubitabit meritò de intentione Epiſcopi, an fuerit conditionata, vt verba priora ſonabant, an abſoluta, prout debebit eſſe. Non debet autem res adeò grauis his dubiis exponi. Vnde ſi caſus accideret, ego Sacerdoti eo modo ordinato cum tali impedimento conſulerem, vt ſi commodè poteſt, adeat eumdem Epiſcopum, eiuſque intentionem exploret, qualis fuerit. Quod ſi hoc fieri non poſſit, recipiat itetum ſub conditione Ordinem, ne maneat in illo dubio, cũ periculo inualiditatis aliorum Sacramentorum, quæ ex Sacerdotio dependent. Huc vſque Lugo.

Sed quando caſus acciderit, nullum in eo ponit ſcrupulum Ioan. Præpoſitus *in 3. part. D. Thom. quæſt. vnic. de ſacram. Ord. dub. 17. num. 171.* ſic enim aſſerit. Aduerte Epiſcopum ſolere interdicere ſub pœna anathematis ne quis ſe ingerat ſuſceptioni Ordinis, niſi ſit ad hoc canonicè examinatus, admiſſus, approbatus, deſcriptus, & nominatus, quæ excommunicatio comprehendit etiam extraneos aliàs Epiſcopo non ſubiectos, qui in hoc actu ſubiiciuntur: quod poteſt aliquo modo confirmari ex *cap. præterea, de officio delegati, citato.* Quòd ſi Epiſcopus dicat, non intendo, vel nolo ordinare excommunicatos irregulares, &c. intelligitur ſi aliquem talem eſſe cognoſcat; vnde propter huiuſmodi clauſulam non debet aliquis ſe exiſtimare non ordinatum ſi fortè erat excommunicatus, &c. ignotus tamen, vel occultus, quia non obſtante tali proteſtatione Epiſcopus verè intendit Ordines conferre examinatis, admiſſis, nominatis, de quorum defectu nullam habet notitiam. Ita Præpoſitus, cui ego libenter adhæreo.

Notandum eſt etiam hîc, quòd non deberent Epiſcopi accedẽtes ad Ordines prohibere ſub excommunicatione latæ ſententiæ, ne accedant cum impedimento occulto cenſuræ irregularitatis, &c. quin potiùs deberent ad cautelam in generali illos abſoluere, & diſpenſare, vt ſi quis deinde fuerit recordatus ſe habuiſſe aliquam cenſuram, irregularitatem, &c. non teneretur de his abſolutionem quærere, ſi poterat Epiſcopus in dictis caſibus abſoluere, & diſpenſare. Ita Filliucius *tom. 1. tract. 9. cap. 5. num. 99.* Henriquez *lib. 10. cap. 20. nu. 1. & 2.* & poſt illos Peyrinus *in priuil. Minimorum tom. 1. conſtitut. 1. Iulij II. §. 18. num. 41 & 42.*

RESOL. LXVII. *An teſtes priuilegiati de iure teneantur ex vi monitorij reuelare crimen ſui coniuncti, etiamſi non ſint alij teſtes?*

CAſus eſt frequentiſſimus, & *in 3. part. tract. 5. reſol. 63.* pro negatiua ſententia adduxi Pereiram, quem nouiſſimè, me citato, citat, & ſequitur Theophilus Raynaudus *de monitorijs, part. 1. c. 3. quæſ. 20. & quæſ. 14.* vbi docet, quòd neque pater filium, neque maritus vxorem, aut è contrario, nec frater fratrem, aut ſororem tenetur detegere vi monitorij. Id tamen intelligo de patre & fratre ſecundùm carnem. Nam filium ſpiritualem teneri vi monitorij detegere patrem ſpiritualem, contra Franciſcum Curtium *lib. de teſtibus, concl. 30.* docet, & rectè, Nauarr. *repetit. in c. inter verba, concluſ. 6. corollar. 66. n. 412.* & Farinac. *tract. de teſtib. q. 54. n. 194.* & cum multis Barboſa *de poteſtate Epiſcopi alleg. 96. n. 55.* An quoad alios cognatos præter prædictos ſit eadem à monitorio immunitas, etiamſi à conſciis non detegantur, ambigunt aliqui. Sed placet quod ſtatuunt Angelus, & Syluester *verb. familia*, & cum aliis Auila *2. part. cap. 5. diſput. 5. dub. 2.* idem pronuntiandum eſſe de ſocero & genero, deque cognatis omnibus intra quartum gradum. Ita enim neceſſe eſt aſſerere, vt vitentur diſſenſiones & odia inter cognatos, quorum iurgia tam noxia ſunt Rebuſpublicis, tamque terram mephitim inhalant quoties interueniunt. Abſque dubio autem interuenirent iurgia & odia, ſi cognatus intra prædictos gradus aduersùs cognatum ageret teſtem, aut denuntiatorem. Quare ad id non vrgentur lato in quoſuis conſcios monitorio. Neque eſt adhibenda temperatio non neceſſaria, quam huic reſolutioni apponunt Naldus *ver. reuelare, num. 8.* & Bonacina *tract. 6. ex variis part. 1. §. 3. num. 5.* nimirum quòd hi quoque ſint ad detegendum cognatum obligandi monitorio, ſi detegere poſſint ſine graui damno. Voco hanc limitationem non neceſſariam, eamque idcirco reiicio, quia ratio adducta demonſtrat non poſſe à tali reuelatione abeſſe graue damnum perſonæ coniunctæ detegentis. Eodemque modo reiicitur limitatio alia quam adhibent nonnulli reiecti ab Auila *2. p. cap. 5. diſput. 5. dub. 1. concl. 1.* nimirum quòd cognati à denuntiandis cognatis tantùm excuſentur in criminali cauſa, non autem in ciuili. Verùm ratio propoſita vrget vniuerſaliter, ex eaque ritè perpenſa effici inſuper videtur idipſum quod de cognato vi monitorij nõ detegendo, dictum eſt, dicendum ſimiliter eſſe de amico cõiunctiſſimo, & de benefactore planè inſigni, quorum detectio grauiter exaſperaret, & feritatem, vel non leuem ingratitudinem redoleret. Et hæc omnia docet Raynaudus *loco citato*, ſatis quidem probabiliter; quicquid etiam probabiliter in contrarium aſſerat Graffius *in deciſion. part. 1. l. 4. c. 8. n. 23.* & alij. ſecluſis tamen caſibus pertinentibus ad Tribunal ſanctæ Inquiſitionis, de quibus ego alibi, &, me etiam citato, *ibidem* Raynaudus.

RESOL. LXVIII. *An non reuelantes ex vi monitorij teneantur reſtituere damna inde ſequuta?*

CAſus paſſim accidit. & affirmatiuè reſpondet Auila *de cenſuris part. 2. cap. 5. diſp. 4. dub. 3. concl. 8.* vbi ſic ait. Qui cùm tenetur denuntiare furem nõ denuntiat, non ſolùm incurrit excommunicationẽ, ſed inſuper tenetur reſtituere damnificato. Ita ille, qui citat Nauarrum & Sotum, quibus adde Aragonium *in 2. 2. quæſt. 70. art. 1.* & Carboniũ *q. 51. de reſtitut.* & hanc ſententiam docent etiam Doctores, aſſerentes teſtem vocatum à iudice ad teſtificandum, intimato præcepto, teneri ad reſtitutionem ſi fugiat. Ita Turrianus *tom. 2. diſput. 52. dub. vnic. n. 2.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 14. punct. 1.* & alij.

Non desinam tamen hîc adnotare (attendas quæso amice Lector) negatiuam sententiam docere nouissimè Theophilum Raynaudum *de monitoriis, part.1. c.3. q.24.* vbi fatetur affirmatiuam sententiam esse communem; non potest tamen diffiteri, oppositam, tametsi minore authorum numero subnixam, esse admodum verisimilem, quia scilicet negatur ius esse parti post interpositum Superioris præceptum, vt conscij rem aperiant. Debent quidem conscij parere præcepto, idque ni faciant, & obedientiam Superiori debitam violabunt, & in charitatem parti exhibendam. Nullum verò est caput, ex quo prodatur eam culpam esse contra iustitiam, qui est totus & vnicus fons obligationis restituendi. Ita Molina *tract. 2. de Iust. disp.* 83. §. *de teste, & disp.* 700. *num.* 4. Lessius *lib. de Iust. cap.* 13. *num.* 76. *& cap.* 30. *num.* 59. tametsi vacillat saltem in speciem *num.* 60. Quòd autem inter obnoxios restitutioni in vulgatis versiculis numerari soleat non manifestans, ex quo Sayrus *loco citato* intulit, apud omnes certum esse testem iussum testificari nec parentem, esse iniustam causam damnorum silentium consequentium, & ad eorum restitutionem teneri, non grauatè eliditur. Nomine quippe non manifestantis in illis versiculis intelligendus est is dumtaxat, qui ex officio suo ac munere tenebatur impedire damnum, quod sciuit accidere, cùm posset aperiendo alicui id impedire. Quia ergo hæc sententia, quæ testem iussum testificari solo contra obedientiam & charitatem peccato inquinat, est admodum verisimilis, non ausim damnare eos, qui ad monitorij interpellationem tacentes nulli restitutioni obnoxios faciunt, quamuis damna aliqua inde sequantur parti: non modò si ante promulgatum monitorium conscij de eius futura promulgatione se subducant, (in quo euentu rectè Valent. *quæst. illa* 14. *part.*1. & Torres *disp.* 52. *citata n.* 4. contra Sotum negant esse obligationem quicquam restituendi, quemadmodum qui se subducit præscius se iubendum agere tutorem, solam obedientiam erga Magistratum non seruat exquisitè, & charitatem pupillo debitam violat, nihil tamen tenetur restituere;) sed etiamsi lato iam monitorio conticescant. Huc vsque Raynaudus.

RESOL. LXIX. *An ex vi monitorij quis teneatur reuelare furtum domesticum factum à filiofamilias?*

AFfirmatiuè respondet Naldus *in summa, verb. excommunicatio, num.* 8. *& verb filius num.* 3. vbi sic ait: Filiofamilias furante vnà cum socio bona paterna, si excommunicatio feratur contra non reuelantes, cùm verisimile sit patrem nolle filium excommunicatione ligari, ipse quidem erit immunis ab ea, non sic autem socius prædictus, in quo non militat eadem ratio, quæ in filio. Ita ille, vbi citat Hugolinum.

Sed hanc sententiam refellit Raynaudus *de monitoriis, part.*1. *cap.*3. *quæs.*14. nisi aliunde constet mentem patris, qui monitorium impetrauit, velle, vt filij si rei sint manifestentur, quod pro negotij qualitate, & circumstantiis prudenter diiudicandum est, cùm verba nihil peculiare exprimunt quoad istos, sicut censerentur exprimere si adhiberetur clausula, *nullo excepto*, aut *nemine dempto*, qua significaretur voluntatem patris, atque adeò etiam iudicis esse, vt quicumque tandem reus sit, aperiatur, alioqui enim personæ tam coniunctæ, non sunt ex obligatione detegendæ vi monitorij; sunt qui id extendant ad earum complices, v.g. ad famulos socios furti filiorum, ac similium. Nam quandoquidem is, qui monitorium impetrauit, præsumitur noluisse filios, v.g. includi in monitorio, vt eorum famæ parcatur: ita neque videtur voluisse, vt eorum complices detegantur, ne consequatur infamatio personarum, quas habet charissimas. existimo tamen censuisse obligationem monitorio iniici ad hos complices personarum coniunctarum detegendos, quia hæc videtur esse mens partis, nec præsumpta eius voluntas quoad ipsas personas coniunctas, extendenda est ad earum complices, ac socios, quia etiamsi ex complicum detectione sit indirectè consecutura infamatio aliqua personarum coniunctarum, tamen id incertum est, fortassis enim non detegentur, & quidquid sit de infamatione, immunes erunt à tam multis damnis excommunicationis. Hæc omnia Raynaudus.

Sed vt verum fatear, hoc vltimum non caret difficultate, nam eo ipso quòd reuelantur socij & complices, certum est moraliter detegendos esse filios. ergo, &c. Ideo tu cogita.

RESOL. LXX. *An Cancellarius Episcopi possit ratione laboris sumere aliquid pro licentia audiendi confessiones & concionandi?*

REspondeo negatiuè, quod alicubi non rectè obseruatur, & ita docuisse sacram Congregationem Cardinalium die 16. Iulij 1591. testatur Ganãtus *in ench. Episcop. ver. licentiæ, n.* 3. vbi sic ait. Licentiæ sedendi, audiendi confessiones, concionandi, & ministrandi Sacramenta, dentur gratis. Sic ille, quod etiam ex alia declaratione in vna Aprutina, teste Aldano, docet Barbosa *in Collectan. Doct. ad Consil. Trident. sess.* 23. *cap.* 15. *numer.* 57. vbi asserit Cancellario Episcopi nullo pacto licere etiam in vim taxæ antiquæ pro approbatione ad confessiones audiendas, quã hoc decretum gratis dari mandauit quicquam exigere. Et tandem pro hoc casu & similibus non desinam hîc apponere etiam aliam sacræ Congregationis declarationem, quam doctus Barbosa *vbi suprà in Concil. Trident. sess.* 21. *cap.*1. *num.* 16. affert. vbi sic ait. Notario, vel Cancellario nihil licere accipere, neque ratione scripturæ, neque sigilli, neque laboris, aut alio titulo, sed gratis his, quorum interest, debere præstare omnia infrà ponenda, tenet Sell. *d. cap.*10. *numer.* 21. attestans sic fuisse decisum in vna Vicen. 8. Martij 1602. videlicet,

Approbationem ad audiendas confessiones.

Licentiam administrandi Sacramenta.

Licentiam deseruiendi beneficiis.

Licentiam sepeliendi defunctorum corpora in Ecclesia.

Licentiam celebrandi Missas.

Licentiam colligendi eleemosynas.

Man-

Mandata, publicandi in Eccleſia eos, qui primam Tonſuram, vel minores Ordines ac ſacros ſuſcipere voluerint.

Quoad alia verò quæ ſequuntur, poterit aliquid percipere, ſi nullum ſibi ſalarium, vel ſtipendium conſtitutum fuerit, tuncque congruam tantùm ſui laboris mercedem, quæ quoad litteras collationis, vel inſtitutionis curatarum Eccleſiarum, vel deputationis Vicariorum in illis vnum aureum, & quoad literas dimiſſorias, & teſtimoniales decimam vnius aurei partem numquam excedat.

Pro literis collationum, inſtitutionum, ſeu prouiſionum beneficiorum vacantium per obiectum, vel per reſignationem etiam ex cauſa permutationis, vel alia.

Pro litteris dimiſſorialibus, ſeu teſtimonialibus, quę conceduntur Presbyteris, ſeu Clericis ad alias diœceſes tranſituris.

Pro litteris recipiendi Ordines ab alienis Epiſcopis.

Pro licentia ordinandi ſe ad titulum patrimonij, ſeu pro approbationibus huiuſmodi titulorum.

Pro licentia abſentandi ſe ab Eccleſia, ſeu beneficiis.

Pro licentia erigendi Capellas.

Pro litteris approbationis concurrentium ad Parochialium vacationes in menſibus reſeruatis quæ ad Sedem Apoſtolicam tranſmittuntur.

Pro approbatione iuriſpatronatus ex fundatione, vel donatione.

Pro creationibus Vicariorum in Parochialibus.

Pro deputationibus OEconomorum dum beneficia vacant.

Pro executionibus literarum Apoſtolicarum gratiam, ſeu iuſtitiam concernentium.

Huc vſque ſacra Congregatio. vnde videant Epiſcopi in omnibus caſibus ſupradictis, quid efficiatur in eorum Curiis.

Notandum eſt tamen hîc obiter in dictis verbis Concilij *ſeſſ. 23. cap. 15.* contineri præceptum quo præcipitur Epiſcopis, vt approbationem ad confeſſiones gratis impendant, ſed non continetur conditio neceſſaria, quia non ſeruata non valeat approbatio. & ita docet Suarez *tom. 4. diſp. 28. ſect. 5. num. 10.* Fagundez *pract. lib. 7. cap. 2. numer. 66.* ſecus autem in Indulgentiis, v. g. in ſequenti reſolutione dicendum eſt.

RESOL. LXXI. *An pro diſpenſationibus matrimonialibus poſſit delegatus ſumere aliquid ratione laboris, & quid pro executoriis, & licentiis publicandi Indulgentias?*

DIfficultas oritur ex clauſula, quæ apponi ſolet in dictis litteris diſpenſationum tenoris ſequentis. Volumus autem quòd ſi ſpreta monitione noſtra eiuſmodi aliquid muneris, aut præmij occaſione dictæ diſpenſationis exigere, aut oblatum recipere temerè præſumpſeris, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurris. Hoc ſuppoſito ad quæſtionem propoſitam affirmatiuè Sachez *de matr. tom. 3. lib. 8. diſp. 35. n. 10.* ex aliis viris doctis, à ſe conſultis, cùm prohibitio huius clauſulæ loquatur de munere, aut præmio, atque ita de muneribus, quæ in gratitudinis præmium ſponte offeruntur. At quod eſt laboris impenſi ſtipendium non eſt remunerationis præmium, nec muneris rationem habet. Deinde quòd mens Pontificis in hac prohibitione ſit, ne muneribus corruptus, & excæcatus Ordinarius, minus benè munus ſuum obeat. At ſtipendium laboris iure, vel conſuetudine debitum non corrumpit iudicem, nec ipſum à recto deſiſtere obligat. Ita Sanchez, qui etiam addit conſuetudinem obtinuiſſe, vel ſaltem declaraſſe hoc ſtipendium recipi poſſe.

His tamen non obſtantibus contrariam ſententiam tenendam eſſe puto, & ita declaraſſe ſacram Congregationem Cardinalium ex Armendariz teſtatur Barboſa *in Collectan. Concilij Trident. ſeſſ. 21. cap. 1. num. 15.* vbi ſic ait. Pro diſpenſationibus matrimonialibus non licere Epiſcopo, vel eius Vicario quicquam accipere, nec ratione taxæ etiam ex immemoriali conſuetudine, nec ratione ſigilli, vel alicuius alterius rei aſſerit, reſolutum Armendar. *d. tit. 18. de Epiſcopis, n. 10. in reſponſ. ad 6.* aduertes propterea decretum illud, quod ſolet poni in literis diſpenſationum matrimonialium, vt nihil muneris, aut præmij ſponte accipi poſſit pro illarum executione, ita intelligendum eſſe, vt neque Ordinarius ipſe, neque Vicarius eius quicquam pro mercede laboris, quem ea in re ſuſciperent, capere poſſent: addit deinde Notarium pro examine teſtiū quartam aurei, ſed ducati partem licitè accipere poſſe. Hæc Barboſa, & ante illum Nauarrus. Vnde non deſinam pro iſto caſu & aliis ſimilibus apponere hîc per extenſum declarationem ſacræ Congregationis, quam affert Garſias *de Beneficiis, tom. 2. part. 8. cap. 1. num. 77.* tenoris ſequentis. Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini Canonici & Capitulum Eccleſiæ Gerunden. animaduertentes quòd Reuerend. D. Iacob. Caſſad. modernus Epiſcopus Gerunden. quotidie contra ſtylum antiquum dictæ Eccleſiæ multa indebitè extorquet, & multa grauamina infert, & quod non curat ſe ab illis abſtinere, ſed de die in diem in illis continuando cauſam querelandi & murmurandi aliis præbet cum maximo damno & ſcandalo populorum, ideo vt ex dicta eorum Eccleſia extorſiones & grauamina huiuſmodi de medio tollantur, & ne abuſus huiuſmodi in prauam conſuetudinem tranſeat, aliique ſucceſſores in dicto Epiſcopatu malum exemplum huiuſmodi imitari poſſint, deliberarunt nonnulla Capitula extorſionum & grauaminum huiuſmodi veſtris Illuſtriſſimis & Reuerendiſſ. DD. deferre ad hoc vt ex ſola benignitate in his, in quibus eis videbitur, prouidere dignentur.

In primis Reuerendiſſ. Dominus Epiſcopus à prouiſis de beneficiis à Sede Apoſtolica in forma *Dignum* extorquet pro collatione in vim mandati Apoſtolici facienda Iulios duos pro quolibet ſcuto valoris dicti beneficij. Secundò item pro collationibus beneficiorum, quas ipſo iure ordinario facit, extorquet pro qualibet prouiſione aliquando ſcuta ſex, & aliquando ſeptem. Et hoc idem vult extorquere à prouiſis ab inferioribus, ad quos collatio ſpectat. Si verò collationes fiāt ab Abbatibus, vel aliis inferioribus à ſua iuriſdictione exemptis,

exemptis,ipſe Dominus Epiſcopus vult quòd collationes ab ipſo, vel eius Vicario approbentur, ac ratæ & gratæ ſint, & tantumdem perſoluant,alioquin non vult quòd poſſint gaudere dictis beneficiis. Tertiò item pro literis dimiſſoriis, ſeu teſtimonialibus,aut commendatitiis, Dom.Epiſcopus exigit vndecim groſſos & vnum nummum, contra formam Concilij Tridentini *c.1.ſeſſ.21. de reformat.* Quartò item facit ſoluere Clericos volentes ſe ordinare ad aliquem Ordinem ſacrum, pro literis publicatoriis duos groſſos & quatuor denarios, & id repetit in quolibet Ordine ſuſcipiendo. Quintò item pro licentiis exercendi curam animarum, & confeſſiones audiendi ſine coadiutoriis, exiguntur tredecim groſſi pro quolibet, quæ quolibet anno ſine alio examine renouari debent, & iterum perſolui contra formam *cap.* 15. *ſeſſ.*23. vbi expreſsè cauetur quòd gratis concedantur. Sextò item pro diſpenſationibus matrimonialibus, quæ in vim litterarum Apoſtolicarum conceduntur, exigit vnum marcum argenti, quod eſt valoris trium ducatorum, & vltrà, contra formam ipſarum litterarum Apoſtolicarum, in quibus ſua Sanctitas mandat, quod nihil percipiant à ſponte offerentibus. Septimò item pro examine in concurſu fiendo,pro obtinendo Parochiales quocumque menſe vacantes, facit ſolui ab examinatis & approbatis cuilibet examinatori Iulios quatuor, contra formã *cap.* 18. *ſeſſ.* 24. Octauò item, quia de conſuetudine dictæ Eccleſiæ Epiſcopi in eorum ingreſſu ſolent exigere à perſonis Eccleſiaſticis quoddam donatiuum, dictus modernus Epſcopus ampliando hanc conſuetudinem vult exigere & exigit etiam dictum donatiuum ab illis, qui poſtea beneficia obtinuerunt,& ſucceſſiuis temporibus obtinent, nec permittit ipſos capere poſſeſſionem beneficiorum, nec Bullas nec literas prouiſionis expedire vult,niſi priùs ſoluant dictum donatiuum.Nonò item infligit quotidie pœnas & cenſuras Eccleſiaſticas in cauſis ciuilibus,& parui momenti etiam pro debito duorum Iuliorum, nõ aliter, ſeruata forma Cõcilij *cap.3.ſeſſ.*25. ſed contra illius formam,quo fit vt cenſuræ huiuſmodi paruipendantur. Decimò item confert Ordines generales vt plurimum in quadã Capella ſui palatij, & ſi quando illas in Cathedrali çonfert,id in Capella remota & obſcura,nulla prçcedente intimatione, ne vocatis aliquibus Canonicis,facit contra formam *c.*18.incip.*Ordines, ſeſſ.*23. *de reformatione.*Hæc & multa alia dictus Dom. Epiſcopus extorquet, & in multis aliis grauat ſubditos,ideo ſupplicatur humiliter veſtris Illuſtriſſimis & Reuerendiſſimis Domin. vt pro ſolita benignitate dignentur conſulere benignitati ſubditorum,ac ſimul cupiditati dicti Prælati.

Reſponſio. Reuerendiſſime Domine,vti frater, Canonici & Capitulum iſtius Eccleſiæ libellum, qui erit cum his literis, ſacræ Congregationi Cardinalium Concil. Tridentini interpretum obtulerunt in eo, quod de amplitudine tua conqueran-tur,ipſa perſpiciet,ſimulque videbit quid ad vnumquodque ipſius libelli caput ſacra Congregatio reſponderit. Nempe ad primum & ſecundum pro collatione,ant inſtitutione Eccleſiarum,& præſertim curatarum, Cancellarium poſſe in ſingulis accipere mercedem ſuo labori conuenientem, quod tamen ſcripturæ ſigillo & cæteris omnibus computatis vnum aureum non excedat, vt dummodo ipſi Cancellario ſalarium nullum pro ſuo officio exercendo conſtitutum ſit,& ex pecunia quam accipiet,nihil prorſus emolumenti collatores, aut inſtitutores vllo modo directè, vel indirectè percipiant. Ad tertium nihil exigendum pro dimiſſoriis, commẽdatitiis,aut teſtimonialibus literis,iuxta *c.*1. *ſeſſ.*21. *Concilij eiuſdem.* Ad quartum de literis publicatorijs id prohiberi eodem *cap.*1.*ſeſſ.*21.*verſ.nec alia quacumque de cauſa.* Ad quintum gratis oportere cõcedi huiuſmodi licentias,iuxta *c.*15. *ſeſſ.*23. Ad ſextũ pro diſpenſationibus matrimonialibus non licere Epiſcopo,vel eius Vicario quidquam accipere, nec ratione taxæ,etiã ex immemoriali cõſuetudine,nec ratione ſigilli, vel alicuius alterius rei, quapropter decretũ illud quod ſolet poni in litteris diſpenſationum matrimonialium,vt nihil muneris,aut prẽmij ſponte accipi poſſit pro illarum executione,ita intelligendum eſt, vt neque Ordinarius ipſe, nec Vicarius eius quidquam pro mercede laboris, quẽ ea in re ſuſciperent,capere poſſent. Notarios verò pro examine teſtium quartam partem aurei, ſeu ducati licitè accipere poſſe. Ad ſeptimum non debere examinatores occaſione examinis ad parochiales Eccleſias quicquam accipere, alioquin puniendos arbitrio Ordinarij. Ad octauum de donatiuo in ingreſſu reſpondet iſtam conſuetudinem eſſe ſublatam per Concilium *c.*14.*ſeſſ.*24. Ad nonũ non debere cenſuras infligi niſi ſeruata forma *c.* 3. *ſeſſ.*25.Ad decimum ſacrorum Ordinum collationes in cathedrali Eccleſia vocatis, præſentibus ad id Eccleſiæ Canonicis publicè celebrari debere, iuxta *c.*8.*ſeſſ.*23.Quę illi ſigillatim prçſcribere voluimus,vt cùm videat ea minimè licere, ab illis Amplitudo tua abſtineat, quod facere debebit, nec cuiquam relinquere offenſionis, aut querelæ locũ; interea eã benè in Domino valere,gratięq; ſuę donis cumulari optamus.Romæ die 12. Auguſti 1588.

Amplitudinis tuæ Reuerend. vti frater

A. Carafa Cardinalis.

Vnde ex ſupradicta declaratione *in reſponſione ad* 6. apparet ſententiam Sanchez non eſſe tenendam. hinc etiam infertur ſtantibus verbis impoſitis in Bulla Latinã Commiſſarios Bullæ Cruciatæ non poſſe recipere aliquid pro reualidatione, publicatione, &c. Indulgentiarum, neque pro iure laboris, & ideo in quodam conſeſſu doctorum hominum ex ordine Eminentiſſimi Domini mei Cardinalis ab Auria, me etiam interueniente & conſulente,fuit determinatum, neque Magiſtrum Notarium Cruciatæ pro iure laboris potuiſſe accipere aliquid pro licentia publicandi Indulgentias, quia in omnibus Curiis Epiſcopalibus ſaltem Italiæ dictæ licentiæ publicandi Indulgentias,licet præbeantur in ſcriptis, præbentur tamen gratis; quod expreſsè Cardinalis Paleottus ordinauit in ſuo Archiepiſcopatu Bononien. *part.* 4. *concil.* 1.*fol. mihi* 232. Tum, quia in Bullis Sanctiſſimi Domini noſtri Vrbani VIII. dictarum Indulgentiarum annullantur Indulgentiæ ſi pro earum publiça-

publicatione aliquid etiam à ſponte dantibus ſumatur, & pro expeditione dictarum conceſſionum, etiam pro iure laboris, Pontifex non vult vt aliquid accipiatur. & ideo in fine apponuntur hæc verba, *Gratis pro Deo etiam ſcriptura.* Et in Concilio Tridentino *ſeſſ.21. cap.9.* Canonicis qui eleemoſynam quærunt pro certis Indulgentijs, negatur aliquid dari pro iure laboris. Et ita hanc ſententiam in terminis, vt dici ſolet, terminantibus docet nouiſſimè ex inſigni Muſeo Sorbonico doctus Andreas Duuallius *in part. 2. D. Thomæ tractat. de Indulgent. quæſt. vnica, art.8.in fine,* quem omnino videbis.

Nec valet dicere quòd mandatum, ne aliquid ſumatur, eſt directum Commiſſario Cruciatæ, non autem Magiſtro Notario, qui aliquid recipit iure tantùm laboris. nam reſpondeo quòd Bullæ Vrbani VIII. in quibus conceduntur Indulgentiæ, prohibent abſolutè aliquid recipere, neque perſonis particularibus diriguntur. ergo, &c. Deinde licet Concilium Tridentinum *ſeſſ.23.cap.15.* cum Epiſcopis tantùm loquatur, vt approbationes confeſſionum gratis concedunt, tamen, vt viſum eſt in ſuperiori reſolutione, ſacra Congregatio in dictis verbis Concilij declarauit incluſos eſſe etiam Cancellarios accipientes aliquid pro iure laboris: vnde in caſu *cap.1. ſeſſ.21. eiuſdem Concilij*, Notarios nominatim excludit. ergo, &c. Ita tunc ego, præter alia iura, & rationes quæ pro hac firmanda ſententia alij Theologi conſulti adduxerunt.

Vnde à fortiori dicendum eſt, quòd pro executorijs dictarum Indulgentiarum in hoc Regno ab Officialibus laicis, ne quid minimum accipi poteſt, etiam ſub colore præſtiti laboris, quod etiam abſolutè præcepit Sereniſſimus Rex Philippus II. in quadam epiſtola data Matriti die 28. Decembr. 1571. & directa ad excellentiſſimum Ducem de Terra noua, in qua ponit querelas ſibi factas à Cardinali Alexandrino ſuper aliquos abuſus, qui tunc in hoc Regno extabant. & *cap.5.* dictæ epiſtolæ ſic Rex aſſerit. [Tanbien nos ha hecho entender, que quando ſe dan letras executorias, no ſe conſede ſi no ſe paga primero cierta ſuma de dineros, y porque eſto no parece coſa conueniente, prouereys que de aqui adelante no ſe lleuen dinero por eſta cauſa, ſino que ſe eſpida gratis. Et tunc omnes ex ſacro Concilio ſubſcripti ad dictam epiſtolam ſic reſponderunt. Per lo paſſato s'hanno perceputo per li Officiali Regij alcune raggione per conſideratione delli loro trauagli, per ò poi che ſua Maeſtà comanda che queſti negotij ſi ſpediſcano gratis, coſi ſi facci eſſeguire, ch' oltre che ſua Maeſtà lo commanda pare coſa da ſe molto conueniente.] Ita ibi. quod ſi in omnibus Papalibus reſcriptis obſeruandum eſt, maximè procedit in expeditione Indulgentiarum, quæ ſunt res ſpirituales, & quæ annullantur à Pontifice, ſi pro publicatione ipſarum aliquid recipiatur.

RESOL. LXXII. *An Sacerdos poſt conſecrationem particularum poſſit illas ponere in Tabernaculo vel extra aram, aut dare alteri Sacerdoti pyxidem, vt illas alio in Altari populo diſtribuat?*

CAſus eſt curioſus, & poteſt in praxi accidere, & ad illum ita reſpondet Ioannes de Lugo *de Sacrament. Euchar. diſput.20. ſect.2.num,69.* vbi ſic ait. Quæſitum eſt, an ſuper ara conſecrata debeant poni etiam particulæ conſecratæ, an ſufficiat, quòd ibi ſint tempore conſecrationis; poſtea verò propter loci anguſtias ponantur extra aram in alia parte Altaris ſupra aliud Corporale. Reſpondi, debere eſſe ſuper aram, ſicut & hoſtiam illam, quam Sacerdos ſumit. nam licet Sacerdos intendat hanc hoſtiam maiorem ſibi ſumere, & illas minores alijs dare, hoc parum referri, cùm ex inſtitutione huius ſacrificij nulla ſit differentia, quare poſſet Sacerdos ex ipſa hoſtia maiori dare partem aliquam ei, qui vult communicare, & rurſus ex minoribus ſibi ſumere, quia tota eſt vnica victima, & per modum vnius offertur abſque vllo diſcrimine. Vnde in rubricis Miſſalis præcipitur, quòd particulæ illæ ponantur ſuper corporale, vel ante calicem, aut in aliquo calice, vel vaſe mundo conſecrato retro poſt calicem. quòd autem non ſufficiat ſolùm quando conſecrantur eſſe ſuper aram, conſtat clarè, quia ara non tam requiritur ad ſuſtentandam hoſtiam tempore conſecrationis, quàm tempore præcedenti & ſequenti; quando enim conſecratur, non eſt hoſtia ſuper aram, ſed in manibus Sacerdotis. ergo magis requiritur ara ad tempus præcedens, & ſubſequens. Vnde obiter infero, minus ritè facere aliquos, quos vidi ſtatim poſt conſecrationem dare vas cum particulis conſecratis alteri Sacerdoti, vt eas in alio Altari populo diſtribuat. Hoc, inquam, non ritè fit; nam ſicut ex hoſtia ſua Sacerdos non debet dare partem vſque ad finem ſacrificij, ſic nec de illis particulis, quæ ſunt etiam victima illius ſacrificij, & non minus offeruntur, quàm hoſtia maior, & ideo omnes orationes, oblationes & benedictiones ſequentes æquè ſpectant ad illas, nec ante ſumptionem à Sacerdote eſt victima perfectè & integrè ſacrificata, minus etiam congruit, vt alius participet priùs de ſacrificio, quàm ipſe Sacerdos, qui eſt principaliter offerens, & ſacrificans reſpectu aliorum: vnde in omnibus Liturgijs, & Ritualibus, ac Regulis antiquis ſemper primo loco ponitur communio Sacerdotis celebrantis, & poſtea communio Cleri & populi, nec videtur ille ordo facilè peruertendus. Faciliùs poſſet admitti, quòd ante ſumptionem Calicis daretur alijs communio, quia Chriſtus non ſolùm ante ſumptionem, ſed etiam ante conſecrationem calicis videtur dediſſe Apoſtolis corpus, vt ex contextu Euangelij colligi poteſt. & hæc omnia docet Lugo *vbi ſuprà.* licet aliqui viri docti ex eadem Societate mecum de hac opinione differendo à Lugo diſſentiant.

RESOL. LXXIII. *An Epiſcopus conſecrans chriſma in ſtatu peccati mortalis peccet mortaliter?*

AFfirmatiuam ſententiã docet nouiſſimè Pater Ioannes de Lugo *de Sacrament. in genere, diſp.* 8. *ſect.* 9. *num.* 156. vbi ſic ait. Infero quartò Epiſcopum conſecrantem chriſma, & benedicentem oleum infirmorum in ſtatu peccati, peccare mortaliter. Hoc eſt contra Vaſquez *cap.* 4. *num.* 48. qui eodem modo loquitur de conſecratione Eccleſiæ, ac de conſecratione chriſmatis. Ego tamen iuxta ſupradicta magnum diſcrimen inuenio, nam conſecratio Eccleſiæ, vel aræ, aut calicis, (& idem eſt de benedictione Corporalium, veſtium ſacrarum, &c.) non ſunt actiones verè ſacramentales, quibus vllo modo conficiatur Sacramentum, quales ſunt conſecratio chriſmatis, & benedictio olei, per quas licet non perficiantur ſacramenta Confirmationis, vel Extremæ vnctionis, incipiunt tamen fieri per illas. Suppono enim materiam Confirmationis eſſe chriſma ab Epiſcopo conſecratum, & materiam Extremæ vnctionis eſſe oleum benedictum. ipſa ergo cõſecratio, vel benedictio conſtituit materiam illam in ratione materiæ, atque adeò ſicut forma aquæ conſtituit aquam in ratione materiæ Baptiſmi, ſic conſecratio illa conſtituit materiam illorum Sacramentorum in ratione materię validę. Sicut ergo conſecratio Euchariſtiæ requirit in omnium ſententia ſtatum gratiæ, quando fit, licet tunc non applicetur Sacramentum, quia nimirum tunc Sacerdos ponit materiam proximam ſacramenti Euchariſtiæ, quæ poſtea, quando applicatur dat gratiam; ſic videtur dicendum de conſecratione chriſmatis, per quam Epiſcopus ponit materiam Sacramenti, quę poſtea dat gratiam. Nam ſi res attentè conſideretur, poſtea non datur gratia ſolùm intuitu verborum, vel actionis Epiſcopi, aut Preſbyteri vngentis, ſed etiam intuitu chriſmatis, vel olei vt benedicti ab Epiſcopo, atque adeò intuitu benedictionis præteritæ. ergo illa actio Epiſcopi benedicentis partialiter concurrit ad gratiam, quæ nunc non datur intuitu olei ſecundùm ſe ſolùm, ſed olei vt benedicti, hoc eſt, olei, & benedictionis. ergo Epiſcopus benedicens non minus ſua actione concurrit ad ſanctificationem eorum, qui vnguntur, quàm Epiſcopus, vel Preſbyter vngens, atque ideo nõ minus requiretur gratia in illo quàm in his, ſed eo magis, quo illa vnica actio benedictionis eſt cauſa vniuerſalior, extendens ſe ad ſanctificationem plurium, cùm hæc actio vngendi nõ ſe extẽdat niſi ad ſanctificationẽ vnius in particulari. Hucvſque Lugo, & ante illũ Henriq. *l.* 10. *c.* 13. *n.* 5.

Sed ſententiam negatiuam tenent communiter cæteri Scriptores Societatis, & ideo non ſolùm illam docet Vaſquez, ſed etiam Suarez, quem citat & ſequitur Granado *in* 3 *part. de Sacrament. in gen. controu.* 3. *tract.* 5. *numer.* 7. vbi ſic ait. Meritò recentiores idem ſentiunt de Epiſcopo conficiente chriſma, aut conſecrante Eccleſiam in mortali, non enim eſt quòd grauiter iſte obligetur ad habendam contritionem, vel confitendum, vt eas actiones ſanctè exerceat. Ita ille. Hanc etiam ſententiam docet Hurtado *de Sacrament. in gen. diſp.* 4. *diffic.* 10. Coninck *de Sacrament. quæſt* 64. *art.* 6. *dub.* 1. Præpoſitus *in* 3 *part. quæſt.* 64. *art.* 6. *dub.* 1. *numer.* 37. Mæratius *tom.* 3. *de Sacrament. in gen. diſp.* 8. *ſect.* 2. *in fine.* Tannerus *tom.* 4. *diſput.* 3. *quæſt.* 4. *dub.* 3. *num.* 74. & alij. quibus ego libenter adhæreo, rationibus quas penes ipſos videbis.

RESOL. LXXIV. *An aliquando ex temporis anguſtia ſi quis non poſſit elicere actum contritionis, poſſit licitè miniſtrare & conficere Sacramenta?*

CVrioſus, difficilis, & practicabilis eſt caſus, & negatiuam ſententiam docet Iacobus Marchantius *de Sacrament. tract.* 1. *quæſt. Paſtoral. cap.* 4. *quæſ.* 2. vbi ſic ait. Quid faciendum dum ſubitò Paſtor vocatur ad ægrum morientem, & petentem confeſſionem, aut in plateis vulneratum, ad quem feſtinandum eſt ne moriatur ſine confeſſione? Reſpondetur, ſi Paſtor ſic ſubitò vocatus extra ſtatum gratiæ eſt, ob acceleratione tamen non ſe reflectat ſuper peccato ſuo, excuſatur à nouo peccato, abſoluendo talem moribundum ſine contritione. quòd ſi verò meminerit peccati ſui, non excuſatur ab elicienda contritione ob feſtinationem & anguſtiam temporis, quia ſufficit breuiſſimum tempus ad eliciendam contritionem, ideoque tenetur ad eam eliciendam omnem conatum exerere, ita vt ſine peccato nouo non poſſit miniſtrare, niſi ſe eam bona fide putet habere. Ita Marchantius.

Sed in dicto caſu Sacerdotem non peccare mortaliter, docent aliqui ex præſtantiſſima Societate IESV doctiſſimi Theologi, vt patebit. Et in primis agmen ducat vltimò viſus Ioannes de Lugo *de Sacrament. diſp.* 8. *ſect.* 9. *num.* 151. vbi ſic ait. Ab hac tamen communi regula excipio illum, qui vrgente neceſſitate Sacramentum confert, nec poteſt moraliter in eo neceſſitatis articulo, & breuiſſima morula diſponere ſe ad iuſtificationem per actum contritionis, ne interim moriatur, v.g. infans qui iam animam agit abſque Baptiſmo. quia cùm Sacramenta inſtituta ſint in remedium animarum, non videtur irreuerentia, ſi in extrema illa neceſſitate, vt ſubueniatur proximo, miniſtrentur à peccatore. nam, ſicut ſuprà dicebamus, poſſe in eo caſu miniſtrari cum materia, vel poteſtate dubia, quia præponderat neceſſitas præſens præcepto non conficiendi cum dubio; ſic dicendum videtur neceſſitatem illam præponderare præcepto non conficiendi, niſi in ſtatu gratiæ; ſic enim videmus multa fieri circa perſonam Regis, vel Principis in caſu neceſſitatis, quæ ſi extra illam fierent grauiſſimam irreuerentiam continerent. Hæc autem ratio non ſolùm probat de Baptiſmo, ſed etiam de abſolutione ſacramentali, quæ aliquando poteſt exiſtimari neceſſaria homini ad ſalutem, nec poteſt ſe Sacerdos in illa temporis anguſtia præparare per actum contritionis, & frequentiùs poteſt caſus in abſolutione euenire, quàm in Baptiſmo. Ita Lugo & ante illum Ludouicus Mæratius *tom.* 3 *de Sacrament. in gen. diſput.* 8. *ſect.* 2. *numer.* 5. ſic aſſerens. Cæterùm in propoſitione noſtra hanc addimus reſtrictionem (extra caſum neceſſitatis,)

quæ

quæ hoc ſolo ſenſu intelligenda eſt, vt ſi proximo ſit miniſtrandum Sacramentum aliquod ad eius ſalutem neceſſarium, tamque ſit vrgens eiuſdem neceſſitas, vt Miniſtro in ſtatu peccati mortalis exiſtenti tempus moraliter non ſuppetat ad eliciendum actum perfectæ contritionis, poſſit hic licitè illud miniſtrare, imò debeat. Ratio autem eſt, quòd cùm Sacramenta ad ſalutem hominum inſtituta ſint, ratio poſtulat, & obligat, vt eorum ſaluti conſulatur potius, quàm debitæ Sacramento & eius auctori reuerentiæ, quando vtrique ſimul conſuli non poteſt. Quare tunc Sacramenti Miniſter exiſtens in peccato mortali non obligatur conformare ſe eius ſanctitati, ſed ſuccurrere proximi neceſſitati, nec proinde irreuerenter & indignè tunc tractare cenſendus eſt. Nec dicas actum perfectæ contritionis exerceri poſſe in inſtanti, etſi enim abſolutè poſſet, non tamen moraliter ſaltem à pleriſque qui ratione propriæ infirmitatis malæ peccandi conſuetudinis, vitioſorumque habituum multo indigent tempore, quo ſe ad tam perfectum actum præpararent. Hæc Mæratius, cui adde Ioannem Præpoſitum *in 3. part. q. 64. art. 6. dub. 1. num. 34.*

Non deſinam etiam hîc adnotare quod Suarez *in 3 part. tom. 3. diſp. 62. ſect. 5. in reſponſ. ad 4. argument.* nullum videtur cognoſcere caſum, in quo ſumptio ſacramenti Euchariſtiæ poſſit eſſe licita in peccato mortali; tamen contrarium docet Vaſquez, Hurtadus, & Ochagauia, quos citaui *in p. 4. tr. 4. reſol. 98.* quibus adde Ioannem de Lugo *de Sacram. diſp. 9. ſect. 1. num. 8.* vbi fatetur aliquando, licet rarò, poſſe, vt abſque peccato poſſit aliquis ſcienter indiſpoſitus, & in ſtatu peccati Euchariſtiam ſumere: vt ſi quis in Altari recordetur peccati à ſe commiſſi, & ita arctetur anguſtijs temporis, vt nõ poſſit attendere ad habendam contritionem, niſi ceſſando à ſacrificio inchoato cum ſui honoris diſpendio, tunc enim abſque peccato nouo poſſet conſummare, & Euchariſtiam ſumere, quia reuerentia Sacramenti non obligat cum tanto diſpendio proprij honoris. Vnde conſequenter idem à fortiori dicendum videtur de alijs Sacramentis, in quibus propter eadem inconuenientia, licet rarò occurrere poſſet caſus quo propter anguſtias temporis homo non poſſet ſe ad contritionem præparare, vel excitare, & aliunde non poſſet abſque grauiſſimo detrimento, vel etiam irreuerentia ipſius Sacramenti illud non ſuſcipere. In quibus caſibus licet Sacramentum non conferret gratiam propter indiſpoſitionem ſubiecti, non tamen contraheretur nouum peccatũ, ſed eſſet acceſſus neuter; hoc eſt, abſque fructu, & abſque peccato. Ita Lugo qui *diſp. 14. de Sacr. Euch. ſect. 1. num. 3.* ex eadem ratione docuit, quòd quando in ſubita hæreticorum, vel paganorum irruptione periculum eſſet grauiſſimæ irreuerentiæ Euchariſtiæ inferendæ, & Catholicus in peccato exiſtens non poſſet pro temporis anguſtiis diſponere ſe per contritionem, aut occultare Sacramentum, tunc enim propter eiuſdem Sacramenti reuerentiam, ſicut poſſet ex omnium ſententia non ieiunus, ſic etiam videtur quòd poſſet in peccato exiſtens Euchariſtiam ſumere ad vitandam eius irreuerentiam. Vnde ex his licet ego vbi ſuprà contrariam ſententiam tenuerim, adhuc tamen exiſtimo ſupradictorum Doctorum opinionem etiam probabilem eſſe, & valde olim miratus ſum quemdam ſacræ Theologiæ Profeſſorem, virum doctum, hoc noluiſſe admittere; ſed aliqui ita firmiter adhærent opinioni, quæ illis placet, vt omnes alias anathematizent, & deteſtentur, & in eas cenſurando delirent.

RESOL. LXXV. *An coadiutoria cum futura ſucceſſione inducat obligationem recitandi horas Canonicas?*

LVſitania ſemper ferax fuit doctorum hominum tam in legali, quàm in Theologica profeſſione, & inter illos non multis abhinc annis floruit Sebaſtianus Acoſta; qui circa præſentem quæſtionem affirmatiuam ſententiam docuit *in Bull. Cruc. q. 75.* vbi ſic ait. Cùm vſus horum coadiutorum ſit modernus in Eccleſia Dei, non agitatur hæc quæſtio à Doctoribus. Ego tamen exiſtimo prædictos coadiutores Canonicorum teneri ſub peccato mortali diuinum officium recitare. Adducor autem vt ita credam ex eo fundamento quòd huiuſmodi coadiutoriæ ex forma & tenore Bullarum, & ex intentione Pontificis concedentis, habent rationem beneficij, proindeque literæ Apoſtolicæ committuntur Iudici Apoſtoliço in forma *Dignum*, vt prouiſum examinet in forma iuris, & ſi ipſum dignum inueniat, authoritate Apoſtolica mittat in poſſeſſionem coadiutoriæ, & de facto mittuntur coadiutores in poſſeſſionem eiuſdem ſolennitatibus, quibus Canonici ſedendo in Choro, in ſtallo, & in loco Capituli tangendo manibus frumentum, argentum, &c. Imò & iudex Apoſtolicus confert prouiſo coadiutorem per impoſitionem pili, facta priùs fidei profeſſione, iuxta *c. Ego N. de iureiuran.* quæ omnia non reperiuntur, niſi in collatione & poſſeſſione veri beneficij. Præterea niſi coadiutoriæ eſſent propriè beneficia, non poſſent coadiutores ad titulum illarum ad ſacros Ordines promoueri, ſed paſſim coadiutores ad titulum illarum ordinantur. ergo coadiutoriæ ſunt verè, & propriè beneficia. Vltimò quoniam prædicti coadiutores gaudent omnibus priuilegijs Canonicorum, eliguntur enim iam in conſeruatores, & Sede Apoſtolica deputantur iudices Apoſtolici, cùm tamen ad hoc munus non quodlibet beneficium, ſed dignitas requiratur, ex *cap finali, de offic. iud. deleg.* Ita Acoſta *loco citato.*

Sed his non obſtantibus cõtrariæ ſententiæ adhærendum eſſe puto. Dico igitur coadiutoriam conceſſam alicui aſſignata aliqua portione pro congrua, & cum futura ſucceſſione non eſſe beneficium, vt declarauit Paulus V. teſte Suarez *lib. 4. de horis Canon. cap. 22. n. 19.* & alijs. ergo non obligat ad horas Canonicas; & certè quia coadiutori datur poteſtas ſuccedendi in beneficio poſt proprietarij mortem, apparet quòd non confertur ei beneficium proprietarij. nam aliàs beneficium in duobus exiſteret, quod eſt abſurdum. Neque obſtat mortuo proprietario non requiri nouam collationem, quia hæc prouenit ex eo, quòd cùm datur coadiutoria, beneficium tunc proprietarij confer-

tur coadiutori, non absolutè, sed dependenter à proprietarij morte. quare mortuo proprietario tunc habet effectum collatio,& coadiutor beneficium obtinet; & ita hanc sententiam docet post Suarez *vbi supr.* Castrus Palaus *tom.2.tract.1.disput.2. punct.1.§.2.n.7.* vbi etiam citat Azorium,Garziam & Bonacinam, alias etiam rationes adducens ad firmandum coadiutoriam non inducere obligationem recitandi horas Canonicas.

RESOL. LXXVI. *An liceat vasa, vestes, ligna aliaque cultui diuino dicata in profanos vsus conuertere, dummodo non maneant in eadem forma?*

OLim de hac re magna mihi quæstio fuit cum quodam Religioso, qui negatiuam sententiam mordicus tenebat, nixus authoritate *c.ligna. dist.1.* vbi habetur quòd ligna Ecclesiæ dirutæ non debent ad alios vsus destinari, nisi ad aliam Ecclesiam, vel ad profectum Monasterij, quem profectum explicat ibi glossa, vt deseruiant in Capitulo, dormitorio,&c. vide etiam *c. Altaris, eadem dist.* & Azorium *p.1.lib.9.c.9.quæs.7.*

Sed ego non auderem de peccato mortali damnare eum, qui mutata forma dictarum rerum illas in vsus profanos conuerteret, & ita hanc sententiam docet Castr. Palaus *tom.2. tr.8. disp.1. punct.6. num.25.* vbi sic ait. Si benedictio, vel consecratio deperdatur alicui,videri potest licitũ esse rem,quæ benedicta & consecrata fuit, profanis vsibus deseruire posse. Quis enim negabit ex calice confracto vas aliquod profanum confingi posse, & ex veste aliqua sacerdotali iam rupta, aliquam profanam componi posse, aliàs esset obligatio hæc omnia perdendi. nam cùm cultui diuino deseruire non possint,restat vt omnino consumantur, quod videtur durum. Præterea nulla videtur rebus sacris irreuerentia fieri ex eo quòd earum materia profanis vsibus aptetur, siquidem numquam est verum dicere res sacras profanis vsibus aptari. Item destructa,v.g. forma Calicis, iam calix ille amisit consecrationem, & consequenter iam non est sacer. ergo est profanus.ergo poterit vsibus profanis deseruire. Quid enim ex præterita consecratione in illa materia remanet, ob quod prohibearis vsui communi materiam illam aptare', siquidem iam communis est? propter hæc censeo probabile, secluso scandalo,nullum, vel leuissimum peccatum in hac applicatione interuenire. Ita Palaus; qui etiam respondet ad textus supracitatos pro negatiua sententia, nam loquuntur de rebus in eadem forma manentibus, ac fuerunt applicatæ, de illis enim est verum dicere, quæ semel consecrata sunt, non debent ad laicorum vsus reuerti. Non nego tamen ex decentia conuenire vt ea, quæ vsibus sacris dicata sunt, etiam mutata forma in vsus profanos, minimè conuerti debere, quod nego probabiliter est,ita facientem peccare mortaliter.

RESOL. LXXVII. *An pueri habentes vsum rationis, teneantur statim præcepto audiendi Missam?*

PVeros teneri præcepto audiendi Missam dum perfectè incipiunt vti ratione sufficienter ad peccatum mortale,puto cum Coninck *de Sacram. q.83.art.6.num.286.* Suarez *in 3.part. tom.3. disput.88. sect.4.* Præposito *in 3.p.q.83.a.6. num.197.* Fagundez *pr.1.lib.2 c.2. num.7.* Mercero *de Sacram. q.83.art.4. dub.4.* & alijs. Imò Hurtadus *de sacrificio Missæ,disp.5. diffic.1.* credit vt pueri hoc præcepto teneantur, sufficere vsum rationis imperfectum sufficientem ad peccatum veniale;sicut etiam sufficit vt teneantur præcepto non occidendi, & non mentiendi,etiam si nullius transgressione peccent mortaliter, quia à culpa mortali excusantur ob imperfectionem deliberationis. Filliuc. verò *tom.1.tract.5.c.7.n.217.* & Azorius *tom.1.lib.7.cap.2.quæs.1.* docent pueros communiter incipere habere vsum rationis, cùm septennium attingunt, aut saltem explent, & in hac ætate hoc præcepto obligari. Ratio conclusionis est, quia vnusquisque fidelis cùm ad annos discretionis peruenit, obligatur præceptis Ecclesiæ,tenetur enim eodem tempore confiteri, abstinere à carnibus. ergo,&c,

Non desinam tamen hîc apponere opinionem Iacobi Marchantij *in Candel.sacram.qq.Pastoral.tr.4. c.6.q.2.* vbi sic asserit. Quæro secundò, qua ætate obliget præceptum Missæ? Respondent Doctores obligare post septennium,quia tunc incipit discretio. Sed licet verum sit, quòd ex tunc ac etiam antea pueri assuefaciendi sint ad audiendam Missam, illos tamen statim ac vsus discretionis incipit dicere obligatos sub peccato mortali, videtur mihi rigidum. Tum, quia Ecclesia pia mater non videtur velle obligare tam rigidè statim ac potest, tum quòd practicè videamus maiorem partem puerorum etiam decimum annum attingentium in Ecclesia stare tempore Missæ huc illuc circumspiciendo sine attentione requisita, aut etiam socijs corridere,colloqui,nugari,nec vim præcepti talis apprehendere. Quis verò eos statim peccati mortalis velit condemnare? Non quòd velim dicere eos non esse capaces peccati mortalis ob ætatem, nam si hoc sit verum, non est difficultas, sed quòd licet,in rigore loquendo,sufficientem ætatem & discretionem haberent ad aliquod peccatum mortale committendum, non videatur tamen Ecclesia tanta sub obligatione, seu vinculo tam arcto eos velle statim obstringere,donec perfectiorem rationis vsum assequantur, qua diuina mysteria pleniùs apprehendant, & obligationem ac attentionem,qua illis interesse oportet, pleniùs intelligant. Quod ferè ordinariè circa tempus idoneum quo idoneitatem incipiunt habere ad Eucharistiæ sacramentum,putarim contingere, quod ipsum Confessarij prudenti iudicio venit expendendum, aliàs antea solùm venialiter existimarim peccare ob apprehensionem imperfectam, tum mysteriorum, tum præcepti ex imperfecto adhuc rationis vsu prouenientem, per quam fit vt facilè negligant attentionem requisitam, & magis præsentes ibi sint corpore, quàm mente. Huc vsque Marchant.

RESOL.

RESOL. LXXVIII. *Aliqua notabilia contra dibitores moroſos.*

DEbitor moroſus tenetur ad reſtitutionem tam damni emergentis, quàm lucri ceſſantis. Ita Filliucius *tom.2.tract.33 cap.9.n.151.* Rebell.*p.2.lib.8. q.7.num.1.concl.1.* Leſſius *lib.2.cap.20.dub.10.num.69.* Reginaldus *tom.2.lib.23. cap.7. num.76. & 77.* Molina *tom.2.tract.2.diſput.315.num.6.* & alij.

Et hoc procedit etiam ſi elapſo termino creditor non petat debitum,nam terminus petit, & interpellat pro creditore,ita Bonacina *de contr. diſp. 3. q.3.punct.4.num.4.* Leſſius,& alij.

Procedit etiam ſi debitor fuerit in mora per plures annos,nam tenetur ſoluere omnia intereſſe illorum annorum, non tantùm primi anni, & etiam debetur intereſſe ipſius intereſſe.Ita Filliucius *tom.2.tract.34.p.2.cap.4.num.72.& 86.* cum aliis.

Procedit etiam ſi hoc ipſum non indicauerit creditori, qui fortè tanto intellecto incommodo debitum reddidiſſet. Ita Malderus *in 2. 2. tract. 5. cap.3.dub.12.col.4.q.2.* ex Nauarra *de reſt. lib. 3. cap.2. num.281.* Scaccia *de commerc.§.1.quæſt.7.part. 2. ampliat.8.num.263.& 266.* contra Azorium *part.3. lib.5. cap.8.q.3.* & tandem procedit, etiamſi mora non ſit culpabilis, & hoc non ſolùm quando adeſt pactũ de ſoluendo damno, ſed etiam quando tale pactũ non fuerit in contractu expreſſum.Ita probabiliter Molina *tom.2.tract.2.diſp.315.num.2.*

RESOL. LXXIX. *An compenſatio ſit valida in foro conſcientiæ ſi adſint creditores anteriores?*

VEl an qui rem habet ſibi debitam cùm ſint creditores ipſo anteriores, ligetur monitorio ſub pœna excommunicationis reſtitutionem inducente. De hac quæſtione ego peregi *in 3. part. tr.5.reſol 10.& in addit.reſol.8.* & negatiuam ſententiam docui,quam ſcio multum placuiſſe viris doctis,cùm caſus ſit quotidianus, & qui torquebat multorum ingenia, & ideo non grauabor modò pro hac firmanda ſententia alios Doctores adducere.Illam igitur nouiſſimè tenet,me citato,Theophil.Raynaudus *de monit.p.1. cap.2. q.6.* vbi docet creditorem in tali caſu non ligari excommunicatione monitorij, quia, ait ille, iudex Eccleſiaſticus intendit tantùm obligare ad reſtituendum id, quod non poteſt retineri abſque peccato. At ſententia quæ tradit talem poſſeſſorem in eo euentu non teneri in diſpendium ſuum gratificari anterioribus debitoris ſui creditoribus, ſed poſſe iuſtè retinere, quod è debitoris ſui rebus habet,eſt valde probabilis, ac tuta. ergo. & ita etiam nouiſſimè docet hanc ſententiam Iacobus Marchantius *in reſolut.Paſt.ad Decal cap.7. q.9.* vbi tenet ex Gabriele *in 4.diſt. 15. q 2.* ea quæ Canoniſtæ diſputant, quinam iure potiores ſint in reſtitutione, potiùs ad iudicij, quàm ad conſcientiæ forum ſpectare; & licet,ait ipſe, hoc alij refellant, tamen quando non ex fraude, ſed bona fide debitor ſoluit aliquibus etiam in iure poſterioribus, illi retinere poſſunt,& hic ſoluendo poteſt excuſari,quia non tenetur ſcire omnes iſtas leges, & ordinem,quem ſtatuunt, imò multi paſſim putant ſe in conſcientia ad talem ordinem non obligari, conformiter opinioni Gabrielis,niſi iudice decernente.Ita Marchantius.

RESOL. LXXX. *An ſi in campo in aliqua Eccleſia non reperiatur hoſtia,ſed tantùm particula, liceat Sacerdoti cum illa celebrare?*

AFfirmatiuè reſpondet Marchantius *in Candelabr.Sacram. qq. Paſtoral. tract.4. cap.5.q.3. caſ.6. fol.* 185. vbi ſic aſſerit. Si haberi maior hoſtia non poſſit,an ex minoribus liceat adhiberi?Reſpondeo in Miſſa priuata & ſecreta id fieri poſſe, cum non inueniatur præceptum in contrarium, gratiuſque videri Deo ſic celebrare, quàm non celebrare, licet non ſit feſtus dies, maximè ſi non ſit periculum de ſcandalo,tunc enim id etiam vrgente cauſa publicè fieri nihil vetaret.Ita ille,& ego.

RESOL. LXXXI. *An audientes comœdias peccent ſaltem mortaliter, quia ex eorum ſtipendiis aluntur hiſtriones, qui peccant, vt ſuppono, laſciuas comœdias repræſentando?*

IAm probabiliter firmaui *in p. 2. tract. 17. reſol.35.* cum multis Doctoribus ſpectatores etiam Clerici comœdiarum turpium ſi interſunt ob ſolam curioſitatem, vel ne habeantur inurbani, ſolùm peccare venialiter, & ita,me citato, tenet nouiſſimè Barboſa *de iure Eccleſ.lib.1.cap.40.n.59.& 60.* Sed difficultas eſt, an peccent mortaliter ex alio capite, quia videlicet ſoluendo mercedem poſitiuè ſunt cauſa,vt hiſtriones viuant in ſtatu peccati mortalis, vtpote multorum criminum occaſio, & affirmatiuam ſententiam docet nouiſſimè Hieronymus Florentinus *in ſua Comœdiocriſi concl.* 7. per totam, cui adde Hurtadum de Mendoza *vol. 2. de ſpe, & charitate diſp. 173. ſect.28.§.367.* vbi probat peccare mortaliter eos omnes,qui pecuniam dant hiſtrionibus pro pretio audiendi comœdias, quia qui dat pecuniam hiſtrionibus, illos alit, & conſeruat in ſtatu peccati mortalis, in quo multis ſunt ſcandalo. ergo peccant mortaliter, qui illis dant pecuniam. Reſpondebis nullum in ſingulari eſſe cauſam,vt hiſtrio alatur,quia quamuis ego comœdiam non audiam, illam audient alij. Contra hoc probaret non committi hoc peccatum auditis vna,aut altera comœdia; at verò qui plures audiunt, non poſſunt hoc excuſari, quia multis comœdiis repetitis accipit comœdus quantitatem pecuniæ ſufficientem ad cuſtodiendam materiam grauem; & quidem ſingulorum pecuniæ per ſe grauiter concurrunt ad hiſtrionem alendum ad eius opulentiam, & luxuriam, ſine quibus ille non ageret hiſtrionem. ergo nullus poteſt dicere ſuam pecuniam non eſſe cauſam per ſe vt hiſtrio perſeueraret in officio. Deinde poſſunt conſiderari duo genera ſpectatorum. Primum eſt eorum, qui confluunt in theatrum primi, alterum qui poſtremi. Primi omnes mortaliter peccant audita etiam vna comœdia tantùm, quia ipſi ſunt motiuum vt hîc, & nunc fabula agatur. Comœdus enim ſine ſufficienti auditorio non aget fabulam, hoc autem ſufficiens auditorium conflant primi, quando enim ſunt ſatis multi, propter illos ſolos agetur fabula, quamuis nullus adſit alius. ergo omnes

illi

illi, qui ſunt cauſa per ſe illius actionis, peccant mortaliter. Tandem probo ſingulos peccare, etiamſi poſtremi adueniant, quia hiſtrio conſpicatus auditorium integrum illo mouetur ad agendam fabulam hîc & nũc, quam vult agere propter omnes illos, qui pecuniam ſoluerunt pro illa audienda, quia omnes illi collectiuè accepti, ſunt obiectũ adæquatum illius actionis, quæ tunc propter omnes exercetur: diuiſiuè autem accepti ſunt omnes illi obiectum partiale illius actionis, & non obiectum per accidens, ſed per ſe; ſingulorum enim pecuniam per ſe amat comœdus, ita vt fabulam ſit acturus, ne vel ſemiargentum teneatur reſtituere. Imò ipſe moram trahit in comœdia incipienda, quia vult aliorum, quos ſperat aduentaturos, pecuniam, propter quam vult etiam agere comœdiam. Itaque viſo integro auditorio vult propter integram illius pecuniam fabulam agere, cuius voluntatis obiectum formale eſt pecunia integri auditorij; & quamuis eam eſſet acturus coram concione minùs frequenti, tamen illam ageret per aliam voluntatem: ea autem voluntas per quam hîc & nunc eam agit, pendet per ſe ab hac integra concione. Item ſingulorum pecunia per ſe iuuat ad ſumptus hiſtrionicos. ergo, &c. & hęc omnia docet Hurtadus *vbi ſupr.* ex quibus patet omnes ſpectatores comœdiarum noſtri temporis peccare mortaliter, quia ex eorum ſtipendiis aluntur tam peſſimi homines, vt ſunt comœdi.

Non deſinam tamen hîc adnotare negatiuam ſententiam ex parte docere Nicolaum Baldellum *in diſp. Theolog. tom. 1. lib. 3. diſput. 18. num. 11.* vbi ſic ait. Puto vniuerſaliter peccare mortaliter omnes illos, qui ſcientes turpitudinem, & obſcœnitatem comœdiæ primi ad illam confluunt, quia reuera per ipſos eſt vt comœdia detur. Poſtquam verò ſufficiens numerus iam confluxit, & externo peccato hiſtrionum iam eſt data ſufficiens cauſa, non videtur ex hoc capite damnandus, ſi quis alius accedat, quia non ampliùs eos fouet in peccato, neque eorum peccato dat cauſam, cùm hoc vtrumque ſufficienter ſit præſtitum iam ab aliis. Ita Baldell. & ante illum Turrian. *in ſum. p. 1. c. 28. dub. 8.*

RESOL. LXXXII. *An Magiſtratus permittendo recitationem comœdiarum turpium, peccent mortaliter?*

AFfirmatiuè reſpondet Hurtadus de Mendoza *vol. 2. de ſpe, & charitate, diſp. 173. ſect. 29. §. 377.* & ratio eſt, quia, vt docet D. Th. *in 4. diſt. 33. q. 2. articul. 2.* malum publicum non poteſt permitti, niſi vt per illud vitetur aliud, quod ſine illo vitari non poteſt: ſed comœdiæ ſunt malum publicum, per quod nullum aliud deterius vitatur, ſed potiùs multa accreſcunt de nouo. ergo comœdiarum permiſſio eſt per ſe illicita. Furta enim, detractiones, rixæ, laſciuiæ, &c. potiùs ex permiſſione comœdiarum multiplicantur, quàm vitantur, vt experientia miſerabilis demonſtrat. recognoſce. Hurtadum *loco citato.*

Verùm his non obſtantibus negatiuæ ſententiæ adhæret Nicolaus Baldellus *in diſp. Theol. tom. 1. lib. 3. diſp. 18. num. 13.* vbi ita aſſerit. Quoad Magiſtratus & Principes, ad quos ſpectat prohibere, vel permittere huiuſmodi comœdias, primò certum eſt, quòd peccent mortaliter, ſi illa fieri mandent, quia non poteſt aliquis licitè mandare, quod aliàs non poteſt licitè exequi. Secundò mortaliter peccant, ſi authoritatem iis præſtent: eaſque approbent, vel aliter hiſtriones in peccato foueant. Tertiò non videntur tamen peccare, ſi pro aliquo tempore ad vitandam in populo maiorem licentiam hiſtriones, & hiſtrionum ſpectatores non puniant, quia permiſſio, quæ ſolùm fit non puniendo, non autem approbando, licita eſt ſi fiat ex cauſa, etiamſi alioqui ſit de re illicita, vt ſi fiat, v. g. ad vitandum maius malum, & appellatur permiſſio comparatiua, vel tolerantia, vt notat gloſ. *in c. omnis. diſtinct. 3.* & illius multa habentur exempla in iure: vt, v. g. quòd permittantur comeſſationes immoderatæ pro Dominica Quinquageſimæ, & diebus ſequentibus, *c. denique, diſt. 4.* & quòd ad euitandam occiſionem vxoris permittatur maritus adulterari cum altera, *cap. ſi quod verius 33. q. 2.* & ſimiles. Neque illud quod hoc modo permittitur, poteſt dici, quòd approbetur, *cap. meretrices 32. quæſt. 4.* cùm aliud ſit non punire, & aliud approbare. Huc vſque Baldellus, qui pro hac ſententia citat Nauarrum *conſil. 3. de Iudæis num. 2. lib. 5.*

RESOL. LXXXIII. *An ſit licitum in diebus feſtiuis computare cum operariis eorum mercedem, & ſoluere?*

CAſus paſſim accidit, & ad illum Marchant. *in reſol. Paſtoral. ad Decal. p. 2. c. 3. q. 5.* ſic reſpondet. Quæro quintò, quid dicendum de illis, qui varios ſub ſe habent operarios mercede conductos, & diebus feſtis, vel Dominicis eos ad computandum conuocant, & promeritam mercedem ſoluunt? ſic frequenter videmus practicati per illos, qui multos habent operarios in fodinis, in officinis ferrariis, in lapidicinis, in ſyluis cædendis, & ſimilibus. Reſpondeo tales ſe ſolent excuſare, dicentes id fieri in gratiam operariorum, qui alio die cogerentur perdere diurnum laborem ad familiam alendam neceſſarium; quod ſi verum eſt, iam id ad pietatem tamquam ad cauſam excubantem referri poterit. Puto tamen magis conſuetudine id introductum quibuſdam locis. nam qui magis pij, & timorati ſunt, diem ſabbati eis deſignant, in quo certò mercedem poſt computum recepturi compareant. Ita Marchantius.

Sed ego non video qua ratione talis computatio ſeruile opus poſſit computari, & per conſequens prohibitum in diebus feſtiuis. nam hæc actio, vel efficitur voce, vel ſcriptura, vel recognoſcendo ea, quæ ruſtici vocant *Tagli.* ſed, vt patet, hęc omnia ſeruilia opera non ſunt. ergo. neque tempus numerationis pecuniæ, quæ illis pro mercede præbetur, dato quòd eſſet opus ſeruile, attingit vt plurimum tempus neceſſarium pro fractione præcepti. ergo. Adde quòd per conſuetudinem introductam talis actio, etiamſi opus ſeruile eſſet, excuſari poſſet.

Notandum eſt etiam hîc obiter dictum Marchantium *vbi ſuprà q. 2.* docere, poſſe aliquem ex pietate laborare in diebus feſtiuis, pro aliquo loco pio,

pio, ſic enim ait. Excuſantur etiam qui ex pietate laborant in gratiam Templi,vel loci pij,maximè ex conſenſu Parochorum. Ita ille. Neque hæc vltima verba deſtruunt priora, vt quidam parum ſciens his diebus mihi aſſerebat. nam dictio, *maximè*, habet vim augmentandi,& nõ minuendi, & includit caſum magis dubitabilem,& implicat idem eſſe in caſu contrario,vt patet *in l.1.§.vel maximè,ff. de excuſat.tut.*& notat Couarr. *lib.2. variar. c.7.n.5.* Sed de hac opinione Marchantij alibi ego pertractaui.

RESOL. LXXXIV. *Quidam ruſticus per multum tempus ignorauit myſterium Trinitatis, quæritur an teneatur reiterare confeſſiones factas? & de alio quodam caſu.*

CAſus poteſt frequenter accidere, & ad illum reſpondet Marchantius *in Candel. Sacrament. qq.Paſtoral.tract.5.de pœnit.c.2. quæſ.7.*vbi ſic ait. Petes an non ſint repetendæ Confeſſiones priores ab illis ignorantibus myſteria Trinitatis & Incarnationis,quandoquidem ſcitu neceſſaria ſint ad ſalutem,& non potuerint iuſtificari ſine fide explicita illorum myſteriorum, vt docent multi Theologi. Reſpondeo, ſecundùm mentem illorum Theologorum hoc videtur ſequi, quia tamen non improbabilis eſt ſententia dicens ſufficere implicitam fidem, ideò non ſunt ad hoc condemnandi, cùm crediderunt Deum eſſe noſtræ ſalutis auctorem,ac nos redemiſſe,quæ fides implicitè continet myſteria noſtræ ſalutis. Adde quòd non ſit improbabilis aliquorum opinio, quòd confeſſio quandoque poſſit eſſe valida,ſed informis, hoc eſt, gratia iuſtificante non informata. Sic priores confeſſiones talium bona fide factæ poſſent in hac opinione dici validæ, ſi fortè fuerint informes defectu fidei explicitæ de myſteriis neceſſariis. Ita Marchantius, qui etiam poſtea *cap.3.q.3.*quærit quid agendum ſit Confeſſario cum pœnitente, qui interrogatus de numero dicit ſe non eſſe ſolitum in præcedentibus confeſſionibus illum exprimere,nec de hoc interrogari, an talis debeat repetere confeſſiones præcedentes? & reſpondet, ſi ignorauerit hoc eſſe neceſſarium exprimere ad integritatem & validitatem confeſſionis,non eſſe compellendum ad repetitionem, ſicut nec quando omiſit aliquod peccatum mortale,quod non putabat,niſi veniale. Aduerte verò quando pœnitens de numero omiſſo in prioribus Confeſſionibus tacet, ignorans obligationem illum exprimendi, Confeſſarium non teneri eumdem hac de re interrogare, ſed poſſe bona fide eum relinquere, maximè ſi potiùs perturbationem timet,quàm fructum ſperet. Imò ruſtici, qui bona fide putant ſe benè confeſſos, non ſunt multum inquietandi interrogando de aliquo præteritæ confeſſionis, niſi aliquid eſſentiale defuiſſe manifeſtum ſit. Nam etiamſi quandoque confeſſiones fecerint materialiter non integras, propter tamen bonam fidem cenſentur formaliter integræ, & ſic ſufficientes. & hæc omnia docet Marchantius *loco citato*; ſed de his caſibus à nobis alibi actum eſt.

RESOL. LXXXV. *An infans repertus in valuis Eccleſiæ, vel alicuius domus,ſit baptizandus?*

QVia caſus ſæpiùs accidit, ſæpiùs de illo agendum eſt, & ideo in gratiam ſtudioſorum apponam hîc ea, quæ circa illum docet Marchantius *in Candel.Sacr.qq.Paſt.tr.2.de Baptiſ. cap.2. q.4.*vbi ſic ait. Quæritur an ſub conditione repeti debeat Baptiſmus ſuper pueris, qui reperiuntur apud portas Eccleſiæ,vel Hoſpitalis? Reſpondeo primò, ſi nullum teſtimonium de Baptiſmo eorum poſſit haberi,baptizandos eſſe ſaltem ſub conditione. Reſpondeo ſecundò, ſi ſcriptum habeant collo appenſum, quo indicentur eſſe baptizati, res magis videtur dubia, multi enim tunc putant ne quidem ſub conditione baptizandum; attamen Synodus Cameracenſis, (ſi res aliter non poſſet conſtare) ſtatuit ſub conditione baptizari poſſe. Ratio eſſe poteſt,quia tale teſtimonium non eſt ita certum, vt fidem indubiam faciat. ergo cùm in caſu dubij ſemper inclinandum ſit in fauorem baptizandi,ne periculo exponatur eius ſalus ob carentiam Baptiſmi, & altera ex parte examine diligenti præmiſſo, & conditione appoſita non videtur periculum reiterationis Baptiſmi,nulla videtur fieri tunc iniuria Sacramento. Fauent aliqua iuris cap. *de conſecrat. diſt. 6. c. placuit, cum ſeq.* Addo ego quòd licet illud ſcriptum aliquam faceret fidem, quòd ſit baptizatus talis infans, cùm tamen ignoretur à quo, & quomodo, ſiue an debita forma, & à perſona, quæ ſciret Baptiſmi ritum eſſentialem, imò contingat talibus caſibus quæri tenebras, & ab idiotis mulierculis rem occultè, & cum defectu eſſentiali peragi; non mirum ſi dicatur hîc aliquid ambiguitatis remanere, quæ ſufficiat ad reiterationem ſub conditione,cùm non poſſint ſciri & examinari perſonæ,quæ Baptiſmo adfuerint, vel illum adminiſtrarint,vt ſciatur an ritè collatus fuerit. Si enim quando obſtetrix baptizauit,volumus vt ſtrictè & diligenter examinetur, ne error aliquis contigerit, quanto magis timeri poteſt,ne in ſimilibus caſibus muliercula magis ignorans baptizarit. Hæc Marchantius.

Sed aliqua ex ſupradictis non placent Ochagauiæ *de ſacr. Baptiſmi,quæſt. 11. numer. 8.* vbi ſic aſſerit. Loquendo de paruulis expoſitis tenendum eſt in eo caſu quo teſtimonium ſui Baptiſmi in aliqua charta ſcriptum ſecum haberent, licet non eſſet nomine alicuius ſubſcriptum, nullo modo baptizandos eos eſſe etiam cum conditione, eò quòd certiſſimum ſit parentes eius voluiſſe reiterationẽ Baptiſmi euitare media ſchedula, quod verum eſt, quando illi expoſiti eſſent inter Chriſticolas, & non crederentur eſſe filij infidelium. Nam ſi exponerentur inter infideles & Iudæos, qui Baptiſmum execrantur, tunc etiamſi ſecum haberent teſtimonium,aſſeuerans eos eſſe baptizatos, eſſent ſaltem ſub conditione baptizandi, quia tale teſtimonium ſuſpectum eſſe poſſet. Cùm verò paruuli ſine tali teſtimonio Baptiſmi,inter Chriſtianos exponerentur,ſi aliunde eos non conſtet eſſe baptizatos, baptizandi eſſent ſub conditione. Ratio cur non ſint baptizandi abſolutè, ea eſt, quia fortaſſe patres

obli-

obliti ſunt apponere ſchedulam, etiamſi ſint pueri baptizati, vel præ anguſtia temporis, vt peccatum adulterij, v. g. occultarent, ſchedulam apponere puero non potuerunt. Niſi fortè pueri expoſiti inter Chriſtianos, & qui creduntur eſſe filij Chriſtianorum ex colore, & ex alio indicio in ea ætate eſſent; quòd ſi in nemore eſſent pueri inuenti, de quibus dubitaretur quibus eſſent parentibus nati, an fidelibus, vel infidelibus, deberent ſub conditione baptizari, vt ſalutis æternæ amittendæ periculum vitaretur. Et hæc omnia docet Ochagauia, quæ alibi à me ſatis cõfirmata ſunt *in addit. reſol. 6.* & nunc ad magis confirmandum apponam etiam authoritatem P. Hurtadi *de ſacram. Baptiſmi diſput. 1. diffic. 12.* vbi ita habet. Non eſt baptizandus neque ſub conditione infans expoſitus in terris Chriſtianorum quando ſcripto aliquo dicitur baptizatus, ſi aliàs in oppoſitum non adſit prudens aliquis timor; ſecus verò quando abſque dicto teſtimonio, ſeu ſcripto expoſitus eſt, quia tunc ſub conditione eſt baptizandus; abſolutè verò quando adſit ſcriptura, qua dicatur non eſſe baptizatus, quia tunc eſt omnino moraliter certum non eſſe baptizatum. Ita Hurtadus. Sed ſi caſus acciderit, ne deſeras etiam recognoſcere me ipſum *in addit. reſol. 6.*

RESOL. LXXXVI. *An infans in domo baptizatus ab obſtetrice, poſſit iterum in Eccleſia baptizari?*

AD hunc caſum affirmatiuè reſpondet Franciſcus Syluius *in 3. part. D Thom. quæſt. 66. art. 9. dub. 2.* vbi ſic ait. Et ſi qui baptizatum domi ab obſtetrice poſtea ſub conditione baptizat, non ſit irregularis, quæritur tamen an peccet? Verius arbitramur non peccare, quia ſemper licet ea forma conditionata vti, quando eſt dubium de Baptiſmo ritè collato. Quando autem obſtetrices domi baptizarunt, ſemper eſt eiuſmodi dubium ne vel ſubitò neceſſitatis caſu turbatæ, aliter quàm referant, dixerint, vel fecerint; aut ſemel & iterum deprehenſæ, quod bene baptizarint, deinceps malitiosè errent. ac nihilominus aſſerant, ſe more ſolito baptizaſſe. Experientia enim notum eſt multas in materia, vel forma errare, interdum per ignorantiam, vel turbationem, interdum verò per malitiam, quia ſunt fortilegæ, ſiue ob aliud. Vt igitur paruulorũ ſaluti conſulatur, ſecurius eſt eos, tametſi ab obſtetricibus domi baptizatos, poſtea baptizare ſub conditione, nec poteſt in iterationis crimen venire, quod factum eſſe omnino neſcitur, vt ait ſanctus Leo *epiſt. 37.* Hinc Molanus *ſua practica tract. 4. cap. 3.* ſic loquitur. Etſi obſtetrices aſſerant ſe baptizaſſe infantem, poteſt tamen cùm in templum defertur ſub vſitata conditione baptizari. Paſtorale autem Mechlinienſe ſic habet. Si re diligenter requiſita dubium fuerit, vtrùm puer ſit baptizatus, vel ſi ſit baptizatus ab obſtetrice, ſub conditione baptizetur. Et iterum conditionalis baptizatio facienda eſt circa infantes, qui ab obſtetricibus baptizati eſſe referuntur. Conſentit & Synodus Iprenſis ſub Martino Rythouio *tit. 12. cap. 5.* Huc vſque Syluius.

Sed quicquid ſit in illis partibus Germaniæ vbi ſæpiùs obſtetrices ſunt fortilegæ, tamen in noſtris partibus Syluij doctrina non admittitur. Sed obſtetrices diligenter examinantur, ne error aliquis contigerit, & nõ comperto, poſtea in Eccleſia ſupplentur ſolemnitates omiſſæ; diligentia verò cum ſupradictis facienda eſt à viris doctis, & interrogandi ſunt indiuidualiter de omnibus neceſſariis ad conficiendum Baptiſmum, videlicet de verbis formæ, de quantitate aquæ, & de parte corporis, vbi infans fuit baptizatus.

RESOL. LXXXVII. *An matrimonium nullum ratione conſenſus ex parte vnius reualidetur poſtea, ſi ipſe ſolus conſentiat?*

QVædam mulier nulliter ex parte conſenſus matrimonium iniuit, poſt multum verò temporis copulam cum viro habuit, & intra ſe animũ etiam habuit perficiendi matrimonium, poſt paucos verò dies ampliùs cum viro commiſceri noluit. Sed cùm dicta mulier poſtea verè cum alio contraxiſſet, cùm confiteretur, ſciuit ex illa Confeſſarius quòd tempore primi matrimonij in illud poſtea, vt dictum eſt, conſenſit, & cum viro copulam affectu maritali habuit, vnde noluit Confeſſarius illam abſoluere, quæſierunt tunc à me quid faciendum?

Reſpondi quòd pro Confeſſario, & validitate primi matrimonij ſtat doctrina Sãchez *tom. 1. lib. 2. diſp. 32. nn. 12.* quam ego ſequutus ſum *in 3. p. tract. 4. reſolut. 292.* cui etiam adde Coninck *de Sacrament. diſp. 24. dub. 10.* Henr. *lib. 11. c. 10.* & alios penes ipſos. Probatur hæc opinio, quia conſenſus illius, qui verè, & legitimè conſenſit, perſeuerat habitualiter. ergo adueniente conſenſu illius, qui fictè conſenſit, reualidatur matrimonium.

Sed contrariam ſententiam non minus probabilem eſſe iudico, quam tuetur Baſilius Pontius *de matrimonio, lib. 4. cap. 24. & 25.* & Gaſpar Hurtadus *de matrim. diſp. 3. diffic. 9. & 10.* aſſerentes non ſufficere, quòd ille, cui defuit conſenſus verus, & legitimus, de nouo conſentiat, ſed neceſſarium eſſe, quòd vterque de nouo conſentiat. Et ita reſpondit Clemens VIII. Rectori Romanæ Pœnitentiariæ Societatis. Ratio eſt, quia ſcilicet conſenſus illius, qui verè & legitimè conſenſit, ceſſat omninò adhuc habitualiter permanere ſtatim ac alter fictè & illegitimè conſenſit, quia qui verè conſenſit tantùm, conſenſit ſaltem implicitè vſque ad tempus, in quo alter fictè, aut illegitimè conſenſit, & non ad vlterius, & longius tempus, quia iam omninò ſuperfluum iudicat, aut ſaltem, ex quo alter fictè, aut illegitimè conſenſit, abſque dubio qui verè & legitimè conſenſit, deſiſtit ab eo conſenſu, ſeu intentione, & voluntate contrahendi, quia credit contractum iam eſſe perfectum. ergo vt reualidetur de nouo contractus matrimonij, neceſſarium eſt vtrumque iterum de nouo conſentire, ac proinde etiam, quòd vterque de nouo exteriùs exprimat conſenſum; quia nemo antiqua expreſſione expreſſit nouum conſenſum; ſed hoc non accidit in caſu, de quo loquimur. ergo. & ideo probabiliter conſului potuiſſe ſupradictam mulierem abſolui, & in ſecundo matrimonio relinqui.

RESOL.

RESOL. LXXXVIII. *Alicubi viſa eſt Monialis ſuper tegulas Monaſterij, quæſierunt à me per literas, an fregerit clauſuram?*

ET reſpondi negatiuè, adducendo caſum in terminis, vt dici ſolet, terminantibus, apud Lopez de Texeda *in controuerſ. moral. tom. 1. lib. 2. controu. 14. dub. 8 num. 9.* vbi ſic ait. Moniales ſupra tecti Monaſterij tegulas aſcendentes clauſuram violare non dicuntur, dummodo locus ille, ad quem perueniunt, non ſit extra clauſuram Monaſterij, ſed perpendiculariter illam reſpiciant. Ita ille. Et pro confirmatione huius ſententiæ, tunc etiam adduxi doctrinam Doctorum communiter aſſerentium, quòd qui inuentus eſt ſuper tegulas Eccleſiæ, dicitur inuentus in ipſa Eccleſia, & ideo gaudet eius immunitate.

RESOL. LXXXIX. *An aliquandò quis non teneatur ſalutare inimicum, & poſſit ei mortem deſiderare?*

QVoad primum, certum eſt interdum per ſe eſſe peccatum non ſalutare inimicum, ſed hac obligatione, ait Hurtadus de Mẽdoza *de ſpe & charit. vol. 2. diſp. 153. ſect. 4. §. 64.* ſoluo primò parentem, aut Prælatum, aut iudicem, qui non in iniuriam, ſed in pœnam iuſtam nõ ſalutat inimicum. Secundò ſoluo eos, qui ſine graui incommodo honoris nõ poſſent hoſtem ſalutare, quia ſalutatio vergeret in infamiam, hoc tamen eſt perrarum. Tertiò ſoluo eum qui infamen accepit iniuriam, cuius æſtimatio digna petit auſteriorem vultum, atque triſtiorem, qualis eſſet qui appellatus fuiſſet ſodomita, fur, Iudæus, aut quid ſimile enorme, tunc enim prudenter cenſetur negatio ſalutationis oriri non ex odio, ſed ex dolore iuſto, & ingenti acerbitate, quæ iuſtè adimit vrbanitatis argumenta omnibus eiuſdem conditionis hominibus communia, item eſſet multis argumento eum parui æſtimaſſe tam acerbam iniuriam. Quartò ſoluuntur qui ita ſimulant diſtractionem, aut oculorum hebetudinem, vt prudenter iudicetur ſalutationem omiſſam non ex memoria inimicitiæ, ſed ex alio capite. Tandem qui vidit tres, aut quatuor amicos, quos familiariter alloquitur capite tecto, nec ſalutatos, tunc licet inimicum non ſaluret, nec alloquitur, non peccat contra charitatem, quia illa allocutio licet vni dumtaxat dirigatur, cenſetur ſalutatio omnium ſociorum tunc concurrentium. Ita Hurtadus.

Qui etiam §. 48. notat nos nihil mali deſiderare poſſe inimico, niſi ſit aptum vel ad vitanda maiora ipſius mala, vel noſtra, quæ alia ratione vitari non poſſunt. Etenim poſſum ego deſiderare vt Deus illi mortem maturet, niſi ſit in frugem meliorem recipiendus, quia id eſt deſiderare ibi bonum. Item ſi inimicus iniuſtè eſt me vexaturus, ego poſſum deſiderare, & orare, vt Deus eum è viuis tollat, ſi aliter inferenda mala vitari non poſſunt. Huc vſque Hurtadus; ſed hæc in praxi ratione noſtræ deprauatæ iraſcibilis non videntur conſulenda.

RESOL. XC. *An Epiſcopi ſine aliqua cauſa poſſint abeſſe per trimeſtre ab eorum Diœceſibus ſtante Concilio Tridentino* ſeſſ. 23. cap. 1.

NOtandum quòd trimeſtris abſentia Concilij *vbi ſuprà*, conſcientiæ Epiſcopotum remittit. Sed Sotus *de iuſtitia, l. 10. quæſt 3. art. 4.* & alij aſſerunt ad hanc abſentiam per trimeſtre honeſtandã ſufficere ſi fiat animi recreandi cauſa, aut conſanguineos, vel amicos inuiſendi. Sed alij hanc cauſam ad menſem vnum putant ſufficientem, rarò vltrà, quia ſatis neceſſitati naturæ illo ſpatio prouidetur. Ita Vaſquez *opuſc. de benef. cap. 4. §. 2. art. 1. dub. 3. n. 147.* & poſt illum Caſtrus Palaus *tom. 2. tr. 13. diſp. 5. punct. 4. n. 1.* Verùm cum Soto conſentit Azorius *p. 2. l. 7. c. 4. quæſ. 1.* quem refert Sanctarellus *var. tom. 1. q. 4. n. 5.* aſſerentes, & concedentes Epiſcopis ſpatium abſentiæ ob cauſam animi relaxandi.

RESOL. XCI. *An ſi in iure, vel aliqua Bulla inferatur pœna priuationis vocis, debeat intelligi tam de actiua, quàm de paſſiua?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Leſſius *lib. 2. cap. 34. dub. 29. num. 105.* explanans quemdam locum Concilij Tridentini, & ratio poteſt eſſe, quia vbi ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.

Verùm ego contrariæ ſententiæ adhæreo. Dico igitur in tali caſu pœnam intelligendam eſſe de ſola voce actiua, quia pœnæ extendendę non ſunt, & vox actiua, non autem paſſiua eſt, quæ propriè, & abſolutè vox dicitur; ergo pro ſola vocis actiuæ priuatione intelligenda eſt priuatio vocis abſolutè ſumptæ, verba enim abſolutè priuata accipienda ſunt pro famoſiori ſignificato. Et ita docet Garſias *de benef. p. 3. cap. 4. n. 15.* & poſt illum Caſtrus Palaus *tom. 2. tract. 13. diſp. 6 punct. 6. num. 15.*

RESOL. XCII. *An ſi cingulum ſit fractum, poſſit Sacerdos partes ſeparatas connectere, & ita celebrare?*

NEgatiuam ſententiam contra me nouiſſimè docet Ioannes de Lugo *de ſacrament. Euchariſt. diſput. 20 ſect. 4. num. 100.* vbi ſic ait. Petes, quando cingulum rumpitur, ita vt neutra pars ſufficiat, an vtraque iterum connexa poſſit abſque noua benedictione vſurpari. Affirmat Diana. Communis tamen ſententia id negat, & meritò, quia ſicut Alba amittit benedictionem ſeparatis manicis, quia ſingulæ partes ſeparatæ non ſufficiunt, idem dicendum videtur de cingulo. Ita ille, cui adde Tannerum *tom. 4. diſp. 5. q. 10. dub. 3. num. 3.* & Hurtadus *diſp. 4. de ſacrif. Miſſæ, diffic. 11.*

Sed noſtram ſententiam præter Doctores à me *vbi ſuprà* citatos, inuenio nouiſſimè docere Cœleſtinum *in compend. Theolog. moral. tract. 8. cap. 5. quæſ. 8.* vbi ità aſſerit. Quæres an Sacerdos peccet mortaliter celebrans ſine neceſſitate cum cingulo non benedicto, aut fracto? Reſpondeo quòd non, quod idem dico de celebrante Miſſã in caſu neceſſitatis ſine ſtola, manipulo vel cingulo, vel cum illis veſtibus non benedictis, non autem extra neceſſitatem, niſi quoad cingulum, vt dictum eſt, quod

quidem cingulum etiam inseruire potest, licet sit ita fractum, vt neutra pars sufficere per se possit, & necesse sit partes simul connecti. Hæc Cœlestinus. Idem docet etiam Iacobus Marchantius *in Candelabro Sacrament. tract. 4. quæstion. Pastor. c. 4. de celebrat. Miss. q. 2.* vbi testatur de praxi, passim enim, asserit, videmus, licet cingulum frangatur, solere vtramque partem connecti sine alia benedictione. Et tandem nouissimè nostram sententiam, me citato, tanquam probabilem admittit Franciscus de Nigro *in add. ad Ruyz, p. 1. præsup. 4. numer. 42. quæs. 28.* qui etiam testatur de praxi. Vnde puto vtramque sententiam probabilem esse.

RESOL. XCIII. *Quidam Abbas Benedictinus contulit Ordines minores quibusdam non sibi subditis, qui postea alios Ordines susceperunt, & in illis ministrarunt; quæritur quid in hac re statuendum?*

CIrca præsentem quæstionem satis quidem arduam more meo breuiter, & resolutoriè videndum est. Primò an potuerit dictus Abbas conferre dictos Ordines. Secundò, an saltem sint reiterandi sub conditione.

Quoad primum respondeo dictum Abbatem minimè conferre potuisse supradictos Ordines docere plures Doctores asserentes Cõcilium Tridentinum *sess. 23. cap. 10.* reuocare priuilegium Abbatibus concessum conferendi Ordines minores, nisi ordinandi sint Regulares eorum subditi. Ita docet in specie contra Abbates Benedictinos Ioãnes de la Cruz *de statu Relig. cap. 8. lib. 2. dub. 1.* Cœlestinus *in compend. Theolog. moral. tract. 8. cap. 4. quæs. 2.* Emanuel Sà *verb. Ordo, num. 16.* Portel *in dub. regular. verb. Abbas, num. 2.* vbi sic ait. Abbas Benedictinus confert Ordines minores suis subditis, *c. quoniam, dist. 69.* & Iulius II. *Bulla 25.* & hoc nõ reuocatur in Concilio Tridentino pro suis subditis, sed pro aliis. Sic ille. hanc etiam sententiam docet Barbosa *de potestate Episcopi, part. 2. alleg. 3. n. 11. & in Collectan. Doctor. tom. 3. in 6. Decretal. lib. 5. tit. 7. c. 3. num. 5.* Miranda *in Manual. Prælat. tom. 1. q. 38. art. 9. concl. 2.* Rubeus *in aphorism. Episcop. verb. Abbas, numer. 13.* Puteanus *in 3. part. D. Thom. q. vnic. de sacram. Ord. dub. 7. concluf. 2.* Zypæus *in iure Pontificio, tit. de maior. & obedien. num. 4.* Antonius de Marinis *quot. resol. cap. 1. num. 34.* Gratianus *in disceptat. tom. 4. cap. 791. num. 7.* Campanili *in diuers. iur. can. rubric. 6. cap. 2. ante num. 7.* Henriquez *lib. 14. cap. 18. numer. 2.* Emanuel Rodriquez *in quæstionum regular. tom. 1. q. 18. art. 1.* Fuschus *de visit. lib. 2. cap. 15. num. 93.* Hieronymus Rodriquez *in compend. qq. regular. resol. 1. num. 23* Nouarius *opusc. de iure nouo Pontif. concluf. 103. numer. 6.* Riccius *in praxi, tom. 4 resol. 157.* Homobonus *in consult. tom. 1. part. 5. resp. 194.* Germonius *de sacr. immun. lib. 3. cap. 9. num. 37.* Megalius *in promp. verb. Abbas, num. 17.* Gaspar Hurtadus *de Sacrament. tract. de Ordine, diffic. 18.* Filliucius *tom. 1. tractat. 9. cap. 5. numer. 96.* Bartholomæus Ledesma *de sacramento Ordinis, dub. 11.* Ioannes Baptista de Fabris *de sacram. Ordin. in communi, cap. 7. q. 2.* Naldus *in summa, verb. Abbas, num. 3.* Laurentius de Peyrinis *de Prælat. regul. tom. 2. q. 3. cap. 7. numer. 23.* Lublinus *in sum. verb. Abbas, numer. 3.* Piasecius *in praxi Episc. part. 1. cap. 1. art. 1. num. 7.* Alzedus *de præstan. Episc. part. 2. cap. 6. num. 78.* Cataneus *in sum. verb. Abbas, §. 2.* Vega *in specul. Paroch. tom. 2. cap. 14. §. 8. num. 31.* Chamarota *de Sacram. tractat. 11. cap. 4. dub. 2.* Vasquez *in 3. par. tom. 4. disput. 243. cap. 5. n. 53.* Reginaldus *tom. 2. lib. 50. tract. 1. cap. 5. numer. 25.* Acugna *in Decretum Gratiani, part. 1. disp. 95. cap. 1. num. 6.* Graffius *decis. part. 1. lib. 3. cap. 5. num. 142.* Tannerus *tom. 4. disp. 7. q. 3. dub. 2. numer. 27.* Muttinus *in Theolog. moral. de sacram. Ordin. q. 4. concl. 1.* Binsfeld. *in enchiridio par. 1. cap. 16. §. 9.* Funes *in specul. moral. part. 2. cap. 10. num. 2.* Honorius *in compend. iur. canon. lib. 1. tit. 11. nu. 6.* Valensis *in Decret. lib. 1. tit. 11. §. 3. n. 6.* & Litteratus *in sum. part. 1. cap. 46. num. 4.* Hi omnes asserunt non posse Abbates ordinare nisi suos subditos Regulares; & aliqui ex ipsis addunt, magis explicando, neque alienos etiam cum licentia Episcoporũ, & ita in specie docet Seraphinus *p. 1. decis. 985.* asserens ita sensisse Rotam, & Sellius *in selectis can. cap. 19. n. 8.* testatur ita declarasse sacram Cardinalium Congregationem Episcoporum, & Regularium in vna Eugubina die 3. Nouembris 1593. & in vna Camplen. die 27. Iunij 1631.

Verùm his non obstantibus contrariam sententiam mordicus tenet Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 7. dub. 19. num. 20.* & ratio est, quia dictum priuilegium est insertum in corpore iuris, vt patet *in cap. quoniam, dist. 69. & in cap. Abbates, de priuileg. in 6. & cap. cùm contingat, de ætate, & qualitate Ordinis.* Sed priuilegium clausum in corpore iuris in generali derogatione, numquam censetur comprehendi, sed opus est vt de illo efficiatur expressa mentio, vt ego ipse ad satietatem cum 19. Doctoribus satis probaui *in 3. part. tr. 2. resol. 1.* quibus nunc addo Basilium Pontium *de matrim. lib. 8. c. 19. n. 16.* Castrum Palaum *tom. 1. tract. 3. disput. 4. punct. 21 §. 4. numer. 5.* Suarez *de legibus lib. 8. c. 38. num. 1.* Salas *disp. 17. sect. 14. num. 73.* Portel *in dub. reg. verb. Priuilegium, num. 7. &* 67. ergo in illa generali reuocatione Concilij Tridentini, non obstantibus quibuscumque priuilegiis, &c. dicendum est non comprehendi priuilegium, de quo loquimur tamquam insertum in corpore iuris. Deinde dictum priuilegium Abbatibus fuit concessum in Synodo VII. c. 14. Sed decreta Concilij generalis non censentur derogata nisi in specie fiat eorum derogatio, vt ego ipse cursim tetigi *in 1. part. tract. 5 resol. 2.* & latè probat cum 20. Doctoribus Hieronymus Cenedo *in quæstion. can. q. 1. n. 27.* ergo in reuocatione generali, de qua loquimur, non comprehenditur dictum priuilegium, cùm ibi non apponatur specialis derogatio Concilij à quo emanauit.

Sed aliqui asserunt non obstante dicta derogatione Concilij Tridentini posse hodie Abbates habẽtes ius deferendi baculum & mitram, & postquam munus benedictionis susceperint, Ordines minores secularibus non suis subditis conferre, dummodo ipsius Episcopi consensus accedat, & à dicto Episcopo quisque literas dimissoriales impetrarit. Et ita declarasse sacram Congregationem testatur Quaranta, Bonacina, Capucinus, & Azorius, quos citat & sequitur Tamburinius *de iure Abbatum, tom. 2. disp. 2. q. 7. n. 2.* quibus ego addo Molfesiũ *in summ. tom. 1. tr. 2. c. 2. n. 18.* Zanardum *in direct. Theol.*

part.1.de ſacr Ordin.cap.3. Aluinum *de poteſtat. Abbat. cap.22.num.18* Zerolam *in praxi Epiſc.part.1.verb.Abbas.* Kelliſonium *in 3 part.tom.2.q.38.art.1.* Venerum *in examine Epiſcoporum, lib. 1. cap. 12.* Layman *lib.5. tractat.9.cap.9.numer.1.& 2.* Lezzanam Romæ impreſſum anno 1634. *in quæſtionum regular. cap. 18. num.13.* Gauantum Romæ impreſſum anno 1631. *in Enchirid Epiſcop. verb. Abbas, numer. 34.* Tiberium *in inſtruct. Ordin. cap.7.q.48.* Vgolinum *de poteſtate Epiſcopi, cap.26.§.19.* Grilenzonium 142. *numer.52.* Mercerum *de Sacram.in 3 part.D.Thom.q 38. artic.1.* Zecchium *de Republ.Eccl.cap.25.num.4.* Moſconium *de maieſtate militan. Eccleſiæ, lib.1. cap.9.* Fornarium *de ſacrament.Ordin.cap.5.§.2.&* nouiſſimè Ioannem Præpoſitum Societatis IESV *in 3.part. D.Thom. quæſt.vnic.de ſacrament.Ordinis, dub.13. numer.127.* & quia codex rarus eſt, ponam per extenſum eius verba, ſic enim ait. Circa decretum Concilij notandum primò non prohiberi prædictos Abbates conferre Tonſurã,& minores Ordines ſecularibus ſibi ſubditis, ſi accedat conſenſus Epiſcopi, cum quo etiam eiuſdem Epiſcopi ſubditos poſſunt Tonſura, & minoribus Ordinibus initiare, vt reſpondit Congregatio Cardinalium; requiritur verò vt vnuſquiſque ſecularium habeat pro ſe dimiſſorias, & non tantùm in genere,vt eadem Cõgregatio.Deinde non prohiberi quominus poſſint primam Tonſuram & minores Ordines conferre alijs Regularibus, qui ſpeciales literas dimiſſorias à ſuis Superioribus habuerunt,vt eadem Congregatio. Itaque Abbas,vel alius, qui primam Tonſuram & minores Ordines poteſt conferre, cum dimiſſorijs ſpecialibus eius qui poteſt dare, poteſt ordinare ſibi non ſubditum,tam regularem,quàm ſecularem; vbi notandum præter huiuſmodi dimiſſorias opus eſſe conſenſu Epiſcopi loci,in quo Ordines ſunt ſuſcipiendi, vt Congregatio.Itaque licet reſpectu Regularium ſibi ſubditorum non habeat opus conſenſu Epiſcopi loci,vt ſi eius Monaſterium ſit ſubditum Epiſcopo, tamen is conſenſus eſt neceſſarius, vt alij ordinentur ex Congregationis decreto,quod videtur intelligendum, quando non confert Ordines in loco exẽpto,quia vt in eo conferat, non videtur requiri conſenſus Epiſcopi, vt inſtructus ſufficientibus dimiſſorijs conferre poſſit,cùm in tali caſu poſſit alienus Epiſcopus Ordines cõferre petente Superiore, & qui habent priuilegium, vt à quouis Epiſcopo poſſint ordinari,poſſunt in loco exempto ordinari à quolibet Epiſcopo, non requiſito conſenſu Epiſcopi loci;& ſi petas vtrùm vt aliquis poſſit recipere minores Ordines ab Abbate, ſufficiat habere dimiſſorias, quibus fit poteſtas recipiendi minores Ordines à quolibet? Reſpõdeo ſufficere,quia per particulam illam generalem datur illi facultas recipiendi à quouis valente Ordines minores conferre. Et hæc omnia ad verbum docet Præpoſitus *vbi ſuprà*,ex mente ſacræ Congregationis. Cui etiam adde Layman *in quæſt.canon.c.17.n.219.* Vnde apparet pro vtraque opinione adeſſe declarationes Cardinalium ſacræ Congregationis.Itaque in hoc caſu aliquis poſſet dicere id,quod in ſimili dixit ſapientiſſimus Petrus Hurtado de Mendoza Socio-

tatis IESV *in 2.2.D.Thom.de fide,ſpe,& charitate,vol.1. diſp.84.ſect.2.§.25.* vbi agens de quadam quæſtione, pro qua hinc inde afferebãtur declarationes Cardinalium inter ſe pugnantes, vt eſt in caſu noſtro, Reſpondit, inquam,Hurtadus, vtramque ſententiam probabilem eſſe, & vtramque probatam Eminentiſſimis Cardinalibus, alteram quidem nonnullis, aliis alteram; etenim,vt ait Ouid.

Sæpe premente Deo, fert Deus alter opem.

Ita Hurtadus.

Vel poſſet aliquis reſpondere (Purpuratorum enim illorum Patrum ſacrum Concilium venerari oportet) declarationes ſupradictas inter ſe minimè pugnare,quia declarationes pro prima ſententia adductæ intelligendæ ſunt, ſi Abbates conferre vellent Ordines ea authoritate, qua antea poterant,nempe non ſolùm ſuis Religioſis, ſed etiam ſecularibus ſibi tamquam Ordinario ſubditis abſque conſenſu Epiſcopi loci;ſecus autem ſi Abbates hodie conferrent Ordines minores cum conditionibus appoſitis in declarationibus Cardinalium pro ſecunda ſententia relatis. Vnde apparet declarationes ſupradictas non eſſe ſibi contrarias,& ita eſſe intelligendas patet ex Præpoſito, Marcello Vulpe *in praxi iudiciali, c.6. num.8.& 10.* Kelliſonio, Layman, & alijs Doctoribus *vbi ſuprà* citatis, qui poſtquam ex ſacra Congregatione docuiſſent Cõcilium Tridentinum reuocaſſe priuilegium Abbatibus conferendi Ordines minores ſubditis etiam ſecularibus, poſtea ſubdunt.Ex eadem ſacra Congregatione ſupradictos Abbates non obſtante dicto Concilio poſſe conferre minores Ordines quibuſcumque tam Regularibus, quàm ſecularibus etiam nõ ſibi ſubditis,ſi tamen ordinandi habeãt dimiſſorias à proprio Epiſcopo, vel Prælato, per quas ſigillatim, & in particulari hanc licentiam prębeat, & conſenſum etiam Epiſcopi illius loci, in quo ſunt Ordines miniſtraturi.

Vnde ex his patet etiam reſponſio ad auctoritatem Rotæ, quam ſuprà affert Seraphinus, ad quam etiam Tiberius *de inſtruct.ordin.cap.7.quæſ.48.* cum Tamburinio *de iure Abbatum,tom.2.diſput.2.q.7. num.4.* reſpondet loqui Dominos Rotæ, quando Abbates vellent conferre Ordines minores ſine cõſenſu Epiſcopi Diœceſani. & ratio huius poſterioris ſententiæ in fauorem Abbatum eſt, quia Concilium Tridentinum, licet aſſerat non licere Abbatibus ordinare niſi ſuos ſubditos Regulares, non ſequitur ex hoc, quòd non poſſint ordinare alienos cum licentia ſuorum Epiſcoporum,vt patet ex *cap.vlt.de temp.ord.in 6.* Nam textus ibi, vt patet, & obſeruat gloſſa, loquitur étiam de Abbatibus. quod confirmatur, nam ante Concilium Abbatibus non licebat ex *cap.Abbates, de priuileg.in 6.* ordinare niſi ſuos ſubditos Regulares, & etiam (quod hodie non poſſunt per Concilium Tridentinum) ſubditos laicos, in quibus quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habebant, & tamen hoc non obſtante ordinabant ſubditos alienos de licentia ſuorum Prælatorũ,vt docet gloſſa *in c.quoniam,diſt.69. verb.Monaſterium.* & *ibi* Turrecremata *n.9.*& Lapus *alleg.138.*cum aliis communiter. ergo. &c. Et hæc ſunt placita Doctorum circa prẹſentẽ quẹſtionem.

Quid ego sentiam, non proferam, sed eius finalem, & claram resolutionem ad oraculum sacræ Cõgregationis remitto, ita vt in posterum ampliùs locus non sit Doctorum opinionibus adhærere.

Quoad secundum dubium, an dicti Ordines sint saltem reiterandi sub conditione ob probabilitatem sententiæ aientis priuilegium supradictorum Abbatum esse reuocatum per Concilium Tridentinum, respondent aliqui negatiuè. Et ita docet insignis Theologus Societatis IESV Iacobus Granadus *de Sacram. in 3.p.D.Thom. controuers.9. tract.1.disp.6.n.2.* vbi sic ait. Si sit opinio probabilis Ordinem verè fuisse susceptum, & sit etiam probabilis opposita sententia, posse tunc sine dubio iterari Ordinem sub conditione, vt in generali diximus de omnibus Sacramentis *tract.1. de Sacram. in gener.disp.4.* Vtrùm autem teneatur quis illum Ordinem iterare, ibidem breuiter explicuimus; si enim Ordo sit sacerdotalis, aut Episcopalis, tenetur sine dubio iterare, quia alioqui exponitur periculo non consecrandi, non absoluendi pœnitẽtes, non ordinandi, cùm probabile sit illum non habere potestatem Ordinis ad id requisitam; cùm autem id cedat in maximum detrimentum fidelium, tenetur ordinatus vitare huiusmodi incommodum, recipiendo prædictum Ordinem secundùm certam doctrinam, & non iuxta opiniones, in quibus potest esse deceptio. Quod verò attinet ad reliquos Ordines inferiores non obligarem eũ, qui iuxta opinionem probabilem eos recepisset, vt illos iteraret, etiam sub conditione. Moueor ad ita sentiendum, quia isti Ordines non sunt ita necessarij, vt per sacerdotalem potestatem suppleri non possint munera, propter quæ instituta sunt, & præterea non habent annexum aliquem actum absolutè necessarium ad salutem fidelium, aut defectu cuius proueniat Ecclesiæ notabile damnum. Cùm ergo aliunde homo sit ordinatus iuxta probabilem opinionem, ac proinde prudenter sibi posset persuadere Ordinem fuisse validum, non est cur ad illius iterationem obligetur. Hæc omnia Granadus, qui in terminis, vt dici solet, terminantibus casum nostrum determinat. Adde quòd multi asserunt non obstante reuocatione supradicti priuilegij per Concilium Tridentinum si aliquis subditus secularis ordinaretur à supradictis Abbatibus, valeret quidem ordinatio, esset enim tantùm illicita, non autem inualida, & conferret ordinatis characterem, non autem vsum Ordinis. & ita ex declaratione Cardinalium docet Gauantus *in enchirid. Episc. verb. Abbas, n.36.* Sãchez *in opusc. tom.2.l.7. c.1.dub.19.n.17.* Tamburinius *de iure Abb. tom.2.disp.1. quæst.8.n.1.* Molfesius *in summa, tom.1.tract.2.c.2.n.18. in fine.* Prępositus *in 3.p.q.vnic. de Ordine, dub.13. n.124.* Marcellus Vulpe *in praxi iudiciali, c.6 n.10.* Rodriq. *in quæstionum regul. tom.1.q.18.ar.1.* Ludouicus de San Iuan *en su luz de Sacerdotes, q.3. regul.art.1.concl.2.* vbi sic ait. [Si el dicho Abad ordenare de hecho personas estrañas, quedaran ordenadas, y recibiran caracter; porque escriuiendo el Papa Vrbano à Hugo Obispo de Leon de Francia, le dize: Clerici ab Episcopo alterius Parochiæ ordinati à proprio in suis Ordinibus recipi possunt. De aqui se siguen dos puntos. El primero, que los dichos Clerigos reciben caracter. El segundo, que aun que los estraños reciben el caracter, no reciben la execucion de las Ordenes, pues que dize Vrbano, quod à proprio Episcopo recipi possunt in suis Ordinibus, las quales palabras presuponen, que los assi ordenados quedan suspensos de la execucion de las Ordenes; pues lo mismo es en nuestro caso.] Ita ille. Licet hanc sententiam non approbet Laurentius de Peyrinis *de Præl. Regul. tom.2.q.3.c.7.n.23.* vbi docet quòd si per Concilium Tridentinum Abbatibus fuit reuocatum priuilegium, ipsi non solùm illicitè, sed etiam inualidè ordinarent, & ordinati omnino ordinari denuò deberẽt. Sed negatiuã sententiam docet Sanchez *vbi suprà*, obseruans priuilegium concessũ Abbatibus conferendi Ordines minores esse absolutum, aliàs dicendum esset, quòd si conferrent hos Ordines minores extra suum Monasterium, subditis tamen, non teneret Ordo, cùm priuilegium continet etiam quoad tãtum in suo Monasterio, quod tamen dicere videtur absurdum. At verò quoad iurisdictionem requisitam ad benè, & licitè Ordines conferendos dictum priuilegium est limitatum, scilicet in suo Monasterio, & subditis. Ita Sanchez, cuius doctrina clarè confirmatur ab Archidiacono *in c. Abbates, de priuileg. in 6.* vbi docet, Abbatem conferentem Ordines minores extra suum Monasterium Regularibus alterius Monasterij, etiam non inuitatũ, conferre, hoc non obstante, characterẽ Ordinum; & Franchus *ibidem n.2.* ex Ioanne Andrea docet etiam quòd si dicti Abbates alios ordinent Clericos aliter, quam sibi permittitur *in dict. c. quod vtique*, hoc non obstante characterem imprimunt. Et tandem non desinam hîc apponere verba Petri de Ancharano *in dict. c. Abbates, n.3.* vbi sic ait. Aduerte tamen quòd licet Abbates non debeant conferre Ordines alijs, quàm personis hîc expressis, tamen si conferant, imprimunt characterem. Ita ille, qui citat etiam Ioannẽ Andream, & Boërium, quibus adde glossam *in c. Abbates, de priuil. in 6. verb. tonsuram, in fine.* Vnde apparet priuilegium hoc conferendi Ordines minores Abbatibus concessum fuisse absolutum, sed quoad iurisdictionem ad licitè exercendum fuisse limitatum, in suit nempe Monasterijs, & in subditos. Vnde si Abbates extra Monasterium, & alienos ordinarent, illicitè quidem, sed validè Ordines conferrent. Et ideo hanc nostram sententiam clarè determinauit sacra Congregatio his verbis. Quidam laicus annis elapsis primam Tonsuram suscepit, & Ordines minores ab Abbate Cassinensi, eius in temporalibus & spiritualibus Superiore, credens illum habere potestatem; sed cùm sit contra dispositionem huius capitis, dubitatur an iste indigeat dispensatione, vel necesse habeat cupiens esse Clericus ordinari iterum ad dictos Ordines tamquam nulliter ei collatos. Congregatio Concilij sic respondit. Indiget dispensatione, sed non est necesse vt iterum ordinetur. Et hanc declarationem affert Marsilla *l.2 tit.11.c.10.lit. L.* & Gallemart. *in declarat. Concilij, sess.23.c.10.n.1.* & de illa mentionem faciunt Prępositus, & Doctores proximè citati. Vnde corruunt ea, quæ docuit

Suarez

Suarez *de Relig. tom.4.lib.2.cap.29.n.8.* contra quem præter Doctores citatos adde Felinum *in cap. eam te, de reſcriptis, num.8.* docentem Abbates non poſſe ordinare alienos ſubditos ex defectu iuriſdictionis, non autem ex defectu quoad habitum poteſtatis, & ideo quando illis tribuitur iuriſdictio, concurrit vtraque poteſtas requiſita ad collationem Ordinum. quæ quidem opinio Felini multum valet pro opinione ſuperiùs adducta, aſſerente poſſe dictos Abbates ordinare ſubditos alienos cum licentia proprij Epiſcopi.

Nota tamen quòd poſt hæc ſcripta inueni Lapum Iuriſconſultum doctiſſimum *in allegat.138.* in terminis, vt dici ſolet, terminantibus, opinionem hanc docere, aſſerendo quoſdam laicos non ſubditos ordinatos ab Abbate Benedictino characterem Ordinum minorum recepiſſe, & validè fuiſſe ordinatos, licet illicitè, quod etiam docuit Ioannes Præpoſitus *in cap. quoniam, diſt.69.num.5.* Et tandem omnia ſupradicta confirmantur ex doctrina quam nouiſſimè affert Bonacina *in addit. ad tom.2.diſp.3.* poſt tractatum *de electione Summi Pontificis*, quia collatio minorum Ordinum non eſt actus iuriſdictionis præcisè, ſed eſt functio ſacerdotalis officij, *cap. cùm contingat, de ætate, & qualitate.* Adde quòd in Concilio Trident. & in iuribus antiquioribus non irritatur collatio Ordinum aliter facta, nec vtuntur verbo *non poteſt*, ſed verbo *non licet*, quæ loquēdi forma prohibet collationem Ordinum, ſed non irritat aliter factam. Hæc omnia Bonacina. Vnde ſtante dicta declaratione Cardinalium, & Doctorum opinione, puto hanc ſententiam probabiliſſimam eſſe, & tutam in praxi; ſi autem ſupradicta declaratio non eſt vera, & contrarium à ſacra Congregatione in poſterum determinabitur, eius decreto ſtandum eſſe exiſtimo.

RESOL. XCIV. *An ſi quis daret alicui centum, ignorans quòd ex iuſtitia tantum etiam illi debet, teneatur poſtea ſoluere alia centum?*

CAſus eſt curioſus, & erit multum plauſibilis ex benigna opinione, quam proferam. Affirmatiuam ſententiam docet Sanchez *in ſumm. tom.1. lib.1.cap.13.num.11.* vbi ſic ait. Debentem cuidam centum ſatisfacere huic debito, ſi debiti prorſus immemor tantumdem ei donet, niſi in remunerationem tantidem muneris accepti donatio fieret, & ſimiliter obnoxium reſtitutioni incertorum pauperibus, poſſe omnes eleemoſynas, quas poſtea ignarus, aut illius obligationis immemor ex ſua deuotione largitus eſt, computare in eius reſtitutionis partem. Quia ſi hi conſcij, aut prædictæ obligationis memores eſſent, non animo liberali, ſed ſatisfaciendi dediſſent. Sed contrarium credo cum Ludouico Lop. *l.2.de contractib cap.vlt.col antepenult. verb ſupereſt nunc.* vbi bene ait huiuſmodi diſpoſitiones conditionales minimè ſpectandas eſſe, ſed id quod voluntas tunc intendit. quia in obligatione iuſtitiæ id peculiare eſt, vt illi minimè ſatisfiat, quando alio titulo, vt donationi, vel eleemoſynæ, quàm ſoluendi debiti redditur. Nec conditionalis illa tollit, quin hîc & nunc ſit vera donatio, & eleemoſyna, & non debiti ſolutio. Ita Sanchez, & præter Lopez tenet etiam ſuam ſententiam Salas *de legibus, diſp.9.ſect.2.num.35.* & Bonacina *de leg. diſp.1.quæſt.1.punct.10.n.13.* quia obligationes iuſtitiæ neque contrahuntur, neque tolluntur, niſi dependenter à voluntate contrahentium, quæ tamen in his caſibus ratione obliuionis, & incogitantiæ ponitur non fuiſſe.

Sed negatiuam ſententiam tamquam probabilem non deſinam hîc admittere per ea, quæ nouiſſimè adducit Nicolaus Baldellus, vir quidem doctus, *in Theol.moral.tom.1, lib.5.diſp.25.num.18.* vbi ſic ait. Nec negari poteſt quin etiam in materia iuſtitiæ poſſit ſufficere ad illius obligationes tollendas intentio generalis, & implicita, quæ de facto habetur ab vnoquoque ſatisfaciendi omnibus ſuis obligationibus, quibus abſolutè poteſt ſatisfacere per vnamquamque ſuam actionem. Neque obliuio & incogitantia huius, vel illius obligationis ſpecialis poteſt tollere, aut impedire voluntatem generalem, & implicitam ſatisfaciendi omnibus, quæ habentur, ſed ſolùm tollit, aut impedit voluntatem ſpecialem, & explicitam ſatisfaciendi huic, aut illi obligationi in ſpecie, vt ex ſe patet; & ideo etiam in caſibus poſitis obligationes iuſtitiæ dicendæ ſunt verè tolli dependenter à voluntate eorum, qui per illas ſunt obligati. Nam hoc modo *l. cùm ex pluribus, ff. de ſolut.* expreſsè dicitur, quòd qui ex pluribus cauſis vni alicui debet pecuniam, neque exprimit, aut demonſtrat, dum illam ſoluit ex qua cauſa ſoluat, & cui obligationi intendat ſatisfacere, cenſendus eſt pro illa ſoluere, quæ apud ipſum eſt potior. vt, verbi gratia, ſi aliqua ex cauſa tenetur ſoluere ſub pœna infamiæ, vel ſub aliqua alia, vel ſub iure hypothecæ, aut pignoris, & ſimilibus. Et ratio ſubditur, quia veriſimile eſt diligentem debitorem ſi eſſet admonitus, ita fuiſſe geſturum ſuum negotium. Ex quo textu clarè habetur, quòd voluntas implicita & generalis, quam vnuſquiſque habet ſatisfaciendi prout poteſt per vnumquemque actum ſuis obligationibus, poteſt habere locum etiam in obligationibus, & in materia iuſtitiæ, idque non ſolùm eſt verum, quando in actu ſoluendi nulla cauſa, nulluſque titulus exprimitur, aut determinatur, ex quo fiat ſolutio, ſed etiam quando exprimitur, & determinatur vnus aliquis minus principalis ex aliorum obliuione; & incogitantia. nam hæc obliuio, & incogitantia facit ſolutionem pro illo alio titulo ſimpliciter inuoluntariam, eamque reſoluit in hanc conditionalem: Trado, vel ſoluo ex hoc titulo, niſi teneor ex aliquo alio potiore, & maioris momenti, vt diximus paulò antè. Et hæc omnia docet Baldellus *loco citato.* Dicendum eſt igitur, quòd intentio implendi quamcumque obligationem, ſemper videtur haberi ſaltem generaliter, & ſemper poteſt præſumi ab vnoquoque, quando non conſtat de intentione contraria, quia vnuſquiſque in ſuis actionibus generaliter ſemper intendit ſatisfacere obligationibus, quas habet; vnde licet prima opinio ſit probabilior, poſteriorem, vt dixi, puto probabilem eſſe. Et ideo ex his à fortiori ſequitur, quòd ſi quis ex deuotione inuiſeret hanc, vel illā Eccleſiam, & non recordaretur, quòd ad id teneretur ex voto, vel ex

pœnitentia à Confessario iniuncta, quando postea aduerteret debitum, & recordaretur voti, aut pœnitentiæ, non tenetur iterum illas Ecclesias inuisere, sed potest existimare vtrique satisfeciſſe.

RESOL. XCV. *An Sacerdos in Missa solemni teneatur recitare submissa voce Epistolam, & Euangelium?*

AD hoc dubium ita respondet P. Lugo *de sacram. Eucharist. disp. 20. sect. 4. num. 107.* Posset fortè excusari à peccato graui Sacerdos solemniter celebrans, qui Epistolam, quam Subdiaconus cantat, non recitat, vel Euangelium, quod à Diacono cantatur, provt excusatur à Vega, & aliis, quos affert & sequitur Diana *p. 2. tract. 14. resol. 42.* qui tamen falsò supponit id in Missali non præcipi. nam re vera præcipitur expressè ibi in rubricis Missæ solemnis. Ita ille.

Sed aduersùs illum nominatim, nouissimè me defendit ex viro docto P. Trimarchi Franciscus de Nigro *in addit. ad Petrum Ruyz de celebratione Miss. part. 6. animaduers. 8. num. 2.* vbi sic ait. An lectio Epistolæ, vel Euangelij celebranti solemniter præcipiatur in rubricis Missalis Romani. Negat Diana, affirmat Lugo, dicens quòd Diana falsò supponit hoc in Missali non præcipi, siquidem re vera præcipitur expressè ibi in rubricis. Verùm P. Trimarchi tuetur Siculum Dianam, dicens, quòd Dianæ intentum cùm asseruit quòd in Missali non præcipiatur, nihil aliud fuit, nisi quòd illa rubrica, seu cæremonia non est præceptiua, sed tantùm directiua. Hæc Niger. Dicendum est igitur quòd licet in rubricis Missalis dicatur quòd Sacerdos in Missa solemni legit Epistolam, & Euangelium, non autem sequitur ex hoc, ibi dictam recitationem præcipi cum peccati obligatione; & hæc erat quæstio à me ibi agitata. Et ideo vti ego loquutus sum in dicta resolutione, ita sunt etiam loquuti ante me Doctores omnes hanc quæstionem pertractantes. Vnde Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 8. difficult. 31. num. 4.* ita asserit. [El Sacerdote no està obligado à dezir la Epistola, y Euangelio, no obstante que lo digan los Ministros; porque no ay derecho ninguno, que obligue à esto, ni lo manda el Missal.] Ita ille, & ante illum Petrus Ledesma *in summa, tom. 1. cap. 24. conclus. 5.* sic asserens. [El Sacerdote que dize Missa con Diacono, y Subdiacono, no està obligado à dezir el por si la Epistola, y el Euangelio en secreto: la razon es, porque no ay derecho ninguno, que obligue al tal Sacerdote à dezir la Epistola, y el Euangelio; y el Missal de Pio V. no pone tal obligacion.] Et tandem ita etiam loquutus est Ludouicus à San Iuan *in summa, quæst. 11. articul. 23. de sacrament. Eucharist. diffic. 8.* Igitur ego in dicta resolutione docui iisdem verbis id, quod ante me docuerunt supradicti viri docti.

Et post hæc scripta inueni ea, quæ ego docui, docere etiam, me citato, Bartholomæum à Sancto Fausto *de sacrament. Eucharist. lib. 2. quæst. 278.* vbi sic asserit. An Sacerdos cantans Missam cum Diacono, & Subdiacono, teneatur secretò recitare Epistolam, & Euangelium. Affirmant aliqui; communis tamen opinio veriorque sententia id negat, & meritò quidem, quia nullum de hoc extat iuris decretum quod Sacerdotem ad hoc obliget, neque etiam Missale Romanum iussu Pij V. editum huius ordinationis meminit; & licet aliqui id faciant, multa sunt consueta, quæ non sunt præcepta, vnde satis est à Ministris Epistolam, & Euangelium audire. Hæc Faustus. Hinc satis probatum remanet contra amicissimum P. Lugo, me non falsò supponere, in Missali non præcipi Sacerdotibus Missam solemnem cantantibus recitare submissa voce Epistolam, & Euangelium, re vera enim ibi id non præcipitur, & hoc ego negaui, & iterum cum citatis Doctoribus nego. Solùm igitur directiuè tenentur ex rubricis Missalis Sacerdotes in Missis solemnibus Epistolam, & Euangelium submissa voce recitare, non autem præceptiuè.

RESOL. XCVI. *An Sacerdos celebrans possit in aliquo casu Hostiam à se consecratam reponere in Sacrario, & ex illo particulam ex præconsecratis ab alio assumere?*

PORrige aures, amice Lector, casus enim est curiosus, & de illo ego olim interrogatus fui. Nam quidam Sacerdos in vltima Missa oblitus est consecrare Hostiam exponendam post pranlium in Oratione quadraginta horarum. quæsierunt tunc à me an potuisset dictus Sacerdos sumere particulam à Sacrario ex præconsecratis ab alio Sacerdote, & Hostiam ab ipso consecratam conseruare ad effectum publicè illam exponendi postea, supposito quòd non esset vltra tempus celebrandi aliam Missam. Et licitè hoc posse fieri ex Henriquez defendit Stephanus Fagundez *pr. 1. lib. 3 cap. 4. num. 26.* vbi sic ait. Si autem vnus Sacerdos post consecrationem statim moriatur, & alter perficiat Missam illius, ex vtroque celebrante fiet vnus Minister, & vnum sacrificium essentiale, cui qui astiterit, satisfaciet præcepto audiendi Sacri, vt docet Henriquez *lib. 9. de Missa. cap. 9. num. 2.* Dices, essentia sacrificij consistit in consecratione, & consumptione vnius Sacerdotis sacrificantis; hîc autem sunt duo, non vnus Sacerdos. ergo non potest dici vnum sacrificium. Respondeo essentiam sacrificij consistere in noua consecratione, & consumptione Hostiæ, & vini in eodem sacrificio facta, non tamen ab eodem Sacerdote. Vnde multi Parochi dum renouant Eucharistiam consumunt Hostiam ab alio consecratã, eam verò, quam consecrant, reponunt in Sacrario, & fit integrum & perfectum sacrificium Missæ, & licitè id faciunt, vt optimè docet idem Henriquez *loco allegato*, quia non est opus, vt consecratio, & consumptio fiat ab vno Sacerdote, opus est tamen vt in eodem sacrificio detur noua consecratio, & noua consumptio, quamuis noua Hostia consecretur, & alia præconsecratio consumatur. Ita ille, quod etiam iterum docet infrà in *cap. 5 n. 20.*

Sed hanc sententiam nullo modo probabilem esse putat Ioannes Præpositus *in 3. part. D. Thomæ, quæst. 83. art. 1. dub. 7. num. 50.* vbi probat Sacerdotem celebrantem necessariò debere sumere Hostiam, quam in eo Sacro consecrauit, siue etiam aliam sumat,

mat, ſiue non, quia ſumptione ſola Hoſtiæ in eo Sacro conſecratæ oſtendit ſe illi ſacrificio conſentire; nullo verò modo ſumendo Hoſtiam præconſecratam, quæ impertinenter ſe habet ad hoc ſacrificium. Adde quòd cùm iuxta Henriquez ſit pars eſſentialis ſacrificij ſumptio, talis nullo modo dici poteſt ſacrificare, quia, vt dictum eſt, non cuiuſuis Hoſtiæ ſumptio pertinet ad quodlibet ſacrificium, ſed ſumptio Hoſtiæ in eodem Sacro conſecratæ, hæc enim ſola ab illo ſacrificio reſpicitur: ad id quod dicit de quorumdam Paſtorum praxi, dico inde non poſſe ſumi argumentum, cùm procedat ex ignorantia, ſitque omnino corrigenda; vnde ſi quando Paſtores velint renouare Hoſtiam, quæ eſt in remonſtrantiâ, debent duas Hoſtias conſecrare, & vnam illarum ſumere, ſimiliter ſanguinem, deinde ſumere antiquam ante ablutionem.

Hanc etiam ſententiam tenet Bartholomæus à Sancto Fauſto *de ſacrament. Euchariſt. lib. 2. quæſt. 29.* & Phil. Gamachæus Regius Profeſſor in inclyto Muſeo Sorbonico, *tom. 3. ſummæ Theolog. in 3 part. D. Thom. poſt quæſt. 79. in tract. de ſacrificio Miſſæ, cap. 5.* in quo probat, quòd licet eſſentia ſacrificij Miſſæ conſiſtat in conſecratione, & non in ſumptione; tamen docet Sacerdotem debere Hoſtiam eamdem manducare, quam in Miſſa confecit, & non alteram ab alio Sacerdote præconſecratã, & praxim aliquorum Parochorum ſic facientium in renouatione Euchariſtiæ non approbat, & hoc etiam ſupponit Syluius *in 3 parte quæſt. 82 art. 4. & quæſtione 83. art. 1. Quæritur ſecundò, concluſ. 4. ad ſeptimum argumentum* & Bartholomæus ab Angelo *in examin. confeſſ. dialogo 5. §. 558.* Poſt hæc ſcripta inueni noſtrum chariſſimum Patrem Lugo *de ſacramento Euchariſtiæ, diſputatione 19. ſectione 5. numero 76.* ſubtiliter more ſuo, & neruosè hanc ſententiam docere, aſſerentem Henriquez, & Fagundez in hac quæſtione parum theologicè loquutos fuiſſe.

Sed non deſinam etiam hic adnotare, & apponere aliud pulchrum dubium poſitum à Iacobo Marchantio *in reſolutione Paſtoral. ad Candelabrum de Sacrament. tract. 4. cap. 5. quæſtione 3. in fine.* vbi ſic ait. Quidam Parochus nullam habens maiorem Hoſtiam, veritus populi ſcandalum aliquod, aut murmur, dum minorem hoſtiam conſecraſſet, in eleuatione Sacramenti oſtentauit alteram quamdam maiorem Hoſtiam, quæ aſſeruabatur in pyxide, vt exponeretur in die ſolemni populo. Quæritur an ille prudenter hoc fecerit? Reſpondetur cùm in Miſſa debeat exhiberi populo adoranda Hoſtia in illo Sacrificio conſecrata, & oblata, talem cautelam non eſſe approbandam; meliùs tamen, meo iudicio, feciſſet, ſi & maiori iſti Hoſtiæ alteram paruam conſecratam per illud Sacrificium ſimul adiunxiſſet, quod facilè fieri poterat, exhibendo vtramque adorandam. Sic enim ſatisfaceret cæremoniæ huic ſactæ, quia Hoſtia Sacrificij huius populo ad adorandum exhibenda præcipitur. Ita Marchantius.

RESOL. XCVII. *An minores Ordines poſſint conferri diebus feſtiuis duplicibus, non tamen ſeruatis à populo ex præcepto? Et quid de Ordinibus ſacris ex priuilegio Papæ ſumendis, vt conceditur in tribus diebus feſtiuis?*

CAſus eſt quotidianus, & ſatis practicabilis, cuius diſcuſſionem compoſui ad inſtantiam Abbatis la Farina, viri quidem omni laude digniſſimi, & literis præſertim politioribus ornatiſſimi, pro cuius deciſione ſuppono cum Henriquez *l. 10. cap. 12. num. 2.* Reginaldo *tomo 2. libro 30. tractatu 1. cap. 5. numero 26.* Ochagauia *de ſacramento Ordinis, quæſt. 9. num. 8.* Filliucio *tom. 1. tractatu 9. cap. 4. n. 85.* Caſtaldo *in praxi Cær. lib. 2. ſectione 15. cap. 3. num. 3.* & Layman *libro 5. tract. 10. cap. 8. num. 1.* Angelo *verb. Ordo, num. 7.* Armilla *eodem verbo, num. 6.* Tabiena *verb. Ordo, 2. quæſtione 3.* Salzedo *in practica Diaz, cap. 26. §. Minores.* Alzedo *in praxi Epiſcop. part. 2. cap. 5. num. 21.* Madio *de ſacramento Ordinis, cap. 3. num. 4.* Honorio *in Decretal. lib. 1. titulo 11. num. 1.* Campanili *in diuerſ. iur. Can. rubrica 6. cap. 2. num. 1.* Ioanne Suarez *in Enchirid. caſuum conſcientiæ, lib. 5. verb. Ordo, §. datur prima Tonſura*, & aliis, Ordines minores poſſe dari quolibet die Dominico, & quouis die feſto. Sed difficultas eſt, quid ſub nomine diei feſti intelligatur. Nam aliqui tenent intelligi feſtum de præcepto, & ita docet Naldus *in ſumma, verb. Ordo, num. 15.* Barboſa *de poteſtate Epiſcopi, parte 2. allegatione 11. num. 22. & in collect. ad ius Canon. tom. 1. lib. 1. tit. 11. cap. 3. num. 5.* Azorius *part. 2. lib. 1. cap. 17. quæſito vltimo*, malè pro contraria ſententia à Barboſa citatus; & à fortiori hanc ſententiam docet etiam Villalobos *in ſumma, tom. 1. tract. 11. difficultate 13. num. 4.* Viguerius *in inſt. cap. 16. §. 6. verſ. 6.* Roſella *verb. Ordo, 2. num. 4.* Diuus Antoninus *3. parte, tit. 4. cap. 16. §. 16.* Syluester *verb. Ordo, 2. quæſtione 2.* Bartholomæus à Ledeſma *de ſacramento Ordinis, dub. 15.* Paludanus *in 4. diſtinctione 25. quæſtione 2. numero 15.* Zanard. *in Director. part. 1. de ſacramento Ordinis, cap. 3.* aſſerentes Ordines minores dari poſſe in diebus Dominicis, & aliis feſtis principalibus; quod etiam docet Vega *in ſpeculo, parte 2. cap. 14. §. 9. numero 56.* Et, vt verum fatear, Doctores ſuprà citati, aſſerentes Ordines conferri poſſe die Dominico, aut alio die feſtiuo, videntur docere hunc diem debere eſſe feſtiuum de præcepto, ſicuti ſunt dies Dominici. Confirmatur hæc ſententia ex Concilio Tridentino *ſeßione 24. cap. 1. de reformatione matrimonij*, vbi dum dicit denuntiationes matrimonij faciendas eſſe in diebus feſtiuis; Concilium Prouinciale Mediolanenſe, & Baſilius Pontius *de matrimonio, libro 5. cap. 30. numero 7.* cum aliis aſſerunt, dies feſtiuos intelligendos eſſe de his, qui Eccleſiæ præcepto ſeruantur. Ratio huius ſententiæ erit, quia ille dicitur vulgariter dies feſtus, quem populus, & Clerus pro feriato ab operibus ſeruilibus habent; & Summus Pontifex accipit diem feſtum, quando concedit aliquem ordinari poſſe, vt paſſim & communiter accipi ſolet, loquitur enim vt communiter loqui homines conſueſcunt.

Sed his non obſtantibus contrariam ſententiam aliqui tenent, nempe dictos dies feſtiuos tam in Ordinibus minoribus, quàm in maioribus ex priuilegio ſumendis ſufficere, vt ſint de feſto duplici, licet non ſeruentur Eccleſiæ præcepto, neque in illis abſtineatur ab operibus ſeruilibus. Et quia hæc opinio erit ſatis plauſibilis omnibus ordinandis, & etiam, vt reor, Dominis Epiſcopis, ponam hîc per extenſum verba Doctorum, qui illam docent. Ioannes Præpoſitus, Societatis IESV *in 3. parte D. Thomæ, quæſtione vnica, de ſacramento Ordinis, dub. 15. num. 150.* ſic ait. Quod autem *in cap. de eo, de tempor. ordinat.* dicitur minores Ordines dandos eſſe diebus feſtis, non tantùm videtur intelligendum de feſto, quod ſeruatur in populo, ſed etiam de eo quod ſeruatur in choro. Ita ille. Cui adde ex Societate eadem Stephanum Fagundez *pr. 1. lib. 1. cap. 2. num. 15.* vbi hæc aſſerit. Rogabis an cùm ſummus Pontifex concedit priuilegium alicui vt poſſit extra tempus à iure ſtatutum tribus diebus feſtiuis ad tres ſacros Ordines Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotij promoueri, nomine diei feſti intelligatur feſtus dies, ac feriatus, in quo populus à laboribus, & operibus ſeruilibus ceſſat, an ſufficiat quòd ſit dies duplex, licet non ſit feriatus? Bipartita eſt ſententia de hac re. Prima docet neceſſe eſſe hos dies eſſe à laboribus, & operibus ſeruilibus feriatos, & non ſufficere quòd ſint duplices, & feſti in ordine ad Officia diuina. Secunda tamen ſententia verior, & probabilior docet ſufficere, quòd ſint dies duplices, & feſti in ordine ad Officia diuina, licet non ſint à laboribus feriati. Hæc Fagundez, qui pro hac ſententia citat Rodriquez *in quæſtionum regularium tom. 3. quæſtione 23. articulo 5.* quibus etiam ego addo Homobonum de Bonis *in reſponſione caſuum conſcientiæ, volumine 2. part. 5. reſponſione 207.* & tandem hanc ſententiam docere Pontificale Romanum obſeruat Gauantus *in enchiridio Epiſcoporum, verb Ordines minores, numero 15.* & Tannerus *tom. 4. diſp. 7. quæſt. 3. dub. 2. numero 44.* aſſerentes ex dicto Pontificali minores Ordines poſſe dari ſingulis Dominicis, & feſtiuis diebus duplicibus, quod nouiſſimè notat etiam Franciſcus Hallier *de ſacris Ordinibus, parte 2. ſectione 7. cap. 1. articulo 1. numero 2.* Vnde neſcio quare quidam Epiſcopi Theologus cum ipſo olim de hac opinione in praxi ſeruanda nimium ſcrupulis agitaretur: eſt enim hæc opinio ſatis probabilis, & ideo, me conſulente, ne timeant Epiſcopi illam in praxi deducere.

RESOL. XCVIII. *An liceat cuilibet Chriſtiano bona poſſeſſa à Turcis ſibi vſurpare?*

DE hoc caſu per epiſtolam in Aleppo datam ſub die vigeſimo ſexto Auguſti, milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo, interrogatus fui à Reuerendo Patre Ioanne Stephano de Sancta Thereſia Carmelita Diſcalceato, qui teſtatus eſt mihi ibi affirmatiuam ſententiam docuiſſe Patres Societatis IESV, & præcipuè inter illos Patrem Gaſparum Meniglier Gallum, & ex Patribus Minorum Obſeruantium, Patrem Antonium Veglia Neapolitanum, aſſerentes quòd quicquid poſſident Turcæ, ſunt bona Chriſtianorum tyrannicè vſurpata, & ideo omnis Chriſtianus tamquam membrum Eccleſiæ poteſt ea in Eccleſiam deferre. Probatur etiam hæc opinio ex authoritate Samuelis de Lublino ex inclyta Religione Diui Dominici *in ſumma, verb. ſeruus, n. 1.* vbi ſic ait. Quando ſeruus Chriſtianus iniuſtè detinetur à Turca, non ſolùm poteſt fugere, ſed etiam iure belli poteſt ſubripere quæcumque voluerit ex tacito ſui Principis conſenſu. Ita ille, qui citat Caietanum *in 2. 2. quæſtione 66. articulo 8.* & idem docet Victorellus *in Notis ad Emanuelem Sà, verb. ſeruus, numero 1.* & noſter Pater Naldus *in ſumma, eodem verbo, & numero.* Nec valet dicere, quòd iſti authores loquuntur tantùm de ſeruis. nam ratio in eorum fauorem adducta militat etiam in aliis Chriſtianis, quamuis ſerui non ſint. Etenim cùm Principibus Chriſtianis ſit ius aduersùs Turcas bellum gerendi, & proinde eos iure belli rebus ſuis ſpoliandi, quia, vt inter alios obſeruat Duuallius *in 2. 2. tractatu de Fide, quæſtione 7. articulo 10. concluſione 4.* Rebell. *parte 1. libro 1. quæſtione 12. num. 8.* Valaſcus *tom. 1. conſultat. 30. numero 8.* Couarruuias *in regul. peccatum, parte 2. §. 11. numero 6.* Chriſtianorum Prouincias occupauerunt, & occupant, ſequitur ex hoc poſſe omnes Chriſtianos ex tacito Principum conſenſu, & ex eorum interpretatiua licentia quæcumque voluerint è Turcis ſurripere. Et ideo Doctores citati non concedunt poſſe ſeruos ratione ſeruitiorum ſurripere æquiualentè à dominis, ſed quantum voluerint, & hoc non ſolùm ab ipſis, ſed etiam ab aliis. ergo hoc eis non concedunt ratione tantùm famulatus, ſed ratione taciti conſenſus Principum ſecularium, quam interpretatiuam licentiam adeſſe quoad omnes, etiam non ſeruos, dicendum eſt; quia vt dictum eſt, in eis militat eadem ratio, & quia quanto plures ſunt, qui à Turcis ſurripere poſſunt, tanto magis eorum vires debilitantur; Doctores verò exemplificant hoc tantùm in ſeruis, quia vt plurimum Chriſtiani in terris Turcarum commorantes ſunt mancipia, & ipſi magis commoditatem habent bona ſubripiendi, non ſequitur autem, quòd alij non poſſunt.

Verùm his non obſtantibus non deſinam hîc apponere ea, quæ in ſacra Congregatione de propaganda fide conſuluerunt aliqui Theologi die ſeptimo Aprilis, milleſimo ſexcenteſimo vigeſimonono, circa caſum ſimilem propoſitum à Patre Franciſco Longobardo Ordinis Minimorum Miſſionario in Africa, Tuneti nempe (teſte Laurentio de Peyrinis *in priuilegiis Minimorum, tom. 3. cap. 4. numero 29.*) Chriſtianis captiuis licere bona ſurripere non modò Principis Sarraceni ex tacita voluntate Principum fidelium, ſed adhuc dominorum particularium, ſub quorum violenta ſeruitute detinentur iure compenſationis pro iniuria captiuæ libertatis, pro debita laboribus mercede, pro lucro ceſſante & damno emergente in ſuis negotiationibus, & bonis ob abſentiam à patria. Quòd ſi fideles captiui à ſtipendiis militaribus Chriſtianorum Principum per Sarracenos in ſeruitutem iniuſtam redacti ſunt, eos quorumcumque infidelium indiſtinctè tuta conſcientia poſſe bona auferre

ferre ſub quacumque via, & induſtria ex interpretatiua eorumdem fidelium Principum voluntate. Ita illi Theologi. & cùm ſupradictus caſus propoſitus à Patre Longobardo denuo ab aliis Theologis diſcerneretur in Congregatione ſancti Officij die decimo tertio Auguſti, milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo, teſte etiam Peyrino *vbi ſuprà numero* 43. ſic reſolutum fuit. Qui captiui iniuſtè detinentur ab infidelibus, poſſunt à dominis particularibus accipere ſine iniuſtitia, vel aliqua eius ſpecie, quantum ſufficit ad congruam compenſationem, etiam pro ſufficientia redemptionis ab illis, vel alijs, qui ſunt partes Reipublicæ, ſiue Iudæi, ſiue Turcæ. Ex quibus apparet ſupradictos Theologos non tribuiſſe ſeruis Chriſtianis in terris Turcarum tam amplam licentiam, quam illis tribuunt Doctores citati *vbi ſuprà*. & ita etiam tenet Filliucius *tomo* 2. *tractatu* 22. *cap.* 5. *numero* 123. & ante illum Azorius *tomo* 1. *libro* 8. *cap.* 24. *quæſtione* 13. vbi docet fas eſſe Chriſtiano ſeruo apud Turcas, vel Saracenos capto auferre domino ſuo ea omnia, quæ ſunt neceſſaria ei ad fugam, & ad iter faciendum, quo reuertatur ad ſuos, eo quòd iniquè poſſideatur à domino, item quia vim patitur dum detinetur, item quia poteſt iure operas, quas præſtitit, compenſare alijs rebus. Ita ille.

Sed ego, vt verum fatear, non auderem de peccato mortali damnare eum, qui contrariam ſententiam ſequi vellet. Nam ſerui Chriſtiani apud Turcas, non ſolùm poſſunt ſibi applicare eorum bona, ratione laborum, famulatus, iniuriarum, lucri ceſſantis, damni emergentis, &c. ſed etiam ratione iuſti belli. nam Principes Chriſtiani ſunt domini rerum Turcarum, & cùm ipſi ſint hoſtes publici, & tyrannicè bona Chriſtianorum poſſideant, ſequitur poſſe Chriſtianos ex tacito Principum conſenſu bona illorum ſurripere. Et ita præter Doctores citatos hanc ſententiam tenet etiam ſapientiſſimus Molina *de Iuſtit. tom.* 1. *tract.* 2. *diſputat.* 37. *numer.* 1. vbi ſic ait. Cùm Turcarum, & Maurorum bellum aduersùs nos ex eorum parte ſit iniuſtum, fas eſt iis, qui apud illos captiui detinentur, in recompenſationem iniuriarum, & damnorum, quæ acceperunt, necnon obſequiorum, quæ illis exhibuerunt, & quia perpetuò noſtris cum illis bellum eſt, accipere non ſolùm ab eis, à quibus iniuria ſunt affecti, competentem compenſationem damnorum, & iniuriarum, ſed etiam tam ab illis, quàm ab alijs iure belli, atque ex præſumpta noſtrorum Principum voluntate accipere quæcumque voluerint. Ita Molina.

Confirmatur ſupradicta opinio ex auctoritate *l. non ſolùm, C. de rer. permutat.* vbi ſic habetur. Non ſolùm barbaris aurum minimè præbeatur, ſed etiam ſi apud eos inuentum fuerit, ſubtili auferatur ingenio. vbi gloſſa ait: Erant hi barbari hoſtes populi Romani; ſed hodie Turcæ, vt patet, ſunt hoſtes publici. ergo licitum erit per dictam legem bona eorum ſurripere. Et tandem Albertinus *in rubrica de hæret. in* 6. *quæſtion.* 8. *numer.* 4. aſſeruit ex his præceptum Decalogi ſeptimum, Non furtum facies, non habere locum in Chriſtianis ſurripientibus res ab infidelibus ex conſenſu Principum. Vnde hanc ſententiam puto probabilem eſſe; cum hac tamen limitatione, vt actio illa ſumendi bona Turcarum non ſit annexa cum aliquo ſcandalo, vel cum damno aliorum Chriſtianorum, vel mendacio, conſcientia erronea, vel fractione fidelitatis, ad quam tenentur, qui ſub fide regia ibi adſunt, aut negotiantur. Et aliqui putant etiam in his caſibus peccare quidem Chriſtianos bona Turcarum ſurripiendo, non tamen teneri ad reſtitutionem, quia primò reſtituendo præberent vires hoſtibus Eccleſiæ: ſecundò, quia in dictis caſibus ſi non quoad modum, quoad ſubſtantiam tamen præſumitur conſenſus, & licentia Principum Chriſtianorum. ergo non adeſt obligatio reſtitutionis, licet in modo peccetur; ſicut multi excuſant Regulares, qui furantur aliqua è Monaſterio, inuito tantùm Superiore quoad modum. Ita Mendoza *q.* 8. *poſt.* 7. *concl. & concl.* 8. Nauarr. *de reſt. lib.* 3. *cap.* 11. *dub.* 1. *nu.* 160. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 9. *numer.* 80. Rebellius *part.* 1. *lib.* 3. *quæſt.* 15. *numer.* 22. & alij communiter; ſed ego hanc ſententiam non approbarem in caſu, quo inter Chriſtianos, & Turcas adeſſet tempus treugæ, vel alicuius ſalui conductus: in his enim caſibus non poteſt præſumi conſenſus propriorum Principum, neque quoad ſubſtantiam, neque quoad modum. Et hæc lecta, probabilia etiam eſſe cenſuit Pater Franciſcus Bardi, ſanctæ Theologiæ Profeſſor in Collegio Panormitano, Societatis IESV, vir doctus, & mihi chariſſimus.

Notandum eſt etiam hîc pro confirmatione ſupradictorum ex ratio conſenſu Principum, poſſe Chriſtianos fraudare vectigalia à Turcis impoſita; quia ſicut tertæ illæ pertinent ad Principes Chriſtianos, ita & tributa, quæ ratione talis dominij exigunt; ſed hoc intelligendum cum limitationibus ſuperiùs appoſitis. Vide Sanchez *in opuſcul. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 5. *numer.* 3. 8. & 9. qui etiam alias adducit rationes, vnde non eſt audiendus Megala *in part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 17. *quæſ.* 6. *numer.* 85.

RESOL. XCIX. *An coniugati, quando delectantur morosè de aliquo obiecto libidinoſo, teneantur in confeſſione explicare circumſtantiam coniugij, videlicet ſe eſſe coniugatos?*

CAſus paſſim occurrit, & affirmatiuam ſententiam præter Bonacinam, tenet Alphonſus de Leone *de officio Confeſſoris, part.* 1. *recollect.* 13. *numer.* 54. Vaſquez *in part.* 2. *tom.* 1. *diſputat.* 112. *cap.* 2. *numer.* 10. & alij; & ratio eſt, quia in tali caſu coniugatus non ſolùm peccat peccato luxuriæ contra caſtitatem, ſed etiam peccato adulterij contra fidem matrimonij. nam fides matrimonij alicui præſtita obligat non ſolùm corpus, ſed etiam mentem, & deſiderium in aliud obiectum non collocare.

Verùm his non obſtantibus nouiſſimè negatiuam ſententiam docet Pater Gaſpar Hurtado *de ſubiecto peccatorum, diſputat.* 4. *difficultat.* 10. vbi ſic ait. Addit Vaſquez coniugatum, qui venereè delecta-

delectatur de fornicatione cum non sua, non tantùm peccare peccato luxuriæ contra castitatem, sed etiam peccato adulterij contra fidem matrimonij. Hoc tamen posterius difficile est, & nullo fundamento probatum; quia difficile est, & absque sufficienti fundamento in matrimonio præstari fidem coniugi, non collocandi mentem in aliam. Ita Hurtado contra Vasquez.

Est tamen obseruandum, quòd licet Vasquez affirmatiuę adhæreat opinioni, tandem in fine addit, non esse sibi admodum certam; ex quibus verbis colligitur etiam ex mente ipsius Vasquez sententiam negatiuam non carere sua probabilitate; videndus est etiam omnino Castrus Palaus penes me ipsum *in* 3. *part. tractatu* 6. *resolut.* 73. qui alias adducit rationes pro firmanda sententia Hurtadi.

Non desinam etiam hîc obiter adnotare eumdem Hurtado *loco citato*, *difficultat.* 9. docere delectationem de opere aliquo in eo sensu sumere malitiam ab illo, non quia ab eo accipiat malitiam in ipso repertam, sicut accipit affectus efficax; sed quia malitiam quam habet, quando est mala, sumit ex eo, quòd respiciat opus, seu obiectum hoc, aut illo modo, vel sub hoc, aut illo motiuo, sub quo opponitur virtuti; ac proinde quamuis delectatio sit de opere malo, si tamen illud non respiciat vt malum, ei vt sic se conformando, aut sub motiuo sub quo elicita non opponitur virtuti, non erit mala saltem moraliter. Vnde delectatio de occisione, quamuis iniusta, non est mortalis, quando est de illa, quatenus est honestè vtilis, siue occiso, siue ipsi, qui de ea delectatur; & etiam delectatio de esu carnium, quamuis prohibito, quando est de illo, vt est delectabilis gustui, ob rationem dictam; & ob eamdem delectatio patris de morte filij, quia eum non potest commodè sustentare, & è contra delectatio filij de morte patris, quia ei succedit in bonis; & delectatio Beneficiarij de morte sui pensionarij, quia liberatur à debito soluendi pensionem, non sunt mortales. Et idem est de desiderio simplici, quo prædicti desiderant prædictis mortem ob dicta motiua, & non ob odium, nec ob aliud motiuum mortale. Huc vsque Hurtado, quæ quidem sunt valdè notanda, & antea docuerat Castrus Palaus, quem ego citaui *vbi suprà in* 3 *parte*, *tractatu* 6. *resolut.* 84. quicquid etiam probabiliter in contrarium asserat Montesinus *in part.* 2. *tom.* 2. *disputat.* 7. *quæst.* 3. *per totam.* Ex quibus apparet malè aliquos contra me ipsum obmurmurasse; sed rectè Dominicus Bannez *in* 1 *parte*, *quæst.* 1. *artic.* 8. *dub. vlt. conclus.* 1. obseruat, quosdam omnia quę eorum iudicio non consonant, grauioribus censuris inurere; idque tanta facilitate, vt meritò irrideantur.

Nota etiam ex supradictis contra Sotum *in* 4. *distinct.* 12. *quæst.* 1. *articul.* 7. desiderium non efficax, sed simplex, seu inefficax, quo quis desiderat pollutionem, non ex affectu libidinis, sed ob sanitatem, aut ob aliam licitam vtilitatem, non esse mortale. Ita Paludanus *in* 4. *distinct.* 9. *quæst.* 3. *artic.* 1. & alij, quos citat, & sequitur Hurtado *difficult.* 14. Et à fortiori contra eumdem Sotum, Medinam, & Ledesmam, quos citat, & sequitur Zumel *in part.* 2 *quæst.* 74. *articul.* 8. *disputat.* 4. *dub.* 2. & 4. dicendum est non esse mortale delectationem de seminis effusione ob sanitatem, vel alium honestum finem. Sed Basilius Pontius *de matrim. lib.* 10. *cap.* 16. §. 2. *numer.* 12. putat, quòd gaudere de seminis effusione ob sanitatem, non est gaudere de pollutione, sed de bono sanitatis secuto. At de hoc dictum est alibi.

Sed ex dictis oritur pulchra quæstio, an si quis voueat castitatem in solo opere exteriori, peccaret in delectatione de aliquo opere venereo? & affirmatiuam sententiam docet Montesinus *in part.* 2. *tom.* 2. *disputat.* 7. *quæst.* 4. *numer.* 91. vbi sic ait. Si aliquis voueret castitatem solùm in opere externo, eo ipso esset peccatum sacrilegij, delectari, & consentire efficaciter in copulam, quia sicut, quando lege præcipitur actus exterior, ille fit obiectum virtutis; & quando prohibetur, fit obiectum vitij, ac per consequens delectari de isto est peccatum. Ita si quis voueat castitatem in opere externo, illud constituitur opus Religionis, atque delectari de opere contrario est contra Religionem. Ita Montesinus. Verùm contrariam sententiam docet Hurtado *vbi suprà*, *difficult.* 10. vbi firmat, quòd delectatio venerea de fornicatione ab habente votum absolutæ castitatis capta, præter malitiam luxuriæ contra castitatem, etiam habet malitiam sacrilegij contra votum; secus esset si non vouisset absolutè, & simpliciter seruare castitatem, sed tantùm non agere contra illam opere exteriori, quia tunc dicta delectatione non peccaret contra votum. Et huic sententiæ ego adhæreo.

TRA-

TRACTATVS DECIMVSQVARTVS.

MISCELLANEVS II.

RESOL. I. *An qui ad redimendam vexationem Electori dedit pretium, ne minus dignus eligatur ad beneficium sit simoniacus, & incidat in pœnas latas contra Simoniacos?*

QVOAD primum, affirmatiuè respondendum est, & ita docet Moscosus *in sum. tract. 15. c. 15. n. 6.* & Villalobos *in summ. tom. 2. tract. 37. difficult. 23. n. 3.* & alij. Sed difficultas est quoad secundum punctum; nam Sanchez *in opusc. tom. 1. lib. 2. c. 3. dub. 30. num. 6.* circa præsens dubium sic ait. Duobus petentibus vnum beneficium, & electore inclinante suam voluntatem ad indignum, vel ad minus dignum, esset simonia pretio redimere hanc vexationem, quia tantùm habet ius ad rem. Est tamen satis probabile simoniam in hoc casu non esse de iure diuino, sed humano, & potest probari ex his, quæ diximus *suprà dub. 26. num. 9.* Ita Sanchez, qui cùm asserat satis probabile esse hanc simoniam esse de iure humano, quod etiam docet Layman *in Theol. moral. lib. 5. tract. 10. cap. vlt. §. 2. num. 22.* sequitur ex alia sententia probabili, quam ego ipse docui *in 4. part. tract 4. resol. 155.* cum eodem Sanchez, & aliis, dictum simoniacum non subiacere pœnis simoniæ (vnde talis non est excommunicatus, nec ipso iure beneficio priuatus,) nec teneri fructus restituere. Etenim, vt dictum est, simonia realis & completa, solo tamen iure Ecclesiastico vetita, non subiacet restitutioni, & pœnis simoniæ, quicquid in contrarium teneat cum alijs à me *vbi suprà* citatis, Paulus Layman *in Theol. moral. lib. 5. tract. 10. c. vlt. §. 6. n. 66.* Lopez *in instr. Conf. part... c. 299. concl. 5.* & Sotus *de Iust. lib. 9. q. 5. ar. 2. ante resp. ad argumentum.* Sed simonia, de qua loquimur, secundùm Sanchez, & Layman non est de iure diuino, sed humano. ergo, &c. Non reticeam tamen Raphaelem de la Torre *in 2. 2. tom. 2. quæst. 100. art. 4. disp. 9.* docere hanc simoniam esse de iure diuino; sed sententia Sanchez est probabilis.

RESOL. II. *An quando aliquis non vi, vel fraude illata, sed solùm per subornationem, preces, & munera, quæ electoribus confert, impedit ne quis eligatur, possit ille pretio redimere hanc vexationem, etiamsi subornans sit vnus ex electoribus?*

NEgatiuam sententiam docet Sotus *de Iust. lib. 9. q. 6. art. 1. ad 5.* quem sequitur Moscosus *in sum. tract. 15. cap. 15. n. 4.* vbi sic ait. [Si estos impedimentos no se ponen con violencia, ni engaño, sino con ruegos, y subornos, aunque algunos autores dizen, que tanbien se puede redimir esta vexacion con dineros; Soto dize que no, y me contenta su opinion; porque este daño no es contra iusticia, sino contra caridad, y à semejantes ruegos, acudir se deue con otros, y no con dineros.] Sic ille.

Sed affirmatiuam sententiam probabiliorem esse existimo, quam ex Aragonio tuetur Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 37. difficult. 10. num. 3.* vbi sic asserit. [Quando vno impide à otro que consiga el beneficio, que justamente pide, no por fuerça y engaño, sino subornando por precio y ruegos, feria licito redimir aquella vexacion, dandole dineros para que desista del suborno, porque como aquel ambicioso puede dañar, y no aprouechar, el darle dineros no es comprar el beneficio, sino redimir la vexacion, y assi es licito.] Hæc ille. Et ita hanc sententiam nouissimè docet Sanchez *in opus. tom. 1. lib. 2. c. 3. dub. 30. n. 5.* vbi ita ait. Licet aliqui dicant licere redimere vexationem, quando aliquis vi illata impediret; secus quando impediret meam electionem per subornationem, & munera, quæ electoribus conferret, ne me eligerent, tunc enim non liceret pretio redimere vexationem. Alij verò hoc admittunt, quando impediens potest obesse, non tamen prodesse secundùm ius: si verò possit etiam prodesse, dicunt esse simoniam. At satis probabile est, non esse simoniam pretio redimere talem vexationem, licet impediens per subornationem possit etiam prodesse. Ita Sanchez. quod est valde notandum. Nam ex hoc sequitur me ad redimendam vexationem posse dare pecuniam non solùm tertiæ personæ, sed etiam vni ex electoribus, ne subornet alios, dummodo non dem, vt pro me suffragetur; licet hoc vltimum de electore, qui potest prodesse, neget Syluius *in 2. 2. q. 100. artic. 2. concl. 3.* Lessius *lib. 2. c. 35. dub. 17.* Malderus *in 2. 2. tract. 9. cap. 3. dub. 17.* & alij; sed sententia Sanchez est etiam probabilis.

Non desinam tamen hîc pro curiosis adnotare Gregorium de Valentia, insignem Theologum Societatis IESV, *in 2. 2. D. Thom. disp. 6. q. 16. punct. 3.* reiicere illam distinctionem, quam asserunt Doctores de vexatione ante ius acquisitum, vel post ius acquisitum. & existimat vtroque modo licere redimere vexationem in beneficijs, & alijs spiritualibus. Vnde docet, quòd in foro cõscientiæ nihil obstat, quominus possit vexatio redimi licitè, etiã ante ius acquisitum. Verùm hæc opinio refellitur à Raphaele de la Torre *in 2. 2. tom. 2. q. 100. art. 4. disp. 9.*

RESOL. III. *An si quis post collationem beneficij impediatur iniustè accipere possessionem, possit quis pecuniâ redimere hanc vexationem?*

ALiqui probabiliter negatiuè respondent. Ita glossa *in c. decimas, 2. 17. quæst. 7.* Abbas *in c. ad aures, de simon. num. 6.* & *ibi* Innocentius, & Felinus *in c. dilectus, num. 3.* cum alijs. quia possessio beneficij quid spirituale est. Sed meritò affirmatiuam sententiam docet Sanchez *in opus. tom. 1. l. 2. c. 3. dub. 30. num. 15.* quia tota spiritualitas possessionis beneficij est ratione tituli, in quo talis habet ius ad rem acquisitam

quiſitam per collationem. Et hanc ſententiam docet etiam Moſcoſus *in ſumma, tract.15.cap.15.num.5.* vbi ſic aſſerit. [Si deſpues que vn Beneficiado tiene colacion juridica de ſu beneficio, no le quiſieſſen dar ſu poſſeſſion, haziendole agrauio contra juſticia y razon, no es ſimonia redimir eſta vexacion, y alcançar la poſſeſſion de ſu beneficio con dineros.] Ita ille. Vide omnino Raphaelem de la Torre *in 2.2.tom.2.q.100.art.4.diſp.9.* qui validiſſimis rationibus affirmatiuam hanc ſentẽtiam confirmat. Vnde de hoc non eſt dubitandum.

RESOL. IV. *An ſi Reſponſor caſuum conſcientiæ recipiat pecuniam propter conſilium requiſitum à petente ad pacandam conſcientiam, & in illius foro ſit ſimoniacus?*

HIc caſus poteſt frequenter accidere, & affirmatiuam ſententiam docet Moſcoſus *in ſum. tract.15.cap.2.num.2.* vbi ſic aſſerit. [La Theologia perficiona el entendimiento con verdades ſobrenaturales, ſacadas de las entrañas de la diuina Eſcritura, importantiſſimas para ganar las almas al Cielo. Y aſſi quando vn Teologo es conſultado de algun caſo de conciencia por algun hombre afligido, que no ſabe que hazerſe para aſſegurar ſu alma, y conciencia, como cada paſſo acontece, atento que eſte conſejo eſpiritual guiado al bien ſobrenatural, no es precio eſtimable, es clara ſimonia lleuar dineros por el.] Ita ille. & ante illum Villalobos *in ſumm. tom.2. tract.37. difficult.8. num.2.* vbi ſic ait. [Todas las vezes que vno pide duda para ſaberla, o para ſeguir ſu juſtica en el fuero exterior, puede recebir precio por la tal reſolucion ſin pecado de ſimonia. Mas no ſi la pide para quietar ſu conciencia, y comunmente à los Teologos ſe les preguntan eſtas reſoluciones en orden al fuero de la conciencia, por la qual no pueden lleuar precio.] Hæc Villalobos. Et hanc ſententiam ex Thomiſtis docet Ledeſma *in ſumma, part. 2. tractat. 12. difficultat.2. poſt tertiam concluſionem*, & fusè Raphael de la Torre *in 2.2.D.Thomæ, tom.2.quæſt.100.art.2.3. & 5.diſput.5.* & ex Theologis Societatis IESV hoc etiam tenet Sanchez *in opuſc. tom.1.lib.2.cap.3.dub.5. 7. & 8.* Vide etiam Turrianum *in ſum.part.1.c.204. dub.5.num.3.* & Malderum *in 2.2.Diui Thomæ, tract.9. cap.3.dub.8.*

Sed his non obſtantibus docet Suarez *de Religione, tom.1.lib.4.cap.18.num.19.* tale conſilium ſi ſiſtat in pura inſtructione intellectus, non eſſe materiam ſimoniæ, etiam ſi ab interrogante petatur ad pacandam conſcientiam ſuam, vel ad dirigendam illam; ſecùs verò ſi fiat per modum exhortationis, ita vt æquiualeat veluti priuatæ concioni. nam tunc eadem ratio de illo, quæ de concione, de qua ſtatim, quia eadem ratio eſt publicæ, vel priuatæ concionis; ſicuti eadem ratio eſt de concione, quam tres audiunt, vel quæ coram copioſo populo fit. Ita Suarez. Sed Reſponſores caſuum conſcientiæ ferè ſemper, vt patet, præbent conſilium pro inſtructione intellectus, & non ita vt illa inſtructio æquiualeat priuatæ concioni. ergo, &c. Rationes verò, quas pro hac firmanda ſententia adducit Suarez, videbis penes illum. Vnde puto hanc ſententiam eſſe probabilem, quam præter Suarez tenet etiam Paulus Layman *in Theolog. moral.lib.5.tractat.10.cap.vlt.§.4.num.32. in fine*, vbi ſic ait. Pro reſponſo, ſeu conſilio morali merces accipi poteſt, quia per ſe, ac directè doctoralis aliqua inſtructio eſt, licet per accidens, & conſequenter inſeruiat ad pacandam conſcientiam. Ita ille. Et tandem hanc etiam opinionem docet Filliucius *tom.3.tractat.45.cap.4.numer.31.* quibus ego libenter adhæreo.

RESOL. V. *An Sacerdos, qui poſt confeſſionem recordatur in Altari de aliquo peccato oblito, teneatur de illo conteri ante ſumptionem communionis?*

NEgatiuam ſententiam docui *in part.1.tract.14. de celebratione Miſſarum, reſol.48.* pro qua auctorem in terminis illam tenentem non adduxi; nunc verò ad tollendos omnes ſcrupulos illum adducam, & is eſt Iacobus Granado *in 3. part. D.Thomæ, controuerſ.6. tract.10. diſputat.7. num.14.* & Ioannes Præpoſitus *in 3.part. quæſt.80.art.5.dub.3.num.15.* vbi ſic ait. Aduerte, quod dictum eſt de contritione elicienda, intelligi de eo, qui poſtquam peccauit non eſt confeſſus. nam ſi aliquis ſit legitimè confeſſus, qui in confeſſione ex obliuione, vel iuſta de cauſa aliquod peccatum non explicuit, non tenetur elicere contritionem de illo peccato, quo caſu poteſt communicare antequam præmittat confeſſionem illius peccati, quia per præcedentem confeſſionem & abſolutionem illius peccati remiſſionem eſt conſecutus, quamuis indirectè ſit in ſtatu gratiæ. Vnde ex eo capite non tenetur conteri, nec poteſt aſſignari aliud caput, ex quo obligetur eo caſu ad eliciendam contritionem. Ita ille. Sed hanc ſententiam tunc ego admitto, quando talis non poſſet confiteri: vt ſi, verbi gratia, dicat Miſſam, & recordetur peccati oblivi, tunc enim non tenetur elicere actum contritionis, vt diximus *loco citato*; ſecus autem ſi de peccato oblito in præterita confeſſione recordetur in tempore, quo ſine ſcandalo poſſit de illo confiteri ante communionem. nam tunc tenetur præmittere confeſſionem de illo peccato, licet per aliam confeſſionem indirectè abſoluto, & de illo atteri, ſeu conteri, in poſteriori hac confeſſione. Et ratio eſt, quia præceptum præmittendæ confeſſionis, quando eſt conſcientia peccati mortalis, amplè eſt accipiendum in gratiam huius Sacramenti, quæ ei debetur, præſertim quòd quodammodo grauat conſcientiam peccatum illud, quamdiu eſt obligatio illud confitendi. Vnde ex his patet reprobandam eſſe ſententiam Petri Cornejo *tom.2.in 3.p.D.Thomæ, tr.4.q.80. diſp. vnic.dub.3.n.3.* vbi tamquam probabile admittebat, quòd qui per obliuionem omiſit aliquod peccatũ in confeſſione, & poſtea de illo recordatus fuerit, non teneri illud confiteri, antequam iterum celebret, ſed in tempore, quo præceptum affirmatiuum cõfeſſionis obligat per ſe ſemel in anno, quia ideo præcipitur confeſſio ante communionem quando eſt conſcientia peccati mortalis, quia probatio requiſita ab Apoſtolo non debet relinqui iudicio proprio, ſed Cõfeſſoris; at iſte, de quo loquimur, eſt in gratia iudicio Confeſſoris. ergo non eſt

præcepta

præcepta ei noua confessio. Verùm hæc opinio in nostra Inquisitione Hispanica fuit per edictum particulare delera,licet alioquin memoria eius auctoris sit omni laude dignissima, cũ fuerit vir doctiss.inter Theologos Salmaticenses sui temporis.

Resol. VI. *An Sacerdos quando confessus est, & post celebrationem recordatur alicuius peccati oblitus in dicta confessione, teneatur quamprimum illud confiteri, vt adimpleat præceptũ Concilij Tridentini* sess.13. can.7.

Affirmatiuam sententiam docet Præpositus *in* 3.p.D.Thom.quæst.80.art.5.dub.4. nu. 21. Sed ego contrariũ probabiliter existimo cum Petro Cornejo *tom.2.in 3.part.tract.4.disp.vnic.quæst.* 80. *dub.3. nu.3.*vbi sic ait. Quæres an hoc præceptum quamprimum confitendi obliget non solùm quando non fuit præmissa confessio, sed etiam quando qui præmisit confessionem, oblitus fuit alicuius peccati mortalis, cuius post celebrationem recordatus est. Respondeo negatiuè, & ratio est, quia Concilium id præcipit, quando non fuit præmissa confessio,sed etiam quando qui præmisit confessionẽ, oblitus fuit alicuius peccati mortalis, cuius post celebrationem recordatus est. Respondeo negatiuè, & ratio est, quia Concilium id præcipit quando non fuit præmissa confessio.Ita ille.

Notandum est etiam hîc ad tollendos scrupulos cum Hurtado *disp.9. de Euchar.diffic.7.* & alijs, quòd dictum præceptum Concilij tantùm fuit latũ pro celebrantibus,qui conscij mortalis, & non habentes copiam Confessarij, & vrgente necessitate celebrarunt absque præuia confessione, ideo qui celebrauit absque conscientia mortalis,quamuis post celebrationem recordetur mortalis ante celebrationem commissi, non tenetur eo præcepto, neque qui celebrauit conscius mortalis, si erat copia Confessarij, aut si non vrgebat necessitas celebrandi.

Notandum est etiam hîc obiter quòd si quis in scamno communicantium recordetur mortalis,posse absque præuia confessione communicare,secundùm Henriquez,vt alibi dictum est,etiam secluſa nota,& scandalo, in quo videtur excedere. Sed Præpositus *vbi suprà num.* 19.quia communiter potest subesse periculum infamię,putat in tali casu communicaturos posse sine scrupulo manere nec expedire vt instituant confessionem ministraturo Eucharistiam.

Resol. VII. *An dominus licitè possit imponere seruo infideli,vt opera seruilia diebus festiuis exerceat?*

Casus potest in praxi frequenter accidere,& illud determinare noluit Sanchez *in summ. tom.* 1.*lib.*1.*cap.*12.*n.* 18.Sed negatiuam sententiam docet Anton.Fernandez Societatis Iesv,*in instruct.confess. part.*3.*mandamien.*3.*n.*16.vbi sic ait.] Hazer que trabaje mi esclauo Moro,no es licito,porque ninguna bestia puedo lleuar cargada, y el esclauo el por si no està obligado à no trabajar, pero en orden à mi no ha de trabajar mandandoselo yo.]Sic ille.

Verûm ego dominum sic facientem de peccato mortali non auderem damnare, quia abstinentia ob operibus seruilibus in diebus festiuis est præceptum Ecclesiasticum, vt patet. Sed infideles, vt notat Granado *in* 1.2.*contr.*7.*tract.*3.*p.*1 *disp.* 6. *n.*40. & alij communiter,non tenentur legibus Ecclesiasticis. ergo dominus seruum infidelem laborare in die festo facientem non peccabit, quia seruus non peccat. Et ideo Paulus Layman *in Theol. mor. lib.* 1. *tr.*4.*c.*5.*n.*3.docet,perpetuò amentibus fas esse opera seruilia diebus festiuis imponere, quod idem concederet quoad infideles, est enim in vtrisque par ratio, cùm sint à legibus Ecclesiasticis soluti; vnde ego ipse *in* 1.*p. tract.* 9. *de ieiunio,resol* 42. cum Sancio,Sanchez,Azorio,& Suar.docui Paganis,& perpetuò amentibus fas esse ministrare carnes diebus ieiunij,quia nulla lege Ecclesiastica obligantur.

Resol. VIII. *An qui in principio non acceptant legem,peccent mortaliter?*

Affirmatiuam sententiam docet Ioannes Wigers *in*.1.2.*D.Thom q.*96.*art.*4 *num.* 99. Suar.*de legib.lib.*3.*c.*19.*n.*10. Merolla *tom.*2.*disp.*4.*ca.*3.*dub.*20. *n.*196.Granado *in* 1.2.*contr.*7.*tract.*3.*p* 1. *disp.*7. *n.*6.& 7.Malderus *in* 1. 2. *q.* 90. *art.*3.*dub* 2. *dico* 4. Castrus Palaus *tom.*1.*tract.*3.*disp.*1. *punct.*14. *nu.*11. Gordonus *tom.*1.*lib.*2.*q.*9.*c* 8.*n.*30 Becanus *in* 1.2.*tract.*3 *c.*6.*q.*8. *n.*5.& Villalobos *in sum.tom.*1.*tract.*2.*diffic.*16.*num.*5. vbi sic ait. [Los que al principio quebrantan la ley, y no la guardan sin causa razonable pecan, y no veo quien diga lo contrario, ni me parece que se pueda tener en ninguna manera, que seria esso quitar la autoridad al Legislador.]Sic ille.

Sed contrariam sententiam negatiuam ego tenui *in* 1.*p. tract.* 10. *resol.* 2. editionis Panormit.cum Megala,& Bonac. cui nunc addo insignem Theologum Complutensem Ludou. Montesinum *in* 1. 2.*tom.*2.*tr.de legib.disp.*23.*q.*80.*nu.*137. vbi sic asserit. Sed quæres, peccántne qui in principio legem nõ recipiunt,vel qui in casu dubij non recipiunt illam vt obligatoriam in conscientia? Respondetur non peccare, dummodo parati sint animo obedire, & recipere vt obligatoriam, si Legislator aliter tolerare noluerit, & dummodo ex tali non receptione non sequatur contemptus, aut vilipendium sanctionum,vel legum.Hæc Montesinus.Sed tu ne discedas à prima sententia affirmatiua, quam postea ego docui in editione Lugdunensi *vbi suprà.*

Resol. IX. *An consuetudo eligendi per sortes Sanctos tutelares sit licita?*

Casus est quotidianus, & à paucis,quos sciam, pertractatus,cuius resolutio non est ita facilis, vt aliqui prima fronte forsitan diiudicabunt; nam pars negatiua suadetur primò ex Concilio Aurelianensi,vel,quod verius est, Antisiodorensi, refertur *26.quæst.*5.*can. Aliquanti,*vbi damnantur sortes, quas Sanctorum vocant, & multo antè à Gelasio Papa *dist.*15.*can. S.R.Ecclesia*, reiectus est quidam liber qui dicebatur *Sortes Apostolorum.*

Sed ex inclyro Ordine Dominicanorum Mag. Raphael de la Torre *in* 2.2.*D.Thom. q.*95.*art.*8.*disp.* 3. *dub.*3. pro vera resolutione huius dubij ponit duo dicta; sic enim ait. Pro decisione dico primò,

hæc ſortitio Sanctorum tutelariũ ſecundùm quod exercetur communiter, id eſt, ſecundùm exiſtimationem communem ſortientium, meo iudicio nõ eſt licita. Explicatur aſſertio. Mittuntur ſortes in vrnam inſcriptæ nominibus aliquorum Sanctorũ, & deducitur ex aceruo pro vnoquoque ſortientium vna ſors, & ſinguli accipiunt in tutelarem eum Diuum, qui ſibi ſorte contigit, ac ſi Deus eum ſibi deſignaſſet in patronum, quem conſulit colere. Et hanc ſortitionem omnes venerantur, vt à Deo conſulente, quod ſibi commodius, & vtilius eſt, & paulò minus oraculo prophetico, aut voce de cælo allata aſpiciunt. Has ſortes ſic celebratas non approbo, quia neglectis mediis prudentialibus eligendi Sanctos tutelares ad ſortes ſine neceſſitate recurritur, quòd crimine tentationis diuinæ non caret, vt ait D. Thom. *in art. de omnibus ſortibus conſultoriis.* Certè aliter deberet fieri ſortitio Sanctorum, puta attendendo ad calamitates, & ærumnas, quas quiuis patitur, & in quibus opitulandis Sancti præ cæteris excelluerunt. v, g. patitur quis dolorem capitis, ad D. Ioannem Euangeliſtam Aduocatum recurrit. Cupit quis in officio Concionatoris ſe exercere, eligit in patronum D. Paulum, aut Chryſoſtomum. Cæterùm huiuſmodi ſortientes his mediis relictis ad ſortes recurrunt, vbi modo extraordinario, & improportionato à Deo expectant congruentem adiutorem deſignari, cùm tamen per ſortes eum eſſe deſignandum Deus non promiſerit, neque aliàs certum ſit deſignaturum. Hæc aſſertio probatur argumentis factis pro parte negatiua.

Secundò dico, non auſim improbare præfatam conſuetudinem, ſi dumtaxat intra limites ſortium diuiſoriarum contineatur. Explicatur aſſertio. Deſiderant viri, ac feminæ pię Chorum Apoſtolicum colere, vel omnes Diuos, quotquot illo, aut alio menſe obierunt, aut quid ſimile; mittuntur ſortes, non quidẽ expectantes à Deo, quis ſit maioris meriti, quiſve Sanctus congruentior Patronus, & huiuſmodi, quæ ad conſultationẽ pertinẽt, ſed cupientes ſine iurgiis fieri diuiſionem committunt ſe fortunæ. Aſſero igitur ſi hoc modo ſortes Sanctorum tutelarium fiant, licitum eſſe. Probatur aſſertio argumentis factis pro parte affirmatiua. Et hæc omnia docet Raphael de la Torre *loco citato.*

RESOL. X. *An qui tota nocte dormiuit cum muliere, teneatur in confeſsione explicare hanc circumſtantiam: vel ſufficiat confiteri numerum copularum?*

NOn ſufficere numerum copularum exprimere ex Nauarro docet Alphonſus de Vega *in ſpec. Paroch. tom.* 1. c. 11. §. 26. *nn.* 168. vbi ſic ait. [Aduierte Nauarro que puede auer tãto deſordẽ, y tanta torpeza en eſtas obras, que ſea neceſſario declararlo en la confeſſion, por ſer circunſtancia agrauante, Pone el exemplo en vn hombre, que no tuuo parte con vna muger mas que vna vez, empero eſtuoſe toda vna noche con ella, exercitandoſe en mil deshoneſtidades, en tal caſo no declara ſuficientemente ſu pecado, diziendo que cometio vna fornicacion; porque eſto no es neceſſariamente aceſſorio à la obra de fornicacion; y aſſi particulariſſimente ſe ha de declarar en la confeſſion.]

Sed ego pro contraria ſententia *in 1. p. tract. 7. reſol.* 39. adduxi Zerolam, cui nunc addo Sancium *in ſelectis, diſp.* 21. *n.* 13. Bartholomæum à Sancto Fauſto *in Theolog. mor. de ſacr. Pœnit. tom.* 1. *lib.* 4. *q.* 81. vbi ſic aſſerit. Quartò infertur eum, qui rem habuit cum muliere tota nocte, non teneri exprimere hanc grauitatem, quæ non mutat ſpeciem, ſufficit enim confiteri numerum copularum. Sic ille. Et re vera ſi hæc deformitas eſt tantùm circumſtantia aggrauans, vt ipſemet Vega in verbis ſuprà citatis confitetur, probabilem puto hanc ſententiam; nam probabiliter aſſerunt Doctores, quos ego *in dict. tract. reſol.* 1. ad ſatietatem adduxi, circumſtantias aggrauantes non eſſe neceſſariò in confeſſione explicandas. Sed Sanchez *vbi ſuprà* putat hanc circumſtantiam neque eſſe ex aggrauantibus.

RESOL. XI. *An Generales, & Definitores teneantur eligere dignìores ad Prælaturas regulares?*

ALibi pro affirmatiua ſententia adduxi Nauarram, Rebellium, Portel, Turrianum, & alios, quibus nunc addo Vaſquez *in opuſcul. de benefic. c.* 2. §. 3 *dub.* 2. *num.* 72. Sotum *de Iuſt. lib.* 3. *quæſt.* 6. *art.* 2. Peyrinum *tom.* 1. *de Religioſo ſubdito, quæſt.* 1. *c.* 31. §. 4. *verb. ex quo ſequitur.* Sanchez *in opuſc. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 2. *n.* 28. Salonium *in* 2. 2. *quæſt.* 63. *art.* 2. *contr.* 7. & Villalobos *in ſumm. tom.* 2. *tract* 8. *diffic.* 3. *numer.* 6. vbi ſic ait. [Los Prelados Eccleſiaſticos tienen obligacion de elegir los mas dignos por los oficios de gubierno, como es Prouiſor fiſcal, &c. Mas para otros oficios menores baſta que ſea digno, como haga lo que le manden, y ſea prouido, y fiel. Y lo miſmo hemos de dezir de los Religioſos, que ſe proueen los oficios de la Religion, como ſon Prouinciales, Difinidor, Prior, Guardian, Lector, y otros ſemejantes tienen obligacion à mirar al bien comun, eligiendo al mas digno; y ſi no lo hazen, pecan mortalmente, y ſon aceptatores de perſonas. Otros oficios ay ad nutum, que pueden quitarlos, y ponerlos cada, y quando que quiſieren, como de Vicario, y Superior, y eſtos antes ſon coadjutores de los Prelados, que oficios, o beneficios eſpirituales; y aſſi puede el Prelado eſcoger el que quiſiere, como no ſea hombre canſado, y penoſo à la comunidad.] Ita ille,

Sed his non obſtantibus non deſinam hîc adnotare contrariam ſententiam docere Caſtrũ Palaum *tom.* 2. *tr.* 13. *diſp.* 2. *punct.* 11. §. 2. *nu.* 14. Nam ſpectato iure communi, & ſeclusis ſpecialibus Religionum conſtitutionibus, non apparet firmum argumentum huius obligationis. Nom eſto eadem ratio procederet in Prælatura Religionis, ac in beneficiis curatis, ſeu Prælaturis Eccleſiæ ſecularis, non inde infertur naſci eamdem obligationem, ſi præceptum ad electiones regulares extenſum non eſt, quia lex ob ſimilitudinem rationis extendi non debet ad caſum ſub lege non comprehenſum. Præterea, quia non eſt eadem ratio in Prælatura Religionis, quæ facilè amouetur, & temporaria eſt, quàm in Prælatura Eccleſiæ perpetua, & difficulter amouibili. Adde in electione beneficiorum

ficiorum hoc præceptum haberi ex traditione, vt ſupponere videtur Trid. *ſeſſ.24. c.1. & 18.* quod tamen non ſupponitur de Prælaturis Religioſorum. Hæc Caſtrus Palaus. Sed hæc opinio mihi non placet, quia eſt contra communem, & ratione iuſtitiæ diſtributiuæ tenentur Electores ſemper eligere digniores, & electio Prælatorum Regulariũ eſt res maximi momenti, & Superior Regularis eligitur ad Prælaturam, quæ habet curam animarum Religioſorum.

RESOL. XII. *An habentes Bullam Cruciatæ poſſint in collatione veſpertina ieiunij ſumere aliquid caſei, vel lactis, vulgò* caſcauallo, *ſeu* tomazzo?

AFfirmatiuam ſententiam docet Turrianus *in ſum.p.1.cap.256.dub.37.concl.2.* vbi ſic ait. Sumi etiam poteſt in refectiuncula aliquid caſei, vel lactis ab his, qui poſſunt veſci lacticiniis. Ita ille.

Sed negatiuam ſententiam tenet Sanchez *in opuſc to.1.lib.5.c.1.dub.25.n.4.* vbi ſic aſſerit. Collatio non poteſt fieri cum caſeo, lacte, cremore amigdalino, & triticeo, id eſt, *Almendrada, y Almidon.* Hæc Sanchez. Et revera ſi Turrian. *loco citato concl.3. & 5.* docet collationem ſerotinam non poſſe fieri cum piſcibus, neque cum piſciculis paruis, vel ouis, neſcio quare aſſerat poſſe fieri cum caſeo, niſi velis dicere, in ſui fauorẽ DD. communiter aſſerere bellaria, quæ ſumuntur ante, & poſt cœnam, licitè ſumi in refectiuncula ſerotina, ſed caſeum ponendum videtur inter bellaria, quę ſumuntur poſt cœnam. ergo, &c. Et ita ſententiam Turriani videtur etiam docere Boſſius *de triplici Iubil. ſect.4. cap.18.n.* 132. vbi ſic ait. Non negarem etiam in Quadrageſima, vbi quis eſſet diſpenſatus quoad lacticinia, poſſe vnã cum pane adhibere parum caſei in collatione, quia cernimus communiter caſeum in ientaculis apponi. Ita ille. Licet ſubdat tutius eſſe abſtinere, idque conſulendum.

Notandum eſt etiam hîc obiter in vigilia Natiuitatis poſſe ſumi collatiunculam duplo maiorẽ ſolito, ita ego alibi, & nouiſſimè Turrian. *vbi ſuprà dub.38. concl.3.* Imò Sanchez ex doctis iunioribus *loco citato dub.26.nu.1.* putat dictam collatiunculam in tali die ſumi poſſe triplo maiorem, quàm in aliis diebus, & teſtatur de vſu timoratorum etiam Religioſorũ, qui extendit hoc, etiamſi Natiuitas Domini accidat feria ſecunda, & ſic Vigilia ſit in Sabbato, & licet in illo Sabbato occurrat ſimul ieiunium quatuor temporum, quia adhuc illa vigilia eſt vigilia Natiuitatis, & id quod dignius eſt trahit ad ſe minus dignum, & teſtatur Sanchez ſic determinaſſe multos viros doctos, re latè diſputata. Sed hanc opinionem aduersûs Sanchez reprobat nouiſſimè Boſſius *tract.de Iubileo ſect.4.caſ.18.n.156.* Verùm opinionem Sanchez ſequitur alter Sauchez, Ioannes videlicet, *in ſelectis diſp.52.n.10.* & Turrian. *vbi ſuprà dub.38. concl.4.* aſſerens quòd quando dies Natiuitatis eſt feria ſecunda, & vigilia Sabbato antecedenti, licita eſt quantitas ex vſu.

Notandum etiam quòd qui poteſt veſci carnibus in die ieiunij, & propter deuotionẽ vult aliquo die veſci lacticiniis, vel ouis, non tenetur ieiunare. Ita Turrianus *loco citato dub.35.concl.6.*

RESOL. XIII. *Quidam Religioſus in hoc Regno Siciliæ comedit lacticinia in quadam vigilia, quæſiuit à me, an peccauerit mortaliter?*

SVppono quòd in eſu lacticiniorum circa feriã ſextam, Sabbatum, vigilias Sanctorum, & quatuor temporum ſeruanda eſt conſuetudo Prouinciæ. ideo pro reſolutione præſentis dubij videndum eſt, an in Sicilia ſit conſuetudo dictis diebus abſtinere à lacticiniis? & videtur negatiuè reſpondendum, per ea, quæ adduxi *in 1.par. tract. de ieiunio, reſol.5. & 41.* cum Vaſquez, Villalobos, Sancio, & aliis, quibus nunc addo Trullench. *in expoſitione Bullæ Cruciatæ lib.1.§.4.dub.3.num.9.* Sanchez *in opuſc. tom.2.lib.5.c.1.dub.21. num.2.* quia vt conſuetudo habeat vim legis, debet eſſe inducta à maiori parte populi; ſed conſuetudo in Sicilia non eſt huiuſmodi, cùm maior populi pars ſumat Bullam Cruciatæ, quibus id licet, & qui Bullam non habent, ſunt pauci, & pauperiores. ergo non potuit maior pars populi inducere hanc conſuetudinem. Deinde cõſuetudo vt obliget, debet eſſe introducta cum intentione obligandi, & vt ſit præceptiua, & adhuc tunc non ſemper obligat ad mortale, ſed quando inducta eſt ea intentione vt obliget ad mortale, vt notat Monteſinus *in 1.2.tom.2.tract de legibus, diſp.23. q.13.n.222.* Tannerus *tom.2.diſp.5.quæſt.7. dub.1. n.19.* Henriquez *lib.7.cap.13. num. 9.* Boſſius *vbi infrà*, & alij. Sed hæc conſuetudo non eſt inducta animo ſe obligandi, ſed ex ignorantia, qua ignorantes credebant edere lacticinia in illis diebus eſſe prohibitum. ergo, &c. Et tandem cùm ſaltem hæc res ſit dubia, melior eſt conditio poſſidentis, libertatem ſcilicet, non adeſſe talem obligationem. Et hanc opinionem mordicus tenet pro Regnis Hiſpaniarum Sanchez, Vaſquez & alij *vbi ſuprà*, quod etiam procedit in Regno Sicilię, cùm in his omnibus ſumatur Bulla Cruciatæ. Vnde non debebat abſolutè aſſere Ludouicus à Cruz *in Bulla Cruc. diſp.1. c.5. dub.12.n.17.* lacticinia eſſe prohibita extra Quadrageſimam ex conſuetudine. Vide me ipſum *locis citatis.*

Verùm dato, & non conceſſo, quòd adeſſet cõſuetudo in Regno Siciliæ abſtinendi à lacticiniis in dictis diebus, adhuc puto Religioſum, de quo loquimur, non peccaſſe mortaliter edendo illa, quia, vt doctè obſeruat Sanchez *loco citato*, & nouiſſimè Boſſius *de triplici Iubileo ſect.4.caſ.18.num.32.* Religioſi non tenentur ſeruare conſuetudines particulares ſecularium etiam Clericorum, nec Clerici aliorum ſecularium particulares conſuetudines, ſicut nec ſeculares laici conſuetudines particulares Clericorum, nec Clerici Religioſorum. nam cùm ſint diuerſi ſtatus, ſunt diuerſæ conſuetudines, & abſtinentiæ in illis. Vnde doctrina prædicta quòd Religioſi extra Quadrageſimam poſſint edere oua & lacticinia in vigiliis, & quatuor temporibus, eſt certior in Religioſis, ob rationem dictam, quia eſto eſſet de hoc in Regno Siciliæ conſuetudo, nõ eſt generalis totius Eccleſiæ, ſed particularis, quæ, vt dictum eſt, non obligat Religioſos. Ita Sanchez. Ex quo infert, dato, & non conceſſo, quòd in Hiſpania adeſſet conſuetudo abſtinendi à lacticiniis

poſſe hoc non obſtante Patres Societatis IESV illa edere ſupradictis diebus, ex ratione adducta; ſed an idem dicendum ſit de Clericis, nempe non teneri ſeruare conſuetudinem laicorum in ieiuniis, affirmatiuè reſpondet Sanchez, vt apparet in verbis ſupracitatis, cui fauet Salas *de legibus diſp.19.ſect.15.n.105.* & Paludanus *in 4.diſt.15.quæſt.4.art.3.* Verũ contrarium docet Suarez *de legibus,lib.7.c.17. n.12.* & Caſtrus Palaus *tom.1.tract.13.diſp.3.punct.3.n.6.*

Nota ex ſupradictis non bene dixiſſe Couarruuiam *lib.4.var.cap.20.nu.15.* & Gomez *in Bulla Cruc. clauſ.7.num. 3.* & alij, in ieiuniis extra Quadrageſimam iure interdictum eſſe eſum lacticiniorũ.nam lacticinia de iure prohibentur tantùm in Quadrageſima,vt fert communis opinio,& omnium Magiſter S.Doctor *in 2.2.quæſt.147.art.8.in fine,& in 4. diſt.15.quæſt.5.art.4.q.2.ad 4.* & ego alibi.Vnde contra Beiam *part.1. caſ. 45.* dicendum eſt in terris Indiarum de nouo repertis in diebus extra Quadrageſimam poſſe edi oua,& lacticinia.

Notandum eſt etiam hîc obiter iter agentes poſſe ſine Bulla lacticinia edere,quando non inueniuntur in itinere piſces, quos emant.Ita Sanchez *vbi ſuprà dub.19.num.6.* quod puto intelligendum ſi non poſſunt commodè habere aliud, quod comedant.Verùm aduerte, quòd licet itinerantes inueniant panem, & pomorum fructus, & olera, non tenentur ieiunare, quia hæc regulariter non ſunt ſufficiens prandium. Ita Sanchez *dub. 15.num. 3.* & docti iuniores.

Et tandem nota poſſe Sacerdotes etiam regulares diebus Dominicis Quadrageſimæ virtute Bullæ Cruciatæ edere oua,& lacticinia.Ita probabiliter ego *in p.1.tract.de ieiunio,reſol.5.* cum multis DD. quibus nunc addo Ludouicum à Cruz *in Bulla Cruc.diſp.1.cap.5.dub.18. n.5.* Cordubam *in ſum.quæſt. 68.*Palacium *in 4.diſt.15.dict.8 fol.127.*& Trullench. *in Bulla Cruc.lib.1. §.4.dub.7. num.2.* Imò ſine Bulla hoc omnibus eſſe licitum, tenet Gomez *in Bulla Cruc.clauſ.7.num.7. &* 8.Llamas *in ſum.3. part. cap.5. §.26.* quam ſententiam non eſſe omnino improbabilem putauit Trullench.*vbi ſuprà n.1.* Sed contra hanc opinionem vide Villalobos *in ſum.tom.1.tract. 23.diffic.8.n.1.* & Sancium *in ſelectis,diſp.51.n.25.*

RESOL. XIV. *An licitum ſit in collatione ſerotina ieiunij ſumere legumina cocta in quantitate licita, v.g.vnciarum octo?*

AFfirmatiuè reſpondet Boſſius *tract. de Iubileo, ſect.4.p.18.nu.128.* vbi ſic ait. Etiamſi non ſubſit cauſa,vt puta infirmitas ſtomachi,cenſeo in collatiuncula licitum eſſe edere iuſculum ex aqua,ſeu vino, pane, & herbis, aut leguminibus, nullo alio præter ſalem,& parum olei adhibito condimento, & ſeruata debita quantitate, ſcilicet ea quantitate panis, aut herbarum, aut leguminum, quam ſeorſim licet ſumere,quia cùm panis ſolùm cum aqua decoquitur,parum immutatur,& ſic etiam herbæ, & legumina.Ita ille.

Sed contrariam ſententiam docet Villalobos *in ſum.tom.1.tract.23.diffic.7. num.3.* vbi ita aſſerit. [No ſe puede hazer colacion con peſcado,o hueuos, ni tanpoco con legunbres,como dize Azorio *part.1. lib.7.cap.8.q.8.* lo qual entiendo yo, quando fueſſe garbanzos toſtados, o fabas crudas, ſera materia de colacion.] Sic ille. & præter illum & Azorium docet etiam hanc ſententiam Layman *in Theolog. moral.l.4.n.185.*Filliucius *tom.2.tr.27.p.2.c.2. dub.6. n.30.*& alij cõmuniter. Et ratio eſt manifeſta,quia in refectiuncula veſpertina ſolùm edi poſſunt quæ ante,vel poſt prandium,aut cœnam ſumi ſolent,nõ autem cibi,qui valent potiſſimùm ad nutriendum, qualia ſunt piſces & legumina. Adde quòd collatiuncula veſpertina licita eſt ex conſuetudine; ſed conſuetudo non introduxit, vt in ea ſumantur legumina cocta,vt patet. ergo, &c. Vnde ſi Boſſius *loco citato n.130.* meritò negauit piſces poſſe ſumi in collatiuncula ieiuniorum, neſcio quomodo poſſit concedere legumina eſſe licita. nam, vt tradunt Doctores citati, etiam legumina ad nutriendum potiſſimum valent.

RESOL. XV. *An Superiores Regulares, qui non legunt decreta Vrbani VIII. de celebratione Miſſarum temporibus ſtatutis,ſed poſt aliquos dies,incidant in pœnas?*

IN dictis decretis ſtatuitur quòd ſub pœna priuationis vocis actiuę & paſſiuæ,Superiores locales teneantur illa legere in publico refectorio bis in anno ſcilicet feria ſecunda poſt 1. Dominicam Aduentus,& fer.6. poſt Octauam Corporis Chriſti, quæritur an ſi ex negligentia legantur poſt dies aliquot, ſit locus pœnæ ſupradictæ? Hic caſus eſt multũ practicabilis, quia ſæpiùs Superiores ex negligentia, vel inaduertentia non faciunt legere dicta decreta diebus ſtatutis, ſed poſt dies aliquot. Verũ ſubditi,hoc non obſtante, contra Superiores malè affecti intendũt illos in pœnas incurriſſe.Ego autem frequenter de hoc caſu interrogatus reſpõdi negatiuè;& nouiſſimè inuenio ſic quoque ſentire Laurentium de Peyrinis *in priuileg. Minim.tom. 3.c.12.n.4.*vbi ſic ait. Quæro an remaneat Superior priuatus, qui eo die determinato non facit legere dicta decreta Vrbani VIII. de celebratione Miſſarum,ex negligentia,vel inconſideratione,aut ignorantia;ſed facit legere poſt menſem,v.g. Reſpõdeo quòd dicta ſtatuta determinatis diebus legi debẽt, quòd ſi non legantur,legi debent die ſequenti, & ſic deinceps.Non enim ponitur terminus ad finiẽdam obligationem,ſed ne dilatetur executio.Quare tranſacto aſſignato termino non ceſſat obligatio. Vnde cùm pœna priuationis non ſit ſtatuta ad canonizandum diem præfixum ibi, ſed ſolùm ad obligationem inducendam lectionis dictarum cõſtitutionum, ne vllo vnquam tempore in obliuionem,aut diſſuetudinẽ abeant, quod eſt finale motiuum dictæ lectionis, dicendum eſt, quòd qui ex ignauia,ſeu negligentia, vel obliuione dictas conſtitutiones diebus præfixis non curauerit legi,non incurret dictam pœnam,ſi alio tempore poſt menſem,v.g.termini præfixi legi faciat, facturus legi in termino præfixo,ſi meminiſſet,vel ſciuiſſet.Ita Peyrinus, qui alias adducit rationes pro hac firmanda ſententia, quam etiam tenent docti iuniores de hac re à me conſulti.

Et

Et idem dicendum eſt de alia conſtitutione Vrbani VIII. edita feria 6. die 14. Aprilis 1633. de obſeruantia Bullarum pertinentium ad ſanctum Officium. Vbi Sanctiſſimus decernit quòd legatur ſingulis annis in publica menſa, id eſt, feria 6. poſt Octauam Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, ſub pœna priuationis officij, & vocis actiuæ, & paſſiuæ. Sed ego deciſionem huius dubij remitto ad ſacram Congregationem.

RESOL. XVI. *An Religioſi qui ſecundùm decreta Clem. VIII. nouitiatum non fecerunt in locis deſignatis, poſſint ſtante Bulla Vrbani VIII. edita die 2. April. 1631. coram Ordinariis locorum profeſſionum nullitatem petere, non ſeruatis tamen ſeruandis, & præſertim diſpoſitionibus Concilij Tridentini?*

ALiqui conſtanter putant profeſſiones dictorum Religioſorum non eſſe inualidas, quia ſupradicta decreta Clement. VIII. non fuerunt à Regularibus vſu recepta, vt probat, & teſtatur Sigiſmundus à Bononia *in tract de elect. part. 2. c. 1. dub. 56. num. 3.* vnde Laurentius de Peyrinis *in priuileg. Minim. tom. 3. cap. 12. conſt. 7. aliàs 17.* Vrbani VIII. *in ſchol. num. 1.* docet, quòd ſi loca Nouitiatuum fuerint continuata à tempore Clement. VIII. vel Pauli V. etiamſi per incuriam fratrum deputationes ipſæ authenticæ non reperirentur, poterit in his habere locum præſcriptio. Putat igitur quòd conſtitutio Vrbani VIII. edita vt ſuprà die 2. April. 1631. incip. *Religioſos viros*, &c. intendit ſolùm concedere fauorem Religioſis valentibus in Religione permanere, ita vt eorum Prælati non poſſint eos moleſtare, nec eiicere. Et licet Pontifex dicat talem profeſſionem eſſe nullam, intelligit Peyrinus talem nullitatem non ex parte profeſſi, ſed ex parte Religionis; ſed quicquid ſit de hoc, remitto me ad ſtylum Curiæ Romanæ, & ad ipſummet Pontificem viuentem, qui viuat Neſtorios annos. Aſſero tamẽ ſupradictas profeſſiones Regularium malè ab Epiſcopis, vel aliis iudicibus vſque adhuc declaratas eſſe inualidas non ſeruatis ſeruandis, & præſertim diſpoſitionibus ſacri Concilij Trident. quoad nullitatem profeſſionum; quod apertè patet ex epiſtola Eminentiſſimi Cardinalis S. Onuphrij tenoris ſequent. à tergo. [All' Illuſtre & molto Reuerendo Monſignor come fratello. Queſti Eminentiſſimi miei ſignori vengono raquagliati, che con l'occaſione della Bolla, nella quale la Sanctita di N. S. ha dato facolta à Religioſi di conualidare le loro profeſſioni, che ſi poteuano pretendere nulle, per cauſa di non hauer fatto l'anno della probatione, e la medeſima profeſſione in luoghi deſignati à riceuer Nouitij; alcuni di eſſi Regolari, che ſtanno di famiglia ne Conuenti ò Monaſterij dicoeſta città e Dioceſe, in vece di conualidar le profeſſioni ſudette, fanno inſtanza auanti VS. ò del ſuo Vicario, affinch' interponghino decreto, e diano loro licenza di laſciar l'habito, e ritornare al ſecolo in habito clericale, ſotto preteſto come ſi ſuppone ch' in detta Bolla almeno tacitamente ſi dia à gli Ordinarij tal facoltà. E perche cioè del tutto alieno dalla mente della Santità ſua, ne tali dichiarationi di nullità di profeſſione ſi poſſono fare, ſe non ſeruatis ſeruandis conforme alla diſpoſitione de ſacri Canoni, Conſtitutioni, e Decreti Apoſtolici, e particolarmẽte del ſacro Concilio di Trento. Però l'eminenze loro mi hanno ordinato di ſcriuerle, che ſi aſtenga dall' interporre li decreti, è dare le licenze ſudette in vigore di detta Bolla, & ordini al ſuo Vicario, che non le dià ad alcuno, & hauendole dati, procuri che quanto prima ritornino ne clauſtri con l'habito loro regolare, e preſterà in ciò ogn' aiuto alli loro Superiori, affinche ſe li faumo ritornare. Dio la preſerui. Di Roma al primero di Iulio 1633. di VS. come fratello il Card. S Onofrio.]

† Locus ſigilli. ANTONIVS TORNIELILVS.

Et hanc epiſtolam inuenies impreſſam apud Peyrinum *vbi ſuprà, num. 3.* Vnde ex his patet optimè aliquos Iuriſcõſultos his diebus, dum quidam Religioſus intendebat ſuam annullare profeſſionem, ſtante decreto ſupradicto Clem. VIII. & Bulla Vrban. VIII. dixiſſe non eſſe audiendum, niſi peteret à Summo Pontifice reſtitutionem quinquennij, de quo loquitur Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 19. de Regularibus*, & pro firmanda eorum ſententia adducebant doctrinam à me traditam *in 3. p. tract. 2. reſol. 62.* quam omnino vide.

RESOL. XVII. *An omnia viuæ vocis oracula annullentur per conſtitutiones Gregor. XV. & Vrbani VIII. die 20. Decembr. 1631.*

AD hunc caſum ita reſpondet amiciſſimus Pater Lezzana *in ſumm. qq regul. capit. 3. numer. 21.* Circa conſtitutionem SS. D. N. Vrbani VIII. animaduertendum eſt per illam non videri caſſari, & aboleri viuæ vocis oracula, quibus Sanctitas ſua, aut alij Summi Pontifices priuilegia Religionibus conceſſa, aut decreta ſummorum Pontificum, aut etiam ſacrorum Canonum, & Concilij Trid. aut aliorum Conciliorum explicant, aut declarant in concernentibus ad Religioſos ipſos, dummodo prædicta viuæ vocis oracula non contineant aliquam gratiam, priuilegium, aut indultum; ſolùm enim reuocantur & caſſantur omnia & ſingula priuilegia, facultates, licentiæ, & gratiæ, quæcumque viuæ vocis oraculo conceſſæ; vt in Bulla habetur. Deinde aduertendum, quòd quamuis per conſtitutionem Greg. XV. non reuocentur conceſſiones factæ per viuæ vocis oracula, quæ ſunt ſortita ſuum effectum ante prædictam conſtitutionem, vt in illa habetur, & declarauit ſacra Congregatio die 2. Aprili 1625. per conſtitutionem tamen SS. Domini Noſtri Vrbani cum nihil tale dicatur, videtur reuocari ſaltem quatenus reſpiciunt effectum pro futuro tempore. Vnde ſi aliquis Religioſus habuit gratiam, v. g. à Pontifice ſolo viuæ vocis oraculo, quòd eſſet Magiſter, Præſentatus, aut quid ſimile à tempore conſtitutionis SS. D. N. neutiquam poteſt vti tali conceſſione, licet contrarium etiam probabiliter dici poſſit, cùm id non exprimatur in conſtitutionibus SS. D. N. Vrbani; ſi enim Sanctitas ſua vellet in hoc coarctare conſtitutionem Gregorij, debebat illud declarare, ſicque video aliquos ſentire. Ita Lezzana.

Sed plus addit Laurentius de Peyrinis *in priuil. Minim. tom. 3. cap. 12. const. 18.* aliàs 28. Vrbani VIII. *in scholiis, num. 1.* putat enim quòd dicta constitutio non reuocat, neque intelligitur de viuæ vocis oraculis concessis ante Pium V. Nam iste Pontifex illa omnia innouauit, & de nouo concessit cum clausula *quorum tenores ac si de verbo ad verbum*, &c. quæ clausula operatur, vt confirmatio & innouatio sint ex certa scientia. Imò etiam intelligi putat de viuæ vocis oraculis ante Greg. XIII. quia iste etiam Pontifex ea omnia confirmauit ex certa scientia, quæ clausula vim habet nouæ concessionis. Cùm itaque isti duo Pontifices per confirmationem, & innouationem ex certa scientia, quæ nouæ concessionis vim habet, priuilegia viuæ vocis oraculis concessa confirmarint in genere & in specie per suas particulares constitutiones, iam illa desinunt esse concessa per viuæ vocis oraculum, sed sunt concessa per nouas dictorum Pontificum constitutiones, quare sub ista reuocatione cadere nõ videntur. Neque etiam cadunt sub ista reuocatione viuæ vocis oracula concedentia Indulgentias, quia hæ non nominantur, nec venire cõmodè possunt nomine priuilegiorum, aut gratiarum, sed sunt omnino diuersa. Neque etiam putat hanc reuocationem comprehendere viuæ vocis oracula communicantia aliquod priuilegium alicui Religioni aliàs concessum per Apostolicum diploma. nam in his cadit ratio istius reuocationis cum gratia concessa per viuæ vocis oraculum, hoc modo intelligitur omnino sicut Apostolicum diploma. Et hæc omnia docet Peyrinus *vbi suprà*, confirmans etiam ea, quæ docuit Lezzana *loco citato*, dummodo stylus Romanæ Curiæ aliter non seruet, aut sentiat, & ideo ego circa resolutionem præsentis dubij de meo nihil dico, & nihil pono, solùm referre volui, quid alij dixerunt.

RESOL. XVIII. *An Episcopus possit dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonium, quando contractum est mala fide, si sequatur periculum, aut scandalum?*

NEgatiuè respondet Pontius *de matrim. lib. 8. c. 13. num. 4.* Coninck *de Sacrament. disp. 33. dub. 3. num. 33.* Bonacina *de matrim. quæst. 3. punct. 15. num. 4.* Tannerus *tom. 4. disp. 8. quæst. 4. dub. 9. n. 162.* Vasquez *in part. 2. disp. 178. cap. 2. nu. 16.* Rebellius *part. 2. lib. 3. quæst. 5. num. 20.* Salas *de legibus, disp. 20. sect. 3. num. 25.* Sanchez *de matr. lib. 2. disput. 40. num. 4.* Hurtado *de matrim. disp. 26. diffic. 2. nu. 6.* Ochãgauia *de Sacrament. tract. 5. de matrim. quæst. 2. num. 7.* Villalobos *in summ. tom. 1 tract. 14. diffic. 25. num. 4.* Præpositus *in 3. p. quæst. 8. de dispens. matr. dub. 2. num. 12.* & alij communiter, asserentes, tunc Episcopum posse dispensare in impedimentis dirimentibus quando matrimonium est bona fide saltem vnius contractum, & publicè, & impedimentum est occultum, & separatio coniugum nequit fieri absque magnæ famæ iactura, aut scandalo, aut alio magno inconueniente, & nequit ad Pontificem iri, neque ad alium habentem priuilegium dispensandi, aut si adiri potest, dispensatio tamen differre nequit absque probabili periculo peccandi. Et ratio huius sententiæ est, quia mala fide contrahens indignus est, cui fauor huiusmodi præstetur. ergo non potest præsumi tacita cõcessio Pontificis, vt Episcopus in eo casu dispenset. quod confirmatur ex Tridentino *sess. 24. cap. 5. de reform. matrim.* vbi sic habetur. Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat.

Sed quia hic casus frequenter in praxi potest accidere his non obstantibus, affirmatiuam sententiam docet nouissimè doctus Alphonsus Moscoso *in summ. tract. 10. cap. 29. numer. 22.* vbi sic ait. [Quando el matrimonio inualido es celebrado con esta mala fe, la comun tiene, que en ninguna manera puede el Obispo dispensar, aunque aya grandes escandalos y dificultades de acudir por dispensacion à su Santidad, y aya peligro de incontinencia, y fornicacion. Mas la experiencia que yo tengo de ver almas afligidas, y desconsoladas, viendose en peligro de perdicion, y casi impossibilitadas de hallar remedio, si los Obispos no las remedian, me mueue à tener por muy probable la opinion contraria, y dezir, que aunque aya auido mala fè en ambos casados, puede el Obispo dispensar concurriendo las causas dichas de ser el matrimonio publico, y el impedimiento segreto, que no se puede publicar, y grande escandalo en apartarse, y dificultad notable de acudir à su Santidad. Y esta opinion tiene Enriquez *lib. 12. de matr. cap. 3. num. 2.* y otros modernos con el, y las razones, que ay en su fauor son fuerres. Cierto es, que el Obispo iure diuino puede en su Obispado, como Pastor del, lo que su Santidad en la Iglesia vniuersal. Verdad es que el poder del Obispo està subordenado al de su Santidad, que le puede impedir que no vse del, como lo haze, quando conuiene; mas quando le impide no se le quita, ni le impide en todas ocasiones, sino en las ordinarias, quando no ay peligro de perderse las almas; porque auiendole, quien duda, sino que la voluntad de su Santidad es, que el Obispo las remedie, dispensando, y vsando de la potestad que Dios le tiene dada, y dezir, que en semejantes casos su Santidad no quiere que el Obispo dispense, parece que es dezir, que su Santidad no haze oficio de Padre, y que vsa mal de su poder en perjuyzio de las almas. Y como mandando el Concilio de Trento *sess. 24. cap. 5.* que no se dispense con los que con mala fè se casan en grados prohibidos, no ata las manos à su Santidad, para que no pueda dispensar quando conuiene, tanpoco las ata al Obispo, pues el vno, y el otro tienen poder de iure diuino, el Papa per se, y el Obispo per accidens. quando se lo tiene prohibido su Santidad, y es necessaria su dispensacion para el bien, y remedio de las almas, concurriendo las causas dichas. Manda Dios nuestro Señor que ninguna persona mate al proximo; mas si vn hombre no puede conseruar su vida, sin quitar la suya al proximo propter inculpatam tutelam, Dios permite se las quite à esta semejanza. Manda el Concilio que no se dispense con los parientes, que mala fide se casen, mas siendo necessaria la dispensacion para el bien,

bien,y vida espiritual, es mucha razon se dispense, y no porque estos mal casados con mala fè, y engaño,y por su gran culpa, se ayan puesto en tal mal estado,y de su parte se ayan hechos indignos, y no merezcan, que la Iglesia los fauorezca; dexa al Obispo como Padre de tener obligacion à los remediar,y amar,y vsar con ellos de misericordia en estado tan miserable, y digno de ser fauorecidos; dispensando con ellos para sacarlos de aquella miseria, como lo està qualquiera à vsar de caridad y misericordia con el, que està en estrema necessidad; aunque sea pro auer dissipado sus bienes en grandes maldades, ò como desesperado se aya echado en vna balsa de agua à ahogarse, o vn lazo a la garganta para à ahorgarse,pudiendo remediar à estas estremas necessidades; quien duda el auer obligacion à ello con ley de caridad, vsando de misericordia con el miserable? loque es razon de aduertir, que de semejantes dispensaciones no se ha de vsar, sino quando es claro auer grandissima necessidad para el remedio de las almas,y considerarlo con mucho acuardo,y prudencia, y imponer penitẽcias algo pesadas,pero lleuaderas.] Huc vsque Moscoso;licet Prępositus *in 3.p.q.8.de dispens. matr.dist.2.num.* 12. hanc opinionem in casu aliquo valde raro putet probabilem esse. nam quãdo valde magni referret ad bonum publicum conseruandum, vel ad impediendas discordias inter illustres familias matrimonium aliquod non solui, tunc putat Episcopum posse dispensare in impedimento etiam cum iis, qui mala fide cum illo contraxerunt. Verùm affirmariuam sententiam absolutè probabilem esse docet Villalobos *in sum.tom.*1. *tract.* 14. *diffic.* 25.*num.*4. vbi contrariam quam ipse tenet vocat probabiliorem. Sed an hæc sententia verè probabilis sit,remitto me iudicio aliorum.

Resol. XIX. *An si Sacerdos habuit intentionem consecrandi particulas positas in pyxide, quæ non fuit à Sacrista, vel ab ipso posita super Corporale,sed in cornu Altaris,an.inquam, particulæ illæ habendæ sint tanquam consecratæ?*

De hoc casu in praxi frequentissimo ego *in* 3. *part.tract.6.resol.* 103. adduxi aliquos Doctores hoc dubium in terminis pertractantes; nunc verò in gratiam studiosorum libet per extensum referre circa præsentem quæstionem verba Philippi Gamachæi *in* 3.p.D *Th.q.*74.*cap* 4.*fol.*343.vbi sic asserit. Tertiò occurrit difficultas,si Sacerdos,e.g. posuerit supra Altare tres, aut quatuor panes cũ animo, & intentione consecrandi, sed per obliuionem,& inaduertentiam duo remanserunt in cornu Altaris, nec sunt in loco debito supra Corporale, vel etiam illic posuerit in loco debito, sed postea Diaconus abstulit duos,quia cognouit non esse necessarios, posuitque ad latus inscio Sacerdote. Causa dubitandi est, quia ex vna parte videntur isti duo panes verè consecrati; cùm Sacerdos ab initio habuerit intentionem nec reuocauerit,& materia sit pars propinqua satis præsens, & verba generaliter prolata absque restrictione.ergo,&c.E contra verò non placet aliis hæc sententia, quia etiamsi Sacerdos ab initio voluerit talem materiam consecrare, non tamen voluit tali in loco extra Corporale, & sacram pallam,quia hoc non licet, sed includit aliquod peccatum, & Sacerdos pius, ac probus non censetur intendere id,quod malum est.

Suarez *disput.* 43. *sect.* 6. credit tales panes non esse tunc consecratos, quia intentio necessaria ad confectionem Eucharistiæ non est quocumque modo intelligenda, sed solùm si materia habeat præsentiam debitam & legitimam, quam iuxtà morem Ecclesiæ conuenienter,& sine peccato habere debet; atqui illa non est conueniens,sed planè illicita; vt reponatur ad latus Altaris extra sacram pallam.ergo,&c.Confirmatur, si enim interrogatus fuisset Sacerdos ante Missam,vtrùm vellet tali loco panem consecrare,proculdubio dixisset se nolle, imò malle omnino non celebrare, quia id esset manifestum peccatum. Hinc ergo apparet nullam prorsus fuisse eius intentionem. Tertiò dici nequit suppleri hunc defectum Sacerdotis per intentionem Ecclesiæ, quatenus ipse voluit, quod vellet Ecclesia, non enim Ecclesia vult etiam consecrationem hoc modo,& tali loco fieri,sed potiùs absolutè prohibet. ergo. Magis tamen placet opposita sententia: nimirum huiusmodi panes verè tunc consecrari. Probatur, quia etiamsi Sacerdos non proposuerit tali loco consecrare, & apposuit ad consecrandum,nec mutauit, aut reuocauit sententiam,fuit quoque materia idonea, vtpote verus panis,& in distantia sufficiente ad veram consecrationem,quia super Altare, & verba consecrationis generaliter absque vlla restrictione prolata fuerunt; & quamuis Sacerdos ex hypothesi noluisset consecrare in tali loco si animaduertisset, tamen reuera non habuit istum nolendi actum,sed potiùs contrariam actionem elicuit, voluitque absolutè consecrare, nec de vlla exceptione cogitauit. ergo, &c. Deinde à simili argumentari possumus, quia nec pius Sacerdos vellet eam celebrare, si putaret se esse in peccato mortali, sed mallet omnino abstinere, nec tamen id impedit, quin sit vera consecratio ab eo facta in tali peccato, quod tunc ignorauit, etiamsi post Missam fortasse recordetur; quamuis enim noluisset, si sciuisset, tamen reuera absolutè voluit, quia impedimentum ignorauit. ergo à pari,&c.Tertiò non etiam obstat, quod dictum fuit de intentione Ecclesiæ, alia enim intentio circa substantiam Sacramenti, alia circa modum, & conditiones, vel circumstantias morales, & Ecclesia prohibet quoque offerri sacrificium in loco profano sine sacris vestibus in statu peccati, vel excommunicationis, nec tamen ista omnia simpliciter impediunt veram Eucharistiæ confectionem, si fortè hæreticus & impius Sacerdos ex hypothesi eo modo conficere voluerit;concurrunt enim omnia essentialia, vtpote materia, forma,& Minister simul cum intentione,& potestate characteris. ergo in præsenti quæstione idem etiam dicendum. Vnde sequitur grauiter peccare Sacerdotem, facta iam consecratione, si tales hostias irreuerenter habeat,& contrectet,tanquam verum panem, vel conuertat in profanos vsus, quia etiamsi fateamur nostram hanc sententiam non esse indubitatam, nihilominus valdè est probabilis,sufficit-

que ſaltem ad timorem incutiendum, vt Sacerdos non ſe exponat periculo ſacrilegij. Neque tamen etiam concludimus hoſtiam habendam eſſe tamquam certiſſimè infallibiliter conſecratã; res enim aliqua difficultate nõ caret, ſed dicimus videri cõſecratam; ſimulque in hoc dubio conſilium damus vt Sacerdos non ſumat, nec diſtribuat ſeorſim talẽ hoſtiam, ſed ponat cum altera hoſtia, de cuius conſecratione ſit certus, & ita eam manducet, aut alteri manducandam præbeat. Ita Gamachæus.

Sed ego *vbi ſuprà* cum Suarez & Nauarro, quibus nunc addo Mercerum *de Sacrament. quæſt.* 74. *art.* 2. *num.* 3. abſolutè docui ſupradictas particulas non eſſe conſecratas; licet adduxerim pro contraria ſententia Tannerum, qui tamen cum formidine loquitur. Verùm modò non deſinam hîc adnotare Ioannem Præpoſitum *in* 3. *part. D. Thom. quæſt.* 74. *art.* 2. *dub.* 3. *nu.* 19. affirmatiuam ſententiam abſolutè tamquam probabilem docere, quia, ait ille, Sacerdos qui aduertit reponi formulam vnam, vel plures, vt eas ſimul cum principali conſecret, habet voluntatem conſecrandi; decernens tamen priùs eas decentet collocare ſupra Corporale, ita vt reſpectu illarum formularum non tantùm habeat actum, qui explicatur, per *volam conſecrare*, & ſit ſolùm voluntas volendi, ſed habet eum, qui explicatur per *volo*, & eſt præſens voluntas conſecrationis futuræ; ex qua voluntate etiam in futurum præcedit in Sacro. Nec eliditur ea voluntas ex eo, quòd ex naturali inaduertentia non repoſuerit ſuper Corporale huiuſmodi formulas ante conſecrationem. Vnde communiter excuſatur à peccato, eo quòd inculpatè omittat formulas ante conſecrationem ſuper Corporale reponere, & verè conſecrat, quia non obſtante naturali inaduertentia eius, quod facere debuerat, manet virtualis intentio has formulas conſecrandi. Hæc Præpoſitus *vbi ſuprà*. Cuius ſententiam licet ego vt dixi, contrariã teneam, non tamen tamquam improbabilem audeo damnare.

Aduertendum eſt etiam hîc obiter cum Præpoſito *num.* 14. Mercero *loco citato*, & aliis communiter, quòd ſi Sacerdos, qui ante ſe habet duas hoſtias, putat ſe vnicam habere, & intendat vnam cõſecrare, nihil determinando, vtramque futuram conſecratam: idem dicendum de particulis, quod eſt valde notandum ad tollendos ſcrupulos.

RESOL. XX. *An qui proficiſcitur extra Regna Hiſpaniarum, vel Siciliæ, breui tamen reuerſurus, poſſit vti priuilegio Bullæ Cruciatæ circa eſum ouorum, & lacticiniorum?*

NEgatiuè videtur reſpondendum ex his, quæ ego adduxi *in part.* 1. *tract. de Bulla Cruciatæ, reſol.* 1. vbi firmaui ex textu ipſius Bullæ, priuilegium Bullæ circa eſum lacticiniorum eſſe locale; cùm clarè dicatur in dicta Bulla illam ſumentes non poſſe edere oua, & lacticinia extra Regna Hiſpaniarum, vt nouiſſimè etiam docet Trullenck *in expoſitione Bullæ lib.* 1. §. 1. *dub.* 5. *nu.* 4. vide etiam Molfeſium *in ſumma, tom.* 1. *tract.* 10. *cap.* 4. *num.* 59.

Sed his non obſtantibus affirmatiuam ſententiam docuit olim publicè in Collegio Panormitano Pater Bernardinus Piccinus, Societatis IESV, vir quidem doctiſſimus, de cuius tamen probabilitate ego dubitaui *in* 4. *part. tract.* 4. *reſol.* 190. Nunc verò re maturiùs conſiderata, ad inſtantiam Illuſtriſſimi viri, puto hanc ſententiam probabilẽ eſſe, & ſecluſo ſcandalo, tutam in praxi. Nam in iure ſtatim reuerſurus dicitur præſens, & abeſſe non dicitur, qui breui eſt reuerſurus, vt patet *in l. poſtliminij*, § *captiuus. & l. nihil, ff. de captiuis, & poſtlim. reuerſ.* ex *l.* 3. *ff. de diuor.* ex *cap. diuortium, de pœnit. diſt.* 1. cum aggregatis per Rebuffum *de priuil. Schol. priuil.* 23. *per totum*, & per Gonzales *in regul* 8. *Cancell. gloſſ.* 43. *num.* 5. quod etiam clarè probatur ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reform.* vbi hæc verba habentur. Quoniam autem qui aliquantiſper tantùm abſunt, ex veterum canonũ ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reuerſuri ſunt, ſacroſancta Synodus, &c. Cùm igitur in noſtro caſu, qui proficiſcitur extra Regna Hiſpaniarum, breui ſit reuerſurus, non dicitur abſens, ſed moraliter præſens in dictis Regnis, ideo poteſt priuilegio Bullæ vti, oua edendo & lacticinia, ſecluſo ſcandalo. Facit etiam ad roborationem ſupradictorum id, quod colligitur ex *l. quæſitum*, § *fin. ff de legat.* 3. *& l. ſi ita. ff. eodem tit.* quòd qui breui tempore reſidet in loco, non dicitur moraliter in eo eſſe; quod etiam docet Baldellus *tom.* 1. *lib.* 5. *diſp.* 32. *num.* 23.

Confirmatur etiam ſupradicta ſententia ex auctoritate Doctorum *vbi infrà*, & Thomæ Sanchez *de matr. tom.* 1. *lib.* 3. *diſp* 18. *num.* 7. vbi ponit hunc caſum. Mediolani licet ex conſuetudine veſci carnibus quatuor diebus Quadrageſimæ. Quæritur an Mediolanenſis in oppido, vbi viget ius commune, poſſit his diebus iuxta ſui domicilij vſum carnes edere, & non ieiunare? Et reſpondet affirmatiuè. quia, ait ille, licet hoc priuilegium videatur locale, ſoloque cohærens, eſt vtique tale in hoc ſenſu, vt eo gaudeant, non tantùm ibi quoquo modo exiſtentes; ſed etiam qui in iure habentur pro præſentibus, ibique exiſtentibus, quales ſunt, qui breui tempore abſunt citò reuerſuri, eo quòd illic domicilium habeant. Ita Sanchez, qui ex ſupradicta ratione à fortiori noſtram ſententiam doceret. quæ etiam confirmatur ex opinione Michaelis de Palatio *in* 4. *ſent. diſt.* 15. *diſput.* 8. *poſt.* 6. *concluſ. fol.* 126. *ver. At verò.* Fagundez *pr.* 4. *lib.* 1. *cap.* 7. *numer.* 11. Medinæ *in* 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 5. *ad fin.* vbi docent, Caſtellanum per Luſitaniam tranſeuntem poſſe more ſuæ patriæ inteſtinis veſci diebus Sabbati, quæ in Luſitania non permittuntur. Et hanc opinionem probabilem putat Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 12. *nu.* 3. & nouiſſimè Boſſius *de Iubileo ſect.* 4. *caſ.* 18. *num.* 64.

Sed adhuc manet difficultas in hoc dubio, quinam dicatur ſtatim, & breui reuerſurus, vt illo medio tempore poſſit extra Regna Hiſpaniarum edere virtute Cruciatæ oua, & lacticinia? Pater Piccinus *vbi ſuprà* in lectura manuſcripta Bullæ Cruciatæ §. 5. *num.* 77. putat in tali caſu licere veſci lacticiniis, qui intra ſemeſtre ſit in Hiſpaniam, vel Siciliã rediturus. Sed hæc ſententia videtur aliquibus nimis laxa. Vnde aliqui putant hoc remittendũ eſſe arbitrio boni viri. nam quãdoque breue temporis

ſpatium

spatium est intra tres dies, ex *l. fin. §. illico, C. de iudic. & l. fin. C. de error. Aduoc.* vel intra decem dies, ex *l. quod dicimus, ff. de solut.* iuncta glossa super ver. *intellig. est gloss. in § fin. Inst. de inutil. ver fieri possit. l. promissorum, §. si sine, de const. pec.* Interdum significat intra mensem vnũ, vt docet Alexand. *in l. diuortium, n. 10. ff. solut. matrim.* & Surdus *cons. 550. n. 6.* Et interdum intra duos menses, ex *l. aufertur, §. 1. ff. de iure fisci*, glossa *in l. compensationis, ver. indaginem, C. de compens.*

Restat modò respondere ad argumentum adductum pro contraria sententia. Dico igitur Bullã loqui de commorantibus per multum tempus extra Regna Hispaniarum, & non breui reuersuris, vt est in casu nostro, qui, vt probatum est, in iure dicuntur præesse, & non abesse.

RESOL. XXI. *An reuocatio sine iusta causa facta Sacerdotibus secularibus non audiendi amplius confessiones, sit nulla?*

ALiqui negatiuè respondent. Verùm nouissimè affirmatiuam sententiam docet Bossius *de Iubil. sect. 3. cap. 2. fol. 296. §. 4. n. 164.* vbi sic ait. Mihi videtur probabilior sententia affirmans approbationem Sacerdoti seculari semel absolutè datam, & iniustè, ac sine causa ab Episcopo reuocatam, per huiusmodi reuocationem non irritari; sed reuocationem esse nullam. Probatur, quia talis reuocatio sine iusta causa facta est quædam ablatio iuris acquisiti, vel quasi reuocatio iustę sententiæ sine causa reuocandi facta. ergo est inualida. Nam sententia à legitimo iudice data sine noua causa, non potest validè reuocari. Confirmatur, quia Sacerdos ille sic approbatus & declaratus idoneus, si nulla superueniat causa, vel mutatio ex parte ipsius, quoad scientiam & mores, iam habet quidquid à Concilio requiritur, vt idoneus ad cõfessiones reputetur, si aliunde nanciscatur iurisdictionem. Confirmatur secundò, quia cùm approbatio per se sumpta absque delegatione iurisdictionis, non sit gratia & fauor, vt diximus §. 1. sed declaratio per modum iustæ sententiæ debita ex iustitia, saltem postquam est semel rationabiliter concessa pro illo tempore, quo fuit concessa, non pendet à libera voluntate concedentis, vt per solam retractationem illius cesset, si ex parte Sacerdotis approbati nulla datur mutatio quoad scientiam, & mores, quæ iustam causam præbeat Episcopo reuocandi talem approbationem; & in hoc nulla est differentia inter Sacerdotes seculares & regulares semel ritè approbatos; licet hi vltra rationem fundatam in ratione iustitiæ habeant etiam priuilegium, quod priuilegium non solùm operatur, vt approbatio semel simpliciter illi data non possit sine causa validè reuocari; sed vt nec possint ab eodem Episcopo approbatore vocari ad nouum examen, nisi causa superuenerit ad ipsius confessiones pertinens; seculares autem Sacerdotes approbati etiam absque causa ab eodem Episcopo possunt iterum ad examen vocari, sed non reprobari. Ita ille. Sed tu circa præsentem quæstionem vide me ipsum *in 3. part. tract. 2. resol. 22. & 4. part. tract. 4. resol. 200.*

RESOL. XXII. *An confessio facta Sacerdoti ignoranti ea, quæ communiter scire tenetur, sit inualida, & reiteranda?*

ESse inualidam docet Richardus, Syluester, Caietanus, & Nauarrus, quos citat, & sequitur Bossius *de Iubil. sect. 3. cas. 2. §. 5. num. 168.* quibus ego addo Petrum Ochagauiam *de Sacram. tract. 2. dub. 2.* Vasquez *in 3 part. tom. 4. quæst. 93. art. 3. dub. 2.* & ratio est, quia ad actum iudicialem, qualis est confessio, requiritur cognitio causæ ex parte Confessoris, aliàs iudicium inane erit. nam in tali casu absolutio daretur à iudice causa insufficienter cognita; & Sacerdos ita ignarus in audiendis confessionibus ita se habet, ac si ille peccata non perciperet ob surditatem, somnum, &c. ergo. Hæc sententia est probabilis.

Sed non minùs probabilem contrariam esse existimo, quam tuetur Prępositus *in 3. part. D. Thom. quæst. 7. de ministro sacrament. Pœniten. dub. 9 numer. 66.* Hurtado *de Sacram. disp. 10. de pœnit. difficult. 15.* Henriquez *lib. 2. c. 14. §. 5.* Mercerus *in 3. part. D. Thom. de Sacrament. quæst. 9. art. 1.* Syluius *in addit. ad 3. part. quæst. 8. art. 5. quæritur 7.* Didacus Nugnus *ibidem dub. 4.* Suarez *in 3. part. tom. 4. disp. 22. sect. 6.* Filliucius *tom. 1. tract. 7. cap. 9. nu. 254.* & Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 9. difficul. 68. n. 7.* vbi sic ait. [Auiendo podestad de orden y iurisdicion, aun que faltasse ciencia al Sacerdote (aunque pecaria administrando el Sacramento) seria valido lo que hiziesse, porque aqui ay materia, forma, y ministro con deuida intencion, lo qual basta para hazer verdadero Sacramento.] Sic ille. & ante illum Ioan. Valerus *in differ. vtr. fori. ver. nullitas, differ. 6. num. 1.* vbi ita ait. Infertur ex *l. Barbarus*, vbi est expositus Confessarius notabiliter ignarus, nescius distinguere inter peccatũ mortale & veniale, nec alia necessaria ad dictum Sacramentum benè administrandũ; si aliàs communiter reputetur idoneus, quia approbatur ad confessiones recipiendas, tali communi errore & approbatione excusari pœnitentem bona fide ad eum accedentem, & validari confessionẽ, adeò vt non teneatur dictus pœnitens reiterare confessionem, etiam postquam rescierit eius ignorantiam. Hæc Valerus. vbi citat Gabrielem, Adrianum, Medinam, Cordubam, & D. Thomam.

Notandum est tamen quòd si pœnitens confiteatur Sacerdoti sic ignoranti, eius ignorantiam aduertens, peccauit mortaliter, ac proinde quantũ est ex parte ipsius, cõfessio fiet nulla defectu doloris & integritatis confessionis, & in hoc casu sequenda erit prima sententia.

Ex his à fortiori infertur, quòd quamuis pœnitens confiteatur aliquod peccatũ vt veniale, quod verè est mortale, non tenetur postea pœnitens iterum confiteri tale peccatum, quia non est de necessitate & valore huius Sacramenti, vt Sacerdos & pœnitens cognoscant totam grauitatem culpæ. Tum quia quando Confessarius scit discernere in communibus peccatis, an sint mortalia, necne, quamuis aliqua minus communia ignoret, & apprehendat vt venialia, cùm sint mortalia, non est scrupulus iniiciendus in pœnitentem, vt teneatur

tur hæc iterum confiteri, quia aliàs sequeretur quoties Sacerdos non intellexisset circumstantias mutare speciem, etiamsi pœnitens illas sufficienter declararet, postea cognita ignorantia Confessarij à pœnitente, teneri iterum ea confiteri, quod onerosam nimis redderet confessionem. Et hæc omnia docet Valerus *vbi suprà num.*4. ex Corduba, & Victoria.

Dicendum est igitur absolutè, quòd confessio non est inualida propter solum defectum scientiæ Sacerdotis, modò cætera adsint, quia licet Confessarius sit ignarus, si tamen sit approbatus, & habeat iurisdictionem, adsunt materia, forma, & Minister cum intentione; ergo si pœnitēs agit bona fide, & sufficienter dispositus accedit, Sacramentum valebit. Deinde si eiusmodi absoluerit in articulo mortis, absolutio teneret. ergo & extra illam, quia casus necessitatis non facit, vt quod alioquin est natura sua inualidum, sit propter eam validum. Neque est simile de Confessario, vel qui non sciret idioma pœnitentis, vel dormiret eo confitente, quia tunc Confessarius non audiret peccata, confessionemque peccatorum. Vnde rectè ego contra Vasquez *in* 3. *part. tract.* 4. *resolut.*102. docui talem confessionem non esse iterandam, etiamsi pœnitens nescierit postea ignorantiam Confessoris; vt dixit Valerus *vbi suprà* & alij.

Resol. XXIII. *An professio fidei possit fieri per Procuratorem? & de fructuum restitutione.*

Hic casus frequenter accidit, & affirmatiuè respondet Villalobos *in summa tom.*2. *tract.*1. *difficult... num.*86. vbi sic ait. [Esta profession de la fe, y juramẽto se puede hazer por Procurador, porque regularmente hablando lo que vno puede hazer por si mismo, lo puede hazer por Procurador, y en el Concilio no ay palabra que signifique, que la deue hazer por si mismo. Mayor dificuldad ay de la profession que haze el eleto en Obispo, por las palabras de la comission que su Santidad dà, diziẽdo; Ne propter hoc ad Sedem Apostolicam accedendo personaliter laborare cogatur, volẽres parcere laboribus, & expensis, fraternitati vestræ cõmittimus, &c. Donde parece que el Papa dà à entender, que es menester hazerla por si mismo, como dize Sanchez, con parecer de hõbres doctos, y a mi me parece que lleua mucho camino; aunque el mismo refiere, que el Obispo de Malaga en estos tiempos la hizo por Procurador, en manos del Obispo de Guadix, el qual referiò, que otro Obispo lo auia hecho por Procurador. Y assi estando en pratica se puede biẽ seguir.] Ita ille, qui præter Sanchez citat etiã Nauarr. & Azorium, quibus ego addo Cãpanili *in diuer. iur. Can. rubr.*8. *c.*3. *n.*19. Riccium *part.*4. *decis.*8. Ioannem Mariam Nouariũ *in concl. iur. Pontif. concl.* 114. *nu.*8. Ledesmam *in sum. tom.*2. *tract.*1. *cap.*4. *post* 10 *concl. diffic.*6. Ricciullum *lib.*1. *cap.*13. *num.*21. Lauorium *in var. lucubrat. tom.*1. *tit.*4. *cap.*22. *num.*2. Tamburinium *de iure Abbat. tom.* 1. *disp.*8. *quæst.*3. *num.*11. Massobrium *tract. de Synodo Diœcesana. cap.*4. *dub.*40. *per totum.* Barbosam *de potestate Episc. part.*2. *alleg.*61. *numer.*20. Castrum Palaum *tom.*1. *tract.*4. *disput.*1. *punct.*19. *num.*10. Viuianum *in praxi iurispatr. lib.*15. *cap.*3. *num.*27. Ioan. Anton. Nouarium *in sum. Bullarum tit. de fidei profess. numer.*8. Gauantum *in enchir. Episcop. ver. fidei professio, num.*32. & ratio est, quia ea, quæ quis facere potest per se ipsum, potest & per Procuratorem, nisi à canone, & lege aliqua limitetur. vt patet ex *l.*1. *ff. de procurat.* & ex *c. qui per aliũ & c. potest quis, de regul. iur. in* 6. Itẽ iuramentũ potest præstari per Procuratorẽ, & ex *c. fin. de iur. calum. in* 6. & ideò secundũ hanc sententiã determinauit sacra Rota in vna Varmien. Canonicatus 13. Iunij 1608. coram Cardinali Sacrato.

Verùm his non obstantibus contrariam sententiam docet Piasecius *in praxi Episcop. part.*2. *cap.*5. *art.*3. *num.*90. Vgolinus *de potestate Episcopi, cap.* 50. §. 16. *num.*1. Venerus *in exam. Episcop. lib.* 4. *cap.* 44. *num.*3. Riccius sibi contrarius *in praxi tom.* 3. *resol.* 156. Plat. *lib.*1. *decis.*77. Addition. ad Concil. Trident. è Bibliotheca Card. Bellarm. *sess.*24. *cap.*12. *num.*7. Additiones ad consil. 11. Nauarr. *de iureiuran.* Squillan. *de obligat. Cleric. part.*1. *num.*91. Gonzales *ad regulam Cancell.* 8. §. 7. *num.* 169. *ver. similiter.* Gratianus *in disceptat. forens. cap.* 166. *num.*22. Garsias *de benefic. tom.*1. *part.*3. *cap.*3. *num.* 75. Sigismundus à Bonacina *de elect. dub.*50. *num.*3. & alij, asserentes fidei professionem debere fieri per semetipsum; & ita declarauit sacra Congregatio die 18. April. 1590. teste Garsia. & nouissimè die 12. Septembr. 1620. teste Barbosa *in summa Bullarum, ver. professio fidei* 1. §. 2. Vnde si cõstaret authenticè de supradictis declarationibus, non esset recedendum ab hac posteriori sententia propter magnam authoritatem dictæ sacræ Congregationis quæ die 2. Augusti 1631. ex speciali iussu D. N. Vrbani VIII. mandauit, & præcepit his declarationibus nullam fidem esse in iudicio, vel extrà à quoquam adhibendam, sed tantùm illis, quæ in authentica forma solito sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiusdem sacræ Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint.

Notandum est tamen hîc obiter, quòd omittens intra terminum duorum mensium professionem fidei, amittit fructus, non tenetur tamen illos restituere donec condemnetur, seu sequatur sententia declaratoria; decretum enim Concilij est pœnale, ac proinde etiamsi pœnam ipso iure irroget, non obligat in foro conscientiæ. Ita Barbosa *de Canonicis cap.*17. *num.*24. cum Nauarr. Sanchez, & Rodriquez, quibus adde Castrum Palaum *tom.*1. *tr.*4. *disp.* 1. *punct.*19. *n.*16. licet probabiliter contrarium asserat Villalobos *in sum. tom.*1. *tract.*1. *diffic.*6. *n.*9. Azor. *tom.*2. *lib.*7. *cap.*2. *q.*1. *in fine*, Ledesma *in summ. tom.*2. *tr.*1. *c.*4. *post* 10. *concl. diffic.*1. Garsias *de benefic. p.*3. *c.*3. *n.*35. Vgolin. *de offic. Episc. c.*50. §. 16. *n.*4. Squill. *de oblig. Cleric. part.*1. *n.*98. Ricciullus *lib.*1. *c.*13. *n.*43. & alij.

Nota etiam quòd si quis omitteret professionem fidei per ignorantiã, incogitantiam, seu inaduertentiam, non peccat mortaliter, neque tenetur restituere fructus in foro conscientiæ, licet in foro externo fuerit condemnatus. Vnde Villalobos *vbi suprà in sum. tom.*2. *tract.*1. *diffic.*6. *num.*8. sic ait. [Tambien aduierto, que el que por ignorancia inuincible del Concilio dexasse de hazer la profession de la Fè, no incurriria en la pena, aunque en el

fuero

fuero exterior le condenarian, por ſer el derecho claro; porque como eſte ſe eſcuſa de la culpa, tanbien ſe eſcuſa de la pena.] Ita ille, qui citat Nauarrum, Azorium, & Rodriquez, quibus ego addo Caſtrum Palaum *vbi ſuprà num.* 17. vbi rectè infert cum Sanchez & aliis, aliquem non amittere fructus, ſi Procurator, cui mandatum dedit faciendi fidei profeſſionem, non fecit ipſo inſcio abſque culpa, quia eſt eadem ratio; priuatio enim fructuum eſt pœna, quæ arctare non poteſt vbi culpa non adeſt.

RESOL. XXIV. *An Superiores Regulares & alij excuſentur à pœnis impoſitis in aliquibus Bullis Pontificiis ratione ignorantiæ, & bonæ fidei, etiam in foro externo?*

HIc caſus eſt practicabilis, & ad illum ſic reſpondet Laurent. de Portel *in reſponſ. Regular. p.1.caſ.27.n.3.* Pro maiori iſtius caſus notitia, & aliorum ſimilium quotidie contingentium, in quibus violantur Bullæ Pontificiæ punientes illos, qui cõtrà facere præſumpſerint, quomodo credendum ſit tranſgreſſori dicẽti ſe feciſſe bona fide, & quomodo probãda ſit illius bona fides. Reſpondeo in primis, quòd ſi agatur ſolùm de foro conſcientiæ, credendum eſt omnino aſſerenti ſe feciſſe bona fide, nec cogitaſſe ibi interueniſſe culpam, vel pœnam; ſi enim id crederet, non feciſſet. Et huic tali perſuadendum eſt, vt omnino quietus ſit, nec ſe credat incurriſſe. Imò addo quòd licet lex violata non poneret hoc verbum, *præſumpſerit*, ſi tamen cõtrafaciens excuſatus fuit à peccato, vel ob inaduertentiam, vel ob iuſtam ignorantiam, non incurrit pœnam aliquam, quia vbi non eſt peccatum, ſeu culpa, non datur pœna. Si verò agatur de foro externo, quomodo probanda ſit bona fides, ſiue ignorantia.

Dico primò id poſſe colligi ex præſumptione. Ad maiorem verò ſecuritatem probari poteſt bona fides & ignorantia per iuramentum parti exhibitum, ſtante enim dubio, ſtabitur iuramento illius. Si verò obiiciatur in hoc caſu, quòd contra iſtam Abbatiſſam datur præſumptio iuris, quia ius contra illum præſumit, quod ſciuerit, quæ tenebatur ſcire pertinentia ad ſuum officium. Reſpondeo quòd etiam præſumptio iuris eliditur per iuramentum in contrarium, vt habetur *in c. cùm in tua, qui matrim. accuſ. poſſ.* & gloſſa *ibid.* in fine caſus. & hæc omnia docet Portel *loco citato*, qui citat Nauarrum *lib.1.conſil.tit.de conſtitut.conſ.1.quæſt.2.num.6.* & 7. vbi ponit alios duos modos ad probandam ignorantiam.

Verùm contra ſupradictam doctrinam Portel habeo aliquam difficultatem; nam licet ignorantia probetur per iuramentum eam allegantis, vt patet ex gloſſa *in c.2.in ver. ſcienter.de temp. ord. in 6.* Baldo *in tract.de iure Protim.num.18. ver. ſic & de ignorantia.* Iaſone *in §. ſed iſte, num.89. & ſequent. ver. aduerte. Inſtit.de act.* Tamen vbi adeſt præſumptio ſcientiæ, iuramentum ignorantiæ non tollit illam præſumptionem præſumptiuam ſcientiæ in contrarium, vt docet Bartolus *in l. ſi cui, §. iiſdem criminibus, n.2. & 3. ver. Item dicitur hîc, & ver. ſeq. ff. de accuſat.* quem ibi ſequitur Pomatus *in addit. in ver. dicit ipſe*, & eſt de mente gloſſæ *in d.cap.2.de tempor.ord.in 6.* & expreſsè voluit Iaſon *in d. §. ſed iſte, n.92. verſ. ſecundò. & notabilius, & n.93. ver. tertiò* gloſſ. *Inſt. de act.* vide etiam Bartolum *in l. inter omnes, §. rectè, num.3. ver. quæro circa voluntatem furis, ff. de furtis*, aſſerentem in dependentibus ex animo, conſcientia, & voluntate noſtra, non ſtari aſſertioni noſtræ cum iuramento, ſi adſit præſumptio iuris in contrarium, & Bartolum ſequitur Alexand. *in addit. in ver. tamen breuiùs.*

His tamen non obſtantibus ſententiam Portel etiam tuetur Afflictus *in tract. de iure protim. §.2. n.9. ver. & ſi præſumptio.* & Lucas de Penna *in l. ſuper ſeruis, col.3. ver. in prima gloſſ. C. qui militare poſſunt, lib.12.* vbi videntur terminare quòd iuramentum ſuper ignorantia excludit præſumptionem iuris in contrarium exiſtentem.

Notandum eſt tamen hîc obiter ignorantiam etiam vincibilem ſiue facti, ſiue iuris imponentis cenſuras, & alias pœnas ſpirituales, ſiue factum illud fuerit peccatum mortale, ſi tamen non fuerit ignorantia craſſa, & ſupina, excuſare ab omnibus illis pœnis. Ita ego alibi cum Sanchez & Portel, qui iterum hanc ſententiam nouiſſimè docet *in loco ſupracitato, n.4.* quod perpetuò tene menti.

RESOL. XXV. *Vtrùm leges Pontificiæ non obligent, niſi in ſingulis Diœceſibus publicentur?*

NOn obligare docent plures Doctores, quos citaui *in 1.part.tract.10.de legibus, reſol.8.* quibus nunc addo Cæleſtinum *in comp. Theol. mor. tract. 3. cap.7. & tract.8. cap.17.* Duuallium *in 1. 2. D. Thom. tract.de legibus, quæſt. 5. art.5.* Marchantium *in horto Paſtorum in reſol. Paſtor. cap.4.q.21.* & latè Ioannem Wigers, publicum Profeſſorem ſacræ Theologiæ in Academia Louanienſi *in 1.2.D.Thom.q.69. art.4. à num.84. vſque ad num.93.* & quia codex rarus eſt, ponam per extenſum eius verba; ſic enim ait. Leges non tantùm Imperiales, & ciuiles, ſed etiam Pontificiæ & Eccleſiaſticæ, quę irritatoriæ ſunt contractuum, non obligant niſi ſint promulgatæ in ſingulis Prouinciis, & Diœceſibus, & idem poteſt probabiliter teneri, etiam de aliis nouis Pontificiis conſtitutionibus quando contrarium non exprimitur. Probari autem primò poteſt eodem argumento ducto ex *cap. ſi in adiutorium, diſt.* 10. & ex *cap.1. de noui operis nuntiatione*, quo authores ad præcedentem propoſitionem citati eamdem confirmant, quia Canones non magis ſtatuunt aliquid peculiare contra ius ciuile quoad alias conſtitutiones Eccleſiaſticas, quàm quoad leges Pontificias irritantes contractum. ergo tam in illis, quã in his procedit argumentũ. Confirmatur, quia Pontifex Pius IV. *in Bulla ſuprà citata*, quæ incipit, *Sicut ad ſacrorum*, ſatis ſignificat ſe quoque motum diſpoſitione iuris communis ad concedendam iuſtam temporis moram, antequam decreta Concilij Tridentini circa reformationes inciperent obligare, & ſortiri effectum; quídni ergo hoc de æquitate, & benignitate Pontificis præſumendum eſt, quòd in ſuis nouis conſtitutionibus intendat ſe conformare diſpoſitioni iuris communis quoad loca promulgationis, quemadmodum quoad tempus obli-

obligationis. Neque refert in eadem Bulla Pontificem declarare decreta Concilij ad reformationem & ius positiuum spectantia, à certo die ibi expresso omnes obligari cœpisse: tum quia ex toto Christiano Orbe fuerant ad Concilium illud Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi euocati, qui sufficienter de illis decretis erant instructi, vtpote qui & ipsi decreta illa condiderant, & poterant in suis Prouinciis, & districtibus facere illa innotescere, tum etiam, quia Pontifex mox à confirmatione, & promulgatione Romæ facta studiosè mandauit illa statim ad impressionem tradi quo commodiùs per Christiani nominis Prouincias & Regna diuulgari possent, vt loquitur in Bulla Confirmationis dicti Concilij, quæ incipit, *Benedictus Deus*. quare poterat existimare ea iam post trimestre, vel amplius sufficienter apud omnes esse diuulgata, & promulgata, nisi forsitan apud eos, quorum contumacia obstitisset, qui idcirco ab obligatione meritò non erant eximendi. Accedit quòd Pontifex loquitur generaliter de decretis omnibus ad dictam reformationem, iusque positiuum spectantibus, inter quæ etiam sunt plurima derogatoria priuilegiorũ, diuersarum facultatum & gratiarum, vt refert Pontifex Pius IV. in Bulla ea de re edita, quæ incipit, *In Principis Apostolorum sede*; cuiusmodi tamen leges, & constitutiones plerique, qui ab hac propositione dissentiunt, admittunt, & volunt non priùs vim habere, quàm fuerint denuntiatæ in Prouinciis, aut Diœcesibus, vel iis, quibus gratiæ & priuilegia concessa fuerint; vt patet ex dictis circa propositionem septimam; sed quoad rem satis iam antè responsum est. Probatur secundò, quia communis est interpretum iuris tum Canonici, tum ciuilis sententia, vt ex Abbate & Felino *ad cap. 1. de treuga & pace*, refert Azorius *suprà cap. 4. quæs. 1.* legem, quæ vsu non recipitur, carere vi, seu non obligare, quamuis Principis authoritate sit constituta & promulgata, quod etiam indistinctè de legibus tam Pontificiis, quàm ciuilibus docent ipse Azorius *eodem loco*, Gregor. à Valentia *suprà quæst. 5. punct. 5.* qui addit esse communem sententiam Iuristarum, & Theologorum. & Tannerus *loco suprà cit. dub. 4.* de plerisque saltem Pontificiis, quod an verum sit, dubio sequenti videbimus. Interim, & alij plures Theologi, quando agitur de diuersis nouis constitutionibus Pontificum in particulari, idem videntur sentire, quando excusant non obseruantes: propterea quòd in talibus, vel talibus Prouinciis non sunt receptæ; idque potissimùm ex hoc capite, quia non censetur Pontifex proponere legem, nisi tacitè sub illa conditione. Quare quantò magis æquitati, & rationi consentaneum est, magisque dignum sancta Sede, præsumi de eius benigna mente, & moderatione, quòd insistendo, & se voluntariè conformando dispositioni iuris communis, non sit eius intentio per constitutiones suas obligare Regna & Prouincias, vbi illæ promulgatę non fuerint, quàm de eius voluntate præsumere, quòd nõ velit eas vim habere in partibus, vbi promulgatæ fuerint, ideo quia vsu non recipiuntur à populo, sanè tanto videtur habenda veriſimiliori doctrina iam exposita in propositione decima præ illa, quæ tradit leges Pontificias non obligare propter non vsum, siue quia non recipiuntur à subditis, quis autem non videat æquius esse, & rationabilius, & magis dignitati conueniens, Principem nolle legem habere vim, quia in Prouinciis non est promulgata, quàm quia populus promulgatam non acceptat, aut ad vsum & praxim non deducit? ergo, &c.

Addi denique potest admodum grauis & iusta ratio voluntatis Pontificis; quia Ecclesia est Regnum spirituale amplissimum per omnes Orbis partes diffusum, & sine comparatione excedens latitudinem Romani Imperij. Quare impossibile est quòd leges Ecclesiasticæ in vrbe Roma duntaxat publicatæ innotescant, aliquousque vniformiter per totam Ecclesiam, aut per diuersa Regna, & Prouincias, vbi non sunt promulgatæ, quamuis ex occasione possint aliqui hîc, vel illic de iis inaudire. Velle autem sic lege obligare sparsim per mundum aliquos, qui casualiter, vel ex accidente inaudierunt, & resciuerunt legem illam Romæ publicam, reliquis vbique pro maxima parte omnino ignorantibus, aut non sufficienter & debitè informatis, esset inducere magnam difformitatem in ratione agendi, & viuendi inter fideles, in iisdem Prouincis, & locis commorantes, & magnam confusionem, quæ inde nata est sequi. Esset quoque multos coniicere in varias animi anxietates, & scrupulos conscientię, qui aliquid de lege audiuissent, quam tamen viderent passim non obseruari. Vnde sæpiùs & ipsi, etsi cuperent, non tamen commodè, aut conuenienter possent illas obseruare.

Deinde licet fideles omnes pariter sint subiecti Summo Pontifici, tamquam Christi Vicario in terris, & capiti vniuersalis Ecclesiæ militantis; nihilominus quemadmodum iuxta politicam gubernandi rationem, non eædem leges semper cõueniunt omnibus populis, nec vbique sunt futuræ vtiles; ita quoque frequenter potest accidere, quòd iuxta regulas prudentiæ Christianæ iudicabitur expediens, vt aliquæ leges Ecclesiasticæ, quæ non sunt de rebus admodum necessariis, non imponantur certis Prouinciis, & populis, super quibus sancta Sedes libenter desiderat informari, quia nouit sibi datam potestatem in ædificationem, non in destructionem. Hoc autem conuenientiùs fieri poterit, si dicamus leges eius ex ipsius voluntate non obligare priùs, quàm in Prouinciis fuerint promulgatæ. Si namque Ordinarij locorum habeant iusta motiua, quare existiment eiusmodi leges non fore vtiles pro tempore & loco, sed forsitan perturbatiuas, magis licebit de istis sanctam Sedem informare, & desuper eius expectare iudicium prius, quàm promulgentur vel apud populum, vt latæ, & obligantes enuntientur. Ob quas & similes causas dictum fuit meritò fuisse ab Imperatore ordinatum, quòd leges eius vim, & robur non haberent in Prouinciis, in quibus non fuerint promulgatæ. Quare cùm gubernatio Ecclesiæ sicubi contrarium in Ecclesiasticis constitutionibus non reperiatur expressum, soleat imitari

tari regimen,& leges Imperij, quod Canones ſupracitati indicant, meritò quoque propter illas,& alias exiſtimare licebit SS.D.N.ex ſua voluntate vti in legibus inducendis pari prouidentia & benignitate, quibus ipſe Imperator vtendum cenſuit, quando contrariam expreſsè non declarauerit; præſertim cùm non minori commoditate poſſint per Prouincias Eccleſiæ publicari leges Pontificiæ, quàm per Prouincias Imperij leges Imperatoriæ, quandoquidem in omnibus habeat tum ſuos Legatos, vel Nuncios Apoſtolicos, tum Ordinarios ſibi ſubiectos,quibus promulgationem poteſt demandare, prout etiam frequenter facit per ſuos Nuncios moneri Ordinarios, quatenus conſtitutiones Pontificias Romæ editas,& publicatas curent in ſuis Prouincijs, & Diœceſibus obſeruari, & ijs, quorũ intereſt,inſinuari,ſeu publicari,quod non ita pridem ſæpiùs apud nos quoque executioni demandarunt. Quare falli videtur in eo, quod dicit Vaſquez *diſp.*157.*n.*22. nullam hactenus legẽ, vel Bullam Pontificiam plus, quàm in Curia Romana fuiſſe promulgatam, cùm & Concil. Trid. pluribus in locis, vbi vniformiter aliquouſque ab omnibus obſeruatur, fuerit publicatum poſt promulgationem Romæ factam.Imò Canones indicant manifeſtè Pontifices ſupponere leges,& conſtitutiones ſuas per Ordinarios eſſe in Prouincijs publicandas,etſi hoc non exprimant,& tunc contrauentores pœnis ſubiacere. Colligitur euidenter ex *c.cùm infirmitas, de pœnitentiis & remiſſionibus.* vbi ſic loquitur Pontif. Si quis autem Medicorum huiuſmodi noſtræ conſtitutionis poſtquam per Prælatos locorum fuerit publicata,tranſgreſſor extiterit, tamdiu ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur, &c. vbi Pontifex omnino ſupponit, quòd conſtitutio illa ſit per Prælatos publicanda,quamuis conſtitutio iſtius non contineat mandatum; & tunc ea facta tranſgreſſores efficiantur rei. Quod ſi aliquæ, ſiue Eccleſiaſticæ, ſiue ſeculares perſonæ promulgationem malitiosè,aut aliàs indebitè impedirent, haud dubiè præter grauem reatum, quem impediendo incurrunt, etiam legis nexu tenebũtur,vtpote quæ illis ſufficienter inſinuata fuerit, neque cuiquam debeat ſua ſuffragari malitia.

Dixi in propoſitione, *quando contrarium non exprimitur*; ſi enim Pontifex expreſsè declararet ſe velle ex magnis & grauioribus cauſis legem ſuam invim ſolius promulgationis Romæ factæ ſortiri robur, & effectum per omnes Chriſtiani orbis partes,& vbique obligare, abſque alia promulgatione,vel publicatione legis alibi vi facienda, vt, verbi gratia, quia in multis Regnis & Prouincijs ſciret legis ſuæ publicationem indebitè & ſine fũdamento impediendam,negandum non erit, legẽ tunc vim & robur habituram apud omnes fideles, vbi innotuerit,etſi in Prouincijs,aut diœceſibus ibi nõ fuerit publicata,quia tametſi ordinata ratio inducendæ legis cum fructu,& effectu per ſe videatur id poſtulare, quòd talis adhibeatur eius promulgatio, vt certa ratione poſſit morali modo innoteſcere ſimul apud omnes,aut plurimos tempore illo, intra quod legiſlator velit eam obligare in talibus & talibus locis(cùm alioquin vix poſſit humano modo fieri, quòd vnquam iſtius ſit *in talibus locis obſeruatio debita*, quia antequam vtcũque apud plures innotuerit, iam propter moram temporis dicetur per non vſum elanguiſſe) tamen ex vrgentioribus cauſis, vti diximus, & quaſi per accidens,& propter neceſſitatem poterit Pontifex legem etiam vno tantùm loco promulgatam velle vbique obligare,& hac ſua voluntate accedente ſic promulgatæ robur & vim tribuere obligandi omnes, apud quos quomodolibet innotuerit. Neque obſtat,quòd Imperator ſua lege in Metropoli reſidentiæ ſuę dumtaxat publicata,non valeat forſitan omnes Imperij Prouincias (quãuis id vel maximè vellet) obligare,quia magnũ intercedit hac in parte diſcrimen inter Pontificem,& Imperatorẽ, quia Imperator ſuperioritatẽm & poteſtatem legiſlatiuam habet à populo,& proinde limitatã, ſeu modificatam iuxta mentem,& ſenſum populi:nõ exiſtimantur autem prouinciæ ſingulæ,quæ ſunt corpora politica per ſe quodammodo perfecta,dediſſe illam authoritatem Imperatori, quòd poſſet eas legibus ſuis ligare alibi, quàm in ipſis Prouinciis promulgatis.Summus Pontifex verò habet ſupremam poteſtatem regendi Eccleſiam,& ordinandi omnia, quæ ad eius regimen ſunt neceſſaria, aut opportuna immediatè à Chriſto Domino,& proinde limitationem, aut modificationem à populo non recipit.Quando igitur ea ſunt adhibita, quæ ad eſſentialem rationem legis, eiuſque applicationem ſunt requiſita, obligabit ea vniuerſaliter omnes,ſi Pontifex declarauerit illam eſſe ſuam intentionem & voluntatem. Sed contra antedicta opponitur ex Sylueſtr. conſequens inde fore, quòd multæ Decretales Pontificis non obligarent,ſiquidem multæ in multis Prouincijs non ſunt vnquã promulgatæ,in quibus tamen obligant, & ſeruantur.Ita Valentia *ſupr. diſp.* 7. *q.* 5. *punct.*5. vbi tamen admittit ſententiam Soti eſſe probabilem. Reſpondeo negando conſequentiam,quia ipſa receptio legis, ſeu Canon alicuis in communi corpore iur. quod vbique ſolet ex pulpitis audiri,& obſeruari,eſt quædam virtualis promulgatio legis,ſeu Canonis,etiam in ſingulis Prouinciis & Diœceſibus, vt docet Tannerus *ſuprà.* ideoque vult etiam conſtitutiones Pontificias irritatorias cõtractuum vim habere, quæ in commune corpus iuris ſunt redactæ,quamuis aliter in Prouinciis non ſunt promulgatæ,licet de alijs ſentiat non habere robur, vt diximus, niſi in Prouincijs & Diœceſibus fuerint promulgatæ.Imò non tantùm eſt quædam virtualis promulgatio, ſed bene actualis, & ſolennis, quando paſſim in Academijs publicè ex cathedris præleguntur, & explicantur, idque ex authoritate Principum,qui leges,vel canones condiderunt. Et hæc omnia docet VVigers *vbi ſuprà*, cuius ſententiam probabilem eſſe docet nouiſſimè Iacobus Gordonus *in Theol. mor. tom.* 1. *lib.*2. *q.* 10. *cap.*5. §.2. *num* 14. & ex eadem Societate Nicolaus Baldellus *in diſp. Theolog. tom.*1.*lib.*5.*diſp.*18.*n.*7. Verùm his non obſtantibus tu ne deſeras tenere contrariam ſententiam,quam ego docui *loco citato*.in principio huius reſolutionis,cum multis Doctoribus, quos poſtea citat & ſequitur Merolla *in diſp.Theol.tom* 2.

diſp.4. cap. 4. dub.17. num.250. quibus nunc addo Monteſinum *in 1.2. D.Thom.tom.2.diſp.20. q.4. diffic. 3.num.96.* Peſantium *in 1.2. q.108. art. 4. diſput. 5.* & Auerſam *in 1.2. quæſt.95.ſect. 4.*

RESOL. XXVI. *An Epiſcopi poſt reſignationem alicuius beneficij, factam in eorum manibus, poſſint illud conferre ſuis, vel reſignantis familiaribus, affinibus, &c. Vbi etiam aliqua inuenies circa intelligentiam Bullæ Pij V. de reſignatione beneficiorum.*

NEgatiuam ſententiam determinatam eſſe in Motu Pij V. qui incipit, *Quanta Eccleſia Dei*, edito anno 1568. obſeruat Filliucius *tom.3. tract.45. cap.8.n.29.* & ideo Villalobos *in ſumma, tom.2. tract. 37. difficult.32. num.2.* ſic ait. [Pio V. en ſu Eſtrauagante manda à los Colatores de los beneficios reſignados, que no les den à los ſuyos, ò à los parientes, ò afines ò familiares de los que reſignan; y que ſi hizieren lo contrario, ſea irrito. Et ita hanc ſententiam tenet, & probat Pariſius *de reſignat. benefic. lib.5. q.6. num.188. & ſeq.*

Verùm his non obſtantibus Caſtrus Palaus *tom. 2. tract.13. diſp.6. punct.2 §.1. num.7.* putat quoad hoc hanc Pij V. conſtitutionem non videri vſu receptam, ſed potius à principio fuiſſe ab ea ſupplicatum. & conſequenter nec pœnas ob hanc cauſam ibidem impoſitas. Ita ille, & ante illum Garſias *de beneficijs, tom.2. p.11. c.3. num.270.* & Barboſa *de poteſt. Epiſcopi. p.2. alleg.69. n.48.* quibus ego addo Epiſcopum ſatis quidem doctum & pium, Alphonſum Moſcoſum *in ſum. tr.15. c.10. n.2.* vbi ſic aſſerit. [Pio V. en vn proprio moto atò las manos à los Obiſpos, mandando con graues penas, no pudieſſen dar eſtos beneficios pueſtos en ſus manos à ſus parientes, ni à ſus familiares, y criados. Fue mandado rigoroſiſſimo para los Obiſpos, que haziendo el douer andan acomodando ſus familiares y parientes ſegun ſus merecimiẽtos, quitandoles vnos beneficios, y dandoles otros, era intolerable obligarlos à que cada paſſo para hazer eſtas prouiſiones acudieſſen à Roma. Supplicò el Señor Rey Felippe II. deſte mandado, y embiò cedulas à los Obiſpos, haziendoles ſaber como ſe auia ſuplicado deſta Eſtrauagante, y que con ſegura conciencia podian ſeguir la coſtumbre antigua, y yo recebi auiſo en vna cedula real ſobre el Caſa.] Ita Moſcoſus.

Sed hi Doctores loquuntur quoad Regna Hiſpaniarum. Vnde pro alijs, vbi dicta Bulla eſt vſu recepta, dubitatur circa illam, an patroni poſſint præſentare ad beneficia hæc reſignata conſanguineos reſignantis, quia in prohibitione nõ loquitur cum his, ſed cum collatoribus, ne illis conferant. Quod poteſt intelligi ne illis conferant proprio motu, ſecus quãdo præſentatur à patrono. Et quãuis pœnæ in dicta Bulla ſtatutæ cõprehendant etiã patronos preſentantes, id tamen intelligendum eſt, quãdo præſentant cõtra id, quod ibi illis prohibetur, quod tamen non eſt præſentare cõſanguineos reſignantis, ſed quòd Prælati non admittant nominationem ſucceſſoris factam à reſignante. Et hæc omnia cum multis doctis iunioribus docet Sanchez *in opuſc. tom.1. l.2. c.3. dub.36. n.24.* qui etiam *n.23.* circa verba eiuſdem cõſtitutionis mouet aliud dubium, an videlicet reſignanti liceat nominare ſucceſſorem, non deducendo in pactum, vt ipſi detur, ſed ſignificando collatori, vt ſi velit, det ipſi. Et reſpondet quòd quidam iuniores dicunt, quòd ſi fiat ante renuntiationem, non caret ſcrupulo, quia Pontifex intendit euitare omnem modum ſucceſſionis: at ſi fiat poſt factam liberam reſignationem in manibus Prælati, nullum aiunt eſſe ſcrupulum nominare ſucceſſorem, vt illi detur. Et id verum eſſe exiſtimat Sanchez. Imò plus addit non videri contra dictum Motum proprium Pij V. ſignificare Prælato ſucceſſorem, relinquendo omnino in eius voluntate prouiſionem. Et ita illa verba, *caueant ne nutu, aut verbo*, &c. intelliguntur taliter, vt inducatur pactum tacitum, vel expreſſum, aut de his aſſumendis promiſſio, vel intentio, intelligitur promiſſio, ſcil. expreſſa, vel intentio in pactũ tacitum deducta, aliàs dicendum eſſet, quòd punit ſolum actum internum. Hæc omnia Sanchez, quæ apud alios nõ facilè inuenies, ideo plurimũ notãda.

RESOL. XXVII. *An qui ſcit Italicè, non autem Latinè legere, poſſit ab Epiſcopo mitti ad primam Tonſuram, & quid ſi neſciat ſcribere?*

QVoad primum negatiuè videtur reſpondendum, quia Paludanus *in 4. diſt 24. q.3 n.8.* docet requiri legere Pſalmos, & Rebuffus *tract. de pacifica poſſeßione, num.214.* dicit *illiteratum*, qui modicas literas ſcit legere in vulgari.

At his non obſtantibus puto contrariam ſententiam tenendam eſſe, quia Concil. Trid. *ſeſſ 23. c.12. de reform.* dicit. Non initietur prima Tonſura, qui neſcit legere, & cùm negatiua illa non incluſa in verbo *neſcit*, totam affirmatiuam deſtruat, & contrarium eius ponat iuxta gloſſam ſingularem in *c. cùm dilectus, de conſuet.* ſi aliquis ſcit legere ſaltem Italicè, v.g. non poteſt dici neſcire legere, ſeu nullo modo ſcire legere, quæ ſunt æquipollentia. Et hæc omnia docet Sanchez *in opuſc. tom.2 lib.7. cap.1. dub. 46 num.11.* cui ego addo Azorium *tom.2 lib.6 cap.6. num.2.* & Barboſam *de poteſt. Epiſcopi part.2. alleg.11. num.5. in fine.*

Quoad ſecundum verò ſufficere, quòd characteres formare ſciat, quamuis ſcribere perfectè neſciat, docet Sellius *in ſelect. Canon. cap.5. num 6.* vbi teſtatur ita declaraſſe ſacram Congregationẽ Epiſcoporum & Regularium ſub die 13. Octobr. 1593.

RESOL. XXVIII. *An diſpenſatio ſuper impedimento cognationis, vel publicæ honeſtatis, non facta mentione de copula habita, ſit ſubreptitia?*

VT alibi notaui, communiter affirmatiuã ſententiam docent, quam tenet Sanchez *de matr. tom.3. l.8. diſp 25. n.4.* Guttierrez *in qq. Canon. lib.1. c.23. num.15.* Menochius *de arbitrarijs caſ.502* Garſias *de beneficijs, tom.2. part.8. c.3. n.64. & 66.* & adducunt Concilium Tridentinum *ſeſſ 24. cap.5. de reform. matr. & c.2. de eo, qui cognouit conſ. vxor ſuæ.*

Non deſinam tamen hîc adnotare, negatiuam ſententiam quoad impedimentum publicæ honeſtatis, docere Henriquez *lib.12. cap.3. num.8. in gloſſa lit. P.* & poſtea doctus Ochagauia *de Sacr. tract.4.*

de

de matr. q.11. concl.2. n.14. vbi ait, quòd prædictum decretum Concilij tantùm intelligitur de his, qui cum impedimento dirimente, conſanguinitatis, & affinitatis laborarent, & non alio, matrimonium auſi ſunt contrahere, & probat hanc ſententiam. Primò ex quadam declaratione Cardinalium relata à Marzilla *lib.3. de conſanguin. cap.3.* in qua Cardinales declarantes illud verbum Concilij, *ſpe diſpenſationis careat*, ſic inquiunt. Quando ſcilicet impedimentum prouenit ex conſanguinitate, & affinitate, non autem ex impedimento iuſtitiæ publicæ honeſtatis, ad quod prohibitio hæc non ſe extendit. Secundò probatur, quia perſonis impedimento conſanguinitatis & affinitatis ligatis frequentiùs accidunt dicta matrimonia; ergo conueniens fuit ea ſtrictiùs prohibere, leges enim malis frequentioribus ſua ſolent adhibere remedia. Ita Ochagauia.

RESOL. XXIX. *An Vicarius Capituli Sede vacante poſſit cognoſcere de cauſis delegatis Vicario generali Epiſcopi, & exequi diſpenſationes in matrimonij impedimentis, & literis in forma* Dignum, *quæ huiuſmodi Vicario Epiſcopi ſolent committi?*

AFfirmatiuam ſententiam docuit Thomas Sanchez *de matr. tom.2. lib.8. diſp.27. n.32. & 33.* cum Salas *de leg diſp.20. ſect.17. nu.124.* quibus ego addo duos præſtantiſſimos Theologos inclytæ Academiæ Salmaticenſis, Petrum Ochagauiam *de Sacr. tr.4. de matr. q.1. n.23.* & Baſilium Pontium *de matr. lib.8. c.18. §.1. n.13 in fine.* & ratio eſt, quia Capitulum ſuccedit in omni iuriſdictione ordinaria Epiſcopo, & in omni iuriſdictionis commiſſione facta Epiſcopali dignitati, & Vicarius Capituli eodem modo ſuccedit Vicario Epiſcopi, & eamdem commiſſionem poterit etiam exequi Vicarius Prælati habentis iuriſdictionem Epiſcopalem in ſua Diœceſi, nulli Epiſcopo ſubdita, vt Vicarij quorumdam Abbatum, quia *in Clem.11. de reſcriptis*, dicitur Epiſcoporum Vicarios eſſe capaces delegationis à Papa conceſſæ, vel ab eius Legato; nomine autem *Vicarij Epiſcopi* comprehenditur etiam Officialis eius, qui licet Epiſcopus non ſit, habet tamen iuriſdictionem Epiſcopalem. Ita defendunt Stephanus & Matthæus *ſup. Clem. cit.* relati ab Imola *in ea Clem. n.19.* & etiam Vicarius Epiſcopi illius qui eſt electus & confirmatus à Papa, nondum tamen conſecratus, poteſt eaſdem litteras diſpenſationis, & commiſſionis exequi, quia tunc Epiſcopus & eius Vicarius gaudent iuriſdictione Epiſcopi. Hæc Ochagauia *loco cit.*

Sed his non obſtantibus contrariam ſententiam tenent Garſias *de benefic. tom.2 p.6. c.2. à n.44.* Riccius *p.1 deciſ.44. ſect.38* Bonacin. *de legibus, diſp.1. q.3. punct.8. §.1. n.7.* & alij, attento ſtylo Curiæ & Cancellariæ, quæ Sede vacante Epiſcopali non dirigit literas in forma *Dignum*, nec diſpenſationes Vicario Capituli, quia non confidit de illo, ſed Epiſcopo viciniori, ſeu eius Vicario, de quo ſtylo teſtatur Hieron. Paul. *in pract. Cancell. in princ. ver circa qualitatem perſonarum.* & ita declarauit ſacra Cardinalium Congregatio ſub die 24. Maij 1621. aſſerens diſpenſationes matrimoniales directas Epiſcopo, & eius Vicario generali, ſi Sedes vacare contingat, non poſſe per Vicarium Capitularem expediri. Et nouiſſimè ſub die 2. Auguſti 1631. cenſuit Capitulum, ſeu Vicarium Capitularem non poſſe exequi commiſſiones Apoſtolicas in forma *Dignum*, & alias directas Epiſcopo, vel eius Vicario generali intuitu officij; vel ſub nomine dignitatis. Et hæc omnia docet Barboſa *de iure Eccleſ. lib.1. c.32. num.57.* cui ego addo Ioannem Mariam Nouarium *in ſum. Bullarum de Capitulo Sede vacante, num.27.*

Non deſinam tamen hîc adnotare quod Gauantus *in Enchir. Epiſcop. ver. Capitulum Sede vacante, num.55.* obſeruat, ſacram Cardinalium Congregationem Epiſcoporum ſub die 5. Februarij 1601. declaraſſe Vicarium Capituli Sede vacante poſſe exequi literas directas ad Vicarium Epiſcopalem ſub nomine Vicarij, & ſub die 10 April. 1615. declaraſſe dictum Vicarium poſſe executioni mandare literas Epiſcopo defuncto directas per ſacram Congregationem, & ab eo non executas.

RESOL. XXX. *An diſpenſatio prima vice quâ illa vtimur, extinguatur?*

VT v.g. emiſit quis votum caſtitatis, vel Religionis, & obtinet diſpenſationem contrahendi matrimonium, non obſtante voto, quæritur an iſte ſemel tantùm poſſit inire matrimonium ex vi dictæ diſpenſationis, an ſæpiùs? Sanchez *de matr. tom.3. lib.8. diſp.31.* docet diſpenſationem non extingui prima vice, ſi abſolutè concedatur; ſed ex vi illius ſæpiùs poſſe celebrari matrimonium, quia in eo caſu tollitur votum, quod impediebat matrimonium: tale ergo votum numquam obſtabit, etiamſi ſæpius vouens velit contrahere matrimonium, & ideo aſſerit Sanchez diſpenſationem conceſſam in voto, non ſecundùm ſe totum, ſed ſecundùm partem, vt ad celebrandũ matrimonium, ſi cauſa ſemper permaneat, propter quam diſpenſatio conceſſa eſt, ſemper ac ſæpiùs prodeſſe, vt matrimonium licitè celebretur. Imò eamdem doctrinam defendit in eo caſu, quo diſpenſatio tantùm ſit conceſſa ad contrahendum matrimonium cum certa quadam perſona, ſcil. cùm in eius fauorem conceſſa eſt talis diſpenſatio, poſſe contrahere cum qualibet femina, dum tamen cauſa diſpenſationis vim habeat reſpectu cuiuſlibet feminæ, ſcil. periculum incontinentiæ, quod quis propoſuit Pontifici, vt cum eo diſpenſaret, ad hoc vt poſt votum caſtitatis emiſſum poſſit contrahere cum certa quadam femina. Ita Sanchez.

Sed quoad omnia ſupradicta illum impugnat Petrus Ochagauia *de Sacr. tr.4. de matr. q.13. n.8. & 9.* vbi firmat, quòd cùm diſpenſatio non explicat, an ad plura matrimonia, vel ad vnicum tantùm ſe extendat, ſiue ſit abſoluta, ſine limitatione conceſſa, atque in totũ alicuius voti impedientis matrimonium; ſiue ſit partialis; vt cùm in ea conceditur facultas tantùm ad matrimonium celebrandũ, non obſtante voto; ſi tamen diſpenſatio prædicti voti poſtuletur à Pontifice cum expreſſione finis intenti ineundi matrimonium, ſolùm cenſetur prodeſſe ad hoc, vt vnicum tantùm matrimonium licitè

poſſit celebrari. Ita Ochagauia. Et ante illum Henriquez *lib.12.c.5.num.7.in gloſſa lit.V.* Sed ſententiam Sanchez ſequitur, quod mirum eſt, eius acerrimus impugnator Baſilius Pontius *de matr. lib.8. cap.20. §.vnic. num.13.* Vnde ego puto vtramque opinionem eſſe probabilem. Sed circa præſentem quæſtionem, quando ceſſet diſpenſatio per primum vſum eiuſdem diſpenſationis præter Pontium, & Ochagauiam *vbi ſupra*, vide Salas *de legibus diſp.17. ſect.13. & diſput.20.ſect.19.* cum Azorio *tomo 1. lib.5. cap.23.quæſt.5.*

RESOL. XXXI. *An qui per Confeſſarium vigore literarum alicuius diſpenſationis habuit pœnitentiam vt ſingulis menſibus confiteatur; an, inquam, confeſſionem aliquo menſe omiſſam teneatur ſequenti ſupplere?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Petrus Ochagauia *de Sacr.tr.4.q.14.num.4.* vbi ſic ait. Sentio quòd ſi ille, cui ſingulis menſibus ſit impoſita confeſſio in aliquo menſe, non confiteatur, cogendũ eum eſſe in ſequenti menſe bis confiteri, quod ſimile eſt illi reſolutioni, quam defendimus in materia de pœnitentia, ſcil. eum, qui vno anno non impleuit præceptũ cõfeſſionis, debere in altero ſequenti bis confiteri; cuius eſt ea aſſignanda ratio, quia confeſſio hæc non tam imponitur pro onere, quàm ad perfectionem, & ſupplendam excellentiam voti. Ita ille, ſatis quidem probabiliter.

Sed etiam non minus probabilem negatiuam ſententiam exiſtimo, quam docet Sanchez *de matr. tom.3. lib. 8. diſput. 34. num.37.* vbi ſic aſſerit. Si menſis tranſeat abſque confeſſione, credo hunc non teneri confeſſionem omiſſam ſupplere, alio menſe eam duplicando, ad quod onus ſingulis menſibus adſtrictus ſit. Sicut vouens quotidie recitare, non tenetur preces alicuius diei omiſſas ſupplere. Hæc Sanchez.

Nota tamen quòd non ſolùm Sanchez, ſed etiam Ochagauia aſſerunt, quòd eo menſe, quo iſte vellet ſatisfacere præcepto confeſſionis annuæ, tantùm obligabitur ad vnam confeſſionem, eaque ſatisfaciet tum diſpenſationi, tum præcepto Eccleſiæ; quia non eſt credendum Pontificem velle maius ei onus imponere, & ſic ait Sanchez dicendum eſſe de eo, qui confeſſionem menſtruam vouit, & de eo, qui, v.g. per aliquos annos habuit à Confeſſario impoſitam ſingulis menſibus confeſſionem, & in aliquo illorum coincidit præceptum Eccleſiæ; nam in his caſibus non tenetur ad duplicem confeſſionem, quæ ſunt valde notanda, quia practicabilia.

RESOL. XXXII. *An qui fictè promiſit matrimonium, & ſub ea ſpe feminam cognouit, teneatur illam in vxorem ducere?*

ALibi cum Leſſio, & communi ſententia affirmatiuam ſententiam docui. Non deſinam tamen hîc adnotare Ioannem Præpoſitum *in 3.p. D. Th.q.9.de ſponſal.dub.4.n.46.* per ſe loquendo, contrariam ſententiam docere, ſic enim ait. Deduci videtur, quòd etiam is, qui ſub ſpe copulæ alicui fictè matrimonium promiſit, etiam obtenta copula, non teneatur illam ducere ſepoſito ſcandalo, & damno, quod aliter compenſari non poſſit. Probatur. nam non tenetur ratione promiſſionis, vtpote fuit nulla, nec ratione damni, cùm illud aliter poſſit compenſari, quàm per matrimonium, vt ſupponitur, & patet in ea, quæ vi eſt cognita, quam non tenetur in vxorem accipere is, qui vim intulit, ſed poteſt aliter damnum reſarcire; ſufficit ergo in caſu noſtro dare tali feminæ, quantum moraliter requiritur, vt non cenſeatur damnum pati, & vt cenſeatur dari æquale rei ablatæ; quòd enim talis vir peccauerit decipiendo, non infert damnum taliter irreparabile, quàm per matrimonium. ergo non tenetur matrimonium inire ad illud reparandum, ſed poteſt illud damnum iniuſtè per fictã promiſſionẽ illatum aliter compenſare. Ita Prępoſitus. Sed in praxi non eſt recedendũ à prima opinione tamquam cõmuni, quam etiam docet Vaſq. *in 3.p.to 4. diſp.6.de matr.c.4.* Mercerus *in 3.p.de Sac.q.43. dub.1.* & Ochagauia *de Sacram.tract.1. de matr. quæſt.6.n.5.*

Nota tamen quòd hæc opinio affirmatiua limitatur à Doctoribus varijs modis, & Præpoſitus *vbi ſuprà* aliquas limitationes adducit, ideo in caſu contingenti vide illas, & præſertim Villalobos *in ſum.tom.1.tract.12.difficult.3.num.3.*

RESOL. XXXIII. *An ſi ſponſalibus fictis iuramentum apponatur, non tamen cum animo ſe obligandi, oriatur obligatio præſtandi quod promiſſum eſt?*

AFfirmatiuè reſpondet Ioan. Præpoſitus *in 3.p. D.Th.q.9.de ſponſal.dub.4. n.41.* quia obligatio iuramenti nõn oritur ex eo, quòd aliquis ſe velit obligare, ſed ex eo, quòd re ipſa voluntariè Deum aſſumat in teſtem rei futuræ. nam reuerentia Deo debita obligat, vt id præſtemus, quod ſub diuina atteſtatione nos facturos promiſimus, ne alioquin Deum teſtẽ falſi accerſere cenſeamur. Igitur quãuis, vi promiſſionis nulla oriatur obligatio erga compartem, oritur tamen obligatio religionis erga Deum faciendi id, quod iurauimus, cùm res ſine peccato fieri poſſit, & legibus non prohibetur. Ita ille, & ante illum Caietanus *in 2.2. quæſt.19. art.7.ad 4.* Couarr. *de pactis, p.1.§.5. num.2.* Sotus *de Iuſt.l.8.quæſt.1. art.7.ad 4.* Aragon. *in 2.2.q.89.art.7.* Henriquez *lib.11.cap.13.num.2.in gloſſa lit. Z.* & alij. Hæc ſententia eſt probabilis.

Sed contrariam non minus probabilem eſſe puto, quam cum multis tuetur Sanchez *de matr. lib.1.diſp.9.num.9.* quibus addo Mercerum *in 3.p.D. Thom.quæſt.43.de matr. dub.1.* non enim Deus acceptat iuramentum niſi ſecundùm hominis intentionem, ex *can.humanæ aures 22. quæſt.5* Nota tamen quòd ſtando etiam in prima opinione, ex illa non oritur obligatio iuſtitiæ erga compartem, vel per talem promiſſionem induci impedimentum publicæ honeſtatis, quia in ratione ſponſalium nulla eſt promiſſio defectu conſenſus, quod docet Præpoſitus *vbi ſuprà*, & eſt valde notandum. Sed ex iſta quæſtione ad reſolutionem multorum dubiorum quæritur in genere,

RESOL.

RESOL. XXXIV. *An iuramentum additum fictæ promißioni, veram inducat obligationem?*

AFfirmatiuam sententiam docet Lessius *lib.2.c.42.dub.8.n.38.* Suar. *de Relig.tom.2.lib.2.c.7.n.11.* Caiet. & Sotus *vbi suprà*, cum multis aliis, quia obligatio est omnino inseparabilis à iuramento promissorio, nec est in potestate hominis efficere vt tale sit iuramentum, & ex eo non nascatur obligatio. Secundò quicumque iurat aliquid, tenetur efficere, vt verum sit quod iurat, nec vlla arte potest hanc obligationem euadere, quia cauendum ei quàm maximè, vt non adducat, vel adduxerit Deum in testem falsi. ergo tenetur exequi quod iurauit se facturum, volente eo, in cuius fauorem iurauit. Et tandem tertiò ex iuramento nascitur obligatio, non ratione intentionis obligandi, vt in contractibus, sed ex natura operis, sicut ex damno illato nascitur obligatio restitutionis, & ex facto vnde damnum metuitur, nascitur obligatio impediendi; ergo etiam si intentio obligandi absit, nihilominus orietur obligatio vi iuramenti. Ita Lessius *vbi suprà*, & hæc opinio magna fulcitur probabilitate.

Sed sententia negatiua tutò amplecti potest, quam tuetur inter alios recentiores Petrus Ochagauia *de Sacram.tr.1.de matr.q.6.n.3* quia iuramentū sequitur naturam actus, cui adhæret, seu promissionis, cui annectitur; sed promissio in casu huius quæstionis non obligat, vt suppono. ergo neque etiam iuramentum ei annexum obligabit. Secundò probatur, quia qui vult non se obligare, & tamē iurat, aut cùm iurat desistit à voluntate nō se obligandi, & tunc sine dubio manet obligatus, quia est vera promissio, & de hoc casu non procedit quæstio: aut non desistit à prædicta voluntate, & tunc in rei veritate non habet voluntatem iurandi, sicut neque promittendi, sed illud iuramentū tantùm habet similitudinem iuramenti exteriorem, reuera tamen iuramentum non est. Et ita, vt dixi, hæc sententia est satis probabilis, & ferè communis, vt ipsemet Lessius *loco citato* fatetur.

RESOL. XXXV. *An legatum relictum non personæ particulari, sed generaliter pro virginibus maritandis, lucretur puella, quæ Religionem ingreditur?*

HIc casus frequenter potest accidere, & præsertim deseruiet pro Præpositis huius domus S. Ioseph Panormi in legatis distribuendis ratione hæreditatis Fabritij à Drepano. Dico igitur quòd negatiuam sententiam sustinent Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *de matrim.tom.1.lib.1. disp.33 n.32.* quibus ego addo Illephonsum de Lara *lib.1.de Capellan.c.21.n.26.* & Petrum Cenedo *in can qq. q.35.num.11.* vbi sic ait. Executores testamentorum, quibus onus iniunctum est distribuendi bona legata à testatore inter puellas maritādas, ea minimè conferre possunt ingredientibus Religionem. Ita ille. Et ratio est, quia quando legatum relictum est certæ personæ sub nuptiarum conditione, & illa Monasterium ingreditur, non potest legatum in specifica forma impleri, si alij feminæ nupturæ tribuatur. quare non est mirum si ius præsumat voluisse testatorem illi legare, etiam casu, quo ingrederetur Religionem dum de contraria eius voluntate minimè constat. Verùm quando legatur, vt est in casu, de quo loquimur, in certis puellis matrimonio collocandis, tale legatum potest omnino in vera & propria forma impleri, si matrimonium temporale contrahentibus detur, nec testator affectum habuit specialem ad eam, quæ Religionem ingreditur. ergo, &c. Cæteras rationes videbis apud Sanchez.

Sed ego contrariæ sententiæ tanquam probabiliori magis adhæreo, quam ex Iurisconsultis tenet Natta *cons.296.num.4.* Boërius *decis.3.num.13.* & alij, quos citat, & sequitur doctus Ochagauia *de Sacram.tr.1.de matrim.q.15.num.17.* vbi sic asserit. Legatum relictum non solùm consanguineis, & certis puellis, sed etiam incertis absolutè ad has, vt collocentur matrimonio, potest eis omnibus distribui, etiamsi non nubant, sed Religionem profiteantur. Ita ille, quod probat verbis claris ex *auth. de sanctiss Episc. collat. 9. §. Sed ex hac præsenti*, & ex multis alijs rationibus, quas omnino videbis apud ipsum. Vnde, me consulente, executores testamentorum ne timeant hanc sententiam in praxim deducere, quam etiam præter DD. citatos tenet sapientissimus Basilius Pontius, qui instar multorum habendus est, *de matrim.lib 3.cap.7.num.11.* vbi testatur suo tempore hanc sententiam fuisse communem inter Theologos Salmaticenses; & ratio est, quia cùm illa constitutio in dicta Authentica inducta sit ex mero & pleno fauore Religionis, & non ex præsumptione aliqua, suadet etiam vt ex eadem ratione extendamus eam dispositionem ad legata indefinitè relicta. Deinde nulla commoda assignari potest ratio differentiæ inter legatū hoc, & legatum relictum certæ personæ, quia si ius naturale attendas, omni legato conditionali, siue relinquatur certæ personæ, siue indefinitè, commune est, vt non subsistat non subsistente conditione. Vnde iure naturali neutrum subsisteret, si animus testatoris est in contrarium; tam enim repugnat spectato iure naturali adimpletio in ficta forma in vno casu, sicut in alio; quòd autem vnum impleri possit in specifica forma, non aliud, parum refert, vt dictum est. Si autem attendas voluntatem præsumptam, quando nihil expressit testator, meritò censetur in vtroque casu non excluisse statum Religionis. Si denique inspicias dispositionis positiuæ rationes, eadem militat in vtroque legato, scil. fauor Religionis. Hæc Pontius. Dicendum est igitur contra Sanchez & alios nullam differentiam reperiri inter legatum relictum pro maritanda persona certa, & indefinitè pro maritandis personis incertis; sed in vtroque casu ingredientes Religionem tale legatum consequi posse dicendum est. Et hanc sententiam seruari etiam in foris contentiosis testatur Ochagauia *vbi suprà*.

RESOL. XXXVI. *Coniux quando teneatur reddere debitum petenti sub onere peccati mortalis?*

SCio ignarum Confessarium aliquando denegasse absolutionem cuidam nobili feminæ, quę tamen in casu licito negabat aliquando debitum

coniugale. Et ideo ad dubium propoſitum reſpondet Petrus Ochagauia *de Sacram. tract. 5. de matrim. q. 1. n. 6.* Primò non eſſe peccatum graue denegare debitum in eo caſu, quo alter coniux tantùm petit debitum precibus & blanditiis, niſi ex verecundia quis non auderet aliter exigere. patet, quia tunc non vult coniux grauiter obligare, imò ſæpè neque leuiter. patet, quia hac ratione excuſantur ab omni peccato debitores pecuniarij, qui ſuis creditoribus blanditiis petentibus debita, ea non ſoluunt. Ita notant Sotus *in 4. diſt. 32. q. vnic. art. 1.* poſt concluſiones. & Henriq. *lib. 11. c. 15. n. 7. in fin.* Secundò reſpondetur eſſe peccatũ leue denegare debitum, quando rarò denegatur, vt ſi vir quater ſoleat petere in menſe, non eſt mortale quinta vice debitum in menſe denegare; etiam peccatũ leue eſt dum non ſtatim, ſed poſt breue tempus ſoluitur debitum, vt ſi manè exigatur, & redditur nocte. Tertiò reſpondetur cum Soto, & Henriq. *loc. cit.* nullum eſſe peccatum negare debitum, ſi nimis crebrò, & immoderatè illud exigatur, ſecundùm illud commune proloquium,

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines.

Quartò reſpondetur abſque graui peccato denegare poſſe debitum, quando alter remiſsè illud petit, vel rogatus facilè deſiſtit à petitione. Et hæc omnia docet Ochagauia *vbi ſuprà*, & aliqua ex his docet etiam Hurtado *de matr. diſp. 10. diffic. 11.* cum aliis. Dicendum eſt igitur peccatum graue eſſe debitum ratiſſimè reddere, & cum magna difficultate ei, qui ſeriò petit illud, tum propter diſcordias, quæ inde ſolent pullulare, tum propter iniuriam factam alteri conſorti eo modo denegando, quod ſuum eſt, tum etiam propter periculum incontinentiæ, quod inde poteſt reſultare.

RESOL. XXXVII. *An dum vnus ex coniugibus, ſi poteſt, non expectat alterius ſeminationem, committat peccatum mortale?*

AFfirmatiuè reſpondet Petrus Ochagauia *de Sacr. tr. 5. de matr. q. 2. n. 13.* vbi ſic ait. Reſpondetur eſſe peccatum mortale in eo, quòd vir priùs ſeminet, & non expectet ſeminationem feminæ, & ſi è contra faciet femina, grauiter delinquet. Patet prima pars reſponſi, & ſecunda etiã, quia vtriuſque ſemen actiuè requiritur ad generationem: ergo ne generatio impediatur, & ne vnius ſemen prorſus amittatur, aliud neceſſariò continuata copula expectandum eſt, & hoc etiam in ſterilibus, ne violetur ordo naturæ. Illa ille, probabiliter quidem.

Verùm contrariam ſententiam non minùs probabiliter defendit Sanchez *de matr. tom. 3. l. 9. diſp. 17. n. 9.* vbi firmat nõ eſſe neceſſarium vtrumque coniugem ſeminare ſimul. quare dum vir ſemen effundit, minimè tenetur feminæ effuſionem exſpectare, quia femineum ſemen nec eſſe neceſſarium, nec actiuè ad generationem concurrere, docent aliqui. Ex quibus deducitur non eſſe reum culpæ lethalis virum tactibus irritantem Venerem, ſcientem ſe ob id præmaturiùs feminã ſeminare.

Sed licet hæc opinio, vt dixi, ſit probabilis, oritur tamen ex illa pulchra difficultas, videlicet an mulier ſatisfaciat ſuæ obligationi, ſi viro exigenti præſtet quidem vſum corporis ſui, animum tamen ad alia conuertat, ita vt natura non excitetur. Videri enim poſſit non ſatisfacere, primò quia ſi vxor debitum coniugale exigat, maritus tenetur ſeſe excitare, illud vt reddat. ergo, &c. Secundò, vir habet poteſtatem in corpus mulieris in ordine ad generationem. ergo petente vſum corporis vxoris, ea debet ſubſeruire aptè ad generationem, quod non poteſt prẽſtare abſque aliqua naturæ concitatione. Tertiò, alias ſemen virile ſuo fine fruſtrabitur. Attamen Ioannes Præpoſitus, vir quidem doctus, ex Societate IESV, *in 3. part. D. Thom. q. 6. de bonis matrim. diſp. 4. n. 35.* docet non eſſe improbabile ſatisfacere, & ſufficere, ſi vſum vaſis naturalis tribuat. nam eo ipſo congreſſus eſt aptus ad generationem, quantum ex parte actus & modi. Confirmatur. Sterilis, quæ certò nouit ſe non ſeminaturam, poteſt actum coniugalem exercere, tam petendo, quàm reddendo, quod tamen minimè liceret, ſi viro ſeminante requireretur vt mulier ſeſe ad ſeminationem excitaret, atque adeò in illum finem teneretur cum naturæ excitatione marito ſubſeruire. Vnde veriſimile eſt mulierem coniugatam, cui non placent actus venerei, poſſe in reddendo debito animum ad alia conuertere, & ſic remanere frigidam, quod poteſt ex his colligi, quæ tradunt varij, ſcil. ſemen femineum non omnino requiri ad generationem. nam concitatio naturæ ſolùm videtur requiri ad ſeminationem; non poteſt tamen mulier ita ſe gerere ex intentione impediendi generationem. Ita Præpoſitus, qui reſpondit ad argumenta. Et ad primum allatum dicit diſparem eſſe rationem viri & feminæ, quòd vir non poſſit ſine aliqua corporis concitatione actum coniugalem exercere. Vnde mirum non eſt, quòd ad reddendum debitum teneatur naturam excitare; mulier verò poteſt ſui corporis, & vaſis naturalis ſine tali concitatione vſum præbere. Ad ſecundum argumentũ reſpondet aliquos probabiliter ſentire, ſequi poſſe generationem, quamuis femina non ſeminet, & proinde non obſtante eo quòd animum ad alia conuertat, poſſe marito ſubſeruire in ordine ad generationem. Ad tertium patet reſponſio ex dictis, quòd ſcil. ſemen virile non fruſtraretur ſuo fine, propter defectum feminis feminei, ſecundùm ſententiam, quæ cenſet abſque hoc ſequi poſſe generationẽ. Et hæc omnia, vt dixi, dicta ſunt ex mente Ioannis Præpoſiti. Ex quibus infertur deciſio illius dubij, ſcil. quãdo matrimonium dicatur conſummatũ. Ad quod Villalobos *in ſum. tom. 1. tr. 13. diffic. 13. n. 1.* reſpõdet hoc euenire *ſegun mas probable opinion*, quamuis femina non ſeminaſſet, *aunque no es cierta, porque no es cierto en philoſofia*, quòd femina non concurrat actiuè ad generationẽ, *que es el fundamento deſta ſentẽcia.* Ita Villalob.

RESOL. XXXVIII. *An qui priùs emiſit votum caſtitatis, aut Religionis, & poſtea feminam defloruit fide data contrahendi cum ea, teneatur eam in vxorem ducere, vel votum adimplere?*

EGo ipſe *in 3. p. tr. 4. reſol. 203.* adduxi circa præſentem dubitationem opinionẽ Sanchez aſſerentis teneri eam ducere. adduxi etiam opinionem Pontij aientis, quòd ſi talis tenebatur voto Religionis,

gionis, teneri quidem contrahere, ſed ante conſummationem debere ad Religionem tranſire. Et licet hæ opiniones ſint probabiles, nunc verò aliam non minus probabilem adducam; nempe huiuſmodi hominem non poſſe licitè matrimonium contrahere, ſed debere ad Religionem confugere, aut caſtitatem ſeruare. Et ita docet Petrus Ochagauia *de Sacr. tr.1.de matr.q.18.n.12.* quia poſterior obligatio non poteſt derogare priori, quando ſunt eiuſdem generis; vt ſi ego promitto Petro priùs meum pallium, & poſtea illud Franciſco etiam promitto, etiamſi Franciſcus aliquid pecuniæ mihi dederit pro tali ſpe, pallium nihilominus debetur Petro, & non Franciſco. Sed vouens promiſit Deo corpus ſuum. ergo licet poſtea illud permittat feminæ, ſub eaque ſpe corpus eius in copulam acceperit, priorem promiſſionem præualere neceſſum eſt. Secundò probatur, quia iſte non tenetur ducere vxorem ratione promiſſionis, quia hæc nulla eſt, cùm ſit illicita, & contra votum, neque etiam ratione damni illati, quia hoc damnum poteſt reſarciri media pecunia, quæ ſua eſt, & non medio corpore, quod ſuum quodammodo non eſt, ſed Deo debitum per votum. Et hæc omnia docet Ochagauia *loco cit.* Vnde cùm omnes ſupradictæ opiniones, vt dixi, ſint ſatis probabiles, in caſu occurrenti eligat quis quam maluerit.

RESOL. XXXIX. *Quando præſumatur donatio in emptionibus, & venditionibus circa exceſſum, vel defectum iuſti pretij?*

HIc caſus eſt multùm practicabilis, & agitatus fuit his diebus, quia in domibus virorum nobilium ludentes præbent famulis, ſeu reuera dominis, mediantibus illis, certam pecuniarum ſummam pro chartis, candelis, aqua niue refrigerata, &c. quæ tamen excedit iuſtum pretium dictarum rerum: quæſierunt à me, an dicti teneantur reſtituere ſummam illam excedentem? Et affirmatiuam ſententiam docuerunt aliqui viri docti; ego verò negatiuè reſpondi, quia in tali caſu præſumitur donatio illius ſummę excedentis iuſtum pretium illarum rerum. Etenim, vt optimè ex Nauarro, Corrado, & Medina obſeruat Pitigianus *in 4.ſentent.tom.2.diſt.15.de emption.& vend.q.2.art.3.* Reginaldus *in praxi tom.2.lib.25.c.16.n.289.* & Molina *de Iuſt.tom.2.tr.2.diſp.351.n.4* quando aliquis ſcit valorem rei, nec neceſſitate compulſus contrahit, neque interueniat metus, vis, aut fraus, præſumitur liberè donare exceſſum à latitudine iuſti pretij. Sed hoc totum accidit in caſu noſtro, quia tales ludentes liberè contrahunt, ſcientes valorem illarũ rerum, neque cum eis fraus aliqua, vis, vel dolus interuenit; ergo dicendum eſt illos ſummam excedentẽ iuſtum pretium illarum rerum liberè condonare, maximè cùm ſint viri nobiles, qui ex natura ſolent eſſe liberales, & munifici. Et licet eſſet vera opinio Leſſij *lib.2.cap.21.dub.4.n.37.* Turriani *de Iuſt.tom.2.diſp.57.dub.6.n.7.* Tanneri *to.3.diſp.4.q.7.dub.1.n.35.* Malderi, *de Iuſt.tr.5.c.2.dub.2.* Syluij *in 2.2.D.Th.q.77.art.1.quæritur 3.* & aliorum aſſerentium, quòd non præſumitur donatio cum circumſtantiis ſupradictis, niſi inter ementes & vendentes coniunctio aliqua ſanguinis intercedat. Attamen hæc conditio adeſt etiam in caſu de quo loquimur. nam tales ludentes ſunt omnes amici dominorum, quorum intuitu, vel quibus reuera mediantibus famulis largitur exceſſus ille iuſti pretij chartarum, &c. Ergo dicendum eſt voluntariè illud eis condonari.

Nec valet dicere quòd tales ludentes non liberè contrahant, quia non eis conceditur portare chartas. nam reſpondeo quòd hoc gratis dicitur; nam hoc numquam ab ipſis ludentibus requiſitum fuit, nec in praxi poteſt accidere, vt patet. Vnde ad ſummum ſufficit habere intentionem poſt conſultationem peritorum faciendi id, ad quod in conſcientia erunt adſtricti, quando caſus in facti contingentia accideret. Sufficit verò nunc pro iuſtificatione caſus noſtri, quòd dicti ludentes, vt patet, contrahant cum circumſtantiis ſupradictis, cum quibus, vt dictum eſt, præſumitur donatio. Et ideo noſtram ſententiam præter Doctores citatos tenet etiam Emanuel Sà *ver.venditio,num.1.* vbi ſic aſſerit. Qui pro re empta plus iuſto dat, ſine vi, fraude, ac errore, præſumitur donare. Ita ille, & ego.

RESOL. XL. *An qui mutat ſcripturam in aliqua re, quæ tamen innititur veritati, ſit falſarius?*

HIc caſus eſt frequentiſſimus, & negatiuè aliqui reſpondent, quia ex *l.cùm filius, §.hæres meus.ff. de legat.2.* illud non poteſt dici falſum, quod iuuatur primordio veritatis. Et ita docet Iulius Clarus *lib.4.§.falſum,n.34.* Grammaticus *in voto 26.num.12.* Crauetta *conſ.46.n.8.* Cornetus *conſil.26.n.15.* Alciatus *conſ.461.num.6.* & Menochius *de præſumpt.lib.5.præſumpt.20.num.53.* cum aliis.

Ex quibus infert Gyptius *tractatu de caſibus reſeruatis, cap.13.caſ.7.n.7.* quòd ſi teſtis ſubſcripſit ſe in apocha, ſi poſtea ea perdatur, & alia conficiatur, in qua de nouo confecta fiat ſubſcriptio illius teſtis nomine, in tali caſu, etſi re vera in hac ſecunda non ſe ſubſcripſerit ille teſtis, nihilominus ſubſcribens non dicitur falſarius. quia illa ſubſcriptio iuuatur primordio veritatis. nam aliàs re vera in apocha eiuſdem tenoris ſe ſubſcripſit. Idem etiam ait, quòd ſi, v.g. Titius mutauit Caio centum pecunia numerata, eſtque de tali mutuo rogatus Notarius Seius, qui dum fecit inſtrumentum de præfato mutuo, non appoſuit *pecunia numerata*, ſi poſtea præfatus Notarius mutet ſeriem, & apponat *pecunia numerata*, talis etſi mutet veritatem narrationis factæ in inſtrumento, non tamen diceretur falſarius, quia quod agit, iuuatur primordio veritatis. Ita Gyptius.

Faciunt etiam pro confirmatione ſupradictæ doctrinæ Bellochius *in Theol.moral. part.2. quæſt.9. num.113.* & Capeauilla *de caſ.reſeru. caſ.17. q.2.* aſſerentes quòd ſi, verbi gratiâ, porrexit aliquam ſupplicationem Epiſcopo, qua petebat ſibi dari licentiam excipiendi confeſſiones, & ſimul abſoluendi à reſeruatis in foro conſcientiæ, & vtrumque concedit Epiſcopus, non exprimitur autem in litteris eius niſi facultas excipiendi confeſſiones, non erit talis falſarius ſi aſcribat, & abſoluendi à reſeruatis, prout petebat in ſua ſupplicatione ſignata. Ex quibus poſſet aliquis argumentari (ſed an probabili-

ter,iudicent alij)contra id, quod docet Naldus *in summa,verb.Scriptura,num.*7.& nos etiam statuimus cum aliis Doctoribus *in* 3.*p.tract.*6.*resolut.*53. nempe illicitum esse,amissa vera scriptura aliam consimilem fingere.

Notandum est etiam hîc obiter contra Sousam *in Bulla Cœnæ,cap.*7.*disp.*42.*num.*8.Suarez *de cens.disp.* 21.*sect.*2.*n.*47.*ver.alio modo.* Alterium,& alios,quòd qui corrigit literas iuxta mentem Pontificis; non est falsarius,neque incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ: vt si, verbi gratiâ,dicebatur in supplicatione,Petro Panormitano,& Notarius scripserit, Petro Neapolitano; vel in supplicatione exprimebatur quartus gradus consanguinitatis, & Notarius apposuerit *affinitatis*,tunc enim corrigens iuxta supplicationem non est falsarius, neque in aliquam censuram incurrit,quia talis mutatio initur veritati. Ita probabiliter in Bulla Cœnæ *disp.*1.*quæst.*7.*punct.*2.*num.*7.vbi citat pro hac sententia Duardum,Sayrum,Reginaldum,Vgolinum, & Gambaruptam,quibus ego addo Antonium Naldum *in sum.verb.falsum,num.*4.

RESOL. XLI. *An Confessarius validè absoluat antequam licentia habita ab Episcopo, vel Vicario reducatur in scriptis?*

NEgatiuè videtur respondendum ex nostra Synodo Panormitana Eminentissimi Cardinalis ad Auria *part.*2.*cap.*4.*num.*11.vbi sic habetur.Ad audiendas confessiones nullus accedat, quin se priùs Archiepiscopo sistat, eiusque examinatoribus,& ab eo facultatem solitis subscriptionibus,ac sigillo consignatam obtineat. Hæc ibi.

Verùm contrarium tenendum est. nam non est de essentia vt approbatio facienda per Episcopum, vel Vicariũ,reducatur in scriptis,sed sufficit quòd voce habeatur;nam scriptura non est de necessitate gratiæ.Et ita docet Reginaldus *in praxi,lib.*1.*cap.* 16.*quæst.*6.*num.*198.Graffius *part.*1.*lib.*1.*cap.*13.*n.*51. Nouarius *in nouo iure Pontificio,conclus.*68.*num.* 8. & alij; neque ex Synodo Panormitana contrarium deducitur. nam ibi solùm prohibetur, ne Confessarij audiant confessiones sine licentia in scriptis redacta. quæ quidem prohibitio neque imposita est cum verbis importantibus culpam mortalem, licet hoc Confessarius facere non debeat, & possit ab Episcopo puniri.

Sed non desinam hîc obiter apponere dubiolum, an videlicet licentia confitendi obtenta mediante pecunia sit inualida?videtur prima facie affirmatiuè respondendum,quia Concilium requirit vt talis licẽtia gratis detur, & collatio beneficij pecunia obtenta inualida est.ergo. Sed tu contrariam sententiam tene; nam,vt ex Suarez obseruat Reginaldus *vbi suprà*, verba illa Concilij non imponunt conditionem, quæ si expleta non fuerit, approbatio non valeat, quia id non fuit necessarium, nec fortè expediens, sed tantùm continet præceptum datum Episcopis, vt gratis talem approbationem concedant.

RESOL. XLII. *An laicus ex præscriptione sit immunis à solutione decimarum?*

REspondeo affirmatiuè, dummodo adsit tempus quadraginta annorum,cum titulo,& sine titulo tempus hominum memoriam excedens, quod dicitur consuetudo immemorialis.Ita habetur *in cap.auditis,de præscript.& cap.*3.*de consuetud in* 6. & docet expressè Layman *in Theolog. moral. lib.*4. *tract.*6.*num.*9.Molina *tom.*1.*tract.*2.*disp.*75.*num.*5. Lessius *lib.*2.*cap.*39.*dub.*5.*num.*26. Castrus Palaus *tom.*2.*tract.*10.*disp.vnic.punct.*5.*num.*2. Filliucius *tom.* 2.*tract.*27.*part.*2.*cap.*7.*num.*154. Reginaldus *tom.*2. *lib.*20.*cap. vlt. sect.* 3.*quæst.* 4.*num.* 96. Suarez *de Relig.tom.*1.*lib.*2.*cap.*13.*num.*1. Valentia *tom.*3.*disp.*6. *quæst.*5.*punct.* 2. & ante illos ex Iurisconsultis Couarruuias *lib.*1.*var. cap.*17.*num.*8.*&* 10. Hi omnes asserunt ad consuetudinem contra decimas requiri tempus quadraginta annorum sine titulo, secus autem in præscriptione;& ratio diuersitatis est, quia consuetudo respicit communitatem, quæ eximitur à lege vi solius consuetudinis. nam frequens, & diuturnus illius vsus habet vim introducendi legem,ideoque legitimo, quale est tempus quadraginta annorum,potest illam derogare. At præscriptio respicit priuatam personam,quæ nõ eximitur vi consuetudinis,cum vnius personæ longus vsus non possit legem introducere, & consequenter neque abrogare.Vnde ex his non videtur admittenda opinio Tanneri,& Henriquez, quos adduxi *in* 3.*part.tract.*5.*resol.*7?.asserentes ad præscribendum contra decimas sufficere tempus quadraginta annorum sine titulo. An verò pro consuetudine non soluendi decimas sufficiat tantùm spatium decem annorum,probabile putat Castrus Palaus *loco citato punct.*4.*num.*6 *in fine.* Sed ibi ipse, & meritò,contrariam sententiam docet,quam absolutè tuetur Reginaldus *vbi suprà*, quia talis consuetudo est in Ecclesiæ graue damnum, ideoque temperanda, tum, quia nequit habere authoritatem legis Ecclesiasticæ, quæ debeat existimari obtinere vim abrogandi,nisi sit approbata à Papa per consensum saltem tacitum,qui non potest prudenter præsumi in vsu temporis minoris eo,quod per sacros Canones constitutum esse constat. Ita Reginaldus Neque aliquis particularis potest se tueri contraria opinione; nam si esset vera,procederet quoad consuetudinem introductam à communitate,vt dictum est. non autem quoad præscriptionem,quæ respicit personam particularem, in qua,vt satis probatum est,omnes conueniunt, necessarium esse spatium quadraginta annorum cum titulo,vel immemorialem. Vnde ex his magis remanent explicata ea,quæ diximus *in resol.*77.*citata* 3.*part.tractat.*5.

Sed hîc obiter inquirendum est, an sint æqua, & iusta,ac valeant statuta,& constitutiones ciuitatum,vel leges Regum, & Principum, quibus vetant decimas à laicis exigi, quæ per consuetudinẽ solui minimè solent? Et affirmatiuam sententiam docet Didacus Couarruuias *in practic. quæstion. cap.* 35.*num.*2.*vers.*4.*& lib.*1.*var.cap.*17.*num.*8.Cui ego addo

addo ex Theologis Turrianũ *in ſumm. part.1.c.137. dub.4.concluſ.3.* vbi ſic ait. Iuſtæ ſunt leges Caroli V. & Philippi II. Regis Hiſpaniarum, quibus decernunt, vt laici non ſoluant decimas, quæ per conſuetudinem conſueuerunt non ſolui. Ita ille.

Verùm alij dicunt tales leges nullam habere vim, niſi fiant priuilegio Romani Pontificis, aut auctoritate firmentur, quia de decimarum iure, cùm ſit ſpirituale, nihil laici ſtatuere poſſunt. Et ſi obiiciat quis Reges ſolùm præcipere, vt conſuetudo recepta ſeruetur, omniaque iura decernunt approbatas conſuetudines vim legis habere. Reſpondẽt argumento probari, ne talis conſuetudo violetur, ad laicos pertinere, ſed præcipere ne contra eam Clerici faciant, laicorum non eſt, ſed Eccleſiaſticorum iudicum, videlicet Epiſcoporum, & ſummi Pontificis. Et hæc omnia docet Raphael de la Torre *in 2.2.D.Thom.quæſt.87.art.1.diſp.9.num.17. in fine*, & ante illum Ioannes Azorius *in ſumm. tom.1. lib.7.cap.26.quæſ.3.*

RESOL. XLIII. *An Sacerdos finita Miſſa, ſi in Sacriſtia ſacris veſtibus adhuc non ſpoliatus inueniat aliquod fragmentum in patena, vel calice, poſſit illud ſumere?*

HIc caſus eſt frequentiſſimus, & negatiuã ſententiam cum multis Doctoribus ego docui *in 3.part.tract.4.reſol.45.* ſecluſo tamen vno caſu, de quo etiam vide Ioannem de Lugo *de ſacr.Euch.diſp. 15.ſect.4.num.82.* & Ioannem Præpoſitum *in 3. part. quæſt.80.art.8.dub.2.n.46.* Non reticeam tamen in gratiam curioſorum hîc adnotare, affirmatiuam ſententiam admittere, & tenere nouiſſimè Iacobũ Granado *in 3.part.D.Thom.de Sacram.controuerſ.6.tr. 10.diſp.8.n.11.* vbi ſic ait. Si poſt bibitum ſanguinem, & poſt ablutionem inueniat reliquias in patena, poteſt Sacerdos illas ſumere, dum eſt in Altari. Imò aliqui extendunt, vt non ſolùm liceat, dum Sacerdos eſt in Altari, ſed etiam ſi ad Sacriſtiam redierit, dummodo veſtibus ſacris indutus adhuc ſit, quia ſumptio illarum particularum pertinet ad integritatem Sacrificij, quæ diuino iure præcepta eſt Sacerdoti; aliunde verò cùm non ſit abſolutè noua communio, ſed perfectio precedentis, videtur poſſe peragi ab eo, qui initio communionis fuit ieiunus, & nondum depoſuit veſtes ſacerdotales. Ita ille. Quod eſt valde notandum, licet ego contrariæ ſententiæ tamquam communiori, & probabiliori adhæream; non damnarem tamen de peccato ſupradictam ſententiam Granadi ſequentem.

RESOL. XLIV. *An in vero dubio, an habeat peccatum mortale, quis poſſit ſumere Euchariſtiam ſine confeſſione?*

AFfirmatiuam ſententiam (quod valde miror) docet Iacobus Granado *in 3.part. D.Thom. contron.6.tract.10.diſp.7.n.13.* vbi ſic ait. Dicit Henriquez *lib.8.cap.45.§.3.lit.P.* cum Paludano, Antonino, & Tabiena, in vero dubio, an habeas peccatum lethale, poſſe accedere ad Euchariſtiam ſine confeſſione, deponendo dubium, & videtur colligi ex Tridentino dicente confeſſionem eſſe premittendam, quando quis eſt ſibi conſcius peccati mortalis, dubitans enim non eſt conſcius. Ita ille.

Sed ſi hæc opinio eſſet admittenda, ſequeretur non adeſſe obligationem confitendi peccata dubia, quod nullo pacto concedi poteſt; vt ego aduersùs Henriquez *loco citato* ſatis docui *in 4.parte, tract.3 reſol.5.* cum communi Doctorum ſententia, & docet etiam Granado *vbi ſuprà tract.9.diſp.7.n.2.* peccata enim certa, & dubia pari paſſu currunt in ordine ad illa explicanda in confeſſione; certa videlicet vt certa, dubia vt dubia.

RESOL. XLV. *An Sacerdos valorem Miſſæ ſpecialem ſibi debitum poſſit alteri applicare, & pro eo ſtipendium accipere?*

DE hac quæſtione actum eſt *in 1.part.tractat.14. reſol.14.* & pro parte affirmatiua adduxi aliquos Doctores, qui tamen non ſcripſerunt poſt decreta Miſſarum edita à Sanctiſſimo Domino Vrbano VIII. Ideo nunc pro tali ſententia adducam Bartholomæum à Sancto Fauſto, qui poſt dicta decreta ponderata, & in ſuo libro repoſita, etiã opinionem affirmatiuam docuit, vt patet *in tractat. de Euchar.lib.2.quæſt.158.* & clariùs *quæſt.58.* vbi poſtquam firmaſſet poſſe Sacerdotem portionem ſuã alteri tribuere, ſtatim ſubdit hæc verba. Ex quo rectè infertur poſſe Sacerdotem pro vna Miſſa duplex ſtipendium accipere, vt pro vno portionem ſuam tribuat, & pro alio ſolitam partem applicet. Ita ille. Et hanc opinionem Peyrinus *de priuileg.tom. 3.cap.1.num.25.* admittit in caſu, quo in aliquo Monaſterio paupere creuiſſet adeò Miſſarum numerus, vt ei ſatisfacere minimè poſſent Sacerdotes ibi commorantes, nec haberent vnde poſſent dictas Miſſas alijs data ſtipe commendare.

Sed hæc opinio mihi diſplicet, nam in ſupradictis decretis Vrbani VIII. ſacra Congregatio præcipit ſub obteſtatione diuini iudicij, vt abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributę eleëmoſynæ præſcriptæ fuerint. Tot Miſſæ igitur ſunt dicendæ, quot ſunt eleëmoſynæ, non fructus medius, & ſpecialis applicandus. Et ita hanc ſententiam in terminis dictorum decretorum Vrbani VIII. docet, & mordicus tenet, Paulus Fraxinellus *de Sacerdotum obligationibus in edit. 7. ſect. 3. prænot. 3. num.5. & ſeq.* cui adde nouiſſimè Ioann. de Lugo *de ſacrament.Euchariſt.diſp.21.ſect.2.num.33.* Et hanc ſententiam docet etiam omnino videndus noſter Megalius *var.reſol.tom.2 reſol.179.per totam*, vbi plures pro hac firmanda opinione rationes adducit. Et ita etiam tenet Rodriquez *in ſumma, tom. 2. cap. 48. nnm.2.*

Adde quòd ſi Fauſtus *loco citato quæſt.156.* docet, Sacerdotem, qui tenetur dicere Miſſam pro ſola præſentia, vt aſſerunt, non poſſe aliud ſtipendium accipere pro applicatione valoris Miſſæ, quia vnica Miſſa non meretur niſi vnicum ſtipendium ex dictis decretis, neſcio quomodo poſtea teneat in caſu, de quo loquimur, poſſe Sacerdotem accipere pro vna Miſſa duplicatũ ſtipendium, cùm in vtroque caſu eadem ſit ratio; decreta videlicet ſupradicta prohibentia duplicata ſtipendia pro vna Miſſa accipere. Ad auctores verò, quos pro ſua firmanda ſententia adducit Fauſtus, & ego, *vbi ſuprà*, adduxeram, reſpondeo, vt dictum eſt, ſcripſiſſe

ante

ante decreta Vrbani VIII. & ideo nihil faciunt pro hac firmanda ſententia. Ad illam verò doctrinam, poſſe ſcilicet Sacerdotem applicare partem ſibi debitam, reſpondeo non eſſe certam, & aduersùs illam præter multos alios inſurgit nouiſſimè Iacobus Granado *in 3.p.de Sacram.controu.6.tract.14.diſp. 8.num.3.* & Suarez immeritò pro ſe Fauſtus adducit; nam in calce ſectionis contrariam ſententiam apertiſſimè docet, & Miranda, qui pro ſe etiã Fauſtum adducit, in fine articuli ſecutus Suarez, ab opinione Fauſti recedit. Dicendum eſt igitur non poſſe Sacerdotem partem ſibi debitam ex opere operato in ſacrificio Miſſæ alteri applicare, ex decretis ſacræ Congregationis Sacerdotibus interdici pro applicatione dictæ partis aliud ſtipendium accipere, vt ex verbis ſuprà relatis patet. Et quidem qui dat ſtipendium pro Miſſa, intendit & vult ſibi applicare valorem medium certum, non autem incertum, & manentem ſub opinione Doctorum. Adde, vt optimè obſeruat Rodriquez *in ſumma, tom.2.cap.48.num.4.* & alij. [Que la limoſna, y pitanza no ſe da por aplicar el fruto de la Miſſa; porque eſte es ſpiritual, y dandoſe por el, ſe cometeria ſimonia: ſino da ſe como eſtipendio temporal, attento que el que ſirue en el Altar, bien es que reciba eſtipendio, con que ſe ſuſtente; el qual eſtipendio eſtà taſſado del Obiſpo; y aſſi recibiendo mas de limoſna por vna Miſſa, pecarà el Sacerdote, y eſtarà obligado à reſtitucion, pues lleua mas eſtipendio del que merece.] Et ita hanc ſententiam ante decreta Vrbani VIII. decreuerat etiam Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanenſis anno 1617. vt patet apud Fraxinellum *vbi ſuprà*, poſt *ſect.* 5. in ſummario Deciſionum dictæ Congregationis. vbi *num.16.* ſic habetur. Non poteſt Sacerdos Miſſam celebrans ſeipſum ſpeciali illo valore priuare, qui ſibi celebranti debetur, illumque aliis applicare, vt duplicatam pro eodem Miſſæ mercedem accipiat. Ita *ibi.*

RESOL. XLVI. *An Beneficiarius, qui non recitauit Laudes, teneatur ad aliquam reſtitutionem?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Caſtrus Palaus *tom.2.tract.7.diſp.2.punct.7.num.5.* & in terminis Oliuerius Bonartius *de Horis Canonicis, lib.2.cap.10. num.12.* vbi ſic ait. Cenſeo nihil fructuum neceſſariò tribuendum pauperibus ratione partis Horarum omiſſæ quantumuis magnæ, & ſufficientis ad materiam peccati mortalis, niſi pro omiſſis Laudibus. Ita ille. Et à fortiori hanc ſententiam docet Suarez *de Religione, tom.2.lib.4.cap.30.num.13.* & Fauſtus *de Horis Canonicis, lib.2 quæſt.286.* aſſerentes Beneficiarium teneri ad reſtitutionem, quoties peccatum mortale committitur in omiſſione alicuius partis notabilis vnius horæ, modò illi parti tanta pars fructuum reſpondeat, quæ furto ſublata culpam mortalem conſtitueret. Probatur etiam hæc opinio ex auctoritate Doctorum dicentium Laudes eſſe Horam ſeparatam ab aliis. Ita Nauarrus *de orat.cap.3.num.27.& 28.* Archidiaconus *in cap. Preſbyter, diſt.91.* D. Antonin. *in 3.part.tit.10.§.4.* & alij. Vnde Laudes differre à Nocturnis patet, tũ quòd eas nouo æris campani pulſu inchoemus, & earum initio præponamus verſum, *Deus in adiutoriũ meum intende*, vt in aliis horis, habent proprium Capitulum, Hymnum, &c. Tum quòd nocte Natalis Domini Nocturni finiuntur, & Miſſa inter Laudes & Nocturnos interponitur; tum quòd olim Laudes à Nocturnis tempore diuidebantur, cùm illi canerentur in prioribus noctis vigiliis, hæ verò in vigilia matutina.

His tamen non obſtantibus (attendas quæſo amice Lector) de hoc caſu interrogatus ab Eminentiſſimo Cardinali Oregio, viro doctiſſimo, & integerrimo, pro contraria ſententia probabiliter, ni fallor, hanc adduxi rationem. Bulla Pij V. quæ onus reſtitutionis in omiſſione recitationis Officij imponit, loquitur ſolùm de Horis integris, vt legenti patet. ergo non debet vt lex pœnalis ad earum partes extendi, ſed ſuis terminis arctari. Cùm igitur Laudes non ſint Hora ſeparata, ſed partes Horæ, nempe Matutini, ſequitur non eſſe incluſas in dicta Bulla; atque adeò illas omittentes peccare quidem mortaliter, ſed nullo reſtitutionis nexu vinciri. Quòd verò Laudes contra Nauarrum, & alios non ſint Hora ſeparata, patet ex communi ſententia Doctorum. Ita Canoniſtæ partim *in cap.1. de celebratione Miſſarum*, partim *in Clement.1.eodem tit.* Summulariſ *in verb. Hora Canonica*, Diuus Thomas *opuſc.de offic.Sacerd.cap.1.* & ideo Sotus *de Iuſt.lib.10. quæſt.5.art.4.* aſſerit hanc ſententiam eſſe adeò vulgò receptam, vt alterius opinionis Doctores ne quidem ſint audiendi.

Reſtat modò reſpondere ad ea, quæ ſuperiùs adduximus, quæ videntur probare Laudes differre à Nocturnis. Dico igitur æris campani pulſum non fieri, vt diſtinguantur Laudes à nocturno Officio, tamquam diſtincta hora; ſed ad maiorem ſolemnitatem hymnodiæ, *Te Deum laudamus*, &c. Sicut ſolet idem pulſus adhiberi, dum tempore Miſſæ cantatur ſequentia, *Per omnia ſæcula ſæculorum*, &c. Hymnum verò illum pertinere ad Officium nocturnum, patet ex Breuiariis. Nec refert quòd *cap. conſilium, in fine, de celebratione Miſſarum*, dicatur, *Te Deum*, &c. dici, vel omitti in Matutinis Laudibus, quia Laudes Matutinæ ibi accipiuntur pro toto Officio compoſito ex Nocturno, & Matutino Laudum, in cuius parte hymnus ille dicitur. Quòd verò Laudes inchoentur à communi verſu, *Deus in adiutorium*, &c. & Pſalmis, hymno, & aliis conſtent, vt ceteræ Horæ, diſtinctionem Horarum non indicant, quia nondum ſunt diſtincta Hora, donec accipiat ſuum complementum, & perfectionem, quæ à fine, ſiue Communi Collecta dependet; ab eo enim ſumenda eſt Horarum diuerſitas, non à principio, vel temporis intertuallo. In nocte autem Natiuitatis repræſentat Eccleſia primæuam Horarum inſtitutionem, ideoque Nocturnum Officium concludit collecta dici, non quòd inſinuare velit eſſe nunc re ipſa diſtinctam Horam. Ratio autem ſeparationis à Laudibus eſt, quia ſanctus Theleſphorus decreuerit tunc Miſſam fieri de nocte, vt patet *in c.nocte, de conſecrat.diſtinct.1.* Vnde neceſſarium erat, vt ſtatim poſt Nocturnos Miſſa celebraretur ante Laudes. Dicendum eſt igitur ex ſupradictis poſſe aliquem probabiliter

defen-

defendere Beneficiarium omittentē Laudes peccare,vt dixi,mortaliter,non autem ad reſtitutionē teneri,quia contra Palaum, & Suarez, omittentes partem notabilē alicuius Horæ, licet peccet mortaliter,non tamen comprehenditur in Bulla Pij V. in qua imponitur onus reſtitutionis ex omiſſione alicuius Horæ. Cùm enim lex hæc ſit odioſa, & proculdubio grauem pœnam imponat, cùm pro ſingulis Horis reſtitutionis onus irroget, ſequitur non eſſe extendendam contra omittentes partem Horæ,licet notabilem,& ideo non debemus iugū Beneficiariis magis aggrauare,quàm ius ipſum, & verba legis imponunt. Et ita has rationes poſtquam cum doctis recentioribus communicaui, hanc ſententiam tamquam probabilem amplexi ſunt.

Notandum eſt etiam hîc obiter,infirmum, qui præuidit poſt prandium ex febre fore impediendum à recitatione Veſperarum, non teneri manè recitare illas, quia præceptum recitandi Veſperas non obligat pro tota die,ſed tātùm pro toto tempore veſpertino. Quòd enim recitare anteriùs Veſperas liceat,non infert obligationem tunc eas recitandi,ſi pro tempore, quo præceptum recitationis vrgebit,impoſſibile ſit futurum recitare, & parere præcepto; ſed ſufficit cuilibet tempori malitia ſua. Et ita docet nouiſſimè Raynaudus *de monitor. part.1.cap.1.quæſ.14.*

RESOL. XLVII. *An Beneficiarius, qui partes leues in ſingulis Horis omittit, quæ ſimul ſumptæ grauem quantitatem conſtituunt, teneatur ad aliquam reſtitutionem?*

AFfirmatiuè reſpondet Fauſtus *de Horis Canonicis,lib.2.quæſt.286.* vbi ſic ait. Ad reſtitutionem tenetur,qui eodem die in ſingulis Horis pauculos verſiculos omiſit, qui tamen ſimul ſumpti vnam integram Horam efficiunt; & ratio eſt, quia ſicut huiuſmodi omiſſiones continuantur in ordine ad grauem culpam, ita etiam in ordine ad reſtitutionem. Sic ille.

Verùm negatiuam ſententiam ex neotericis tenet expreſsè Caſtrus Palaus *tom.2.tract.7.diſput.2. punct.7.num.6.* quia ait ille. Si pro qualibet Hora ſuum diſtinctum præceptum latum eſt,tunc omiſſiones non coniunguntur,ſicut omiſſio in Officio vnius diei non coniungitur cum omiſſione in Officio alterius diei. Sed adhuc admiſſo, vnicum eſſe præceptum pro integro Officio diei,credo nullam eſſe obligationem; quia ita eſt vnum præceptum, vt virtualiter multiplex ſit, & obligatio reſtitutionis ſingulis Horis eſt adnexa. Vnde ſi quælibet Hora per ſe ſumpta nullam inducit obligationem reſtituendi,neque illam inducet,quatenus vnicum quoddam Officium conſtituit. Officium namque inducere non poterat obligationem reſtituendi, niſi partes illius Officij diuiſim inducerent. Ita Palaus, qui citat Monetam, & Filliucium. Vnde puto vtramque ſententiam probabilem eſſe; ſed ego magis negatiuæ adhæreo.

RESOL. XLVIII. *An quando Matutinum ſeparatur à Laudibus,in fine recitanda ſit Oratio diei?*

HIc caſus eſt frequentiſſimus, & affirmatiuam ſententiam docet Ioannes Baptiſta de Fabris *de ſacr.Ordinis in communi,cap.19.q.5.* Lezzana *in quæſtionum regularium cap.12.num.16.* & Oliuerius Bonartius *de Horis Canonicis,lib.2.cap.17.num.4.* vbi firmant,quòd quando ſeparatim à Laudibus Officiū nocturnum dicitur, tunc per verſ. *Dominus vobiſcum,* & diei Collectam,finiendum eſſe, prout Laudes,Tertiæ,Sextæ,&c.

Sed negatiuam ſententiam tenet Sanchez *in opuſc.tom.2.lib.7.cap.2.dub.20.n.2.* vbi ſic ait. Quando diuiditur Matutinum à Laudibus,non eſt opus dicere orationem poſt Matutinum præterquàm in nocte Natalis Domini, vbi id præcipit Rubrica Breuiarij, quia nullo iure,nec auctoritate, nec ratione id probatur; ſic ex recentioribus multi viri docti. Hæc Sanchez.

Verùm ego magis adhæreo opinioni affirmatiuæ, quam conſuetudo approbat,& docet etiam in his materijs verſatiſſimus Bartholomæus Ganantus *in rubric. Miſſalis, ſect. 4. cap. 2.* An verò peccet venialiter, qui ſine iuſta cauſa Matutinum à Laudibus ſeiungit? Affirmat Azorius *tom.1. lib.10.cap.8.quæſ.4.* Nauarrus *de orat. cap.3. num.28.* Toletus *lib. 2. cap. 13.* & alij. Sed Bonartius *vbi ſuprà num.3.* probat,quòd diuiſio Nocturni Officij à Laudibus non eſt interruptio; vnde priuatim hoc fieri licet abſque vlla cauſa.

RESOL. XLIX. *An Monialis quæ in marem erupit, ſit obliganda vt intret Religionem virorum?*

DE hoc caſu hoc anno interrogatus fui Neapoli,vbi rumor aderat accidiſſe, ſed falsò. accidit tamen noſtris temporibus in Hiſpania, & affirmatiuam ſententiam mordicus tenet Laurentius de Portel *in dubiis regul. verb. Profeſsio Hermaphroditi,in caſu cuiuſdam profeſtionis,num.4.* quia profeſſio iſtius fuit valida in Conuentu Monialium cum tribus votis ſolemnibus. ergo tenetur ad illa ſeruanda,& Eccleſia obligans illam ad intrandum Monaſterium virorum, non obligat illam ad rem difficiliorem,imò ad faciliorem, quàm antea promiſit. Multas alias rationes adducit Portel pro hac firmanda ſententia,quæ videri poſſunt, adi illum, & non pigebit.

Verùm ego contrariæ ſententiæ tamquam probabiliori adhæreo, quā nouiſſimè docuit Texeda *in controu.moral.lib.1.tract.1.contr.8.dub.1.n.18.* vbi ſic ait. Exiſtimo hanc feminæ profeſſionem eſſe inualidam; & idem declaratum fuit in ſimili caſu, qui in noſtra contigit Hiſpania, quia illa femina non eſt profeſſa, niſi in quantū vera femina, nec Prælatus ſub alia ratione ei contulit profeſſionem, & tamquam vera femina ipſa profeſſa eſt; &, iuxta hanc rationem habuit intentionem profitendi, & non aliter. Ergo cùm erumpente natura facta eſt vir,profeſſio redditur nulla, & ideo talis femina è Monaſterio eiicienda eſt,tamquam omnino libera à votis eſſentialibus emiſſis, quæ proinde ad nuptias tranſire poteſt, ac ſi nullam emiſiſſet profeſſionem

ſionem. Ita ille. Et hoc ſeruatum fuiſſe in Hiſpania teſtatur etiam eruditus Torreblanca *in practicab. lib.3.cap.11.num.13.* vbi ſic aſſerit. De alia Moniali ſancti Dominici in ciuitate de Vbeda, oriunda ex oppido de Sabiote dicta Magdalena Mugnoz, apud nos adhuc recens memoria eſt poſt ſeptem annos profeſſionis ſuæ ex femina in marem conuerſa, quæ è Monaſterio expulſa virilem habitum ſumſit,& non ſolùm mentum, ſed barbæ eruptæ ſunt,dictuſque fuit Franciſcus Mugnoz,quem ego Granatæ patrocinatus ſum in cauſa ſtupri, in qua femina querebatur ab eo per violentiam cognitã fuiſſe,& imprægnatam.Hæc Torreblanca.Igitur ſi caſus occurrerit poſtquam dicta Monialis in marem verſa, fuerit è Monaſterio eiecta, poterit ſine vllo ſcrupulo matrimonium inire,vel ſi velit ſacros Ordines ſuſcipere; & hoc vltimum probat etiam Portel *loco citato,num.10.* quia nullum ſubeſt impedimentum, quin poſſit ad Ordines promoueri, cùm ſit verè mas, vt ſuppono, & ceſſauerit illud impedimentum feminei ſexus.

RESOL. L. *An pueri capaces ſacramenti Pœnitentiæ teneantur in articulo mortis ex vi iuris diuini communionem ſumere?*

AFfirmatiuè reſpondet Suarez *in 3.p. tom 3. diſp. 70.ſect.1.in fine.* vbi aſſerit extra articulũ mortis non teneri pueros ad communionem ex vi iuris diuini, niſi in ætate, in qua obligat præceptum Eccleſiaſticum ſuſcipiendi Euchariſtiam In articulo verò mortis obligare, cùm primùm homo habet vſum rationis ſufficientem ad peccandum, & ad recipiendum ſacramentum Confeſſionis.

Sed ex Vaſquez *in 3.part.tom.3.diſp.214.c.4.* Ochagauia *de Sacrament.tractat.2.de Euchariſt.quæſt 17.n.6.* Iacobo Granado *in 3.part.de Sacram.controu. 6.tract. 10.diſp.3.num.11.* Mæratio *in D. Thom. tom. 3. de ſacr. Euchar.diſp.35.ſect.4.num.5.* probabilius videtur ex vi iuris diuini non obligari hominem ad communionem in articulo mortis,ſi non attingit ætatem, in qua licitum eſt communicare iuxta conſuetudinem Eccleſiæ infrà explicandam, quia Eccleſia declarauit tunc non habere diſcretionem ſufficientem,vt ea,qua par eſt,deuotione, & reuerentia Euchariſtia ſuſcipiatur. Si verò iuxta conſuetudinem Eccleſiæ iam poterat puer licitè communicare,& ſi inſtat mors, tenebitur ex vi iuris diuini, licet tunc non vrgeret Eccleſiæ præceptum, quia tunc nihil eſt, quod obſtet adimpletioni præcepti diuini, quod obligat in articulo mortis ad communionem.Ita Granado.qui poſtea *diſp. 4. num.2.* quærit,quando puer cenſeatur ad annos diſcretionis peruenisſe, vt teneatur præcepto Eccleſiaſtico ſuſcipiendi Euchariſtiam;& cum Nauarro,Suarez, & Henriquez obſeruat, non ſtatim ac quis habet vſum rationis, qui ſufficiat ad peccandum, & ad recipiendum ſacramentum Pœnitentiæ, teneri ad Euchariſtiam ſuſcipiendam, maior enim dignitas Euchariſtiæ petit maiorem reuerentiam in ſuſcipiente, & maiorem diſcretionem. Henriquez ait plerumque eam diſcretionem obtinere anno vndecimo,aut poſtea.Sotus,& Valentia ante duodecimum annum non obligari cenſent pueros hoc præcepto. Suarez ait,moraliter loquendo nec ante decimum annum vrgere obligationem, nec vltra decimumquartum poſſe differri. Sed plus addit Mæratius *vbi ſuprà in Diuo Thoma, tom.3. de ſacramento Pœnitentiæ, diſp.25. ſect.6.* pueros ante annos pubertatis non teneri ad communicandum ex præcepto Eccleſiæ. Vnde ex his ego olim non damnaui de peccato mortali Confeſſarium, qui puerum anno nono ætatis ſuæ morientem non communicauit,ſed tantùm ei ſacramentum Pœnitentiæ miniſtrauit. Sed Confeſſarij, me conſulente, & impellente, eo ipſo quòd puer ſit capax confeſſionis,ne deſerant in articulo mortis illi ſacram Euchariſtiam porrigere, ſecundùm opinionem Suarez, & circa præſentem quæſtionem in caſu occurrenti ne deſeras videre Zambranum *de caſibus tempore mortis,cap.3.dub.2.per totum.*

RESOL. LI. *An qui fecit confeßionem inualidam aliquo capite, ſi Confeſſarius non recordetur de ſtatu in communi, quem tunc habebat pœnitens, vel ſaltem pœnitentiæ iniunctæ ſatisfaciat, hoc non obſtante, ſi dicat: Accuſo me de omnibus peccatis quæ in confeßione inualida aperui, & de peccato, verbi gratia, quod tacui,abſque eo quòd repetat diſtinctè peccata inualidè confeſſa?*

HIc caſus quia ſæpiùs poteſt accidere, erit ſatis plauſibilis Confeſſarijs, & pœnitentibus. Prima ſententia tenet repetenda eſſe peccata in ſpeciali, quia cùm Confeſſarius nullo modo recordetur peccatorum ſaltem in confuſo, aut ratione ſui effectus,qui eſt pœnitentia impoſita,perinde ſe habet, ac ille, qui nunquam talem confeſſionem audiuiſſet.Deinde Confeſſarius eſt iudex, qui pœnam iniungere debet pro peccatis inualidę confeſſionis, & iudicium ferre de illis in hac ſecunda confeſſione,cùm illa prior fuerit nulla.ergo debet habere notitiam illorum in hac ſecunda confeſſione. ergo ſi omnino non recordatur, debet pœnitens iterum ea repetere. Ita Paludanus, Diuus Antoninus,Syluester,Nauarrus,& Valentia, quos citat Fauſtus *de ſacramento Pœnitentiæ, tom.1. lib.4.quæſt.222.*

His tamen non obſtantibus (attendas quæſo amice Lector)Iacobus Granado *in 3.part.de Sacrament. controuerſ.7.tract.9.diſp.12.num.5.* exiſtimat in prædicto euentu ſufficere, ſi pœnitens in generali ſe accuſet de omnibus peccatis, quæ in priori illa confeſſione inualida fuerat confeſſus, quantumcumque Confeſſarius nec illorum, nec pœnitentiæ recordetur; in ſpeciali verò declaret peccatum illud,verbi gratiâ,quod tacuit tunc,& ſacrilegium, quod commiſit malè confitendo. Probatur hæc ſententia ea generali ratione,quę non ſemel in hac materia debet inculcari, ſcilicet cũ ad ſacramentũ Pœnitentiæ accedere ſit vnũ ex difficilioribus,quę humanæ imbecillitati præcepta ſunt in lege gratię, oportere vt reddantur quoad fieri poterit minus difficilia,quę ad illius vſum,ſeu ſuſceptionẽ ſpectãt. Nihil autem eſt, quod obſtet quominus, qui in prędicto caſu malè confeſſus fuerat,ſatisfaciat ſuæ obliga-

obligatione, etiamſi ſolùm in generali ſe accuſet de peccatis,quę iam eidem Confeſſario aperuerat. ergo non eſt imponendum illi graue onus iterum excutiendi conſcientiam, & repetendi quamplura fortaſſe peccata,& quorum repetitione rubore nimio ſuffundatur. Minor huius argumentationis probatur, quia in primis non eſt neceſſaria repetitio peccatorum in ſpeciali,vt verum ſit pœnitentem omnia ſua peccata dixiſſe, quia iam aliquando dixit in confeſſione, quæ quamuis non fuerit valida ad eum effectum conſequendæ remiſſionis, fuit tamen, vt Confeſſarius haberet notitiam omnium peccatorum, valida, & vt ſingulis peccatis conuenientem medicinam applicaret, ſicut tunc applicuiſſe credendum eſt. Deinde non eſt neceſſaria prædicta repetitio vt Confeſſarius iniungat pœnitentiam proportionatam. Primò, quia in illa priori licet inualida confeſſione, ſupponimus iniunctam fuiſſe pœnitentiam proportionatam, quæ iam erit impleta, & licet nullum fructum contulerit ex opere operato,quia non fuit pars veri ſacramenti Pœnitentiæ, cùm tunc non niſi ſacrilega fuerit cõfeſſio, at fuit vtilis ad præſeruandum pœnitentem à culpis, qui quidem eſt vnus ex effectibus,& finibus pœnitentiæ iniunctę à Confeſſario. Secundò,quia iniunctio pœnitentiæ licet in generali loquendo debeat eſſe iuxta menſuram peccatorum, non eſt dubium,quin id non ita ſtrictè accipiendum ſit vt in variis caſibus non liceat pœnitentiam minuere, & valdè mitiorem iniungere, quàm alioqui delicta poſtulabant;nam propter Iubilæum,aut imbecillitatem pœnitentis, vel intenſiſſimum dolorem, cum quo accedit, poteſt multum de illa diminui. ergo etiam poterit iniungi ad arbitrium Sacerdotis multò impar culpis,ne cogatur pœnitens ad graue onus ſubeundum repetendi antiqua peccata,& exequedi pœnitentiam, cùm iam aliam executus fuerit in confeſſione inualida. Confirmatur, quia ſi Confeſſarius audiret legitimam confeſſionem generalem per multos dies, & ſingulis diebus partem pœnitentiæ iniungeret, nõ eſſet neceſſarium in fine confeſſionis peccatorum recordari, nec interrogare de pœnitẽtiis iniunctis. ergo idem erit in caſu noſtro. Ex quibus patet ad primum,eſt enim diſpar ratio. nam alteri Confeſſario nihil dixerat,& ideo tenetur illi omnia manifeſtare; cùm verò Confeſſarius eſt idem, verè illi iam dixerat peccata;quare non eſt neceſſaria repetitio in ſpeciali. Et hæc omnia docet Granado *vbi ſuprà*. Et quia codex rarus eſt, volui hîc ad verbum tranſcribere. Vnde licet probabiliter cum Layman ego aſſerui *in* 3.*p.tr.*4.*reſol.*123. Confeſſarium in tali caſu validè abſoluere, non autem licitè,nunc probabiliter puto ex rationibus ſupradictis, & validè, & ſine peccato tale Sacramentum miniſtrare.

RESOL. LII. *An qui audit Miſſam ab vno Sacerdote à cõſecratione vſque ad finem,& poſtea ab alio à principio vſque ad conſecrationem ſatisfaciat præcepto?*

NOn eſt dubium, quòd ſatisfacit ſi priorem partem Miſſæ priùs audiat, & poſteriorem poſteriùs. Difficultas eſt in caſu propoſito, quandò priùs ab vno Sacerdote audio poſteriorem partem,& deinde ab alio priorem,& neminem inueni hoc dubium pertractare, niſi Turrianum *in ſelectis diſp.part.*2.*diſp.*16.*dub.*7. vbi obſeruat in tali caſu non paucos viros doctos exiſtimare, non eſſe graue peccatum hoc facere, quando non eſt magna interruptio temporis,quia ſolùm adeſt hîc inuerſio temporis, quæ non videtur magna deformitas ſicut dicunt Doctores de inuerſione ordinis in recitatione Horarum Canonicarum, & dictus Turrianus non audet damnare hanc ſententiam, ſed reliquit iudicio Doctorum. Et ego, vt verum fatear,etiam nõ auderem damnare de peccato mortali ſic audientem Miſſam.

Nota tamen hîc obiter contra Turrianum nimis quidem audacem in cenſurandis opinionibus, non eſſe improbabile, vt ipſe putat *vbi ſuprà*, poſſe aliquem adimplere præceptum audiendi Miſſam ſine graui violatione, ſi ſimul tempore audiat à duobus Sacerdotibus ab vno à principio Miſſę vſque ad conſecrationem, ab altero ſimul tempore à conſecratione vſque ad finem.quod probabiliter præter Doctores quos citaui *in p.*1.*tract.*17.*reſol.* 18. docet ex eadem Societate Hurtadus *de Sacram. tom.*2.*de ſacrificio Miſſæ,diſp.*5.*diffic.*4.& Fauſtus *de Euchar.lib.*2.*q.*389. qui etiam docet poſſe aliquem eodem tempore tres Miſſas audire,& ſatisfacere præcepto, voto, & pœnitentiæ iniunctæ de audiendis tribus Miſſis. Turrianus verò *loco citato* negat,quòd ſi imponatur à Confeſſario pœnitentia audiendi, verbi gratiâ,duas Miſſas,pœnitentem ſatisfacere,ſi velit duas Miſſas ſimul tempore audire à duobus Sacerdotibus.

RESOL. LIII. *An quando quis ratione ſcandali debet ſumere Euchariſtiam, & confeßio eſt adeò longa vt perfici non poßit, & timeretur actum contritionis à pœnitente eliciendum non fore,eſſet in tali caſu confeßio dimidianda & pœnitens abſoluendus?*

CAſus eſt practicabilis, & forſitan apud neminem inuenies, niſi apud Iacobum Granado *in* 3.*part.D.Thomæ de Sacrament.controuerſ.*7 *diſp.*5.*ſect.*3. *n.*20. vbi ſic ait.Colligi ex his poteſt,quid faciendũ ſit, quando pœnitens ſanus accederet ad confeſſionem in eo euentu,quo communionem ſine graui ſcandalo præmittere non poſſet, aliunde verò occurrit neceſſitas confeſſionis adeò longę,vt tunc perfici non poſſit;dicendum enim eſt tunc licitum eſſe communicare præmiſſa contritione; quòd ſi fortè contritio non eliceretur, & timeretur prudenter eliciendam non fore à pœnitente,probabile mihi eſt poſſe confeſſionem dimidiari,quia tunc vrget caſus vitandi ſcandali, quod eſt notabile nocumentum, propter quod poteſt pœnitens dimidiare confeſſionem, vt patet, & non vitabitur niſi accedendo ad communionem. Cùm ergo ad hanc non liceat peccatori accedere, niſi præmiſſa confeſſione, aut certè contritione in aliquibus caſibus, qui crederet ſe non niſi attritionem habere, deberet confeſſionem præmittere, ne alioqui nouum peccatum committeret. Ita Granado.

RESOL. LIV. *Quando quis ex aliqua iuſta cauſa in confeſsione non confitetur aliquod peccatum, an teneatur ſtatim alteri illud confiteri?*

CErtum eſt varios eſſe caſus, in quibus poteſt pœnitens, imò interdum tenetur confiteri aliqua peccata, tacendo alia mortalia, validamque nihilominus, & omninò vtilem eſſe confeſſionem; ſed difficultas eſt an poſtea teneatur pœnitens peccata mortalia, quę ex iuſta cauſa cum aliquo Confeſſario tacuit, ſtatim ac commodè ſine periculo poterit alteri confiteri. & affirmatiuam ſententiam tenet Henriquez *lib. 2. de pœnit. c. 12. n. 3.* qui *in gloſſa, lit. F.* citat Sotum. Sed probabilius mihi videtur ſufficere, ſi illa peccata confiteatur cùm accedat tempus, in quo obligat præceptum confeſſionis. Ita ex Suarez docet Iacobus Granado *in 3. part. de Sacrament. controu. 7. tract. 9. diſp. 5. ſect. 3. num. 21.*

RESOL. LV. *An ſufficiat ſi pœnitens dicat in confeſsione, Anno integro omiſi Officium diuinum, vel non reſtitui, licet aliquoties intra annum doluit de culpa, & ſtatuit recitare, vel reſtituere; & propoſitum poſtea non impleuit?*

CAſus poteſt ſæpiùs in praxi accidere, & videtur negatiuè reſpondendum. nam eo ipſo quòd doluit de peccato, ſtatuitque recitare, vel reſtituere, interrupit peccatum; vnde cùm poſtea non recitauit, neque reſtituit, aliud diuerſo numero peccatum commiſit; ſed certum eſt numerum peccatorum in confeſſione declarandum eſſe. ergo, &c.

Nihilominus licet, metaphyſicè loquendo, illud peccatum numero multiplicetur, adhuc non videtur neceſſarium declarare prædictam interruptionem. Ita Iacobus Granado *in 3. part. D. Thomæ, controuerſ. 7. tract. 9. diſputat. 10. num. 8.* quia in confeſſione non eſt ſeruandus ſtrictus rigor, & nimietas in explicando numero, quando ſufficienter conſtat de ſtatu pœnitentis. Satis autem conſtat de ſtatu, cùm quis fatetur ſe per annum non recitaſſe, aut non reſtituiſſe cùm poſſet; licet non declaret, an aliquoties habuerit animum recitandi, vel reſtituendi; alioquin moleſtum eſſet, nimiſque oneroſum, ac ſcrupulis plenum, maiorem obligationem imponere. Sic Granado *vbi ſuprà*; ſed de hac quæſtione ſatis alibi à me dictum eſt.

RESOL. LVI. *De aliquibus circumſtantiis peccatorum in confeſsione explicandis, vel non explicandis.*

QVæro primò, an quis teneatur in confeſſione explicare, quando exercuit peccatum contra naturam, ſi fuerit cum mare, vel cum femina? Aliqui reſpondent affirmatiuè; ſed Cœleſtinus *in compend. Theol. moral. tractat. 1. cap. 9. num. 5. difficult. 4.* hoc negat, niſi femina eſſet coniugata ratione iniuriæ, quæ infertur marito, ſecus ſi non eſt coniugata, monialis, aut voto caſtitatis adſtricta, vel conſanguinea, aut affinis. Ita ille.

Quæro ſecundò, an pœnitens in confeſſione teneatur explicare ſi in peccato ſodomiæ fuerit agens, vel patiens? Nouiſſimè Carolus de Baucio *in praxi Confeſſariorum fol. 334. num. 45.* non audet dicere opinionem negatiuam non poſſe ſequi, præcipuè quando pœnitens haberet aliquam verecundiam confitendi ſe in actu ſodomitico fuiſſe patientem, ſecus eſt dicendum, quando caſus eſt reſeruatus. Et hanc opinionem teſtatur docuiſſe Martinum Fornarium, virum quidem doctum, Societatis IESV, & placere etiam Alexandro Ruſſo Canonico Neapolitano, viro etiam docto, & mihi amiciſſimo. Vide me ipſum *in 3. p. tract. 4. reſ. 159.*

Quæro tertiò, an qui infamat aliquem, dicendo falſum, vel verum, occultum tamen, teneatur in confeſſione declarare, vtro iſtorum modorum infamauerit. Affirmatiuè reſpondet Marchant. *de Sacr. in qq. Paſtor. tract. 5. c. 3. dub. 4.* & Iacobus Granado *in 3. part. de Sacram. controu. 7. tract. 9. diſp. 9. ſect. 3. n. 20.* quia iſtæ duæ infamationes diſtinguuntur ſpecie, qui enim verum dicit, ſed occultum, peccat ſolùm contra inſtitiam; qui verò falſum, peccat etiam contra veracitatem, quæ in materia graui grauiter obligat. Vnde modus reſtituendi famam in hoc poſteriori caſu eſt longè diuerſus ab eo, qui in priori caſu ſeruandus eſt. Sed ego probabiliter cõtrariam ſententiam docui *in 1. p. tr. de circũſt. reſol. 28.* quam, me citato, tenet nouiſſimè Fauſtus *de pœnit. lib. 4. q. 112.* maximè ſi pœnitens ſciat diuerſum modum obligationis reſtituendi famam ablatam, quia dato quòd iſtæ duæ infamationes differant ſpecie, tamen conueniunt in ratione formali, quæ eſt intentio auferendi alteri famam; vnde ſatis erit dicere in confeſſione, Toties infamaui proximum, ſicuti probauimus in eadem ratione *vbi ſuprà*, cum, qui diuerſis contumeliis proximum affecit, vocando illum ſodomitam, adulterum, furem, &c. ſatisfacere, ſi dicat in confeſſione, Toties contumelia affeci proximum meum, & tamen dictę contumeliæ ſecundùm aliquos differunt ſpecie, ſed quia conueniunt in ratione formali, probabiliter aſſerunt multi non eſſe in confeſſione in particulari explicandas, ſed ſufficere in genere, vt diximus, pœnitentem ſe accuſare dicendo bis, v. g. vel ter, Contumeliam dixi aduersùm proximum meum.

Quæro quartò, an qui fregit ieiunium comedẽdo carnes, teneatur hanc circumſtantiam in confeſſione aperire? Affirmatiuè reſpondet Granado *in 3. p. contr. 7. tract. 9. diſp. 9. num. 22.* & Texeda *contr. Theol. moral. lib. 2. tract. 3. contr. 10. n. 35.* qui tamẽ putat hanc eſſe circumſtantiam aggrauantem, & ideo neceſſariò ſecundùm ſuam ſententiam in confeſſione aperiendam. Sed alij, qui etiam probabiliter docent circumſtantias aggrauantes non eſſe in confeſſione explicandas, conſequenter dicerent contrà in caſu propoſito ſufficere, quòd pœnitens dicat, Bis verbi gratiâ, vel ter fregi ieiunium, quia frangere ieiuniũ, comedendo carnes, eiuſdem ſpeciei eſt cum alia fractione ieiunij, nimirum comedendo in eodẽ die ſæpiùs cibaria non prohibita, etenim opponuntur, & contrariantur eidem virtuti, nempe temperantiæ, & ita eſt de eſſentia ieiunij abſtinentia ab eſu carniũ, ſicuti vnicà comeſtio, vnde pari paſſu procedunt quoad ieiunij fractionem. Sed alij hoc conſtanter negant, vt nouiſſimè Iacob. Marchan-

Marchantius *de Sacrament.in qq. Pastoral. tract.5. c.3. dub.2.*ideo tu cogita.

Quæro quintò, an qui indignè administrauit Sacramentum, teneatur, verbi gratiâ, explicare in confessione, si fuerit sacramentum Pœnitentiæ, Baptismi,Eucharistię,&c.Aliqui viri docti respondent affirmatiuè. Non desunt tamen alij asserentes in tali casu sufficere,si pœnitens dicat, Toties sacrilegium commisi in mala administratione Sacramentorum,quia illæ indignæ administrationes Sacramentorum diuersorum non differunt specie. sed opponuntur eidem virtuti nempe Religioni.

Nota tamen hîc obiter contra Faustum *de Euch. lib.*1 *q.*361.& Granadum *in* 3.*p.de Sacr.contr.*3. *tract.*5. *disp.*5 *nu.*12.Sacerdotem,qui in statu peccati mortalis administrat Eucharistiam, non peccare mortaliter. Ita ego sæpiùs alibi cum Vasquez, & hanc sententiam,me citato, nouissimè tenet etiam Cœlestin *in comp.Theol.moral.tract.*1.*c.*9. *nu.*5. *diffic.*5. cui adde Turrian *in select.disput cent.* 2. *censuræ theologicæ, dub.*95.& Mæratium *in D.Thom to* 3.*tr.de Sacr.in gen. disp.*8.*sect.*2.*n.*8.Vide etiam Ochagauiam *de Sacram. tract.*3.*de Minstro Euchar q vlt.num.* 2. vbi docet Sacerdotem, vel laicum tangentem Eucharistiam in peccato mortali, etiam sine causa, non peccare mortaliter.

Quæro sextò, an qui commisit incestum cum matre, vel filia, aut sorore, teneatur explicare in confessione circumstantiam personæ.Aliqui,& satis probabiliter,respondent affirmatiuè; sed contraria sententia est etiam probabilis. pro qua ego *in* 1.*p. tract. de circumstant.resol.*31. adduxi Gyptium, & Megalam, quibus nunc addo Cœlestinum *in compend.Theol.moral.tract.*1.*cap.*8. *q.*7. &, me citato, Bartholomæum à sancto Fausto *de sacram.Pœnitent. tom.*1.*lib.*4.*q.*96.vbi sic ait. Quia iuxta opinionem Diui Thomæ 2.2.*quæst.*154 *art.*9. & Caietanum *ibi*, omnes gradus consanguinitatis, & affinitatis sunt eiusdem speciei in genere moris, sufficit vt ille, qui cum matre,vel filia, aut sorore carnaliter peccauit, dicat, Commisi incestum semel, vel bis,non explicando personam, cum qua peccauit; & quamuis grauior sit incestus cum matre,vel filia, quàm cum sorore,vel consobrina,tamen quia ista grauitas auget malitiam intra eamdem speciem, non est necessariò confitenda.Ita ille.Vide etiam Mancinum *in append.ad praxim visitand.infirm. pract.*1 *dub.*3.§. *& certè supradictam opinionem* iunct.cum §. *si furtum erit reseruatum.*

Quæro septimò, an quando dominus non corrigit famulos, teneatur hanc circumstantiam explicare.Ioannes Sancius *in selectis disput. 6. numer.* 9. putat, quòd quandò dominus non corrigit mancipia, hæc circumstantia est explicanda, non verò si non corrigit famulum ob salarium seruientem, quia mancipium est sub dominio domini,& ad eius curam peruiner, actiones mancipij dirigere, non tamen famuli.

Quæro octauò, an si vtatur mediis extraordinariis, & nimium impudicis in actu venereo, teneatur pœnitens illa specialiter confiteri. Affirmatiuè respondet Philippus Faber *de pœnit. in* 4. *sent. dist.*17.*q.vnic.disp.*24 *cap.*2.*n.*34.Sed ego contrarium teneo, quia hi tactus tantùm notabiliter peccatum aggrauant, secus autem si in alienam speciem mutarent;vt,si, v.g. quis ante fornicationem inciperet actum sodomiticum, & postea in vase naturali seminaret.nam in hoc casu teneretur illam circumstantiam explicare.

Quęro nonò, an D. Thomas omnium Magister senserit circumstantias aggrauantes esse in confessione explicandas? Quidam recentior affirmatiuè respondet,& citat D.Thomam *in* 4.*sent. dist.*16. *q.*2. *art.*2. *quæstiunc.*5. sed ibi ne quidem verbum inuenitur de hac materia.Dicendum est igitur D Thomam negatiuam sententiam docere vt patet *vbi sup.in* 4.*dist.*16.*q.*3.*art.*2. *q.*5. *in corp.* vbi sic ait. Quidam dicunt, quòd omnes circumstantiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, necesse est confiteri,si memoriæ occurrant. Alij verò dicunt,quòd nõ sint de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ,quę ad aliud peccati genus trahunt, & hoc probabilius est. Ita D. Thom. Vnde valde miror aliquos recentiores sententiam, & modestiam tanti Magistri deserere,& opinionem, quam ipse dicit esse probabiliorem, improbabilem vocare.Sed optimè obseruat doctissimus Bañez *in* 1.*part. quæstione* 1.*art.*6.*dub.vlt.conclusione* 1.quosdam ea omnia, quæ eorum iudicio non consonant, grauioribus censuris inurere,idque tanta facilitate, vt meritò irrideantur; & re vera bilem sapientibus mouet asserere improbabilem esse sententiam negantem circumstantias aggrauantes in cõfessione esse aperiendas;cùm in scholis passim amplectatur, illamque doceant ex veteribus,& recentioribus viri doctrina,& numero insignes, quos ego ad satietatem adduxi *in* 1.*part.tract.de circumstant. resol.*1. quibus nunc addo Granadum *in* 3.*part de Sacram. controu.*7.*tract.*9.*disp* 9.*sect.*1. *n.*3. Hurtadum *de Sacram. disp.*9.*de pœnit. diffic.*3 Cœlestinum *in compend. Theol. moral.tract.*1 *c* 8.*n.*6 Præpositum *in* 3.*p.D Thom q.*5. *de integr.conf.dub.*2.*n.*103 Faustum *de sacr.Pœnit. lib.*4. *quæst* 81. Kellisonium *in* 3. *part. tom.*2. *q* 9. *de qualit. confess.dub.*2.

RESOL. LVII. *An vxores,& filij possint aliquando post mortem viri,vel parentum occultare bona creditorum?*

REspondeo quòd vxores, & filij, quorum mariti, & parentes siue culpa sua, siue aliquo infortunio ad magnam penuriam sunt redacti, si post mortem inueniantur non esse soluendo, possunt ex bonis relictis tantum subtrahere, & occultare, quantum satis est ad honestam vitæ sustentationem,& mediocrem status, seu conditionis conseruationem. Imò licet in iudicium vocati compellerentur sub iuramento aperire, si nihil abstulerint ex bonis mariti, vel parentum; tamen non tenerentur in conscientia veritatem dicere, sed possent dicere se nihil omninò occultasse (supple) quod non sit ipsis debitum, & necessarium ad statum conseruationem.Imò ampliùs dico, nec etiam obligarentur se ipsos manifestare vi, & virtute quarumcumque excommunicationum, quia rem alienam iniustè non retinent,& sicut subtrahendę quę sunt necessaria ad congruentẽ statum nõ pec-

cant,ita neque peccant, aut incurrunt excommunicationem non reuelando. Et hæc omnia docet Cœlestinus *in compendio Theologiæ moralis, tr.9.c.19. in fine.* vbi etiam addit vnum valde notandum ex sententia plurium Doctorum,filium succedentem patri,auo,vel matri in bonis acquisitis per vsuram, siue per alios contractus illicitos,vel delictum,non teneri restituere cum graui detrimento sui status, siue bona fide habeat hæreditatem, ignorans ea bona esse iniustè acquisita, siue mala fide, sciens ea bona esse iniustè acquisita. Si tamen delictum est notorium, non tantum retinere potest, quantum alius debitor,qui ex contractu licito,vel ex delicto occulto in graue infortunium incidisset. Ita ille. Qui citat Scotum, Angelum, Nauarrum, & Azorium, quæ quidem sunt menti tenenda, quia practicabilia.

Resol. LVIII. *An si aliquando non patet aditus ad Episcopum pro casu reseruato, possit Confessarius pœnitentem absoluere?*

NEgatiuè respondet Suar.*in 3.p.tom.4. disput.30. sect.3. n.* 13. quia licet quoties non patet aditus ad Papam,vel Nuntium, nisi cum magna difficultate,& mora, possit Sacerdos inferior absoluere à casibus Papalibus. Non ita dicendum est de casibus Episcopalibus, quia ius commune ita statuit quoad casus Papales, non autè quoad Episcopales.

Sed hęc sententia mihi non placet sicut & Cœlestino *in compend.Theol.moral.tract.1.cap.23.n.5.* quia par interdum videtur ratio quoad casus Episcopales, fieri enim potest, vt non minus sit difficilis aditus ad Episcopum, quàm ad Pontificem, & adsit nihilominus necessitas communicandi, vel celebrandi. Ita Cœlestinus, qui citat Gamachæum *in 3.p.D.Thom.de sacr.Pœnit.c.20.§.1.verb. Caterum si per inaduertentiam.* Nec te terreat,amice Lector,auctoritas Patris Suarez.nam pro mea,& Cœlestini sententia stat nouissimè Iacobus Granado *in 3.p. de Sacr.contr.7.tract.10.disp.7.n.12.* vbi nostram sententiam confirmat ex multis rationibus, adi illum, & non pigebit,ego enim breuitati studeo.

Rosol. LIX. *An absolutus tempore mortis ab excommunicatione, elapso morbo teneatur quamprimum poterit se præsentare Superiori,alioquin reincidet in eamdem excommunicationem sicut erat priùs?*

COmmuniter affirmatiuè respondent Doctores,si absolutio fuit de censuris; secus autem de casibus reseruatis,absolutus enim tẽpore mortis ab istis,non tenetur se præsentare Superiori;ab illis autem, videlicet excommunicationibus tenetur. Ita nouissimè Granado *de Sacrament.in 3. p. contr. 7. tr.10.disp.4.sect.2.nu.13.* Tannerus *tom.4 disp.6.q.9. dub.3.n.72.*& Philippus Faber *de pœnit. in 4. sentent. dist.17.q.vnic.disp.27.cap.2.num.40.*

Nihilominus Claudius Millardus *in summa Parochorum,de pœnit.c.97.n.10.* notat probabilissimum videri hoc onus se præsentandi coram Superiore,si quis absolutus fuerit tempore mortis ab excommunicationibus reseruatis, non habere amplius locum, & cessasse post Concilium Tridentinum *sess.14.c.17.* quam doctrinam Cœlestinus *in compend. Theolog.moral. tract.1.c.7. nu.3.* putat posse tuta conscientia approbari,quando excõmunicatio non est notoria,vel deducta ad forum externum, sed omnino occulta,vel scitur tantùm à duobus, vel à tribus.Ita ille.Sed cogita;nam in contrarium videtur *cap.de cætero de sententia excomm. & cap.eos qui,de sentent.excommunic.in 6.*

Notandum est tamen hîc obiter etiam stando in prima opinione, quòd qui in articulo mortis fuit absolutus à censuris reseruatis Papæ, aut Episcopis vi alicuius Bullæ,Iubilæi, aut priuilegij, vel à delegatis prædictorum, non tenetur se præsentare.Imò etiam satisfaceret(quod est valde notandum)oneri comparendi, si coram Confessario facultatem habente ex priuilegio absoluendi extra mortis articulum se præsentaret. Et cùm pœnitens in tali casu,vt dictum est tenetur se præsentare,sufficit si absens pareat, nam ad parendum solùm & non vt absoluatur,iubetur præsentari. Ita ex Bonacina,Sà & Nauarro docet Cœlestinus *loco citato.*

Resol. LX. *An confessio per literas aliquando possit esse valida etiam post decretum Clementis VIII.*

AD hoc dubium Philippus Gamachęus ex doctissima, & inclyta facultate Parisiensi Doctor Sorbonicus *in 3.part. D. Thom. de sacram. Pœnit. c.20.§.4.* respõdet.Et in primis ait,nullam esse quęstionem si pœnitens sciat dictum decretum, & prohibitionem Ecclesię.tunc enim mortaliter peccat, ac proinde ponit obicem gratiæ, sicque eius absolutio omnino euadit nulla; sin autem pœnitẽs laboret ignorantia inuincibili, & bona fide agat, tunc quidem mortaliter peccat Sacerdos eum absoluendo, quia vel scit, vel scire tenetur absolutionem hanc esse illicitam. Nihilominus tamen simpliciter videtur adhuc valida absolutio, tum, quia Clemens VIII. non statuit apertè contrarium, nec ait nullam talẽ esse absolutionem; sed tantùm non licere, multa enim prohibentur, quæ si fiant rata sunt, tum quia communis est hæc Theologorum sententia, vt eiusmodi confessio valida censeatur. Ita Paludanus,Syluester,Nauarrus,Adrianus,Corduba,Ledesma,Medina,Taperius,& alij.Tum quia accedit bona fides pœnitentis; cùm è contrario loqui videatur Clemens VIII. disertis verbis de iis tantùm, qui prudenter, & scienter contra prohibitionem ausi fuerint confiteri.Ita Gamachæus.Et pro hac sententia facit etiam Kellisonius *in 3.p.to.2. q.9. art.3. dub.3.* vbi docet,validam esse absolutionem, si confessio fiat per scriptum, & absolutio detur pœnitenti præsenti. Et testatur ex Cardinali Bellarmino Clementem VIII. declarasse viua voce, se non intendisse prohibere absolutionem pœnitentis in præsentia, qui tamen confessus fuerat in absentia.

Sed hęc opinio aliquibus non placet,per ea,quæ aduersùs Coninck satis firmaui *in 3.p.tr.3.de absolutione morib. resolutione 7.* nam in suo decreto Clemens VIII. confessionem factam absente Sacerdote non solùm illicitam,sed etiam inualidam esse determinauit. Ex quo etiam refellunt aliqui opinionem Iacobi Mancini *in append. ad praxim infirm.*

practica 4.dub.2.num.3. & Cœleſtini *in compend.Theologiæ moralis,tractat.1.cap.21.numer.3.* docentium ægrum,qui per literas, vel per internuntium Sacerdoti peccata ſua manifeſtauit abſenti Confeſſario, poſſe abſolui, poſtquam Confeſſarius acceſſerit ad illum, dummodo adhuc viuat, & in hoc caſu non tranſgreditur decretum Clementis VIII. cùm non niſi præſentem abſoluat, iuxta mentem dicti Pontificis.Ita Cœleſtinus.Vide me ipſum *loco citato, & in 4.part. tractat. 4. reſolutione 92.* De declaratione autem Clementis VIII. quam affert Kelliſonius, non conſtat authenticè.

RESOL. LXI. *An qui,verbi gratiâ per menſem ſingulis diebus habuit pœnitentiam audiendi Miſſam, teneatur diebus feſtiuis duas Miſſas audire?*

VIdetur affirmatiuè prima facie reſpondendum,quia diebus feſtiuis talis tenetur audire Sacrum ex præcepto Eccleſiæ, & ex præcepto Confeſſarij. ergo duas Miſſas tenetur audire. Probo conſequentiam,quia diſtincta obligatio diſtinctum actum requirit, & ideo ſi Confeſſarius pro pœnitentia imponeret ieiunia aliqua, quis non ſatisfaceret ieiuniis ex præcepto Eccleſiæ, aut voto delectis ex illa regula, quòd Confeſſarius imponens pœnitentiam cenſendus eſt ad actus,qui aliàs obligatorii non ſunt, obligare, niſi contrarium explicet.

His tamen non obſtantibus, ſi Confeſſarius dicat, Singulis diebus hoc menſe audias Miſſam, ex benigna interpretatione cenſetur Miſſa debita ex præcepto diebus feſtiuis contentus eſſe, neque enim cenſendus eſt obligare ad audiendum duplex Sacrum diebus feſtiuis, quia eſt graue onus, quod non eſt credendum impoſuiſſe, niſi manifeſtet, ac proinde diebus feſtis vnico Sacro auditò ſatisfacies vtrique obligationi. Et ita docet Mercerus *de Sacrament.q.83.art.4.not.4.* Caſtrus Palaus *tom.1.tr.3.diſput.1.punct.19.num.4.* & Sanchez quem ego adduxi *in 3.p.tract.6.reſol.86.*

RESOL. LXII. *An in foro conſcientiæ vt conſuetudo abroget legem, requiratur præſcriptio aliqua temporis?*

SVpponendum eſt ex *c.fin. de conſuet.* duo neceſſaria eſſe,vt conſuetudo abroget ius poſitiuum. Primum vt ſit rationabilis. Secundum vt ſit præſcripta. & quoad tempus præſcriptionis Baſilius Pontius *de matrim.lib.6.cap.5.num.9.* Monteſinus *in p.2.tom.2.diſp.2.q.13.num.225.*Granado *in 1.2.contr.7. tract.3.part.2.diſp.16.ſect.1.num.9.* Leſſius *lib.2. cap.6. dub.14.*Valentia *tom.2.diſp.7.q.5.punct.8.*Sotus *de Iuſt. lib.1.q.7.art.2.*& alij affirmant nullum tempus determinatum eſſe ad inducendam conſuetudinem, ſed arbitrio prudentis hoc penſandum eſſe, qui pro negotij qualitate,& pluralitate actionum extẽdere,vel limitare tempus debet. Alij diſtinctione vtuntur,ſi conſuetudo ſit præter legem, vel contra legem ciuilem, decennio affirmant compleri; ſi contra legem canonicam, quadraginta annos expoſtulant. Ita Azorius *tom.1.lib.5.cap.4.q.4.*Molin. *tom.1.diſp.77.* Couarruuias *l.1.variar.c.17.n.8.§.quarto,*& alij relati à Salas *de legibus,diſp.19.ſect.4.* & tandem Pater Suarez *de legibus,lib.7.cap.8.n.7.iunct.c.15. num.5.& cap.18.num.12.* Donellus *lib.1. cap.10.* Emanuel Sà *verb.conſuetudo,num.3.* & alij aſſerentes conſuetudinem eſſe legitimè præſcriptam,& ſufficientem ad abrogandam legem, ſi decennio perſeueret, quia iura ad conſuetudinem inducendam requirunt longum tempus; ſed decennium eſt longum tempus,& infrà illud non reputatur,ex *lvlt.C. de præſcr.long.temp.& §.1 Inſt.de vſucap.* ergo,&c.

His igitur ſuppoſitis, quæro an ſpatium, verbi gratiâ, decem annorum, vt conſuetudo dicatur legitimè præſcripta,requiratur in foro conſcientiæ? & negatiuam ſententiam (attendas quæſo amice Lector)docet Michael de Palatio, inſignis Theologus Academiæ Salmaticenſis, in ſuis præclaris Commentatiis ad *lib.3.ſent.diſt.37. diſp.7.fol.453.* & quia codex rarus eſt, ponam per extenſum eius verba.In *cap.*ait,*finali de conſuet. in 6.*duo traduntur neceſſaria, vt conſuetudo abrogare poſſit ius poſitiuum, aut illi derogare, vt ſit rationabilis, & vt ſit præſcripta. Eſt autem rationabilis conſuetudo, quando neque diſſonat à iure diuino, neque à naturali iure; quòd autem diſcrepet à iure poſitiuo, non tollit illius rationabilitatem. Quæ verò ſit præſcripta conſuetudo,lege gloſſam *loco indicato.* & apud Sylueſtrum *verb.conſuetudo.q.2.*Aduertendum autem eſt(ne ceſpitatio ſit *in cap. præcitato*, docente duas conditiones eſſe neceſſarias, vt conſuetudo abroget ius poſitiuum) intelligendum eſſe in foro contentioſo,quia in foro conſcientiæ ſat eſt altera, videlicet rationabilem eſſe conſuetudinem; quia ex rationabili conſuetudine,qui contra legem agit non peccat, etiamſi non ſit præſcripta. Etenim ſi præſcriptio obſeruanda eſſet,fieri non poſſet,vt introduceretur conſuetudo contra legem ſine peccato, quia ſempet, quando introducitur, non eſt præſcriptio;nam præſcriptio annua requirit ſpatia, vt Iuriſconſulti tradunt. Quamobrem ſolùm præſcriptio eſt neceſſaria,vt iudicetur cõtra legem pro conſuetudine, quãdo enim præſcriptio eſt conſuetudinis, iudex ſtabit in ferenda ſententia conſuetudini, & non iuri. Huc vſque vir ille doctiſſimus; cuius ſententia ſi eſſet probabilis, eſſet quidẽ multum notanda,& plauſibilis;ſed tu cogita.Nam aduersùs hanc opinionem ſtat Suarez *de legib.l.7.c.18.* Bonacina *de legib.diſp.1.q.1.punct.vlt.§.3.n.48.*& Granado *in 1.2.cõtr.7.tr.3.p.2.diſp.16.ſect.1.n.6.*Auerſa *in 1.2.q.97.ſect.2.§.altera conditio.*Gordon *in Theol. moral.to.1.l.2.q.10.c.6.n.16.*& alij, qui communiter aſſerunt introducentes conſuetudinem aduersùs legem peccare toto eo tempore, quo cõſuetudo introducta nõ eſt,quia a legis obſeruatione excuſari non poſſunt, niſi ob conſuetudinem legitimè præſcriptam. ergo ſi conſuetudo nondum præſcripta eſt, nulla eſt ratio excuſans. Deinde dum non eſt introducta conſuetudo,lex obligat:ſed facere cõtra legem obligantem eſt peccatum.ergo,&c.

Notandum eſt etiam hîc obiter quòd ſi conſuetudo viget ſciente Principe, & non contradicente, non requiri longum tempus, ſufficit enim ſi bis, aut ter contra legem actum fuerit, ipſeque Princeps non reſiſtat, cùm facilè poſſit. Quòd ſi ignorante Principe conſuetudo ſtabilitur, tunc probabile eſt cenſendum decem annos ſufficere

non ſolùm ad legem ciuilem, ſed etiam canonicã abolendam. Ita Caſtrus Palaus *tom. 2. tract. 10. diſp. vnic. punct. 4. n. 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 6. dub. 4. circa finem.* Suarez *de Religione, tom. 2. lib. 1. c. 22. num. 6. circa finem,* & alij. quia ad conſuetudinem lege canonica derogandam, nullum tempus in iure Canonico deſignatur. Cenſendum ergo eſt probabiliter ex iure ciuili eſſe ſumendum. Vide etiam Granado *in 1. 2. contr. 7 tract 3. part. 2. diſp. 16. ſect. 1. num. 9.* vbi ex Vaſquez firmat, quòd ſpatium quadraginta annorum nullo modo requiritur etiam ad conſuetudinem legitimè preſcriptam contra legem Eccleſiaſticam; licet enim ad præſcribendum contra bona Eccleſiaſtica id ſpatium exigatur in iure, longè diuerſa eſt ratio in conſuetudine. præſcriptio enim tollit ius, quod Eccleſia habet ad bona Eccleſiaſtica, etiamſi hæc non conſentiat, & ideò voluit ius Canonicum in fauorem bonorum Eccleſiaſticorum tam longum ſpatium requiri. At verò conſuetudo ſolùm tollit obligationem legis, quatenus affert tacitum ſaltem conſenſum Principis, qui quidem ſufficienter dignoſcitur in decennio.

RESOL. LXIII. *An Epiſcopus poſſit ſupplere aliquem defectum ordinationis quouis tempore?*

ORdinatus, verbi gratia, eſt aliquis, & non tetigit calicem, vel librum, aut inſtrumentum, in cuius tactu comprimitur character, vel in calice non fuit appoſitum vinũ, &c. quæritur an eiuſmodi iteratio poſſit fieri quouis anni tempore? Caſus eſt probabilis, & negatiuam ſententiam docet Thom. Sanch. *in opuſc. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 13. num. 7.* vbi citat gloſſam. Panorm. Innocentium, D. Antoninum, Tabienam, Angelum, & Henriquez, aſſerens talem ſuppletionem non poſſe fieri quouis tempore, ſed tantùm illo tempore, quo Ordines poſſunt celebrari. Et ratio eſt, quia ſupplere eiuſmodi defectum, ſaltem ſi ſit ſubſtantialis, eſt conferre ſacramentum Ordinis ſaltem ſub conditione, ſed in iure præſcriptum eſt tempus, extra quod non licet ſine priuilegio conferre ſacramentum Ordinis. ergo neque licebit ſupplere defectum ſaltem ſubſtantialem.

Non deſinam tamen hîc pro curioſis adnotare, contrariam ſententiam tamquam probabilem docere Iacobum Granado *in 3 p. de Sacr. contr. 9. tr. 2. diſp. 3. n. 3.* vbi ſic ait. Probabile eſt quòd viri docti à me conſulti opinantur quouis tempore licere prædictos defectus ſupplere. Probatur euertendo fundamentum, cui inniti poteſt contraria opinio. Etenim, propriè loquendo, ſupplere eiuſmodi defectus non eſt Ordines celebrare, ſed potiùs perficere id, quod imperfectè præſtitum eſt tempore ordinationis, nec enim ſunt repetendæ ceremoniæ omnes, aut ſacramentum miniſtrandum, ſicut in diebus Ordinum miniſtrari ſolet, ſed præcisè iteranda ſaltem ſub conditione ea ceremonia, quæ omiſſa eſt, verbi gratia, iterandus contactus inſtrumentorum, aut quid ſimile, quod potiùs eſt veluti appendix Ordinum præcedentium. Vnde *in cap. Paſtoralis, de Sacrament. non iterand.* cùm quidam in Confirmatione delinitus eſſet oleo, & non chriſmate, quod ſecundùm veram opinionem eſt de eſſentia Sacramenti Confirmationis, reſpondit Pontifex nihil eſſe iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerit prætermiſſum; quaſi diceret, ſolùm repetendum eſt eſſentiale, quod deficit reliquis omiſſis, idque fiat, ita vt ſcandalum vitetur. Facit in huius rei confirmationem quòd non minùs videntur cadere ſub præcepto ceremoniæ, & ritus, quibus Ordines celebrantur, quàm tempus à iure præfixum; ſed cùm ſupplendus eſſet defectus prædictus, non oporteret iterari omnes ritus Ordinum, ſed ille ſolùm, in quo defectus commiſſus fuerat. ergo nec oportebit expectari tempus à iure præfixum. Imò addunt aliqui ob eaſdem rationes poſſe ſine peccato ſuppleri prædictum defectũ, quin Epiſcopus induatur veſtibus ſacris, quia id etiam pertinet ad ſolemnitatem requiſitam, cùm Ordines celebrantur, non verò cùm defectus ſupplentur: res tamen eſt incerta, & dubium non eſt, quin oppoſitum ſit tutius, & magis pertineat ad reuerentiam Sacramenti; imò aliis videtur certum id eſſe neceſſarium. Hæc omnia Iacobus Granado *loco citato.* cuius ſententiam improbabilem eſſe non audeo dicere.

RESOL. LXIV. *An ſi adeſſet opinio probabilis aliquem in ſuſceptione alicuius Ordinis illum non ſuſcepiſſe, licet alia opinio in cõtrarium etiam ſit probabilis, adhuc teneatur iterare dictum Ordinem ſub conditione?*

CAſus eſt practicablis, & ad illum placet mihi reſpondere cum verbis Iacobi Granado *in 3. part. de Sacrament. controu. 9. tract. 5. diſp. 6. num. 2.* vbi ſic ait. Supponendum eſt, ſi opinio ſit probabilis Ordinem verè fuiſſe ſuſceptum, & ſit etiam probabilis oppoſita ſententia, poſſe tunc ſine dubio iterari Ordinem ſub conditione. Vtrùm autem teneatur quis illum Ordinem reiterare? Dico quòd ſi ille Ordo ſit ſacerdotalis, aut Epiſcopalis, teneatur in tali caſu quis Ordinem reiterare, quia alioquin exponitur periculo non conſecrandi, non abſoluendi pœnitentes, non ordinandi, cùm probabile ſit illum non habere poteſtatem Ordinis ad id requiſitam. cùm autem id cedat in maximum detrimentũ fidelium, tenetur ordinatus vitare huiuſmodi incommodum recipiendo prædictum Ordinem ſecundùm certam doctrinam, & non iuxta opiniones, in quibus poteſt eſſe deceptio. Quod verò attinet ad reliquos Ordines inferiores, non obligarem eum, qui iuxta probabilem opinionem eos recepiſſet, vt illos iteraret etiam ſub conditione. Moueor ad ita ſentiendum, quia iſti Ordines non ſunt ita neceſſarij, vt per ſacerdotalem poteſtatem ſuppleri non poſſint munera, propter quæ inſtituta ſunt, & præterea non habent annexum aliquem actum abſolutè neceſſarium ad ſalutem fidelium, aut defectu cuius proueniat Eccleſiæ notabile detrimentum. Cùm ergo aliunde homo ſit ordinatus iuxta probabilem opinionem, ac proinde prudenter poſſit ſibi perſuadere Ordinem fuiſſe validum, non eſt cur ad illius iterationem obligetur. Ita Iacobus Granado, & ego.

RESOL.

RESOL. LXV. *An requiratur intentio ſaltem virtualis in eodem tempore Miſſæ ad applicandum fructum Sacrificij cui præbuit ſtipendium?*

AFfirmatiuam ſententiam tenet Granado *in 3.part.de Sacrament. controuerſ.3.tractat.5. diſp.4. ſect.2.num.14.*quia non aliter prodeſt,vel applicatur alicui fructus boni operis,aut Sacrificij, quàm offerendo illud pro tali perſona; ſed vt offeratur pro tali perſona,requiritur intentio ſaltem virtualis offerendi pro illa, & non ſatis eſt quòd aliquando id quis voluerit. ergo vt alicui proſit bonum opus, vel ſacrificium Miſſæ,neceſſaria eſt virtualis intentio.Maior videtur certa, quia ſi pro alio offeratur, illi non prodeſt.Minorem probo, quia illa oblatio debet eſſe voluntaria; ſed ſola habitualis voluntas non reddit oblationem voluntariam. ergo requiritur ſaltem virtualis. Minor patet, quia ſola habitualis voluntas non ſufficit,vt ratione illius aliquid fiat,ſed perinde ſe habet, ac ſi non eſſet; propterea enim docent Doctores nec ad meritum, nec ad Sacramentum illam ſufficere. ergo non poteſt dici voluntariè factum, aut oblatum, quod habituali voluntate fit. Concedendum ergo neceſſariò eſt requiri intentionem, ſeu voluntatem offerendi, quæ ſaltem virtualiter maneat tempore oblationis boni operis,vel ſacrificij Miſſæ.Ita Granado. Vnde ſecundùm ſuam ſententiam applicatio Miſſæ pro illo, qui dedit eleemoſynam, eſſet facienda actualiter, vel virtualiter tempore eiuſdem ſacrificij.

Sed quia caſus eſt quotidianus, & ſi hæc opinio eſſet vera, multi ſæculares præbendo ſtipendium fraudarentur applicatione ſacrificij Miſſæ, & Sacerdotes grauiter peccarent. Ideo ne deſeras videre me ipſum *in part. 1. tractat.14 reſol.47.* vbi negatiuam ſententiam docui, quam, me citato, tenet nouiſſimè Ioannes de Lugo *de Sacram.diſp.8. ſect.6. num.93.*cui adde etiam Hurtadum *diſput.4. de Sacr. in genere, diffic.5.* & Coninck *de Sacram.q.64. art.8. dub.2.numer.76.* quia quamuis intentio habitualis non ſufficiat ad efficiendum Sacramentum,neque ad efficiendum Sacrificium, quia ad id requiritur intentio factiua, quod conuenire nequit intentioni non perſeueranti actualiter in ſe, neque virtualiter in aliquo effectu ſui, ſufficit tamen ad applicandum valorem, ſeu fructum Sacrificij faciendi ex alia intentione actuali, aut virtuali, quia ad applicandum valorem, aut fructum Sacrificij, non eſt neceſſaria intentio factiua Sacrificij, neque valoris illius, ſed ſufficit intentio applicatiua valoris futuri Sacrificij faciendi ex alia intentione, & reſpiciens ipſum valorem, vt purum obiectum, & non vt effectum. quia ex eo tantùm quòd celebrans tunc quando fit Sacrificium, aut antea, velit ſuum Sacrificium aut exiſtens, aut poſtea futurum alicui prodeſſe, dicitur illi ſufficienter applicare valorem: ad id autem ſufficit intentio habitualis, quia ſufficit intentio non factiua,aut purè volitiua. Igitur poſſum hodie, verbi gratia, applicare alicui ſacrificium, quod cras, vel infra dies aliquot celebrabo, manebitque ei applicatum, etſi de illo nihil amplius cogitem, modò non habeam voluntatem contrariam ante celebrationem, quia in tali caſu voluntas non debet me mouere ad aliquid vlteriùs operandum, ſed ſolùm mouere diuinam voluntatem, vt ſtatim, ac ſacrificem, eius fructum alteri applicet.Secus eſt de confectione Sacramenti,quam libera mea voluntas phyſicè debet cauſare applicando potentiam motiuam ad actum externum operandum.

RESOL. LXVI. *An ſi quis accedat ad confeßionem ſufficienter attritus abſque alio formali propoſito non peccandi de cætero,recipiat gratiam,& confeßio ſit valida?*

DE hoc nouiſſimè interrogatus reſpondi affirmatiuam ſententiam docere Iacobum Granado *in 3.part. de Sacrament. controuerſ.7. tractat.10. diſputat.3.ſect.1.num.6.* vbi ſic ait. Verùm Pœnitentiæ ſacramentum conſtare non poteſt ſine dolore peccatorum, & quoniam qui dolet ſe aliquid feciſſe, conſequenter ſtatuit in futurum præcauere, pertinet etiam ad eſſentiam pœnitentiæ iſtud propoſitum, quod licet formaliter, ac proinde diſtinctum à dolore requiratur ad contritionem, ad attritionem exiſtimo ſufficere virtuale, quale intrinſecè clauditur in dolore, quia Tridentinum non requirit formale, dum de illa tractat, nec eſt ſufficiens motiuum ad id aſſerendum. Quare qui ex animo dolet de peccatis propter pœnas inferni, ſufficienter diſpoſitus accedit ad ſacramentũ Pœnitentiæ abſque alio propoſito formali non peccandi de cætero, quamuis conſilium optimum ſit non accedere ſine illo.Ita Granado;ſed an probabiliter,alij iudicent.Vide Tannerum *tom.4.diſp.6. q.6. dub.4.num.83.& 84.*

Aduertendum eſt tamen pro praxi, ad hoc vt quis habeat propoſitum vitandi peccata in futurũ, non requiri,vt poſitiuè iudicet ſe conſtanter euitaturum peccata etiam mortalia,ſed quòd in præſenti verè proponat, quantum in ſe eſt, illa vitare,qui actus,vt patet, haberi poteſt cum iudicio probabili,quòd quis reincidet in peccata. Vnde peccator, qui propter conſuetudinem vix ſperat ſe non lapſurum rurſum in eadem peccata, poteſt legitimè diſponi ob abſolutionẽ obtinendam, quod eſt notandum à Confeſſariis.Et ita docet Ioan.Præpoſitus *in 3.part.D.Thom.q.86.art.1.dub.6.n.45.* cum aliis.

RESOL. LXVII. *Quidam ſerò in examine elicuit actum contritionis, proponens ſequenti die confiteri,poſtea in confeßione nullum actum doloris deprompſit, quæſiuit à me,an confeßio illa fuerit valida?*

FRequens & curioſus eſt caſus iſte,& dependet ex illa quæſtione, quanta videlicet coniunctio, & ſimultas ſit neceſſaria inter dolorem peccatorum, & confeſſionem. Et conſolatoriam ſententiam circa præſentem quæſtionem tenet doctus Hurtado *diſput.1.de Sacram.in genere, diffic.11.* vbi ſic ait. In pœnitentia poſt actus pœnitentis multo tempore pòſt poteſt abſolutio validè conferri, ſicut etiam in iudicio forenſi (inſtar cuius pœnitentia eſt inſtituta) multo tempore poſt diſcuſſionem cauſæ fieri ſolet abſolutio, vel condęmnatio, toto

ſcilicet tempore pòſt, quo actus pœnitentis dicuntur moraliter permanere; tamdiu autem dicuntur moraliter permanere, quamdiu permanent habitualiter, id eſt, quamdiu non retractantur, neque expreſsè, neque implicitè. Ita ille.

Sed aduersùs hanc ſententiam inſurgit nouiſſimè Granado *in 3 p. de Sacr. contr. 7. tract. 3. diſp. 3. ſect. 1. num. 7.* vbi ſic aſſerit. Quoniam certũ eſt non eſſe neceſſarium, vt dolor exiſtat in ipſo puncto abſolutionis, aut accuſationis, oportebit determinare, quamdiu præcedere poſſit dolor abſolutionem. Quidam dicunt poſſe præcedere per multũ temporis, ac proinde ſine limitatione, dummodo poſtquam ſemel habitus eſt, non retractetur. Sed mihi tanta temporis diſtantia inter dolorem, & confeſſionem nullo modo probatur. nam inter materiã, & formam cuiuſlibet Sacramenti debet eſſe moralis coniunctio; hæc autem non poteſt indifferenter in qualibet temporis intercapedine conſeruari. Ergo cùm dolor ſit materia ſacramenti Pœnitentiæ inter illum, & abſolutionem, quę eſt forma, debet eſſe ea ſolùm temporis diſtantia, quæ non obſtet, quominus inter illas ſit coniunctio moralis. Dicendum ergo eſt tamdiu ſolùm poſſe præcedere dolorem, quamdiu virtualiter permanſerit; hæc autem virtualis permanentia non aliter explicari debet, quàm in aliis euentibus. Dicetur ego virtualiter dolor perſeuerare, quamdiu ſi pœnitens interrogatur cur doluerit, poſſit ſine noua deliberatione reſpondere ſe doluiſſe vt confiteatur, & non retractaſſe dolorem, quia vult confiteri. Sic enim intentio conficiendi Sacramentum permanet virtualiter in Miniſtro, quamdiu ſine noua deliberatione interrogatus reſponderet ſe propterea ritum illum externum adhibere, quia vult Sacramentum miniſtrare; & ſimiliter intentio efficiendi opus externum propter Deum tamdiu durat virtualiter, quamdiu interrogatus ſine mora reſpondebit ſe illud facere, vt Deo placeat. Huc vſque Granado *loco citato.*

Verùm ſententia Hurtadi mihi etiam probabilis videtur. Vnde ad caſum propoſitum reſpondi confeſſionem illam fuiſſe validam, & ita in terminis, vt dici ſolet, terminantibus tenet Ioannes Præpoſitus *in 3. part. D. Thomæ, quæſt. 2. de contritione, dub. 1. num. 31.* vbi ſic ait. Si quis examinans conſcientiam, & eliciens dolorem de peccatis, illum referat ad confeſſionem, ſeu doleat, volens illa peccata clauibus ſubiicere, talis dolor ſufficit per modum partis, quamuis aliquanto tempore præcedat confeſſionem, & cenſetur moraliter permanere, dum fit confeſſio, licet deſierit eſſe actu, cenſeturque moraliter informare confeſſionem. Vnde cùm aliquis veſpere examinans conſcientiam elicit contritionem peccatorum, proponens ſequenti die confiteri, validum eſt Sacramentum, quantum eſt ex parte contritionis, licet nullum alium actum contritionis eliciat. Ita ille, & ego.

RESOL. LXVIII. *An Decretum Gratiani habeat vim legis?*

HÆc quæſtio pro praxi multum deſeruiet non ſolùm Iuriſperitis, ſed etiã Caſuiſtis, & Theologis, & affirmatiuam ſententiam mordicus tenet noſter Pater Molfeſius *in ſumma, tom. 1. tract. 9. c. 5. num. 73.* vbi ſic ait. Canoniſtæ tenent indubitanter Decretum Gratiani habere vim legis. Ita gloſſa *in cap. noli, diſt. 9.* eo quòd Gelaſius Papa approbauerit tale Decretum. Alij, quòd Eugenius III. approbauit omnia contenta in Decreto, & quòd licet non conſtaret expreſsè de huiuſmodi approbatione, communiter tamen Canoniſtæ, & Legiſtæ omnia contenta in prædicto Decreto allegantes, tamquam leges, & ſic illis vtuntur in deciſionibus cauſarum: & hæc opinio mihi probatur; quia in prædictis magis ſtatur Iuriſtis, quàm Theologis, tum quia vulgatum eſt axioma, In vtroque iure ſatis eſt allegare titulum, & probare poſſeſſionem; & hîc ſupponitur, & allegatur titulus approbationis, & adeſt poſſeſſio plus quingentorum annorum, dum Gratianus Monachus ſancti Felicis Bononienſis, Ordinis S. Benedicti, vt aiunt, anno 1009. compilauit Decretum, & ab illo tempore vſque ad præſens, ſemper Legiſtæ, & Canoniſtæ iudicarunt adeſſe talem approbationem, & tamquam ſacris Canonibus vſi ſunt, etiam dictis Sanctorum, quæ inibi Gratianus inſeruit. Tum etiam, quia conſuetudo dat iuriſdictionem, & vim obtinet legis. Additur, quia varij Summi Pontifices iuſſerunt emẽdationem eiuſdem Decreti, vt iam vltimo loco Gregorij XIII. illud iuſſit emendari, & corrigi, facta collatione cum originalibus, ex quibus Gratianus deſumpſit omnia, & ſic emendatum iuſſerunt excudi. Igitur ad minus eſt continuata tacita conceſſa auctoritas, & ſucceſſiuè iure negari non videtur, vt vim legis non habeat. Huc vſque Molfeſius, & teſtimonia ſanctorum Patrum in dicto volumine Decreti inſerta habere vim legis, dummodo in contrarium aliqua diſpoſitio Pontificia non appareat, tenet Barboſa *in proœmio dicti Decreti, num. 7.* vbi citat plures Doctores

Verùm ego alibi contrariam ſententiam docui, & nunc iterum doceo, & ita docent communiter Theologi, inter quos præcipuè videndus eſt Salas *de legibus tr. 14. diſput. 8. ſect. 13. per totam.* Hanc etiam ſententiam docet Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 9. diſputat. 12 numer. 5.* Valentia *tom. 3. quæſt. 6. diſputat. 6. de voto, punct. 6.* Sotus *de Iuſt. lib. 7. quæſt. 3. art. 1.* Caietanus *in 2. 2. quæſt. 88. art. 8. dub. vlt. ad 1.* Maior *in 4. diſtin. 27. quæſt. vlt. §. dubitatur an is.* Suarez *de legib. l. 4. cap. 5. numer. 6.* Granado, vt ego alibi notaui, *in 1. 2. D. Thom. controu. 7. tr. 3. part. 1. diſput. 3. ſect. 2. numer. 17.* quibus adde Villalobos *in ſum. tom. 1. tr. 2. difficul. 7. num. 3.* vbi ſic ait. [Los Canones que eſtan en el Decreto, no ſon leyes de Pontifices, ni de otro que tenga autoridad de hazellas, ſino ricopilolas Graciano, y no fue aquel cuerpo aprobado por algun Pontifice, y no es autentico. Contiene pues eſte Decreto autoridad deſde muchos Santos, y de algunos Concilios Prouinciales; otras del miſmo Graciano, otras de Palea, que fue vn diſcipulo de Graciano, y otras ſon leyes ciuiles que eſtan alli inſertas; y todo eſto no tiene mas autoridad, que aquellos Santos, ò Concilios de donde ſe tomaron.] Ita ille. Dicendum eſt igitur cum Suarez & aliis *vbi ſuprà*, contra Barboſam, & alios, dicta Patrum

trum non habere vim legis, eo quòd inueniantur inserta in Decreto Gratiani, nisi ab aliquo Pontifice fuerint canonizata, vel inter Decretales aliquãdo inueniantur, nec adest consuetudo in contrarium. Vide suprà citatos Doctores, qui respondent ad omnia aduersariorum argumenta. vnde remanebunt soluta ea, quæ superius Molfesius adducit.

RESOL. LXIX. *An ius ciuile obliget in Hispania in casibus in quibus aliquid non sit definitum in legibus illorum Regnorum?*

HIc casus potest deseruire etiam pro aliis Regnis, vbi determinatum non sit, deficientibus legibus propriis esse dicendum secundùm leges ciuiles; & affirmatiuam sententiam tenet Castrus Palaus *tom 2.tr.3.disp.1.* Sanchez *de matrim. lib.7.disp. 87.n.29.* & Villalob *in sum.tom.1.tract.2.diffic.8.nu.6.* vbi sic ait. [Las leyes de derecho ciuil tienen fuerça en España, faltando las leyes del Reyno, no de su naturaleza, sino porque en España se han introduzido assi por la costumbre, y assi por momento se alegan en las Cancelarias, y Audiencias, y todos los juezes juzgan segun estas leyes, quando faltan las nuestras.] Ita ille, qui pro hac sentẽtia citat Burgos de Paz *in l.1.Tauri, à.nu.520.* Anton. Gomez *ibi num.10.* Pin. *rubric. C. de bon. mater.par.2. num.12.* & Cifuentes *in leg.3.Tauri, num.3.*

Verùm ego contrariæ sententiæ tamquam probabiliori adhæreo, quam ita mordicus tenent Salas *de legib.tractat.14.disputat.7.sect.9.num.18* & Granado *in 1 2 contr.7. tractat.3. part. 1. disputat.3 sect.3. numer. 25.* vt contrariam immeritò falsam vocent. Hanc etiam opinionem docet Suarez *de legibus.l.3. cap 8.num.5.* Vasquez *in part 2.tom. 2.disput 153.cap.2.* & Gordonus *in Theol moral. tom.1. l.2. quæst.9. cap.3. num.13.* cum multis aliis Iurisconsultis penes ipsos. Et ratio est, quia, vt probat Molina *de Iustitia, tom.1. tractat.2. disputat.30.* Suarez *de legibus.lib.4. cap.7.* & alij, Imperator non est dominus totius orbis, & in speciali constat nullam habere iurisdictionem in Hispanos, quorum Rex supremam habet potestatem temporalem in his Regnis. ergo non potest Imperator illa suis legibus obligare, nec leges Imperatorum modò vllam vim habent in Hispanos, nisi Rex noster subiiceret Hispanos iuri ciuili cõmuni. Quòd autem ius ciuile allegetur passim in his Regnis, non concludit, quòd obliget, sed allegantur leges ciuiles, non vt leges, sed vt dictamina rationi consentanea (cùm re ipsa talia fuerint) & naturam contractuum optimè explicantia. Vnde Panorm. *in c.Ecclesia S.Mariæ num.10. de const.* vniuersè ait, quòd vbi lex ciuilis Imperatorum esset fundata super ratione naturali, potest iudex Ecclesiasticus illam seruare, non ratione legis, sed ratione naturali. & Bald. *in cap. fin. de const.* testatur Francos vti lege Romana, non quia lex, sed quia est bona. Itaque, vt optimè aduertit Granado *vbi suprà* consuetudo solùm est leges ciuiles citandi, vt in iis quæ ad ius naturale accedunt, magni habendæ, eo quòd optimis rationibus Iurisconsultorum responsa niti soleant. Vnde patet responsio ad argumentum Villalobos, nempe non ex vi legis, sed ex consuetudine teneri iudices in Hispania sequi decisiones iuris ciuilis, deficiente iure proprij Regni, nam respondetur quòd talis consuetudo & vsus non potest probari ex eo, quòd frequentiùs iudicent iudices per leges ciuiles deficientibus propriis, quia id faciunt non obligatione, sed imitatione, quia scilicet dictæ leges æquitati proximiores videntur. Concludo igitur cum Gordono ius ciuile in aliis Regnis extra Imperium non obligare, nisi quantum illorum Regnorum Principes statuerunt.

Notandum est tamen quòd etiam stando in prima opinione Auctores contrarij docent, neminem esse puniendum propter transgressionem legum ciuilium, si actus non sit contra ius naturale, vel Regni; neque contractum fore irritum, etsi à iure ciuili irritetur; si tamen à iure naturali, vel Regio non irritetur, quia si hos effectus leges ciuiles haberent, obligarent Hispanos sicut propriæ, quod non est dicendum. Ita Palaus *vbi suprà.*

RESOL. LXX. *An qui audit Missam post finitum Euangelium satisfaciat præcepto?*

NEgatiuam sententiam docet Mercerus *de Sacram q.83.art.6 dub.4.notab.4.n.3.* Præpositus *in 3.part.quæst 83.art.6.dub.4.nu.203.* Villalobos *in sum. tom.1.tr.8,diffic.35. n.2.* & hanc sententiam ita mordicus tenet Turrianus *in selectis disput part.2. disp.31. dub.28.* vt contrariam temerariam esse existimet.

Sed iste auctor, vt sæpiùs cum tristitia dicere sum coactus, nimis immodestè se gerit in censurandis opinionibus, & sententiis, quæ in scholis doctissimæ suæ Societatis leguntur passim, eiusdemque Scriptores typis mandarunt, nunc improbabiles, nunc temerarias, nunc scandalosas immeritò vocat. Ideo ad propositũ dubium respondendo assero sententiam affirmatiuam nunc esse improbabilem, licet ego negatiuam teneam, vnde non damnarem de mortali, qui Missam post dictum Euangelium audiuit vsque ad finem. Et ita hanc sententiam docet ex eadem Societate IESV præter Hurtadum, quem citaui *in 4.part.tract.4. resol.196.* nouissimè Ioannes de Lugo *de sacram. Euch. disp.22.sect.1.num.3.* cui adde Henriquez *lib.9. cap.25. num.7.* Emanuelem Sà correctum *ver. Missæ auditio, num.2.* Fagundez *pr.1. lib.2. cap.6. num.7.* Filliucium *tom.1.tract.5.c.7.nu.201.* Faustum *de Eucharistia, lib.2. quæst.386.* Layman *lib.4.tract.7.cap.3.num.3.* vide etiam Parrem Suar. *in 3.part.tom.3.disp.88.sect.2.* & ratio est, quia Euangelium Diui Ioannis iam est aliquo modo pars Missæ, & alioqui valde probabile est non teneri fideles audire duo Euangelia in eadem Missa, alterum ipsius Missæ, alterum D. Ioannis, cùm non teneatur Missę interesse, nisi vsque ad dimissionem, vel benedictionem, & ideo audiendo postremum Euangelium D. Ioannis in eodem tempore Missæ, & ab eodem Ministro, eodemque actu continuato, videtur satis compensari Euangelium in principio omissum, & satisfacere præcepto audiendi Missam, maximè quia non est necesse audire Euangelium proprij Sacri, sicut non est necesse audire Missam proprij diei festi, sed sufficit quam-

quamcumque audire. Ita Fagundez. Sed alij addunt aliam rationem, quia omissio hæc non videtur attingere grauitatem ad constituendum peccatum mortale.

Non desinam tamen hîc adnotare vnum quod obseruat Layman *vbi suprà*, quòd ego tamen non approbo, videlicet Amalarium significare *lib. 3. de Ecclesiast. offic. c.* 36. fideles grauis culpæ damnari non posse, si ab Offertorio (vnde principium Missæ sumendum esse ex Isidoro refert) vsque ad benedictionem Sacerdotis interstint; & subdit Layman se nihil contra communem Doctorum sententiam definire, solùm dicit, duriusculum videri, si hominem qui circa Offertorium ad Missam accessit, peccati mortalis damnemus, quòd reliqua neglexerit, secluso contemptu, quando quæ principalia in Missæ officio sunt, attentè audiuit. Ita Layman. Sed tu cogita, quia talis omissio clarè apparet esse notabilem Missæ partem. ergo, &c.

RESOL. LXXI. *An si Confessarius, v. g. iniunxit duas Missas audire, satisfaciat pœnitens si simul ex vno loco illas audiat à duobus Sacerdotibus?*

NEgatiuam sententiam docet Turrianus *in selectis disp. part. 2. disp. 16. dub. 7. in fine*, vbi sic ait. Infertur quòd si alicui imponatur à Confessario pœnitentia audiendi duas Missas, non satisfaciet pœnitens, si velit duas Missas simul tempore audire à duobus Sacerdotibus, hoc enim esset contra intentionem Confessarij, qui communiter intendit in hac pœnitentia imponere pœnitenti onus audiendi duas Missas diuersis temporibus, quod satis constat ex communi sensu Confessorum, & pœnitentium. Ita ille. & nonissimè Ioannes de Lugo *de sacram. Euchar. disp. 22. sect. 1. num. 10.*

Sed nisi aliud à Confessario iniunctum sit, vel declaratum, affirmatiuam sententiam docet Mercerus *de Sacram. quæst 83. art. 4. dub. 4.* vbi sic ait. Notandum eum satisfacere præcepto, cui in satisfactionem iniunctum à Confessario fuerit die festo Missam audire, si vnicam audierit, nisi tamen secundam audiri Confessor expressè voluerit. quo casu eum, qui tenetur duas Missas audire, posse simul audire à duobus Sacerdotibus in diuersis Altaribus. Ita ille, qui citat Maiorem *in 4. dist. 12. qu. 8.* cui ego addo Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 8. difficult. 35. num. 12.* vbi sic asserit [Quando el Confessor mandò à vno en penitencia que oyesse dos Missas, dize Azor; que compliria oyendolas ambas juntas, si comodamente lo puede hazer, de vn mismo lugar. si el Confessor no declarò otra cosa. Esta sentencia me parece probable. Ita & mihi. sicuti etiam & Molfesio *in summa, tom. 1. tract. 3. cap. 17. num. 36.* illamque, vt ego alibi notaui, præter Doctores citatos tenet etiam Hurtadus *de sacr. Missæ, disp. 5. diffic. 4.*

RESOL. LXXII. *Quidam Regularis propter æstum, & ad capiendum somnum dormiebat sine tunica lanea, quæ erat habitus suæ Religionis, quæsiuit an peccaret mortaliter?*

SVpra dictum Regularem non incurrisse in excommunicationem latam *in cap. vt periculosa, ne Cleric. vel Mon. in 6.* ego ipse docui *in 3 part. tractat. 2. resol. 115.* Difficultas est an peccauerit mortaliter. Et affirmatiuam sententiam docet Graffius *tom. 1. lib. 3. cap. 5. num. 75.* vbi sic ait. Qui in cella dimittit habitum suum, vel cùm iacet in lecto gestat hastam, siue patientiam, licet pœna excommunicationis non ligetur, peccat tamen mortaliter. Ita ille, qui citat Francum *in cap. ne Cleric. vel Mon. nu. 5.* Confirmatur hæc opinio ex *c. vidua 20. q. 2.* vbi ex Concilio Toletano sic habetur. Tunc accepta à Sacerdote, vel Ministro apta Religionis professioni veste, seu in lectulo quiescens, siue in quocumque loco existēs, constanter ea vtatur. & idem ex Concilio Carthaginēsi IV. *Can. 11.* habetur *in c. sanctæ Monialis, dist. 23.*

Sed his non obstantibus de hoc casu interrogatus negatiuè respondi, certum enim existimo ex vi iuris communis non esse in tali casu obligationem sub peccato mortali, quia neque in citatis decretis pro contraria sententia adsunt verba obligantia ad peccatum mortale: nam *in cap. vidua*, solùm dicitur, *constanter ea vtatur.* in alio verò, *qualibus semper vsura est.* quæ non sunt verba rigorosè præceptiua, vt per se constat, nec communi vsu & consuetudine ita sunt interpretata. Igitur debitum, quod habet Regularis vtendi semper suo habitu, est honestatis, non necessitatis; solùm ergo ex aliqua circumstantia extrinseca, vel ex præcepto regulæ & consuetudinis ad hoc obligantis potest in tali casu adesse peccatum mortale, aliàs non. Et hæc omnia docet Suarez *de Relig. tom. 4. lib. 1. cap. 5. num. 18.* Sanctarellus *de Apostas. cap. 1. dub. vn. num. 5.* & post hæc scripta vidi amicissimum Lezzanam in suis eruditis *quæst. Regular. cap. 13. num. 7.* quibus adde Fabrum *de restitut. in 4. sentent. dist. 15. quæst. 2. disp. 45. cap. 4. num. 88.* vbi tractat hanc quæstionem quoad Fratres Minores Conuētuales & Obseruantes. & firmat, dormientes sine habitu non peccare mortaliter, & idem etiam docet, si dicti Fratres vterentur camisis lineis, putat enim in tali casu non peccare.

Notandum est hîc obiter docuisse Nauarrum *in consil. de Apostas.* Religiosum qui spoliatur habitu ad liberiùs fornicandum, peccare mortaliter, non solùm contra temperantiam, sed etiam se exuendo habitu, quamuis apostata non sit; sed fallitur bonus senex, vt rectè obseruat Suarez *vbi suprà*, & patet ex dictis. Vnde in prædicto casu non erit, per se loquendo, duplex malitia mortalis, vna fornicationis, altera, vt aiebat Nauarrus, spoliationis habitus, nisi fortasse ex speciali aliqua regula talis prohibitio cum eo rigore facta sit.

RESOL. LXXIII. *An pœnitens propria authoritate possit commutare pœnitentiam sibi impositam in opus euidenter melius?*

NEgatiuè respondent Doctores, quos ego citaui *in 3. part. tract. 4. resol. 53.* quibus nunc addo Turrianum *in selectis disp. part. 2. disput. 31. dub. 62.* qui oppositam opinionem improbabilem & temerariam vocat.

Sed more suo excedit Turrianus, & ideo affirmatiuam sententiam, vt *loco citato* asserui, probabilem puto, licet negatiua sit probabilior, & ita

præter

præter Portel & Villalobos, à me vbi suprà adductos, docet nouissimè hanc sententiam Cælestinus *in Compend. Theol. moral. tract. 1. cap. 24. num. 8.* vbi sic ait. Non modò Sacerdos Confessarius potest pœnitentiam ab alio impositam commutare, verùm etiam pœnitens potest idem, modò commutet in aliud euidenter melius, sicut dicitur de voto. Sic ille.

RESOL. LXXIV. *An Reges teneantur in conscientia non reuocare concessionem factam futuræ acceßionis in dignitate, v g. Proregis, &c.*

DE tota hac materia doctè & latè disputat Turrianus *in selectis disput. part. 1. disp. 29.* vbi *dub. 6.* ad quæsitum huius resolutionis respondet. In hac quæstione ponendum est, promissionem factam & acceptatam à promissario obligare promittentem ex iustitia, & non solùm ex fidelitate, & propter hanc doctrinam aliqui putant non posse Principem concessionem de futura successione acceptatam reuocare. Alij verò docent posse Principem talem concessionem reuocare, & etiam promissionē. Meum hac in re iudicium est Principem absque graui causa non posse reuocare concessionem semel factam & acceptatam, vt probat ratio primæ opinionis. Secundò existimo ex graui causa ob commune bonum posse Principem reuocare prædictam concessionem, & semper consideranda est intentio Principis concedentis, ex circumstantiis enim facile erit iudicare, an voluerit se obligare in conscientia, vel non. Ita Turrianus.

Et certè hęc sententia semper Regibus erit consulenda. nam per se videtur contra Principis dignitatem promissionem suam non adimplere. Sed, vt verum fatear, ego difficulter credo quòd Reges in talibus concessionibus volunt in conscientia se obligare; vnde si non constaret de hoc, illos ego non damnarem de mortali, si reuocarent aliquam concessionem de futura successione Proregis, aut alterius dignitatis, quia ratio pro sententia Turriani non est adeò certa, vt contraria opinio non sit probabilis, asserens promissionem etiam acceptatam non obligare in conscientia sub p. m. vt ego ipse satis firmaui cum multis Doctoribus *in 4. part. tractat. 4. resolut. 122. & part. 2. tractat. 3. Miscellan. resolut. 9.*

RESOL. LXXV. *An sit simonia si Titius promittat Caio se daturum eleemosynam pauperi, vel loco pio, si Caius impetret Titio beneficium Ecclesiasticum?*

NEgatiuè respondet Turrianus *in selectis disput. part. 2. disp. 16. dub. 3.* quia qui offert impetrationem beneficij, nihil accipit temporale pro beneficio, aut intercessione; sed Titius mouet illum ad bene operandum per obligationem pecuniæ ad actum honestum; sicut quando pater, v. g. offert pecuniam, vel quid simile filio, vel filiæ, vt moueat illos ad bene operandum, v. g. ad audiendam Missam, vel confitenda peccata, & ideo potest fieri sine simonia promissio de dando aliquid infideli, vt conuertatur ad fidem, vel fideli, vt ingrediatur Religionem, semper enim dicendum est fieri sine simonia, si non detur per modum pretij rei spiritualis, sed solùm ad mouendum hominem ad bene operandum. In præsenti autem dubio non offert Titius pecuniam Caio, sed promittit se facturum actum honestum, & gratum Caio, vt moueat illum ad impetrandum beneficium, sicut si filius promitteret patri se facturum aliqua opera virtutum gratà patri, vt pater illa filio conferret, non vt pretium rei spiritualis, sed motus ex gratitudine, in quo non esset simonia, sicut neque è contrario est simonia, quando pater offert filio aliquid pretio æstimabile, vt moueat illum ad opera virtutum facienda; & eodem modo collator beneficij posset illud beneficium promittere alicui, vt moneret illum ad faciendam eleemosynam, non vt pretium beneficij, sed vt actum honestum, & Deo gratum. Et idem iudicium est si offerretur eleemosyna alicui loco pio, vt aliquis moueretur ad impetrandum, vel conferendum habitum Religionis militaris; & tandem aduertendum est, quod licet prò Curia Romana sit Bulla in qua prohibetur dari aliquid pretio æstimabile pro impetratione beneficij Ecclesiastici, tamen per illam Bullam non prohibetur casus præsentis dubij, quia hîc reuera non datur aliquid pro intercessione, sed, vt diximus, offertur pecunia ad actum honestum, vt alius moueatur ad impetrandum, vel offerendum beneficium. & hæc omnia ad verbum asserit Turrianus *loco citato.*

RESOL. LXXVI. *An si Sacerdos loco verborum consecrationis,* Hoc est enim corpus meum, *diceret,* Hęc est enim caro mea, *conficeret Sacramentum?*

DVbium est curiosum, & ad illud negatiuè respondet Mercerus *de Sacrament. quæst. 78. art. 2.* Pitigianus *in 4. sent. tom. 1. dist. 8. quæst. 2. art. 5. §. si autem variatio.* Palatius *in 4. sentent. dist. 8. disput. 3.* Coninck *de Sacrament. quæst. 78. art. 2. dub. 3. num. 38.* & Præpositus *in 3. part. D. Thom. quæst. 78. artic. 2. dub. 2. num. 21.* quia vox *caro* ex sua significatione, & vsu communi non æquiualet voci, *corpus*, cùm corpus dicat aliquid constans carne, ossibus, neruis, &c. quod confirmatur. nam in hoc Sacramento ex vi verborum non ponitur sola caro, sed etiam iam relata. ergo vox *caro* non adæquat significatum vocis *corpus*, & eius, in quod panis conuertitur, & proinde non potest loco vocis corpus validè substitui. Vnde in hanc opinionem inclinat Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 59. sect. 2.*

At his non obstantibus non desunt præstantissimi Theologi affirmatiuam sententiam docentes, vt Estius *in 4. sentent. dist. 8. §. 11. ver. Porrò.* Ioan. de la Cruz *in Direct. part. 2. de Euchar. quæst. 2. dub. 1. concl. 1.* Henriquez *lib. 8. cap. 16. num. 2. in glos. lit. O.* Iacobus Granado *in 3 part. de Sacram. contr. 6. tract. 8. disput. 5. num. 5.* quia Ioannis 6. dum Dominus promitteret institutionem Eucharistiæ, non semel vtitur nomine *carnis. Caro mea verè est cibus. Qui manducat meam carnem*, &c. Vnde sanctus Cyprianus, seu Auctor serm. *in Cœna Domini*, ait Christum consecrasse, dicendo, *Hæc est caro me.* Deinde vsitatissima phrasis est

ſis eſt nomine *carnis* intelligere corpus humanum, imò & ipſum hominem. *Omnis caro corruperat viam ſuam Videbit omnis caro ſalutare Dei. Verbum caro factum eſt.* In hymno etiam canit Eccleſia, *Verbum caro panem verum, Verbo carnem efficit.* & frequenter inuenitur apud Patres Chriſtum Dominum dediſſe nobis in hoc Sacramento carnem, & ſanguinem. ergo qui nomine carnis vteretur, nihil ſubſtantiale mutaret, ac proinde conficeret Sacramentum. Negandum eſt igitur auctoribus contrariæ ſententiæ, quòd caro non ſignificet idem, quod corpus, quia caro etiam includit oſſa, & partes heterogeneas. nam, vt dictum eſt, & corpus dicitur caro, & homo caro, & caro diſtinguitur etiam contra ſanguinem ſeorſim conſecratum, ſicut diſtinguitur corpus. Et ita hanc poſteriorem ſententiam præter DD. citatos tenet etiam Fagundez *pr. 3. lib. 2. cap. 6. num. 19.* Vnde exiſtimo vtramque ſententiam probabilem eſſe, ſed mihi affirmatiua magis placet, in quam etiam inclinat Vaſquez *in 3. p. tom. 3. diſp. 199. cap. 4. num. 30. & 31.*

RESOL. LXXVII. *An ſi Sacerdos loco illorum verborum,* Hoc eſt corpus meum, *dicat,* Hic eſt corpus meum, *validè conſecraret?*

NEgatiuè reſpondet Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 3. num. 2.* vbi ſic ait. Si aliqua verborum forma vſurpetur diuerſam ſignificationem habens, non erit valida conſecratio, v. g. *Illud eſt corpus meum. Hic eſt corpus meum. Hic panis eſt corpus meum. Hoc eſt corpus Chriſti.* Ita ille.

Sed affirmatiuam ſententiam tenet Fauſtus *de Euch. lib. 1. quæſt. 110.* quia licet hæc mutatio ſit legibus Grammaticæ contraria, tamen in communi modo loquendi retinet & ſenſum, & ſignificationem, & idem dicendum eſt, ſi quis diceret, *Hæc eſt corpus meum, & Hunc eſt corpus meum*; aut *Hoc eſt corpus meus*, vel *corpum meum.* hæc enim mutatio eſt accidentalis, & in illa retinetur idem ſenſus, & ſignificatio verborum, licet error committatur contra regulas grammaticales. Ita Fauſtus.

Verùm ego circa præſentem quæſtionem aſſero cum Granado *in 3. p. de Sacram. contr. 6. tract. 8. diſp. 5. num. 2.* Fagundez *pr. 3. lib. 2. caſ. 6. num. 14.* & aliis, quòd ſi particula *hoc*, in conſecratione mutetur in particulam *hic*, ſumptam pro aduerbio, nulla erit conſecratio, quia ſenſus eſt longè diuerſus, non enim ſignificatur ſubſtantialis conuerſio panis in Chriſtum Dominum, ſed eius ſolùm in præſentia; ſi verò ſumeretur pro maſculino pronomine, perinde ac ſi diceretur *Hic cibus eſt corpus meum*, mutatio eſt accidentalis, & non obſtat veritati conſecrationis; non igitur bene Layman abſolutè aſſeruit cum hac forma, *Hic eſt corpus meum*, non conſecrari.

RESOL. LXXVIII. *An ſit valida conſecratio, ſi Sacerdos loco illorum verborum*, Hoc eſt corpus meum, *dicat:* Hoc corpus eſt meum, *vel* meum eſt hoc corpus?

NEgatiuè reſpondet Fagundez *pr. 3. lib. 2. cap. 6. num. 11.* Granado *in 3. part. de Sacrament. contr. 6. tract. 8. diſp. 5. num. 2.* & Præpoſitus *in 3. part. quæſt. 78. art. 2. dub. 2. num. 19.* quia huiuſmodi verba ita tranſmutata non ſignificant conuerſionem panis, ad quam ſignificandam illud pronomen *hoc*, debet poni, ac collocari in loco tali, vt non accipiatur pro corpore Chriſti indeterminatè, ſed pro ſubſtantia ſingulari contenta ſub ſpeciebus panis, in ea autem mutatione verborum ſignificat corpus Chriſti indeterminatè. Igitur quando quis dicit *Hoc corpus eſt meum*, vel *meum eſt hoc corpus*, mutat ſenſum verborum, quæ denotabant conuerſionem panis in corpus; particula enim *hoc* non denotat corpus, ſed rationem ſubſtantiæ communem pani & corpori Chriſti Domini; ſed qui dicit, *Hoc corpus eſt meum*, aut *meum eſt hoc corpus*, nullam tranſmutationem indicat, vt ex terminis ipſis manifeſtum eſt. ergo, &c.

Sed pro curioſis & ſpeculatiuis non deſinam hîc adnotare affirmatiuam ſententiam docuiſſe Franciſcum Pitigianum *in 4. ſentent. tom. 1. diſt. 8. quæſt. 2. art. 5.* vbi ſic ait. Tranſpoſitio verborum aut variat ſenſum formæ, aut non; ſi non variat, conſecratio fit, & ideo ſi quis diceret, *Hoc eſt meum corpus*, verè conſecrat; ſi autem variat, vt ſi diceretur, *Meum corpus eſt hoc*, non fieret conſecratio ſecundùm aliquos, quia illud pronomen demonſtratiuum *hoc*, dicendo, *Hoc eſt corpus meum*, in primo inſtanti prolationis demonſtrabat ſubſtantiam panis, atque adeò ſi diceretur, *Meum corpus eſt hoc*, eſſet ſenſus quòd corpus Chriſti eſt panis, quod tamen eſt falſum. Cæterùm hoc non credo verum; nam falſum eſt pronomen *hoc* demonſtrare ſubſtantiam panis, ſed demonſtrat hoc ens, quod eſt corpus Chriſti in vltimo inſtanti prolationis verborum, atque adeò idem eſt ſenſus, dicendo, *Hoc eſt corpus meum*, & *meum corpus eſt hoc.* Ita Pitigianus, qui pro hac ſententia citat ſe ipſum *infrà in art. 9.*

Verùm circa præſentem quæſtionem Gamachæus inſignis Theologus inclytæ Sorbonæ Pariſienſis *in 3. p. D. Thom. quæſt. 78. cap. 2. ver. iam quod ſpectat*, ſic philoſophatur. Quod attinet ad tranſpoſitionem verborum, cenſemus valere adhuc conſecrationem, ſi Sacerdos diceret, *Hoc corpus meum eſt*, dummodo poneret virgulam ſtatim poſt pronomen *hoc*, & ſimul coniungeret tres alias voces, quia eſſet tunc idem ſenſus, ac ſi nihil tranſponeret, & pronomen *hoc* retineret vagam & indeterminatam ſignificationem, vt poſſet vtrumque conuerſionis terminum demonſtrare, à quo, & ad quem; non enim pronomen tunc ſumeretur poſſeſſiuè, ſed propriè ſubſtantialiter, quatenus denotaret veritatem Dominici corporis. Idem iudicium ſi diceres, *eſt hoc corpus meum.* modò non diceres interrogatiuè, ſed abſolutè enuntiatiuè; nec pronomen adiectiuè ſumeretur, vt quadraret cum ſubſtantiuo *corpus*, ſed ſubſtantiuè abſolutè per ſe ad denotandam præſentiam corporis Chriſti. E diametro verò inualida eſſet forma, dicendo, *meum eſt hoc corpus*, propter oppoſitas rationes, quia pronomen demonſtratiuum cum ſumeretur adiectiuè, non ſubſtantiuè, ſumeretur etiam poſſeſſiuè, & ad denotandam poſſeſſionem, vel dominium, ac ſi ſimpliciter diceretur, *Hic panis ad me pertinet. Hic panis eſt meus.* non autem demonſtraret realem præſentiam

ſentiam corporis Dominici,& certè in iſta loquẽdi formula pronomen demonſtratiuum indicaret præcisè ſolùm panem, non ipſum Chriſti corpus, indicaret ſolum terminum à quo, non terminum ad quem, vt omnes facilè vident, ſicque non exprimeret conuerſionis ſubſtantialis myſterium, ſicut hîc neceſſe eſt. Huc vſque doctus Gamachæus.

Notandum eſt etiam hîc obiter contra Fagundez *pr.3.lib.2.cap.6.num.17.* & Ludouicum de San Iuan *de Sacram.Euchar.quæſt.2.art.2.diffic.2.* non eſſe peccatum mortale deſerere ex forma conſecrationis particulam, *enim*, dummodo non efficiatur ex contemptu. Vide me ipſum *in 1.part. tract.3.Miſcell. reſol.14.* cum Granado & Præpoſito *vbi ſuprà*, quia hæc particula non eſt eſſentialis, & deſeruit tantùm ad connexionem verborum; ſecùs autem ſi omitteretur aliqua ex particulis eſſentialibus. in quo caſu notat Hurtadus *de Sacram.diſp.3.de Euchar. diffic.7.* non ſolùm adeſſe peccatum mortale contra præceptum Eccleſiæ in materia Religionis, ſed etiam contra præceptum naturale in eadem materia Religionis, quia facit irritam formam conſecrationis. Immò credit tunc eſſe duplex peccatum mortale contra virtutem Religionis, alterum cõmiſſionis contra præceptum naturale, quod æquialenter eſt negatiuum, quia omiſſione particulæ eſſentialis fit poſitiua irreuerentia ſacramento Euchariſtiæ, quia ea omiſſione irritatur: alterum omiſſionis contra præceptum Eccleſiæ, quod formaliter, & æquialenter eſt affirmatiuum, quia contra ipſum omittitur res præcepta, non attenta poſitiua aliqua irreuerentia in Sacramentum.

RESOL. LXXIX. *Quidam vir nobilis recitabat quotidie Officium defunctorum pro animabus Purgatorij, dum tamen eſſet in peccato mortali, quæſiuit à me an dictis animabus orationes illæ prodeſſent?*

REſpondi affirmatiuè, nixus auctoritate doctiſſimi Petri Nauarræ *de reſtit. lib.2.c.2. num.254.* vbi ſic ait. Sed rogat curioſus, quid ſi non vt Miniſter Eccleſiæ, ſed, v.g. laicus, Horas Canonicas, & Orationem Dominicam dicat, numquid ſi in peccato mortali eas fundat, proderunt ſaltem his, pro quibus oratio fit? Sotus putat non prodeſſe, quia ex eo quòd non eſt Eccleſiæ Miniſter, non habent illæ preces aliam vim, quàm ſi ab eo eſſent factæ. Sed longè melius Nauarrus & Couarruuias oppoſitum ſentiunt, quia ex eo quòd Eccleſia eas inſtituit, eo per ſe ſunt Deo gratiores, & Eccleſia quolibet ſuo mẽbro Deo offerri voluit. Ita Nauarra. licet alij etiam probabiliter contrariũ ſuſtineant.

RESOL. LXXX. *An Sacerdos qui accipit ſtipendium ab aliquo pro Miſſa applicanda, teneatur ei applicare fructum ex opere operantis, & Orationes aliaque quæ in Miſſa fiunt?*

FRequens & curioſus eſt caſus, fortaſſe (amice Lector) non aliam, quàm affirmatiuam ſententiam exſpectabis. Sed negatiua opinio habetur in theſibus Theol. Collegij Romani Societ. IESV *lib.8.n.173.* & illam docet Coninck *de Sacram.q.83. art.1.dub.10.num.195.* & poſt illum doctus Hurtad. *de Sacrament.diſput.3.de ſacrificio Miſſæ, diffic.8. in fine* vbi ſic ait. Obſeruandum eſt celebrantem non teneri ad applicandum Sacrificium, niſi quoad fructũ ex opere operato pro eo, à quo ſtipendium accipit, non verò quoad fructum ex opere operantis, nec alius exigitur niſi prior ille, aliàs Sacerdos non ſatisfaceret, quando ex malo fine celebrat. Ob eãdemque rationem credimus non eſſe obligationem offerendi pro illo Orationes, aliaque quæ in Miſſa fiunt. Hæc ille. quæ etiam docuit magis clarè *in diſput.4.difficult.15.* Sed aliqui hanc opinionem non admittunt; nam ſi talis opinio eſſet vera, fruſtrà dantes ſtipendium pro Miſſis ſtudium adhiberent ad inueniendos Sacerdotes optimæ vitæ ad illas dicendas, quod quidem conſulunt Doctores communitet eſſe faciendum, vt patet apud Fagundez *pr.1.lib.3.cap.6. num.22.* Nam ſtante ſupradicta Hurtadi opinione, cùm celebrans Miſſam pro ſtipendio non teneatur applicare fructum ex opere operantis, neque orationes, aliaſque Miſſæ actiones; idem eſſet pro ſtipem dantibus celebrare ad eorum intentionem tam malos quàm bonos Sacerdotes. Sed hoc videtur abſurdum; & contra praxim. ergo, &c. Ideo tu cogita.

RESOL. LXXXI. *An ſacrificium Miſſæ pro pluribus oblatum proſit ſingulis, ac ſi pro vno tantùm offerretur?*

NEgatiuè reſpondet Præpoſitus *in 3.p. D.Thom. quæſt.83.art.1.dub.7.* Henriquez *lib.9.cap.17.n.5.* Mercerus *de Sacrament.quæſt.83.art.1.dub.7.* Azorius *part.1.lib.10.cap.21.quæſ.2.* Sotus *de Iuſt. lib.9.quæſt.2. art.2.* Suarez *in 3.part. tom.3. diſput.79. ſect.12.* Coninck *de Sacrament.quæſt.83.art.1.dub.3.* & alij penes ipſos.

Sed affirmatiuam ſententiam docet ex Thomiſtis Caietanus *in 3.part.quæſt.79.art.5.* & Petrus Soto *de Euchar.lect.7.* ex Theologis Societ. IESV, Vaſquez *in 3.part.tom.3.diſput.231.* & Gaſpar Hurtadus *de Sacr.diſp.3.de ſacrificio Miſſæ.diffic.8.* Idem tenet etiam Petrus Nauarra *de reſtitutione, lib.2.cap.2.n.268.* Corduba *lib.1.quæſt.3.* & alij penes ipſos.

Notandum eſt tamen quòd ſi quis in hac ſecunda ſententia ſtare vellet, duo notabilia corollaria ex ea poſſet inferre. Primum, Sacerdotem vna Miſſa ſatisfacere pluribus petentibus vnam Miſſam, dummodo ab illis non ſit acceptum ſtipendium; & ita docet Hurtadus *vbi ſuprà, diſp.4 diffic.15.* Secundum, eodem ſacrificio ſatisfacere & proprio voto, & pro eo qui eleemoſynam ad faciendum Sacrum dedit.

Sed hæc primam ſententiam negatiuam ſequẽtes minimè admittunt, & ideo in theſibus Theologicis publicè aſſertis in Collegio Romano Societatis IESV à Marchione Sfortia Pallauicino *l.8. n.173. & 174.* ſic habetur. Hoc ſacrificium non habet valorem ſatisfactorium infinitum, alioquin fruſtrà eſſet pro vno, vel pluribus defunctis, multa ſacrificia offerre, & poſſet Sacerdos eodem ſacrificio ſatisfacere, & proprio voto, & ſtipem offerẽti, vel liceret ei idem ſacrificium, quod applicat ſtipem offerenti, applicare ſibi & alijs. Sic ibi.

Verùm non poteſt Sacerdos, qui accipit ſtipem à pluribus, vnico ſacrificio cunctis ſatisfacere,

quia asserunt Doctores secundæ sententiæ, cùm duplex eleëmosyna pro eodem die accipi non possit, sequitur per sacrificium vnius diei duplici stipi non satisfieri, & de hoc non est dubitandum post decreta sacræ Congregationis *de celebrat. Missarum*, quæ ego adduxi *in 1. par. tractat. 14. resolut. 7. & 8.* Vnde eruditissimus Torreblanca *in pract. iur. lib. 2. cap. 9. num. 6.* non benè me adduxit pro contraria sententia.

RESOL. LXXXII. *An Sacerdos si dum ordinatur intelligit iam verba à socio prolata esse, teneatur ipse non proferre vlteriùs verba consecrationis?*

HIc casus potest frequenter accidere, & apud paucos inuenies pertractatum, ideoque ad eius resolutionem ponam hîc ea, quæ inueniuntur in thesibus Theologicis defensis in Collegio Romano Societatis IESV à Marchione Sfortia Pallauicino *lib. 8. n. 145. & 146.* vbi sic habetur. Quando Sacerdotes ordinantur, & plures proferunt super eadem hostia verba cum Episcopo, omnes habere debent intentionem consecrandi, sæpè enim in Pontificali Clementis VIII. dicuntur celebrare, & admonentur vt curent simul absoluere cum Episcopo, quod alioqui non esset necessarium, nec dici potest effectum consecrationis suspendi donec omnes finierint, eo quòd talis sit consecrantium intentio. Etenim non est in potestate Ministri suspendere Sacramentorum effectus, præsertim quia in hoc casu verba consecrationis multorum non haberent veritatem de præsenti, si non statim verificarentur. Dicendum est igitur ideo non reiterari verba sacrilegè, quia licet plerique proferant sine effectu, nemini tamen innotescit hostiam esse iam ab alio consecratam; quare vnusquisque habet sufficientem verisimilitudinem pronuntiandi cum effectu formam cõsecrationis. quòd si aliquis antequam absoluerit, audiat verba esse ab alio cõpletè prolata, speculatiuè quidem existimamus eum teneri ad non prosequendum vlteriùs formam consecrationis saltem cum intentione consecrandi; practicè verò tutius esset proferre verba cum intentione faciendi id quod tunc intendit Ecclesia. Sic ibi.

RESOL. LXXXIII. *Quidam primis diebus sexagesimi anni quæsiuit à me, an teneretur ad ieiunium?*

SVppono ex dictis alibi senem sexagenarium etiam validum non teneri ad ieiunia; sed dictus consulens erat in principio anni sexagesimi, vnde scrupulis angebatur, putabat enim annum sexagesimum impletum excusari à ieiunio, non autem inceptum, & non defuit quidam Theologus sic ei respondens.

Sed ego tunc negatiuè respondi, & adduxi nostrum Naldum *in sum. ver. tempus, nu. 20.* vbi sic ait; Tempus ad ieiunium obligans est tertij septennij completi tam in maribus, quàm in feminis, eximens verò ab eadem obligatione est vir sexaginta annorum, in illa enim ætate communiter deficiunt vires corporales ad ieiunium ferendum necessariæ, & quamuis aliqui etiam in illa ætate satis viribus polleant, communiter tamen, & in pluribus secus est, constat autem leges aptari ad ea, quæ communiter, & vtplurimùm accidunt; quæ sanè ætas annorum sexaginta etiam nondum impleta sufficiet. Ita Naldus, & ante illum hanc sententiam docuerat etiam amicissimus Ioannes Sancius *in selectis disput. 54. n. 10.* nam in fauorabilibus annus inceptus habetur pro completo.

RESOL. LXXXIV. *Testator olim reliquit cuidam Ecclesiæ legatum vnciarum decem quolibet anno in perpetuum, & cùm esset elapsum à morte testatoris tempus 100. annorum, quæsierunt à me hæredes an tenerentur soluere adhuc supradictum legatum?*

POrrige aures, amice Lector, nam casus est satis practicabilis, & pro negatiua sententia stant plures DD. penes Viuium *in comm. opin. l. 2. opin. 446.* quos sequitur nouissimè Naldus *in sum. ver. vsusfructus, num. 12. & ver. infinitas, num. 1.* vbi sic ait. Legatum factum Ecclesiæ semper & in perpetuum soluendum, adhuc tamen finitur circulo centum annorum à die mortis testatoris, & hoc ratione infinitatis vitandæ, quam maximè iura abhorrent. Ita ille. & ante illum hanc sententiam docet etiam Molfesius *in summ. tom. 2. tract. 13. cap. 5. num. 56.* qui citat Couarruuiam, Brunum à Sole, Tuschum, Menochium, & Surdum.

Sed contrariam sententiam tenet Bonacina *de contractibus, disp. 3. quæst. 17. punct. 8. §. 6. nu. 2.* Homobonus *in consult. cas. conscient. vol. 2. part. 7. respons. 27.* & alij. Vnde vtramque opinionem puto probabilem esse, & primam in iure probabiliorem, sed secundam seruari in praxi.

Notandum est etiam hîc obiter quòd Homobonus *vbi suprà, resp. 44.* docet conditionem castè & honestè viuendi in aliquo legato appositam, non intelligi debere toto vitæ cursu, sed tempore arbitrio prudentis sufficienti, quale est annorum decem; vnde si femina castè vixerit per decennium, licet postea in fornicationem inciderit, debetur adhuc ei legatum cum tali conditione, scil. si castè vixerit, relictum.

RESOL. LXXXV. *An circumstantias notabiliter minuentes peccatum, teneatur quis in confessione explicare?*

PVella v. g. inopia oppressa, vel mortis metu admittens iuuenem ad se cognoscendam, peccat mortaliter; nihilominus illa circumstantia multũ alleuiat peccatum, & consulit suæ famæ, de qua curam habere tenemur ex *Eccles. 41.* Quæritur an in hoc, & similibus casibus teneatur pœnitens talem circumstantiam notabiliter minuentem in cõfessione aperire: Et affirmatiuè respondet Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. concl. 5.* & nouissimè Philippus Faber *de pœnit. in 4. sent. dist. 17. qu. vnic. disput. 24. cap. 1. num. 13.* cum aliis. & ratio est, quia si non explicatur talis circumstantia, Confessarius decipitur in re graui. Deinde si circumstantiæ notabiliter aggrauantes sunt necessariò confitendæ, secundùm aliquos, ita & minuentes.

Nec valet dicere cum Nauarro, Paludano, & alijs, quos citat & sequitur Suarez *to. 4. disp. 22. sect. 3.* contra-

contrariam ſententiam docens, magnam eſſe differentiam inter circumſtantias aggrauantes,& minuentes,tum quia ſi à pœnitente non explicentur, non poſſunt excogitari licitè à Confeſſore, quia faceret ei iniuriam; minuentes verò ſine periculo à iudice poſſunt excogitari prudenter ex aliis coniecturis. Cæterùm,pace viri docti,hæ rationes videntur non ſatis probare; nam certè quòd aliqua puella admittat iuuenē ad ſecum peccandū cum mortis periculo,vel ſi inopia oppreſſa,non eſt modus ordinarius; & ſi quis vellet facere hoc iudicium ſine confeſſione pœnitentis; facilè poſſet decipi,vt patet, quia hæc rarò accidunt; nec debet Confeſſor iudicare peccatum ita eſſe factum, niſi ex confeſſione pœnitentis ſibi conſtet, neque ex aliis coniecturis poteſt hanc circumſtantiam iudicare facilè,quia puella non tenetur ei aperire ſtatum,& circumſtantias,quæ non pertinent ad confeſſionem, ex quibus tamen habuit ortum illa oppreſſio,& metus.

Verùm quia ego puto circumſtantias notabiliter aggrauantes non eſſe in confeſſione explicandas,conſequenter doceo,nec notabiliter minuentes,& ideo in caſu propoſito de puella negatiuam ſententiam doceo.

RESOL. LXXXVI. *An quilibet Sacerdos poſſit peccata venialia abſoluere?*

AFfirmatiuè reſpondendum eſt, non quia contra Sotum *in 4. diſt.18.q.2 art.2.*in tali caſu non requiratur iuriſdictio, ſed quia Summus Pontifex, & Eccleſia hanc iuriſdictionem commiſiſſe, ſeu delegaſſe creduntur cuilibet Sacerdoti nō excommunicato,eo ipſo quòd illum ordinat; quod colligitur tum ex Doctorum auctoritate, tum ex natura culpæ venialis, quæ cùm non ſit materia neceſſaria cōfeſſionis, nec indigeat ſcientia peculiari Confeſſarius,vt ab illis abſoluat, vel debitam iniungat pœnitentiam, non erat ratio,ob quam requireret peculiarem Miniſtrum, ſed quicumque Sacerdos eſſe poſſet,vt ita pleniori veritate acciperentur ea verba,quæ illi dicuntur,cùm ordinatur, *Accipe Spiritum ſanctum*, &c. & ita hanc ſententiam tenet S. Doctor *in* 4. *diſt.*18. *q.*2. *art.*3. *quæſt.*1. *ad* 3. Suarez *tom.*4.*diſp* 26.*ſect.*2.*num.*8 Henriquez *lib.*6. *cap.*8.*num.*1. Granado *in* 3.*p. contr.*7. *tract.*10. *diſp.*4. *ſect.*1.*num.*2. Sanchez *in ſumma.tom.*1 *lib.*1.*cap.*9.*n.*35. Præpoſitus *in* 3.*p.q.*7. *de miniſtro ſacrament. pœnitent. dub.*5.*num.*37.Tannerus *tom.*4. *diſp.*6. *quæſt.*9. *dub.*3. *num.*59. Vaſquez *tom.*4.*quæſt.*93. *art.*1.*dub.*6. *num* 5. & 10.Fagundez *pr.*2. *lib.*7.*cap.*1. *num.*15. & alij penes ipſos.

Non deſinam tamen hîc pro curioſis adnotare quòd licet ſupradicta opinio ſit tantorum Doctorum auctoritate fulcita, non defuit noſtris temporibus, qui illam acriter impugnaret; & is eſt doctus Philippus Faber *de pœnit.in* 4.*ſent. diſt.*17 *quæſt. vnic.diſp.*25.*cap* 3.*num.*71. vbi ſic ait. Ad illud verò de peccatis venialibus reſpondetur cum Nauarro *in cap.placuit,de pœnit.diſp.*6.*n.*22. nullum textum me vidiſſe,quo probetur, eum qui ſola peccata venialia habet,poſſe cui voluerit confiteri. Multi tamen affirmant hoc eſſe veriſſimum ex conſuetudine Eccleſiæ & Suarez *diſp.*26.*ſect.*5.dicit antiquos doctores ſupponere hanc conſuetudinem Eccleſię,quòd quilibet Sacerdos ab eis abſoluere poſſit. quod probat Suar. *quia omnis vtriuſque ſexus* &c. in quo eſt præceptum de annua confeſſione ab omnibus, intelligitur de peccatis mortalibus; & communiter Doctores cùm dicunt, confeſſionem cadere ſub prȩcepto,intelligunt confeſſionem de peccatis mortalibus, non de venialibus, quia hæc non ſunt materia neceſſaria confeſſionis,& huius ſententiæ eſt Scotus, præſertim *diſt.*17.*q.*1.*art.*3. Verùm ego non video quomodo ex hac communi ſententia, quòd præceptum confeſſionis obliget ſolùm ad peccata mortalia confitenda, deducatur,quòd Sacerdos quilibet poſſit abſoluere à peccatis venialibus,quia præceptum confeſſionis eſt de illis peccatis,quæ ſeparant à charitate,& inducūt ad damnationem æternam, cuiuſmodi ſunt mortalia; de venialibus verò cùm maneāt cum charitate,neque vllus propter illa damnetur, ideo de illis nullum datur prȩceptum.Tamen cùm Sacerdotes per Ordinem ſacramentalē inſtituit ſunt iudices,vt *ſuprà* diximus,præſertim ex Concil.Trid.& ad exercendum iudicium validè neceſſaria ſit iuriſdictionis poteſtas, proculdubio ſequitur Sacerdotem ſimplicem non poſſe abſoluere niſi eos, in quos habet iuriſdictionem tam de peccatis grauibus,quàm de leuibus.Vnde videmus nullū iudicem poſſe condemnare ſubditum alterius iudicis, neque ad minimam pœnam,nec de minima re. Licet ergo peccata venialia ſint leuia,tamen quia cùm dimittuntur à Sacerdote per abſolutionem,dimittuntur per modum iudicij,non videtur Sacerdos ſine iuriſdictione poſſe ab illis abſoluere.Nec valet ratio Soti *in* 4.*diſt.*18.*quæſt.*4 *art.*2.*ad* 3.quòd vbi nulla eſt poteſtas cogendi, ibi nulla eſt iuriſdictio; nemo autem poteſt cogere aliquem ad confitendum peccata venialia. ergo ad illa non requiritur iuriſdictio. Contrà enim arguitur ſic. Iuriſdictio non ſolùm requiritur propter coactionem, ſed propter validitatem actionis, iuriſdictio in Sacerdote non requiritur ad cogendum pœnitenti vt confiteatur; ſed illa coactio eſt à legiſlatore Chriſto Domino inſtituente præceptum confeſſionis; ſed requiritur ad hoc vt confeſſio,& abſolutio validè fiant; ideo licet non teneatur ad confitendum venialia,tamen ſi velit illa confiteri, abſolutio eorum à Sacerdote non poteſt eſſe valida, ſi deſit iuriſdictio. Præterea poteſt eodem modo cogere quoad venialia, quo modo poteſt quoad mortalia, ſcilicet obligando ad ſatisfactionem ſaltem ſub pœna peccati venialis, & poteſt ligare non abſoluendo, ſi non videat ipſum diſpoſitum. Vnde quod dicunt Suarez *diſp. illa* 26.*ſect.*5.per conſuetudinē Eccleſię poſſe quemcumque Sacerdotem à peccatis venialibus abſoluere, cùm ſtatim eſt Sacerdos, & quòd hæc ſententia communiter ab omnibus Doctoribus antiquis ſupponitur vera, eſt mihi valdè dubium. In primis his temporibus neminem Sacerdotem videmus audire ſacramentaliter confeſſiones niſi habeat auctoritatem iuriſdictionis ordinariam,vel delegatam ſpecialiter, & hanc fuiſſe antiquam conſuetudinem,colligitur ex Conc.Trident.*ſeſſ.*14. *cap.*7.

cap.7. vbi inquit. In eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis. Et in principio illius cap. persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem. Ex quibus colligitur morem Ecclesiæ semper fuisse Ministris huius Sacramenti explicitè dare auctoritatem ordinariam, vel delegatam, siquidem fuit semper consuetudo delegandi auctoritatem aliquorum casuum, & aliquorum non. Præterea qui dicunt fuisse semper consuetudinem in Ecclesia, quòd quilibet Sacerdos posset absoluere peccata venialia, sunt illi DD. præsertim, qui dicunt hoc licere Sacerdotibus, quia ad dimittenda hæc peccata non requiritur iurisdictio, vt Sotus *loco suprà nunc citato*, vel qui dicunt iurisdictionem quoad hæc Sacerdotem accipere à pœnitente, vt Caietan. *loco superiori cap. notato*, vel à Deo immediatè per designationem personæ Sacerdotis, vt ait Nauarrus *vbi suprà*, vel dicunt hanc iurisdictionem immediatè de venialibus datam esse Sacerdotibus in Ordine sacro, vt Capreolus & alij *suprà* citati. Omnes autem istæ opiniones superiùs reiectæ sunt ostendendo, quòd auctoritas Ordinis, & iurisdictionis auctoritates sunt distinctæ, & quòd ambæ de iure diuino requiruntur ad integrandam perfectam potestatem proximam Sacerdotis absoluendi à peccatis. Dicere autem, vt dicit vltima opinio, & Sotus, quòd Christus Dominus in illis verbis, *Accipite Spiritum sanctum*, &c. dederit absolutam facultatem Sacerdotibus absoluendi à venialibus, non à mortalibus, est omnino vanum, quia ibi instituit Sacramentum in remedium contra peccata indistinctè, & propterea ratio non expostulat, vt ibi constituat Sacerdotes pastores, & iudices animarum cum plena potestate in causis leuioribus, quæ sunt peccata venialia; in causis grauioribus verò, vt sunt mortalia, cum authoritate diminuta. Quòd etiam dicit Suarez hanc iurisdictionem absoluendi à peccatis venialibus esse omnibus Sacerdotibus datam ab Ecclesia, non autem esse ordinariam, vt patet, sed esse delegatam, mihi videtur esse sine fundamento, & voluntaria. nam oporteret adducere aliquem textum, vel auctoritatem viri grauis antiqui, qui attestaretur hanc auctoritatem, & iurisdictionem esse collatam Sacerdotibus simplicibus ab Ecclesia. Ego, vt inquit Nauarr. nullibi lego, nec ipsi legerunt, nec video nunc in vsu esse consuetudinem hanc vt Sacerdos non admissus ab Ordinario absoluat etiam à venialibus. imò puto, saluo semper meliori iudicio, quòd si quis hoc attentaret, nihil faceret, & peccaret saltem venialiter, quia committeret sacrilegium, in re tamen leui, quia mitteret manum in messem alienam, cùm non appareat an habeat hanc iurisdictionem. Et hæc omnia docet Faber *vbi suprà*.

Sed non est deserenda communis sententia, quam contra Sotum Doctores citati extendunt etiam ad mortalia iam legitimè confessa, vt possit simplex Sacerdos illa absoluere; & infert Granado *vbi suprà in 3.part. de Sacram contr.7.tr.10.disp.4.sect.1. n.6.* vnum valde notandum, scil. nullum Prælatum Papa inferiorem posse hanc iurisdictionem à Sacerdotibus auferre, quia quod à Papa conceditur, inferiores non possunt abrogare, & consequenter licet talis iurisdictio sit delegata, nunquam cessat nisi ob maiorem excommunicationem. Hinc si Episcopus suspenderet Confessarium aliàs approbatum ab audiendis confessionibus, non intelligitur suspendisse, quia non potest ab audiendis confessionibus de venialibus tantùm suspendere, quicquid sit de foro externo.

Nota etiam cum Granado *loco citato*, quòd qui confitetur sola venialia, si habeat aliquod mortale nondum confessum, quod tamen oblitus est, & propterea credat se non habere indirectè, ab illo remanere absolutum, etiamsi Confessarius sit simplex Sacerdos, debet tamen postea hoc peccatum cum legitimo Confessario confiteri.

RESOL. LXXXVII. *An qui mala fide emit rem à latrone, possit cognito vero domino latroni restituere, vt pretium recipiat?*

AD hoc dubium ita respondet Turrianus *in select.centur.4. censuræ theol. dub.36.* Sunt qui sequuntur affirmatiuam sententiam. Mihi tamen omnino est improbabilis, & illius ratio nullius est momenti; dicitur enim id posse facere emptorem, vt reciperet pretium suum à latrone. Sed hoc nullius, vt dixi, momenti est, quia ipse mala fide illud dedit; & ita sibi imputet, si non posset recipere pretium, & si non det vero domino, manifestè cooperatur furto per continuationem, & perseuerantiam. Ita ille.

Sed licet ego huic sententiæ tamquam probabiliori adhæream, tamen in censuranda affirmatiua sententia more suo excedit Turrianus, & ideo illam probabilem putat Marchantius *in resol. Pastor. ad Decal.p.2.cap.7.q.20.* Lessius *lib.2.cap.14.dub.3. n.22.* & Malderus *in 2.2.tr.4.c.3.dub.2.* & illam absolutè tenent Doctores magni nominis, quos ego ipse citaui *in 1.p.tr.3. Miscellan. resol 4.* quibus nunc addo Doctores quos affert, me etiam citato, Barbosa *in Decretum Gratiani.p.2. causa 14.q.5.cap.5* cum Valero *in diff. vtr. fori. ver. remissio. differ.5 n.2.* & Cælestino *in comp. Theol moral. tr.9.c.4.n.8.* & ratio est. Primò ex eo, quòd teneretur emptor malæ fidei rem reddere domino, & non latroni, quia ex meliori statu eam traducat ad peiorem; sed hoc si ita esset, non obstaret. ergo, &c. Probo antecedens. Nullo iure, nec iustitiæ, nec charitatis teneor cum graui meo incommodo rem reducere alterius in meliorem statum quàm erat, quando eam emi, siue conscius, siue nescius illius conditionis; sed quando emi, res erat in latronis manu. ergo satis erat rem iterum in eadem manu reponere, licet ab aliis sit subripienda, cùm ob retentionem non fui in causa, vt à domino ad locum tutum reciperetur. ergo, &c. Probatur efficaciùs ex eo, quòd res non habet meliorem statum in manu emptoris malæ fidei, quàm furis. nam saltem habet æqualem, quia vterque fur est, imò peiorem. quod sic ostendo. Nam status rei alienæ sumitur à facilitate,

vel

vel difficultate redeundi ad dominum; ſed fieri poteſt, vt emptor malę fidei ſit rapacior, atque ipſo fure tenacior, imò frequentiùs ita erit. ergo difficiliùs reddetur domino à poſſeſſore malæ fidei, quàm à fure. Confirmatur deinde, quia actio ipſa furis recipientis rem alienam, non eſt mala, imò bona ex obiecto, quia rectà tendit & ſanctè ad reſtitutionem. ergo nec ipſa actio reddendi facta ab emptore, quia mouetur ab intentione reponendi rem ſaltem in ſtatu, in quo illam inuenit. ergo ſicut non peccat latro accipiendo, ita nec emptor reddendo. Præterea, quia ex oppoſita ſententia ſequeretur, vt ſi rem iam accepi, & nondum pretium reddidi, cogar & pretium latroni reddere (repetit enim multis minis,) & teneat rem domino præbere ex iuſtitia. Antecedens præterquam quòd durum, falſum etiam apparet; quoniam æquè retineo ante pretij ſolutionem. atqui depoſitarius malæ fidei non tenetur graui damno ſuo ſeruare rem alienam, ſed illam ad illud euitandum latroni reddere poteſt. ergo, &c. Tandem non maior eſt fur, & malæ fidei poſſeſſor inuito domino emptor malæ fidei, quàm fur, qui à fure rem auferret; ſed fur qui furatus eſt à fure, poteſt reddere eidem furi, vt docet Sà *verb. furtum, num.* 11. cum Alenſi, D. Antonino, & Angelo, quos citat. Imò ſecundùm Nauarrum ſuprà non ſolùm poteſt, ſed debet, cum D. Anton. Syluestro, & iure quod citat. ergo.

RESOL. LXXXVIII. *An Bulla SS. D. N. PP. Vrbani VIII. die 28. Ian. 1628. edita contra monetarios, extendatur ad commorantes in Regno Siciliæ, Sardineæ, & Corſicæ?*

AFfirmatiuè reſpondendum videtur per ea, quæ contra me adducit Merolla *tom. 1. diſp. 1. c. 2. diffic. 1. n. 543.* vbi ex multis probat, dictas inſulas comprehendi ſub nomine Italiæ, & eſſe verè partes Italiæ, quod habetur *in l. inſulæ. ff. de iudic.* & docet Barthol. *in tr. de inſula, § nullius, n. 2.* Cæpolla *in tr. de ſer. ruſt. præd. cap. 26. de mari, n. 16.* Marta *de iuriſ. p. 1. c. 26. n. 35.* & Cumia *de ritu Regni Siciliæ cap. 6. n. 38.* hæc opinio eſt probabilis.

Sed non minus probabilem contrariam exiſtimo ex his, quæ ego ipſe docui *in 2. part. tr. 17. n. 30.* &, me citato, loquens de ſupradicta Bulla Vrbani VIII. contra monetarios, tenet hanc ſententiam Laurentius de Peyrinis *in priuil. Minim. tom. 3. c. 12. conſtit. 12.* aliàs 22. Vrbani VIII. *n. 8.* vbi ſic aſſerit. Nota quòd iſta conſtitutio non obligat extra Italiam, nec conſequenter in inſulis Italiæ adiacentibus, vt ſunt Sicilia, Sardinea, Corſica, quia nomine Italiæ communiter iſtæ inſulæ non veniunt. Et ita in inſula Sicilię practicari audio, maximè in Diœceſi Catanenſi anno 1632. Sic ille. Vide me ipſum *vbi ſuprà.*

RESOL. LXXXIX. *An quando examinandi ob timorem examinatorum turbarentur ſi verè ſint idonei, licitum ſit eos præmonere de punctis, de quibus erunt interrogandi?*

AD hoc dubium affirmatiuè reſpondet Laurentius de Peyrinis *in priuil. Minim. tom. 3. c. 2. in conſt. Sixti IV. n. 25.* vbi ſic ait. Sciant examinatores peccare ſe omnino mortaliter, ſi examinandos præmoneant de punctis, de quibus in examine eos interrogabunt, fraudulenter enim exercent officium ſibi commiſſum. Verùm ſi aliàs examinandi eſſent euidenter idonei, & ob timorem, vel aliam naturalem verecundiam, aſpectu examinatorum turbarentur, non putarem mortaliter peccare, qui de huiuſmodi punctis præmonerent. Ita ille.

Sed hæc opinio ita abſolutè prolata mihi non placet, & ideo illam libenter admitto in examine, v.g. Epiſcoporum coram Pontifice; in examine Confeſſariorum coram Epiſcopo; in examine noſtrorum Scholaſticorum coram Præpoſito, & alijs Patribus, &c. Secus autem dicendum eſt in examine ad aliquod beneficium, quod fieret per oppoſitionem, & concurſum. nam in tali caſu examinandus præmonitus ſuper puncta reſponderet melius quàm alij. ergo præmonitio illa vergeret in damnum tertij, atque ideo eſſet peccaminoſa. Vnde rectè Rodriquez *in ſumma tom. 1. c. 54. num. 1.* ſic ait. [Los examinadores pecan mortalmente comunicãdo por ſi, o por otros à los amigos que han de examinar los puntos, que les han de preguntar, para que cõ eſte auiſo reſpõdan mejor que los demas opoſitores, que tienẽ ſemejante auiſo.] Sic ille.

RESOL. XC. *An ſtante aliqua rationabili, & iuſta cauſa liceat aliquando ſterilitatem in vxoratis procurare?*

ACcidit in hoc Regno caſus notabilis, de quo interrogatus fui. Antonia viro nupta per plures partus, ſeu abortus fœtus mortuos peperit abortiendo circa ſextum, vel octauum menſem, & fœtum mortuum ac denigratum pariens quandoque ſanum, quandoque fruſtratim, idque prouenit ei ob vteri malam intemperiem fluxu putridorum humorum à lue Gallica fortè contractam, & factis adhibitiſque primò canonicis remedijs, dicto morbo obuiari non poteſt. nam adhuc abortus facit maximo cum vitę diſcrimine. Vertitur in dubiũ, an in caſu poſito liceat Medico Chriſtiano ſterilitatem inducere, cùm fœtus ſemper mortui emittantur, & pariens in abortiendo incidat in mortis periculum? Et affirmatiuam ſententiam docet Torreblanca *in pract. iur ſpir. lib. 12. c. 13. num. 31. & 36.* vbi ſic ait. Sterilitas procurari non poteſt, neque ex cauſis naturalibus, quia conceptionis via impeditur, niſi probabiliter conſtet mulierem in partu vitæ diſcrimen ſubituram, vel quia nimis arcta, vel præ vteri anguſtia ferri nequeat, quia Medico & perito licebit ei poculum ſterilitatis præbere ne concipiat. Ita ille.

Sed pace viri docti, hæc opinio mihi diſplicet, & ideo contrariam meritò docet in terminis huius caſus Turrianus *in quæſt. 22. D. Thom. tom. 2. diſp. 26. dub. 2. num. 45.* vide etiam Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 9. diſput. 20. num. 2. 8. & 10.* Nauarrum *in manuali, cap. 16. numer. 55.* Syluium *in 2. 2. D. Thom. quæſt. 64. art. 7. quæritur 4 concluſ. 3.* Filliucium *tom. 1. tract. 29. cap. 7. numer. 101.* aſſerentes nullo bono fine honeſtari poſſe ſumptionem potionis, qua prolis

conceptioni obſtetur. Et idem etiam tenet Rodriquez *in ſum. tom. 1. cap. 15. n. 1.* vbi ſic ait. [Pecado es contra natura tomar la muger alguna beuida, odarſela, o por otra via impedir la generacion, y eſte pecado es tan intrinſecamente malo, que ninguna circunſtantia le puede honeſtar.]prolis enim conceptionem, quæ nata eſt ſequi ex copula carnali, impedire eſt contra naturam, & naturalem finem generationis; & ideo hoc facere prohibetur in Bulla Sixti V. *de abortu* §. 5. *& in c. ſi aliquis, de homicidio.* vbi Butrius *n. 2.* aſſerit, paria eſſe occidere, vel naſci impedire.

Nec valet dicere cum Tannero *tom. 3. diſput. 4. quæſt. 8. dub. 4. num. 61.* quòd dicta decreta intelligi debent extra cauſam iuſtam. Vnde *in d. cap. ſi aliquis*, ſic habetur. Si aliquis explendæ libidinis cauſa, vel odij meditatione homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, vt non poſſit generare, aut concipere, vel naſci ſoboles, vt homicida teneatur. quod confirmatur ex doctrina ipſius Sanchez *ibidem num. 9.* & aliorum Doctorum penes ipſum, quibus ego addo Villalobos *in ſumma, tom. 2. tract. 12. difficul. 13. num. 8.* Molfeſium *in ſumma, tom. 1. tract. 11. cap. 19. numer. 197.* Tannerum *loco citato* & Layman *lib. 3. ſect. 5. tractat. 3. part. 3. cap. 4. numer. 4.* aſſerentes poſſe Medicum ad vitandam mortem matris directè procurare abortum, nondum tamen animatum. quo ſuppoſito ſic poſſet aliquis argumentari. Multò magis à generatione diſtat ſemen, quàm fœtus iam ex ſemine conceptus, licet nondum animatus: ſed probabiliter aſſerunt citati Doctores, poſſe aliquem licitè procurare abortum fœtus nondum animati ad tuendam vitam matris infirmæ. ergo probabiliter etiã dici poteſt licitum eſſe procurare ſterilitatem ad vitandam mortem matris, prouenientem ex conceptione fœtus, modo quo ſuprà explicatum eſt.

Verùm his non obſtantibus puto non eſſe recedendum à negatiua ſententia, & ad caſum de procuratione abortus, nondum animati, pro tuitione vitæ matris infirmæ, poſſet quis reſpondere, opinionem iſtam reijcere Syluium & Filliucium *vbi ſuprà.* Leſſium *lib. 2. cap. 9. dub. 10. num. 60.* Nauar. *de reſtitut. lib. 2. cap 3. num. 140.* Malderum *in 2. 2. tr. 3. cap. 1. dub. 16.* Baſilium Pontium *de matrim. lib. 10. c. 13. num. 2.* Azorium *tom. 2. lib. 2. cap. 26. quæſt. 5.* Præpoſitum *in 3 part. D. Thom. quæſt. 6. de bonis matrim. dub. 9. num. 74.* Vaſquez *opuſc. de reſtitut. cap. 2. §. 2. dub. 6. in fine*, & alios docentes mordicus non licere præbere pharmacum directè tendens ad fœtus nondum animati eiectionem, etiam quando non poteſt aliter matri ſuccurri.

Sed quia ego puto ſententiam Sanchez & aliorum eſſe probabilem, reſpondeo ad argumentum propoſitum, eſſe diſparem rationem quoad vtrũque caſum; nam, vt rectè obſeruat Sanchez, Filliucius, & alij in caſu, quando expellitur fœtus ad tuendam vitam matris, fœtus actualiter aggreditur matrem, & eſt cauſa materni obitus, cuius periculum eſt præſentaneum; ſed in caſu de quo loquimur, quando præbetur medicina ſterilitatis, fœtus non eſt aggreſſor matris, & periculum eſt diſtans. ergo quod eſt *in* illo caſu licitum, *in* iſto minimè erit. Vnde contra Torreblancam rectè docet Syluius *vbi ſuprà*, & alij ad vitandum vitæ periculum, quod mulier eſt experta ſibi ex partu imminere, non licet impedire conceptionem.

Notandum eſt tamen hîc, Lector ne decipiatur, ſi legat Torreblancam citantem pro ſua ſententia Sanchez, Cordubam, Aragonium, & Lopez notandum eſt, inquam, citatos auctores ſententiam, quam Torreblanca docet, minimè docere; vt de Sanchez viſum eſt *ſuprà*, & de alijs illos legendo patebit.

RESOL. XCI. *An Prælati Regulares quoad ſuos ſubditos poſſint diſpenſare ſuper infamia iuris etiam publica?*

NEgatiuè reſpondet Sebaſtianus à Bononia *tract. de elect. p. 2. c. 4. dub. 87. n. 1.* Bartholomæus à Vecchis *in praxi Nouitior. diſp. 9. dub. 22. num. 13.* & alij aſſerentes, quòd infamis infamia iuris, cuius delictum occultum eſt, poſſit per Prælatum Regularem diſpenſari; negant tamen id poſſe facere, quando delictum eſſet notorium, & multo minus, quando delinquens talis declaratus eſt per iudicis ſententiam.

Sed cùm Laurentius de Peyrinis *in Præl. Regul. quæſt. 2. cap 5. §. 4. num. 50.* probauerit infamiam iuris nullo modo incurri, niſi poſt iudicis ſententiam, ex hoc ſuppoſito poſtea *in priuil. Minim. tom. 3. cap. 2. ſup. conſt. Sixti IV. num. 1.* docet, quòd priuilegium Eugenij IV. concedentis, quòd poſſint Prælati Minimorum infamiæ maculam abolere, habere locum in foro exteriori, & in infamia per iudicem declarata, alioquin nihil valeret, quia infamia iuris, vt dictum eſt, nullo modo incurritur, niſi poſt iudicis ſententiam; & priuilegia ſemper ita ſunt interpretanda, vt aliquid operentur, & vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, & leges abſolutè loquentes in vtroque foro intelligendæ ſunt, cùm priuilegia ſint amplianda. Hæc Peyrinus *vbi ſuprà.*

Sed ſi eius opinio eſſet vera, magnam quidem auctoritatem Prælati Regulares haberent. Verùm communiter contrariam ſententiam docent Doctores, & ideo Portel *in dub. regular. verb. diſpenſ. n. 6.* ſic ait. Non poſſunt Prouinciales, nec Generales, diſpenſare cum infami notato infamia iuris legitimè condemnato, maximè ob crimen nefandum, vt poſſint celebrare, eſt enim talis irregularis, & diſpenſatio cum illis generaret ſcandalum. Ita ille.

RESOL. XCII. *An ad vitanda mala temporalia, ægritudinem, internam afflictionem, paupertatem, &c. liceat mortem exoptare?*

CAſus eſt frequentiſſimus, & Nauarrus *in Man. cap. 15. num. 15.* cum Abulenſi *quæſt. 4. in cap. 19. lib. 3. Regum.* putant eſſe peccatum mortale, quia homo non eſt dominus vitæ ſuæ, deinde timiditatis, aut puſillanimitatis vitium eſt velle carere magno bono temporali, quod eſt vita, & mori ob vitanda aliqua mala minoris momenti.

Sed ego puto abſque peccato poſſe aliquem deſiderare mortem, vt à magno malo temporali libere-

liberetur. Ita tenet Sanchez *in select.disp.2.num.9.* & Sotus *in 4.distinct.5.q.vnic.art.5.post.5.concl.* probatur exemplo Eliæ 3. *Reg* 19. & *Ionæ cap.*4. Deinde quis prudenter censere potest maius malum aliquam afflictionem, quam mortem; non est ergo contra charitatem sibi debitam velle mori potiùs, quàm illud pati. Et ita hanc sententiam docet etiam Iacobus Granado *in* 2.2.*D.Thom.contr.*3.*tract.*6.*disp.*2. *sect.*4.*nu.*22.vbi optimè addit. Extra casum magnæ calamitatis,aut afflictionis non auderem excusare eiusmodi desiderium à culpa mortali, quia grauiter lædit charitatem sibi debitam,quia vult priuari maximo bono naturali, cuius non est dominus absque vlla causa alicuius momenti. Sic sanè qui sine necessitate sufficienti desideraret grauem infirmitatem,censeretur grauiter agere contra naturalem inclinationem, & obligationem prospiciendi bono proprio, maius autem malum est mors. Quare non est censendum desiderium mortis quidpiam indifferens quod non habeat grauem malitiam,nisi malus finis apponatur, sed potiùs est hoc desiderium talis naturæ, vt nisi fine honesto, aut bono non leuis momenti cohonestetur,grauiter malum sit; sicut est grauiter malum occidere, vel infamare proximum, nisi adsint causæ iustissimæ, quas Doctores enumerare solent.Ita Granado.Ex quibus apparet esse damnandas de mortali mulierculas, & præsertim vetulas,quæ ob res minimas vociferantur,& optant sibi mortem,nisi illas excusare velimus, (& ita vtplurimum est) ex defectu aduertentiæ,& deliberationis.

RESOL. XCIII. *An sit peccatum mortale inuertere ordinem in succurrendo patri,matri,filio,& vxori?*

AD hoc dubium ita respondet Hurtadus de Mendoza *in* 2.2.*disp.*154.*sect.*5.§.57.vbi sic ait. Hic ordo nos obligat sub peccato graui ad subueniendum priùs parentibus, quàm aliis, non verò patri priùs, quàm matri; inter filios & vxores nescio sanè an iste ordo grauiter obliget; inclinor in partem negantem:at filii non possunt postponi fratribus, nisi cum graui peccato in necessitate obligante per se.Pater priùs est diligendus,quàm auus, & filius quàm nepos, quia sunt amanti proximiores.Item auus priùs,quàm nepos,filius autem priùs auo,quia est coniunctior.Ita ille.

Non desinam tamen etiam hîc adnotare Lorcam *in* 2.2.*D.Thom.q.*26.*art.*11.*n* 4.sic circa præsentem quæstionem asserere. Inquiri solet sitne peccatum mortale hunc ordinem, quem statuimus inter cognatos in primo gradu, inuertere? Nonnulli dicunt non esse peccatum mortale,quia omnes istæ coniunctiones,ex quibus oritur obligatio dilectionis,magnæ sunt; & non est tam ingens vnius ad alteram excessus, vt reatum peccati mortalis inducat,si prætermittatur.Quod mihi videtur probabile; & quod attinet ad comparationem inter patrem & matrem, & inter vxorem & filios, non dubito sine peccato mortali posse inuerti ordinem,& fortasse absque omni peccato, quamuis laudabilius esset illum seruare. Inter parentes autem,& cæteros,manifestior est excessus debiti; & ideo occurrente necessitate,qua vel ipsi, vel cæteri deserendi essent in temporalibus,vel spiritualibus; non existimarem tutum esse parentes omittere. Sed, vt S.Thom. aduertit *art.*10. & exposuimus *art.*8. omnes istæ comparationes definiunt quòd per se; & considerata solùm ratione patris, matris,&c. debetur. nam ex accidenti potest quilibet istorum ius suum amittere & diminuere iniurijs, & ingratitudine in alterum,& potest augere beneficijs,& obsequiis.Singula autem speciatim,& minutatim determinari nequeunt, & prudenti arbitrio remittenda sunt,pensatis his communibus regulis. Ita Lorca *vbi suprà.*

RESOL. XCIV. *An Commendatarij D.Iacobi, Alcantaræ, Calatraua, &c. possint disponere de redditibus Ecclesiasticis ad libitum,sicut de bonis patrimonialibus?*

NEgatiuè respondet Mota *in lib. Institutionis*, vt Commendatarij tendant ad perfectionem, *c.*4.§.4.*n.*10.Nauar.*lib.de reddit.q.*1.*n.*95.& 96.& *q.*3. *n.*30.& 31.& Ayala *in Compen.Ord.milit.* quem citat & sequitur Emanuel Rodriquez *in qq. Reg. tom.* 2. *q.*57.*art.*5.& ex parte Azorius *tom.*1. *lib.*13 *c.*4.*q.*10. & ratio est,quia sunt Religiosi,& voto paupertatis adstricti, & quia redditus Commendarum sunt redditus Ecclesiastici.ergo,&c. Igitur hi Doctores tenent hos Equites esse in obligatione expendendi in operibus pijs totum id, quod superest de congrua satisfactione.

Verùm ego puto de his bonis posse dictos Equites disponere, ac si essent sæculares, quia antiquissima consuetudo ita paupertatem eorum interpretata est Superioribus scientibus,& non contradicentibus; & redditus Commendarum titulo sæculari his dantur, nempe titulo militari. Et ita docet Sanchez *in summ.tom.*2.*lib.*7.*cap.*8.*num.*29. & nouissimè Hurtadus de Mendoza *in* 2.2. *tom.*2. *disputat.*160.*sect.*7.§.119.vbi etiam §.120.loquens de Equitibus D.Ioannis,sic ait.Licet Milites S.Ioannis nuncupent solenne paupertatis, (de quo nunc non disputo) adhuc possunt pro suo arbitratu vti Commendis sine violatione voti, quia licet in solennitate sit votum perfectum, at non tam perfectum ex parte obiecti, quàm votum Clerici Regularis, aut Monachi, vouent enim paupertatem iuxta suam regulam, quæ paucis in rebus eos obstringit; est enim laxa,quia est regula Militum nobilium;quos non expedit illaqueare minutis præceptis,sed nonnullis,& laxioribus,quibus obseruetur virtus in militia,eamque ob causam illæ Commendæ sunt à Pontifice donatæ Militibus. Ita Hurtadus,& ego.

RESOL. XCV. *An Magistratus & Prælati teneantur ad correctionem subditorum, non solùm lege charitatis, sed etiam iustitiæ?*

AFfirmatiuam sententiam præter alios docet Coninck *de charitate.disp.*128.*num.*70. & Hurtadus de Mendoza *in* 2.2.*tom.*2.*disp.*162 *sect.*4.§.40. quia Magistratus sæculares pecuniam accipiunt pro exercendo munere; Prælati verò stipendium, iurisdictionem,& alia commoda temporalia.Hinc

infert Hurtadus teneri Prælatos, & Magistratus aperire in confessione munus suum Sacerdoti illud ignoranti, quando in correctione peccarunt. Secundò infert Magistratus & Prælatos in tali casu teneri ad restitutionem tam stipendij illi parti muneris respondentis, quàm damni inde sequuti, quia ipsi fuerunt moraliter causa illius damni, quia Reipublicæ debebant eas actiones, quibus malum erat auertendum, & quemadmodum qui iniustè retinet meas pecunias, tenetur de damno emergente; ita qui iniustè retinet eas actiones, tenentur de damno emergente ex retentione, quo differunt Magistratus à priuatis. hi enim non tenentur ex iustitia, & quamuis tenerentur, esset ex conceptu communi ipsius obiecti iustitiæ, non tamen ratione dati & accepti: omne autem malum ortum ex iniusta retentione accepti, tenetur resarcire, qui iniustè retinuit. Ita Hurtadus *vbi suprà*.

Non desinam tamen hic adnotare Petrum Lorca *in* 2.2. *quæst.* 33. *art.* 5 *sect.* 3 *disp.* 42. *n.* 4. contrariam sententiam docere, vbi sic ait. Quæritur an obligatio Prælatorum circa correctionem, quæ ex officio oritur, sit solius charitatis, an verò iustitiæ: Caiet. *in Comment. artic.* 2. subtiliter & metaphysicè conatur reuocare ad iustitiam. Sed cùm actus ipse non sit iustitiæ (correctio enim fraterna, quia talis est, à quocúque fiat, non est actus iustitiæ, sed charitatis) non video quomodo ad iustitiam reuocari possit. Nã Prælatus debito sui muneris non solùm tenetur exhibere subditis iustitiam, sed etiam charitatem. Ex quo sequitur circumstantiam hanc, quòd Prælatus sit, qui corripere negligit, non mutare speciem, videtur autem intra eandem speciem notabiliter aggrauare. Sic Lorca. quod idem docet de Magistratibus secularibus. Prima opinio est probabilior: secunda est probabilis. Vide me ipsum *p.* 1. *tract.* 7. *resol.* 57.

RESOL. XCVI. *An quando cessat totalis finis legis in particulari, cesset eius obligatio?*

COntra magnum agmen Theologorum cum paucis, licet fortissimis commilitonibus, pro affirmatiua sententia *in* 1. *part. tr.* 10. *resol.* 28. pugnam suscepi. Et quia hanc opinionem ad pacandas multorum conscientias scio magno cum plausu post editas meas lucubrationes à viris doctis fuisse receptam, nunc etiam pro illa magis firmanda visum est mihi hic adnotare dictam sententiam docere etiam nouissimè Hurtad. de Mendoza *in* 2.2. *tom.* 1. *disp.* 74. *sect.* 3. §. 26. vbi doctè & acutè, vt semper solet, obseruat duas esse legum interpretationes, alteram, quæ propter finem remotum præcipit actiones alioquin de se etiam honestas, quæ sublato ordine ad finem remotum habent specialem honestatẽ, & sunt materia virtutis e.g. lex ieiunij habet finem compescentem motus turpes, & præcipit abstinentiam: abstinentia moderata est per se materia temperantiæ, & per se laudabilis, si quis absque periculo turpium motuum vesceretur contra legem ieiunij, adhuc peccaret, quia manet alius finis proximus legis, nempe exercitium temperantiæ; vnde carentia periculi luxuriæ non excusat à ieiunio. At aliæ leges nullum finem habent, nisi vitare damnum ex aliqua actione, cuius omissio per se non pertinet ad materiam alicuius virtutis; vt hæc de non disputando, carentia disputationis quid habet honesti? per se loquendo in ijs legibus cessante fine in singulari, cessat in singulari obligatio, quia lex sine honesto fine non est lex, nec obligat: at in disputatione laici docti, cessat in singulari omnis finis legis. ergo. Et hæc omnia docet Hurtadus *loco citato*, & ante illum ex Iurisconsultis Grilenzonius *in consil.* 14. *num.* 12. vbi firmat constitutionem non illaqueare transgressores, si finis non violatur, propter quem facta est. Ex quibus, vt visum est contra Azorium *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 26. *quæs.* 1. Suarez *de fide disp.* 20 *sect.* 1. *num.* 11. Sanchez *in summa, tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 5. & alios infertur, laicum doctum posse sine peccato disputare cum hæretico & infideli, non obstante hoc prohibente *cap. inhibemus, de hæret. in* 6. quia quando laicus est doctus, cessat finis prohibitionis illius legis, nempe periculum deceptionis, & derisum mysteriorum.

RESOL. XCVII. *An licitum sit communicare cum hæretico, in quem lata est sententia, eum in hæreticum declarans?*

NEgatiuè respondet Suarez *tom.* 5. *disp.* 9. *sect.* 2. *num.* 10. *& de fide, disput.* 21. *sect.* 3 *num.* 7. Guttierrez *in qq can. lib.* 1. *cap.* 1. *nu.* 42. Sotus *de Iustitia, lib.* 9. *quæst.* 1. *art.* 8. *ad* 1. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 5. *num.* 4. & alij, quia cùm publicè denuntiatur excommunicatus, publicè ac nominatim constat de eius excommunicatione. ergo.

Sed contrariam sententiam tenet Sanchez *in summ. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 4. vbi docet hæreticum in tali casu non censeri nominatim excommunicatum, nec esse vitandum donec expresè denuntietur excommunicatus, & ratio est, quia in Concilio Constantiensi dicitur neminem teneri vitare excommunicatum, nisi censura fuerit à iudice denuntiata contra personam specialiter, & expresè. At quoties quis denuntiatur de solo crimine, cui constat excommunicationem annecti, non est denuntiata censura specialiter, & expresè, sed sola virtute, & per quamdam consequentiam. ergo, &c.

Dicendum est igitur ex supradictis opinionibus cum Hurtado de Mendoza *in* 2.2. *vol.* 1. *disp.* 76. *sect.* 1. §. 10. quòd ex opinione Suarez sequitur nos non posse communicare cum hæretico damnato ab Inquisitoribus. Ex opinione Sanchez sequitur oppositum. Et nota quòd supradicta doctrina applicatur omnibus delictis, secus afferentibus excommunicationem.

RESOL. XCVIII. *An si Clericus in bello iusto incitet ad aliquem determinatè occidendum, sit irregularis?*

AFfirmatiuè respondet Lorca *in* 2.2. *sect.* 3. *disp.* 51. *num.* 22. vbi sic ait: Qui intersunt bello iusto, etiamsi adsint sine licentia Pontificis, & propria pugnent manu, & multo potiùs si in conflictu exhortentur milites ad fortiter agendum, dummodo neminem occidant, aut mutilent, aut ad id

aliquem

aliquem determinatè incitent, non fiunt irregulares. Ita Lorca, & ita etiam docet Suarez *de cenſur. diſp. 47. ſect. 6 n. 8.* & alij. Et ratio eſt, quia illa exhortatio eſt directè ad cædem. ergo incurrunt irregularitatem ex defectu lenitatis.

Sed ego contrariæ ſententiæ adhæreo, quam præter Turrianum *in 2.2. tom. 1. diſp. 93. dub. 2.* docet nouiſſimè Hurtad. de Mendoza *in 2.2. tom. 2. diſp. 169. ſect. 2. §. 137.* Ratio eſt, quia irregularitas non eſt admittenda, niſi exprimatur iure; ſed nullo iure exprimitur in hoc caſu. ergo. Secundò, quia perſuaſio totius exercitus ad ſtrenuè pugnandum eſt coniuncta cum perſuaſione ad hominum cædes, & mutilationes; ſed illâ non contrahitur irregularitas. ergo neque hac. Maior probatur, quia ſtrenua pugna totius exercitus non poteſt phyſicè ſeparari à cædibus & mutilatione. quî enim poteſt acriter pugnari à toto exercitu, quin aliquis hoſtium cadat? Vnde non poteſt dici hæc perſuaſio remotè coniungi cum cæde. Confirmatur: ſi bombardarij, & ſclopetarij ſtatuerent non diſplodere ſclopeta, atque bombardas, poſſet Clericus abſque irregularitate eos hortari ad diſploſionem, ex qua videret nonnullos neceſſariò cæſum iri, aut mutilatum. ergo, &c. Vnde ex his apparet Hurtadum approbare doctrinam, quam primus docuit Vaſquez, & nos ſæpiùs notauimus, nempe irregularitatem ex defectu lenitatis incurri tantùm ab illis, qui concurrunt aliquo modo ad mortem, vt iuſtitiæ miniſtri; ſecus autem ab aliis, ſi non ſit in iure expreſſa. Vide eumdem Hurtadum §. 145. Igitur niſi Clericus ipſe ad necem concurrat ſuis arma mouens manibus, aut alia ratione concurrat realiter ad necem, non eſt irregularis, licet aliàs ſit cauſa proxima, vt alij occidant, exhortando milites in generali, ac etiam in particulari ad hoſtes occidendos. Ita Hurtadus §. 143.

RESOL. XCIX. *An in aliquo caſu vir nobilis poßit ſine peccato acceptare duellum?*

CAſum excogitauit, qui facilè poteſt euenire in praxim, doctus Hurtadus de Mendoza *in 2.2. tom. 2. diſp. 170. ſect. 13. §. 106.* vbi ſic ait. Pone hominem nobilem ab alio prouocari ad duellum, qui ſi illud recuſet, non cenſebitur illud recuſaſſe propter legem Dei, ſed propter timiditatem, quia non bene audit de obſeruatione legis, quia ſe facilè proiicit in alia peccata, vel certè alia ex cauſa cenſebitur timidus, & ab aliis deſpicietur, apud quos ſemper erit inglorius, ex quo non leuia damna & incommoda ſequerentur. Eſt igitur quęſtio, vtrùm in hoc caſu poſſit prouocatus exire in locum condictum, non cum abſoluta voluntate pugnandi, ſed cum conditionata, ſi à prouocatore priùs petatur iniuſtè. Prouocati autem abſoluta voluntas eſt tueri opinionem viri fortis, & depellere infamiam timiditatis, quæ obiecta per ſe ſunt honeſta neceſſaria viro nobili ad degendam vitam decorè inter ſuos, præcipuè militi, qui ab exercitu cenſebitur eſſe gallina, & non vir; media autem, quæ elegit ad hunc finem, ſunt indifferentia ad bonum & malum; nempe egredi in agrum, & in eo inambulare, quæ media honeſtantur ab eo fine. Hæc abſolutè vult prouocatus. Pugnare autem non vult, ſed ſi ab alio petatur iniuſtè, vult ſub ea conditione ſe inculpatè tueri armis, ſi alia ratione commodè non poſſit. In hac occaſione videtur prouocatus minimè peccare, neque acceptare duellum, quia acceptatio duelli eſt voluntas deliberata, ſeu abſoluta, qua iſte homo caret. Item omnia, quæ vult abſolutè, ſunt licita ex ſe, finis item amatur licitè, quia nihil mali eligitur, neque ex parte finis, neque ex parte mediorum, quia hæc ſunt egreſſus in agrum, & in illo inambulatio: quæ autem amantur conditionatè, ſunt etiam honeſta, amat enim ſub conditione defenſionem inculpatam per cædem aggreſſoris iniuſti, quando ſit medium vnicum ad propulſandam violentiam iniuſtam. Solùm poteſt eſſe difficultas, quia prouocatus videtur eſſe prouocatori cauſa ruinæ, quia cùm prouocatum viderit in agro, illum aggredietur iniuſtè, quod non faceret prouocato non comparente. Reſpondeo me non eſſe cauſam per ſe illius ruinæ, quæ per ſe oritur à ſola malitia prouocantis. Prouocatus enim non vult niſi oſtendere ſe non eſſe timidum, neque facit, niſi inambulare per agrum, quæ per ſe non habent connexionem cum alterius ruina, niſi per accidens ex ſola illius malitia. At nullus tenetur cum graui & proportionato incommodo abſtinere ab actionibus bonis, & indifferentibus, quamuis illis alius ſit per accidens abuſurus ad ſuam ruinam, vt conſtat exemplo feminæ ſe moderatè comentis; ſed in hoc caſu non poteſt prouocatus eas actiones præterire abſque graui incommodo. ergo non peccat eas exercens, quia neque ex parte illius eſt voluntas pugnandi, aut aggrediendi prouocatorem, ſed ſe præcisè defendendi.

Dices, ab omnibus negari licitum eſſe acceptare duellum, tum quia eſt intrinſecè malum, & prohibitum lege Eccleſiaſtica, tum quia in illo vterque eſt aggreſſor; ſed prouocatus acceptaret duellum, quia ſciens ſequendam eſſe pugnam ex ſuis actionibus, illas eligens, vult moraliter pugnam. Concedo maiorem propter eius probationes, & nego minorem. Ad eius probationem reſpondeo, pugnam ſequi per accidens ex illis actionibus propter ſolam malitiam prouocatoris; qui autem vult cauſam, ex qua per ſe & infallibiliter ſequitur effectus, vult virtualiter & moraliter effectum ipſum; qui autem vult aliquid quod non eſt cauſa effectus, non vult effectum. talis eſt prouocatus in hac occaſione. Teneretur autem lege charitatis ab his actionibus abſtinere, quando ſine graui, & proportionato damno poteſt, ſecùs verò ſi non poteſt.

Dices ſecundò hunc caſum eſſe chimæricum, quia impoſſibile eſt vt aliquis verum honorem amittat quòd non egrediatur in locum condictum à prouocatore, quia apud viros prudentes & Chriſtianos nullus poteſt malè opinari de alio, quòd non egrediatur, ob quod nullus poteſt acceptare duellum. Reſpondeo acceptationem duelli eſſe intrinſecè malam, ob quod propter nulla commoda temporalia eſt admittenda. Hæc autem non eſt acceptatio duelli; ſed quædam actiones honeſtæ, & indifferentes per ſe vtiles, & vnicè neceſſariæ ad

depel-

depellendam infamiam timiditatis, à quibus abstinere non tenetur cum tam graui incommodo, quamuis prouocator illis sit per accidens abusurus. Item dico quod sæpiùs dixi, eas actiones esse illicitas, quoties prouocatus potest per aliud medium depellere infamiam timiditatis: vt si vir sit notæ fortitudinis, aut pietatis, aut si per virũ Principem possit pacem componere. At verò si censetur in aliis occasionibus esse violator legis Dei, nec nota est eius fortitudo, neque aliæ personæ accurrunt, quæ cum eius honore ea de re tractent, iam est in tantas angustias coniectus, vt non possit abigere infamiam timiditatis, nisi egrediendo in agrum. Hæc omnia Hurtadus *vbi suprà*, qui per alios §§. subsequentes vsque ad 115. conatur hanc sententiam mordicus probare; verùm in fine asserit hanc sententiam esse speculatiuè probabilem, practicè autem esse valdè difficilem. & tu ne deseras omnino communem sententiam.

RESOL. C. *An spectatores duelli incidant in excommunicationem?*

CAsus iste frequenter potest accidere, & ad illum Hurtadus sic respondet *in 2.2. tom. 2. disp. 170. sect. 21. §. 179.* Spectatores duelli excommunicantur eodem loco Concilij, quos intelligo primùm, qui nulla iusta occasione interfunt, sed sola curiositate: qui autem iustam habent occasionem, vt non peccant, ita neque excommunicantur; huiusmodi autem sunt Magistratus priuati, eorumque satellites, & familiares, accepta enim à Principe facultate duellandi non potest Magistratus duellum impedire; debet autem prouidere, ne concitentur tumultus, aut duellatores pugnent armis inæqualibus, aut alia iniustitia committatur. Item prouidere Sacerdotem, qui excipiat peccata alicuius moribundi, eamdem ob causam potest Sacerdos adesse excepturus confessiones, item adesse poterit aliquis famulus, aut amicus, vt accersat chirurgum, aut Confessarium. Item poterit adesse famulus deferens arma heri, & equum, quando id non potest omittere sine graui incommodo. Item si quis spectet duellum non in publico, sed occultè, & per cancellos, aut ita distans, vt non censeatur adesse præsens, non contrahi has pœnas, quia Concilium præcisè vult auertere à spectanda monomachia eos, qui eius aspectu possunt eam fouere, quod non contingit in hoc casu, sic notat Pater Lessius *lib. 4. cap. 4. dub. 9. num. 83.* Addo præterea non contrahi has pœnas ab illis, qui fortè fortuna se inueniunt in loco duelli, aut in illum incurrunt suum iter agentes, imò & qui illius conscius tendit in eum locum sola gratia videndi quæ illic geruntur, illa enim curiositas non damnatur in Concilio, quia ij spectatores comparatione duelli sunt per accidens, neque enim propter illos promouetur duellum, sed fortè impedietur multitudine spectatorum. Damnantur igitur à Concilio spectatores curiosi, qui ex condicto se offerunt certaminis spectatores & testes, hi enim duellum promouent tacita illius consensione, duellatores enim multum concitantur ad agendum de duello spectatoriæ coram illis, quibus coram enascitur iurgium, & causa duelli. Vult igitur Concilium his testibus terrorem iniicere ne conniueant in duello, sed vt illud impediant, quod patet ex vsu communi, nullus enim Confessarius diligentiam adhibet, aut curat, quid hac in re acciderit pœnitenti. Hæc omnia Hurtado de Mendoza *loco citato & 192.* licet contrarium videatur docere Filliucius *tom. 2. tract. 29. cap. 8. num. 177.* Bonacina *de censuris, disp. 2. quæst. 6. punct. 1. num. 30.* Floronus *de duello cap. 3. n. 2.* & Peregrinus etiam *de duello in expositione Bullæ. num. 29.* vbi verba ex condicto interpretantur, qui non casu, sed dedita opera duellum spectant. Vide Reginaldum *tom. 2. lib. 22 cap. 7. num 77.* Coninck *disp. 32. num. 28.* Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 2. cap. 39. n. 31.* Cælestinum *in compend. Theolog. moral. tract. 3. cap. 10. n. 5.* Ex dictis à fortiori apparet reprobandam esse opinionem illam, quam docet Peregrinus *quæst. 37.* nempe eum, qui ad locum duelli causa inspiciendi accessit, affici excommunicatione, etiamsi duellum, vel actus ad pugnam proximus secutus non sit. Vide Bonacinam *vbi suprà.*

RESOL. CI. *An si quis commodet arma amico volenti duellare, incidat in excommunicationem?*

SOlidè, vt semper solet, ad hoc dubium respondet Hurtadus de Mendoza *in 2.2. disp. 170 sect. 3. §. 185.* vbi sic asserit. Meus amicus est pugnaturus armis bonitate inferioribus meis, aut equo minus forti, aut pernici meo; ego verò do illi meum equum & arma, anne tenebor ob hoc lege Gregoriana? Respondeo non esse dubium me non teneri, si amicus suscipiat iustè certamen illud, quem tunc possum ego vt innocentem iuuare, comparatione cuius illa monomachia non est duellum, sed iusta defensio. Secundò certum est me ea lege teneri, si illarum rerum donatio duellum promoueat, quia tunc est armorum subministratio, quando est causa duelli. Pontifex autem directè interdicit omnes causas duelli. Igitur si meus amicus creditur prudenter, aut speratur destituturus à pugna nisi à me illis armis muniatur, teneor ea lege, vt armorum subministrator. Si verò amicus non est destituturus pugna, quamuis illis armis non muniatur, teneor eadem lege, si ea arma sint contra pactum duellatorum, e g. si inter illos pactum sit cum solis ensibus, & pugionibus sine aliis armis offensiuis, aut defensiuis, vel cum solis ensibus, & palliis, non possum ego amico ministrare clypeum, aut pistoletum, quia est noua iniustitia in illa armorum inæqualitate, quæ proculdubio ea lege continetur, omnis enim iniqua armorum subministratio illis legibus comprehenditur. Si verò arma non constituant inæqualitatem, quia pacta sunt in eadem specie, intra illam verò sunt mea meliora, quàm quæ habet amicus, v. g. melior ensis, acutior pugio, fortior clypeus, tunc non teneor ea lege. Probatur, quia ea lege non continentur nisi qui peccant in armis subministrandis, omnes enim actiones à Pontifice recẽsitæ, sunt prohibitæ iure naturali; sed in eo casu ego non pecco ergo neque ea lege præstringor. Probo minorem, quia ea actio non est intrinsecè mala, earum enim rerum donatio non est ex se vitiosa, quo differt à consilio, quod est intrinsecè

ſecè malum, eſtque peccatum, licet non ſortiatur effectum. Neque item illa donatio eſt mala hîc & nunc, non enim eſt ſcandalum, quia ego non ſum cauſa ruinæ amici, ille enim ruit independenter à me; mutare autem illi inſtrumenta ego poſſum, cùm ſuppetit honeſta cauſa, ille enim qui certus eſt ſoluere ieiunium cibo noxio, poſſum ego præbere cibum innoxium; ita amico pugnaturo cum maiori vitæ diſcrimine propter arma periculoſa, poſſum ego præbere arma ſecuriora, vt diſcrimen vitæ ſit minus. Neque item illa arma ſunt cauſa, vt duelletur, ſed vt minori cum periculo duellet amicus, vt non ſunt cauſa cibi innoxij vt amicus ſoluat ieiunium, ſed vt ſoluat ſine corporis noxa. Imò ſi ego viderem hominem malè armatum laxis armorum ligulis, tenerer ex charitate ligulas ſtringere. Imò ſi eius inimicus incederet loricatus, alius autem inermis, certus tamen ſe illi periculo exponere, teneor ego ex charitate illum loricare ſi poſſum, vt ſic eum reddam immunem à diſcrimine imminente ob armorum inæqualitatem. Pontifex autem excommunicans ſubminiſtrantes arma, loquitur de ſubminiſtratione iniuſta, & quæ aliquo modo eſt cauſa, vt veniatur ad duellum, non verò de ſubminiſtratione licita, & quæ nullo modo eſt cauſa, vt veniatur ad arma. Ita Hurtadus *loco citato.* Sed circa præſentem quæſtionem vide etiam Floronum *tract. de duello, c.11. num.4. & 5.* & Peregrinum etiam *de duello, q.25. num.1.*

RESOL. CII. *Vtrùm duellatores oblato, & acceptato duello incidant in excommunicationem ſi poſtea pugna non ſit ſequuta?*

FRequentiſſimus eſt caſus, & ad illum affirmatiuè reſpondet Filliucius *tom.2. tract.29. cap.8. num.170. vſque ad num.176.* vbi conatur ex multis rationibus hanc ſententiam firmare, & ita ait eſſe praxim ſacræ Pœnitentiariæ, & ſtylum Curiæ Romanæ. Vide Bonacinam *de cenſuris, diſput.2. q.6. punct.1. num.41.* vbi tenet prædictos incurrere pœnas Bullæ Gregorij XIII. Vide etiam Peregrinum *tractat. de duello q.4. num.4. & 7. in fine. & q.41. per totam,* cum Luca Florono *tract. de duello, cap.1. §.1. num.3. & cap.3. §.1. num.14.*

His tamen non obſtantibus Hurtadus de Mendoza *in 2.2. diſp.170. ſect.21. §.190.* firmat duellatores non incurrere pœnas Bullæ Gregorij XIII. oblato duello, & acceptato, ſi pugna non committatur. Et hoc etiam eſſe verum in terminis Bullæ Clementis VIII. probat poſtea *in §.196.* vbi ſic ait. De ipſis duellatoribus oritur grauior controuerſia, vt non ipſi contrahant has pœnas duello oblato, & acceptato, quamuis pugna non fuerit commiſſa. Et reſpondeo pugna non commiſſa re ipſa, & de facto, duellatores minimè eſſe excommunicatos, quia Gregorius XIII. eos non comprehendit niſi pugna ſecuta. Sed Clemens VIII. in hac re nihil innouat. ergo. Minorem iam probo de prouocato, ait enim §.5. ex condicto ad generale certamen deſcendat, aut illum prouocet. Itaque prouocatus præſtringitur lege, ſi deſcendat: deſcendere autem plus eſt, quàm accipere duellum, eſt enim perinde apud Latinos in arenam deſcendere, ac pugnare; prouocare enim in arenam, eſt prouocare ad pugnam, accipitur enim locus pro actione in eo exercenda. Vnde gladiatores appellabantur Arenarij, quia pugnabant in circo arena conſperſo. Cùm igitur Pontifex agens de prouocato requirat deſcenſum in arenam, in ſenſu dicto eſt accipiendus in legè pœnali, neque alibi iterum agit de prouocato pugna non ſequuta. Secundò probatur in prouocatore, nullibi enim coniungitur duellatori prouocanti excommunicatio pugna non ſequuta. Imò quoties duellatorum meminit Clemens, ait, Duellum ex compoſito ineuntes, vt conſtat ex §.7. vbi ipſe addit excommunicationem de nouo. Ex quo §. explicanda eſt tota Bulla, ob quod quando §.5. dixit *ad ſingulare certamen deſcendat, aut illum prouocet,* intelligitur iuxta §.7. vbi ſuam de nouo adijcit cenſuram, nempe prouocet exiſtens in arena, inienſq; certamen; pugnantes enim tam prouocatorem, quàm prouocatum excommunicat, ad quod vſus eſt illa diſtinctione inter defendentem, & prouocantem; id eſt, inter prouocatum, & prouocatorem, neque enim prouocatio paſſiua aliquem excuſat ab excommunicatione, quamuis aliquam excuſationem videretur habere, quam non habet prouocator. Denique quando pœna infligitur propter delictum, non contrahitur delicto non conſummato, niſi exprimatur à Legiſlatore, qui enim imperat homicidium, irregularis eſt, ſi homicidium ſequatur, non ſecus: ſed excommunicatio hæc decernitur propter monomachiam, & in ipſis monomachis non explicatur eius vis, monomachia etiam non ſecuta. ergo non contrahitur excommunicatio, niſi monomachia ſecuta. Ita Hurtadus *vbi ſuprà*, qui per alios §§. ſubſequentes vſque ad 201. reſpondet ad omnia argumenta Filliucij, & aliorum, & ad ſtylum Curiæ dicit, quòd facit legem, quando habet aut formale, aut virtuale præceptum Pontificis, non verò quando illud non habet. De præcepto autem in hoc caſu nihil nobis conſtat, nec verò eſt inſuetum iudicibus pauca negotia reſpicere. ergo, &c. Verùm an ſupradicta ſententia ſit probabilis, alijs iudicandam relinquo, mihi enim magnam vim affert, etſi vera eſſet praxis ſacræ Pœnitentiariæ, & ſtylus Curiæ Romanæ.

RESOL. CIII. *An excommunicatio incurſa per duellum poſſit abſolui à Regularibus virtute ſuorum priuilegiorum?*

NEgatiuè reſpondet Peregrinus *tractat. de duello q.38. nu.4. & ſeq.* Bonacina *de cenſ. diſp.2. quæſt.6. punct.1. num.42.* & Sanchez *in ſum. tom.1. lib.2. cap.39. num.27.* vbi ſic ait. Iam Clemens VIII. in ſuo Motu proprio reſeruauit excommunicationem etiam in duellis priuatis, & decreuit virtute nullius priuilegij conceſſi quibuſuis perſonis cuiuſcumque ſtatus poſſe huius excommunicationis abſolutionem concedi. Quare nullus Religioſus poteſt virtute ſuorum priuilegiorum concedentium omnes caſus Papæ reſeruatos ab illa abſoluere. Ita Sanchez.

Verùm nouiſſimè Hurtadus de Mendoza *in 2. 2. diſp.170. ſect.21. §.201.* putat Patres Societatis Iesv

poſſe

poſſe ſupradictam excommunicationem abſoluere,ſic enim ait.Religioſi Societatis poſſunt huiuſmodi reos abſoluere virtute ſuorum priuilegiorum,quia Clemens VIII.in hac Bulla illis vices derogat priuilegijs cuiuſcumque Ordinis,aut militię, aut ſtatus,quæ clauſula non comprehendit noſtra priuilegia,quæ conceduntur cum hac clauſula, vt non derogentur,niſi fiat expreſsè illorum mentio, vt conſtat ex Gregorio XIII. in Bulla, *Decet Romanum Pontificem ne religioſæ perſonæ*, ad finem. quod videtur non animaduertiſſe Sanchez.At verò Clemens VIII. non adhibuit clauſulam huius derogatoriam.ergo,&c.Ita Hurtadus. Sed in decreto ſacræ Congregationis ſuper caſibus reſeruatis die 9. Ianuarij 1601.& eius declaratione die 26.Nouembris 1602. Religioſi Societatis IESV ſpecificè fuerunt nominati, ne virtute priuilegiorum abſoluerent à cenſura duelli incurſa in terminis Concilij, & Gregorij XIII.Vnde nō eſt admittenda ſententia Hurtadi quoad Patres Societatis in Italia commorantes.Verùm quia ego ſatis probabiliter teneo Siciliam,Corſicam,& Sardiniam eſſe extra Italiam, poſſet quis dicere Patres Societatis in his Regnis commorantes,& in aliis poſſe non obſtante ſupradicto decreto vigore ſuorum priuilegiorum abſoluere à cenſura duelli, vt ſuprà ſecundùm opinionem Hurtadi.Sed quidquid ſit de hoc, certum eſt in hac excommunicatione, ſi delictum ſit occultum, & non deductum ad forum contentioſum,poſſe Epiſcopum diſpenſare toties quoties.Ita Doctores citati.

RESOL. CIV. *An per Bullam Cruciatæ poſsit abſolui excommunicatio incurſa per duellum?*

AFfirmatiuè reſpondet Sanchez *in ſumm.tom.1. lib.2.cap.39.nu.27.*vbi ſic ait.Poterit Confeſſarius electus per Bullam Cruciatæ abſoluere ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo, ab iſta excommunicatione duelli, quia cùm Bulla quotannis publicetur, & ab eodemmet Pontifice concedatur, non eſt veriſimile eius intentionis eſſe priuilegium tollere Bullæ,concedens ſemel in vita,& ſemel in mortis articulo abſolutionē ab omnibus caſibus Papæ reſeruatis.Ita Sanchez.Sed Hurtadus de Mendoza *in 2.2.diſput.107.ſect.21.§.201.*licet ſequatur opinionem Sanchez, eius tamen rationem non approbat, quam putat in aliis occaſionibus nullo modo eſſe probandam; ſed affirmatiuam ſententiam docet, nempe excommunicationem incurſam ex duello eſſe per Bullam Cruciatæ abſoluendam, quia Bulla Cruciatæ non reuocatur, niſi per expreſſam derogationem, quæ derogatio non continetur in Motu proprio Clementis VIII. ergo,&c. quæ doctrina eſt valde notanda pro auctoritate Bullæ Cruciatæ.

RESOL. CV. *Quo tempore obliget præceptum dilectionis Dei?*

DIco primò, probabile eſt hoc præceptum obligare paulò poſt vſum rationis, quando quis iam aduertit,& ſecum reputat rationes,quas habet amandi Deum,& de ipſo cogitat,de eius bonitate, & excellentia,ac beneficijs,&c. Ita ex D.Thoma, Soto, Nauarro, Bannez,& Lorca docet Syluius *in 2.2.q.44.art.6.quæritur tertiò.*

Dico ſecundò probabile etiam eſſe inſtante morte teneri Deum diligere. Ita ex Valentia,Nauarro,Suarez,Turriano docet Hurtadus de Mendoza *in 2.2.diſput.74.ſect.6.§.27.*quia lege charitatis propriæ tenemur ad ſecuritatem vitæ æternæ, vitandumque diſcrimen æternæ damnationis; ſed actu dilectionis Dei ſuper omnia vitantur omnia pericula æternæ damnationis,reddimurque ſecuri æternæ vitæ, eumque actum poſſumus exercere, quia præſtò eſt gratia Dei ſupernaturalis,& ex meritis Chriſti; ergo tenemur eum actum exercere. Finge te non eſſe ritè baptizatum, aut abſolutum, & te inſcium eorum euentuum acceſſiſſe ad Sacramentum,ſine contritione perfecta,aut charitate, damnaberis profectò: at licet numquam fueris Baptiſmate ablutus,neque abſolutus à Sacerdote, ſi Deum diligas ſuper omnia charitate theologica, non dubium quin ineas viam ſalutis æternæ. Cur igitur experienda eſt alea contingentium euentuum, cùm in tua poteſtate gratia Dei ſalutem tuā conſtituerit. Hæc obligatio partim eſt per ſe, quia hoc præceptum nobis imponitur intrantibus, & exeuntibus in vitam,partim eſt per accidens ratione periculi proprij. Ita Hurtadus. cui adde etiam Coninck *diſp.24.dub.3.concl.3.num.51.*

Dico tertiò hanc obligationem diligendi Deum adeſſe etiam in vitæ decurſu,ſed difficultas eſt circa tempus.Hurtadus *vbi ſuprà,q.26.*putat hanc obligationem currere per ſingulos annos, & quidem ait, ſatis remiſſiuè nobiſcum agitur anno dumtaxat amore nobis petito. Vnde Lorca *in 2.2.ſect.3. diſp.58.num.8.*ſic ait.Me iudice,ſi quis anno integro omiſſionem huius actus incurrat,certuſque ſit Dei ſui immemorem tanto tempore ſe extitiſſe, debet ſe iudicare tranſgreſſorem,quoniam Eccleſia ſimile arbitrium ſumpſit circa præceptum pœnitentiæ, quod eiuſdem rationis eſt. Ita Lorca, & ante omnes Ledeſma *in ſum.tom.2.tr.3.c.5.poſt 6.concl.*Sed ego puto hac obligatione non teneri adultum annis ſingulis,quia hoc eſt nimis durum, & nullo firmo fundamento nititur,vt docet Caſtrus Palaus *tom.1. tract.6.diſp.1.punct.4.nu.10.* qui firmat hanc obligationem multo tempore non eſſe differendam, & dilationem trium annorum putat eſſe grauem; nam qui tanto tempore diuinam bonitatem non redamat,eam videtur contemnere;& hoc tempus etiam aſſignat Suar.*de charitat.diſp.5.ſect.3.num.4.* & Coninck *diſp.24.dub.3.n.53.*vbi ait.Videtur omninò mortaliter peccaturus, ſi hoc præceptum quis ad tres,vel quatuor annos ſponte differat.

Notandum eſt tamen primam ſententiam non approbare, & quidem magis probabiliter Azorium,Suar.Sanchez,& alios,quos citat,& ſequitur Caſtrus Palaus *tom.1.tract.6.diſput.1.punct.4.num.2.* Sed ſi in illa velis ſtare,non eſt intelligenda, quaſi peccemus ſtatim mortaliter habita ſufficienti Dei cognitione,ſi non eliciamus actum dilectionis;hoc enim ſatis graue eſſet,ſed quòd ſecluſa omni ignorantia,& inaduertentia ſine graui peccato nequeamus eum valde diu differre.Et Coninck *diſput.24. dub.3.num.50.*credit peccaturum,qui eum ad annos

aliquos

aliquot differret, aut fortè etiam, qui vltra annum ſecluſa, vt dixi, inaduertentia. Neque torquere ſe quis debet, vt obſeruat Hurtadus *in* 2.2. *diſp.* 174. *ſect.* 5 §.24. vtrùm huic præcepto ſatisfecerit, quia quamdiu poſitiuo, & probabili argumento non meminit, ſe hoc præceptum omiſiſſe culpatè ſibi perſuadeat ſe contra illud non peccaſſe; vel quia Deum dilexit, vel quia illud inculpatè prætermiſit. Adde, quòd ſi certò ſciat huic præcepto non ſatisfeciſſe, poteſt ſequi opinionem negatiuam, quam ego teneo, nempe non adeſſe pro illo tempore tale præceptum: vt præter Doctores citatos tenet etiam Vaſquez *in* 1.2. *diſp.* 186. *cap.* 2. & Turrianus *in* 2.2. *diſp.* 97. *dub.* 2.

Non deſinam hîc adnotare Ioan. Sancium *in ſelectis diſp.* 1. *n.* 21. docere, quòd qui ſemel in vita huic præcepto ſatisfecerit, non teneatur ampliùs illo. Pro qua ſententia facit Vaſquez *in* 2. *p. tom.* 4. *q.* 86. *art.* 2. *dub.* 6. *num.* 11. vbi tempus obligationis huius præcepti aſſignat, ſolùm pro fine vitæ. Sed hæc non approbat Caſtrus Palaus *loco citato n.* 4. & 5.

Nota etiam quòd alij aſſignant alios caſus. quibuſdam enim viſum eſt hoc præceptum eſſe implendum diebus feſtis. Item quando ſuſcipitur Baptiſmus, quando quis tenetur ad contritionem, quando inſigne beneficium à Deo accipit, vel eſt cauſa ſubeundi martyrij, quando blaſphemantibus aut contemnentibus nomen, vel honorem Dei eſt reſiſtendum, & quando præceptum dilectionis proximi eſt implendum. Verùm his caſibus vel omnino non obligat per ſe, ſed ratione alterius, ac proinde eius omiſſio non eſt peccatum ſpeciale; feſta enim obſeruantur per ea, quæ in illis fieri iubentur, vt per vacationem ab operibus ſeruilibus, & auditionem Miſſæ, & Veſperarum. Hæc autem fieri poſſunt abſque ſpeciali, & expreſſa Dei dilectione. Ad Baptiſmum requiritur quidem ea dilectio Dei, de qua Concil. Trid. *ſeſſ.* 6. *c.* 6. dicit, quòd fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illum tamquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt, ſed vt præuia diſpoſitio, non autem per ſe, & ex natura præcepti dilectionis. Tempore contritionis & martyrij ſolùm per accidens requiritur Dei dilectio, ſcilicet ratione iuſtificationis, aut præparationis ad illam, aut ad ipſum martyrium. Pro beneficiis acceptis directè ſolùm eſt obligatio gratitudinis, quæ ſine actu amoris poteſt exhiberi. Quando contra blaſphemantes defendere oportet Dei honorem (quod ad confeſſionem fidei externam pertinet) non eſt ſub periculo peccati neceſſarius actus charitatis Dei, vti nec quando proximus eſt diligendus, neceſſe eſt actu elicere Dei dilectionem. Hæc Syluius *in* 2.2. *quæſt.* 44. *art.* 6. *quæritur tertiò.*

Verùm extra hos caſus per accidens poſſumus obligari ad dilectionem Dei. Primò, quando grauem tentationem non poſſumus vitare, niſi diligendo Deum. In tentatione verò odij Dei obligamur per ſe lege charitatis illum diligere. Secundò, quando opus eſt adminiſtrare aliquod Sacramentum, nec poſſumus confiteri. Ita Coninck *diſp.* 24. *dub.* 3. *concl.* 5. *n.* 54. Hurtadus *vbi ſuprà*, & alij.

RESOL. CVI. *Quo tempore obliget præceptum ſpei.*

CVm hoc præceptum ſit affirmatiuum, non obligat pro omni tempore, ſed pro aliquo. & ideo Becanus *tom.* 3. *in* 2.2. *cap.* 17. *q.* 7. *n.* 2. putat hoc præceptum obligare in triplici caſu. Primò, quando quis Deum orat, tenetur enim orare cum ſpe impetrandi. Secundò, quando pœnitentiam agit. nam actus pœnitentiæ non poteſt eſſe ſine ſpe veniæ. Tertiò, quando inſurgit grauis tentatio de deſperatione, tunc enim tenetur adhibere remedium, vel exercendo actum ſpei, qui deſperationi contrarius eſt: vel orando Deum, vt auertat periculum deſperationis cum ſpe obtinendi. Ita Becanus, & ex parte Azorius *tom.* 1. *lib.* 9. *c.* 2. *q.* 6. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 2. *quæſt.* 4. *punct.* 1. & alij.

Sed hæc non approbat Hurtadus de Mendoza *in* 2.2. *diſp.* 118. *ſect.* 2. §. 21. & Sanch. *in ſum. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 33. *n.* 3. nam in dictis caſibus nullum adeſt præceptum directè ex obiecto, & ob legem ſpei, ſed à lege pœnitentiæ, orationis, &c. ergo in ipſis non admittitur ſpeciale peccatum in ſpem. Lorca *in* 2.2. *ſect.* 2. *diſp.* 18. *n.* 10. Aragon *in* 2.2. *q.* 22. *art.* 1. Petrus de Ledeſma *in ſum. tom.* 2. *tract.* 2. *c.* 4. *concl.* 2. Bannez *in* 2.2. *q.* 22. *art.* 1. *dub.* 2. aſſerunt hoc præceptum obligare, cùm primùm rationis vſum aſſequeris. Vnde infert Bannez quòd ſi homo in tali caſu non ſe conuertat ad Deum, committere tria peccata, vnum contra fidem, alterum contra ſpem, tertium contra charitatem. quæ ſententia, ait Becanus *loco citato, num.* 3. dura eſt, & parum probabilis. Vide Valentiam *tom.* 3. *diſp.* 2. *q.* 4. *punct.* 1. & Sanchez *in ſumm. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 33. *n.* 3.

Aliqui verò, & inter illos P. Suarez *diſp.* 2. *de ſpe, ſect.* 1. *n.* 3. putat nullum eſſe tempus determinatum, in quo huiuſmodi præceptum obliget, ſed prudentis arbitrio menſurandum eſſe, nec permittendum longo tempore differri.

Verùm mihi placet opinio Hurtadi de Mendoza *vbi ſup. in* 2.2. *diſp.* 118. *ſect.* 2. §. 19. præceptum ſpei obligare directè, & per ſe, quando quis adulta iam ætate recipit Sacramentum aliquod cum ſufficienti cognitione de Deo, & vita æterna. Si quis infidelis Baptiſmo tingatur, hic tenetur ſperare vitam æternam, ſi illi occurrat eius obligatio, etenim poteſt velle Baptiſmum ex amore Dei, vt confertur ab Eccleſia. Tunc autem per accidens poteſt eſſe immemor huius legis, aut obligationis: at per ſe tunc obligat ea lex, quia cùm longa mora non poſſit licitè trahi, tunc eſt opportuna occaſio legem ſeruandi, quando initiatur eius vita in Chriſtianam pietatem. Neque verò ea obligatio oritur ex ſolo Baptiſmo, ſed ex ipſo ſpei obiecto. Item quando qui puer baptizatus eſt poſt vſum rationis recipit pœnitentiam, aut Confirmationem, tunc tenetur per ſe lege ſpei, niſi priùs ei ſatisfecerit. Secundum tempus eſt, cùm imminet mors, tunc enim tenemur efficaciter amare beatitatem, quia tunc eſt opportuniſſima occaſio, cùm ſumus illi, aut inferno vicini. Ita Hurtadus.

Non reticeam tamen hîc adnotare Caſtrum Palaum *tom.* 1. *tr.* 5. *diſp. vnic. punct.* 4. *n.* 4. docere regulariter

lariter huic præcepto positiuo omnes satisfacere. Primò, satisfaciunt cùm de peccatis dolent, quia vix, aut nunquam omittunt actum formalem spei, quo eriguntur, vt dixit Concil. *sess.6. cap.6.* ad peccata detestanda, nouamque vitam inchoandam. Secundò, huic obligationi faciunt satis, cùm propositum habent nunquam peccandi mortaliter, hoc enim propositum etsi aliquoties ex Dei amore perfecto procedat, sæpè illum gignunt ex amore imperfecto. Considerant enim æternam retributionem, quam peccatis amittunt, & ex illius consideratione in spem vitæ æternæ, vt sibi conuenientis, exiguntur, & peccata detestantur.

Aduertit etiam Iacobus Granado *in 2.2. contr.2. tr.4. disp.1. n.3.* duo. Vnum est, hoc præceptum cùm sit supernaturale, debere impleri efficiendo actum spei supernaturalem; verùm quoniam certò non constat homini, quando eliciat actum supernaturalem, excusabitur ab obligatione huius præcepti, si ipse sibi proponat obiectum supernaturale spei, & conetur circa illud efficere actũ; quamuis enim in re ipsa non euaderet talis actus supernaturalis, id non tribueretur ei vitio, sed ignorantiæ inuincibili, qua nescit certò quando actum supernaturalem eliciat. Alterum est, licet obligemur sperare, sufficienter tamẽ satisfieri præcepto, si quis ob motiuum charitatis speraret, quamuis nunquam eliceret actum ob proprium motiuum virtutis spei. Patet hoc, quia virtus charitatis sperare potest quidquid sperat virtus spei. ergo nobiliori modo erigit voluntatem ad beatitudinem, ac proinde excellentiùs præstat id, ad quod necessarius est actus spei; qui verò charitatem non haberet aut non se experiretur promptum ad sperandum ex charitate, teneretur sperare ob motiuum spei. ergo, &c.

RESOL. CVII. *An prima vice concubinarius sit absoluendus, etiamsi concubinam non abijciat?*

NEgatiuè respondet Nauarr. *c.16. n.20.* Sylvest. *verb. cõcubinarius q.2.* Chapeauilla *de casib. reseru. in fine fol.386.* vbi docet concubinarium, etiam si detestetur peccatum, & proponat emendationem, nunquam censendum esse contritum, nisi concubinam è domo eijciat. Et hanc etiam sententiam docet Anton. Fernandez *in instr. Confess. edit.2. p.1. docum.8. n.6.* vbi sic ait. [En el mas fuerte caso del que tiene la manceba en casa, algunos dizen, que vna, o dos vezes bastarà tener proposito de la emienda; y otros dizen, que la eche antes, porque queda en pie la ocasion proxima. Yo digo, que si esta en casa à titulo solo de manceba, y luego la puede echar, o muy en breue, no lo absuelua antes de echarla, pues està ocasion proxima voluntaria; pero si la tiene como criada con salario, y en ministerios de casa, absoluerlo la primera vez con proposito de buscar otra, y echarla luego que pueda.] Ita ille.

Verùm Tabiena *verb. concubinatus, n.2.* docet expressè posse absolui concubinarium promittentem abstinere, licet non abijciat concubinam; & hanc sententiam probat ex multis Ioan. Sanch. *in select disp.10. per totam*, vbi *n.4.* plus addit, scilicet, & si concubinarius ter, aut quater confessus in promissione elongandæ concubinæ defecisset, specialiter si præteritis vicibus aliqua, licet modica, emẽdatio esset inchoata, vt si mos esset inter concubinarios qualibet nocte eundem lectum occupare; post interpositas verò confessiones tertia nocte tantùm accubarent, absoluendus erit. Sic ille. qui *n.8.* etiam tenet, quòd si statuerimus non fore absoluendum concubinarium sæpè admonitũ vsque dum expulerit concubinam, id intelligendum est, dum indicia doloris; & propositi fuerint ordinaria: at si extraordinaria inueniantur, puta lachrymarũ copia, suspiria ingentia, &, vt dici solet, cælum attingentia, & proponat, quãprimùm tempus patiatur, concubinam è sua domo expellere, absoluendus erit, etsi millies id promisisset, quia indicia præsentia superant præterita, coguntque Confessarium fictitia non esse credere; at vera dispositione existente constringi Confessarium beneficium absolutionis impertiri, nisi excusetur prudentialiter, quia cogitet fictitiam esse ob præterita, & præsentia indicia, nullus in dubium reuocauit.

Verùm his non obstantibus ego puto, quòd quando pœnitens tenetur deserere occasionẽ peccandi, etsi possit Confessarius semel, aut iterum absolutionem concedere, antequã de facto expellat, eo quòd fidit expulsurũ, rarò tamen illam concedere debet, sed potiùs cogere pœnitentem, vt à se peccati periculum expellat, & sic liberum velit absolui. Moueor ad id affirmandum experientia magistra, rarò enim pœnitens (præcipuè si ex illis est, qui semel in anno ad confessionem accedunt) occasionem expellit iam absolutus, sed iterum eisdem, & grauioribus peccatis se implicat, & Confessarius non solùm officium iudicis, sed Medici debet exercere circa pœnitentem, ac proinde esto iudicet esse ritè dispositum ad absolutionem ratione firmi propositi, quod de præsenti habet, ideoq; posset ex officio iudicis illi absolutionem concedere: at ex officio Medici tenetur medicamentum apponere, quod videt esse vnicè necessarium ad præcauendum futura peccata, timere enim iustè potest non fore remouendam occasionem si absolutionem non remota occasione concedat. hæc omnia docet Palaus *to.1. tr.2. disp.2. punct.9. §.3. n.18.*

Nec desinam hîc apponere ea, quæ circa præsentem quæstionem docet Megala *in promptuario, verb. concubina, n.6.* sic enim ait. Concubinarij ita secreti, vt absque vllo scandalo simul commorari valeant, absolui possunt, quando arbitrio prudentis Confessarij nullum adest recidiui periculũ, cessat enim tunc omnis causa, ob quam est separatio indicenda; sed rarissimè hoc euenire solet, vt dicit Nauarr. *in manual. c.16. n.20.* nec illos absoluendos esse dicit, nisi habeant propositum deliberatum numquam conuersandi opere, animo, aut voluntate Si verò non sunt ita secreti, vt absque vllo scandalo simul cõmorari valeant, nempe quia vnus, aut duo sciunt concubinatum, tunc absoluendi non sunt, nisi separentur, quia etiam vnius, aut duorum scandalum est vitandum, vt contra Angelum suprà tenet Sylvester *in d.n.2.* Et hoc dicas procedere etiam in articulo mortis, nisi vrgeat mors, & tempus desit, tunc enim propositum sufficit, vt dicit Toletus

in

*in d.cap.*10.*n.*13.vbi etiam addit extra talem articulum primùm eſſe ſeparandos, & poſtea abſoluendos. Intellige quando adeſt recidiui periculum, aut aliquod ſcandalum quoad illos, qui in eadem domo non habitant, ſed concubinarij ſunt ob continuatam fornicationem, dicit aliquam experientiam ſumendam eſſe de illorum continentia ante abſolutionem; præſertim ſi ſæpe propoſuerunt ſe continere, & propoſitum fregerunt nec tam perfecta contritio in illis apparet. Et quod dictum eſt de concubinarijs non ſecretis, dicit Nauarr. *in d.* c.16.*n.*20. procedere quoad eos, qui etſi concubinarij non ſint, populus tamen credit tales eſſe quia non ſunt abſoluendi, niſi ſeparentur, donec veritas illuceſcat, cùm non ſolùm ab omni malo, ſed ab omni ſpecie mali cauendum ſit. Hactenus Megala.

RESOL. CVIII. *An in aliquo caſu concubinarius non teneatur è domo expellere concubinam, ita vt Confeſſarius poſſit ei licitè abſolutionem impendere?*

ALiquos caſus enumerat Ioan. Sanch. *in ſelect. edit. Lugdun. diſp.*10.*num.*20. vbi ſic ait. Infero negandam non eſſe abſolutionem ei, qui ſuæ concubinæ, quam domi habet, mutuo dedit centum aureos, quorum recuperandorum ſpes nulla ſupererit, ſi domo illam eiiciat. Vel è contra ſi femina non recuperatura eſſet centum ſibi debita, ſi domum concubinarij deſereret. dictum eſt enim ſuprà, quòd nullus teneatur occaſionem proximam vitare cum magno ſuo detrimento, nec tunc dicetur velle occaſionem, ſed permittere, cùm non abigere occaſionem non oriatur, quia velit pœnitens in illa permanere; ſed quia velit non incurrere dānum, quod abiecta occaſione obueniret. Vnde nec tenebitur domo eijcere concubinam, ſi concubinario ſit nimis vtilis ad lucrandum bona tēporalia, media negotiatione: ſicut enim qui diues eſt, & officio laborioſo fungitur, vt ferrarij, vel lignarij, aſtrictus non eſt in die ieiunij ab officio ceſſare, nec qui ad nundinas properat, tenetur in die feſto Miſſam audire, ſi ob id occaſio accedendi elabatur, quantumcumque intendat ad nundinas ire cauſa augendi lucrum: ſic nec concubinam eiicere, erit obnoxius concubinarius, ſi ex eiectione magnum emolumentum eſſet non acquiſiturus; ſufficiet namque proponere deinceps non peccare. Imò & ſi concubina nimis vtilis eſſet ad oblectamentum concubinarij, vulgò, *regalo*, dum deficiēte illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium affecerint, & alia famula ad id nimis difficilè adinueniretur, eiicere illam non erit concubinarius obligandus, quia oblectamentum dictis circumſtantijs conſideratū eſt maioris æſtimationis, quàm quodcumque horum temporale, ob quod fas erit cuique de nouo admittere feminam ad ſui famulatum, quantumcumq; metuat labendi periculum, ſi aliā non inueniat paris qualitatis illis in rebus, quæ ſibi ſunt maximè vtiles; ſi namque ob hanc cauſam iam receptam expellere non conſtringitur, eodem iure de nouo admittēte illam erit conceſſum.

Sed an hæc ſint probabilia, alijs iudicandum relinquo, quilibet enim tenetur ſaluti proprię ſpirituali conſulere etiam cum aliquo temporali, & corporali detrimento. Et ideo primum caſum, quem *vbi ſuprà*, ponit Sanchez, refellit nominatim Caſtrus Palaus *tom.*1.*tract.*2.*diſp.*2 *punct.*9.§.3.*n.*14. docens eiiciendam eſſe concubinam è domo, & amittendum debitum, ex cuius amiſſione concubinario non graue damnum veniat. Sed poteſt aliquis dicere. Ergo ſecundùm Palaum ſi graue damnum ex amiſſione debiti concubinarius patiatur, non eſſe concubinam è domo eijciendam, ideo tu cogita.

Notandum eſt tamen hîc non eiecta concubina poſſe aliquem abſolui pœnitentem, cùm ceſſat reincidendi periculum, quia deformis facta eſt, vel infirma, aut quia cognatio inter eos eſſet ſuborta, quæ ab ipſis contemni non creditur, aut noua alia interſint obſtacula. Ita ex Graffio, Fernandez, & Lopez *loco citato*, vbi ſuprà *num.*12. & Caſtrus Palaus *num.*16.

RESOL. CIX. *An Confeſſarius poſſit abſoluere concubinarium amplius cum concubina non peccantem, permittens illam inuiſere ſine alendi filios, & ne cum alijs ipſa ſe immiſcendo ſit dictis filijs dedecori?*

NEgatiuam ſententiam docet Beia *p.*1. *caſ.*14. quia talis nihil æſtimat peccatum ſcandali, in quod conijcit illos, qui vident ipſum ingredi domum concubinæ, de quo ingreſſu non poſſunt nō malè iudicare, tum, quia licet illa ſubuentio ſit opus charitatis reſpectu feminæ, & iuſtitiæ reſpectu filiorum, cùm tamen occultè, & per alios fieri rectè à viro illo poſſit abſque hoc, quòd ipſe ingreſſu ſuo det occaſionem ruinæ, & temerarij iudicij videntibus, non poteſt à peccato ſcandali excuſari, vt colligitur ex D. Thoma 2.2.*q.*43. Tum demum, quia etſi ille non habeat animum accedēdi denuo ad dictam concubinam, præbet tamen eidem concubinæ anſam ſua frequenti viſitatione, vt verbis, voluntate, aut delectatione peccet, tarò enim inter quos extitit diuturna illicitæ concupiſcentiæ familiaritas, diſſolui, & extricari adeò poteſt, vt non remaneant quædam effrenatæ libidinis ſcintillæ, quæ conſpectu mutuo facilè reuiuiſcant.

Verùm nouiſſimè aduersùs illum inſurgit Ioan. Sanchez *in ſelect. edit. Lugd. diſp.*10.*num.*9. vbi ſic ait. Non eſt credendum Patri Beia inquienti non fore abſoluendum concubinarium inuiſentem concubinam ſine alendi filios, ſi ex ingreſſu oritur ſcandalum. Mutatur namque ſcandalum in paſſiuum, cùm ex iuſta cauſa non omittatur. Sic ille. Sed plus addit Caſtrus Palaus *tom.*1.*tract.*2.*diſp.*2. *punct.*9.§.3.*num.*11. nempe poſſe, imò teneri parentem alere filios ex concubina, qui nec ſeparari poſſunt à matre, neque alia via poſſunt victum quærere, etſi periculum habeat lapſus cum concubina. Ita Caſtrus. Sed ego in tali caſu non video cur concubinarius per alios non poſſit filiis alimenta dicta præſtare, vel cum alijs ſocijs ita in domum meretricis intrare, vt ſcandalo locus eſſe minimè poſſit.

RESOL. CX. *An concubina poſſit confiteri cum confeſſario concubinario?*

REſpondeo affirmatiuè, in rigore loquendo, imò vt obſeruat Sanch. *in ſelect. edit. Lugd. diſp. 11. num. 16.* aliquando poterit eſſe expediens concubinarium Confeſſorem excipere confeſſionem ſuæ concubinæ, ſi expediret ſcilicet feminæ apud alium Confeſſarium non infamari, vel quia vult femina citiùs à peccato liberari, aut quia ille, qui rem habuit cum illa, ſcit meliùs conſcientiam feminæ ſcrutari. Si tamen periculum interueniret noui cõſenſus carnalis, aut defectus doloris, illicitum eſſet confeſſionem auſcultare, vt docet Baſil. de Leone *lib. 7. de matrim. c. 38. n. 3.* à quo diſcedo, quatenus ait huiuſmodi periculum ferè ſemper reperiri, & ob id cenſet nunquam licere, niſi in rariſſimo caſu confeſſionem concubinæ excipere. Imò licet publicum ſit Confeſſarium, & feminam in concubinatu vixiſſe, fas erit ipſius admittere confeſſionem, cùm ex actione de ſe licita nullum poſſit offerri actiuum ſcandalum, dum aliàs quoque actio mali ſpeciem non præferat. Vnde deceptus maximè fuit Fagundez *præcept. 2. lib. 4. cap. 3. num. 35.* arbitrans eſſe mortale Confeſſarium auſcultare confeſſionem ſuæ concubinæ, eo quòd *in cap. fin. 30. q. 1.* id dicat decerni. At non percepit textum, ibi namque ſolùm præcipitur Confeſſarium non commiſceri cum femina, cuius confeſſionem audierat; non verò præcipitur è conuerſo, vt non auſcultet confeſſionem eius, quam carnaliter cognouerat. Iamque illud decretum Cœleſtini, quo deceptus fuit Fagundez, reuocatum eſt per Papam Bonifacium VIII. Et hæc omnia docet Sancius *in ſelect. loco citato, vbi ſuprà.*

Quòd verò circumſtantia copulæ cum Confeſſario, vel pœnitente non ſit neceſſariò in confeſſione aperienda, docuerat antea Sanchez, & me citato *in 1. p. tr. 9. reſol. 12.* docet etiam nouiſſimè *vbi ſuprà num. 5.* & docet probabilem eſſe Hurtadus *de matrim. diſp. 18. diffic. 1. num. 4.* Fagundez *præcept. 2. lib. 4. cap. 3. n. 3.* & alij. eſt enim tantùm circumſtantia aggrauans, quæ quidem contra Celayam *in 4. ſent. diſt. 17. q. 2.* non eſt neceſſariò confitenda, etiamſi de illa pœnitens interrogetur à Confeſſario, non enim habet ius Confeſſarius ad interrogandum de circumſtantijs aggrauantibus, vnde nulla ei irrogatur iniuria ſi occultentur. Hinc non eſt audiendus doctus Souſa *de Confeſſ. ſollicit. tract. 1. cap. 3. n. 15. & 16.* aſſerens Confeſſarium ordinarium habentem copulam cum confeſſionis filia, incurrere in circumſtantiam mutantem ſpeciem, non tamen Confeſſarium ſemel, vel iterum confeſſionem excipientem, eo quòd vinculum cognationis ſpiritualis non oriatur ex nuda miniſtratione Sacramenti, ſed ex ſuſcepta cura pro pœnitente. Verùm optimè Sanchez *vbi ſuprà num. 2. in fine*, refellit hanc ſententiam, quia cura medendi pœnitentis ex prima confeſſione Confeſſario incumbit, niſi quod vna cura continuatur magis, quàm alia. ergo, &c. Et idem dicendum eſt ſi Confeſſarius cum filio confeſſionis præpoſtera Venere accubaret, vel è contra, non enim tenerentur hanc circumſtantiam aggrauantem in confeſſione aperire. Vide me ipſum *vbi ſuprà.*

Sed quæritur, an Confeſſarius, qui peccata pœnitentis audiuit, & non abſoluit, ſi poſtea cum ipſa fornicetur, incurrat in hanc circumſtantiam aggrauantem? Affirmatiuè reſpondet Sanchez *loco citato n. 7.* cum Freyta *ad Acugnam tract. de Confeſſ. ſollicit. q. 13. num. 32.* & Graffius *tom. 1. lib. 4. de cognat. ſpiritual. num. 20.* quia talis confeſſio ſacramentalis eſt, nec reuelanda. ergo. Verùm partem negatiuam videtur tenere Henriquez *lib. 1. c. 14. n. 8.* & Sotus *in 4. diſt. 42.* dum filiationem ſpiritualem abſolutioni tribuunt, à qua reconciliatio, & filiatio ad Deum prouenit, & ſecundùm aliquos confeſſio, cæterique actus pœnitentis concurrunt, in ſacramento Pœnitentiæ ſolùm vt materia, gratia verò ſolùm per abſolutionem cauſatur. Sed vt verum fatear, pro praxi in noſtra ſententia hæc quæſtio parum refert. nam ſi nos negamus Confeſſarium, qui abſolutionem dedit pœnitenti, teneri hanc circumſtantiam confiteri; idem dicendum erit de Confeſſario, qui audiuit, & non abſoluit, etiamſi in hoc caſu hanc circumſtantiam aggrauantem incurreret.

RESOL. CXI. *An quis teneatur aliquando confiteri cum Confeſſario, de quo dubitatur an habeat iuriſdictionem?*

CAſus poteſt frequenter accidere: vt, verbi gratiâ, quis ratione ſcandali, vel præcepti tenetur celebrare, vel communicare, & non adeſt niſi Confeſſarius approbatus in aliena Diœceſi, quæritur an in hoc caſu ſit cum dicto Confeſſario ante celebrationem, vel communionem præmittenda confeſſio? & affirmatiuam ſententiam docet Cornejo *in 1. 1. D. Thom. tract. 8. diſp. 4. dub. 2. in fine*, vbi ſic ait. Colligitur vltimò non licere Confeſſario, nec pœnitenti vti iuriſdictione dubia ſine magna neceſſitate, & ad euitandum graue damnum, & tunc ſub conditione. Ita Suarez *3. part. tom. 4. diſput. 26 ſect. 6.* quòd non liceat regulariter, & per ſe loquendo, patet ex dictis, quia vterque exponeret ſe periculo ſacrilegij efficiendo Sacramentum nullum; in quo dubio tenetur partem tutiorem eligere; quòd verò liceat per accidens in caſu neceſſitatis, & nocumenti vitandi, probatur, quia poſitis his duabus conditionibus aufertur obliquitas actus. nam neceſſitas eſt cauſa vt non fiat temerè, nec ex mera, & irrationabili voluntate; conditio verò ſub qua Confeſſarius vtitur tali iuriſdictione, tollit periculum. nam ſi adeſt vera iuriſdictio, fiet Sacramentum; ſi verò non adſit, non fit iniuria Sacramento, quia conditionalis nihil ponit in eſſe; vbi nota non ſolùm in his caſibus eſſe licitum vti iuriſdictione dubia, ſed etiam eſſe neceſſarium ad euitandum ſcandalum, aut graue aliquod inconueniens: vt ſi ſcandalum ſequatur ex eo, quòd pœnitens non communicet, aut non celebret, tunc enim tenetur præmittere confeſſionem dubiam, ſi non poteſt certam, & confiteri peccata ſua dubio Confeſſori, ſi non habet copiam alterius, nec ſolus actus contritionis ſufficit. Hæc omnia Cornejo.

Sed

Sed aduersùs illum inſurgit Sanchez *in ſelect. edit. Lugd. diſp. 44. num. 13.* vbi ita aſſerit. Obiter aduertendum maximè erit Sacerdotem habentem lethale crimen, & volentem celebrare, neque inuenientem Confeſſarium, qui ſit ab Ordinario proprio approbatus, non fore conſtrictum ſua crimina aperire approbato in aliena Diœceſi, quia tunc merito arbitratur copiam Confeſſarij deficere, nec tenetur quis aliorum opinionem ſequi, propria deſerta, & multo minus in materia Sacramentorum, vbi ſacrilegij periculum euenire poterit. Sic ille. Putat igitur in tali caſu deficiente Confeſſario certo, non eſſe præmittendam confeſſionem cum Confeſſario dubio.

RESOL. CXII. *An qui Sacerdotes ordinantur, & cum Epiſcopo conſecrant, poſſit vnuſquiſque applicare illud Sacrificium, cui voluerit?*

CAſus eſt curioſus, & ad illum reſpondet Ludouicus Mæratius *in D. Thomam tom. 3. tract. de ſacram. Euchariſt. diſputat. 38. ſect. 8. num. 4.* vbi ſic ait. Dum plures Sacerdotes ſimul conſecrant, & conſecrando ſimul vnum, idemque ſacrificium Miſſæ offerunt, ad eorum quemlibet perinde pertinere illius applicationem, atque ſi ſolus offerret, quia quilibet eſt illius totius vera cauſa per ſe independenter ab alio, vnde & poteſt independenter ab alterius voluntate illud integrè cui voluerit applicare, quod proinde ſic à ſingulis applicatum diuerſis perſonis, proderit omnibus, quibus applicabitur, quia prodeſſe debet alicui; nulla autem ratio eſt, cur vni potiùs proſit, quàm alteri. Sic ille.

RESOL. CXIII. *An qui iudicat magis probabiliter aliquod peccatum commiſiſſe, vel confeſſum minimè fuiſſe, teneatur illud confiteri?*

DIximus alibi, quòd ſi quis æquè probabiliter iudicet peccatum non commiſiſſe, vel confeſſum fuiſſe, non teneri illud in confeſſione manifeſtare. Sed difficultas eſt, quando magis probabiliter iudicem ſe non fuiſſe confeſſum, vel peccatum non commiſiſſe? Et negatiuam ſententiam olim ego docui, quam ſcio diſplicuiſſe cuidam viro docto, & amiciſſimo. Sed immeritò quidem, & ideo illam nouiſſimè docet Ludouicus Mæratius *in D. Thom. tom. 3. tractat. de ſacrament. Pœnitent. diſput. 26. ſect. 3. num. 4.* vbi ſic ait. Quod alij communiter aſſerunt peccata dubia eſſe in confeſſione explicanda, intelligendum eſt, vt & ipſi intelligunt, quando is verè de illis eſt dubius, tunc autem ſolùm eſt cùm ita vacillans, & animo ſuſpenſus eſt, vt de neutra contradictionis parte determinatè, quòd ſcilicet commiſerit, vel non commiſerit, quòd ſit, vel non ſit mortale, quòd confeſſus antea fuerit, vel non, ferre iudicium probabile queat. Quare dum probabiliter iudicat ſe non commiſiſſe, vel peccatum mortale non eſſe, vel ſe antea confeſſum fuiſſe, non obligatur confiteri, etiamſi æquè probabiliter, imò fortè oppoſitum probabilius iudicet; multoque minus ad id obligatus cenſeri debet dum ſtante illo priori probabili iudicio ſuſpicionem tantùm, aut formidinem de oppoſito habet. Non enim hæc formido ſuſpicioque vera dubitatio eſt, cùm probabile iudicij de vna determinatè parte contradictionis non excludat, quod excludit dubitatio. Ratio autem eſt, quòd in rebus practicis licitum ſit, & tutum ſequi probabilem opinionem, relicta contraria, licet æquè probabili, aut etiam probabiliori; quod autem nulla ſit obligatio confitendi peccata, de quibus habet pœnitens probabile iudicium, quòd ea vel non commiſerit, vel mortalia non ſint; vel olim confeſſus fuerit, probabilis ſaltem opinio eſt. Ita Mæratius, & ego. Vnde ex his apparet refellendum eſſe Duuallium, qui nouiſſimè *in 1. 2. Diui Thomæ, tractat. de humanis actionibus, quæſt. 4. art. 12.* docet, eum qui ex opinione etiã probabiliori aliquod peccatum in confeſſione taceret, peccaturum, exponeret enim ſe periculo errandi circa integritatem confeſſionis, certum quippe illi eſt declarationem peccati eſſe viam certam, & vndequaque ſecuram, aliam autem incertam, aut ad amplius probabilem. Sed fallitur vir doctus, nam qui relinquit confiteri peccatum ex opinione probabili, nullo periculo ſe exponit quoad validitatem confeſſionis, vt pluribus in locis à me ſatis probatum eſt, & præcipuè contra Peregrinum *in 3. parte, tract. 2. reſol. 3. & in parte 4. tractatu 4. reſol. 4.*

FINIS.

ADDENDA ATQVE EMENDANDA in hac quinta parte Reſolutionum moralium R. P. ANTONINI DIANÆ.

IN TRACTATV I.

De immunitate Eccleſiaſtica.

RESOL. IX. *pag.* 14. *circa finem reſol.* deleantur illa verba: *Et ita audiui à fide digno, tenere ſacram Congregationem immunitatis.* & addantur hæc in fine, Quibus etiam poſt hæc ſcripta viſum adde Ioan. Baptiſt. Ciarlinium *controu. forenſ. cap.* 10. *à num.* 61. *vſque ad num.* 107. vbi, me citato, firmat poſt Bullam Gregor. requiri probationem veram, & plenam de delictis in illa exceptuatis, & in facti contingentia adi illum, & non pigebit, fusè enim & ſolidè quæſtionem pertractat, & reſpondet ad breue Clem. VIII. directum noſtro Archiepiſcopo Panorm.

RESOL. XIX. *pag.* 26. *in fine reſol.* vbi *Eccleſiaſticos non eſſe vaſallos Principis ſecularis*, deletis ijs quæ ſequuntur, ponantur iſta: Sed quicquid ſit de hac opinione, nam Salas *de emp. dub.* 9. *num.* 3. & alij, aſſerunt Clericos eſſe vaſallos Regum, ego, vt dixi, ex alijs rationibus ſententiam Souſæ reprobandam eſſe puto.

IN TRACTATV V.

De paruitate materiæ.

RESOL. V. *pag.* 161. *in fin. reſol.* adde. Et tandem hanc ſententiam nouiſſimè validiſſimis firmat rationibus Nicol. Baldelli *lib.* 3. *diſp.* 14. *num.* 3. *& ſeq.* vbi etiam notat Clem. VIII. in officio ſanctæ Inquiſitionis contrariam opinionem damnaſſe, vnde puto illam neque ſpeculatiuè, neque in praxi ſuſtinendam eſſe.

Notandum eſt etiam hîc obiter, Leſſium *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 8 *num.* 62. docere contrectationem partium verendarum, non ex delectatione, ſed ex motiuo curioſitatis, non eſſe peccatum mortale. Sed hæc opinio ſi tactus efficeretur cum alia perſona, mihi non placet. Et ita etiam tenet Sanch. *de matr. tom.* 3 *lib.* 9. *diſp.* 46. *num.* 11.

Nota etiam ex dictis me rectè his diebus conſuluiſſe contra Caiet. *in* 2. 2. *q.* 154. *art.* 4. *ad* 2. *& in ſum. verb. chorea, in fine*, & contra Tabien. *in ſum. verb. oſculum*, tangere manum, vel intorquere digitos, vel brachium vellere, aut premere fœminę pedem, ex delectatione quæ in hoc faciendo ſentitur, eſſe peccatum mortale, ſi delectatio quæ ex dictis capitur, & propter quam fiunt, ſit venerea. nam, vt dictum eſt, in tali delectatione non poteſt dari paruitas materiæ; quod etiam nouiſſimè docuit Iac. Gordonus *in Theol. moral. lib.* 1. *q.* 12. *n.* 21. *& lib.* 6. *q.* 11. *cap.* 7. §. 2. *num.* 27.

RESOL. XIV. *pag.* 166. *in fine reſol.* addantur hæc: Et præſertim Baſil. Pontius *de matr. lib.* 10. *cap.* 2. *num.* 5. Non deſinam tamen hîc apponere ea, quæ circa præſentem quæſtionem docuit Adamus Tannerus *tom.* 4. *diſp.* 8. *q.* 6. *dub.* 2. *num.* 16. vbi ſic ait. Quoties ſecluſa cauſa iuſta negandi debitum, alter coniux, non obſtante excuſatione, ſeriò inſtat, & vrget debitum, mortale eſt negare debitum. Ex quibus colligitur, nec paruitatem quidem materiæ tali caſu à peccato mortali excuſare, etiamſi vel ſemel tantùm iuſtè, ac inſtanter petenti (eſto ex parte petentis interueniat quædam intemperantiæ culpa) debitum negetur. Nimirum, quia vnicus etiam actus coniugalis, non ſolùm tamquam debitum fidei coniugalis, ſed etiam vt remedium concupiſcentiæ, & prolis, ſeu poſteritatis ſeminarium, grauis materia eſt. Quare non intelligo quod Sanchez *lib.* 9. *diſp.* 2. *num.* 11. docet, ſi coniux exigenti neget rarò debitum abſque periculo incontinentiæ exigentis, non eſſe mortale negare debitum. v.g. inquit, ſolet vir petere quater in menſe, & petat iterum, non erit mortale vxorem ea quinta vice negare, ſine periculo incontinentiæ. Leuis enim res cenſetur ſemel, vel iterum negare, vt ſit culpa lethalis. Sed re vera ſi ſeria, & conſtans ſit petitio, tam rarò petenti negari non poterit ſine peccato mortali; quia reſpectu tantæ raritatis non poteſt videri parua materia, etiam vnica debiti negatio. Huc vſque Tannerus. Verùm ſententiam Sanch. quam ipſe impugnat, inuenio docere etiam Pet. Ochag. *de ſacr. Matr. tract.* 5. *q.* 1. *num.* 6. vbi firmat, eſſe peccatum leue denegare debitum, quando rarò denegatur, vt ſi vir quater ſoleat petere in menſe, non eſt mortale quinta vice debitum in menſe denegare. Ita ille. Sed quicquid ſit de hoc, ſuadendum eſt coniugibus, vt faciles ſe in hac re oſtendant, ne ſua moroſitate animum coniugis ad amores illicitos auertant.

RESOL. XLVI. *pag.* 178. *in fine reſolut.* hæc addantur: Notandum eſt etiam hic, quòd ſicut in excommunicatione datur paruitas materiæ, ſic etiam danda eſt in actionibus pro quibus irregularitas incurritur, & ideo ratione paruitatis materiæ excuſandus eſt ab incurſione irregularitatis, ſi quis reo dicat vt aſcendat alterum gradum ſcholæ. Ita Henriq. *lib.* 14. *c.* 12. *n.* 7. & poſt illum Villalobos *in ſum. tom.* 1. *tract.* 21. *diffic.* 27. *num.* 13.

Sed ego puto in tali caſu, & ſimilibus non ſolùm aliquem excuſari ab irregularitate ratione paruitatis materiæ, ſed quia probabiliter ſoli illi ſunt irregulares ex defectu lenitatis, qui cooperantur, nec tamquam miniſtri iuſtitiæ; ex quo fit, alios omnes, qui cùm non ſint miniſtri iuſtitiæ, videntur aliquid facere, aut dicere, ex quo mors citiùs ſequitur, non eſſe irregulares. Ita ego alibi cum Vaſq. Turriano, Hurtado. &, me citato, nouiſ-

nouiſſimè hanc ſententiam docet etiam Cœleſtin. *in comp. Theol. mor. tr. 4. c. 5. q. 1.*

RESOL. LVIII. *pag.* 183. *in fine reſol.* adde: Et idem videtur docere Fagund. *pr. 1. lib. 3. cap. 18. num. 6.* vbi videtur agnoſcere paruitatem materiæ ex parte temporis in celebratione Miſſæ; nam poſtquam dixit eſſe peccatum mortale notabiliter ante auroram ſacrificare, ſubdit. Videndum nunc eſt, quænam ſit iſta notabilitas, vt inde mortale, vel non mortale colligamus. Et adducit Azorium *tom. 1. lib. 10. cap. 25. quæſt. 6.* dicentem, tertiam partem horæ eſſe tempus notabile ante lucem, & ſufficere ad peccatum mortale. Et Henriquez *lib. 9. cap. 24. num. 5. in fine*, dicentem dimidium horæ ante lucem ſufficere ad peccatum mortale, quam ſententiam ipſe Fagundez ſequitur, vnde videtur indicare minus ſpatium temporis ſufficere ad peccatum veniale, non ad mortale. Sed circa præſentem quæſtionem ne deſeras videre vbi ſuprà Lugum inter Theologos noſtri temporis nemini ſecundum.

IN TRACTATV VII.

De Scandalo.

PAgin. 223. *in fine tractat.* adde quæ ſequuntur: Poſtquam Lugdunum typis excudendum præſentem Tractatum miſeram, peruenit ad manus meas Tractatus *de Fide, Spe, & Charitate*, compoſitus à viro doctiſſ. & amiciſſ. P. Gaſpare Hurtado, Illuſtriſſ. Societ. IESV Theologo, & vt ſuprà ab altero Hurtado, Petro videlicet multa non ſine Lectorum iucunditate, & vtilitate, vt reor, mutuati ſumus, viſum eſt etiam hîc apponere aliqua ad elucidationem ſupradictorum, non minus eruditè à dicto Gaſpare obſeruata, maximè cùm eius Codex non ita facilè inueniatur. Aſſerit igitur

Primò, famulus, qui nequit facilè inuenire herum, & tam vtilem ſibi, poteſt quando in eo non eſt praua intentio, & non conſtat herum ex paſſione, aut ignorantia abuſurum iuſſu ipſius heri videre, quò fœmina aliqua eat, & vbi habitet, eiq́ue munuſcula deferre, herumq́ue comitari ad domum concubinæ, ſiue cauſa honoris, ſiue defenſionis heri, & ei pedem ſuſtinere ad ingrediendum per feneſtam domum concubinæ, & ei picturam concubinæ emere, & ire ad concubinam, & ei dicere: Herus meus te vocat, & eam ad domum heri comitari, & ianuam ei aperire, & eis lectum ſternere; non tamen poteſt eam inuitare ad actum ipſum inhoneſtum cum hero, nec literas heri eã ad id inuitantis deferre; ſicut nec literas heri prouocantes aliquem ad duellum, nempe, Conueniamus tali hora, & tali loco pugnaturi, ſi famulus ſaltem probabiliter credat literas eſſe inuitantes ad actum inhoneſtum, vel ad duellum (quod addimus, quia quamuis dubitet, an litteræ ſint inuitantes, poſſe eas deferre, affirmant Rebell. *lib. 2. p. 1. q. 14. n. 5.* & Caſtro *punct. 11.*) & etiam poſſe literas aliter amatorias non inuitantes deferre, ſicut & literas ad duellum pertinentes, non inuitantes, nempe, Conueniamus tali hora, & tali loco, non addendo, pugnaturi, & poſſe ſimiles literas iuſſu heri ſcribere. Poteſt autem miniſtrare, & exhibere omnia, quæ diximus poſſe, quia omnia ea ſunt ex ſe indifferentia, quę poſſunt vſui bono, & malo deſeruire, & aliàs ſupponimus herum non abuſurum ex paſſione, nec ex ignorantia, & adeſt vtilitas famulo in ea adminiſtratione materiæ, & in ea exhibitione miniſterij, imò etiam incommoditas, ſi id recuſet, quia id ægrè feret herus, vt crẽdi poteſt. Et eadem omnia poteſt filius ad mandatum parentis, præſertim ſi ex omiſſione indignationem patris timeat, & eadem omnia, quæ poſſunt famulus, & filius, etiam poteſt quilibet alius titulo alicuius conſiderabilis vtilitatis ſibi accreſcentis, & multo meliùs titulo vitandi aliquod graue incommodum, aut damnum. Imò ad hoc vitandum poteſt ea miniſtrare, aut exhibere, quamuis ſcandalizandus id ſit effecturus ex paſſione, aut ex ignorantia. Addimus licitum eſſe alicui præbere munera concubinæ iudicis, & ab ea petere, vt intercedat pro ipſo apud iudicem, quando interceſſione illius ſperat fauorabilem ſententiam, & ei non ſe offert alia via facilis obtinendi talem ſententiam, quia id poſſunt concubina, & iudex licitè efficere, & poſſunt ſi velint non ſe inijcere in periculum probabile turpis amoris.

Nota ſecundò, miniſtrare cibaria in die ieiunij ei, qui frangit ieiunium, aut creditur fracturus, eſt licitum, quando illorum miniſtratio, ſiue ea donando, ſiue vendendo, ſiue ea menſæ miniſtrando, ſiue ea emendo illi, eſt vtilis miniſtranti, ſi abuſus futurus eſt ex malitia, qualis præſumitur, dum oppoſitum non conſtet. Famulus ergo, qui nequit facilè inuenire alium herum, & ſibi tam vtilem, poteſt, ſi in ipſo non ſit praua intentio, hero frangenti, aut fracturo ieiunium emere cibaria, & ea condire, & ea menſæ miniſtrare, quia ei eſt vtile hero famulari. Et eodem modo poteſt hero infideli emere idolum, quamuis herus ſit eo abuſurus, & eum ad templum idolorum comitari, dum non conſtet herum abuſurum eſſe prædictis ex paſſione, aut ex ignorantia. Et hæc omnia docet Gaſpar Hurtad. *vbi ſup.* citatus *diſput. 10. diffic. 9.* quicquid alij, quoad præſtanda munera concubinæ iudici aſſerant; ſed intelligendi ſunt dum alia via ius conſequi poſſit à iudice. Vnde ſententiam Hurtadi præter alium Hurtad. *vbi ſup.* citatum, & alibi Caſtr. Palaum, docet etiam Molfeſius *in ſum. tom. 1. tract. 8. cap. 10. n. 62.* nec in hoc inijciendus eſt ſcrupulus ligantibus. Nota verò quòd Molfeſius *num. 61.* diſſentit ab Hurtado, quando ſeruus admoueret, v. g. ſcalas, vt herus aſcenderet per feneſtras, quia ſic actionem iniurioſam infert domino domus. ergo peccat contra iuſtitiam, & admotio ſcalæ eſt cooperatio proxima ad peccatum heri; ſed ſententiam Hurtadi tenet etiam Caſtrus Palaus, & alij *ſuprà* in hoc tractatu citati.

Nota tertiò licitum eſſe ex honeſta cauſa offerre alteri occaſionem peccandi medio indifferente, & meritò, quia offerre occaſionem peccandi medio indifferente, non eſt intrinſecè malum. ergo poteſt ex aliqua honeſta cauſa excuſari à peccato, præſertim ex cauſa vtili ipſi offerenti, aut magis

vtili ſcandalizando. Vnde pater, vel herus deſiderans experimentum capere de fidelitate filij, vel famuli, aut eum cautum reddere in futurum, non peccant relinquendo clauem in arca, quaſi oblitam, & apponendo ei nummos, vbi eos poſſit facilè inuenire, & furari; nec maritus peccat, qui cum vxore paciſcitur, vt amaſio eam ad adulterium ſollicitanti dicat: Contenta ſum vt venias hac nocte tali hora, dum non addat, & commiſcebimur, vel æquiualens. vt ſi fortè veniat deprehenſus caueat in futurum vel punitione, vel metu, vel alio medio licito. quia verba illa non ſunt intrinſecè mala, ſed indifferentia, ac proinde poſſunt honeſtari ex aliqua cauſa honeſta. Ita ille *diffic.* 11. Vnde ego olim conſului Superiorem regularem potuiſſe ſine aliquo peccato ſcandali claues Monaſterij relinquere in quodam loco, quaſi oblitas, vt poſtea in flagranti inueniret ſubditũ aperientem portam, & hoc in eius vtilitatem; atque ita etiam docet Layman *lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 13. *n.* 4.

Nota quartò qui vinum in graui quantitate deponit apud tabernarium vendentem illud aqua mixtum peccat, & primariò contra iuſtitiam, quia tunc tabernarius quaſi nomine deponentis vendit illud, quia illud adhuc eſt deponentis, & tenetur ad reſtitutionem, non reſtituente tabernario. Si verò vinum non ſit depoſitum apud tabernarium, ſed ei venditum, ſi quando venditum fuit, vendens timebat probabiliter eum illud aquatum venditurum, peccat contra iuſtitiam ſecundariò (niſi alij non poterat vendere, & illud non vendere eſſet ei graue, & moleſtum) non tamen tenetur ad reſtitutionem, quia non peccat directè contra iuſtitiam. Ita ille *diffic.* 7. ſed de hoc caſu vide ea, quæ ſuperiùs dixit Merolla.

Nota quintò Petrum, verbi gratia, qui inuitat eum, qui paratus eſt ad occidendum aliquem, & qui eum aliàs occiſurus eſt, non peccare, nec incurrere irregularitatem, ſi inuitatio cedat in bonum occidendi: vt ſi Petro occiſuro hodie aliquem ſuadeat, vt occidat cras, & occiſuro in hoc loco, vt occidat in diſtantiore, vt mutatione loci, vita occidendi protrahatur; & eum qui inuitat eum qui eſt paratus ad furandum, & qui aliàs furaturus eſt, non peccare, nec ad reſtitutionem teneri, ſi inuitatio cedat in bonum illius, cui eſt faciendum furtum: vt ſi inuitatus ob inuitationem minus, aut tardiùs furetur. Imò hæc duo eſſe vera, quamuis inuitatio, aut ſuaſio ſit moralis cauſa diſtincti numero actus, occidendi, & furandi ab eis actibus, quibus aliàs fieret occiſio, & furtum, quia tunc inuitatio eſt ad minus peccatum, quamuis diſtinctum à maiore. Ita ille *diffic.* 9. qui etiam *diffic.* 3. aſſerit, licitum eſſe ſuadere latroni determinato ad maius furtum, quòd committat minus, vt omittat maius, & non ſolùm reſpectu eiuſdem perſonæ, ſed etiam reſpectu diuerſæ, quia licitum eſt ſuadere minus peccatum, vt omittat maius. Imò addimus licitum eſſe eum iuuare ad committendum minus furtum reſpectu eiuſdem perſonæ, ſi aliter nequit diſſuaderi à maiori, non verò reſpectu diuerſæ perſonæ. Ratio prioris eſt, quia tunc non iuuat, inuito domino, ſed ipſo volente ſaltem interpretatiuè, quia ſic iuuando proſpicit bonis domini, & facit quod dominus ipſe faceret, ſi non poſſet aliter obuiare maiori furto, in quo diſtinguitur peccatum contra iuſtitiam à peccatis contra alias virtutes, nempe quòd quamuis licitum ſit ſuadere ad peccatum minus contra alias virtutes, non tamen ad illud iuuare, ſeu cooperari, quia ſuaſio ad minus peccatum contra alias virtutes moraliter non tendit formaliter, vt fiat minus, ſed vt non fiat maius; cooperatio verò moraliter tendit formaliter etiam ad ipſum minus peccatum, ad quod eſt cooperatio. In peccatis verò contra iuſtitiam reſpectu eiuſdem perſonæ licitum eſt ad minus cooperari, quia quamuis cooperatio moraliter tendat formaliter ad ipſum minus peccatum, excuſatur tamen, quia non eſt iniurioſa proximo, ſed potiùs fauorabilis, & ideò non eſt mala, quia ſi eſſet mala, tantùm eſſet mala malitia iniuſtitiæ, ſeu iniuriæ contra eum, cui fit iniuria, tunc autem non eſt iniurioſa illi, ſed potiùs fauorabilis. ergo, &c. Et hæc dicta ſufficiant circa præſentem Tractatum de Scandalo.

DECIA-

DECLARATIONES SACRARVM CONGREGATIONVM, ROTÆQVE ROMANÆ DECISIONES

CIRCA MATERIAM IMMVNITATIS ECCLESIASTICÆ.

AVCTOR LECTORI.

CVm suprà in tract. 1. de immunitate Ecclesiastica, *aliquæ Sacrarum Congregationum Declarationes, necnon Romanæ Rotæ Decisiones, aduocatæ fuerint; visum est mihi in tui commodum illas, aliasq; plures circa eamdem materiam, hîc simul collectas, ac per extensum apponere. Ab his puris fontibus, amice Lector, petenda est tibi aqua, non ex turbidis aliquorum recentiorum lacunis. Vale, meq; in tui gratiam laborantem ama.*

DECLA-

DECLARATIONES SACRARVM CONGREGATIONVM,

IN QVIBVS PLVRES CASVS IN MATERIA Immunitatis deciduntur.

1 FAMILIARES Episcopi etiam laici, fori priuilegio gaudent. Sacra Congr. Episcop. in vna Regiensi *die* 14. *Febr.* 1581. & in vna Turritana *die* 18. *Maij* 1603.

2 Immunitate Ecclesiastica gaudent, qui cum armis prohibitis in Ecclesia se recipiunt. Sacra Congregatio Episc. in vna Salern. *die* 30. *Sept.* 1616.

3 Immunitate Ecclesiastica gaudent pro debito ciuili ad Ecclesias confugientes. sacra Congregatio Episc. in vna Cottonensi *die* 21. *Iulij* 1617. & in vna Beneuentana *die* 10. *Maij* 1619.

4 Immunitate Ecclesiastica non gaudent Capellę priuatorum Palatiorum. Sacra Congregatio Episcop. in vna Marsicensi *die* 17. *Nouembr.* 1617. & sacra Congregatio immunitatis in vna Perusina *die* 9. *Decembris* 1631. Sed hæc declaratio non comprehendit Capellam S. Annę sitæ in Palatio domini mei amantissimi Marchionis Hieracensis in terra Castelboni. nam pro Ecclesia communi reputatur, & ibi confugientes semper immunitate Ecclesiæ gauisi sunt.

5 Immunitate ab omnibus exactionibus, & tributis secularibus gaudet Clerici patrimonium, ad cuius titulum quis fuit ordinatus. Sacra Congregatio Episc. in vna Catacensi *die* 3. *Aug.* 1592.

6 Immunitate Ecclesiæ non gaudet mater occidens filium infantem. Sacra Congregatio Concilij *sub die* 3. *Decembr.* 1632.

7 Immunitate Ecclesiastica non gaudet qui committit homicidium veneno. Sacra Congreg. Concilij *die* 3. *Decembr.* 1632.

8 Immunitate non gaudet mulier, quæ malis medicamentis procurat abortum. Sacra Congregatio Concilij *die* 3. *Decemb.* 1631.

9 Immunitate Ecclesiastica gaudent furantes in Ecclesia. Sacra Congregatio immunitatis in vna Squillacensi *die* 18. *Martij* 1631.

10 Immunitate gaudet arniga, siue Campana Ecclesiæ, ab ea tamen distans, sed intra 30. passus, quæ solummodo inseruit pro seruitio Ecclesiæ. Sacra Congregatio immunitatis *die* 7. *Decembr.* 1632.

11 Debitores fraudulēti ad Ecclesiam cum bonis confugientes non debent ibi multo tempore tolerari, sed ab Ecclesia sunt eijciendi. Ita sacra Congreg. Episc. in vna Barensi *die* 12. *Martij* 1600.

12 Decoctores res & bona in creditorum prę-iudicium ad Ecclesias transportare non debent, sed iudici seculari consignanda sunt, vt illas, & illa, qui de iure adiudicet. Ita sacra Congreg. Episcop. *die* 1. *Decembr.* 1617.

13 Milites hospitari facere non potest Magistratus secularis in domibus Ecclesiasticarum personarum, quamquam laicis locatis, cùm per indirectum in damnum bonorum Ecclesiasticorum redundet. Sacra Congregatio Episc. *in vna Nouarien. die* 9. *Iunij* 1617.

14 Delinquentes qui ab Ecclesijs aliisque locis immunibus extrahuntur, dum articulus, an immunitate Ecclesiastica gaudere debeant, discutitur, per Ecclesiasticos ministros sub custodia, iuxta Bullam Gregorij XIV. retineri debent. Sacra Congregatio Episc. in vna Neapol. *die* 30. *Septemb.* 1616.

15 Immunitate Ecclesiastica gaudere debent Clerici, qui post delicta patrata ad Ecclesias confugiunt extra casus in Bulla Gregor. XIV. comprehensos, cùm in hoc casu opinio Abbatis sit reprobata. Sacra Congregatio Episc. in vna Tropiensi *die* 24. *Ianuarij* 1617. Neque possunt inde extrahi, præterquam in casibus degradatione dignis si fiat, secus restituantur. Sacra Congregatio Episc. *die* 17. *Augusti* 1618.

16 Coloni, aut affectuarij, vel partiarij bonorum Ecclesiasticorum exemptione collectarum, tam ordinariarum, quàm extraordinariarum proportionè colonica gaudent. Sacra Congregatio Episc. in vna Oppidensi *die* 18 *Septembr.* 1618.

17 Coloni partiarij Episcoporum durante Colonia gaudent fori priuilegio. Sacra Congregatio immunitatis *die* 6. *Decembris* 1617.

18 Immunitate à gabellis, & alijs oneribus laicalibus prinare non potest Episcopus inseruientes Ecclesijs, sed iidem Clerici, nisi, vt *suprà*, inseruiant, ac habitum & tonsuram Clericalem deferant, aut beneficium Ecclesiasticum obtineant, priuilegio fori non gaudent. Sacra Congregatio Episc. *die* 24. *Ianuarij* 1631.

19 Causa damnorum datorum per Clericos, & Ecclesiasticos, seu per eorum animalia, necnon per familiares, ministros, & colonos Episcoporum, & mensæ Episcopalis etiam laicos, seu eorum animalia in bonis quibuscumque tam Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum, quàm etiam laicorum, spectat ad Curiam Episcopalem priuatiuè. Si verò laici eorúmve ministri animalia damnificent, & bona Ecclesiarum, ac personarum Ecclesiasticarum, Curia Episcopalis procedere potest tamquam in causis mixti fori. At quando Coloni, & ministri Ecclesiarum Clericorum, & Ecclesiasticorum cum animalibus proprijs, bona laicorum damnificant, cognitio tam quoad bona, quàm quoad personas laicorum, & eorum animalia spectat

ctat ad iudicem laicum priuatiuè. Sed ſi cum animalibus Eccleſiaſticorum,vel Eccleſiarum, quoad perſonas ſpectat ad laicum, quo verò ad animalia ſpectat ad Curiam Eccleſiaſticam. Ita ſacra Congregatio immunitatis in vna Terracinenſi,teſte Aldano *in compend. Can. reſol. tit. 8. num. 21.* & Barboſa *in collect. Doct. ſup Concil Trid. ſeſſ. 25. cap. 20. n. 13.*

20 Fori priuilegio gaudet Subdiaconus, qui Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione cum vidua matrimonium contraxit,& penſiones Eccleſiaſticas obtinet. Sacra Congregatio Concil. *die 24. Martij,& 17. Septembr. 1618.*

21 Clericus in minoribus conſtitutus Eccleſiæ deſeruiens,non tamen ex mandato Epiſcopi habitum,& tonſuram deferens,gaudet priuilegio fori. Sacra Congregatio Concilij in vna Valentina *die 29. Iulij 1628.* & iterum in vna illius *28. Martij eiuſdem anni.*

22 Promotus ad Ordines cum collatione vnius beneficij redditus duorum ſcutorum annuorum gaudet priuilegio fori. Sacra Congregatio Concilij in vna Ianuenſi *die 18 Martij 1628.*

23 Habitum dimittens Clericalem poteſt illum iterum reaſſumere, vt gaudeat priuilegio fori,non obſtante irregularitate ſuperueniente,& Epiſcopi prohibitione. Sacra Congregatio Concilij in vna Mazarienſ. *die 17. Iunij 1630.* & Sacra Congregatio immunitatis in vna Boſſanenſi *die 18. Martij 1631.* declarauit fori priuilegio gaudere Clericum, qui ante carcerationem reaſſumpſit habitum.

24 Clerici in minoribus Ordinibus conſtituti ſi recuſauerint frequentare ſcholas, & Eccleſiam, ſed eſſet probabilis ſpes profectus, non poſſunt priuilegio fori priuari. Sacra Congregatio Concilij in vna Maieranenſi *die 12. Auguſti 1631.*

25 Qui ſolùm in accendendis lampadibus, & aperiendis portis Eccleſiæ deſeruiunt, non gaudent priuilegio Clericorum. Sacra Congreg. Epiſc. *die 28. Ian. 1603.*

26 Protonotarij non participantes fori priuilegio gaudent, etiamſi Eccleſiæ non inſeruiant ſi in habitu Clericali incedunt. Sacra Congregatio Concilij in vna Tolet. *die 27. Martij 1632. & die 9. Iulij 1626.*

27 Clericus primæ Tonſuræ qui poſt dimiſſum habitum, & Tonſuram Clericalem deliquit, & pro delicto in Curia ſęculari citatus fuit,deinde reaſſumpto habitu cum Tonſura Eccleſiæ inſeruire cœpit,non poteſt à iudice ſeculari quoad perſonam puniri, nec talis iudex poteſt proceſſui finem imponere. Sacra Congregatio Concilij *die 10. Decembr 1599.*

28 Clericum, qui characterem, & habitum Clericalem aſſumpſit poſt delictum, proceſſum, & fideiuſſionem de ſe repræſentando coram iudice laico, gaudere priuilegio fori, & à iuriſdictione iudicis laici eſſe liberatum quoad perſonam,quòd ſi fraus abſit (quam iudex Eccleſiaſticus inſpicere debet) poſſe iudicem laicum proceſſui finem imponere contra illum quoad bona procedendo,determinauit ſacra Congregatio Concilij in vna Papienſi *die 23. Maij 1626.* & ſacra Congregatio immunitatis in vna ciuitatis Caſtellanæ *die 18. Febr. 1631.*

29 Sacra Congregatio Epiſc. *die 25. Aprilis 1614.* dum fuiſſet proceſſum ad nonnullos actus in cauſa Capitanei,vel Bariſelli Epiſcopi Sorani carceribus mancipati per Viceducem ciuitatis Sorę de mandato ſanctiſſ. Pauli V. attento quòd Bariſellus exiſtit de familia armata Epiſcopi,& propterea non poteſt, nec debet de iure per laicum capturari,ordinauit Auditori Cameræ, vt capturam, & acta nulla declararet. Rurſus petente Epiſc. Vaſionenſi, vtrùm iudex,Camerarius & fiſcalis tamquam eius familiares, deberent frui priuilegio fori,& immunitate ab oneribus perſonalibus. Sacra eadē Congreg. *die 11. Decembr. 1614.* officiales prædictos vti familiares Epiſc. fori priuilegio gaudere, & ad perſonalia Ciuitatis munia ſubeunda minimè teneri cenſuit. Mandauit inſuper Epiſc. Ortunenſi *die 6. Aug. 1602.* ne ſuſpenderet cenſuras latas contra Gubernatorem Lanciani, niſi priùs relaxato è carceribus eius Notario Regiis hortatoriis, ac aliis quibuſcumque non obſtantibus. Item Archiepiſcopo Turritano *die 18. Maij 1603.* prædicta ſacra Cōgreg. reſpondit priuilegia conceſſa per ſacros Canones miniſtris,officialibus,vel familiaribus Epiſc. eſſe ita clara, vt in dubium reuocari non valeant, iniungendo illi ſtrictè,vt prædicta faciat obſeruari.

30 Fiſcalis quem Epiſcopus habet in Ciuitate, ſeu in aliquo Caſtro, in quo temporalem, ſpiritualemque iuriſdictionem exercet, tamquam ipſius Epiſc. familiaris, gaudet priuilegio fori, & ad perſonalia Ciuitatis munia minimè tenetur. Sacra Congreg. Epiſc. *die 11. Decemb. 1615.*

31 Epiſcopus poteſt habere ſatellites quot voluerit. Sacra Cong. Epiſc. *die 14. Apr. 1615.* debet tamen in hoc prudentialiter ſe habere. Vnde ſacra Congreg. Concilij in vna Agrigentinen. *die 4. Decemb. 1627.* declarauit familiam ſuam armatam licere Epiſcop. augere,dum tamen circa numerum,& qualitatem eorum, quos ſibi duxerit aſſumendos, prudenter,& moderatè ſe gerat.

32 Satellites,Magiſter,Notarius, Fiſcalis,& cæteri Miniſtri Curiæ epiſcopalis gaudent priuilegio fori etiam in delictis extra officium commiſſis. Ita ſacra Congr. Epiſc. facto verbo cum Sanctiſſimo, vt patet ex infraſcripta epiſt. quam adducit Raus *de immun. fol. 96.* & ego originalem vidi. [Illuſt. & Reuerend. Signor. mio aſſeruantiſſimo il Veſcouo di Lipari ha mandato alla ſacra Congr. vna hortatoria ſpeditali contro da V.S. Illuſtriſ. ad inſtanza delli Deputati di quell' Iſola,per auer ſcommunicato il Capitano, e ſbirri, ch'haueano eſtratto vn delinquente da vna Chieſa di quell' Iſola; e ſe bene auuiſa eſſerli poi ſtato conſignato il detto priggione, acciò poſſi cognoſcere ſe deue godere, o no dell' immunità eccleſiaſtica, non dimeno ſi è auuertito ch'in detta Hortatoria è vna clauſula,nella quale ſi dichiara eſpreſſamente,che gli officiali,e famigliari del Veſcouo,quando ſono laici,non deuono godere del priuilegio del foro eccleſiaſtico ne delitti communi, ma ſolo in quelli che ſono commeſſi ſotto preteſto dell' officio,eſſendoſene trattato con N.S. ſua Santità ha comādato che ſi ſcriua à V.S. Illuſtr. che ſi contenti di reuocare la detta Hortatoria,non potendoſi credere che detta clauſula vi ſia poſta

posta di sua saputa, essendo manifestamente contra la dispositione di sacri Canoni, e della raggion cõmune, e così pregiudiciale alla giurisditione Ecclesiastica, di cui si stima che la sua bontà, e pietà sarà sempre partialissima protetrice; si degnerà perciò di dare il rimedio, che bisogna, & io in tanto le bacio humilissi.le mani, di Roma li 2. di Marzo 1611. Di V.S. Illustr.e Reuerend. humilissimo seruitore

Il Cardinale GALLO.

33 Præuentione Episcopi attenta in delicto laici contra Clericum ad Episcopum spectat causa. Sacra Congregatio Episc. *die* 16. *Ianuar.* 1615.

34 Fori priuilegio non gaudet ille, cui reseruata fuit pensio, vt Clerico, si non incedat in habitu & Tonsura. Sacra Congreg. Concilij *die* 19. *Iunij* 1586.

35 Fori priuilegio gaudent Clerici in Sacris constituti Beneficiarij, Pensionarij, Protonotarij, & alia similia officia habentes illi, qui per modicum tempus habitum dimiserunt, etiamsi tempore capturæ fuerint reperti in habitu seculari, & illi Clerici in minoribus constituti, non habentes qualitates Concilij *c.* 6. *sess.* 23. *de reform.* quando iudex Ecclesiasticus præuenit. Sacra Congreg. Concilij in vna Leodiensi *die* 9. *Nouembr.* 1630.

36 Fori priuilegio gaudet Clericus incedens in habitu, & tonsura descriptus in Catalogo Clericorum, qui in Synodo diœcesana obedientiam præstitit Ordinario, & per paucas vices in Choro, & in processionibus interfuit, attentis circumstantiis, quamuis alicui Ecclesiæ de mandato Episc. non inseruiat, vel beneficium Ecclesiasticum non habeat. S. Congr. Concilij *die* 18. *Martij* 1628.

37 Fori priuilegio gaudet filius legitimus Clerici ante Clericatum susceptus durante vita eius patris. Sacra Congregatio immunitatis in vna Callienſi *die* 18. *Mart.* 1631.

38 Fori priuilegio gaudet de præsenti laicus pro tempore, quo fuit Clericus. S. Congreg. immun. in nullius Garopoli *die* 9. *Septembr.* 1631.

39 Fori priuilegio non gaudent in ciuilibus Clerici coniugati tam constit. Bonifacij VIII. quàm Decreto Concil. Trident. nisi vbi de crimine etiam ciuiliter ageretur. S. Congr. Concilij *die* 13. *Feb.* 1610. & S. Congr. Episcop. *die* 10. *Febr.* 1618. Sed eos gaudere fori priuilegio in ciuilibus, præsertim in Regno Neapolitano, in quo adest consuetudo, censuit sacra Congr. immun. *die* 27. *Febr.* 1603.

40 Iudæi & infideles gaudent immunitate Ecclesiarum. S. Congr. immun. *de mense Febr.* 1631.

41 Dubitatum fuit per Archiepiscopum Ianuensem an inferentes strigia in Ecclesia, eius immunitate gaudere debeant? & S. Congr. Episc. affirmatiuè respondit *die* 16. *Nouemb.* 1618.

42 Ad extrahendum delinquentem à loco immuni, & Curiæ seculari consignandum, non sufficit sententia contumacialis, quia non probat delictum, sed plenior probatio requiritur. S. Congreg. Episc. in vna Cremonensi *die* 27. *Iulij* 1618.

43 Statutum, siue edictum generale à laicis publicatum possunt ipsi cogi declarare, quòd sub ea lege neque Ecclesia, neque Clerici legãtur. S. Congreg. immun. *die* 7. *Decembr.* 1632.

44 Non tenentur Clerici ad solutionem onerum impositorum pro Physico, Chirurgo, & Ludimagistro. S. Congreg. Episcop. *die* 2. *Aug.* 1619.

45 Clerici cultores agrorum suorum, seu conductores agrorum Ecclesiasticorum, non debent molestari titulo negotiationis illicitæ. Sacra Congreg. Episc. *die* 19. *Ianuarij* 1593.

46 Clerici in causis ciuilibus in foro seculari examinari possunt, sed iuramentum priùs præstetur in tribunali Episcopi. S. Congreg Episc. *die* 14. *Aprilis* 1615. & ideo licet possint ciuiliter denuntiare, aut querelare in officio damni dati occasione damnorum datorum in suis prædiis, iuramentum tamen detur in foro Ecclesiastico. Eadem sacra Congreg. *ibidem.*

47 Diaconi Saluatici in Regno Neapolitano ad summum quatuor possunt dari Cathedralibus, seu Ecclesiis superioribus, Collegiatis & Parochialibus, duo; aliis Ecclesiis, in quibus diuina celebrantur, si Episcopo videbitur, vnus; qui gratis & per se ipsos seruiant, non criminosi, neque malæ famæ, hi non gaudent priuilegio canonis: fori autem in criminalibus omnino, in ciuilibus quoad districtionem corporis tantùm, & immunitate ab oneribus personalibus, non ab aliis durante seruitio gaudent. Sine præiudicio maioris priuilegij, & immunitatis legitimæ, si alicubi habent Ordinarij in præmissis sint iudices, præterquam si agatur de maiori priuilegio dubio, Papæ enim reseruatur. S. Congreg. negotiis Regni Neapolitani præposita *die* 10. *Kal. Iunij* 1623.

48 Cùm in sacra Congregatione Concilij propositum esset infrà scriptum dubium, An oblati alicuius Religionis iudicandi sint personæ Ecclesiasticæ, adeò vt fori priuilegio & immunitate à vectigalibus gaudeant? Respondit sacra Congregatio oblatos priuilegio ac exemptione ita demum debere potiri, si in forma iuris valida perpetuò & irreuocabiliter plenè, & cum effectu se ipsos, & bona sua omnia præsentia & futura, nulla prorsus quauis minima eorum portione, neque in proprietatem, neque in vsumfructum sibi reseruata Religioni obtulerint, & habitum aliqualiter mutauerint. quòd si omnia prædicta simul non concurrant, neque fori priuilegio, neque immunitate à secularibus exactionibus frui posse, vt in sequentibus casibus. Primò, cùm quis obtulit personã cum reseruatione bonorum. Secundò, cùm obtulit personam nulla bonorum facta mentione, quippe non includuntur in simplici oblatione personæ. Tertiò, cùm obtulit personam, & aliquam tantùm partem bonorum, quamuis maiorem. Quartò, cùm obtulit bona omnia præsentia & personam reseruato vsufructu. Quintò, cùm obtulit personam & bona omnia præsentia tantùm. Sextò, cùm obtulit personam & bona omnia præsentia & futura, sed postea à Superiore Religionis aliquam earum partem, quamuis minimã, in emphyteusim recepit. Septimò, cùm obtulit bona vel omnia, vel partem eorum absque persona, quo casu personam offerentem fori priuilegio non gaudere, sed bona in Religione cum effectu translata esse immunia à vectigalibus, dummodo offerens vsumfructum eorum sibi non retineat, eo namque casu bona immunia

munia non esse etiam quoad proprietatem. His tamen omnibus casibus, quibus oblati à priuilegio & exemptione à iure communi excluduntur, seruandam esse cuiusque Religionis consuetudinem, cuius vigore ipsi tale ius priuilegij, vel exemptionis acquisiuissent. His positis fuerunt propositæ deinde in sacra Congregatione aliæ dubitationes. Primò an oblati, qui omnia supradicta adimpleuerint, fori priuilegio, & supradicta exemptione gaudeãt, quamuis matrimonio copulati sint, siue ante, siue post oblationem contraxerint. Secundò, an tales oblati fori priuilegio gaudeant, etiam quoad delictum ante huiusmodi oblationem commissum, cuius ratione à iudice laico erant puniendi. Tertiò, an iurisdictio quæ vigore Concilij Tridentini *cap.* 11. *sess.* 24. competit Ordinario in oblatos carentes qualitatibus expressis *ibidem in ver. exceptis*, intelligatur tributa Ordinario in oblatos cumulatiuè, vel priuatiuè ad Superiores regulares. Quartò, an iurisdictio ex eodem Concilij Decreto tributa fuerit Ordinario in criminalibus tantùm, an verò etiam in ciuilibus? Ad has posteriores dubitationes S. Congregatio sic respondit. Ad primum gaudere siue ante, siue pòst, licentia Superioris Religionis matrimonium contraxerit. Ad secundum gaudere priuilegio fori, & iurisdictione iudicis laici liberatos esse, punirique debere à iudice Ecclesiastico, si modò absque fraude, id est, non animo effugiendi seculares iudices punitionem se, & sua obtulerit, quòd si fraus subsit, posse à iudice laico puniri pœna confiscationis bonorum, & alia pecuniaria, sed non corporali, illique remanere subiectos quoad causam & bona, sed non quoad personam, debere tamen iudicem Ecclesiasticum; si delicti qualitas id exposcat, tradere tales oblatos seculari corporaliter puniendos. Ad tertium respondit in oblatos carentes qualitatibus expressis *in ver. exceptis*, tributam esse Ordinario iurisdictionem cumulatiuè, non priuatiuè ad Superiores Regulares. Ad quartum huiusmodi iurisdictionem Ordinario tributam esse in criminalibus tantùm, non autem in ciuilibus. A. *Cardin. Vicecomes.* IOAN. FRANCISCVS FAGNANVS, *S. Congreg. Concilij Secretarius.*

49 Ecclesiæ molendina non comprehenduntur sub prohibitione facta à laicis ne asportetur frumentum ad molendinum, &c. Sacra Congregatio Immun. *die* 7. *Decembr.* 1632. vide Ancharanum *consil.* 115. *&* 13.

50 Gubernator & Magistratus recusantes contra solitum accedere ad Ecclesiam Cathedralem, debitis remediis cogendi sunt vt accedant. S. Congreg. Rituum in vna Fanensi *die* 1. *Septembr.* 1607.

51. Beneficiarius gaudet priuilegio fori ante adeptam possessionem. S. Congregatio Concilij *die* 16. *Iulij* 1587. teste Parisio *de resignat. benef. lib.* 7. *cap.* 1. *num* 47. & Castro Palao *tom.* 2. *tract.* 12. *disput. vnic. punct.* 2. *num.* 5. & Cenedo *in qq. Canon. quæst.* 4. *nu.* 23. *in fine*, & quia de hoc casu his diebus dubitatum fuit dico præter dictam declarationem docere etiam hanc sententiam citatos Doctores, quibus adde alios, quos ego adduxi *in* 1. *part. tract.* 2. *resolut.* 29. & me citato Barbosam *de iurisdict. Eccles. lib.* 1. *cap.* 39. § 2. *num.* 14. & Squillante *de priuileg. Cleric. cap.* 1. *n.* 16. quia titulus beneficij confert ius verum in beneficium, & beneficiarius habet ius in eo, & qui actionem habet, rem ipsam habere videtur, ex *c. qui actionem, de reg. iuris in* 6. & id ad quod actionem habemus in bonis nostris esse dicitur, vt patet ex *l. rem in bonis. ff. de acquirendo rerum dom.* Hinc est decisio Rotæ 572. in antiquis, quæ incipit, *Quidam Cardinalis*, vbi dicitur faciendam esse mentionem in impetratione beneficij de iure, quod quis habet in alio beneficio, licet illud non possideat. & ita hanc sententiam mordicus sustinet ex Iurisconsultis Hispanis Hieronymus Portoles *in schol. ad Molin. in tit. de competen. per totum*, vbi *num.* 9. refert ita fuisse decisum in Prætorio Regni Aragoniæ *die* 13. *Maij anno* 1586. Vnde ex his ego infero officiales nostri sacri Tribunalis Inquisitionis Hispanicæ collato in eis officio, gaudere priuilegio fori etiam ante adeptam possessionem. Non est igitur audiendus Farinacius *quæst.* 8. *num.* 45. Mastrilli *decis.* 113. Tuschus *tom.* 1. *lit. B. concl.* 78. *num.* 8. Baiardus *in Iul. Clar. q.* 36. *num.* 14. Menochius *cons.* 150. *n.* 6. *& seq.* Carolus de Grassis *de effect. Cler. effect.* 1. *num.* 1187. & alij penes ipsos, asserentes vt quis gaudeat priuilegio fori non sufficere solùm titulum beneficij, sed necessariam esse possessionem.

DECISIONES
Sacræ Rotæ Romanæ.
In materia Immunitatis.

DECISIO X. In antiquis, *tit. de Consuetudine.*

VTrùm valeat consuetudo Anglicana, quòd Rex possit cognoscere & habere iurisdictionem in Clericos solutos in actionibus ciuilibus etiã personalibus merè, vel criminalibus vbi agitur ciuiliter? Et videtur quòd non; per ea quæ notat Innoc. *de foro compet. cap. postulasti, vltra medium*, per Archid. *in cap. Romana in secunda gloss. eod. tit. lib.* 6. præsertim, quia est contra libertatem Ecclesiasticam & sanctorum Patrum instituta. ergo, &c. argument. *extrà de his, quæ fiunt à maiori parte capit. cap.* 1. *iun. cap.* 2. *extrà de foro comp.* Item quia talis consuetudo est contra præceptum prohibitiuum, & negatiuum, vt *in d. cap.* 2. cui renuntiari expressè non potest, vt *ibi* notatur, & probatur *eodem tit. cap. si diligenti, & argument. notatorum C. ne fideiussores dotium dentur, l.* 2. *in fin.* ergo multò fortiùs nec tacitè. Præcepta enim negatiua obligant semper & ad semper, vt furtum non facies, & similia, licet affirmatiua obligent semper, sed non ad semper, secundùm Theologos. Item, quia talis consuetudo est contra generale statutum Ecclesiæ, præsertim introductum in honorem totius Ordinis Clericalis, nedum Clerici Anglicani, imò & vniuersalis. ergo Clericus Anglicanus tacitè consentiendo, aut assentiendo tali abusui non poterit prętextu talis consuetudinis ei derogare, argument. 25. *quæst.* 2. *c. sunt quidam.* & argument. not. Innocent. *de consuetud. sup. rubr. circa medium.* Item quia talis con-

conſuetudo eſt contra legem diuinam, per quam exempti ſunt Clerici à iuriſdictione Principum ſecularium, iuxta ea, quæ notat Innocent. *de maior. & obed. c. ſi quis.* Item quia eſt contra inſtitutionem Eccleſiæ. ergo, &c. argument. *extrà de temp. ordin. cap.* 2. Item hæc conſuetudo videtur expreſsè reprobata *extrà de conſuet. c. ad noſtram.* Item pro hoc bene faciunt not. per Archid. *de Cler. coniug. c. 1. lib. 6. ſuper ver. condemnari.* & per Hoſtien. & Ioan. Andr. *in nouella extrà de obligat. ad ratiocinia, cap* 1 Item contra præcepta non poteſt induci conſuetudo, præſertim per eum, qui non poteſt contrariam legem. vel præceptum ſtatuere, vt notat Innocent. *de conſuet. in rubr. circa fin.* Nec obſtat ſi dicatur, quòd Eccleſia Anglicana nec Rex obſeruauerunt illud ſtatutum, & ſic non videntur ligari, nec ex hoc tranſgreſſores illius, argum. 4. *diſt. c. leges*, iuncta nota *de treuga & pace, cap. 1. in fine, in gloſſ.* Item quia Papa hoc ſciuit, & ſemper toleranit, quia cùm fuerit ius prohibitiuum, & ab exemptione diuina procedēs, vt notat Innocent. *de maior. & obed. cap. ſi quis*, & per conſequens contrarium eſſet peccatum, non poſſint dici ex hoc eſſe excuſati, quantocumque etiam tempore in contrarium ſint abuſi, quia tantò ſunt grauiora peccata, &c. vt *extrà de conſuetud. cap. fin.* cum concordantiis. Nec hoc caſu videtur ſufficere tolerantiam Papę. argum. *de præbend. & cap. cùm iam dudum, in fin.* not. per Innoc. *in rubrica de conſuet.* & dato quòd propter ſcandalum, quia aliàs prohiberi poterat, tolerauit, non propter hoc approbaſſe cenſetur, nec conſuetudinem voluiſſe introduci, argument. not per Innocent. *in rubr. de conſuetud. & de præſcr cap. nihil.* Nec obſtat etiam ſi dicatur quòd Papa non potuit Clerum Anglicanum priuilegiare in præiudicium Regis Angliæ, cui omnis antequam Chriſtus veniret, iuriſdictio cōpetebat, quia iſtud priuilegium, & hæc libertas cōceſſa eſt Clericis à Chriſto, in quem omne imperium fuit tranſmiſſum, & in temporalibus, & ſpiritualibus, iuxta not. *in cap. nouit. de iudic.* & per Innocent. *de voto, & voti redempt. cap. quod ſuper his. & de foro competen. cap. licet.* & quia Clerici ſunt ſpirituales, & in ſpiritualibus Papam ſolùm ſeu iudices Eccleſiaſticos poſſe intromittere, priuilegium generale fuit datum à Deo, iuxta *cap. quando, de iudic.* & notata per Innocent. *de ſententia excomm. cap. nouerint, circa princ.* Nec per conſequens obſtat, quod dicebatur per allegantem pro parte iſta, quòd Papa expreſsè proteſtatur in iure, quòd non vult derogare iuriſdictioni Regis Angliæ, *extrà qui filij ſint legitimi, cap. cauſam*, cum ſimilibus, quia, vt in præmiſſis patet, in Clericos nullam iuriſdictionem habet, nec habere poteſt.

Decisio III. In nouis *tit. de ſententia excommunicationis.*

SI Clericus coniugatus à iudice ſeculari propter aliquod crimen captus & detentus allegat ſe Clericū, & doceat de Clericatu per litteras Ordinatoris, & propterea petat ſe remitti ad forum Eccleſiaſticum, non eſt ſtatim remittendus, niſi doceat ſe contraxiſſe cum vnica & virgine, & portaſſe habitum, & tonſuram Clericalem, quia aliàs non gaudet priuilegio fori Eccleſiaſtici, vt legitur, & not. *in c. vnic de Cleric. coniug. lib. 6.* & de his cognoſcit iudex Eccleſ. & non ſecularis. arg. eorum, quę habentur & not. *in cap. ſi iudex, de ſent. excommunic. lib. 6.*

Decisio V. In antiquis *tit. de foro competenti.*

OBligatus eſt laicus Auenione in certa quantitate pecuniæ ad Curiam ſiguli Montiſpeſſulani, quæ obligatio habet vim rei iudicatæ, & abſque alia cognitione mandatur executioni; nec admitterentur niſi certæ exceptiones, ſcil. ſolutionis, & rei iudicatæ, &c. Modò mortuo debitore ſucceſſit ſibi Clericus creditor contra bona, & in omnibus dicti debitoris bonis expoſito clamore dicti ſigilli procurat fieri executionē per illam Curiam, requirendo officialem in adminiſtrando iure in ſubſidium, vt faciat bona diſtrahi; opponit ſe dictus Clericus ſucceſſor, & vult opponere debitas exceptiones, quare executio non debeat fieri, & coram eo petit ſe admitti ad eas probandas, officialis remittit eum ad Curiam ſigilli, vt ille opponat illas exceptiones. & ob hoc debitor prædictus appellat; quæritur an bene officiali grauauerit? Videtur quòd non, quia laicus prædeceſſor huius Clerici fuerat præuentus, imò & condemnatus, cùm obligatio habeat vim condemnationis. ergo videtur quòd idem iudex debuit facere executionem, non obſtante quòd perſonæ conditio ſit mutata, imò & cognoſcere propter priuationem, argum. not. per Hoſt. *de oblig. cap. ad ratioc. cap. 1. & cap. poſtulaſti, de foro compet. & ff. de iudic. l. ſi quis poſtea.* Sed poſſet dici quòd illa verba, *cùm eadem perſona eſſet præuenta*; hîc autem ſunt diuerſæ perſonæ debitoris, laici videlicet, & Clerici. quare videtur aliquibus contra, quòd imò Clericus debet audiri ſuper oppoſitione ſua in foro Eccleſiaſtico, quia Clericus etiam in reali debet gaudere priuilegio Clericali, & conueniri in foro Eccleſiaſtico, iuxta not. *in authen. vt omnes obedi. iud. prouin. §. hoc conſiderantes*, & per Archid. *de Cler. coniug. cap. 1. lib. 6.* & per Ioan. Andr. *in nouell. in tit. de duell.* & præſertim, quia vbi contra hæredem debet fieri executio, oportet præmitti vocationem, & aliquam cauſæ cognitionem, quam in Clericis iudex ſecularis non poteſt præmittere, arg. ad hoc quod not. per Innocen. *de iudic. cap. quia verò, in fine.*

Decisio VII. In nouis *tit. de Iudiciis.*

EMancipatio facta de Clerico per partem coram iudice laico, & ipſo authorizante, eſt valida, & licet lex dicat, quòd emancipatio debeat fieri per iudicem competentem, C. *de emancip. liber. l. 1.* iudex competens in hoc caſu cenſetur iudex ipſius patris agentis & emancipantis, quæ quidem emancipatio eſt actus ipſius patris, & non filij, vt *in d. l. 1.* ergo eſt ſolemnizandus à iudice patris, & nō à iudice filij. Facit quia ius patriæ poteſtatis eſt à poteſtate ſeculari, & non Eccleſiaſtica introductū, vt *Inſtit. de patr. poteſt. in princ.* & quia actus huiuſmodi ex ſola voluntate patris procedit, pro qua explenda, ſiue authorizanda, adhibet iudicem

ſuum

ſuum proprium, & non filij : ſicut dicitur in ſimili de alienatione, ſiue vnione fienda alicuius Eccleſiæ, ſiue rei Eccleſiaſticæ alicui Prælato ſubiectæ alteri Eccleſiæ, vel perſonæ extra ciuitatem, vel diœceſim rei alienandæ, ſiue Eccleſiæ vniendæ cõſtituta, quia huiuſmodi alienationem, ſeu vnionem authorizabit ille, vtique ſub cuius poteſtate, & iuriſdictione res alienandæ, vel vniendæ conſiſtunt, prout legitur & not. *de reb. Eccleſ. non alien. c. dudum. lib. 6. & in Clement. c. ſi vna, eod. tit.* & meliùs 17. *quæſt. 4. can. in venditionibus, in gloſſ.* Sic in propoſito iudex illius volentis liberare filium ſuum de patria poteſtate, huic liberationi auctoritatem præſtabit. Nec obſtat illud generale, quòd actor debet ſequi forum Rei, *de foro compet. cap. cùm ſit.* quia illud procedit in contentioſis, & quando iudicium redditur in inuitum, ſecus in voluntariis, & extraiudicialibus actibus, vt hîc. Pro quo facit optimè dictum Innocentij *de renuntiat. c. quod in dubijs.* quòd ille recipit renuntiationem beneficij à volente renuntiare, qui poſſet ipſum inuitum deſtituere; ſed vbi filius poſſet petere per iudicem patrem compelli ad emancipandum, in caſibus apud iudicem patris agendum foret, vt *l. iuris ordinem. C. de iur. omn. iud. & de foro compet. c. ſi Clericus laicum.* ergo, &c. Si dicas è contra quòd poſſet apud iudicem filij in caſibus, dic vtrumque poſſe, per not. Cyn. *in l. ſi prædium, C. de præd. minor.* quæ optimè facit ad hanc concluſionem. Nec obſtat *c. ſi annuum, de iudic.* vbi quando agitur de beneficio per minorem 14. annis, iudex Eccleſiaſticus dabit curatorem ad litem, & non ſecularis, quia hoc euenit nedum ratione perſonæ, ſed etiam rei Eccleſiaſticæ, ſuper qua laicus nullam habet diſpoſitionem, *de conſtit. c. Eccleſia S Mariæ de reb. Eccleſ. non alienan. cap. final.* Præterea ibi etiam filius ſine conſenſu patris, & etiam in patria poteſtate conſtitutus agere poteſt. Ad quid ergo haberetur recurſus ad iudicem patris, cùm ſine eo iudicium, ſiue actus expleri poſſit; ſecus autem in propoſito caſu. ergo, &c. Nec obſtat *c. ſi iudex, de ſent. excom.* vbi iudex Eccleſ. cognoſcit an captus, vel detentus per iudicem laicum ſit Clericus, vel ne; quia hoc euenit ratione poſſeſſionis Clericatus, in qua captus Clericatus reperitur, licet negetur, vel quia hæc eſt merè Eccleſiaſtica, videl. cognoſcere de Clericatu, ſicut cognoſcere de legitimatione filiorum, cuius cognitio dumtaxat ſpectat ad iudicem Eccleſiaſticum & non ſecularem, *de ord. cognit. c. tua, & qui filij ſint legitimi, c. cauſam, & c. lator.* Præterea exceptio Clericorum tendit ad libertatem eorum, *de foro comp. c. nullus.* Sed huiuſmodi emancipatio non derogat huic libertati, ſi coram laico fiat, imò etiam auget. ergo.

DECISIO V. In antiquis *tit. de Iudiciis.*

CLericus minor 25. annis agit pro debito, vel actione alia perſonali, vel reali contra laicum, & coram iudice ſeculari, iuxta *cap. ſi Clericus, de foro competenti,* quæritur an tali Clerico ille iudex ſecularis, coram quo agitur, poſſit dare curatorem ad litem, vel an ſit ſibi dandus curator ad litem per iudicem Eccleſiaſticum? Quidam dicebant, quòd non poſſit ſibi dari curator niſi per iudicem Eccleſiaſticum ſuum, argum. *cap. ſi diligenti, de foro competent.* tamen maior pars tenuit, quòd imò poſſit dari per iudicem ſecularem, & quòd eſſet dandus ab eo, coram quo agebatur, per *l. fin. C. de adminiſtrat. tut.* quia ex quo ille habet iuriſdictionem in cauſa principali, etiam habebit in incidenti, & acceſſoriis, ſine quibus cauſa dici non poteſt. argum. *l. ad rem, & l. ad legatum ff. de procur. l. quoties, C. de iudiciis lib. 1. & 2. C. de ord. iudic. cum concord.* Sed primi qui tenent, quòd non poſſit dari per iudicem laicum, coram quo agebatur, ſed per iudicem Eccleſiaſticum, reſpondebant, quòd quia in iſto accidenti, ſeu acceſſorio tangebatur ſubiectio perſonæ Clericalis, ſeu ſpiritualis, & Eccleſiaſticæ, quæ per dationẽ curatoris ſubiiciebatur in hoc iudici ſeculari, & etiam curatori, & eius liberum arbitrium reſtringebatur, vt *l. ſi curatorem habens, C de in integrum reſtitutione minorum.* quod debebat adeò ſpirituale & Eccleſiaſticum reputari, quòd non debebat terminari per iudicem ſecularem cauſæ, ſed potiùs per iudicem Eccleſiaſticum, argum. *cap. tuam, de ord. cognit. cum concord.* Sed aliqui replicabant quòd non erat ſpirituale incidens, nec Eccleſiaſticum, ſed potiùs ciuile & temporale, ex quo ſolùm cauſæ, & non perſonæ erat dandus tutor, & præfert m quia curator non datur perſonæ, ſed rebus, *Inſtit. de curator. §. curatorem.* Nec obſtat quòd in hoc Clericus ſubiicitur iudici ſeculari, quia etiam ſubiiciebatur ſibi in cauſa principali, in qua contra eum per illum poterit ſententiari, & condemnari in expenſis, ergo etiam eodem modo ſubiiciebatur ſibi in cauſa principali, & in iſto caſu acceſſorio cauſam ipſam concernente, argumento *reg. iur. acceſſorium.* præſertim, quia non videtur aliud poſſe dici. quia cùm curator ſit dandus ad litem præſentem, non poteſt dari niſi per eum corã quo eſt lis, quia ſi ante litem dari debet per iudicem Eccleſiaſticum, tunc potiùs daretur ad litem futuram, quod eſſe non poteſt, argum. *l. qui habet, §. fin. cum l. ſeq. ff. de tutelis, & l. item eorum, §. ſi decuriones, verb. ſed ſi ita, ff. quod cuiuſque vniuer. nomin.* neceſſe autem eſſet, quòd ante litem moram ſibi daretur, cùm non ante poſſeſſionem litem mouere, nec eſſe in iudicio poſſit, cùm non haberet perſonam legitimam ſtandi in iudicio. *C. qui dari tut. poſſ. l. in vniuerſis. ergo,* &c.

DECISIO ROTÆ
coram R. P. D. Seraphino.

In vna Florentina domus die 10. Iunij 1595.

FVit reſolutum ſententiam Auditoris Reuerendiſſ. Nuntij in ea parte, quæ eſt contra Illuſtriſſimos Dominos Aldobrandinos, eſſe reuocandam, cùm per eam approbata fuerit ſubhaſtatio nulliter facta per iudices laicos ciuitatis Florentiæ, cùm enim procederetur contra plures fratres, quorum aliqui erant Clerici, nempe bonæ me. Illuſtriſſim. Ioann. Aldobrandinus Rotæ tunc temporis Auditor, iudicium erat agitandum in foro Eccleſiaſtico etiam quòd alij eſſent laici. Bart. *in l. præcipimus*

C.*de appellat.* Felin.*in rubr. eod. tit. num.* 9. Iason.*in l. si emancipati, num.* 13. C *de collat.* cum aliis allegatis. Neque obstat quòd versemur in patrim. ex not. per Dec.*in cap. Episcopus, num.* 10. *de præben.* Rimin. iun. *in consil.* 2. *num.* 12. cum aliis, quia dictum eorum procedit respectu immunitatum & exemptionum, & eorum, in quibus non reperiuntur specialiter priuilegiati, non autem respectu fori. *cap. si diligenti, & cap. significasti, de foro compet.* adeò quòd neque etiam volens potest conueniri coram iudice laico, cùm sit incapax huius iurisdictionis. Dec. *in consil.* 150. *num.* 4. *&* 241. *num.* 2. & in Clerico hærede Clerici conuento pro debito defuncti, tradit Couarr. *pract. qq. c.* 8. Dec. *in consil.* 700. *nu.* 6. Galesi. *ad for. Cam. obl. par.* 2. *q.* 2. *ad* 2. *part. form. num.* 1. neque opus est, quòd compareat ad declinandum iurisdictionem, quia nihilominus processus est nullus. Felin. *in cap. cùm ordinem, num.* 15 *de rescript. & in cap. si duob. de appellat.* quod maximè dicendum in casu isto, cùm Clericatus D. Ioan. Rotæ Auditoris esset notorius, & iudicium tractaretur contra absentes citatos per edictum. Felin. *in d. cap. cùm ordinem. num.* 8. *&* 13. Dec. *in consil.* 125. *num.* 7. Non obstat quòd citatio fuerit facta quatenus sua putauerint interesse, quo casu Clericus comparens efficitur actor voluntarius, & processus sustinetur, vt per Bald. *in l. testam. de testam.* cum aliis, quos allegat Rolan. *in consil.* 28. *lib.* 2. tum, quia non applicatur in casu isto, in quo iudicium principaliter dirigebatur contra Aldobrandinos citatos: tum etiam, quia non est verum, quod citentur, quatenus sua putent interesse, sed simpliciter citantur tamquam habentes primam causam successionis, si sunt & esse volunt hæredes Domini Syluestri; creditores verò citantur pro eorum interesse. Præterea in hoc iudicio citati non comparuerunt, & fuit processum per edictum, vnde cessat ratio Bald. Nec potest dici contumaces haberi pro consentientibus, cùm non dicatur contumax ille, qui non arctatur ad comparendum. Neque obstat quòd instantia cœpta contra defunctum laicum transeat etiam in hæredem Clericum, vt per Felin. *in c. quia G. de iudic.* quia hoc non subsistit neque in facto, neque in iure, quia in facto non est verum, quòd fuerit cœptum iudicium contra bonæ me. D. Syluestrum, & in iure contrarium tenet Boër. *decis.* 69. cum aliis quos adducunt Couarr. & Galesi. cit. Neque obstat iuramentum in contractu appositum, quia non habet vim litis contestatæ, nisi res sit in iudicium deducta. Iason *in l. pecun. C. de cond. ob caus.* Neque etiam respectu laicorum potest sustineri subhastatio, quia cùm ageretur de re communi cum Clericis, iudiciũ erat Ecclesiasticum. Bart. *in d. l. præcipimus,* maximè cùm esset intentata actio hypothecaria, quæ est indiuidua, quo casu sententia non potest pro parte valere, & pro parte non. Affl. *decis.* 213. Put. 315. *num.* 3. *lib.* 1. Quod dicitur de præscriptione non obstat, quia de nullitate dici potest vsque ad 30. annos. Aym. *in consil.* 108. *num.* 4. præsertim stante nullitatis euidentia. Balb. *de præscript.* 4. *part.* 4. *partis princ. quæst.* 32. & ita conclusum.

DECISIO ROTÆ coram R.P.D. Blanchetto.

In vna Osceñ. Pœnitentiariæ die 10. Aprilis 1595.

DOMINI dixerunt sententiam absolutoriam vltimo loco latam in iudicio criminali ad fauorem Pauli, sustineri non posse. Nam & de iure communi & ex Bulla in Cœna Domini recursus in causis Ecclesiasticis ad iudices laicos est prohibitus. *cap. qualiter & quando.* vbi DD. omnes, *de iudic.* & recurrens est ipso iure excommunicatus, *cap. nouerit, & cap graue, de sent. excommunic.* & in d. Bull. §. 16. & committit sacrilegium. Caietan. *in summ. in ver. excommunicatio, cap.* 3. *& sequent.*

Nec excusari potest, ex traditis per Couarr. *practic. quæst. cap.* 35. *num.* 3. nam etsi iudex Ecclesiasticus malè procedat, non potest iudex secularis, cuius est minor potestas, supplere negligentiam Ecclesiasticam qui ipso potestate & auctoritate est maior, vt declarant omnes DD. *in cap. qualiter & quando, de iudic.* videlicet Ioan. Andr. & Abb. antiq. *numer.* 1. Imol. *numer.* 7. Barbat. *num.* 23. sed illius negligentiam Ecclesiasticus supplet, *cap. ex transmissa, cap. licet, cum seq. de foro compet.* superioritatem autem iurisdictionis probant *cap. solitæ, de maior. & obed. cap. denique, 96. distinct. & Clem. Romani, de iureiurand.*

Quæ licet de plano procedant, multò magis applicantur proposito casui, in quo Paulus habuit recursum ad iudices laicos, non solùm semel, sed pluries ad effectum impediendi mandatum de manutenendo ad fauorem Capituli, ritè & rectè decretum 51. 3. *Octobr.* 1587. *&* 18. *Nouembr. &* 11. *Decembr. eod. ann. & de mense Febr.* 1589. etiam postquam obtulerat se paratum parere mandatis Archiepisc. Cæsaraugust.

Nec excusari potest Paulus à tali recursu ex eo quòd postea voluerit prosequi grauaminis causam coram Ecclesiastico, quia talis excusatio non habet locum, quando recurri potest ad Ecclesiasticum, qui tale grauamen impediat, prout poterat Paulus adeundo Metropolitanum, vel Nuntium Apostol. & illum ad istum effectum non recurrisse euentus docuit, quia neutrum adiuit, & prouisiones Regiæ multo magis hoc declarant, quia non solùm inhibetur iudici Ecclesiastico, ne ad vlteriora procedat, sed illi mandatur, vt quæ decreuerat reuocet, & coram ipso iudice seculari compareat ad allegandas causas, ex quibus parere non teneatur.

Ex quibus nihil aliud inferri potest, nisi quòd ipsi iudices nolint de causa Ecclesiastica cognoscere, quod est admodum absurdum, cùm iudex laicus sit incapax iurisdictionis in personas Ecclesiasticas, & eorum causas. Nec immemorabilis hoc casu suffragatur Doctor *in c. causam. de præscript.* Felin. *in cap. 2. de maior. & obed.* Rot. *decis.* 10. *de consuet. in ant.* & Bisinger. 2. *eod. tit.* præcipuè cùm in dicta Bulla in Cœna Domini derogetur consuetudinibus & immemorabilibus.

Non

Non obſtant quæ allegantur ex defectu iuriſdictionis, & quòd Rota non cognoſcit de iuſtitia ſententiarum, quæ ſunt extra Rotam latæ, quando de illarum excuſatione non agitur, quia in caſu propoſito Hieron. Pinos habet fundatam intentionem ſuper recurſibus, & claram iuris diſpoſitionem, per quam Paulus propter excommunicationem incurſam redditur incapax beneficiorum. & cùm ipſe Paulus excipiat de abſolutoria, quam tranſiuiſſe in rem iudic. prætendit, licitum eſt Hieronymo replicare de illius notoria iniuſtitia. Propterea vltra recurſus prædictos coram locum tenente criminali A. C. adſunt alij producti, ex quibus ipſum incidiſſe in pœnas in Bulla Cœnæ Domini contentas negari non poteſt.

DECISIO ROTÆ in Oſcen. Canonicatus.

Coram R. P. D. Pegna die 1. Decembr. 1595.

CVm Paulus quidam Lezanus Archidiacon. Eccleſiæ Oſcen. ſuper controuerſia, quam habebat cum Capitulo eiuſdem Eccleſiæ ſuper quodam Veſtuario, bis recurriſſet ad Tribunal ſeculare, iuſtitia Aragonum pro obtinenda inhibitione, quam iuris firmam vocant; & in alia cauſa, ſuper qua idem Paulus litigabat in Rota, ſibi opponeretur de prædictis recurſibus, vt conſequenter tamquam excommunicatus, non eſſet audiendus, ac *die* 10. *April. anni* 1595. coram R. P. D. Blanchetto fuiſſet deciſum Paulum in excommunicationem incidiſſe, agenteſque pro Paulo coram me cõquererentur, dicentes eum fuiſſe valde grauatũ, quia recurſus ad iudices ſeculares, qui nõ negabantur, fuerat in caſu licito, & ſacris canonibus permiſſo, ideo dato dubio an Paulus eſſet excommunicatus ad effectum vt veniret, vel non veniret audiendus, Rota vtraque parte informante, vno tantùm excepto, illum in cenſuras à ſacr. canonibus, & à Bulla in Cœna Domini latas contra illos, qui in cauſis Eccleſiaſticis, quæ aguntur coram iudicibus Eccleſiaſticis, recurrunt ad iudices laicos, & ad Tribunalia, & Parlamenta laicorum incidiſſe pronuntiauit, quia exploratum eſt per multa Concilia ab Eccleſia Romana approbata, & perpetuo vſu recepta prohibitum eſſe laicis Clericos trahere ad iudicia ſecularia. Conciliũ Carthaginenſe III. *c.* 9. Concil. Tolet III. *c.* 11. vbi talis auſus vocatur indiſciplinatio & licentiæ inolitæ præſumptio. Concilium Chalcedonenſe *cap.* 9. quæ refert Gratianus *in cap. inolita, & cap. placuit, & c. ſi Clericus* 11. *q.* 1.

Extant præterea in eamdem ſententiam multa Romanorum Pontificum decreta *in cap. nemo, in c. Clericum. in cap. ſi quis, in cap. Chriſtianis, in cap. nullus Clericus, in cap. peruenit, in cap. fratris, & in cap. Sacerdotibus* 11. *q.* 1. quibus per omnia conſentiunt recentiorum Pontificum conſtitutiones, Innocentij III. *in cap. qualiter & quando, de iudiciis.* Honorij III. *in cap. nouerit, & in cap. grauem, de ſententia excomm.* quibus duobus poſtremis decretis in ſententiam excommunicationis incurrunt omnes iudices violantes Eccleſiaſticam libertatem, & iuxta tenorem ſuorum ſtatutorum, & conſuetudinum introductarum Clericos iudicare præſumentes.

Atque iſtis tandem acceſſit grauis & meritò timenda cenſura Rom. Eccleſiæ in proceſſu Bullæ Cœnæ Domini ſingulis annis renouata *in* §. 16. vbi Papalem excommunicationis ſententiam incurrunt omnes, qui Prælatos Eccleſię impediunt, quominus ſua iuriſdictione vtantur, quique illorum & delegatorum iudicia eludentes ad Cancellarias, & Curias ſeculares recurrunt; & ab illis prohibitiones, & mandata contra iudices Eccleſiaſticos obtinent, & aduersùs eoſdem exequi procurant, aut id vt fiat, dant auxilium, conſilium, patrocinium & fauorem.

Vnde cùm Paulus Lezanus recurſum habuerit ad iudicem ſecularem, & iuris firmam, ſeu inhibitionem contra Capitulum obtinere curauerit, eaque reuera vſus fuerit, meritò in cenſuras à ſacris canonibus conſtitutas incidiſſe iudicabatur.

Cæterùm, quia vnus ex dominis Paulum excuſare nitebatur, & informantes pro illo ex multis oſtendere conabantur, illum in caſu licito, & à iure permiſſo habuiſſe recurſum illum ad iudicem ſecularem, quia articulus eſt magni momenti, & in Republica Chriſtiana frequenter contingit, propterea viſum fuit paulò diligentiùs ſingula argumenta diſcutere, & explorare quid de ſingulis ſentiendum videatur, ne Clerici fallantur, & iudices dum aliis remedium ſe afferre arbitrantur, in diſcrimẽ peccati, & periculoſi anathematis labantur.

Prima ergo excuſatio deducebatur ex eo, quòd Paulus non adiuit iudicem ſecularem vt de cauſa cognoſceret, ſed vt prohiberet, ne appellatione pendente iudex Eccleſiaſticus aliquid in ſuum prę-iudicium innouaret, & præſertim cùm ageretur de poſſeſſorio, de quo etiam iudex laicus poteſt cognoſcere, vt patet ex traditis per Crauett. *conſ.* 258. *incip. Efficaciora viſa ſunt.* & Couar. *in pract. quæſt. c.* 35. *num.* 1. & tenuit nouiſſimè Anton. Theſaur. *deciſ.* 82. *incip. Iudex laicus.* qui loquitur de iudicio poſſeſſorio beneficiorum Eccleſiaſticorum inter Clericos, & concludit nedum ſuper poſſeſſorio retinendæ, ſiue reintegrandæ, aut recuperandæ poſſeſſionis, ſed etiam ſuper poſſeſſorio adipiſcẽdæ, poſſe cognoſcere. multo ergo magis in caſu propoſito potuit interponere partes ſuas in hoc iudicio, in quo neque tractabatur de poſſeſſorio beneficij, neque iudex laicus volebat cognoſcere, ſed ſolùm interpoſuit ſimplicem inhibitionem ſuper poſſeſſorio non beneficiali, ſed cuiuſdam veſtuarij, quod magis ſapiebat profanitatem, idque donec Superior Eccleſiaſticus cognoſceret de iuſtitia cauſæ.

Sed reſpõdebatur quòd tametſi multi Doctores, quos *præcitato loco* recenſet Crauett. & Theſaur. tenuerint cauſas poſſeſſorias rei ſpiritualis, vel quaſi ſpiritualis, per iudices ſeculares cognoſci & decidi poſſe, Romana tamen Curia, & ſupremum Rotæ Tribunal eam ſententiã veluti periculoſam ſemper reſpicit, cenſuitq; cauſas poſſeſſorias beneficiorũ, & aliarum rerum Eccleſiaſticarũ ad forum Eccleſiaſticum pertinere. *Clem. 1. de cauſ. poſſ. & propr.* & ita ſæpe Rota iudicauit coram Puteo *deciſ.* 361. *incip. Fuit dubitatum, lib.* 1. & in vna Oueten. Sacriſtiæ

coram Reuerendissimo D. Neapolione Comitulo Romæ Auditore & nunc Episcopo Perusino.

Et licet multa Christianorum Principum Tribunalia & Parlamenta eamdem affirmatiuam sententiam secutâ, vt ex præfata Thesauri decisione patet, super possessoriis rerum Ecclesiasticarum cognoscere se posse arbitrentur, postquam Romani Pontifices per bullam Cœnæ sub graui anathemate constituerunt, ne prętextu violentiæ, aut aliarum prætensionum iudices laici in causis Ecclesiasticis se quomodolibet interponant; non videtur amplius dubitationi relictus locus, quin si contrà fecerint in excommunicationem incurrunt.

Præterea ad excusandum Paulum adducebatur multorum DD. opinio, & authoritas, qui censent similes recursus ad iudices laicos non esse à sacris canonibus prohibitos. Matth. de afflict. *decis.* 24. vbi latè Vrsill. Stephan. Aufrer. *in Clem. 2. de offic. ordinar.* Menoch *tract. de retinen. possess. remed. 3. num. 356. & seq.* Rebuff. *tom. 3. tit. de appellat. abus.* Guilielm. Bened. *in cap. Raynutius, in ver. Adelasiam, num. 54. de testam.* Carolus de Grass. *lib. 2. Regalium Franciæ iure 7.* Couar. *in pract. qq. cap. 35.* Gregor. Lopez *partita 2. tit. 13. l. 13. in ver. non fuerça.* Petr. Auend. *part. 1. cap. 1. num. 32. de exequen. mand. Regum, & part. 2. cap. 6. n. 12.* Franc. Auiles *in cap. Prat cap. 1. in ver. mandamos, nu. 8.* Didacus Castellus *in l. 44. Tauri in 3. addit. in vers. hinc est quòd Reges Hispaniæ.* Alphon. de Azeuedo *in lib. 5. tit. 6. l. 1. legum nouæ recopilationis.* Didacus Perez *l. 5. tit. 1. lib. 2. ordin. in verb* pueden conocer. Gonsalus Suarez *in praxi Ecclesiastica, tom. 1. temp. 1. num. 23. & 24.* Nauarr. *in cap. cùm contingat, de rescript. remed. 1.* in antiqua impressione. Octau. Cacheranus *decis. 30. Pedemont. incip. Proposita fuit quæstio.* Ignatius Lopez de Salzedo *in addition. ad pract. crimin. Bernardini Diaz sup. cap. 102.* Michael Molinus *in Repert. foror. Aragoniæ. in verb. firma iuris, vers. die 21. Febr.* Hieron. Portoles *in 2. part. scholior. ad Repert. Molini. §. firma iuris, num. 101. & in §. appellatio, num. 30. & 31.* Barthol. Humada *in lib. 13. Tauri, tit. 13. part. 2. gloss. 4.* Alphon. Vinald. *in candel. aureo Eccles. part. 2. in explanatione Bullæ Cœnæ Domini casu 14.* P. Cenedus *in Collectan. iuris Canonici, sup. Decretal. collectaneo 17.* Gabriel de Monteroso *in practica ciuili & criminali, tractat. 5. vers. Siguese el tercero processo que es Ecclesiastico, que viene por via de fuerça fol. 92. & eodem tract. c. 2. fol. 93. pag. 2.* vbi docet praxim ponendi hanc querelam coram Regio consilio, Domin. Sotus *in relectione de ratione tegendi secretum. membr. 2. quæst. 5. paulò post principium, vers. quando iudex secularis.* Dominicus Bañez primarius Theologiæ Professor in Gymnasio Salmanticensi *ad 2. 2. S. Thom. quæst. 62. art. 1. conclus. 6. pag. 269.* ex impressione Veneta anno 1595. Michael Salon. *super 2. 2. S. Thom. quæst. 67. art. 1. controuers 1. in fine, vers. ad 3. de Paulo, & controuers. 2. vers. ad alia argumenta hæretic.* ibi, *ad confirmationem dico.* Fr. Anton. de Cordoua *tract. de casib. conscien. quæst. 35. ver. à lo segundo digo. pag. 83.* ex impressione Complutensi anno 1592. & alij. ex quibus apparebat tam Ecclesiasticos, quàm seculares oppressos violentia iudicum Ecclesiasticorum posse adire iudices seculares, vt eos à violentia, & oppressione liberent, donec vel à iudice Ecclesiastico superiore, vel à Romano Pontifice debitum iure præstetur auxilium.

Ad horum tamen omnium opinionem vno verbo respondebatur eam esse periculosam, & contra sacrorum canonum authoritatem, cùm enim sacri canones indistinctè prohibeant huiusmodi recursus ad iudices seculares, ideo ad solos Romanos Pontifices, quorum est canones condere, & conditis tribuere auctoritatem, pertinebat ac pertinet docere casus, in quibus licitus sit talis recursus, non autem ad priuatos auctores quibus obediendi necessitas, non declarandi facultas incumbebat.

Quamquam adderetur in hac re antiquiores Doctores magis excusabiles esse propter quosdam canones, qui eam licentiam tribuere videntur, de quibus paulò pòst dicetur; recentiores tamen, qui post prohibitionem factam in Bulla Cœnæ Domini id asserere ausi sunt, minus excusabiles videri. nam *in §. 14. eiusdem Bullæ*, Romani Pontifices recursus etiam prætextu violentiæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi recurrentes ad Pontificem informandum supplicauerint, aut supplicari fecerint, sub graui anathemate prohibitos esse decreuerunt.

Rursus prætendebant informantes pro Paulo illum excusandum auctoritate quorumdam antiquorum decretorum *in cap filius*, & *ibi* gloss. *in ver. Regis. 16. q. 7.* ibi, *quòd si talia Episcopus agere tentet, Metropolitano eius hæc insinuare procurent; si autem Metropolitanus talia gerat, Regi hæc auribus intimare non differat.* Hæc ibi. quo loco glossa Regem adire permittit, vt corrigat iudicem Ecclesiasticum quando per Ecclesiasticum cogi non potest. Item quando iudex Ecclesiasticus est negligens, quod ipsum probare videntur decreta quædam *in cap. Principes, & in cap. Regum, & in cap. administratores, 23. q. 5.* quibus decretis passim vtuntur, qui recursus licitos esse arbitrantur.

Ad illa tamen multis modis respondebatur. Primùm ex sententia Ioan. Andreæ & Abbatis *in cap. qualiter & quando, num. 7. ver. nam illa, de iudiciis.* per recentiora decreta fuisse reuocata. Glossam verò *in d. cap filius non benè loqui.* Vel ista omnia decreta intelligi secundùm antiqua tempora, vel denique iudice Ecclesiastico negligente, aut vim inferente Reges, & maiores magistratus adire licere, non vt iudicent, neque vt inhibeant, sed vt admoneant, vel instent, aut intercedant coram superiori Ecclesiastico, vel vt adiuuent. Abbas *in d. cap. qualiter & quando, num. 7. versic. nec obstat.* Quæ tamen sic fieri debent, vt nullum penitus imperium, nullam iurisdictionem, aut potestatem seculares iudices per Ecclesiasticos vsurpent.

Considerabatur propterea quòd omnia illa decreta nec erant alicuius Concilij generalis, neque alicuius Romani Pontificis. Nam decretum *in cap. filius*, est Concilij Tolerani IX. *cap. 1. text. in cap. Principes 23. quæst. 5.* est Isidori *lib. 3. sentent. de summo bono, cap. 53. text. in cap. Regum*, est S. Hieronymi *in cap. 22 super Hierem. cap. administratores.* licet à Gratiano tribuatur Ioanni Papæ VIII. nondum tamen patuit, an eius Pontificis sit, & quamuis fuerit, lõgè aliam sententiam habet, vt eius series indicat.

Et

Et denique iſta decreta, & ſi quæ ſunt alia ſimilia, inſpectis conditoribus generalium legum vim nõ habent, & quamquam propter auctorum dignitatem & ſanctitatem venerabiliter ſint interpretanda, non tamen ſunt omnino pro legibus canonicis accipienda: habent autem omnino ſanam interpretationem, ſed non longè diuerſam ab illa, quam inde eruere conantur, qui pro tuendo ſe iſtis recurſibus opinionem ſuam iſtis decretis munire conantur.

Nec refert illos canones recenſeri in Decreto à Gratiano compilato, quia cùm Gratianus non publica, ſed priuata auctoritate, infinita prope illa canonum Eccleſiaſticorum, & legum etiam ſecularium capitula in ſuum librum contulerit, nec legis condendæ auctoritatem habuerit, nec ab aliquo Romano Pontifice liber ille tamquam authenticus & legalis approbatus fuerit, inde fit vt quilibet Canon ibi relatus ex eo tantùm, quòd ibi referatur, non habeat maiorem auctoritatem, quàm in proprio loco conſiſtens de ſui natura eſſet habiturus, vt rectè docuit Baptiſta de S. Blaſio *in repet. rubr. Decreti Gratiani, quæſt. 5. & 6.* Hoc Gregor. XIII. Gratiani librum tanquam legalem authenticauit, cùm ſolùm emendare iuſſerit, & emẽdationes ſine additionibus, aut detractionibus mandauerit obſeruari.

Quartò pro excuſando Paulo allegabatur antiquiſſima conſuetudo Hiſpaniæ, per quam iſti recurſus vſu frequenti videntur eſſe recepti, de qua conſuetudine teſtatur Menochius *tract. de retinend. poſſeſſ. remed. 3. n. 356. & 357.* vbi poſtquam retulit decreta *in c. Principes, & in c. Regum, & in c. Adminiſtratores 25. q. 5.* addit inde inualuiſſe optimã illam obſeruantiam Galliæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Pontificũ deinde priuilegiis confirmatam, vt Clerici, vel bonorum Eccleſiarum diſſipatores, vel infirmorum oppreſſores ob negligentiam iudicis Eccleſiaſtici cogi valeant à iudicibus laicis à diſſipatione & oppreſſione deſiſtere.

Eiuſdem obſeruantiæ meminit Couarruu. *in pract. qq. d. cap. 35. numer. 3.* & Nauarr. *in man. d. cap. 27. numer. 70.* & alij paulò antè relati *in verſ. præterea ad excuſandum Paulum.* Sed reſpectu iſtius conſuetudinis primùm reſpondebatur parum ſubſiſtere quod aſſerebat Menoch. de illa confirmata per Romanorum Pontificum priuilegia, quæ ſi extarent, aut aliquando à Sede Apoſtolica conceſſa fuiſſent in grauibus controuerſiis, quæ frequenter oriuntur propter iſtorum recurſus, non dubium quin vel iudices ſeculares, vel Clerici ad eos recurrentes, vt ſe excuſarent, iſta priuilegia Apoſtolica produxiſſent, quod tamen nuſquam factum apparet, nec Doctores aſſerentes licitos eſſe iſtos recurſus, ſententiam ſuam muniunt priuilegiis Papalibus, ſed iuribus & decretis paulò antè citatis. Rurſus dicebatur talem obſeruantiam, cui tot Cõciliorum & Romanorum Pontificum decreta obſiſtunt, non poſſe vocari optimam, ſed corruptelam potiùs, tantoque grauiorem, quanto magis inordinatum continet proceſſum, ac magis perturbatum iudiciorum ac iuriſdictionum exercitium; cùm enim iudices ſeculares, vt rectè ſenſit Abb. *in d. c. qualiter & quando, n. 7. verſ. ſed iudex ſecularis, de iudiciis*, nec actu, nec habitu habeant iuriſdictionẽ in Clericos, imò potiùs talis iuriſdictionis ſint penitus incapaces. arg. *c. cauſam, de præſcr. & cap. Sacerdotibus 11. q. 1.* & ſint inferiores iudicibus Eccleſiaſticis, *c. denique 96. diſt. & Clemen. Romani, de iureiur.* propterea nullo modo poſſunt corrigere iudices Eccleſiaſticos, aut illorum ſupplere negligentiam, aut eis inhibere, niſi in caſibus à iure expreſſis, cùm, vt ait Innoc. *in c. quia diuerſitatem, de conceſſ. præb.* nunquam minor maioris negligentiam ſuppleat: ſupradictis accedat, quia iſtas conſuetudines & obſeruantias, quæ immunitati & libertati Eccleſiaſticæ iniuriam inferunt, expreſsè damnauit Honorius III. *in cap. nouerit, de ſententi excomm.* & Bulla in Cœna Domini, quæ dum omnem prætextum recurrendi ad iudices ſeculares prohibet, conſuetudines etiam quaſcumque ſuſtuliſſe cenſetur, vt paulò pòſt in ſpecie conſuetudines etiam immemorabiles aufert.

Quintò ad Paulum excuſandum, & ad prædictam conſuetudinem Hiſpaniæ tamquam licitam, & legitimam defendendam, allegabantur aliquot leges Regni Caſtellæ, quibus cauetur licere recurrere ad tribunal laicorum pro auferendis violentiis illatis à iudicibus Eccleſiaſticis. Præcipuæ autem leges ſunt ſequentes.

Prima eſt *lib. 2. ordinam. Regij, tit. 1. l. 5. incip. los Reyes, pag. 296.* fuit lata à Rege Ioanne eius nominis primo Segouiæ, & ibi notat Didacus Perez *in gloſſ. in ver. pueden conocer*, quòd in ea lege fundatur hodierna practica, qua vtitur Conſilium Regium. quoniam autem ab iſta lege videntur cæteræ ſimiles proceſſiſſe, ideo placuit eius verba referre, quæ ſic habent. *Los Reyes de Caſtilla de antigua coſtumbre, y aprouada, vſada y guardada, pueden conocer, y proueer de las injurias, violencias, y fuercas que acaecen entre los Prelados, y Clerigos, y perſonas Eccleſiaſticas ſobre las Igleſias, y beneficios.* Hæc eadem lex ſub eodem tenore verborum refertur in noua recopilatione *lib. 1. tit. 6. l. 2. incip. los Reyes, pag. 20.* vbi Alphonſus Azeuedo latè conatur probare iuſtitiam huius legis.

Alteram legem idem diſponentem tulerunt Imperator Carolus, & Regina Ioanna Toleti *die 11. Aug. anno 1525.* incip. *Por quanto*, & habetur *lib. 2. recopil. tit. 5. l. 36. pag. 62.* vbi dicitur ad Regem pertinere de iure, & de immemorabili conſuetudine tollere violẽtias quas faciunt iudices Eccleſiaſtici.

Tertia eiuſdem argumenti lata Montiſoni per eoſdem Reges *anno 1542.* habetur *eodem lib. 2. nouæ recop. tit. 5. l. 37. incip. Porque ſomos informados.*

Quartam eiuſdem argumenti tulerunt iidem Reges *anno 1536. incip. Madamos.* & habetur *eodem l. 2. tit. 5. l. 38.*

Quintam tulerunt iidem Reges *an. 1555.* & habetur *eod. lib. 2. tit. 5. l. 39. incip. Otroſi.* & iſtæ ſunt præcipuæ leges diſponentes de violentiis auferendis, & in prioribus legibus Reges affirmant, ſe poſſe cognoſcere de iniuriis & violentiis, quæ accidunt inter Prælato, Eccleſiaſticos & Clericos ſuper Eccleſiis & beneficiis, idque ex conſuetudine antiqua approbata, & vſitata, & obſeruata. *l. 4. eiuſdem nouæ recopil. tit. 1. de iuriſd. regia, pag. 223 & ſeq.* Habentur

multæ aliæ leges, quibus Eccleſiaſtici multa facere iubentur, vel prohibentur, illę tamen leges non loquuntur de violentus auferendis.

Ad iſtas omnes leges & alias ſimiles vnico verbo reſpondebatur. Primò eſſe penitus inualidas, quia regula eſt nemine diſcrepante conſtituta & approbata, quòd quando leges Principum ſecularium diſponunt aliquid circa perſonas, vel res Eccleſiaſticas, tunc tales leges non valent, neque ligant propter manifeſtum defectum poteſtatis, ſiue iuriſdictionis. Ita Canoniſtæ communiter *in cap. Eccleſ. S. Mariæ*, vbi Felin. *num.* 40. *verſ. prima eſt, vt non procedat, de conſt.* Gratus *conſ.* 100. *num.* 36. *lib.* 1. Iul. Clar. *in §. emphyteuſis, q.* 28. *n.* 7. *ver. nec dicatur.* & iſta regula eſt vera, licet tales leges continerent fauorem Clericorum, vel Eccleſiarum. Anton. de Butrio, Imola, Abbas, & alij *in c. quod Clerici, de foro compet.* quos refert & ſequitur Surd. *conſil.* 301. *nu.* 13. *& ſeq.* nec refert quòd iſtæ leges potuerint ferri ex Apoſtolica conceſſione, quoniam neque Reges, qui eas tulerunt, fundarunt ſe in Apoſtolica conceſſione, vt patet ex ipſarum legum ſerie. & conſequenter firma remanet concluſio ſuprà poſita, ex qua vlteriùs inferunt præcit. Doctores, leges contentas *in C. Iuſtinianeo, tit. de ſacroſ. Eccleſ. & de Epiſc. & Cleric.* licet non ſint in damnum Eccleſiarũ, nec repugnent ſacris Canonibus, etiam de honeſtate non eſſe ſeruandas propter notorium defectum poteſtatis, ſeu iuriſdictionis in ſtatuente, vt prædictum eſt.

Sexta excuſatio proponebatur ex eo quòd Reges Hiſpaniæ vigore priuilegiorum à Rom. Pontificibus conceſſorum poſſunt cognoſcere de violentiis illatis à Prælatis Eccleſiarum Clericis ſuis ſubditis. Ita teſtatur Menoch. *tract. de retin. remed.* 3. *numer.* 356. & 357. & Domin. Bañez *de iuſtit. & iure, quæſt.* 62. *art.* 1. *concluſ.* 6. quorum auctoritas muniebatur ex his quæ ſcribunt Carolus de Graſſis *lib.* 2. *Regalium Franciæ, iure* 5. & 7. & Ioannes Feraldus *de inſign. priuileg. Regum. Franciæ, iure* 11. vbi dicunt Reges Franciæ ex antiqua conſuetudine & priuilegiis Apoſtolicis iudicare de articulis poſſeſſoriis rerum ſpiritualium, & ſpiritualibus annexarum, & de violentiis & oppreſſionibus Clericorum. Item ex his quæ ſcribit Octauianus Cacheranus *deciſ. Pedemon.* 30. *incip. Propoſita fuit quæſtio, numer.* 4. & 15. *verſ. ſed per priuilegium.* vbi affirmat Duces Sabaudiæ tam de iure communi, quàm ex forma priuilegiorum Imperialium à Sede Apoſtolica confirmatorum habere eam poteſtatem in Epiſcopos & Clericos in ſuo ſtatu degentes, quam habet Imperator in eos, qui eius imperium incolunt; & licet hæc inſpectio iuſtum volumen poſtularet, nihilominus tamen ex mente Dominorum ſequentia breuiter colligebantur.

Primum erat, potuiſſe quidem olim, ac poſſe nunc Romanos Pontifices ex cauſa rationabili concedere Principibus ſecularibus ſimilia priuilegia. Gratus *conſil.* 61. *num.* 22. & 23. *lib.* 1. Aufrer. *de poteſt ſecul. reg.* 1. *fallen.* 12. & ratio eſt, quia quæ ſunt iuriſdictionis, laicis poſſunt committi & delegari. Alterum erat, priuilegia iſta, quæ ſunt exorbitantia à ſacris canonibus, non eſſe præſumenda, neque credendum fuiſſe conceſſa, niſi tenor priuilegiorum exhibeatur. nam cùm priuilegium ſit quid facti, non præſumitur niſi probetur *l. in bello. §. facti. ff. de captiuis, & poſtlimin. reuerſ.* Tertium erat, aſſertionibus duorum, trium, aut etiam plurimorum Doctorum affirmantium de iſta conceſſione Apoſtolica non eſſe facilè credendum, præſertim cùm non referant à quibus Pontificibus, quibus Regibus, quo tempore, & quo tenore fuerint conceſſa. nam eſto quòd fuerint conceſſa, videndum erat an priuilegia eſſent perpetua, vel temporalia. Item an eſſent vni tantùm Regi & reſpectu vnius tantùm prouinciæ conceſſa. Item an reſpicerent particulares perſonas aliquorum Epiſcoporum & Clericorũ. Item an eſſent conceſſa reſpectu vnius, vel alterius articuli tantùm. Denique data conceſſione videndum erat an eſſent conceſſa ſub aliqua modificatione, ſeu limitatione, quod ex eo fit veriſimile, limitatè, & modificatè fuiſſe conceſſa, quoniam non videtur prudentis cuiuſquam fuiſſe Pontificis generaliter voluiſſe conſtituere Principes ſeculares, vel eorum Tribunalia, aut Parlamenta, iudices in cauſis quibuſdam, ſeu articulis Clericorum, qui ſecundùm Canonicas ſanctiones ſolùm tractari poſſunt, & ſolent in Curiis iudicum Eccleſiaſticorum, & maximè conſiderata natura Principum ſecularium, qui & tenaciter ſolent retinere ſemel ſibi conceſſa, & liberiùs quàm decet ſe extendere ad caſus in conceſſione non comprehenſos.

Ex his autem quæ proponebantur, veriſimilius videbatur non adeſſe aliqua priuilegia Pontificia, quoniam iidem Hiſpaniæ Reges, qui ſuper iſtis recurſibus, & violentiis inter Eccleſiaſticos cognoſcendis leges tulerunt, nullam fecerunt mentionem Apoſtolicorum priuilegiorum, aut Apoſtolicæ conceſſionis. nam Ioannes Caſtellæ Rex eius nominis primus, *lib.* 2. *ordinamenti Regij tit.* 1. *l.* 5. ſolùm ſe fundauit in antiqua conſuetudine approbata, & vſitata, & obſeruata. Imperator verò Carolus & Ioanna Regina in ſimili lege lata *anno* 1525. ſolùm ſe fundarunt in iure & immemorabili conſuetudine, vt videre eſt *lib.* 2. *nouæ recopilat. tit.* 5. *l.* 36 *pag.* 62.

Septima excuſatio deducebatur ex lege lata Toleti à Carolo V. & Ioanna Regina *die* 11. *Aug.* 1525. & habetur *l.* 2. *nouæ recopil. tit.* 5. *l.* 36. *pag.* 62. vbi Imperator aſſerit tam de iure communi, quàm de immemorabili conſuetudine ad ſe pertinere tollere violentias, quas inferunt iudices Eccleſiaſtici, & aliæ perſonæ in cauſis, quas cognoſcunt, non admittendo appellationes legitimè interpoſitas. nam ſi, vt lex ait, Reges Hiſpaniæ habent pro ſe immemorabilem conſuetudinem, conſequenter poſſunt allegare quemcumque titulum voluerint, in primis verò Apoſtolicum priuilegium.

Sed reſpondebatur primò in caſu propoſito nullam immemorabilem conſuetudinem apparuiſſe probatam, quam tamen plenè & concludenter probare oportebat, iuxta requiſita per gloſſ. *in c. 1. de præſcr. lib.* 6. quam ſemper Rota fuit ſequuta. Secundò dicebatur ex vnica enuntiatiua contenta in lege lata à Principe ſeculari ſuper materia, cuius

laicus

laicus ex natura ſua eſt incapax, nullo pacto probari immemorabilem ad fauorem Principum ſecularium, quia ſi per ſimiles enuntiatiuas prolatas à perſonis intereſſatis probarentur conſuetudines immemorabiles, facile totius Reipublicæ Eccleſiaſticæ ſtatus perturbaretur, & omnis iuriſdictio Eccleſiaſtica vſurparetur. Poſtremò diebatur quòd licet talia adeſſent priuilegia, & conſuetudines, adhuc non ſuffragarentur, cùm per Bullam in Cœna Domini omnia ſint ſublata.

Octaua excuſatio proponebatur ob peculiarem conſuetudinem, illamque antiquiſſimam Regni Aragoniæ, de qua teſtatur Michael Molinus *in repert. foror. Aragon. in ver. firma iuris, verſ. die 21. Febr. anno* 1427. & Hieron. Portoles *in 2. part. ſchol. in repert. Molini, in §. firma, num.* 101. vbi aſſerunt, quòd Clerici Aragoniæ poſſunt habere recurſum ad Curiam iuſtitiæ Aragonum, & ab illa obtinere inhibitionem contra alios Clericos etiam Epiſcopos proprios eorum Superiores, ſi ipſi illos indebitè grauent, quod etiam poſt Concil. Trident. & Bullam Cœnæ fieri poſſe cenſuit Petrus Cœnenus *in Collectan. iuris Canon. part. 2. collect. num.* 17. Cæterùm reſpectu perſonarum Eccleſiaſticarum Dominis valdè diſplicuit hæc firma iuris, conſiderabant enim quòd in firma obtenta à Procuratore Pauli, dicebatur quòd firma iuris vigore fori locum habebat in omni caſu, cùm tamen nullus ex Doctoribus allegatis pro defenſione iſtorum recurſuum auderet aſſerere tam generalem facultatẽ, ſed eam reſtringeret, vel ad caſum negligentiæ iudicis Eccleſiaſtici, vel ad caſum violentiæ & oppreſſionis. Quamobrem Rota cenſuit iſtam fori obſeruantiã reſpectu Eccleſiaſticorum non eſſe tolerabilem, quam damnabant decreta Conciliorum, Romanorum Pontificum reſponſa, & nouiſſimè quoque Bulla in Cœna Domini excommunicatione coërcebat.

Sed neque auctoritas DD. quos allegabat pro ea Hieron. Portoles contrarium ſuadebat, cùm ſolùm adducerentur Nauarr. *in cap. cùm contingat, remed. 1. de reſcript. & in Man. cap. 27. n. 70.* & Couar. *in pract. qq. c. 35. num. 3.* Octauian. Cacheran. *deciſ. 30. Pedem. num. 13.* & Carolus de Graſſis *de Regal. lib. 2. in 7. iure.* & Aufrer. *de poteſt. ſecul. ſup. Eccleſ. perſ. reg. 2. fallen. 30.* quibus paulò antea ſatis videbatur reſponſum.

Nonò & poſtremò informantes pro Paulo per deciſiones Rotales eam excuſare nitebantur, quibus hoc Tribunal recurrentes ad Regia Prætoria, & iudices ſeculares, vt vim iudicum Eccleſiaſticorum coercerent, ſæpè excuſatos habuit. Achill. *deciſ. 36. de appellat. in impreſſ.* & fuit deciſum coram R. P. D. Seraphino Rallalio, Rotæ Decano in vna Tarracon. villæ de Reus *die 4. Decembr.* 1592. & nuper in vna Salmantina Canonicatus coram R. P. D. Laurentio Blancherto *die 24. Maij præſentis* 1595. Achilles enim ait Rotam cenſuiſſe non attentaſſe quemdam, qui poſt inhibitionem Rotalem iuit ad Conſilium Regium pro manutentione ſuæ poſſeſſionis, quam poterat propria authoritate defendere, quia vrbanius egit ex deductis per Pariſium *conſil. vlt. lib. 4.* quod in Salmantina apertiùs explicabatur ſuis verbis, quoniam iſti recurſus ad defenſionem propriæ poſſeſſionis, & appellationis admiſſionem non eſt improbatus.

Has tamen deciſiones Domini intellexerunt habere locum, quando quis recurreret ad ſimplex auxilium laicorum, vt de facto defenderetur à grauamine & vi illata, per quam quis de facto expellebatur à ſua poſſeſſione, non ſecus ac ſi quis inuocaret auxilium cuiuſlibet tranſeuntis per vicos, vel plateas, ſi fortè de facto ab aliquo potentiori pelleretur de propria domo, non autem vt poſſet à iudicibus laicis defendi per citationes, inhibitiones, & iuris firmas, & comminationes pœnarum emanatas à dictis iudicibus contra Prælatos, & iudices Eccleſiaſticos, quia tales recurſus tamquam illicitos, numquam tolerandos cenſuerunt, in eaque re grauiſſimè lapſum Couarruuiam *in practic. quæſt. c. 35. num. 3.* & cæteros idem opinantes vno conſenſu affirmatum fuit.

Deciſio in cauſa Tarraconenſ. non poterat Paulo ſuffragari, quia præterquam quòd Archiepiſcopus vigore Papalis reſcripti potuerat propria auctoritate poſſeſſionem oppidi de Reus apprehendere, & in capienda etiam poſſeſſione interuenerat conſenſus totius vniuerſitatis, quæ ſponte conſenſerat, vt poſſeſſio caperetur, propter quem excludebantur attentata. Creſcen. *deciſ. 17. in fine lib. 1. tit. vt lite pendente.* Peregrin. *deciſion. 93. incip. In cauſa Pampilonenſis lib. 1.* difficultatem tollebat, quia in eo caſu Archiepiſcopus vigore eiuſdem reſcripti Pontificis poterat inuocare auxilium brachij ſecularis, vt ſecuriùs & tutiùs caperet poſſeſſionem, & reliqua conficere, quę ad eumdem finem pertinebant: manifeſtum eſt autem iudices delegatos de iure communi poſſe recurrere ad iudices ſeculares, & inuocare illorum brachium, ſiue auxilium pro exequẽdis rebus ſibi commiſſis, *cap. præterea, de offic. deleg.* Nauarr. *in d. cap. cùm contingat, de reſcript. remed. 1. n. 2. 3. & ſeq.* Idemque poſſe facere quemlibet alium, cui hoc eſſet reſcripto Pontificio ſpecialiter conceſſum, explorati iuris erat.

Dicebant inſuper Domini, quòd licet prædictæ deciſiones Rotales, & aliæ ſimiles veræ ſint, nihilominus conſilia Regia, & alij iudices laici nihil aliud facere debent, præter exhibere nudum auxilium ad manutentionem. nam ſi ad alia procederent, recurſus eſſet illicitus, & cauſaret attentata. Lancell. *de attentatis, cap. 4. limit. 1. num. 37. & 38.* vbi allegat aliquas deciſiones Rotales, & Mandoſ *in tract. commiſſ. in formula 14. in ver. reuocandi, verſ. quartò quæro,* quamuis fateatur prædictas deciſiones eſſe iuri, & rationi conformes, timet tamen, an anſam præbeãt Regibus, & quibuſuis dominis temporalibus intromittendi ſe in cauſis beneficialibus, & rebus & perſonis Eccleſiaſticis.

Ex ſupradictis tandem inferebatur iſtas deciſiones non potuiſſe Paulo Lezani ſuffragari, qui ſi prætendebat ſe grauatum, debuerat omiſſo tribunali ſæculari recurrere ad immediatum Superiorem Eccleſiaſticum, vel ad Nuntium Apoſtolicum. *cap. ſi Clericus 11. quæſt. 1. cap. filius 16. quæſt. 7.* vbi de Epiſcopo grauante recurritur ad Metropolitanum. Quod verò inibi additur de adeundo Regẽ,

ſi

si Metropolitanus etiam remedium adhibere neglexit, nec potest istos recurrentes tueri, cùm illic recursus nec possit, nec debeat fieri ad effectum obtinendi inhibitiones, aut communiones pœnales contra Ecclesiasticos, vt *suprà* dictum est, qui neque ratione personarum, neque rerum suarum subiiciuntur iurisdictioni laicorum, Marian. Socin. *in c. si quis Clericus, n. 28. & c. sanè, num.* 10. vbi reprobat Hostien. *de foro compet.*

Et ad omnium supradictorum corroborationem dicebant Domini optimè facere decisionem Rotę 10. *de consuet. in antiq.* vbi reprobatur cõsuetudo Anglicana, quòd Rex possit cognoscere & habere iurisdictionẽ in Clericos. Meritò itaque pronunciatum fuit Paulum propter talem firmam à iustitia Aragonum obtentam, & vsum illius in sententiam excommunicationis ipso iure incurrisse. Recensere autem casus particulares à iure permissos, in quibus liceat adire Magistratus seculares, non erat prę sentis speculationis. nam licet nonnulli sint in iure expressi, in quibus nedum licet, sed etiam oportet iudices adire seculares, vt *in cap. cæterùm, de iudic. & in cap. præsidentes, & in cap. vt officium, §. compescendi, ver. denique, & vers. statuimus, de hæret. in* 6. in proposita facti specie satis fuit docuisse Paulum non habuisse recursum in casu à iure Canonico permisso. quæ autem nota censenda esset opinio Doctorum defendentium istos recursus tamquam licitos, non erat huius tribunalis, nec iudicij, cùm censum super doctrinarum & opinionum ad res præsertim Ecclesiasticas pertinentium approbatione, vel reprobatione ad Romanum Pontificem pertinere noscatur. Turrecremata *in summa, de Ecclesia, lib. 2. cap.* 107.

DECISIO ROTÆ coram R.P.D. Pegna.

In Brundusina Gabellæ die 13. Februarij 1604.

COmmunitas & homines terræ Mennæ Brundusin. Diœcesis, vt subuenirent vrgentibus necessitatibus census super datiis panis, vini, & olei, & aliis redditibus, imposuerunt in totum pro summa 57000. ducatorũ cum promissione, quam simul cõgregati tam communi, quàm proprio nomine fecerunt, quòd prędictos census, tanquam de propriis pecuniis emptos defenderent, & de euictione sub hypotheca omnium bonorum obligari voluerunt. Anno 1544. eadem Vniuersitas datia prædicta super quibus census fuerat impositus, ac omnes alios redditus & prouentus publica citatione præcedente arrendarunt, seu locarunt Donato Antonio & Bernardino Domino ad 14. annos, cum pacto, quòd intra dictum tempus prædictum debitum 57000. ducatorum extinguerent, quolibet scil. anno certam partem; interim verò soluerent annuos fructus partis non extinctæ, & vlteriùs persoluerent etiam annuatim debita fiscalia, & alia annua onera eiusdem Vniuersitatis. Interim cùm Donatus Anton. & Bernardinus maiorem partem prædictorum ducatorum 57000. extinxissent, & annua onera soluissent, & multa de prædictis bonis hypothecatis in potestatem Clericorum deuenissent, à quibus prædicti arrendatores exigere volebant eam partem & portionem, quam exigebant, antequam bona ad Clericos peruenissent, & Clerici contribuere alicui solutioni debitorum fiscalium, vel extinctionis debiti censuum recusarant, moto iudicio coram Archiepis. Brundusino, eius Vicarius pronuntiauit quòd Clerici per decennium præteritum pro tribus tertiis soluere in rebus emptis & donatis tenerentur, & in futurum quòd possiderent, excepto ad titulum Ordinis sacri, non tamen in fraudem & pro debitis contractis bona empta & donata & patrimonialia transiuissent cum oneribus suis, & Clericos teneri contribuere, non tamen si donatores & venditores fuissent soluendo. Rursus eosdem Clericos teneri pro bonis tenentibus contribuere, donec peruenirent ad Ordines sacros de bonis donatis ad titulum ordinationis. Causa in partibus sic diffinita in gradu appellationis introducta in Rota, dubitaui an sententia Brundusina esset confirmanda, vel infirmanda. Et quia articulus erat clarus & exemplaris, proposita causa *die* 5. *Martij*, & 7. *Nouembr.* 1603. solis arrendatoriis informantibus non fuit capta aliqua resolutio, quia Domini maturè considerare & intelligere voluerunt naturam bonorum, super quibus imponuntur hæc onera, & similiter naturam onerum fiscalium. Denique in hac vltima propositione Rota contra arrendatores informantes respondendum censuit sententiam Brundisini non fuisse confirmandam. Clara est enim conclusio, Ecclesiasticas personas non teneri ad gabellas, collectas, impositiones datia, & quælibet alia onera à laicis imposita, *c. nõ minus, & c. aduersùs, de immun. Eccles. c. 1. eod. tit. lib. 6.* Bero. latè *cons. 31. incip. Consultationibus lib. 1.* & fuit in Rota sæpè decisum, & signanter in causa Valent. gabellæ 4. *Nouembr.* 1595. *& die* 29. *Ianuar.* 1595. coram Dom. meo Pamphil. & *die* 9. *Decemb.* 1598. coram bon. mem. Orano, & in causa Corduben. gabellæ coram me *die Vener.* 19. *Ianuar.* 1607. & ista conclusio adeò vera est, vt laici cogentes Clericos ad istas contributiones sint excommunicati, ad effectum enim vt Clerici, seu personæ Ecclesiasticæ legitimè possint subire ista onera, & ad ea persoluenda compelli, inspecto iure Canonico sequentia copulatiuè requiruntur. Primò vt adsit magna necessitas, cui aliàs facilè subueniri non possit, tunc Clerici cum laicis contribuant. probatur *in d. cap. non minus*, vbi expressè notat Abbas *num. 5. vers. secundò requiritur, & d. cap. aduersùs, de immun. Eccles.* vbi Abbas *num.* 4. & clariùs apparet per *Extrauag. Benedicti XI.* substitutio de immunitate Ecclesiastica. Secundò debet concurrere communis vtilitas, vel saltem pietas, vt *in d. cap. non minus, & cap. aduersùs*, & de pietate considerauit text. *in l. ad extractiones, C. de sacros. Eccles.* Tertiò oportet quòd onus illud sit tale, vt ad illud sustinendum laici non sufficiant, quia Clerici & Ecclesiæ solùm tenentur cum laicis contribuere in subsidium, & vbi laicorum non supersunt facultates, vt *in d. cap. non minus, & cap. aduersùs*, quas conditiones considerauit Benedictus *in d. Extrau. de immun. Eccles.* ibi,

Cæterùm

Cæterùm attendant ſollicitè Eccleſiarum Prælati & Clerici Lateran. Concilij, quòd in huiuſmodi ſubuentionibus ſolum caſum neceſſitatis, aut communis vtilitatis, vbi laicorum ad id non ſuperſunt facultates, deliberatione prouida noſcitur expreſſiſſe. Quartò requiritur quòd ad onus huiuſmodi imponendum vocetur, & conſentiat Clerus, nec ſufficeret Epiſcopus cum Capitulo, quia quod omnes tangit ab omnibus particulariter approbari debet, *cap. cùm omnes, de conſtit. cap. quod omnes, de reg. iur. in 6.* & probatur *in cap. aduersùs.* ibi, *verùm ſi quando fortè Epiſcopus ſimul cum Clericis*, & conſiderat Abbas *in d. cap. non minus, num. 4. & 5.* Quintò & vltimò in iſtis oneribus imponendis ad effectum vt Clericus teneatur, potiſſimum requiritur, vt Papa conſulatur, & ipſo conſulto, & non aliàs, Clerici contribuant, *d. cap. aduersùs*, vbi notat Abbas, *num. 5. verſ. 4. requiritur.* & ſic fuit expreſsè cautum per Benedictum XI. *in dicta Extrauag. de immunitate Eccleſiarum*, & meritò, quia ſi arbitrio Epiſcopi & Cleri hoc relinqueret, facilè contingerent huiuſmodi impoſitiones & onera per ambitum & preces Principum, & miniſtrorum laicorum, quibus occurrere ſolent Romani Pontifices, qui non aliter, quàm cauſa cognita ipſas facultates vt Clerici contribuant, concedere ſolent. Poſtremò requiritur quòd ad hæc onera, & impoſitiones ſoluendas poſtquam prædictis requiſitis concurrentibus impoſita fuerint, Clerici, & perſonæ Eccleſiaſticæ nõ à miniſtris laicis, ſed ab Epiſcopo Superiore Eccleſiaſtico compellantur; Princeps enim, & poteſtates ſeculares non poſſunt ſe in his intromittere. Ita Innocen. *in d. c. non minus, n. 6. verſ. quamuis ad ea.* Iaſon *in l. ad inſtitutiones, numer. 4. verſ. ad hoc tamen. & num. 6. verſ. quod verum credo cap. de ſacroſan. Eccleſiis.* & Innocen. & Bald. communiter ſequuntur Doctores, & ſignanter Abbas *in d. c. non minus, num. 18. verſ. dicitur tamen, de immunitate Eccleſiarum*, & Guido Pap. *deciſ. 78. in fine, verſic. ſi tamen dicti viri.* & quamuis iſta non videantur pertinere ad iſtum caſum, in quo agebatur de ſoluendis oneribus rebus ipſis, ſeu bonis impoſitis, antequam peruenirent ad manus Clericorum, adhuc remanebat periculum ſaltem ratione illorum onerum, quæ arbitrio Principum imponuntur, quòd poſſent Clerici & Eccleſiæ tractu temporis grauari ad iſta onera perſoluenda.

Ad iſtud periculũ euitandum informantes pro arrendatariis deducebantur primò, quòd bona de quibus agebatur, tranſire debuerant cum oneribus ſuis, præſertim cum eſſent hypothecata. gloſſa *in cap. 1. in verſ. ſenioribus, de cenſ.* Bald. *conſil. 280. col. 2. ver. Nam cùm. & cap. ſicut ſi peruenisſet, lib. 2.* Ancharan. *conſil. 303. num. 3. in fine, verſ. ad hoc reſpondeo, & num. 4. verſ. & confirmatur.* Bellon. *conſil. 40. num. 5.* Theſaur. *deciſ. 234. nu. 9.* vbi affirmat ita bis fuiſſe iudicatum; ſed hoc motiuum non placuit Dominis, quia licet poſſit procedere reſpectu onerum realium impoſitorum antea, quàm bona peruenirent ad Eccleſiam: ſecus autem eſſe dicebant, quando onera non eſſent merè realia, quia tunc ſi deueniant ad Eccleſiam, vel perſonas Eccleſiaſticas, non durant talia onera, quòd vt manifeſtiùs intelligeretur, Domini diſtinguebant aliquos caſus.

Primus eſt quando poſſeſſionibus, prædiis, ſeu bonis propter bona ipſa inducuntur, ſiue imponuntur onera, vt *l. reſcripto. §. fin. & l. minus, §. matrimoniorum, de mun. & honorib.* & hoc caſu res onerata ad quemcumque perueniat, cum illo onere tranſit, & conſequenter Clericus ad quem peruenit, pro illis ſoluere tenetur, eſt enim onus illud certum, reale, & perpetuum. Ita tenuit Innocen. *in c. non minus.* Calder. *conſil. 7 num. 2. verſ. ſubdit tamen, de conſtit.* Archidiaconus *in c. 1. de immunitate Eccleſ. lib. 6.* quem ſequuntur *ibidem* Ioannes Andreas *n. 5. in princ.* & Geminianus *num. 9.* Abbas *conſil. 53. nu. 2. verſ. certum eſt, lib. 1.* Ancharanus *conſil. 96. num. 6. verſ. ceſſat autem.* Ang. *conſ. 24.* Bartol. *in d. l. reſcripto, §. vltimo, num. 5. ff. de mun. & honor. & in. l. placet, num. 59. C. de ſacroſ. Eccleſ.* quem refert Alphonſ. Aluarez *in ſpeculo iuris Pontificij, cap. 25. §. & quoad principalem. verſ. nam ſi dictum.*

Secundus caſus eſt quando impoſitio onerum non eſt perpetua & certa, ſed pro varietate negotiorum imminentium, & immutatur illa impoſitio, quæ fit, vt dicunt præcitati Doctores, pro ſolido & libra, & tunc ſi res tali modo grauata peruenit ad Eccleſias, deſinit durare illud onus, *cap. nouerit. 10. quæſt. 1. cap. 1. de iure patronatus lib. 6.* Archidiaconus *d. c. 1. de immunitate Eccleſ. lib. 6.* quem refert & ſequitur Ioannes Andreas *num. 5. in fine*, & Geminianus *ibidem, num. 9. verſ. tamen ſubdebat*, & Calder. *d. conſ. 7. de conſtit. num. 2. circa finem. verſ. ſubdit tamen.* & licet paulò pòſt *verſ. iſta quidem*, idem Calderin. conſiderata rei grauitate addebat, quòd iſta indigerent declaratione Summorum Pontificum, quoniam in Eccleſiarum læſionem poſſent talia ſtatuta emanare, ipſe tamen ſtatim inhærendo opinioni Iacobi Butrigar. & Bartol. ſupradictam diſtinctionem amplectitur.

Tertius caſus eſt, quando iſta onera, ſeu collectæ & impoſitiones imponuntur ratione perſonæ tantùm propter bona, & iſto caſu cùm non inhæreant rebus, ſed ratione perſonarum potiſſimum imponuntur, conſequenter non poſſunt imponi niſi ſubditis, hoc eſt, ciuibus, & incolis. *l. ſcriptum, §. ſciendum.* vbi gloſſa *ff. de mun. & honor.* Vnde cùm Clerici non ſint ſubiecti, non poſſunt talia onera imponi, nec ipſis, nec Eccleſiæ, ſiue antea, quàm peruenirent ad Eccleſiam, fuerint impoſita, ſiue poſtea. Ita præcitati Doctores, & ſignanter Geminianus *in d. cap. 1. de immunitate Eccleſ. num. 9. in fine.* vbi concluditur ex hoc patere reſponſum ad omnia iura, quæ in contrarium poſſent allegari, quia loquuntur in prædiis tributariis, & ſic quando onera ſunt annexa rebus, & non perſonis.

Cùm ergo impoſitiones cenſuum, de quibus agebatur, non eſſent onera certa & ordinaria ac perpetua, nec propriè realia, Clerici, & Eccleſiæ ad quas iſta bona peruenerunt, non tenebantur ad eorum ſolutionem. Idem iudicium fuit de ſolutionibus fiſcalibus. nam licet informantes pro arrendatoribus contenderent eſſe onera perpetua, conformia, & conſueta ſolui ab habitatoribus pro tuitione maritimarum nauium, & militum ſtipendiis iuxta æſtimationem, & deſcriptionem antiquitus

in

in cataſtris factam, quia tamen præcitati Doctores affirmabant tales deſcriptiones, quæ ſunt pro ſolido & libra, non eſſe perpetuas, ſed mutari pro varietate negotiorum imminentium, ita Eccleſiæ & perſonæ Eccleſiaſticæ ad iſtas ſolutiones non teneri, licet ad illas peruenerint bona huiuſmodi ſolutionibus grauata. *cap. 1. de immunitate Eccleſiarum, lib. 6.* vbi Archid. Ioannes Andreas & Geminianus *numero 9. Clement.... de cenſibus*, & eſt communis opinio. Et ex his meritò fuit concluſum contra arrendatarios, & ſententiam Brunduſini fuiſſe reuocandam.

DECISIO ROTÆ coram doctiſſ. Domino meo Coccino Decano.

In vna Romana domus de Scapucciis die 19. Ian. 1611.

DOmini poſt maturam cauſæ diſcuſſionem cenſuerunt non eſſe locum Ægidianæ, quia ex defectu poteſtatis ſtatuentis non comprehendit perſonas Eccleſiaſticas, & earum bona, vt ſæpè cenſuit Rota, vt in deciſion. allegatis per modernum Eugubinum *in conſil. 20. num. 8. vol. 2.* bona enim Eccleſiæ dicuntur ſancta Sanctorum, *cap. nulli liceat, & cap. quicumque 12. quæſt. 2.* & dicuntur patrimonium Chriſti, *cap. cùm ex eo de elect. in 6.* latè Felin. *in cap. conſtitutus, num. 19. de reſcript.* & propterea habens iuriſdictionem laicalem tantùm, in illis nullam habet poteſtatem, *c. quæ in Eccleſiarum. & cap. Eccleſia S. Mariæ, de conſt.* & vtrobique notant Doctores omnes, qui defectus poteſtatis intrat etiam in caſu, de quo agitur, quia licet agatur de vtili dominio inter laicos, tamen cùm ſit connexum, & dependens à dominio directo, quod eſt magis dignum, & effectus ac qualitas quædam ipſius, quæ non poteſt eſſe ſine ſubiecto, vt poſt Bart. *in Extrauag. qui ſint rebelles, in ver. rebellando, num. 17.* dicit Ial. *in conſil. 76. nu. 14. lib. 1.* & latè probat Bero *in c. quæ in Eccleſiar. numer. 10. de conſt.* & ideo ratione connexitatis, tale iudicari debet, quale eſt directũ, *cap. tranſlato, de conſt. cap. præterea*, & *ibi* gloſſ. *de officio deleg. l. 2. ff. de iuriſd. omn. iud.* latè Catelan. Cotta *in ver. connexorum.* & in ſpecie quòd cognitio cauſæ annexæ ſpiritualibus ſpectet ad iudices Eccleſiaſticos, eſt text. expreſſus *in c. quanto.* & ibi latè gloſſ. *in ver. connexa*, & DD. omnes, *de iudic.* & propterea videmus quòd ratione connexitatis illud, quod eſt radicatum in pupillo, extenditur ad maiorem. *l. ſi communem. ff. quemadmodum ſeruit. amit.* & quòd eadẽ ratione, ſi cauſa eſt communis inter laicum & Clericum, forus Clerici extenditur ad laicum. Bart. *in l. præcipimus in § eod. n. 1. C. de appell.* & ſi res eſt communis Epiſcopo & Capitulo, ſi Epiſcopus moritur, non currit præſcriptio cõtra Capitulum. Abb. *in c. 1. de præſcript. n. 4.* & priuilegium illius, qui habet vacationem munerũ extenditur ad ſocium, gloſſ. *in l. fin. C. de muner. & honor. lib. 10.* & alia quamplura exempla adducit Andreas Siculus *in conſ. 1. num. 38. & ſeq. lib. 2.* & prædicta tanto magis procedunt in caſu, de quo agitur, quia omnes cauſæ iſtius dominij vtilis ſpirituales ſunt, & propterea ab eis recipit iudicium. Cardin. *in Clem. per literas, num. 12. q. 15. de præben.* efficiens enim eſt Eccleſia materialis bona ipſa Deo dicata, finalis verò vtilitas ipſius Eccleſiæ. Ita arguunt, & concludunt Bero *in c. quæ in Eccleſiarum. n. 9. & ſeq.* & præſertim *num. 12. de conſt.* Saluian. *conſ. 9. n. 23.* & pro iſta ſententia videtur bonus text. *in c. cæterum*, vbi Abb. *in princ. de iudic.* quem allegat Bero *loco præcitato*, vbi lis inter vaſallos terminanda eſt per dominum feudi, etiam quòd ſit Eccleſiaſticus, & hanc quoque ſententiam ſecuti ſunt Fulgoſ. *in conſ. 166. nu. 3. verſ. quinto quia*, & *col. penult. in princ. verſ. rurſus.* vbi quòd iudex laicus nullo pacto poteſt ſe intromittere, etiam quòd agatur de vtili dominio inter laicos. Cardin. *conſ. 92. n. 8. in fine, verſ. inſuper.* Calder. *conſ. 15. n. 1. de iudic* Rebuff. *de decimis, q. 10. num. 1.* Cuman. *conſ. 41 n. 2. verſ. Sed his non obſtantibus.* Campeg. *inter conſil. Bruni conſ. 2. num. 35. verſ. & hoc, quia feudatarius vol. 1.* Ægid. *con. 40. nu. 3. in fin. verſ. & eſt ratio*, & hæc videtur eſſe opinio Franciſci de Tigrino & Vberti de Bobio, vt colligitur ex traditis per Ioan. Andr. *in cap quoniam frequenter, n. 34.* per Butr. *in § quòd ſi ſuper, n. 19. verſ. ſi autem venit*, & per Abb. *in § in alijs, n. 28. vt lite non conteſt.* pro qua poſſunt etiam allegari, quia in effectu hoc ſentiunt, Federic. de Sen. *conſ. 245. n. 3. verſ. ſine præiud. veritatis.* Gemin. *in cap. fin. n. 14. de foro compet. in 6.* Ancharan. *in cap. ea quæ, num. 12. de reg. iur. in 6.* Bolog *in addit. ad conſ. Ioan. de Anan. 84. n. 7.* Aluar. Valaſc. *de iure emphyt. quæſt. 39 n. 14. verſ. & idem ſi durante emphyteuſi.*

Et prædicta corroborantur etiam alia optima ratione, quia paria ſunt forum ſortiri, & ſtatutis ligari. *c. 2. de conſt. in 6.* quod argumentum ponderat Bero *in d. c. quæ in Eccleſiarũ, n. 12.* Sed ſic eſt quòd laicus nullo pacto poteſt ſtatuere ſuper vtili dominio rei emphyteuticæ Eccleſiæ, vt eſt textus clarus *in d. c. quæ in Eccleſiarum. de conſt.* & iſte eſt germanus intellectus illius textus ex allegatis per Riminald. iun. *ibid. n. 2. verſ. ſecundus verò fuit, cum pluribus ſequen. vſque ad n. 13.* & quamuis dici poſſet hoc eſſe verũ, quando agitur de mutatione vaſalli, quia tunc agitur de præiudicio Eccleſiæ, tamen conſiderabant Domini, quòd circa validitatem ſtatuti inter alia duo poſſunt conſiderari, ſcilicet defectus poteſtatis ſtatuentis, & præiudicium Eccleſiæ: vt *in d. cap. quæ in Eccleſiarum*, & habetur etiam *in cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ, de conſt.* & conſiderabat Bero *in d. cap. quæ in Eccleſiarum, nu. 9.* in ſtatuto autem diſponente ſuper vtili dominio laici, concurrit præiudicium Eccleſiæ, propter mutationem vaſalli. Campeg. *inter conſil. Bruni, conſil. 2. n. 36. verſ. & ideo non poſſunt ſtatuere.* Riminal. iun. qui latè hoc probat, & multos allegat *in d. c. quæ in Eccleſiarum, n. 12. de conſt.* & dicit *ibid. Bero d. n. 9.* concurrit etiam defectus poteſtatis ſtatuentis ratione connexitatis, quam habet dominium vtile cum directo, vt *ſuprà* dictum fuit, & probat Bero *loco proximè citato, ver. alia quoque ratione*, & in ſpecie, quòd ſtatuta laicorum non comprehendant vtile dominium in bonis emphyteuticis, tenuerunt Card. *conſ. 2. n. 1, verſ. Item in hæreditate.* Bald. *in authen. ſi quas ruinas nu. 9. C. de ſacroſ. Eccleſ.* Campeg. *inter conſil. Bruni, conſil. 2. n. 33.* vbi quòd iſta opinio eſt verior. Abb. *conſil. 72. in princ. lib. 1. & in c. quæ in Eccleſiarum. n. 2. in 3. not.* vbi etiam Bero *n. 8.* &

Dec.

Dec.n.6.de constit. Salviã.consil.9.n.25. Bald.consil.300. n.1.& 4 lib.1. Ias.consil.152.n.9.lib.4. Cuman.consil.41. n.2.vers.sed his non obstantibus, & est de mente Castren.in consil.146.ibid.princ & consil.300.col.2.in fine, vers.& idem si tenor, lib.2. dum dicit in successione feudi emphyteusis non esse attendendum statum loci,seu tenorem inuesturæ.

Non obstant in contrarium adducta, & primò quòd dominium vtile non est Ecclesię,sed laici inuestiri, & ideo iudex laicus est iudex competens, quia cõnexitas quam habent ista dominia inter se, non efficit, quin vtile dicatur proprium laici,non autem Ecclesiæ,& licet inseparabile videatur à directo,tamen potest diuerso iure censeri eo modo, quo vna & eadem res potest diuerso respectu,imò ratione diuersarum personarum diuersimodè iudicari,vt in puncto dicit Surd.in consil.338.n.19.vers. nec mouet. lib.3. Nam fuit responsum quòd licet sit verum, quòd aliquando vna & eadem res possit diuerso iure censeri,hoc tamen procedit, quando respectu diuersæ personę,vel diuerso respectu cõcurrit diuersitatis ratio; secus autem,quando eadẽ ratio concurrit, vt declarat Abb. in cap. cùm in tua, n 7 vers solutio ex diuersitatis rationibus, de decim. Dominium autem vtile non potest diuersimodè considerari respectu Ecclesiæ & laici, cùm semper remaneat annexum cum directo,nam per concessionem factam laico actualiter non separatur à directo,sed per quamdam fictionem intellectus,vt dicitur de iure patronatus.gloss.1.in cap.piæ mentis, 16. quæst.7.quam sequitur Andr. Siculus in cap quanto, n.16 vers.& ita dicatur,de iudic. quę operatur, vt dominij vtilis capax sit laicus,non autem quòd ita efficiatur laicale,vt iudex laicus sit iudex competens, imò cognitio præseruatur iudici Ecclesiastico. Alex.consil.58.in fine,lib.1.& in proprijs terminis Bero. in d.cap.quæ in Ecclesiarum, n.9 vers.alia quoque,de constit. & sic cessat argumẽtum Surdi in d.consil.338. n.9. quòd bona sunt personarum accessoria, quia hoc est verum,quando res omnino transfertur:secus autem quando solùm dominium vtile, quod remanet connexum cum directo,& ideo non potest diuerso iure censeri,vt dictum est.

Nec prædicta responsio potest elidi,ex quo aliqui voluerunt causam possessori beneficij posse tractari coram iudice seculari, & tamen possessio est connexa cum proprietate spirituali, quo argumento vtitur Surd.vbi suprà n.25.quia nedum tollitur obiectum ex rationibus prædictis,& ex adductis per Bero in d.cap.quæ in Ecclesiarum, n.12. in fine, sed ex quo communis sententia est in contrarium, vt testatur Aufrer.in addit. ad decis. Capellæ Tolosanæ 471.incip. Item fuit quæsitum, & de communi etiam testatur Aluar.Valasc.consultatione 93.n.3.& eam sequitur etiamGuilielmus de Bened. in cap.Raynutius in ver.& vxorem,decis.2.n.38. & infiniti qui possent allegari,& semper etiam approbauit Rota,vt in decis.4.de lit.contest.in antiq.quam ad punctum allegat Aufrer. vbi suprà, & est etiam decis. Putei 361. in fin.lib.1.& fuit sæpissimè resolutum,& signanter in causa Osceñ Canonicatus 1.Decembr. 1595. coram Reuerendissimo Domino meo Decano.

Non obstat quòd etiam in puncto plures Doctores videantur tenere contrarium, scilicet quòd iudex laicus possit cognoscere super tali dominio vtili inter ipsos laicos, quia istorum Doctorum auctoritates facilè tolluntur. Nam Albert.Brun.de stat.art.8.ante n.107. vers.& faciunt hæc, qui pro ista opinione allegatur,nihil firmat, sed solùm refert opinionem Vberti de Bobio, & Francisci de Tigro,quos malè intellexit, quia ipsi pro contraria sententia possunt allegari,vt ex Butrio,& Io.Andr. & Abb. suprà dictum est, & propterea Surd in d. cons.338.n.17. dum allegat Brun. decipitur. Abbas verò in cap.quoniam frequenter, §.in alijs n.28.vt lit. non contest. licet videatur dicere quòd Clericus veniens ad causam pro defensione emphyteutę,non possit declinare iurisdictionem; tamen est aduertendum,quòd impressio est mendosa, quia Spec. de primo decreto.§.restat videre,n.24.& 25. quem ipse allegat, expressè tenet quòd iudex laicus non est iudex competens Clerici venientis ad causam,etiã quòd renuntiet priuilegio fori,& in omnem euẽtum dictum Abbatis esset contra gloss. in cap. Clericus nullum 11 quæst.1.in ver secularem.Cumanus autem in consil.84. est sibi contrarius in d consil. 41.n.2. versic.sed his non obstantibus,& in eodem casu Cumani contrarium consuluit Fulgos. in consil. 166. locis præcitatis.Decisio verò in causa Auximana bonorũ 19.Ian.1604.licet in terminis di quòd est locus Ægidianæ, quando agitur de vtili dominio inter laicos, quia personæ sunt seculares, nec agitur de bonis, sed super possessione inter ipsos laicos, nõ firmat quòd causa possit cognosci coram iudice laico, sed firmat potiùs, quòd Ægidiana habeat locum coram iudice Ecclesiastico quando agitur inter laicos,quod non est verum, quia Ægidiana respicit ordinatoria iudicij, & ideo seruandum est ius fori.Contard.de Ægid.limit.4.rat can.reintegrãda n.11.& 12. In foro autem Ecclesiastico,vt dictũ est,non habet locum Ægidiana, & propterea cùm prima vice illa decisio fuerit allegata in causa Sabin. Villettarum 9.Iunij 1606. coram me, in qua agebatur de vtili dominio intes laicos, & dubitabatur an esset locus Ægidianæ, Rota voluit videre de iustitia mandati de manutenendo, vt in positionibus,& diarijs dominorum fuit annotatum, quia cùm Rota habeat vtramque iurisdictionem, nempe Ecclesiasticam & laicalem, cùm ageretur de vtili dominio,sustinebamus vices iudicum Ecclesiasticorum, & propterea erat seruandum ius fori Ecclesiastici.

Neque facit alia ponderatio, nempe quòd si paria sunt forum sortiri, & statutis ligari, multi Doctores tenent,quòd princeps laicus potest statuere super vtili dominio, dummodo non lædatur Ecclesia,& absque illius præiudicio, quos allegant Tiraquel.de retract.lignag.gloss.13.n.8. Surd. d. consil.338.num.14.in fin.ver.quartò quòd statuta laicorũ. & Aluar. Valasc.de iure emphyt.quæst.17.n.12. & hoc etiam reperitur scriptum in quadam annot. bonæ me. Orani in causa Mediol. bonorum 13.Nouembr. 1596.Nam dixerunt Domini quòd Anchar.in consil. 125.num.7.& in consil.443.n.2.& 3.fuit auctor istius opinionis, & ideo resolutio pendet ab intellectu Anchar.qui verè loquitur in casu, quo emphyteu-

sis fuerat acquisita pro hæredibus,& mouetur primò, quia aderat statutum per quod fœminæ excludebantur,vnde subdit, quòd ex eo, quòd fœminæ non poterant esse hæredes, non erant successibiles in emphyteusi acquisita pro hæredibus; & secundò mouetur, quia pater acquirendo pro filijs,vel liberis,non censetur acquisiuisse pro fœminis, quia censetur se conformasse cum dispositione statuti, & eodem modo acquirere,& ita intelligit & declarat Anchar. Socin. iun. *in consil.71. n.43.vsque ad fin.lib.1.*& Brun. *de stat. art.8.n.106. in princ.* & ita illum etiã intellexit Rota in causa Romana domus S.Ludouici *27.Nouembris* 1601. corã Reuerendissimo Domino meo Decano,& coram me in causa Romana emphyteusis 18. *Maij eiusdem anni,& 28.Nouembris* 1603.& aliàs sæpiùs.& quamuis Anchar. subdat, quòd statutum non disponit super rebus Ecclesiæ sed super vtili dominio,quod est laicorum; tamen est aduertendum, quòd non loquitur de statuto in ordine ad vtile dominium, sed de statuto in ordine ad intentionem acquirẽtis,quæ intentio acquirentis vt masculis extantibus fœminæ non succedant,non lædit Ecclesiam,cùm ipsius non interest, vt pater magis acquirat vni, quàm alteri ex filijs; sed non propterea dicitur, quòd si pater acquirat pro filijs masculis,& fœminis, ita vt omnes insimul succedant stante statuto exclusiuo fœminarum, fœminæ non possint succedere, quia hoc esset contra iuris communis regulas, secundùm quas tenor inuestituræ est seruandus,& non statuta loci,vt per Castrens. *locis suprà allegatis.* & Doct. qui generaliter ponunt istam conclusionem quòd stante statuto exclusiuo fœminarum, fœminæ in emphyteusi censeantur excluſæ,non fundant se in statuto, sed in intentione acquirentis,qui præsumitur in acquirendo se conformare cum statuto,vt per Bart.*in l.vt iurisiurandi, § si liberi,n.5.ff. de oper. libert.* Clar. *in §. emphyteusis, quæst.52.ver.sed pone.*qui alios allegat.Deciã.*consil.30. n.40.& seq.* Curt. iun. qui de communi testatur *in consil.31.n.3.*& dixit Rota in præcit. decis. Romana domus S.Ludouici,& Rom. emphyteusis.

Et secundùm sententiam Anchar. sunt intelligendi DD. qui allatis præfatis rationibus ipsum simpliciter sequuntur, nempe Alexand. *cons.9.n.1. lib.5.& cons.27.n.4.in fin.vol.6.*& Felin. *in cap. quæ in Ecclesiarum,n.95.de constit.*Dec.*in auth.Cassa.n.9.C.de sacros.Eccl.& cons.139.n.2.vers nec obstat.& in c.quæ in Ecclesiarum,n.20.de const.*Paris. *cons.22.n.86.vol.2.* & addit.ad Dec. *in cap.quæ in Ecclesiarum,n.20. in verbo Ecclesiæ,de const.*& meritò quidem. nam vltra quòd hoc colligitur ex verbis ipsorum Doctorum,intrat quoque alia ratio, quòd Doctor est intelligendus secundùm ea,quæ allegat Roman.*cons.211.n.5.vers. quo ad vlt.*

Alij verò Doctores,aliqui vel torquent Anchar. vel & secundùm ipsum intelligi possunt; alij verò loquuntur in casibus particularibus, in quibus sunt reprobati, alij postremò non tangunt istam difficultatem, & in primo genere sunt Barbat. *in consil.14.col.fin.vers.ad hoc respondeo.lib.1.*Brun.*de stat. loc. sup. alleg. vers. item illam ampliant.*Ruin.*cons.70. n.11.vol.5.*Marcabrun.*cons.26.n.131.*Burat.*cons.56. n.12.vol.1.*Menoch.*de arbitr. casu 18.num.9.*

In secundo verò genere sunt Castrens.*in cons. 194.l.1.*qui tenet quòd statutum Florentiæ de prohibita alienatione rei communis irrequisito consorte habeat etiam locum in donatione iurispatronatus; sed nihil probat, cùm res ipsa demonstret auctoritatem huius consilij,contra quod in specie est cons.Gemin.67.*per tot.* in quo concludit contrarium, tam ex defectu voluntatis, quàm potestatis statuentium, Socin. *in cons.99.n.2. vol.2.* qui dicit, quòd circa solutionem canonis est attendẽdum statutum,& consuetudo loci, in quo debet fieri solutio,nihil etiam probat,quia non valet statutum, & consuetudo in præiudicium Ecclesiæ, *cap.cùm causam,de re iud.c.1.de consuet.c.Clericus laicus, de immun. Eccl. in 6.* & ista consuetudo dicitur proxima sacrilegio.Bald. *cons.9.n.6.versic.non valeret,l.1.* Ruin. *cons.156.n.8.lib.4.* vbi quòd consuetudo non valet ex causa efficienti,quia sicuti laici nõ possunt statuere, ita nec consuetudinem inducere onerosam Ecclesijs. Purpuratus verò *in cons.332.n.9.vers. tertiò contingit,*qui loquitur ad effectum,quòd vtile dominium possit collectari. nec etiam facit, quia in contrarium est doctrina Bart. *in l.priuatè, n.2.C. de excus.muner.lib.10.*vbi etiam post Angel.Ioan. de Platea *circa med.vers. dicit etiam hîc Angel.* Cassan. *in consuet.Burgund.§.4.gloss.6.sup. ver.text. & supporter le moiste.vers.& intellige prædicta,n.6.* Thomas Parpalia *in repetit.l.placet,n.73.& seq.C.de sacros.Eccl.*Ægid. de Thomatis *de collectis in §.Pauperes, an aliquib.n.29.& seq.*Iaſ.*in l.1.n.31.C.de iure emphyt.*& habetur ponderosissimum cons. Syluani 9. *per tot.* vbi latè & doctè, & etiam in casu Purpurati loquuntur Surd.& Aluar. Valasc.qui fuerunt quodammodo nouatores istius opinionis,& propterea conantur fundare intentionem suam defendendo prædictas conclusiones.

In tertio verò genere sunt Afflictus *in c.Imperialem,§.præterea inter n.9.de prohib.feud.alienat.*per Frider. qui dicit consuetudinem esse seruandã, quòd dominus feudi Ecclesiasticus cognoscat de feudo Ecclesiæ tam in possessorio, quàm in petitorio, quia ista consuetudo est secundùm dispositionem iuris, & propterea Afflict. non facit ad punctum. Socin. iun. *in cons.71.n.13.vol.1.* qui facit motiuum, sed concludit cum Anchar. quem etiam declarat, vt suprà dictum est, & ideo non debuisset allegari. Castrens. *in cons.290.in fine lib.3.*loquitur in terminis illius quæstionis de his, quæ cõpetunt Clericis,non vti Clericis, sed vt cuilibet, de qua per Bart.*in l.cunctos populos,q.5.n.28.& seq.C.de sum.Trin. & fid.Cath.*de qua quicquid dicendum sit,non facit ad propositum. Riminald. sen. *cons.447.n.20. vol.3.*& Alba *cons.28. num.6.* absolutè non tangunt istam difficultatem.

Non obstat annotatio bo. me. Orani in causa Mediolanen. bonorum, quia illa non est decisio Rotæ,vt patet ex eius initio inibi. Domini per viã inclinationis amplexi sunt decisionem factam *sub die 20. Maij*, ad fauorem domini Commendatarij,Rota enim non facit decisiones per viam inclinationis;sed in istis casibus est in arbitrio ponẽtis,si aliquid annotare velit, memoriæ suæ causa,&

tanto

tanto magis, quia in priori decisione huiusmodi conclusio non reperitur firmata. Præterea vnus ex dominis, qui tunc temporis erat in Rota, affirmabat quòd visa huiusmodi annotatione Rota illam non agnoscit pro sua.

DECISIO ROTÆ coram D. meo Merlino.

In vna Albanensis Gabellæ die 28. *Iunij* 1630.

IVdex Taurinensis condemnauerat Archipresbyterum Ecclesiæ Gorzenij ad onera realia ordinaria certa, & inuariabilia in fauorē communitatis dicti loci pro prædiis eiusdem Ecclesiæ, quam sententiam in hac parte omninò reuocandam esse Domini censuerūt. Certa est enim Theologorum, Canonistarum, & Iurisconsultorum propositio, quam & nemo ex Catholicis audet impugnare, bona Ecclesiastica immunia esse, & libera ab oneribus, & tributis impositis per Communitates, & Principes laicos. Ita definitum est in Concilio Lateranensi. sub Alex. III. *p. 1. c.* 19. sub Innoc. III. *cap.* 46. & habetur *in cap. non minus.* vbi Consules, & alij Magistratus, Ecclesiasticis, & eorum bonis collectas, & pedagia imponentes anathemate feriuntur, *& in c. aduersùs de immun. Eccl. & in c.* 1. *&* 3. *eod. tit. in* 6. *& in c. quamquam, de censib. in* 6. *& in Clement. vnic. de immun. Eccles.* quæ sanctiones innouatæ fuerunt per sacrum Concil. Trid. *sess.* 25. *c.* 20. *de reform.* Romanique Pontifices, quotannis in Bulla Cœnæ § 18. huiusmodi pedagia imponentes, & exigentes censuris coërcent. & Constān. primus Imperatorū palàm Christianis immunitatē hanc Ecclesiasticā, siue potiùs illius vsum exhibuit, vt apud Euseb. *l.* 10. *hist. Eccles. c.* 7. *& in orat. de laudib. Constan.* sublatisque Ethnicis neminem ex Orthodoxis, & illibatæ Religionis Imperatoribus tributum, de bonis Ecclesiarum exegisse, obseruat Cardin. Baron. *tom.* 3. *annal. sub anno* 387. *n.* 13. & Iustinianus etiam hanc Clericorum immunitatem, vel respectu bonorum edicto sanciuit; vt *in l. sancimus* 20. *C. de sacros. Eccles.* & Feder. *in auth. Item nulla communitas, C. de sanctiss. Episc.* Nec à iure positiuo, & Imperatorum liberalitate, sed immediatè à iure diuino ortum habuisse huiusmodi immunitatē respectu etiam bonorum, fatendum est, vt diserte verbis asseritur *in c. quamquam, de cens.* ibi, *Ecclesia Ecclesiasticæq; personæ, & res ipsorum non solùm iure humano, quinimo & diuino à secularium personarum exactionibus sint immunes.* & in Conc. Trid. *d. sess.* 25. *c.* 20. *de reform.* dicitur, *Immunitas hæc Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus instituta est.* quibus verbis apertè diluitur callida quorumdam interpretatio, qui putarunt verba, de quibus *in d. c. quamquam,* ibi, *de iure diuino & humano intelligi posse de iure positiuo, scilicet canonico, & ciuili.* Nihilque refert hanc immunitatem respectu bonorum ocularitèr non legi scriptam in sacris Scripturis, quia vt iuris diuini dicatur, sat est, quòd ex testimoniis, vel exemplis ex ipsa sacra pagina depromptis, vel traditione Ecclesiæ deducatur, pro vt egregiè hæc immunitas deducitur *ex Genes. c.* 47. vbi Ioseph Prorex Pharaonis, Sacerdotes, & eorum agros, etiam eis à Rege traditos in primæua libertate dimisit, quamuis reliquos totius populi seruituti Regis subegerit, & meminit etiam Ioseph. *de antiq. Iud. lib.* 2. *cap.* 4. & Diodor. Sicul. *in* 2. *lib. histor.* & Herodotus *in Euterp. lib.* 2. Hinc appositè in dicto Conc. Lateran. de quo *in cap. non minus, de immunit. Eccles. in* 6. infertur non decere Ecclesiam Dei minus liberam esse tempore Principum Christianorum, quàm fuerit tempore Pharaonis. imò & addi potest tempore etiam Ethnicorum, qui Flamines, Augures, Salios, Fæciales, aliosque Sacerdotes vnà cum bonis ipsorum immunes, & liberos à tributis reddebant, vt obseruat, & inde ad propositum nostrum arguit Præpositus *in c. si tributum. n.* 5. & *ibid.* Cardin. 11. *q.* 1. & sequitur Ioan. Anton. de Nigr. *in repet. Extrauag. vnicæ n.* 243. *de vita, & honest. Cleric.* Plot. *in addit. ad vlt. cons. Laudens. sub n.* 8. Aliaque exempla deduci possunt ex 1. *Esdr. c.* 7. *& Numer. cap.* 3. & luculentius testimonium patet apud *Matth. c.* 17. vbi filius Regis qualis est Christus, qui est filius Regis regum, eximitur à tributo Principis; Ecclesiam autem, & Ecclesiasticas personas, tamquam sponsam, familiaresque, & domesticos Christi eadem prærogatiua inferunt D. Hieron. *ibid.* & D. August. *lib.* 1. *qq. Euang. q.* 23. Ioan. Anton. Niger *in repet. extrauag. vnic. n.* 223. *de vita, & honest. Cleric.* & doctè Suarez *ad Regem Angliæ de immun. Eccles. lib.* 4. *c.* 5. *n.* 12. *& cap.* 8. *n.* 16. quæ testimonia & exempla ad hanc rem rectè perpendunt Card. Bellarm. *controuers. tom.* 2. *lib.* 1. *de Cleric. c.* 28. *in* 4. *&* 5. *propositione,* vbi pluribus comprobat hanc immunitatem esse de iure diuino, & idem firmarunt Ioan. Montaig. *de collat. Parlam. p.* 2. *n.* 11. Bursat. *cons.* 42. *n.* 1. *l.* 1. *& cons.* 186. *n.* 8. *lib.* 2. Borell. *cons.* 44. *n.* 1. Plot. *in addit. ad vlt. consil. Laudens. n.* 8. Euerard. *cons.* 30. *n.* 23. *ad fin.* Ceual. *comm. contra comm. q.* 899. *n.* 39 *&* 42. Cabed. *decis.* 83. *n.* 19. *p.* 2. Thom. Bozz. *de iure stat. Eccl. libert. lib.* 4. *c.* 8. plenè Paulus Comitol. *respons. moral. lib* 1. *c.* 97. *n.* 6. *& seq.* Suarez *ad Regem Angliæ, d. lib.* 4. *c.* 8. *n.* 9. qui alios plures enumerat, & bona dum Ecclesiis traduntur eo ipso eximuntur à dominio, & potestate laicorum, & ex speciali iure sub dominio Christi Domini constituuntur. Nec per metaphoram, sed per omnimodam proprietatem, ita vt tale dominium Christi in his bonis Ecclesiarum sit proximum, & immediatum, illique dicatur acquisitum tanquam principali domino, vt per Innoc. *in c. cùm super, n.* 3. *de caus. possess. & propr. & in c. verum, num.* 2. *de for. compet.* Afflict. *decis.* 361. *n.* 22. *& seq.* & post Suarez *d. l.* 4. *c.* 17. *n.* 9. *& c.* 18. *n.* 5. *&* 7. *& c.* 21. *n.* 5. pluribus comprobat Comitolus *resp. moral. l.* 1. *c.* 70. *&* 71.

Vnde si Christus Dominus omnino immunis fuit à tributis, vt ad literam habetur apud *Matth.* 17. & *ibi* notant SS. Hieron. Chrys. & Ambros. atque alij per Suar. *d. l.* 4. *c.* 5. *n.* 1. *in fine.* Consequens est etiā bona Ecclesiarū, quæ subsunt immediato, & proximo dominio Christi Domini, immunia esse ab omnibus tributis, vt per eumdem Suar. *l.* 4. *c.* 18. *n.* 5. *&* 7. *cap.* 21. *num.* 5. vbi quòd hoc est valdè consentaneum diuinitati, & excellentiæ personæ suæ. Præterea si bona patrimonialia Clericorū etiam laicalia sunt immunia ab oneribus laicalibus ob dignitatem personarum, quæ dignitas personæ influit

immunitatem in ipsa bona, illa enim adhærent personæ Clerici, nec persona dici potest plenè, ac perfectè exempta, nisi etiam illius bona exempta sint. Ita Abb. Dec. Felin. & alij Canonistæ communiter *in c. Ecclesia S. Mariæ, & in c. quæ in Ecclesiarum, de constit.* Bald. *in l. 2. C. de Episc. & Cleric.* & alios refert, ac sequitur Suarez *d. lib. 4. c. 25. n. 4. & seq.* Ergo multo magis idem erit in bonis Ecclesiarum, tum quia perpetuò sunt Ecclesiastica, & in diuinum cultum per se ordinantur; tum, quia non Clericorum, qui Christi famulatum agunt, sed ipsius Domini patrimonium sunt, &, vt dictum est, sub immediato dominio Dei; patrimonialia verò bona Clericorum sunt quidem sub eorum dominio, sed hoc dominium illis competit vti ciuibus, non autem vti Clericis, & tamen propter sacram qualitatem cohærentem personæ bona sunt immunia, quæ ratio fortiùs vrget in bonis Ecclesiarum, vt perpendit Suar. *vbi sup. c. 16. n. 11. & c. 17. n. 1.*

Nec quicquam verò fecit, antiquitus aliquando Clericos soluisse tributa Principibus laicis, hincque exactionem cessasse iisdem Principibus indulgentibus, quoniam id accidit tempore quo nondum Principes Euangelij iugo ceruices subegerant, & facultas ipsa, seu immunitas à collectis, & tributis Clero competebat quidem de iure, sed adhuc de facto & malè exigebatur, & sic immunitas à iure diuino profecta est, immunitatis autem vsus, seu exercitium emanauit à Principum Orthodoxorum sanctionibus, qui Principes Christiani non verè, & propriè Ecclesiasticis bonis exemptionem concesserunt, sed potiùs detexerunt, & in eam à Deo concessam consenserunt, illiusque exercitium iussere, & hoc benè agnouit Iustin. *in dict. l. sancimus 20. C. de sacros. Eccl.* ibi, *cur enim non facimus discrimen inter res diuinas, & humanas?* & cur competens prærogatiua cælesti fauori non conseruetur? & sic annuit hanc humanitatem non sua munificentia, quam aliis in rebus, & locis sæpiùs gloriosus commemorat, sed à dictamine diuino, & à natura affluxisse, & bene ratiocinatur Comitolus *resp. mor. l. 1. d. cap. 97. n. 11.* vbi etiam antiquam traditionem, & populorum mores circa hanc immunitatem recenset, & ita pariter respondet Suarez cõtra Regem Angliæ *d. lib. 4. de immun. Eccles. c. 6. n. 4. & c. 21. n. 3 & 8.*

Nec obstat potissimum fundamentum Communitatis, quòd hæc onera olim imposita essent istis prædiis, quæ postea in Ecclesiam peruenerunt, & ideo transiuisse affecta tributaria, & cum eodem onere ad quoscumque quamuis priuilegiatos successores, atque etiam in ipsas Ecclesias, iuxta *can. tributum 23. quæst. 8.*

Quoniam pro responsione duo firmanda sunt, vnum in facto, alterum in iure: in facto quòd antiquitus hæc prædia erant eiusdem Ecclesiæ Archipresbyteri Gorzenij, & paucis solummodo abhinc annis distracta in laicos, à quibus in Catastro communitatis redacta sunt, detecta autē nullitate alienationis, iurē merito Ecclesia, & pro ea Archipresbyter modernus in iudicio spolij fuit reintegratus, & propterea, vt reintegratio suum plenarium consequatur effectū, opus est quòd Ecclesia recuperet prædia libera, & immunia, à quibuscumque oneribus, prout erant antequam ab Antecessore distraherentur, & consequenter reuocanda sunt, & descriptio in Catastro, & impositio onerum, quæ tempore vsurpationis laicorum sequuta sunt, tantum enim restituere debet reintegratio, quantum abstulit distractio. *l. fin. §. fin.* & *ibi* Bart. & alij *C. de sentent. pass. l. quod si minor. §. restitutio. ff. de minor.* & notat Odd *de restitut in integr. p. 1. q. 44. art. 3. n. 23 & seq* & retrotrahenda est hæc reintegratio, perinde ac si semper penes Ecclesiam prædia permansissent, ad *l. 1. §. vlt. ff. de quæst. l. 1. C. de sent pass.* Bald. *in l. post editam n. 1. C. de impuber. & aliis substit.* Costa *de retrotract. c. 8. cas. 17. n. 2. & seq.* quæ si permãsissent, neque relata in Catastro, neque onera fuissent imposita.

In iure autem illud notandum est, quòd bona semel à laicis etiam legitimè possessa non semper cum onere tributi, & vectigalis trãseunt ad Ecclesiam, sed cũ distinctione trium specierũ bonorum.

Prima est species bonorum, quæ habet, & possidet Ecclesia iure spirituali, & diuino, vt decimæ & oblationes, & hæc semper, ac perpetuò immunia sunt à quibuscumque oneribus secularibus tam præteritis, quàm futuris, quia immediatè habet à Deo, nec commiscenda cum laicis, vt *in Numer. c. 18.* & notant Canonistæ communiter *c. si tributum 11. q. 1. & in cap. secundum 23. q. 8.*

Alia sunt bona, quæ à priuatis quidem habuit Ecclesia, sed ad cultum diuinum, & Officium spirituale sunt destinata, vt situs Ecclesiarum, & cœmeterium pro sepulturis, hortus iuxta Ecclesiam, & sunt hæc pariter immunia semper ab omnibus tributis, & oneribus ne dum publicis, & Regiis, sed, quod magis est, etiam priuatis, & præexistentibus ob eorum specialem sanctitatem, vt habetur *in d. c. secundum 23. q. 8.* & per Baldum *in l. omnes, n. 12. C. de sacros. Eccles.* & doctè tradit Turrecr. *in c. si tributum 11. q. 1. & in summa de Eccles. lib. 1. c. 98. in resp. ad 7. argum.* Ioan. Anton. de Nigr. *in repet. extrauag. vnic. n. 242. de vita & honest. Cleric.* Suar. *ad Reg. Angliæ, de immun. Eccles. lib. 4. c. 17. n. 6. & 7. cap. 19. num. 2. & 8.* & latiùs *cap. 20. n. 17.*

Tertia est species bonorum, quæ possidet Ecclesia sorte temporali, & iure ciuili, vt titulo venditionis, legati, vel alio simili &c. Et in his etiam subdistinguendum est, & quoad onera imposita de tempore quo penes Ecclesiam bona reperiuntur, certum est ipsi omnino suffragari immunitatem, ex superiùs deductis. & Bart. *in l. rescripto, §. fin. n. 5. vers. videte, ff. de minor.* ingenuè fatetur nullum dari remedium, seu cautelam, quòd Clericis, seu Ecclesiis pro eorum prædiis imponatur collecta, cùm laici non possint edere legem per quam libertas Ecclesiastica infringatur, & Scriptores omnes Catholicos sine dissensione hoc admittere monet Suar. *ad Reg. Angl. dict. l. 4. c. 20. n. 2.* Fallitur autem idem Bart. *dicto loco*, dum subdit posse laicos à principio efficere tributaria, & affecta oneribus omnia prædia eorum Territorij, ita vt agri, qui postea ad Ecclesias peruenerint, obnoxij sint collectis imponendis, quia indirectè permitteretur contra libertatem Ecclesiasticam quod directè omnino prohibitum est. *cap. quæ in Ecclesiarum, de const. auth.* Cassa. *C. d. sacros. Eccles.* & alibi. Et licet eo tempore quo

vniuer-

vniuersum territoriũ efficitur tributarium, prædia sint sub iurisdictione laicorum: attamen hoc tempus inspici non debet, sed illud, quo ipsæ collectæ imponuntur, tunc enim formam habent, & solummodo radicem aliquam causalem, & remotam habuerunt à statuto, quod etiam dum facit territorium tributarium pro collectis imponendis, habet tacitam conditionem, scilicet si imponantur, quæ conditio cùm sit potestatiua, non retrotrahitur in præiudicium Ecclesiæ, quæ medio tempore acquisiuit, nec tunc subiacent iurisdictioni laicorum, ita eleganter Bartolum impugnando arguit Bald. *in l. omnes n.12.13.& 14. cum seq. C. sine cens. vel reliq. fund. compar. non poss & in l. placet, n.10.* vbi quòd Bart. in casu quem posuit, non dicit verum, *C. de sacrosanct. Eccles. & in l. neminem*, requiritur ad effectum vt ad Ecclesiam transeant prædia cum suis oneribus, & infrà dicetur, *& cons. 112. n. 7. l. 2.* vbi quòd Bartol. contra omnes, & non benè loquitur, neque dicit verum, & quòd illius cautela non valet vnam festucam, quia non potest considerari tributum nisi post indictionem, & specificationem, quæ fieri nequit postquam res fecit transitum ad Ecclesiam. Abb. *in cap. fin. n. 13. de vita, & honestate Cler.* Ias. *in dict. l. placet, n.21.* vbi quod dictum Bartoli est falsum, & damnatum per omnes, & idem testatur Guido Pap. *quæst. 381.* Ruin. *cons. 117. n. 8. l. 4.* Felin. *in c. Ecclesia sanctæ Mariæ, n. 76. de constit.* Plot. *in addit. ad consil. vlt. Lauden. n. 10. & 13.* qui testatur ita fuisse declaratum à Senatu Mediolani pro Monialibus S. Claræ Nouariæ, Alba. *cons. 8. num. 4. & seq.* vbi quòd huiusmodi statutũ volens prouidere oneribus, quæ adhuc non sunt in rerum natura, & volens fingere id, quod non est, non caret suspicione fraudis. Syluian. *cons. 9. n. 29. & cons. 32 n. 11.* Marcambr. *cons. 40. n. 29.* vbi dicit communem esse hanc opinionẽ. Paseth. *cons. 31. n. 8.* Vegg. *consil. 7. n. 11.* Graff *commun. opin. l. 1. c 18. q. 2.* qui pariter de communi testatur Remig. Gonny *de charit. subsid. q 62. n. 16.* vbi quòd hæc est tutior opinio Cardin. Alban. *de immun. Eccl. n. 92.* asserens hanc esse opinionem Legistarum validissimis rationibus confirmatam, & quòd graue piaculum committeret quicumque cõtrarium sentiret. Ceual. *commun. contra commun q. 899. n. 72. & 106.* qui plures alios cumulat. Rimin. iun. *cons. 25. n. 23.* Azor. *Instit. moral. p. 1. l. 5 c 13. q. 1.* Thesaur. *dec. 234. n. 5.* Ioan. Ant. Niger *in repet. extrauag. vnic. de vit. & honest. Cleric. n. 190.* Alphons. de Montalu. *in foro leg Castell. lib. 1. leg. 2. vers. in contrarium.* Mattien. qui alios congerit, *ad l Hispan. l. 5. l 11. glos. 5. n. 5* Guttier. *pract. qq. l 2. q. 132. n. 5.* vbi de veriori, & communiori opinione testatur.

Nec potest dici statuentes tunc vinculum iniecisse, dum territorium effecerunt tributarium, quo tempore iurisdictionem habebant in prædiis, quæ postea ad Ecclesiam peruenerunt, & sic transire cũ suo onere, quoniam vinculũ propriè iniectum est, dum collecta imponitur, tunc enim declaratio illa de toto territorio tributario suum sortitur effectum, cùm tributum imponitur, & res non dicitur esse tributaria, nisi quando re vera, & ipso facto debita est solutio suis singulis temporibus, & contributio, vt post alios tradit Alba *cons. 8. n. 5. & seq.* & tunc solùm dicitur actus perfectus, & consummatus, vt declarat Cardin. Alban. *de immunit. Eccles. n. 70. & 71.* hoc autem tempore bona sunt extra iurisdictionem laicalem, & subiectum est inhabile ad recipienda onera laicalia, resque dicitur deuenisse ad casum, à quo non posset incipere, & conferunt tradita per Bald. *cons. 11. 2. n. 7. l. 2* Alexan. *cõs. 210. n. 11. & cons 211. n. 4. l. 2.* Ruin. *cõs. 204. n. 11. l. 1.* Surd. *dec. 20. n. 8.* Alba *d. cons. 8. n. 4.* Cardin. Alban. *vbi suprà, n. 70.*

Quòd autem ad onera imposita, priusquam prædia ad Ecclesiam peruenerint, ad hæc tunc solummodò tenetur Ecclesia quando copulatiuè hæc omnia concurrunt, quòd scilicet onera sint vera realia ipsis fundis infixa, imposita sint bonis propter bona, non autem personis propter bona, quòd sint perpetua, certa, & inuariabilia, non autem ex aliquibus causis vrgentibus, & illis cessantibus remouenda. Ita docent Canonistæ *in d. c. 1. de immun. Eccles. in 6.* vbi præcipuè Geminian. *n. 9.* Abb. *in c. fin. n 12. de vita & honest. Cleric.* Turrecrem. *in c. si tributum 11. q. 1. vers. alia verò.* Barbat. plenè *cons 1. per tot. l. 3.* Felin. pleniſſimè *cons. 46. in 4. dub.* Niger *in repet. extrauag. vnic. de vita, & honest Cler. n. 247.* cũ pluribus sequent. Comitol. *resp. moral. l. 1. c 94. n 3* vbi omnia ista recensẽt requisita, & sat est allegare magistralem decisionẽ in Brundusina Gabellæ 13. *Feb* 1604. coram bon. mem. Penia, quam & passim sequitur sacra Congregatio *super controu. iurisdict.* per sanctissimum D. N Vrban. VIII. magno Reipublicę Christianæ bono institutus, & in his terminis loquitur text. *in c. tributum 23. q. 8.* ibi, *de exteriorib. Eccles.* quod constitutum est antiquitus (nempe illud quod antequam ad Ecclesiam peruenerint prædia) persoluendũ est; *& in c. si tributum 11. q. 1.* vt ibi per Turrecremat. & per Comitol. *resp. mor. l. 1. q. 93. n. 16.* Ceual. *commun. cont. comm. q 899 n. 106.* Alph. de Montalu. *in for. leg. Castell. l 1. dict. l. 2. vers. ad quorum corroborat. fol. 3. col. 3.* & Suar. *ad Reg. Angliæ d. l. 4. c. 2. n. 13.* qui etiam obseruat ibi Vrban. I. loqui iuxta morem sui temporis, quo Imperatores erant Ethnici, & Ecclesia nondum sibi libertatem actu vindicauerat ab huiusmodi tributis, & in hoc casu dum Ecclesia soluit collectas, non soluit vti tributum, & in recognitionem dominij, vel superioritatis, quam regulariter indicat tributi exactio, vt ex *c. 2. de censibus.* Sed ob conditionem inhærentem rei, & inseparabilem, & quemadmodum erga priuatas personas solueret census, & teneretur ad hypothecas, quæ ab eius authoribus laicis priùs impositæ essent, ita pari ratione tenebitur Ecclesia ad tributa, quæ vel ex pacto, vel alia ex causa, & conuentione Princeps, dum prædia possessa à laicis sub eius erant potestate infixit iisdem prædiis, vt bene per Fratrem Ioan. de Neapol. Ord. Prædic. *in qq. Parisiens. quæst. 39. punct. 3. ad 4. argumentum.*

Imò Cardin. Alban. *de immun. Eccles.* Guttier. *pract. qq. lib. 1. q. 3. n. 15. vers. præterea.* & fusiùs Suar. *dict lib 4. c. 20. n. 6. q. 11. & seq. vsque ad fin.* asseuerant tunc demum bona translata in Ecclesias retinere onus, & obligationẽ soluendi tributum, quatenus hoc tributum à Principe priùs impositum fuerit expresso pacto inter ipsum, & priuatos inito, vel ex peculiari dominio illius prædij, ita vt ipse in priuatos transtulerit, hac sibi reseruata pensione, censu, seu colle-

cta,non autem si exegisset ex sola vi Regiæ potestatis,& iurisdictionis, hæc enim tunc penitus exspirat, cùm bona ad Ecclesiam perueniunt, & res deuenit ad statum, qui incapax est illius subiectionis tributi erga Principem laicum, quod secus est in pactis, & conuentionibus per viam contractus initis,quia vis illorum transit, & continuat in quibuscumque personis quomodocumque exemptis, & priuilegiatis. Felin.*in c.Eccl.S.Mariæ,n.77.de const.* Vegg.*cons.7.n.5.& seq.*Bellon.*cons.40.n.4.&5.*Festus *de collect.p.4.cap.2.n.31.* Alderand.Mascard.*de gen.interpr.stat.conclus.1.n.100.* Azor.*instit.moral.part.1.l.5. c.13.quæs.1.vers.secundò sciendum est,* vbi quòd ratione pacti, vel conditione adiecta in legato, siue contractu Ecclesia tenetur ad collectas bonorum, ad quas aliàs non teneretur, & per Suarez *vbi suprà n.6.& 15.in fin.n.28.*vbi respondet ad motiuũ,quòd res transit cum suo onere;& *n.9.*prudenter indicat, quomodo probari possit prædia fuisse sub particulari dominio Principis, vel tributum solui ex conuentione,non autem ex solo iure vniuersali principatus,quibus cooſequens est,vt cùm onera,de quibus agitur, non sint antiqua, nec infixa essent dum ad Ecclesiam primò hæc bona transiuerunt, & conuentio omnino excludatur, nullatenus Ecclesia ad illa onera teneatur.

Non obstat hæc prædia descripta esse in Catastro laicorum, ex quo regulatur taxa onerum, & inde Archipesbyterum teneri ad collectas, iuxta doctrinam Baldi *in Authentic. sed & periculum,nu.2. vers.hoc verum nisi Ecclesia, C.sine censu, vel reliq.* &c. vbi quòd si Ecclesia facit æstimum, tenetur ad collectas in vim sui consensus, non ex vi iurisdictionis laicorum, quoniam hæc descriptio in Catastro non fuit facta de consensu Rectoris, sed illorum laicorum, qui Ecclesiam hisce bonis spoliarunt,vt *suprà* dictum fuit. Imò etiam si facta fuisset de Rectoris consensu,hoc non præiudicaret Ecclesiæ,sed opus fuisset auctoritate,& assensu Summi Pontificis, cuius interest communibus Ecclesiarum vtilitatibus prouidere, vt *in dict.cap.aduersùs de immunit. Eccles.*& in puncto Abb.*ibi n.1.& 4.& in c.non minus, n.18.eodem tit.& cons.13 n.1.& 2.l.2.* Marant.*cons.99. n.2* Natt.*cons.203.n.4.& seq.*vbi declarat doctrinam Baldi procedere data legitima descriptione in æstimo,seu Catastro, nempe quòd accesserit auctoritas Sedis Apostolicæ.

Non obstant solutiones factæ,quoniam aut processerunt à laicis, & tunc non præiudicant Ecclesiæ, laici quippe tamquam subiecti tenebantur ad collectas; dum verò extat persona immunis,cessat ratio subiectionis, & sic etiam obligatio, mutata enim persona,mutatur status rei,*l.1.C.de impon. lucr. descr.lib.10.*Gemin.*in dict.cap.1.n.9. de immun.Eccles. in 6.*Anchar.*cons.129.sub n.2.* Niger *in repetit. extrauag.vnic.de vita,& honestate Cleric.n.224.*Marant.*dict. cons.99.n.3.& 4.* Guttierr.*pract.quæst l.1.quæst.3.n.15.* vbi post Mattiens. dicit hunc esse casum mirabilem, quo res non transit cum suo onere, atque,vt *suprà* dictum fuit, reintegratio concessa Rectori debet abolere quidquid post alienationem gestum est in præiudicium Ecclesiæ.

Aut verò solutiones prætenduntur factæ à Rectore,& tunc nec etiam præiudicant,cùm Rector non potuerit tollere priuilegium libertatis Ecclesiæ,non enim est personale beneficium,sed ipsi Ordini Ecclesiastico, & ipsis bonis Ecclesiarum concessum,cui gesta priuatorum præiudicare non possunt.& in hoc casu opus fuisset assensu Summi Põtificis, vt dictum fuit,& notatur à Castr. *cons.423. n.2.lib.2.*Ceual.*commun.contra commun.quæst.899.n. 107.ad fin.*& Modernus Rector quatenus soluisset, non inde tamen priuatus censetur sua immunitate ab hisce collectis, & oneribus, quæ de iure sibi competit, ad text. *in l.voluntariè, C. de excus. tutor.* Alexand. *cons.33.n.2.vers.sed ea mihi,l.5.* Castr. *dict. cons.423.n.2.*Natt.*consil.447.n.16.*

Et ita bis diligenter examinato articulo resolutum fuit.

DECISIO ROTÆ

coram eodem domino meo Merlino.

Die 28.Maij 1631. & est Decisio magistralis, & menti tenenda.

SEntentiam latam extra Curiam,Domini dixerunt vitio nullitatis ex defectu iurisdictionis laborare,promulgata enim fuit in foro,& tribunali laicali,& tamen cùm ageretur de bonis ratione directi dominij spectantibus ad Eccl.S.Mariæ in Cosmedin. causa erat omnino Ecclesiastica, & ab Ecclesiastico iudice, non autem à laico definienda.*c.decernimus,extrà de iudic.cap.bene quidem,cap. denique.dist.96.c.continua, c.relatum, c.si quæ causæ,cap. placuit 11.quæst.1.*in qua quæst.per tot.Gratianus cõgerit decreta ad hoc spectantia ex sacris Conciliis, & Summorum Pontificum rescriptis desumpta, & *in dict.c.placuit,* desumpto ex Concilio Carthag. III.habetur,quòd etiam Apostolus huiusmodi causas ad Ecclesiam deferri, atque ibi determinari præcipit, & de veritate huius conclusionis nullus vnquam orthodoxus dubitauit, & si qui ausi sunt impugnare,meritò semper ab Ecclesia fuerũt damnati, provt de Marsilio illo Paduano sub Paschali II.tradit Cardin.Turrecr.*in sum.Eccl.l.4.p.2.c.37.*qui super hoc refert extare extrauag.Ioan.XXII quæ incip.*Licet.* Azor.*inst.moral.par.1.lib.5.c.52.vers.in hoc proculdubio.* Bannez *in 2.2.q.65.art.1.& verb.itẽ Christus.*Card.Bellar.*controu.to.2.tit.de Cler.c.24.ante vers. quinta propositio.* Quemadmodum enim laici quidquam statuere non possunt circa bona Ecclesiastica ex defectu iurisdictionis & potestatis, *dict.cap. bene quidem,c.si Imperator,dist.96.cap.laicis 16.quæst.7. cap.cum Laicis,extrà de reb.Eccl.alien,vel non.* in quibus locis habetur,quòd laicis etiã religiosis obsequendi necessitas relicta est, non auctoritas imperandi, nullaque de rebus Ecclesiæ disponendi attributa est potestas, & in his quæ ad Ecclesiam spectant, discere debent,non docere.*c.Clericus, & c.fin.de immun.Eccles.in 6.*vbi statuentes ipsi anathematis pœna feriuntur.*c.Ecclesia sanctæ Mariæ,de constit.* ita nec etiam super illis ius dicere, & sententiam proferre posse non est ambigendum:paria enim sunt forum sortiri,& statutis ligari.gloss.*in c.quod Clericus,de foro compet.*Dec.*in d.c.Eccles.S.Mariæ,n.18.*

Alex.

Alex. *conſ.* 211. *n.* 5. *in fin. l.* 2. Rimin. ſen. *conſ.* 268. *n.* 13. *l.* 2. Berous *conſ.* 65. *n.* 99. *l.* 1. Surd. *conſ.* 2. *n.* 14. *in fin. & conſ.* 338. *n.* 26. *ad fin.* & ad propoſitum Theſaur. *iun. quæſt. forenſ. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 12. *in fine.*

Idque procedit etiãſi cauſa inter ſolos emphyteotas agatur, & ſuper ſolo dominio vtili, quod penes laicos exiſtit, quoniam dominium Eccleſiæ cùm ſit connexum, & complicatum cum vtili, imò & eidem prædominans, ſitque dominium vtile, verè & propriè vna, ac eadem res cum dominio directo, & eius naturæ vt directum ſemper ſequatur, ſicuti incrementum alluuionis, & inſulæ, vt dixit Oldrad. *conſ.* 440. *n.* 7. *verſ. & ideo rectè*, quem ſequitur Surd. *conſ.* 57. *n.* 24. *verſ. & propterea.* & ſubiectum bonorum materialiter ſit ſemper perpetuoque Eccleſiaſticum, non poteſt ab ipſo dominio directo ſaltem actualiter ſeparari dominiũ vtile, nec ideo indirectè bona Eccleſiarum ſubijci iuriſdictioni, & iudicio laicorum. *c. quanto, c. cæterùm*, & *ibi* Canoniſtæ, *de iudicijs.* Cardin. *conſ.* 2. *n.* 2. *verſ. item in hæreditate.* Campeg. *inter conſ. Albert. Brun. conſ.* 2. *n.* 34. *ſub verſ. præmitto tertiò*, & alios congeſſit, & ſequuta eſt Rota acerrimè examinato articulo, ſublatiſque contrarijs argumentis in Romana Domu de Scapuccijs 19. *Ian.* 1611. coram Reuerendiſſimo Domino meo Decano, & quoties caſus contingit, ſẽper eam poſtea ſequuta eſt, vt *in deciſ.* 472. *p.* 2. *recent.* & penes Pacific. *de Saluiano deciſ.* 239. *n.* 6. & in Romana de Schianchis 28. *April.* 1617 coram Eminent. D. Card. Pamphilio impreſſ. poſt modern. Mantuani *controu. forenſ. c.* 12. *n.* 67. & aliàs ſæpiùs. & ab hac opinione difficile eſſe recedere, admonet Grat. *diſcept. forenſ. c.* 447. *n.* 21. Ita ratione huiuſmodi connexionis licet Iuſpatronatus laicorum non ſit propriè ſpirituale, attamen quia eſt annexum ſpiritualitati, ideo ſuper illo iudicat ſolùm iudex Eccleſiaſt. *c. quanto, de iudic.* & poſſeſſio rei ſpiritualis licet ſit merè temporalis, & laicalis, attamen etiam de poſſeſſione ſolùm cognoſcit iudex Eccleſiaſt. quemadmodum de ipſa proprietate, non autem laicus, cùm qualitas ſpiritualitatis qualitatem temporalitatis abſorbeat, & ad ſe trahat. Berous *in rub. de iud. n.* 51. Crauet *conſ.* 258. *n.* 8. Roland. *conſ.* 12. *n.* 35. *& ſeq. lib.* 2. Velaſc. *conſul.* 93. *n.* 3. Menoch. *de recup. remed.* 15. *n.* 205. *& ſeq.* Couarr. *pract. qq. c.* 35. *n.* 1. Guttier. *can. qq. c.* 34. *n.* 26. *& ſeq.* latè Azor. *inſt. mor. p.* 1. *l.* 5. *c.* 14. *quæſ.* 1. Duard. *ad Bullam Cœnæ, l.* 2. *can.* 15. *q.* 19. *nu.* 47. Put. *deciſ.* 361. *l.* 1. *in antiqu.* Certum eſt autem maiorem connexitatem, & complicationem eſſe inter dominium directum, & vtile, quàm ſit inter proprietatem, & poſſeſſionem, vt per Beroum *in dict. cap. quæ in Eccleſiarum, num.* 13. *de conſt.*

Itidem cauſa decimarum quæ datæ ſint in feudum ſecularibus, diſcutienda eſt coram iudice Eccleſiaſtico. licet enim dominium huiuſmodi decimarum, ſcilicet fructuum illorum omninò ſpectet ad laicos, & feudum cenſeatur ſeculare, tamen quia oritur, & dependet à iure ſpirituali, & Eccleſiaſtico, non poteſt iudex laicus de illis cognoſcere. Feder. de Sen. *conſ* 245. *n.* 1. Azor. *inſt. mor. p.* 1. *lib.* 7. *c.* 39. *q* 3. Moneta *de decim. c.* 8. *q* 1. *n.* 15. Fagund. *ſup. pr. Eccl. pr. 5. l.* 3. *c.* 5. *n.* 5. vbi Cou. Rupel. & alios contrariũ ſentientes refellit. Prout & poſſeſſorium matrimonij, quamuis agatur inter perſonas meræ laicas, quia habet admixtũm cauſam, titulum ſpiritualitatis, definiendum eſt à iudice Eccleſiaſtico. Couarr. *de ſponſ. p.* 2. *cap.* 7. *§.* 6. *nu.* 8 *& cap.* 8. *§.* 12. *num* 3. Velaſc. *dict. conſ.* 93. *n.* 2. *ad med. verſ. & in cauſa matr.* latè Molina *de ritu nup. lib.* 2. *diſſic.* 10. *num.* 19. *& ſeq.*

Et demum, quod fortius etiam videtur ratione pariter connexitatis dominij vtilis cum directo, emphyteutas Eccleſiæ non teneri ad collectas, & onera realia per ſtatuta laicorum ſuper rebus, & bonis impoſita, cenſuerunt grauiſſ. DD. & originaliter dixit Bartol. *in l. priuatæ, num.* 2. C. *de excuſ. mun. lib.* 10. Iaſ. *in authent. quas actiones, n.* 42. C. *de ſacr. Eccl.* Rip. *in tr. de peſt. tit de priuil. ad conſer. vber. n.* 124. latè Pet. de Vbald. *in conſ.* 2. *poſt tr. de collect. per tot.* Sylu. *conſ.* 9. *per tot.* M. Ant. Eugen. *conſ.* 96 *num.* 23. *lib.* 1. D. Fachin. *controu. iur. cap.* 91. *lib.* 1. Menoch. *conſ.* 444. *n.* 27. Ruin. *conſ.* 111. *num.* 10. *verſ. item nota. quodl.* 5. Remig. Gonny *de charit. ſubſid. q.* 61. *nu.* 29. *& q.* 59. *n* 31. Odd. *conſ.* 70. *per tot.* & præſertim *num.* 31. vbi teſtatur hanc opinionem eſſe veriorem, ſolidioribuſque rationibus fundatam, necnon magis æquam, & ſecuram, & *num.* 40. ait hanc hanc dici poſſe communem opinionem, cùm Bartolum, & alios grauiſſimos iuris ſectatores habeat, Burſat. *conſ.* 42. *n.* 22. *l.* 1. & videtur etiã admiſiſſe Rota *in d. Romana domus de Scapuccijs*, coram Reuerendiſſimo Domino meo Decano.

Et præter motiuum connexionis concurrit etiã prærogatiua qualitatis, & ſubiecti Eccleſiaſtici, hoc enim dominium vtile vaſalli ſubiicitur, & famulatur directo dominio domini principalis. Alc. *in l. ſi quis, in §. differentia, n.* 12. *ver. aliud eſt.* & *ibid.* Zaſ. *n.* 22. *ff. de acquir. poſſ.* & bene per Surd. *conſ* 57 *n.* 23. *verſ. & propterea.* & in proprietate tamquam in prima cauſa inſeparabiliter inhæret. ſine qua nec ſubſiſtere poteſt, vnde meritò dominium directum cùm ſit Eccleſiaſticum tamquam dignius & potentius, debet trahere ad ſuum iudicem, & forum diſcuſſionẽ ſuper dominio vtili, quia ſemper, vt dictum eſt *ſuprà*, hoc dominium vtile reſidet in materia, & in re Eccleſiaſtica, veluti in ſuo ſubiecto, quemadmodum hac eadem ratione prærogatiuæ circa cõpetentiam fori compertum eſt, quòd laicus ſocius Cletici ſequitur forum eiuſdem Clerici. Bart. *in l. fin. n* 15 *ad fin. ff. de colleg. illic.* Aret. *conſ.* 29. *n.* 24. *verſ. ſecundum eſſet dubium, in fin.* Surd. *conſ.* 222. *num.* 3. *& conſ.* 396. *num.* 16. *&* 18.

Et maior itidem conſors pupilli, aut minoris ratione iuris conſortij gaudet priuilegijs ipſius pupilli, & minoris. *l. ſi communem, ff. quemadmodum ſeruit. amitt.* Afflict. *deciſ.* 213. Franch. *deciſ.* 269. *n.* 1. Odd. *de reſtit. in integr. par.* 1. *q.* 46. *art.* 10. *n.* 35. Sique aliter in hoc caſu, vbi agitur etiam ſolùm de dominio vtili emphyteotæ, diceremus, ſequeretur præiudicium ipſius Eccleſiæ, cui expedit habere magis vnum emphyteutam, quàm alium. Ita Berous *in dict. cap. quæ in Eccleſiarum, numer.* 9 *de conſt.* & Rimin. iun. *num.* 12. Bec. *conſ.* 3. *num.* 61. *&* 62. *lib.* 1. & in dicta deciſione Romana de Scapuccijs coram Reuerendiſſimo Domino meo Decano luculenter, & doctè ponderatum fuit. Et ita vtraque parte informante pro nullitate reſolutum fuit.

ADDI-

ADDITIONES
AD DECLARATIONES
SACRARVM CONGREGATIONVM.

IN *fine nu.*1. hæc addantur. Idem dicendum est de familiaribus Episcoporum, Titularium, & ita declarauit sacra Congregatio 17. *Ianuar.* 1628. in vna Regiensi, his verbis. Sacra Congregatio Cardinalium controuersijs iurisdictionalibus Præpositorum censuit, familiares etiam Episcopi titularis gaudere debere priuilegio fori, ita tamen vt conueniri debeant, & sint puniendi ab Ordinario loci, vbi degunt, non ab ipso Episcopo, seu Archiepiscopo titulari.

Octauius Cardinalis Bandinus.

In fine num. 2. hæc addantur. Et laicos non posse in Ecclesia spoliari reum armis prohibitis, determinauit sacra Congregatio immunitatis, vt apparet per subsequentem epistolam. [Illustre e molto Reuerendo Monsignore come fratello. Non e permesso alla Corte laicale leuare le armi à i confugiti in luoghi immuni conforme l'opinione vera, e seguitata da Tribunali di questa santa Sede, che è quanto occorre in risposta dalla sua, & in questa conformità si potra gouernare, mentre à V.S. mi offero. Roma 24. di Guglio 1634. Come fratello. *Il Cardinal Gessi. Francesco Paolucci* Secretario. Extra, All' Illustre e molto Reuerendo Monsignore come fratello il Vescouo di Regio.]

*Num.*39. vbi agitur de Clericis coniugatis, deleatur totum, & apponatur. Clerici coniugati habentes requisita sacrorum Canonum, gaudent priuilegio fori etiam in ciuilibus, ita determinauit sacra Congregatio immunitatis, vt patet ex infrascripta epistola. [Intus, Illustre e molto Reuerendo Monsignore come fratello. Sè il Clerico coniugato Giacomo Gioan Masetti dalla Mirandola ha tutti li requisiti di Clerico coniugato espressi da sacri Canoni, senza dubio egli deue poder godere il priuilegio del foro in tutte le sue cause, ancor che ciuili, conforme l'opinione di questa sacra Congregatione sopra le controuersie giurisditionali, che è quanto occorredine à V.S. in questo particulare, alla quale mi offero, e prego ogni prosperità. Roma 17. di Giugno 1631. Di V.S. come fratello. *Il Cardinal Gessi. Francesco Paolucci* Secretario. Extra, All' Illustre e molto Reuerendo Monsignore come fratello, il Vescouo di Regio. Vnde apparet, quicquid aliqui mussitauerint, me rectè hanc sententiam docuisse *in part.* 1. *tract.* 2. *resolut.* 51. & me citato illam nouissimè mordicus tuetur Ioannes Baptista Ciarlinius *in controuers. forens. cap.* 53. *num.*34. *& sequent.*

Ea quæ sunt *in num.*50. apponantur sub *num.*53. & *in num.*50. hæc apponantur. Clerici non tenentur denuntiare sua frumenta, & blada Iudici laico, sed Episcopo. Ita sacra Congregatio rescripsit Episcopo Ferrarienſi *sub die* 19. *Iunij* 1592. in hæc verba. [Li Ecclesiastici non sono obligati per gli bandi de Giudici secolari dare l'assegna delli loro grani, e biade; deuono bene i Prelati fare loro Editti sopra ciò, e riceuere essi gli reueli dalle Ecclesiastici, e poi darne nota al Magistrato secolare, senza però che da essi gli Chierici siano molestati.]

Addatur *num* 51. Pro, bona stabilia concessa, donata, vendita Ecclesijs, seu locis pijs, non potest imponi collecta cessionario, venditori, aut donatori. Ita sacra Congregatio Episcoporum, vt patet per subsequentem epistolam scriptam Episcopo Caglienſi. [Si è dato conto à questi miei Sign. Illustriss. di quello V.S. mi scriue intorno alli trattati di con esta Città, & essendosi fatto lungho, e maturo discorso sopra di quel decreto del quale mi ha mandato copia, e col quale si ordinaua, che delli beni stabili in qual si voglia modo si aquisteranno per l'auuenire dalla Chiese, o altri luoghi pij, si obligbi il donatore, venditore, o cedente di pagare perpetuamente le collette, & altre impositioni. Hanno giudicato loro Signorie Illustrissime che questo sia direttamente contra l'immunità Ecclesiastica, e contra la Bolla Cœnæ, e percio sentono che alla ricenuta di questa, non manchi di fare che quel decreto sia cassato, & abrogato, quanto tocca alle Chiese, e luoghi pij. da Roma à 18. di Ottobre 1582.

Apponatur *num.*52. Possunt Episcopi in causis etiam mixti fori contra laicos facere executiones personales, & reales, absque requisitione Iudicis secularis, & pœnis temporalibus punire. Ita instante S. Carolo Borromeo determinauit sacra Congregatio Cardinalium deputatorum per S. D. N. Pium V. facta coram ipso *sub die* 5. *Iunij* 1567.

Apponantur ea quæ sunt in *num.*50. quod modò erit 53.

INDEX.

INDEX

RERVM NOTABILIORVM,

quæ in hoc quinto Tomo continentur.

Prior numerus ad paginam, posterior ad columnam remittit.

A B.

ABbas *in casibus, in quibus Tonsuram, & minores Ordines conferre potest, dispensare valet.* pag.323. col.2.

Abbates Benedictini possintne conferre Ordines minores, sibi non subditis post Concilium Tridentinum; & an Ordines ab ipsis suscepti sint reiterandi? 434.435 & 436.*per totum.*

Abbates concedendo dimissorias Nouitio non incidunt in suspensionem. 324.1

Abbates conferentes Ordines minores Nouitiis sintne suspensi. *ibid.*

Abbates conferentes Tonsuram, vel minores Ordines aliis, quàm suis subditis Regularibus, non incurrunt suspensionem. 323.2

Abbatissa *non habet iurisdictionem spiritualem in subditas; subditæ nihilominus tenentur obedire.* 254.1

Abbatissa non potest monialibus aliquid præcipere sub pœna excommunicationis. *ibid.*

Ablutio *quænam sufficiat ad rationem Baptismi.* 75.2

Ablutio quæcumque siue immersione fiat, siue infusione, seu aspersione, sufficit ad valorem Baptismi. 82.1

Absens, *vel inuitus potest absolui à suspensione.* 327.2

Absoluendi *facultas concessa in Iubilæo ab omnibus casibus, non extendit se ad casus Bullæ Cœnæ, nisi Papa hoc expresserit in Bulla.* 375.1.2

Absoluere *licet infirmum moribundum, præbentem eleemosynam pro sepultura in loco magis honorifico.* 118.2

Absoluere potens absolutè potest etiam ad reincidentiam. 253.2

Absolutio *ab excommunicatione data sub conditione in futurum validè confertur.* 252.2

Absolutio ab excommunicatione, si tantùm dicatur, absoluo te, *quo sensu valida, & quo inualida?* 262.1

Absolutio aliquando valida, & licita est, non satisfacta parte. 251.2

Absolutio à reseruatis potest dari à prima die infirmitatis, quæ ponit infirmum in periculo mortis. 105.1

Absolutio à censura, si detur inuito, necessarium est eam in absolutione exprimere, secus si detur eam petenti. 262.1

Absolutio duabus ex rationibus potest conferri negatiue. 109.1

Absolutio est valida, si excommunicatus potens satisfacere parti, non satisfaciat, cùm à Confessario priuilegiato absoluitur. 252.1

Absolutio excommunicationis facta per scripturam, vel verba, est valida. 262.2

Absolutio facta virtute Bullæ Cruciatæ, aut Iubilæi, aut alterius priuilegij valet pro foro exteriori. 252.1

Absolutio quando omittitur iuramentum de parendo, valida est, & vtilis. 281.2

Absolutus ab excommunicatione ad reincidentiam, vt in eam reincidat, non est necessaria noua culpa. 253.1

Absolutus in articulo mortis à casibus reseruatis, non tenetur postea cùm inualuerit, recurrere ad Superiorem. 104.1

Absolutus in articulo mortis à censuris etiam Papæ reseruatis vi Bullæ, Iubilæi, aut priuilegij, non tenetur se præsentare, imò ab hoc onere liberatur. 472.2.

Absolutus virtute Bullæ in articulo mortis à casibus in Bulla Cœnæ reseruatis non tenetur postea parere, nec hoc onus ipsi imponi potest. 104.2

A C

in Acceptione *personarum quoad beneficia conferenda, datur paritas materiæ.* 165.2

Accommodatum, *conductum, vel precarium accipiens ab alio ante extremam necessitatem, non tenetur restituere si illud in extrema necessitate consumpsit.* 229.1

Actionis *grauitas, per quam interrumpitur probatio nouitiatus, magis consideranda est, quàm temporis diuturnitas.* 168.1

Actiones tres dantur pro executione legatorum, quæ coram Episcopo proponi poterant prout natura negotij patietur. 33.2

Actus *pœnitentis quamdiu dicuntur moraliter manere?* 476.1

Actus, vel omissio externa ob quam incurritur censura, debet esse significatiuus interni, ob quem solum non fertur excommunicatio. 272.2

ad Actum iudicialem quid requiritur? 453.2

A D

Aduersarius *Petri si pecunias obtulit electori, quam ille accepit, an Petrus etiam illum pecunus allicere possit?* 210.1

Adulter *si occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ maritum inuasorem non tenetur ad aliquam restitutionem.* 152.2

Adultus baptizandus est, etiamsi vnius tantùm testis assertione Baptismum postulasse constet. 82.2

Adultus differre potest Baptismum propter imminentem mortem, si credatur postea adfutura occasio recipiendi illum; neque cum magno vitæ periculo tenetur Sacramentum hoc in re suscipere. 77.2

Adultus potest offerre pecuniam Sacerdoti, vt illi administret sacramentum Eucharistiæ, & Pœnitentiæ. 208.2

Adultus teneretur in vitæ periculo non omittere Baptismum, si ex illius omissione Religio Catholica graue aliquod damnum pateretur, & quare? 77.2

Adultis in articulo mortis potest ministrari Sacramentum Confirmationis. 86.1

Æ

Ægrotus *si morti sit proximus, simplex Sacerdos etiam regularis, potest absente, vel nolente Parocho, ministrare extremam Vnctionem.* 111.1

AEgrotus si non fuerit confessus in articulo mortis, non tenetur Parochus cum periculo vitæ extremam Vnctionem illi ministrare. ibid.

in Ætate *requisita ad matrimonium datur paruitas materiæ.* 166.2

Et quid de ætate requisita ad Ordines. 167.1

in *AEtate requisita ad professionem emittendam non datur paruitas materiæ.* 167.2

Et quid in anno nouitiatus? ibid.

AG

Aggressorem *præuenire licet, & antequam inuadat occidere.* 135.1

Aggressus *quando dicatur occidisse cum moderamine inculpatæ tutelæ.* 133.1

Aggressus si esset multùm Reipublicæ necessarius, teneretur sub reatu culpæ lethalis interficere aggressorem, si posset. 139.1

Agnum *vendere Iudæis non licet, quem scio ab ipsis immolandum, & de similibus venditionibus.* 221.2

AL

Altari *deseruiens debet de altari viuere.* 170.2

AM

Amasiam *vocans Deam non est Blasphemus.* 400.1

in Amentiam *incidentes in articulo mortis communicandi sunt si illos antè non fuisse infectos graui aliqua culpa constet: secus non.* 94.2

AN

Anticipatio *qualibet horæ in comestione ieiunij non est peccatum mortale.* 164.1

in *Anticipatione comestionis in die ieiunij datur paruitas materiæ.* ibid.

AP

Appellans *ad plures diuersos iudices, quando appellare potest, valeatne alternatiua appellatio?* 315.2

Appellans generaliter à sententia excommunicationis, suspensionis, &c. secundùm ius ciuile validè appellat; secus ex iure canonico. ibid.1

Appellatio *facta post latam sententiam censuræ, & absolutam, nequit eam impedire.* 314.2

Appellatio legitima facta antequam iudex absolutè ferat excommunicationem ipso facto ob peccatum, impedit incursionem excommunicationis maioris, nisi fortè in casu. 262.1

Appellatio post sententiam excommunicationis latam sub conditione, si fiat ante completam conditionem, suspendit excommunicationem. 279.1

Et an possit fieri toto tempore quo conditio non est impletæ ibid.

AQ

Aqua *rosacea, vel alia ex herbis expressa non est materia Baptismi.* 73.2. & 74.1

Aqua Baptismalis si tantùm capillos, & vngues tangat, an conficeretur sacramentum Baptismi. 78.1

Aqua si peruenire possit ad infantem in vtero matris existentem, baptizari potest, etiamsi præuideatur matris mors sequutura. 78.2

Aquæ quantitas quæ sufficiat ad valorem Baptismi? 76.1

Aquam non bibere, vel vinum niue refrigeratum non quis tenetur sub mortali, quia Medici exinde præuident, quòd citiùs morietur. 144.1

Aquæ naturali deficiente an moribundo sit adhibendus Baptismus in aqua rosacea, vel similibus sub conditione, variant authores. 73.1.2. & 74.1.

AR

Arma *commodans amico duellare volenti quo sensu excommunicandus, & quo non?* 490.2

Arma deferre hæreticis, vt Christiani nominis inimicis non est prohibitum. 397.2

Arma deferre infidelibus liceatne, si pecunia reportatæ Christianis sit vtilior quã arma fuerint noxia? 398.1

Articulus *& periculum mortis non differunt quoad absolutionem ab excommunicatione?* 280.2

BA

BAnnitus *qui impunè potest vbique occidi est in periculo mortis, & absolui debet vt moribundus, secus si habeat saluum conductum.* 102.2

Bannitum licet proditoriè occidere. 143.2

Bannitum quo sensu liceat occidere, & quo non? 144.1

Baptismus *debet adhiberi moribundo in dubio, si aqua est naturalis, in iure carnium, lixiuio, &c.* 73.1

Baptismus, & pœnitentia recedente fictione conferunt gratiam. 404.2

Baptismus etsi credatur fore causa mortis tenero infanti, adhiberi tamen potest, & nullo modo omitti. 77.1

Baptismus in qua quantitate aquæ perfici possit? 76.1

Baptismus in re susceptus non est medium necessarium ad salutem adulto; & quare? 77.2

Baptismus non est adhibendus in extrema necessitate sub conditione in glacie, & niue nondum resolutis, si aquæ naturalis deficiat. 75.1

Baptismus non est adhibendus moribundo deficiente aquæ naturali, in aqua rosacea, vel ex aliis herbis expressa. 73.2. & 74.1.

Baptismus potest conferri surdo, & muto in terris infidelium se miscentibus cum aliis ad susceptionem Sacramenti, præmissa priùs examinatione. 187.1

Baptismus si alia via non possit conferri, quàm dando pecunias Sacerdoti recusanti baptizare infantem moribundum, an liceat dare? 85.2

Baptismi materia quæ sit ex Conciliis? 73.2

Baptismi Sacramentum inualidè administratus tenetur cũ magno vitæ periculo hunc defectum manifestare: secus de Ordine Sacerdotali, & Episcopali inferiori. 416.1

Baptismum suscipiens in periculo mortis ex opinione probabili in digito, capillis, pedibus, &c. in materia dubia cum gutta aquæ, debet, si vixerit, iterum sub conditione baptizari. 78.1

in *Baptismo alicuius periclitantis debent ministri seruare ordinem inter se: quem si non seruauerint, non peccabunt mortaliter.* 81.1

in *Baptismo moribundis collato etsi verè, & propriè adhibeatur patrinus, non contrahitur tamen cognatio spiritualis.* 76.2

Baptizandi *multi sunt modi, qui nunquam licent.* ibid.

Baptizati *in periculo mortis debent posteà in Ecclesiis cæremoniæ omissas supplere.* ibid.

Barones, *& alij domini introducentes in terra à se de nouo ædificata tabernam, in qua sola vendantur vinũ & alia,*

alia reclamantibus vasallis, incurrántne excommunicationem Bullæ Cœnæ? 27.2

BE

Benedictini, *etiamsi haberent peccata mortalia, tenerentur tantùm confiteri sub veniali.* 406.2
Benedictiones *nuptiales quibus diebus sint licitæ tempore interdicti?* 338.1
Beneficiarius, *qui non recitauit Laudes, non tenetur ad aliquam restitutionem, & quare?* 466.1.2
Beneficiarius qui partes leues in singulis horis omittit, quæ simul sumptæ grauem quantitatem constituunt, teneatúrne ad aliquam restitutionem. 181.2. & 182.1
Beneficiarius, qui partes leues in singulis horis omittit, quæ simul sumptæ quantitatem grauem constituunt, non tenetur ad aliquam restitutionem. 466.1
Beneficium *illicitè confertur suspenso ab officio.* 310.2
Beneficium tenue habetur in iure pro non beneficio. 170.2
Beneficij collatio facta excommunicato tolerato sítne valida? 293.2
Beneficij collatio facta suspenso, vel interdicto valida est. 294.1
Beneficij collationes factæ excommunicatis sunt inualidæ. 293.2
Beneficij resignatio ab excommunicato in fauorem tertij est valida. 298.1
Beneficium aliquod resignanti an liceat nominare successorem non deducendo in pactum vt ipsi detur, sed significando collatori, vt si velit, ipsi det? 458.1
Beneficium conferentes excommunicato præter excommunicationem minorem incurrunt ipso iure suspensionem à collatione eiusdem beneficij, à collatione verò aliorum post binam monitionem suspendi debent. 298.2
Beneficium vnum si duo petant, & electo inclinet suam voluntatem ad minùs dignum, esset simonia pretio redimere hanc vexationem: non tamen talis, quæ subiaceat restitutioni. 443.1
Beneficio iam collato si quis impediatur accipere possessionem, potest quis pecunia redimere hanc vexationem. ibid.2.
Beneficia plura habens, etiam copiosa, nõ tenetur nisi semel Horas Canonicas recitare. 170.2
Beneficia simultaneæ collationis Episcopis, & Capitulo vacanti in mense Apostolico, an à Cardinali simul cum Capitulo prouideri debeant, & quid in beneficiis aliàs reseruatis? 50.1

BI

Blasphemia *contra Deum nunquam poterit ratione materiæ esse veniale.* 160.2
Blasphemia quid sit? 400.1
Blasphemiæ hæreticales, & imprecatiuæ quomodo debeant in confessione explanari? ibid.
Blasphemiæ omnes an sint eiusdem speciei. ibid.
In Blasphemiis contra Deum, & Sanctos non datur paruitas materiæ. 160.2
Blasphemus *non est dicendus, qui amasiam vocat Deam,* 409.1

BO

Bona *etiam laicalia Clericorum sunt immunia ab oneribus laicalibus ob dignitatem personarum.* 37.1
Bona hæreditaria si non sufficiant debitæ, possunt deduci expensæ necessariæ ad funus debitoris. 123.1
Bona patrimonialia Clericorum eodem gaudent priuilegio, quo bona Ecclesiarum. 36.2
Bona quæ ad subueniendum necessitatibus erogari possunt, ad tria reuocari possunt. 224.2
Bona quæ dicantur esse cuiusuis indigentis? 225.1
Bona temporalia quando dimittenda propter scandalum, & quando non. 214.2
ex Bonis alicuius ipso facto ob hæresim publicatis ante criminis condemnationem potest fieri eleemosyna. 244.2
ex Bonis necessariis ad statum est obligatio opitulandi extremè indigenti. 227.2

BV

Bulla *Gregorij XIV. de immunitate Ecclesiarum ius commune correxit.* 3.2
Bulla quando expressè non dicit vt oratio, aut eleemosyna fiat tribus diebus, sed tantùm indeterminatè mandatur, sufficit vno die orare, & eleemosynam dare. 370.2
Bulla Vrbani VIII. edita contra Monetarios non extenditur ad commorantes in Regno Siciliæ, Sardiniæ & Corsicæ. 485.1
Bullam Cruciatæ habens potest tempore interdicti localis generalis conuocare famulos, & famulas, vt secum Missam audiant: pater item, aut mater suos consanguineos ad quartum gradum, vt etiam Missam secum audiant in Oratorio. 335.2
Bullas Apostolicas qui quocumque pretextu retardauerint excommunicantur. 19.1

CÆ

Cæcus *an possit esse iudex?* 198.2
Et an possit torqueri, & puniri? ibid.
Cæcus an sit astrictus recitare Horas Canonicas. 192.1
Cæcus potest condere testamentum. 195.1 & 2
Coram quot testibus. ibid. & seq.
Cæcus potest donare causa mortis sine certis conditionibus. 195.1
Cæremonias *aliquas omittens inter celebrandum an peccet mortaliter.* 178.1
Cæremonias relinquere in absolutione excommunicationis non est peccatum mortale. 258.1
Calix *non consecratus manet consecratus, si quis in eo bona fide celebret?* 217.2. & 218.1
Cancellarius *Episcopi non potest ratione laboris aliquid sumere pro licentia audiendi confessiones, vel concionandi.* 422.2
Cancellarius, vel Notarius Episcopi quas licentias debent gratis dare, & quas non, & quibus? 422.2 & 423.1
Capellanus *obligatus ad Missam quotidie non potest eo die cuiusque hebdomadæ, quo sibi liberum est, Missam omittere: & pro alio celebrare, conferente sibi stipem.* 169.2
Capitulum *Sede vacante ante lapsum anni vacationis potest obtinēti facultatem à Sede Apostolica suscipiendi Ordines à quocumque Antistite Catholico, facultatem subordinatam concedere.* 324.2
Item potest testimonium idoneitatis facere. ibid.
Capitulum Sedis vacantis potest infra annum concedere dimissorias ei, qui est præsentatus à Patrono laico ad beneficium Ecclesiasticum iurispatronatus ipsius. ibid.

Item poteſt anno durante Epiſcopo extero concedere exercitium Pontificalium, & ordinationem propriorum ſubditorum; non tamen ſubditorum Sedis vacantis. ibid.

Cardinalatus non eſt ordo, & extingui poteſt, quia iure Pontificio tantùm inſtitutus. 41.2

Cardinalatus dignitas qua ratione maior Epiſcopali, & qua non? 38.1. & 2

ad Cardinalatum electus an priora beneficia amittat? 46.2

Cardinalis ad Epiſcopatum aſſumptus, ſi nondum poſſeſſionem fuerit adeptus, poſſit adhuc beneficia conferre? 55.2

Cardinalis deponens in facto proprio facit pluſquam ſemiplenam probationem. 71.1

Eiuſq; atteſtatio ad fauorem ſui familiaris, licet non plenè probet, facit tamen magnũ adminiculum. ibi.

Cardinalis dignus ſi Papatum acceptet, prætermiſſo digniori, nullum peccatum admittit. 68.1

Cardinalis Epiſcopus ſi habet indultum poteſt prouidere beneficia reſeruata vacantia tempore ſui anteceſſoris non Cardinalis. 50.2

Cardinalis iuſtè impeditus an poſſit vices ſuas in creando Summo Pontifice alteri demandare? 54.1

Cardinalis poſſet ſine ſcrupulo tacere, quando in Conſiſtorio aliquid non benè determinatur, niſi propoſitum ſit contra bonum commune Eccleſiæ, vel aliquid ſimile. 56.2

Cardinalis poteſt ſibi eligere Confeſſarium. 45.2

Et licentiare totam familiam vt ſibi eligant Confeſſarios: & quare? ibid.

Cardinalis Religioſus poteſt eſſe compater in Baptiſmo, & Confirmatione. 62.1

Cardinali quando mandatur cauſa cum clauſula Appellatione remota, an cenſeatur excluſa etiam appellatio iuſta. 53.1

Cardinali teſtanti de aliqua re eſt credendum. 51.2

in Cardinalem conſpiraſſe aliquos ſciens, & non denuntians, incidit in excommunicationem. 69.1

Et quo caſu teneatur reuelare, aut non reuelare? ibid.

Cardinalem interficientes, qui necdum Capellam habuit, incurrunt in cenſuram Bullæ Cœnæ. 64.2

Cardinalem leuiter percutiens incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ. 70.2

Cardinalem offendentes incurrunt crimen læſæ Maieſtatis. 66.1

Cardinales à Curia abſentes ſíntne excepti à regula octaua Cancellariæ excipiente Cardinales; & quid de titularibus in Vrbe. 50.2

Cardinales an ex licentia Summi Pontificis poſſint teſtari de bonis perceptis Cardinalitij Galeri? 57.2

Cardinales an in teſtamentis gaudeant priuilegio militum? ibid.

Cardinales an Monaſteria monialiũ ingredi valeant? 49.1

Cardinales an ſoluantur legibus, quæ prohibent duo, aut plura beneficia ſimul habere. 54.1

Cardinales debeántne eligere ad Pontificatum vnum ex ſacro Collegio? 60.1

Cardinales de qua natione aſſumendi? 48.2

Et de qua ætate. ibid.

Cardinales duo ſi tantùm manerent in conclaui, poſſent eligere Summum Pontificem. 63.1

In electione cuius vocem habent, etſi inſignia Cardinalitia eis tradita non ſint? 64.1

Cardinales eo ipſo ſoluti ſunt à patria poteſtate. 52.1

Cardinales Epiſcopi habent ius præſentiæ, & iudicij in Concilijs generalibus ob quinque rationes. 42.1.2

Cardinales gaudent priuilegio Epiſcoporum ex Tridentino. 59.1

Quamnam habeant poteſtatem in ſuis titulis, quæ ſint monaſteria Regularium? 59.2

Poſſunt derogare fideicommiſſis ad eas Eccleſias pertinentibus. ibid.

Quæ Concilia poſſint conuocare, & quæ non? ibid.

Cardinales gaudent priuilegio in itinere celebrandi, vel ſibi facere celebrari ante auroram, & poſt meridiem. 65.1

Cardinales habent ius conferendi beneficia in ſuis Eccleſiis titularibus. 47.1

Item poſſunt recipere reſignationes beneficiorum exiſtentium in ſuis titulis. ibid.

Cardinales habent priuilegium quòd beneficia ſuorum familiarium non poſſint conferri per Papam ſine ipſorum licentia. 54.2

Cardinales in Eccleſia primum poſt Pontificem locum habent. 37.1

Cardinales in ſuis titulis poſſunt excommunicare, ſuſpendere, interdicere, & vti Pontificiis inſignibus. 46.2

Etiamſi Epiſcopi non ſint. ibid.

Eorum etiam Vicarij poſſunt fulminare cenſuras. ibid.

Cardinales ita diſtantes à Curia, vt omnino inter decem dies poſt mortem Pontificis accedere non poſſint, non tenentur præſentes illos exſpectare? 64.2

Cardinales iudices an recuſari poſſint? 51.2

Cardinales non includuntur in ſententia ſuſpenſionis, vel interdicti à Summo Pontifice impoſita. 56.1

Cardinales non tenentur in ſui conſecratione præſtare iuramentum Romanæ Eccleſiæ, & quare? 71.2

Cardinales non tenentur ſoluere decimas pro generali aliquo ſubſidio à Pontifice impoſito. 64.2

In materia fauorabili veniunt appellatione Clericorum. ibid.

Poſſunt ſuccedere in feudis. 61.2

Poſſunt etiam leges ferre in ſuis titulis. 63.1

Cardinales omnibus Patriarchis præferuntur. 38.1

Cardinales poſsíntne conferre beneficia Epiſcopatuum à ſe reſignatorum, etiam poſt præconizationem reſignatarij, ſi nondum tamen fuerit adeptus poſſeßionem. 55.1

Cardinales poſsíntne in Eccleſiis titularibus cognoſcere cauſas Clericorum, præſertim criminales. 44.1

Cardinales poſſunt aßiſtere in ſuis Eccleſiis, & dare licentiam aſsiſtendi matrimonio. 52.2

Cardinales poſſunt concedere indulgentias, & quales. 43.2

Quæ poteſtas in ipſis ex conſuetudine eſt, non ex iure. ibid.

Cardinales poſſunt exigere à ſuis Eccleſiis titularibus charitatiuum ſubſidium. 58.2

Etiam commutare vltimas voluntates, in quibus poſſunt Epiſcopi reſpectu ſuorum ſubditorum. ibid.

Item diſpenſare in voto. 59.1

Cardinales poſſunt habere priuatum carcerem ad ſuos familiares coercendos. 49.2

Cardinales possunt in Curia conferre sine concursu Parochialem Ecclesiam, quæ vacauit in sua diœcesi, & hoc in casu. 55.1
Cardinales possunt in electione Papæ sine scrupulo eligere dignum prætermisso digniori. 67.2
Cardinales possunt mortuo Pontifice leges condere, & alia iurisdictionalia facere in variis casibus. 45.1
Cardinales possunt præsentari ad beneficia Iurispatronatus. 47.2
Comprehendantúrne in generali constitutione Pontificia imponente censuras & pœnas. ibid.
Et an in regulis Cancellariæ quæ odiosæ sunt? 48.1
Cardinales possunt prouidere Ecclesiis iurispatronatus, quando patroni sunt discordes. 71.1
Cardinales Presbyteri possunt suis familiaribus primam Tonsuram conferre. 43.1
Cardinales quare excusari possint à residentia, & q omodo pro residentibus habeantur, dum Summo Pontifici assistunt. 44.1
Cardinales quare non præstent iuramentum Pontifici? 44.1
Cardinales qui & quot possint excusari à residentia? 44.1
Cardinales Religiosi statim soluuntur à voto paupertatis. 61.1
Non tenentur ad vota quæ præter tria substantialia emittuntur in Religione. 61.2
Tenentúrne portare habitum suæ Religionis. 62.1
Cardinales si aliquem extra ipsorum gremium eligerent in Pontificem, electio esset valida. 61.1
Cardinales si non expectent alios absentes intra tempus definitum, & eligatur Pontifex ex ipsorum, vel duarum partium consensu, electio erit valida. 64.2
Cardinales si sint in patrimonialibus diuites, possunt adhuc viuere de redditibus Ecclesiasticis. 53.2
Cardinales sunt speciales filij Ecclesiæ. 38.1
Cardinales teneanturne impedire nominatum à Pontifice pro Episcopo, si alium digniorem arbitrentur. 49.1
Cardinales testantes ex facultate Pontificis an teneantur adhibere formulam iuris Ciuilis, aut Canonici? 57.2
Cardinales vnde sic dicti? 42.1
Cardinalium auctoritas vniuersam Ecclesiam respicit. ibid.
Cardinalium dignitas, & eminentia ostenditur. 38. & 39. *per totum.*
Cardinalium domus gaudent priuilegio immunitatis. 52.2
Cardinalium numerus, & an debeat semper esse completus. 49.2
à Cardinalium sententia non licet appellare. 52.2
ad Cardinales damnandos de crimine quot testes requirantur? 49.2
Cardinales eiiciens à terris, in quibus nati sunt, incurrunt excommunicationem, si non exerceant legationem aliquam. 66.1
Cardinales percutientes seipsos non incurrunt in censuram Bullæ Cœnæ. 67.1
Cardinalis *Episcopus dignior Presbytero Cardinali, & hic Diacono.* 38.2
Carolus *magnus quantum detulerit Episcopali foro.* 14.1
Carthusiani *secluso scandalo, & contemptu possunt in articulo mortis vesci carnibus, etsi alios cibos habeant; nec medicus ministrans ipsis carnes in isto casu, peccaret.* 147.1
Carthusiani teneantúrne in articulo mortis comedere carnes? 131.1
Casus *in quibus licet offerre pecuniam pro administratione Sacramentorum.* 209.1
Casus nouem, in quibus excommunicati excommunicatione reseruata Papæ excusantur à parendo coram eo. 249.1
in Casibus reseruatis, & excommunicationibus datur paruitas materiæ. 178.2
Castitatis *votum priùs emittens, aut Religionis, & postea virginem deflorans, tenetur ad Religionem confugere, aut castitatem seruare.* 463.1
Causa *quando est ex vtraque parte dubia, si feratur excommunicatio in fauorem vnius partis, ligat in conscientia.* 282.1
Et quomodo debeat hoc intelligi? ibid.
Et quid dicendum quando opinio in fauorem rei excõmunicati est probabilior? ibid.2
in Causa pari sententia ferenda est in fauorem Cardinalium. 65.1
Cautio *quæ à iure exigitur vt excommunicatus absoluatur, quomodo debeat intelligi?* 268.2

CE

Celebrans *necessitate vrgente, & casum reseruatum cum aliis peccatis confitens inferiori, teneatúrne illum postea confiteri superiori?* 419.2
Celebrans tenetur ad omnia, quæ præscribuntur in Missali, ita vt nihil possit addere nec omittere, &c. 184.2
Celebrare *coram personis interdictis quando liceat?* 331.1
Celebrare pro euitando periculo mortis quo sensu possit non ieiunus, & quo non. 91.2
Censura *lata ab Episcopo per modum sententiæ ligat proprios subditos, etiam extra territorium.* 262.2
Censura lata à iure, & lata ab homine quomodo differant? 263.1
Censura lata contra facientes non comprehendit mandantes, aut consulentes, & quare. 275.1
Censura lata sine trina monitione non est inualida. 256.2
Censura non potest validè ferri, ac proinde nec incurri nisi ob peccatum exterius inobedientiæ, seu contumaciæ respectu Ecclesiæ. 274.1
Censura potest ferri sub conditione. 279.1
Censura requirit actum consummatum. 274.2
Censura vna ligatus capax est adhuc alterius, non solùm rationis diuersæ, sed etiam eiusdem. 277.1
Censura vt validè feratur, an requiratur contumacia respectu Ecclesiæ? 274.1
Censuræ causam quando necessarium est explicare, & quando non? 262.1.2
Censuræ sententia lata sub forma disiunctiua habeátne effectum? 278.1
Censuræ sententiam patiens quo sensu debeat se gerere vt censura innodatum, & quo sensu non? 260.1
Censuram ferri metu grauis, seu cadente in constantem virum, non obstat valori eius. 281.2
Censura duplici ligatur, qui facit aliquid à iure communi, & particulari prohibitum. 277.1
in Censura ferenda non necessariò requiritur monitio. 255.1.2
de Censura incursa dubitans consultò debet absolutionem procurare

procurare, & se vt excommunicatum, si commodè fieri potest, gerat: & à communione abstineat. 269.2
Censuræ ferendæ sunt in scriptis, & facientes aliter peccant, & incurrunt in suspensionem ab ingressu Ecclesiæ per mensem, & à diuinis. 282.2
Censuræ plures incurruntur ab eo qui facit vnum actum habentem plures circumstantias, pro quarum singulis lata est sententia censuræ, si dictæ circumstantiæ mutent speciem actus moralis. 277.1
Censuræ tot incurruntur, quot sunt Superiores habentes diuersam potestatem; secus si eandem. ibid. 2
à Censuris latis à iure potentes absoluere, poterunt etiam à censuris latis ab homine per sententiam generalem, quæ se habet per modum præcepti. 248.1

CH

à Choro absentes quatuor diebus vltra tempus à Concilio permissum quare excusentur à mortali. 171.1
Christiani ex tacito consensu Principum possunt fraudare vectigalia à Turcis imposita; & quare. 441.2
Christiani quibus titulis possint bona Turcarum sibi vsurpare. 217.2

CI

Circumstantiæ peccatorum in confessione explicandæ vel non explicandæ. 470.471. per totum.
Circumstantias notabiliter minuentes peccatum non tenetur quis in confessione explicare. 482.2
Citatio quid sit? 264.2

CL

Cleri sub nomine quid intelligatur quando dicitur, vt collecta Clericis imponatur, necessarium esse consensum Cleri? 17.2
Clericus, & Episcopus licitè possunt testari in vsus non pios, si habeant licentiam disponendi in quosque vsus. 127.1
Clericus Græcus post contractum matrimonium initiatus minoribus Ordinibus, gaudet priuilegio fori. 34.2
Clericus non fit irregularis incitando ad aliquem determinatè occidendum. 488.2
Clericus non solùm, sed etiam laicus potest in articulo mortis à censuris absoluere. 249.2
Clericus potest capi à ministro laico concurrentibus tamen tribus conditionibus. 31.2.32.1
Clericus suspensus à diuinis officiis, si illis assistat tanquam laicus, non solùm non incurrit irregularitatem, sed neque peccat.
Clerici percussores vt vitentur, quid requiritur? 277.2
Clericum conatus percutere, si verè non percutit, non incurrit excommunicationem. 274.2
Clericum posse conuenire laicum coram iudice Ecclesiastico non solùm pro rebus Ecclesiæ, sed etiam pro fructibus. 9.2. & seqq.
Clericum prauo animo percutiens, percussione tamen leui, & veniali, non incurrit excommunicationem. 269.1
Clericum semel percutiens cõtrahit excommunicationem, potestq; noua censura ligari. 277.1
Clerico deficiente potest Sacerdos accipere laicum ad seruiendum Missæ. 338.2
Clerici an dici possint, & verè sint vasalli Principum secularium. 26.2.27.1
Clerici an teneantur soluere gabellas, si Episcopus, & Clerus consenserunt inconsulto tamen Summo Pontifice. 23.2. & seqq.
Clerici beneficiati, sicut & Episcopi tenentur vt plurimùm erogare quartam partem fructuum, siue redditum in opera pia in necessitate communi. 238.1.239.1
Clerici coniugati possunt interesse diuinis officiis tempore interdicti 338.1
Clerici etiam volentes non possunt se submittere iurisdictioni laicali. 37.2
Clerici Græci priùs sumunt Ordines, & postea vxores. 34.2
Clerici in aliquibus Regnis possunt testari etiam de fructibus beneficiorum ad vsus non pios, & in quo foro hoc procedat? 126.2
Clerici in Orientali Ecclesia in Minoribus constituti contrahunt matrimonium, & in superioribus Ordinibus vtuntur contracto. 34.2
Clerici in quatuor tantùm casibus à iure non dicuntur vasalli. 26.2
Clerici in tribus casibus excusantur, secundùm Auilam, à pœna incurrenda vtendo vestibus prohibitis. 326.2
Clerici non incurrunt pœnas lege statutas, & quare? 9.1
Clerici non possunt ad tributa, vel alias exactiones obligari absque Pontificis consensu, si consuli potest. 17.1
Clerici non possunt obligari ad tributa vel alias exactiones absque Summi Pontificis consensu, si consuli potest. 24.1. Secus si periculum esset in mora. ibid.
Clerici non tenentur soluere vectigal in extractione frumenti, vini, & similium quæ ex bonis patrimonialibus collegerunt, vt alibi conducendo cariùs vendant. 35.2. & 36.1.2
Clerici possunt in terra Baronis aperire tabernas, & vendere vinum, & alia in eorum prædiis, non obstante ipsius statuto de non habendis pluribus tabernis. 27.1.2
Clerici possunt pro libito expendere, quod accipiunt de grosso beneficij sine peccato mortali. 239.2
Clerici publicè concubinarij sintne suspensi? 325.2
Clerici quicquid ex industria personali acquirunt, bonum patrimoniale, vel quasi tale censetur. 239.1
Clerici si comœdiis intersint tantùm ne inurbani habeantur, venialiter tantùm peccant, mortaliter tamen si positiuè sint in causa cur Histriones lasciuas repræsentent comœdias. 429.2. & 430.1
Clerici si fraudem efficiant quoad pretium rerum venalium, non possunt puniri in mulctis pecuniariis impositis à lege per iudicem laicum. 8.2.9.1
Clerici sintne iure diuino à laica potestate exempti? 28.2. & seqq.
Clerici subiicianturne legibus secularibus etiam quoad vim coactiuam? 8.2. & seq.
Clerici tonsurari possunt, absente Sacerdote, applicare indulgentias Bullæ Cruciatæ morituris. 130.1.2
Clerici vt possint collectari, quæ requirãtur cõditiones. 16.2
Clericorum exemptio dato, & non concesso quòd non sit ex iure diuino, non fuit primariò ex Imperatoribus. 28.2
Clericos duos eadem actione percutiens vnam dumtaxat incurrit excommunicationem. 276.2
Clericos familiares Cardinalium offendentes incidunt in excommunicationem. 66.2

CO

Coadiutoria cum futura successione non inducit obligationem recitandi Horas Canonicas. 427.2
ad Cœnam non licet inuitare paratum ad fractionem ieiunij, vel alium actum malum. 202.2

Collatio *duplo maior solito potest sumi in vigilia Natiuitatis Domini.* 447.1
Collatio & electio non propriè numerantur inter beneficij fructus, quorum perceptio suspenso interdicta est. 313.1
in Collatione *vespertina ieiunij quando liceat legumina cocta sumere, & quando non?* 448.1
Collegium, *vel communitas non potest vnica sententia ab homine excommunicari.* 268.1
Collegij vel communitatis membra possunt diuersis sententiis ab homine excommunicari. ibid.
in Comestione *carnium in die ieiunij datur paruitas materiæ.* 172.2.& seq.
Commendatarij *D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ possunt disponere de redditibus Ecclesiasticis ad libitum, sicut de patrimonialibus.* 487.2
Commendatarij D. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, &c. testari possunt non minùs, quàm alij seculares. 128.1
Communicare *cum excommunicato quando dicitur aliquis, & quando non?* 303.1.2
Communicare cum excommunicato quando liceat, & quando non? ibid.1
Communicare cum hæretico in quo casu liceat, & cum quali. 488.2
Communicare licet cum excommunicato tolerato, ac si non esset excommunicatus, non solùm in humanis, sed etiam in diuinis. 301.2.& seq.
Communicatio *aliàs venialis ex obiecto fieri potest mortalis.* 246.2
Communicatio cum excommunicatis quando & in quali loco & mensa censeatur esse? 303.1
Communicatio cum nominatim excommunicato in humanis est peccatum tantùm veniale & quare? 246.2
Communicatio fidelium cum excommunicatis in rebus secundi generis, est ex genere suo peccatum mortale; in rebus secundi & tertij generis erit veniale. 168.2
in Communicatione cum excommunicatis datur paruitas materiæ. ibid.2
in Communicatione cum nominatim excommunicato præter peccatum veniale incurritur etiam in excommunicationem minorem. 246.2
an Commutatio *votorum extra confessionem possit fieri in Diœcesi Panormitana?* 376.1
Comœdus *si in persona alterius proferat hæreses, quas ipse mentaliter tenet, an sit propterea censendus externus hæreticus.* 398.2.& seq.
Compensatio *non est valida in foro conscientiæ, si adsint creditores anteriores.* 429.1
Concilium *generale non habet potestatem concedendi immediatè indulgentias, sicut nec Episcopi, aut Episcopalem iurisdictionem habentes.* 370.2
Concionans *de peccatis, quæ se dicit audiuisse in confessione in tali loco, si id prudenter faciat, vt impossibile sit inde prodi peccatorem, an sit violator sigilli?* 354.2
Concordata *cum Pontifice an possint postea reuocari à laico Principe?* 23.1.2
Concordata inter Ecclesiasticos & seculares etiam in Concilio Prouinciali facta, nisi confirmentur à Summo Pontifice, nihil operantur contrà priuilegium immunitatis. 23.2
Concubina *potest confiteri Confessario concubinario, non aperiendo circumstantiam copulæ.* 496.1
Concubinarius inuisens concubinam sine alendi filios, si ex ingressu oriatur scandalum, sitne absoluendus. 495.2
Concubinarius quo sensu non teneatur eiicere concubinã, & quo teneatur. 495.1
Concubinarius quo sensu possit cum concubina commorari? ibid.2
Concubinarium non eiecta concubina posse absolui si cesset reincidendi periculum. ibid.2
Concubinatus *an sit à iure prohibitus:* 15.2.& seq.
Concubinatus an sit mixti fori? ibid.2
Condemnatus *ad mortem per famem, debétne abstinere à cibo clanculum oblato.* 149.2
Condemnatus, si casu obuium habet Cardinalem, liberandus est. 51.1
Conditione *pendente, si ille in quem censura lata est, forum mutet adueniente conditione censuram incurrit.* 279.2
Confessarius *admonens pœnitentem extra confessionem, vt pœnitentiam impositam sibi in confessione adimpleat frangit sigillum.* 349.2
Confessarius an possit vi Iubilæi commutare votum perpetuæ castitatis, vel Religionis, si non est materia tota voti. 386.2.& seq.
Confessarius an possit vi Iubilæi vota castitatis, & Religionis mutare. 386.2
Confessarius approbatus secularis, vel regularis potest in foro conscientiæ absoluere à peccato abortus, & excommunicatione lata contra personas illud causantes, &c. 268.2
Confessarius approbatus semel ab Ordinario, vel quocumque Episcopo, potest eligi in Confessarium vbique terrarum virtute priuilegij Pontificij in Iubilæo cõcessi. 383.2.& seq.
Confessarius asserens aliquem confessum fuisse plura venialia frangátne sigillum? 359.1
Confessarius asserens se audiuisse in confessione peccata publica fornicationum notissimæ meretricis, an tanquam fractor sigilli puniendus sit. 342.2
Confessarius de licentia pœnitentis potest reuelare confessionem. 344.1
Confessarius de peccato in confessione cognito interrogatus iurare, atque etiam negare potest se nihil scire. 357.1
Confessarius dicens se audiuisse in aliquo casu peccata alicuius frangit sigillum. 358.2
Confessarius, eo ipso quòd sint capaces confessionis, debet in articulo mortis Eucharistiam pueris ministrare. 468.1
Confessarius, etsi ex confessione vnius complicis sciuerit peccata alterius, quæ aliter in sua tacet, debet eum absoluere, si adhibitâ interrogatione in commun, responderit se nihil habere. 350.1
Confessarius formâ absolutionis variatâ, vtens tamen verbis actum iudicialem significantibus, peccétne mortaliter. 406.1
Confessarius frangátne sigillum reuelando virtutes pœnitentis, ecstasim, &c. 353.1
Confessarius in nullo casu potest licitè vti notitia parta. 340.1.2. *ne quidem ipsi pœnitenti peccatum confessum obiicere.* 342.1
Confessarius liberè potest imponere satisfactionem, ante vel post absolutionem. 407.1
Confessarius loquês pœnitenti de peccatis confessis, & eum accusans apud alium, vt fractor sigilli puniendus est pœna ordinaria. 342.2
Confessarius non debet loqui pœnitenti de peccatis confes-

fis poſt finitam confeſsionem, & datam abſolutionem abſque licentia ipſius. 349.1
Confeſſarius non debet, nec poteſt propter correctionē fraternam extorquere compitcem. 355.1
Confeſſarius non poteſt commutare pœnitentiam erogandi eleemoſynas per ſolam applicationem ad ipſummet pœnitentem, tanquam ad pauperem. 244.1
Confeſſarius non poteſt loqui cum pœnitente in ſecunda confeſsione niſi de illis peccatis confeſsis in prima, quæ ipſemet pœnitens tangit. 349.2
Confeſſarius non poteſt peccatum in confeſsione auditum reuelare, quando ipſe nequit aliter peccatum ſuum in confeſsione manifeſtare. 343.2
Confeſſarius non poteſt ſine fractione ſigilli manifeſtare peccatum nondum patratum, vt propoſitum malum, ſi pœnitens hoc confiteatur animo deteſtandi ſuum peccatum; ſecus ſi animo inducendi confeſſarium ad ſimile, vel ridendi, &c. 351.1.2
Confeſſarius non poteſt ſine fractione ſigilli manifeſtare pœnitentiam, quam impoſuit pœnitenti, ſi ſit ſignum culpæ mortalis. 353.1.2
Confeſſarius non tenetur ſub ſigillo celare explicata concomitanter in confeſsione ſi pœnitens ea inutilia eſſe iudicet in ordine ad peccata explicanda, ſecus ſi ſint vtilia. 342.1
Confeſſarius peccata pœnitētis audiens & non abſoluens ſi poſteà cum ipſa formicetur, incurrátne circumſtantiam aggrauantem. 496.2
Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poteſt abſoluere à ſuſpenſione incurſa per ordinationem ante legitimam ætatem. 327.1
Confeſſarius poſsítne per Bullam Cruciatæ, vel per Iubilæum abſoluere ad reincidentiam. 258.2
Confeſſarius poteſt abſoluere ab omni excommunicatione in articulo mortis. 280.2
Confeſſarius poteſt pœnitentem abſoluere, quando ad Epiſcopum non patet aditus. 472.1
Confeſſarius poteſt reuelare hæredibus reſtitutionem faciendam quam debebat mortuus pœnitens. 352.2
Confeſſarius poteſt virtute Bullæ Cruciatæ abſoluere aliquem ad cautelam. 269.1
Confeſſarius poteſt virtute Iubilæi commutare iuramentum ſoluendi vſuras, & ſimilia. 385.1. *ſicut & vota in fauorem tertij facta, non tamen acceptata.* ibid.
Confeſſarius quando pœnitens ei dat licentiam reuelandi confeſsionem, debeátne illam exigere in ſcriptis. 356.1
Confeſſarius quid debeat facere tempore peſtis vt moribūdus teſtetur, etſi non adſint teſtes ſufficientes. 126.1
Confeſſarius qui frangit ſigillum, non eſt irregularis. 360.2
Confeſſarius quomodo ſe gerere debeat erga moribundum. cui defert Euchariſtiam, qui inter reconciliandum fateatur ſe multas confeſsiones inualidas feciſſe. 108.1
Confeſſarius quomodo ſe gerere debet erga moribundum exiſtentem in loco, in quo non poteſt condere teſtamentum, niſi relinquendo ſchedulam. 123.2. *& ſeq.*
Confeſſarius quomodo ſe gerere debeat erga pœnitentem, & peccata confeſſa. 357.2
Confeſſarius quomodo ſe gerere debeat erga ſurdum. 188.2
Confeſſarius rarò debet plus quàm ſemel pœnitentem concubinarium abſoluere, ſi concubinam non expellat. 494.2
Confeſſarius reſpondens abſolutè ſe non abſoluiſſe Paulum, frangit ſigillum. 356.1.2
Confeſſarius ſi aliquem defectum commiſit in confeſsione, non poteſt extra illam illud pœnitenti aperire, ipſo renuente. 348.2
Confeſſarius ſi ex confeſsione intelligat famulum eſſe furem, non poteſt eum dimittere. 354.2
Confeſſarius ſi imponat pœnitentiam dicendi tertiam partem Roſarij B.V. pœnitens omittens quatuor Aue Maria *non excuſaretur à peccato mortali.* 166.2
Confeſſarius ſi poſsit imponere pœnitentiam leuem ſub mortali diuerſimodè ſentiunt Doctores. 180.2
Confeſſarium ſi voluntatem habuit audiendi, ſed non abſoluendi, obligat ſigillum. 354.1
Confeſſarius tempore quo obligat præceptum confeſsionis poteſt abſoluere mutum, qui ſigna præbet doloris, etiamſi ea non intelligat, ſi non adſit alius, qui meliús intelligat. 187.2
Confeſſarius teneatúrne dare ſchedulam peccatori, quem non abſoluit. 350.1
Confeſſarius teneatúrne ſub ſigillo celare quæ peccata non ſunt, & alios concernunt. 354.2
Confeſſarius validè abſoluit etſi licentia habita ab Epiſcopo non ſit in ſcriptis, 464.1
Confeſſarius vi Iubilæi poteſt commutare votum perpetuæ caſtitatis, aut Religionis metu leuis extortum. 387.2
Confeſſarius virtute Iubilæi Bullæ Cruciatæ, aut alterius priuilegij poteſt commutare vota extra confeſsionem. 376.1
Confeſſarij teſtimonium prodeſt de licentia pœnitentis, ad probandum eum emendatum eſſe in foro externo. 355.2
Confeſſio *cui reuelatur à Confeſſario tenetur celare peccata manifeſtata ſub ſigillo.* 343.1
Confeſsio dimidiari, ſeu mutilari poteſt, ſed ſigillum rumpi nequit. 343.2
Confeſsio facta Sacerdoti ignoranti ea, quæ communiter ſcire tenetur, non eſt inualida, nec iterari debet. 453.2
ſecus ſi pœnitens ignorantiam aduerterit. ibid.
Confeſsio illius eſt valida, qui ſerò elicuit actum contritionis, proponens ſequenti die confiteri, ſed poſtea in confeſſione, nullum actum doloris deprompſit. 476.1
Confeſsio non eſt facienda laico in articulo mortis. 107.1
Confeſsio non eſt neceſsariò præmittenda extremæ vnctioni ex ordine Sacramentorum. 115.1
Canonicus non eligens ſepulturam ante mortem vbinam ſepeliendus. 121.2
Confeſsio quibus caſibus licitè dimidiatur. 107.2
Confeſsio ſacramentalis non eſt neceſsaria ad lucrandum Iubilæum, ſi pœnitens non habeat peccata mortalia. 373.2. *& ſeq.*
Confeſsio sítne dimidianda in caſu, quo pœnitens ratione ſcandali debeat ſumere Euchariſtiam & confeſsio adeò eſt longa, vt perfici non poſsit, & pœnitens abſoluendus. 469.2
Confeſsionis annuæ præceptum quoties obligat, toties poſſumus offerre pecuniam, vt alliciatur animus miniſtri. 209.1
Confeſsionem factam abſente Sacerdote non ſolùm illicitam, ſed inualidam eſſe determinat decretum Clementis VIII. 472.2
Confeſſori *reuelanti confeſsionem duplex imponitur pœna; quarum neutra ipſo facto incurritur ante iudicis ſententiam.* 359.2

Et ob quam sigilli violationem incurratur. ibid.
Confessus excommunicato minori excommunicatione teneatúrne reiterare confessionem. 360.1
Confirmationis *Sacramentum ministrare licet personaliter interdicto qui causam dederit.* 330.2
Confirmationis Sacramentum teneatúrne quis in aliquo casu in articulo mortis sumere. 87.2
Confirmationis Sacramentum posse conferri infantibus ante vsum rationis morituris. ibid.
Confirmationem suscipiendi nullum est præceptum. 86.2
Confitendi *licentia obtenta mediante pecunia.* 464.1
Confiteri *Confessario, de quo dubitatur an habeat iurisdictionem, an quis aliquando teneatur.* 496.2. & 497.1
Confiteri per interpretem teneatúrne quis in articulo mortis. 106.1.2
Coniecturæ, *indicia, & præsumptiones non sufficiunt ad declarandum, quòd reus commiserit delictum exceptuatum in Bulla.* 15.1
Coniuncti *omnes priùs deferendi in temporalibus, & spiritualibus, quàm parentes.* 487.1
Coniunctio, *& simultas quanta est inter dolorem peccatorum, & confessionem.* 475.2
Coniux *tenetur reddere debitum coniugale marito, etsi alij accepturi sint scandalum.* 213.2
in Conscientia *erronea datur paruitas materiæ.* 172.2
Conscientia erronea quando non distinguit, an mortale peccatum, an veniale. 172.2
Consilia *Regis Catholici narrans alicui Turcarum proditori, in censuram Bullæ Cœnæ videtur incidere.* 397.2
Consuetudo *eligendi per sortes Sanctos tutelares sitne licita.* 446.1
Consuetudo *etiam immemorabilis, quæ præiudicat aliquo modo libertati Ecclesiasticæ, non valet.* 37.2
Consuetudo irrationabilis non præiudicans Iuri positiuo quæ sit. 30.1
Consuetudo omnis seu vniuersalis, siue particularis contraria libertati Ecclesiasticæ est Iure reprobata, & irrationabilis. 31.1
Consuetudo quæ est lex non scripta, vt possit obtinere contra legem scriptam, quid requiratur. 30.2
Consuetudo vt abroget ius positiuum duo sunt necessaria. 473.1
Consuetudines Regnorum approbandæ sunt, si speciali aliquo priuilegio à Sede Apostolica muniantur. 32.2
Contractus *omnis, & conuentio Papæ cum quolibet Principe, intelligitur cum hac tacita conditione,* dummodò id nõ vergat in præiudiciũ Ecclesiæ. 23.1
Contractus, qui fiunt cum excommunicatis, sunt illiciti, validi tamen. 306.2
Contractus initos ab excommunicatis tria annullant. ibid.
Contritionis *actum non tenetur quis elicere in articulo mortis, ita vt non sufficiat attritio cognita cum Sacramento.* 108.2
Contritionis præceptum quando obliget. 405.2
Contumacem *aliquem esse contingit tripliciter.* 274.2
Contumelioso *obiicere alia crimina quo casu liceat, & non sufficiat dicere* mentiris. 402.1
Contumelioſum non licet occidere, quando aliter ab iniuria arceri nequit. 138.2
Copia *Superiorìs habentis iurisdictionem in censuras, tunc censetur non adesse, quando moribundus non potest adire ipsum, nec accersere.* 103.1
Correctionis *fraternæ præceptum interdum per se obligat ad mortale.* 185.1
Correctionis ordo præscriptus à Christo Matth. 18. in quibus casibus non necessariò obseruandus, 409.1. *& seq.*

CR

Creditor *& debitor quando sunt in extrema necessitate, debitor non tenetur soluere creditori quod debet.* 229.1 *& seq.*
Creditor non est tam coniunctus debitori, vt damnum, quod huic fit, debeat censeri fieri creditori. 157.1
Creditor quomodo habeat ius in debitorem. ibid.
Creditor si terminum solutionis à iudice datum proroget, & postea debitor non soluat, pendente conditione, sub qua lata est excommunicatio, non incurrit talem censuram. 279.2
Crimen *læsæ Maiestatis in Cardinales perpetratum non reuelantes non gaudent immunitate Ecclesiarum.* 70.1
Crucem *licet variis reliquiis, etiam non approbatis, ornatam in altari collocare, & à populo adorandam* 174.1

DA

DAmnatus *ad mortem, & inuentus hæreticus vt absoluatur, non requiritur facultas Inquisitorum, & quare.* 397.1.2
Damnatus ad mortem potest testari. 124.2
Damnatus vt veneno pereat, potest illud sine peccato permittere coactus vt illud sibi applicetur. 149.1
Damnato ad mortem danda est Eucharistia, licet non sit ieiunus. 91.1
Damnati ad mortem lata sententia, & stante executione sunt in eo articulo mortis, in quo nulla est reseruatio; & absolui possunt sicut morbo moribundi. 101.2
ad Damnum *graue euitandum non licet famulis deferre literas amatorias concubinæ domini, si contineant saltem verba turpia.* 215.2. *& seq.*
Damna corporis liberi quare non possint pretio compensari. 155.2

DE

Debitor *dans alicui centum, ignorans quòd ex iustitia tantum etiam illi debeat, tenetur postea soluere centum alia.* 437.1. *contrarium tamen est probabile.* ibid.2
Debitor debet priùs subuenire patri, & matri extremè laboranti, quàm creditori. 229.2
Debitor morosus quibus casibus teneatur ad restitutionem. 429.1
Debitum *negatur coniugi rationabiliter aliquando.* 462.1
Debiti coniugalis negatio peccatum est ex genere suo mortale. 166.1
Debitum denegare coniugi quibus casibus liceat, & quibus non. 462.1
ex Decisionibus *Rotæ notabilia quædam de Cardinalibus.* 72.1. *& seq.*
Declarationes *Congregationis Cardinalitiæ vt vim habeant obligandi in conscientia multæ requiruntur conditiones.* ibid.
Declarationes congregationis Cardinalium an sint decisiuæ, an tantùm doctrinales. 71.2

Decre-

Decretum *Gratiani non habet vim legis.* 476.1.2
Defectus *naturales pœnitentis reuelare est contra sigillum.* 352.& *seq.*
Defensio *quid sit.* 21.2
Delectatio *venerea de fornicatione ab habente votum absolutæ castitatis capta, præter luxuriæ malitiam, habet etiam sacrilegij malitiam; secus si non vouisset absolutè.* 442.2
Delegatus *non debet aliquid sumere ratione laboris pro dispensationibus matrimonialibus; & an pro executoriis, & licentijs publicandi indulgentias.* 423.1.& *seqq.*
Delictum *committens in loco absolutè exempto intra proprium territorium, non potest ab Episcopo censura ligari.* 267.1.& *seq.*
Delictum inchoans in proprio territorio, & consummans in alieno, incurrítne censuram statuti generalis sui Episcopi. ibid.
Delictum inchoans in proprio territorio, & consummans in alieno, non incurrit censuram statuti generalis sui Episcopi. 263.1.& *seq.*& *quare ibid.*
Delictum, propter quod imponitur excommunicatio, sicut semper debet esse actus externus, vel illi iunctum, sic nunquam incurritur censura, nisi actus sit perfectus. 272.1
Delictum quando est occultum, tenetur quis ad correctionem faciendam adhibere testes, etsi illud antè non cognouerint. 408.2
Delicta omnia in Bulla Gregorij XIV. de immunitate Ecclesiarum non exceptuata gaudebunt illa immunitate. 4.1
Detractio *licèt ex genere suo sit mortalis, ratione tamen leuitatis materiæ, potest esse venialis.* 185.2

DI

Diaconus *potest ministrare Eucharistiam Sacerdoti ægrotanti, si alius non adsit Sacerdos.* 95.1
Diaconus si baptizet aliquem in periculo mortis, an possit aliquando solemniter illum baptizare. 85.1.2
Dies *festus quis dicendus secundùm Doctores.* 439.2
in Diebus *festis datur paruitas materiæ in ordine ad seruilia.* 163.1
Diebus festiuis computare mercedem cum operarijs, & soluere, non est opus seruile. 430.2
Dignitate *Cardinalitia nulla est in Ecclesia maior.* 37.1
ad Dilectiones *Dei in quibus casibus possimus obligari per accidens.* 493.1
Dispensatio *an prima vice, qua ea quis vtitur, extinguatur, controuertitur.* 459.2
Dispensatio super impedimento cognationis, vel publicæ honestatis, non facta mentione copulæ habitæ secundùm aliquos est subreptitia, secundùm alios non. 458.2.& *seq.*
Diues *tenetur dare eleemosynam in grauibus necessitatibus.* 236.2.& *seq.*
Diuites plures si possint vni pauperi succurrere, omnes in solidum & æquè tenentur. 230.1
Diuites teneantúrne redimere captiuos apud Turcas. 227.1.& *de aliis similibus.* ibid.
Diuitiæ *Clericorum quo magis crescunt, eo magis crescit eleemosynarum onus.* 6.2

DO

Dolor *quamdiu est dicendus perseuerare virtualiter in pœnitente.* 476.1
Domicilia *duo habens, vnum in loco interdicto aliud in non interdicto, non manet interdictus, licet debeat portare onus interdicti dum ibi habitet.* 333.2
Dominus *imponens seruo infideli vt opera seruilia diebus festiuis exerceat, non videtur damnandus de peccato mortali, & quare.* 445.1.& *seq.*
Dominus potest communicare cum seruis excommunicatis, qui ipsi obligantur, & quibus carere non potest sine magno incommodo. 305.2. *secus si possint liberè discedere.* ibid.
Domum *licet locare meretrici.* 215.1
Domum locare meretricibus in quibus casibus liceat, in quibus non. ibid.
Domum locare meretricibus non est contra iustitiam, aut castitatem. ibid.
in Domo *aliqua recluſus, & videns inimicum ad occidendum eum paratum, potest præuenire & interimere illum, si aliter saluari non potest.* 136.2.& *seq.*
Donatio *præsumitur in emptionibus, & venditionibus, quando pro re empta, vel vendita datur, vel accipitur sine vi, & fraude vltra iustum pretium.* 463.1

DV

in Dubiis pars tutior est eligenda, *quomodo intelligendum.* 292.1
Duellatores *an accceptato duello, & non sequuta pugna sint excommunicati.* 491.1.2
Duellum *purgatiuum quando licitè possit acceptari.* 403.1
Duellum quo sensu, & in quibus circumstantijs possit vir nobilis acceptare. 489.1.& *seq.*
in Duelli pœnas non incidit qui alicui dicit: tecum pugnabo, cùm tibi obuiauero. 417.2
Duelli spectatores qui incidant in excommunicationem, & qui non. 490.1
ad Duellum duo requiruntur. 417.2
ad Duellum prouocatus nō tenetur domi se continere, quādo sine graui damno id efficere non possit. 401.2
ad Duellum prouocatus, qua voluntate debeat in publicum exire. 402.1
à Duello, vno aut altero die superuiuentes, aut etiam vna hora, & cōfessi sunt, sepeliri possunt in loco sacro. 132.2

EC

Ecclesia *diruta si iterum reædificetur, retinet Indulgentiam sibi concessam.* 370.1
Ecclesia habet ius tutandi ad se confugientes nisi in certis casibus. 15.1. *& delinquentes etiam ius habent ne vltra illos casus extrahantur.* ibid.
Ecclesia non tenetur infra tantum, vel tantum tempus res sibi relictas vendere. 5.2.& *seq.*
Ecclesia potuit in omni casu priuilegium, quod Clericis reis competit, ad Clericos actores extendere, & qua ratione. 11.2
Ecclesia qualem potestatem habeat circa fideles, seu Christianos baptizatos, & an eandem habeant eius Prælati. 2.2.& *seq.*
Ecclesia si vacaret tempore Concilij generalis congregati

gati, electio Summi Pontificis ad Cardinales pertinebit. 63.2
Ecclesiæ sub nomine quid intelligatur quando conceditur Iubilæum in Bulla visitantibus Ecclesias. 379.1
Ecclesiam ingredi non potens sufficit si foris orationes fuderit ad lucrandam Indulgentiam. 369.2
Ecclesiæ tot sunt in Iubilæo visitandæ, quot Bulla expresserit. 384.2
Ecclesiarum consuetudo baptizandi per immersionem, cùm fieri potest, seruanda est. 82.1
Ecclesias visitans tempore Iubilæi in vno loco, potest ad lucrandam Indulgentiam, eiusdem, confessionem, & cõmunionem in alio peragere. 384.2
Ecclesiastici quare non sint verè subditi Principibus. 9.1
Ecclesiastici sunt domini reddituum Ecclesiarum. 241.1

EL

Eleemosyna non est danda homini auaro indigenti, qui propriis rebus vti non vult. 234.1
Eleemosyna pauperiori danda est. 243.2
Eleemosyna potest fieri pro lucranda Indulgentia, ante, vel post communionem; etiam in die Dominico. 374.2
Eleemosyna præscripta in Bulla Iubilæi simpliciter, & indeterminatè facienda est secundùm qualitatem personæ. 367.1
Eleemosyna si præcipiatur fieri secundùm facultates cuiusque quid faciendum. 367.2
Eleemosynæ distributor ex testamento, si verè pauper est, potest sibi partem applicare. 244.1
Eleemosynæ elargiendæ præceptum vt obliget diuites quid requiratur. 244.2 & seq.
Eleemosynæ receptæ ex ficta paupertate cuinam fieri debeat restitutio. 236.1
Eleemosynam dare tenemur in extrema necessitate, non solùm titulo charitatis, sed etiam lege iustitiæ. 224.2 & seq.
Eleemosynam elargiri tenemur de necessariis ad statum in extrema necessitate. 231.1
Eleemosynam nõ tenetur quis facere ex superfluo status in communibus pauperum necessitatibus. 232.1 & seqq.
Eleemosynam pœnitentia Sacramentali iniunctam nequit pœnitens sibimet applicare. 244.1
Eleemosynam recipiens simulando paupertatem, tenetur ad restitutionem. 234.2. & de quibus eleemosynis hoc intelligatur. 235.1
Eleemosynam tenemur præbere in graui necessitate de superfluis naturæ & status. 230.1. & seq.
Eleemosynæ ob quem finem fiant. 235.1
Eleemosynas quando quis tenetur præbere proximo: & an teneatur ipsius indigentiæ veritatem indagare. 244.2
Eleemosynas quotidianas facientes verè & absolutè eas faciunt. 235.2
in Eleemosynis paruis, & quotidianis non habetur vt plurimùm ratio paupertatis, sed charitatis, & misericordiæ. ibid.
Electio passiua eius, qui est irretitus excommunicatione minori, non est irrita, sed irritanda. 247.2
Electionem alicuius si quis muneribus aut alia subordinatione impediat, potest talis vexatio pretio redimi etiamsi subornans sit ex electoribus. 443.1
ad Electionem sepulturæ duo, vel tres requiruntur testes. 120.1.

EM

Emphyteutam Ecclesiæ posse conueniri coram Episcopo pro solutione pensionis. 10.2

EP

Episcopatum recipiens tempore quo censuræ vinculo detinetur, à suspensione eximi potest, & quare. 323.2
in Episcopatu alieno existens in quibus casibus incurrat censuram annexam statuto siue generali, siue speciali notificato. 263.1
in Episcopatu alieno residens non potest ibi Excommunicari ab istius loci Episcopo excommunicatione lata ab homine, & si à iure, non potest à proprio absolui. 250.2
in Episcopatu alieno residens quomodo fiat subditus loci illius Episcopo. ibid.
Episcopus conferens primam Tonsuram in aliena diœcesi non incurrit suspensionem. 324.2
Episcopus consecrans chrisma in statu peccati mortalis, non peccat mortaliter. 426.1
Episcopus ex Ordine Minimorum assumptus non tenetur ad votum vitæ quadragesimalis. 408.1. contrarium docetur. ibid.
Episcopus extra suam diœcesim existens potest suum subditum excommunicare si res sit ita manifesta, vt non requirat cognitionem causæ. 266.1
Episcopus in quibus, & quot casibus possit ex ratihabitione ordinare non sibi subditum. 322.2
Episcopus non debet stare processui facto à iudice laico, si reus remittendus sit. 142. & seq.
Episcopus non potest citare subditum suum existentem in aliena diœcesi. 264.1. & seq. hoc tamen limitatur. ibid.
Episcopus non potest excommunicare committentem delictum in monasterio Regularium existente in sua diœcesi. 280.1
Episcopus non potest sententiam excommunicationis ferre contra subditum proprium, existentem tamen in alieno territorio pro delicto commisso in proprio. 265.1
Episcopus non potest tollere effectum sententiæ, remanente substantia. 315.1
Episcopus nunquam suam censuram potest tollere, nisi illã penitus tollat. ibid. & si appelletur, & iusta sit appellatio, censura manebit suspensa. ibid.
Episcopus possitne dispensare vt quis ordinetur sine patrimonio. 326.2
Episcopus possitne secluſa ignorantia, ex sola ratihabitione futura ordinare non sibi subditum. 322.2
Episcopus possitne suspendere interdictum. 333.1
Episcopus potest absoluere ab excommunicatione reseruata Papæ, quando delictum est occultum. 248.2
Episcopus potest absoluere excommunicatum excommunicatione reseruata Papæ, & non potentem eum adire ex impedimentis legitimis. 249.1
Episcopus potest excommunicare subditum alienum, dum manet in sua diœcesi. 266.2
Episcopus potest ferre censuram in subditum in alieno territorio existentem pro crimine in proprio commisso. 263.1
Episcopus potest iure ordinario absoluere à censura iuris nemini reseruata. 248.1

Episcopus potest ordinare proprios subditos in aliena diœcesi. 324.2
Episcopus potest prohibere Sacerdoti sub censura, ne celebret extra propriam diœcesim. 263.2
Episcopus potest prohibere sub censura ne triticum deferatur extra diœcesim & similia. ibid.
Episcopus potest supplere aliquem defectum ordinationis quouis tempore. 474.1
Episcopus potest suum subditum ligare censuris in aliena diœcesi pro delictis commissis in propria. 267.2
Episcopus si proferat verba formæ antequam applicetur materia an ordo sit iterandus. 412.2
Episcopus si propter bonum subditorum præcipiat vni tantùm, vel omnibus sub censura ieiunare feria sexta; censuram incurrent non parentes, licet extra territorium delinquant. 263.1
Episcopus suspensus ab Ordine Episcopali si celebret in Pontificalibus, non incurrit irregularitatem, & quare. 311.1
Episcopus suspensus ab Ordine licèt confessiones audire non possit, alteri tamen potestatem absoluendi delegare non prohibetur. 310.1
Episcopus suspensus à collatione Ordinum minorum potest adhuc conferre maiores. 312.1
Episcopi censura concurrente cum Papali si crimen sit idem, sublato Papali, tollitur & Episcopalis. 281.2
Episcopi iurisdictio quousque extendatur. 264.1
Episcopi protestatio de non ordinandis irregularibus, non comprehendit quos nouit tales, & ideò verè ordinantur. 420.2
Episcopo promittens ab eo alimenta non petiturus si ordinetur absque titulo, incurrit suspensionem, sicut & ordinans. 327.2
Episcopo negante Religiosis dignis approbationem ad audiendas confessiones, possintne ipsi hoc non obstante, confessiones audire. 411.1
Episcopum posse suum subditum in aliena diœcesi existentem citare probatur. 264.1.& 2
Episcopi, & aliæ personæ Ecclesiasticæ, sine incursu censurarum Bullæ Cœnæ à iudicibus laicis à Regnis minimè expelli possunt. 8.1
Episcopi, & cæteri beneficiati quantam eleemosynam debeant erogare. 238.1.& 2
Episcopi in quibus casibus possint ferre censuras in Regulares, & in quibus non. 269.2
Episcopi in quo casu melius faciant assignando medietatem superflui pro eleemosynis in necessitate communi, quàm assignando quartam partem. 239.1
Episcopi non debent statim licentias Pontificum executioni mandare, nisi visis priùs videndis. 18.2
Episcopi non debent accedentes ad Ordines prohibere sub excommunicatione latæ sententiæ ne accedant cum impedimento occulto. 420.2
Episcopi olim in Conciliis præcesserunt Cardinales. 38.2
qui ordo est mutatus ob duplicem rationem. ibid.
Episcopi possintne dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonium, quando contractum est mala fide, si sequatur scandalum. 450.1. & seq.
Episcopi possunt exequi legata pia, etiam contra laicum tertium possessorem. 33.2
Episcopi quamdiu possint abesse à suis Diœcesibus. 433.2
Episcopi Regulares fiunt Domini reddituum Ecclesiasticorum. 241.1
Episcopis dabatur olim iurisdictio, quæ de iure eis non competebat. 14.1
Episcopis iure communi competit ratione iuramenti conuenire laicos in Curia Ecclesiastica. 13.1

EQ

Equites D. Iacobi, Alcantaræ, &c. gaudent priuilegio canonis. 411.1
Equites D. Ioannis laxiùs seruant paupertatem, quàm Clerici regulares, aut monachi. 240.2

EV

Eucharistia *danda est in articulo mortis puero capaci rationis & confessionis.* 93.2
Eucharistia dãda est moribundo, de quo timetur ne vomat; cum consilio tamen Medici. 98.1 & 2
Eucharistia non est in re, vel in voto necessaria necessitate medij ad vitam æternam. 403.2
Eucharistia quando debeat ministrari surdis & mutis à natiuitate prudentis Confessarij arbitrio relinquendum. 190.1
Eucharistia sumi potest à Sacerdote excommunicato nominatim in articulo mortis, si alius non adsit. 95.2
Eucharistiam in nauigiis deferre licet. 92.2
Eucharistiam ministrare non licet peste laboranti super folio paginæ, & postea illud comburere. 96.1
Eucharistiam non potest sumere sine præuia confessione, qui in vero dubio est an habeat peccatum mortale. 465.1
Eucharistiam recipiens contra præceptum aliquod humanum non committit duo peccata. 418.2
Eucharistiam sumens ante octo dies teneatúrne in articulo mortis communicare. 93.1
Eucharistiam sumens in Paschate tenetur sub mortali in articulo mortis communicare. 93.1
Eucharistiam sumere in die ipso, quo reus est iustificandus, non est indecens. 91.1

EX

Excommunicatio *ab vna parte, & suspensio & interdictum ab alia, quomodo differant.* 317.2
Excommunicatio incurritur absque nouo consensu iudicis ex vi præcepti à principio facti, & lationis excommunicationis ei annexæ elapso termino à parte prorogato. 258.1
Excommunicatio incursa ex duello à quibus possit absolui. 491.2.& seq.
Excommunicatio in quo differat ab aliis sententiis quoad appellationem. 279.1
Excommunicatio lata ab Archiepiscopo contra scientes furem, & non manifestantes, non ligat Petrum venientem, & acquirentem domicilium in illa Diœcesi post latam censuram, etiamsi sciens non manifestet furem. 266.2
Excommunicatio lata contra aliquos, quorum vnusquisque minimã quãtitatem furatus fuit, est valida. 274.1
Excommunicatio minor potest ferri pro peccato veniali. 271.1
Excommunicatio minor tantùm priuat directè à passiua participatione Sacramentorum. 246.2
Excommunicatio non potest ferri ob peccatum purè internum. 272.1

Excommunicatio per vim, & metum lata est valida. 281. 1. & 2

Excommunicatio quæ extenditur ad mandantes, non comprehendit mandantem delictum fieri, si mandatus prompto animo erat aliàs illud facturus. 275.1. & 2

Excommunicatio quando extenditur ad consulentes, & consilium ita est simplex, vt non influat in effectum, non incurrit consulens censuram. ibid. 2

Excommunicatio quando fertur à Prælato per modum defensionis, requiritur monitio. 255.2

Excommunicatio valida tripliciter potest esse inualida. 260.1. *& si primo tantùm modo sit iniusta, non est dubium quin habeat omnes effectus.* ibid.

Excommunicationis effectus quoad priuationem vsus iurisdictionis an habeat locum in iudice seculari excommunicato non tolerato. 298.2

ad Excommunicationis valorem debet præcedere monitio sub pœna excommunicationis. 274.2

Excommunicationem incurrens ex non datione decimarum, cùm potuit, & postea sit impotens, absolui potest per Bullam cum cautione. 268.2

Excommunicationem suam minorem sciens si electus fuerit, nulla erit electio, si electores sciuerint, siue non. 308.1

ab Excommunicatione ferenda in re leui est abstinendum. 271.2

de Excommunicatione incursa dubius, si dubium sit iuris, in nullo foro contraxit excommunicationem, secus si facti; & debet se gerere vt excommunicatum in vtroque foro. 269.2 & seq.

ab Excommunicatione lata contra causantes, procurantes, &c. abortum, potest quis absolui per Bullam Cruciatæ. 268.2

ab Excommunicatione maiori à Iure non reseruata quis potest absoluere. 248.1 2

ab Excommunicatione maiori lata à Iure, & reseruata potest tantùm is, cui reseruata est, Superior, vel cui commiserit; excipe articulum mortis. 248.2. & seq.

Excommunicatione non ligatur consulens parato occidere Clericum vt tantùm eum percutiat. 276.1

de Excommunicatione sua dubius ministrando Sacramẽta, si postea deprehendatur non fuisse excommunicatus non fit irregularis. 292.1. *si deprehendatur fuisse quid faciendum.* ibid.

ab Excõmunicatione validè quis absoluitur inuitus. 251.1 *sed an licitè.* ibid.

ab Excommunicatione vt quis inuitus absoluatur requiruntur tres conditiones. ibid.

Excommunicatus *ab vno Episcopo, an ab ipso sit absoluendus, vel ab alio, in cuius Diœcesi iam residet.* 250. 1. & 2

Excommunicatus an valide acceptet beneficium si ante absolutionem fuerit ei collatum. 295.1. & 2

Excommunicatus contritus si non potest obtinere absolutionem, non lucratur indulgentiam. 366.2. & seq.

Excommunicatus, cui facta est collatio beneficij, non potest post absolutionem retinere, vel acceptare illud sine noua collatione. 294.2. *contrarium sentiunt alij.* 295.1

Excommunicatus cum alio legens horas Canonicas, vel officium B virginis priuatè, peccat venialiter. 291.1

Excommunicatus denuntiatus est priuatus actiua Sacramentorum communicatione. 287.2

Excommunicatus denuntiatus intrans in Ecclesiam, dum dicitur Missa, expelli debet per admonitionem, vel per coactionem; & si Sacerdos consecrauerit, perficiat Mysterium sin minus, cesset. 291.2

Excommunicatus etiam non toleratus potest conferre aliqua Sacramenta in articulo mortis, & quid de alijs dicendum. 288.2. *in certis casibus possunt peti aliqua ex illis.* ibid.

Excommunicatus etiam non toleratus valdè offert sacrificium Missæ, si Sacerdos est, eiusq; fructum, cui voluerit, applicat. ibid.

Excommunicatus excommunicatione minori an licet validè administret Sacramenta, in administratione tamen eorum peccet. 246.2

Excommunicatus excommunicatione minori ne quidem peccat administrando Sacramenta. 271.1

Excommunicatus excommunicatione reseruata Papæ, & non potens eum adire non tenetur eum adire, etiam habentem priuilegium Papæ. 249.1.2

Excommunicatus excommunicatione reseruata Papæ, & non potens eum adire, si ab Episcopo absoluatur, teneatúrne postea non legitimè impeditus se præsentare Papæ. ibid. 2

Excommunicatus extra aliquos casus validè recipit alia Sacramenta præter pœnitentiam. 287.1

Excommunicatus iniustè non incurrit in pœnas iustæ excommunicationis. 260.2. & seq.

Excommunicatus in quibus casibus dici possit excusari à peccato si ministret Sacramenta. 292.2

Excommunicatus in tribus casibus potest recipere Sacramenta sine peccato. 287.1

Excommunicatus licet excommunicationem inualidam esse probabiliter iudicet, parere tamen tenetur. 292.2

Excommunicatus, nominatim denuntiatus, & publicus Clerici percussor non sunt vitandi in loco, in quo delictum est occultum. 308.2

Excommunicatus nominatim potest validè absoluere à venialibus. 289.2

Excommunicatus non incurrit aliquam pœnam, si Missæ, aut diuinis officijs assistat. 292.1

Excommunicatus non peccat non audiendo Missam. 290.2

Excommunicatus non potest esse actor in iudicio. 299.1

Excommunicatus non potest esse tabellio, nec eius acta sunt valida. 299.2

Excommunicatus non potest esse testis; eiusq; testimonium nullum est. 300.1

Excommunicatus non potest esse tutor vel curator. 301.1

Excommunicatus non potest licitè testari, conuenientes q; ad testamentum peccant; si testetur tamen, testamentum est validum. 306.2

Excommunicatus non toleratus peccat exercendo munus tabellionis. 299.2

Excommunicatus non toleratus non potest esse Aduocatus, aut procurator. 302 & seq. *Secus est de tolerato quando inducitur à fidelibus.* ibid.

Excommunicatus Pœnitentiæ Sacramentum recipiens quo sensu validè absoluatur, & quo sensu non. 273.2

Excommunicatus an possit vti aqua benedicta. 291.1

Excommunicatus potens parti satisfacere, & non satisfaciens

faciens, si à Confessario delegato à Bulla Cruciatæ absoluatur, absolutio est valida. 252.1
Excommunicatus potest in iudicio respondere per seipsum. 299.1
Excommunicatus potest metu mortis communicare alium. 292.2
Excommunicatus potest ob commoditatem itineris, vel aliam ob causam transire per Ecclesiam etiam dum peraguntur diuina Officia. 290.1
Excommunicatus publicè in vno loco non debet censeri talis in alio. 309.1
Excommunicatus quo sensu debeat abstinere à communione fidelium, & quo non? 259.1
Excommunicatus quo casu possit seruire Sacro, & quo non? 291.1.2
Excommunicatus recitans diuinum Officium non debet dicere, Dominus vobiscum. 291.2
Excommunicatus si sit pauper, & fructibus indigeat, vt sustentetur, possitne aliquid de fructibus beneficij ante excommunicationem licitè obtenti percipere. 297.1
Excommunicatus sitne inhabilis ad pensiones recipiendas. 294.2
Excommunicatus toleratus ferens iudicium, si acta sint valida, peccatne mortaliter. 307.2
Excommunicatus toleratus licitè confert Sacramenta, quoties aut ipsius grauis necessitas, aut notabilis proximi vtilitas id exigit. 288.2
Excommunicatus toleratus moriens non est priuandus sepultura Ecclesiastica, si publicè innotuerit fuisse excommunicatum. 132.2
Excommunicatus toleratus validè alium excommunicat. 309.2
Excommunicatus vitandus potest petere à suo debitore suum creditum, & is ad illud tenetur. 307.1
Excommunicatus voluntariè in excommunicatione persistens peccat contra præcepta de sumendis Pœnitentia, & Eucharistia, quatenus etiam Ecclesiastica. 290.2
Excommunicatus, vt absoluatur, quam cautionem debeat dare? 268.2
Excommunicatus vt vitetur non sufficit vt lata sit sententia, qua aliquis sit damnatus de aliquo crimine, cui annexa est excommunicatio, sed vlterius requiritur vt expresè sit denuntiatus excommunicatus. 277. & *seq.*
Excommunicati non tolerati acta sintne valida? 300.1
Excommunicatum minori excommunicatione scienter eligentes ad beneficium non sunt priuandi voce. 308.1
Excommunicatum non toleratum potest quis resalutare. 301.2
Excommunicatum non vitandum posse instituí hæredem. 307.1
Excommunicatum quis possit in articulo mortis absoluere? 250.1
Excommunicato concurrente cum irregulari non excommunicato, vter est præferendus in absolutione moribundi. 101.1. *Idem de suspenso, & interdicto; de his etiam & hæretico.* ibid.
cum Excommunicato dante signa contritionis tempore mortis, & non absoluto, quid faciendum. 258.2
cum Excommunicato iniustè communicans non incurrit pœnas Iuris impositas contra communicantes cum excommunicato. 26.1
Excommunicati contrahentes matrimonium dupliciter peccant non tamen contra censuram. 289.2
Excommunicati excommunicatione reseruata Papæ in nouem casibus excusantur à parendo coram eo. 248.2 & *seq.*
Excommunicati nominatim absolui possunt per Bullam Cruciatæ, & Regularium priuilegia absolui, satisfacta tamen parte. 245.1
Excommunicati possunt ingredi Ecclesiam. 289.2 & *etiam ibi orare.* ibid.
Excommunicati tolerati non comprehenduntur sub prohibitione non sepeliendi excommunicatos in loco sacro. 293.1
Excommunicatis vitandis Sacramenta ministrantes eam incurrunt pœnam quæ lata est propter communicationem cum excommunicatis in Sacris; & quot requirantur, vt hæc incurratur. 287.2
Excommunicatos admittens ad diuina officia an aliquam incurrat pœnam. 292.1
pro Excommunicatis toleratis licet orare, & offerre sacrificia. 283.1
Exemptio *Clericorum si non est Iuris diuini, an possit contra eam consuetudo præualere.* 30.1

FA

FAcultas *commutandi opera Iubilæi ad quæ opera se extendat.* 372.1
Facultas dispensandi delegata si ad vnicum votum esset limitata, an posset auferri iuramentum illi concomitanter adiunctum. 385.2
Facultate se priuans repetendi pecuniam mutuatam per tantum tempus, non potest licitè aliquid pro hoc exigere. 413.2. & *seq.*
Facultates laicorum quando non censeantur sufficere vt Clerici possint collectari. 17.2. & *seq.* *Et an tunc Clerici teneantur publicis necessitatibus.* ibid.
Falsarius *an dicatur quis, si scripturam innitentem veritati in aliqua re mutauerit.* 463.2
Familia *laici Episcopi titularis, vel aliorum Prælatorum habentium territorium, & iura Episcopalia cum potestate iurisdictionis gaudet priuilegio fori.* 34.1
Familiares *Cardinalium in absentia gaudent fructibus suorum beneficiorum.* 65.1
Familiares Cardinalium sintne in eorum causis testes idonei. 58.2
Familiares viri nobilis minùs esse priuilegiatos, quàm mercenarios, inconuenit. 2.1
Famulus *imminente graui, & proportionato damno, potest concubinam portare in domum heri.* 217.2
Famulus potest dominum excommunicatum euntem in templum comitari ad Sacrum. 305.1
Famulus potest quandoque scalam apponere, vel sustinere dominum ascendentem ad fenestram, vt rem habeat cum fœmina, & alios actus indifferentes exercere. 217.1
Famulus, vel ancilla quando iuuat concubinam ad se ornandam, an peccet? Item quando aperit ostium adultero venienti; aut quando sternit lectum, in quo scit heram cum amasio peccaturam. ibid.

Famuli dominorum recipientes pro chartis plus quàm valeant, non tenentur summam excedentem restituere. 463.2

Famuli ministrantes dominis carnes in die ieiunij, vel cibaria in refectiuncula, quo casu excusentur à peccato, & quo non. 207.1.2

FE

Festum *Paschatis sumi potest saltem* à Gloria in excelsis *sacri diei Sabbati, & quare.* 329.2

Festa Paschatum quando sint incipienda. ibid.

FI

Fidelis *nullus carens peccato mortali tenetur ad confitendum ex vi præcepti confessionis.* 406.1

Fides *simplex extraiudicialis facta per Cardinalem, licet non probet concludenter, multum tamen illi tribuitur.* 71.1

Fidei præceptum quando obliget? 399.2

Filius *familias Clericus moribundus potest testari.* 126.2

Filius familias ex quibus bonis possit facere eleemosynas, & quibus non? 237.2

Filius pubes moriens ante electionem sepulturæ, si maiores sint in diuersis locis sepulti, vbi sepeliendus. 120.2. *& seq.*

Filio non licet patrem bannitum occidere. 144.1

Filio tanquam Parocho excommunicato non licet Sacra ministrare coram patre, & quare. 303.1

Filio vno excommunicato alij possunt cum illo communicare. 305.2

Filij emancipati possunt cum patre excommunicato communicare. 302.1

Filij infidelium in mortis periculo sunt inuitis parentibus baptizandi. 78.1

Filiorum nomine qui comprehenduntur, ita vt possint cum excommunicato communicare. 302.2

Fine *legis in particulari cessante, cessat & eius obligatio.* 488.1

FOE

Fœmina *adiens templum, in quo est quis, à quo turpiter ametur, si commodè potest aliud adire, peccat.* 218.2

Fœmina nobilis quando teneatur à choreis ducendis abstinere, & quando non. 214.2. *& seq.*

Fœmina non se ornare, & in publicum prodire, si timeat ab aliquo particulari lasciuè amari, quando potest absque graui damno. 218.2

Fœmina non peccat dum se ægram curandam exponit Medico, quamuis prudenter timeat illum accepturum scandalum. 212.2

Fœmina teneatúrne lege charitatis abstinere ab ornatu, & fuco, ita vt illi liceat se ornare, & comere. 219.2

Fœminæ etiam ignobili licet non ostendere verenda chirurgo. 131.2

Fœminæ licet iudicem adire, & causam apud illum agere, quamuis prudenter timeat illum sua pulchritudine pelliciendum. 212.2

Fœminæ vtentes vestibus virorum aliquando mortaliter, aliquando venialiter tantùm peccant. 219.2

Formæ *absolutionis ab excommunicatione verba essentialia sunt ea solùm quæ sensum excommunicationis exprimunt.* 262.2

Formam à longinquo proferens, & iubens moribundum aqua ablui, si accessus non sit liber, validè baptizat. 84.2

Formâ finitâ antequam finiatur ablutio, si infans moriatur censetur Baptizatus. 81.1

in Formis Sacramentorum interruptis datur paruitas materiæ. 176.1. *per totum*

in Formis Sacramentorum non datur paruitas materiæ. 175.2

FR

in Fractione *sigilli confessionis non datur paruitas materiæ.* 163.2

Fratres *Minores cum licentia Superioris nominare possunt exequutores testamenti cuiuscumque testantis, qui hoc ipsis commisit.* 127.2

Fratrum in collegio Apostolico quare sit triplex ordo. 39.2

in Fructibus *beneficij datur paruitas materiæ.* 170.1.2

FV

Fur *etiam nocturnus, ob rem paruam, quando scitur rem aliam non ablaturus, occidi non potest.* 140.2

Fur maior non est, & malæ fidei possessor inuito domino emptor malæ fidei, quàm fur, qui à fure rem auferret. 485.1

Furem licet occidere si cum re furata fugiat. 140.1

Furtum *domesticum factum à filiofamilias teneatúrne quis reuelare ex vi monitorij.* 422.1.2

Furtum maius volenti committere rectè consuletur vt minus furetur, ab eadem tamen persona. 212.1

in Furto datur paruitas materiæ. 173.2

in Furto quæ quantitas constituat peccatum mortale. ibid.

Furta Religiosorum sintne maiora quàm secularium. ibid.

Fustibus, *& alapa percutiens aliquem non tenetur compensationem pecunia facere.* 155.2

GE

GEner, *& nurus, qui filiorum loco ratione affinitatis sunt, excommunicatione comprehenduntur.* 302.2

Gener, socer, priuignus, priuigna, pupillus, &c. comprehenduntur sub nomine filiorum, ita vt possint cum excommunicato communicare. ibid.

Generales, *& definitores teneantúrne eligere in Prælaturas Regulares digniores.* 446.2

Generales Regularium non possunt non obstantibus Pontificum Bullis præbere subditis licentiam legendi libros prohibitos. 413.1.2

Gentilibus *non licet vendere Idolum, ad graue periculum euitandum.* 221.1

GL

Glacies *& nix non resolutæ non sunt materia Sacramenti Baptismi.* 75.1

GR

Graduale *omittens post epistolam excusatur à peccato mortali.* 184.2
Gratiæ *in surreptione datur paruitas materiæ.* 173.2
Grauitas *partis diuini Officij omissæ ex quo pensanda.* 170.2.*& seq.*
Grauitas retentionis libri hæretici vnde sumenda. 177.2

GV

Gutta *quæ si à Sacerdote non misceatur in vino, non excusatur à mortali ex paruitate materiæ.* 182.2
Gutta aquæ sufficit ad Baptizandum infantem moribundum. 76.1

HÆ

HÆres *promittens moribundo patri restituturum se hæreditatem filio spurio, non tenetur implere promissum.* 125.1
Hæredis nominatio relata ad schedulam valeátne. 123.1
Hæredes consanguinei, Rectores, atque Clerici Ecclesiæ vbi cadauer sepelitur, etiam mandantes quicumque intelliguntur per eos, qui sepeliendo excommunicatum incurrunt excommunicationem. 293.2
Hæredes homicidæ excusantur à restitutione, si ille capite damnatus est. 157.2
Hæresim *proferens absque hæretico consensu non incurrit excommunicationem latam contra hæreticos.* 257.1
in Hæresi non datur paruitas materiæ. 171.2
Hæreticus *& Schismaticus Sacerdotes habent potestatē absoluendi moribundum in articulo mortis.* 99.1. *& seq.*
Hæreticus exterior non est, qui signa dat hæresis internæ in quantitate tam leui, quæ non sit ex se peccatum mortale. 173.1
Hæreticus externus censendus est qui simulans se dormire hæresim profert, quam verè tenet, si audientes sibi persuadeant eum dormire. 398.2
Hæreticus ignorans excommunicationem in Hispania saltem non excusatur à censura, & quare. 399.1
Hæreticus negatiuus quibus casibus absolui possit. 108.2
Hæreticus occultus & emendatus, quando in Iubilæo conceditur facultas absoluendi ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ, excepta hæresi, non est absoluendus. 376.1
Hæreticus occultus non potest in absentia absolui ab Episcopo, si ipsum adire non possit. 410.2
Hæreticus vt quis debeat censeri, quæ requirantur. 398.2 *& seq.*
Hæretico negatiuo ex duabus rationibus impertienda sunt Sacramenta. 108.2
Hæreticum notorium, & excommunicatos nondum denuntiatos sepelientes in loco sacro incurrántne excommunicationem. 293.2
per Hæreticorum, & infidelium loca transeunti licet vtplurimum comedere cibos vetitos ad euitandum graue damnum. 221.1

HI

Hispaniarum, *vel Siciliæ Regna egrediens, breui tamen reuersurus, non potest vti priuilegio Bullæ Cruciatæ circa esum ouorum & lacticiniorum.* 452.1. *& seq.*

HO

Homicida *non est compellendus restituere, licet ex restitutione constituatur in graui necessitate.* 158.1
Homicida non tenetur ex iustitia Missas offerre pro anima defuncti. 155.2
Homicida non tenetur integrum lucrum restituere. 154.1
Homicida non tenetur restituere damnum creditoribus occisi. 156.2.*& seq.*
Homicida non tenetur soluere expensas moderatas factas in sepultura occisi. 154.2
Homicida non tenetur restituere damnum, quod per accidens familiaribus & amicis occisi ex eius morte sequutum sit. 155.2.*& seq.*
Homicida quo sensu possit dici creditoribus obligatus. 157.1
Homicidæ non tantùm hæredes, sed etiam fiscus tenetur soluere damna, si bona homicidæ fuerint publicata. 154.2
Homicidij casualis duo casus. 151.1.*& seq.*
Homicidium consulens licet ex lege iustitiæ teneatur reuocare consilium, si tamen nihil persuadeat, non tenetur eadem lege eum monere contra quem egit, vt sibi caueat. 158.2
ex Homicidio casuali quando incurritur obligatio restitutionis. 151.2
ab Homicidio sui ipsius excusantur aliqui ex ignorantia inuincibili. 145.2
ex Homicidio suo quando quis aduertit sequuturum damnum tertij, an peccet. 153.2
Homo *tenetur permittere secari sibi membrum, si Medici iudicent necessarium, & magni dolores non sint perferendi, secus & si Religiosus sit.* 146.2.*& seq.*
Homini constituto in naufragio licet dimittere tabulam, in qua potest euadere, vt alter eam apprehendat, & saluetur. 145.1
Homini libero nihil est restituendum pro deformitate resultante ex vulnere, nisi damnum temporale resultet. 155.2
Homines priuati non tenentur inquirere pauperes. 225.2
Quos duo in hoc casu excusare possunt. *ibid.*
ad Honorem *tuendum licitum est post impactam alapam insequi inuasorem, & occidere, si hoc opus sit ad honorem recuperandum.* 138.1
Horæ *ad minùs tres requiruntur ad hoc vt quis dicatur notabili tempore in die festo seruilia exercuisse, & consequenter peccet mortaliter.* 163.1
in Horis Canonicis recitandis datur paruitas materiæ. 170.2.*& seq.*
Hostis *Christiani nominis quis dicendus.* 397.2.*& seq.*

ID

IDiota *baptizans, sermone vulgari baptizet, ne erret.* 82.1
Idolum *non licet vendere Gentilibus ad euitandum periculum mortis.* 221.1

Idolum

Idolum pingere, vel fabricare ad petitionem infidelis non licet, nec construere Synagogas Iudæorum. 202.1.& 2.

IE

Ieiunium *Eucharisticum non violatur per sumptionem rerum non comestibilium, & non nutrituarum* 389.2
Ieiunium naturale ad impediendum sumptionem Eucharistiæ vt soluatur, duo requiruntur. 388.2
Ieiunium naturale frangere ante communionem sumpta quantumlibet minima parte cibi, nisi per modum saliuæ attrahatur, lethale crimen est. 165.1
Ieiunij in fractione datur paruitas materiæ. ibid.
Ieremias *agrum emit in Anathot vrbe Sacerdotali.* 5.1. *& seq.*

IG

Ignorantia *etiam vincibilis, siue facti, siue iuris imponentis censuras, si factum non fuerit mortale, & ignorantia non fuerit crassa, excusat ab omnibus pœnis.* 455.2
Ignorantia inuincibilis siue iuris communis, siue particularis, excusat ab omni excommunicatione. 254.2
Ignorantia vincibilis culpabilis moraliter, siue sit iuris siue facti, modò non sit crassa, excusat ab excommunicatione. ibid.

IM

Imaginem *concubinæ licet pingere amasio aliquando.* 173.2
Immunitas *à reseruatis vnde oriatur.* 397.2
Immunitas Clericorum diuino iure in Ecclesiam inuecta est. 29.1
Immunitas & fauor Ecclesiæ amplè debet intelligi. 4.1
Immunitatem Clericorum sufficienter colligi ex Conciliis, & authoritate Bonifacij. 29.2

IN

Indigentia *grauis quando definiri solet.* 224.1
Indulgentia *applicari potest à tonsurato simplici in articulo mortis, absente tamen Sacerdote.* 380.1.& 2
Indulgentia Bullæ Cruciatæ applicari potest in casu, rarò tamen absentibus. 130.2
Indulgentia Bullæ Cruciatæ post sumptum Sacramentum extremæ Vnctionis applicanda est. ibid.1.2
Indulgentia largita per dies & annos, quomodo intelligenda. 377.2.& seq.
Indulgentia sublata peccati fictione sortitur suum effectum. 362.2
Indulgentiæ causa non debet solùm esse pia, sed etiam proportionata. 365.2
Indulgentiæ effectus quis sit. 362.1
Indulgentiæ effectum vt quis sortiatur quid requiritur & sufficit. 363.2
Indulgentiam applicari posse absenti in casu. 380.2
Indulgentiam pro mortuis lucratur existens in peccato mortali. 377.1
Indulgentiam stationum quoties in die quis possit lucrari. 379.2.& seq.
pro Indulgentia lucranda visitantibus quinque altaria concessa satis est fundere preces ex vno loco sine motu de vno in aliud altare. 386.1
Indulgentiæ certò prosunt defunctis. 364.2
Indulgentiæ per modum suffragij prosunt catechumenis mortuis sine Baptismo. 369.1
Indulgentiarum causa confessus legitimè, si postea peccet, poterit per cõtritionem disponi ad eas promerendas; nec requiritur vt oblitus alicuius peccati, illud confiteatur intra tempus Indulgentiarum. 361.1
ad Indulgentias lucrandas non requiritur vt opus iniunctum fiat benè moraliter; ita vt sit in se honestus, & moraliter bonus. 376.2
Indulgentias plenarias vrbis Romæ an quis lucretur diebus signatis virtute Cruciatæ. 361.2
Indulgentias plures quo sensu possit quis lucrari vno, & eodem opere, & quo sensu non. 366.1
Indulgentias vt quis lucretur non requiritur vt opera iniuncta efficiat potissimum propter consequendas indulgentias. 364.2
Infans *domi baptizatus ab obstetrice quando rebaptizandus, & quando non.* 432.1
Infans in mortis articulo probabiliter est baptizandus, & consequenter in Ecclesiastica sepultura sepeliendus. 79. 2. *& seq.*
Infans moribundus baptizandus est in qualibet minima parte corporis. 75.2
Infans moribundus potest baptizari cum forma dubia, si nemo adsit qui sciat formam certam. 76.1
Infans moribundus si ad eum non sit accessus, baptizandus est aspersione aquæ. 82.1
Infans occidendus à Tyranno proiectus in puteum, quia aliter baptizari non potuit, baptizatur. 79.2
Infans potest vrgente necessitate in digito baptizari. 76.1
Infans repertus in valuis Ecclesiæ, vel domus, an sit baptizandus. 431.2
Infantes ex matribus pestiferis editi, & priuatim baptizati, teneantúrne postea in Ecclesia cæremonias omissas supplere. 76.2
Infantes confirmare non est prohibitum. 87.1
Infantibus ante vsum rationis morituris posse conferri Sacramentum confirmationis. ibid.
Inferior *petens veniam à reseruatis absoluendi, nullo modo potest personam aperire.* 346.1
Nec Superior debet curiosè inquirere cum periculo veniendo in notitiam personæ. ibid.
Infidelis *in articulo mortis naturali, vel violento, & conuersus ad fidem, statim post Baptismum est communicandus, instruendus tamen vt fieri potest.* 94.1
Infideles ante Baptismum per aliquot menses instrui debent, nisi necessitas vrgeat obsidionis, naufragij, vel similis. 82.2
Infideles gaudent immunitate Ecclesiastica. 4.2
Infidelium filij in periculo mortis sunt inuitis parentibus baptizandi. 78.1
Infirmus *debet ante mortem pecuniam, & famam ablatam restituere.* 119.2
Infirmus duplicem vomitus speciem potest pati. 98.2
Infirmus non ieiunus in periculo mortis potest sæpiùs viaticum sumere: & quæ intercapedo adhibenda inter vtramque communionem. 91.1
Infirmus qui præuidit post prandium ex febre sore impediendum à recitatione vesperarum, non tenetur eas manè recitare. 467.1

Infirmus quo præcepto teneatur parere Medico, & quo non. 130.2

Infirmus si comedat rem nociuam, non aduertens nocituram, non peccat mortaliter. ibid.

Infirmum si quis tesletur dixisse se velle in tali Ecclesia sepeliri, non est in illa propterea sepeliendus. 120.1

pro Infirmo communicando an liceat in mari celebrare Missam. 92.1.& 2

cum Infirmo quomodo sit agendum tempore mortis, quando condit testamentum. 123.2

Infirmi seruientes possunt aliquid comedere in die ieiunij, etiam ex carnibus, ad excitandum appetitum infirmorum. 173.1

Ingressus *omnis non prohibetur interdicto ab ingressu Ecclesiæ.* 334.1

in Ingressu, vel egressu clausuræ monialium datur paruitas materiæ. 169.1

Inimico *quando licet desiderare malum, & quando non.* 433.1

Inimicum quando licet salutare, & quando non. ibid.

Innocens *tenetur tradere se tyranno id postulanti pro salute patriæ, quæ aliter saluari non possit.* 143.1

Item pro Republica idem præstare potest. ibid.

Et si talis resistat, potest à Republica occidi. ibid.

Innocens an possit singulare certamen offerre criminatori. 403.1

Inquisitores *non possunt excommunicare Episcopos, nec è contra.* 273.1.& 2

Insultum *faciens in domum Cardinalis incurrit in censuram Bullæ Cœnæ.* 66.1

Intentio *etiam virtualis non requiritur in Sacerdote eodem tempore Missæ ad applicandum fructum Sacrificij cui præbuit stipendium.* 475.1

Intentio habitualis sufficit ad Indulgentias lucrandas. 364.2

Interdictum *in vrbe positum non ideò ponitur in suburbiis.* 118.1

Interdictum latum ab homine, & à iure, à quo tolli possit. 334.1

Interdictum personale generale propter quid possit ferri? 336.1

Interdictum personale speciale communius pro culpa mortali, quandoque tamen pro veniali ponitur. ibid.

Interdictum personale speciale non minùs quàm excommunicatio prohibet à perceptione Sacramentorum. 334.1

Interdictum Salutianum datur pro consequendis rebus legatis. 34.1

Interdicti violatio est graue peccatum; non inde tamen sequitur omissionem vnius, vel alterius circumstantiæ præcisè absque scandalo, vel contemptu fore mortalem. 331.2

Interdictum violare quale peccatum. 332.2

Interdictus *ab Ecclesia potest in Cœmeterio Officia diuina audire, & Missam celebrare.* 335.1

Interdictus ab ingressu Ecclesiæ potest in ea recipere Sacramenta. 334.2

Interdictus ab ingressu Ecclesiæ si moriatur cum signis pœnitentiæ, sepeliendus est in loco sacro, nec requiritur absolutio præter eam quam habet à iure. ibid.

Interdictus à Sacro faciendo potest Ordines minores conferre, etiam maiores, & quare. 338.2

Interpres *tenetur celare peccata sub sigillo Sacramentali.* 358.2

Inuasor *si tibi innocentem tanquam clypeum obiiciat, vt possit te interimere potes vtrumque occidere, vt mortem non subeas.* 148.1

Inuasorem iniustum licet pro defensione vitæ proximi occidere. 141.2

Sed si ad hoc quis teneatur, & quid sit si inuasus cedat iuri suo. ibid.

Inuasorem licet occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ. 133.1

Inuasorem licet occidere pro defensione rerum externarum proximi. 141.1

Et an ad hoc quis teneatur. ibid.& 2

Inuasorem licet occidere, si inuasus fuerit in causa cur aggrederetur ipsum. 134.& seq.

Inuasorem quando quis interficit, licet etiam intendere mortem eius. 139.2

Inuasus *potest se tueri cum periculo mortis alicuius innocentis.* 147.2.& seq.

Inuasus si possit fugere, & occidat aggressorem, non tenetur ad restitutionem. 152.1

Inuidiæ *præceptum ratione paruitatis materiæ aliquando est tantùm veniale.* 185.2

IR

Irregularitas *non est admittenda, nisi exprimatur iure.* 489.1

Irregularitatem non incurrit voluens infirmum, vel dans cibum, & similia, etsi sequatur mors vel acceleratio eius, si bona saltem fide administrauit. 123.1.& 2

IT

Iter *agentes possunt sine Bulla edere lacticinia, si non inuentantur alia, quæ comedi possunt.* 448.1

Iter agentes, si tantùm inueniant panem & fructus non tenentur ieiunare, & quare. 448.1

IV

Iubilæi *tempore per aliquam impotentiam non potens confiteri, sed contritus post alia præscripta communionem sumit, lucratur Indulgentiam.* 373.1

Iubilæum in prima hebdomada lucratus, iterum in secunda poterit illud lucrari. ibid.

ad Iubilæum lucrandum requiritur eleemosyna temporalis. 374.2

ad Iubilæum lucrandum sufficit dare eleemosynam ei, cui aliàs ex obligatione præcepti naturalis debetur. ibid.

ad Iubilæum lucrandum sufficit illa opera præstare, quæ quis aliàs tenetur facere ex obligatione præcepti diuini, aut Ecclesiastici. 384.2

ad Iubilæum lucrandum sufficit quòd mutatio ieiuniorum fiat ex iusta causa. 371.2

in Iubilæo quando ad lucrandam indulgentiam præcipitur eleemosyna indeterminatè, sufficit quæcumque vel parua vel magna; secus si præscribatur. 374.2

Iubilæum lucrari intendens, & ideò absolutionem à censuris, & commutationem votorum obtinens, & postea Iubilæum non lucrans, non peccat mortaliter. 379.1

in Iubilæo si tantùm dicatur, quòd efficiatur communio in die Dominica, an quis satisfaceret, communicando in alia die hebdomadæ. 368.2

an Iudæis *liceat seruire Romæ, si nõ sit periculum subuersionis.* 396.2.& *seq.*

Iudex *Ecclesiasticus non tenetur stare processui facto à iudice seculari.* 142.& *seq.*

Iudex excommunicatus an validè alium excommunicet. 273.1

Iudex excommunicatus toleratus potest validè exercere iurisdictionem. 299.1

Iudex inueniens peccatum rei schedulæ mandatum ad confessionem faciendam, tenetur cessare ab inquisitione criminis. 352.1

Iudex laicus non potest cognoscere de causa possessoria beneficij, si agatur inter duos Clericos, vel quando reus est Clericus,& quare. 32.1.& *seq.*

Iudex laicus, si pro sua iurisdictione habeat opinionem probabilem, sed excommunicetur ab Episcopo, vel declaretur incidisse in excommunicationem inflictam iure, an stante probabilitate contrariæ sententiæ, sit excommunicatus. *ibid.*

Iudex nemo est in causa propria; & quomodo hoc intelligatur. 273.2

Et an hæc regula patiatur exceptionem. *ibid.*

Iudex quomodo se gerere debeat erga reum quem scit esse innocentem. 142.2

Iudex sciens delationem, vel accusationem ortam fuisse ex reuelatione sigilli ex parte suâ, debet reum damnatum absoluere. 352.1

Iudex si desit, potest spoliatus locum, in quo res deposita est, ingredi, eamq; sibi vindicare. 148.2

Iudex si moriatur pendente conditione, an ille in quem lata est censura, si forum mutet, incurrat censuram. 279.2

Iudici si magnum damnum obueniret ex depositione officij, non tenetur illud deponere pro liberatione rei ex publica notitia talis reperti. 143.1

Iudicibus secularibus liceatne per viam violentiæ cognoscere causas Ecclesiasticas. 20.2.& *seq.*

in Iudicio *temerario datur paruitas materiæ.* 185.2

Iuramentum *additum fictæ promissioni non inducit veram obligationem: contrarium tamen magna fulcitur probabilitate.* 461.1

Iuramentum de parendo an sit præstandum semper in absolutione excommunicationis maioris. 281.1

Iuramentum ignorantiæ non tollit præsumptionem scientiæ in contrarium quando talis habetur. 455.1

Iuramentum promissorium, & assertorium quomodo differant. 161.2

Iuramentum licet ab aliquo petere, quando timetur illum falsò iuraturum. 205.1.& *seq.*

Iuramentum quo sensu intelligatur. 258.1

in Iuramento promissorio datur paruitas materiæ, in assertorio non,& quare. 161.1.& 2.

Iurans, *vel vouens si intenderit se obligare ad abstinendum à ludo modicæ quantitatis, qui secluso voto esset actus virtutis, votum, & iuramentum essent valida.* 174.2

Sed vnde perpendi possit, an transgressio esset mortalis, vel venialis. *ibid.*

Ius *ciuile non obligat in Hispania in casibus in quibus aliquid non sit definitum in legibus illorum Regnorum.* 477.1

Iuris diuini possunt aliqua esse quæ non sunt in Scriptura. 29.2

Iuris præsumptio eliditur per iuramentum in contrarium 455.1

Iure suo vtens nemini facit iniuriam, licet peccet contra charitatem. 152.2

Iura loquentia de marito,& vxore intelligenda sunt quãdo matrimonium per verba de præsenti contractum est, etsi non secuta sit copula. 305.2

Iura quæ priuilegium fori tribuunt Episcoporum familiaribus, quomodo loquantur. 2.1

Iurisdictio *dabatur olim Episcopis, quæ de iure eis non competebat.* 14.1

Iuuenes *nubiles non facilè debent à Confessario damnari peccati mortalis, quòd aliquibus vtantur osculis erga procas; nec etiam facilè denegare absolutionem Sacramentalem; & quare.* 161.2.& *seq.*

LA

LActicinia *possintne sumi in collatione vespertina ieiunij ab habentibus Bullam Cruciatæ.* 447.1

Laicus *assumptus à pœnitente etsi audiat aliquod delictum ex confessione eius, non potest à iudice compelli, vt illud iudicialiter manifestet.* 346.2

Laicus doctus potest cum hæretico disputare. 400.2

Laicus ex præscriptione fit immunis à solutione decimarum. 464.2

Laicus in articulo mortis si Sacerdos non adsit, potest seipsum communicare, vel alios. 95.2

Laicus non interdictus si sine scandalo, aut vi audiat officia diuina in loco interdicto peccat ad summum venialiter. 332.2

Laicus potest prorogare iurisdictionem in Episcopum, neque ab eius Superiore potest inhiberi. 12.1.& 2

Laicus si ex necessitate audiat confessionem alicuius, teneatúrne ad sigillum. 346.2

Laicus tenetur sub sigillo celare peccata sibi confessa in absentia Sacerdotis. *ibid.*

Laicum in absentia Sacerdotis posse absoluere moribundum à censuris, vt non careat Ecclesiastica sepultura. 109.1. *conuenit tamen vt petatur absolutio noua ab illo, cui reseruata est excommunicatio* *ibid.*

Laici de bonis patrimonialibus possunt seruare ad statum suum, vel consanguineorum mutandum. 234.1

Laici non possunt spoliare Clericos armis prohibitis, si per vsum iurisdictionis hoc faciant. 7.1

Laici possunt absente Sacerdote, Indulgentias Bullæ Cruciatæ applicare morituris. 130.1

Laici, quibus tempore interdicti licitum est in aliquibus diebus audire Missam, licet & Eucharistiam sumere. 337.2

Laqueo *suspensus, vel mersus in puteo reperti non debent sepeliri in loco sacro.* 118.1. *& quid si in Paschate non communicauerit.* *ibid.* 2

Laudes *non sunt hora distincta à matutino.* 466.2

Quare in Natiuitate Domini separantur ab illo. *ibid.*

LE

Legatus *relictus generaliter virginibus dotandis non solùm nubentibus, sed etiam intrantibus in Religionem distribui potest.* 461.2

Legere *sciens Italicè, & non Latinè, potest ab Episcopo*

initiari prima Tonsura. 458.2
Nec requiritur vt perfectè scribere possit. ibid.
Lex quando ab initio resistit alicui consuetudini inducendæ, talis consuetudo postea non potest ita inualescere, vt abroget legem. 30.2
Lex quando excommunicat ipso facto, non potest iudex excommunicare sine citatione. 256.2
Legem in principio non acceptantes, si parati sint obedire, non peccant mortaliter. 445.2
Legem transgredientes ex ignorantia crassa, vel affectata, non incurrunt censuram. 254.2
Leges obligant sub mortali, quibus prohibetur extrahi à Regno aurum, triticum, & similia. 179.2
Leges Pontificiæ non obligant, nisi in singulis Diœcesibus publicentur, & quare. 455.2. & seqq.
Leges Regum, & statuta ciuitatum an sint æqua quibus vetant decimas à laicis exigi. 464.2
Leuitæ domos, vrbes, & alia bona possederunt, & titulo eleemosynæ. 5.1

LI

Libertas Ecclesiastica Iure tam diuino, quàm humano inducta est. 29.1
in Librum alicuius authoris bifariam scribitur. 398.2
Libri Catholicorum cũ explanatione hæreticorum quando dicantur interdici, & quando non. ibid.
Libros hæreticorum legendo datur paruitas materiæ. 176.2
Libros hæreticorum retinendo datur paruitas materiæ. 177.2
Liquores ex plantis, & herbis expressi non sunt materia Baptismi. 73.2
Literæ Apostolicæ causas spirituales continentes possintne à Principibus secularibus recognosci. 20.1
Literæ Apostolicæ cur nulla laica potestate, etiam Regia impediri possint. ibid.
Lites vertentes inter Cardinales decidendæ sunt per summum Pontificem. 49.2

LO

Locus exemptus intra diœcesim alicuius Episcopi quis sit dicendus. 280.1

MA

MAgia ex genere suo est peccatum mortale. 172.1
in Magia, & sortilegiis non datur paruitas materiæ. ibid.
Magister Nouitiorum, vel Confessarius monialium non potest in exercitijs spiritualibus in generali damnare peccata, quæ audiuit in confessione. 354.2
Magistratus & Prælati qua lege teneantur ad correctionem subditorum. 487.2. & seq.
Magistratus in quibus casibus peccent mortaliter, permittendo recitationes comœdiarum turpium. 430.1
Magnificat omittens in Vesperis grauiùs delinquit, quàm omittens longè maiorem Psalmum. 171.1
Malitia, & passio quomodo differant. 214.2
Malitia duplex inuenitur in reuelatione sigilli. 339.2
Malitia occisionis in quo consistit. 147.2
Malitiæ grauitas, & oppositio ad virtutem si oriatur ex ratione ipsa obiecti per se prima, non poterit esse in obiecto paruitas materiæ, & leuitas culpæ; secus si ex secunda oriantur. 159.1
Malum minus licet consulere ei, qui non erat paratus illud efficere, & hoc sine peccato scandali. 210.2
Malum minus qui suadet volenti committere maius, non simpliciter suadet malum. ibid.
Mala duo quoties occurrunt, licet consulere minus. 209.2
Mancipium si occidat aliquem absque domini culpa, dominus ante sententiam iudicis non obligatur in conscientia. 154.1
Mandans, qui ante factum reuocauit mandatum, si reuocatio nõ peruenit ad mandatarium ante occisionem tertij, incurrit in excommunicationem sequuto homicidio; secus si peruenit. 276.1
Mandans, vel consulens si mandatum, vel consilium reuocet, non incurrit adhuc excommunicationem, etsi delictum sequatur. ibid.
Mandantes, & consulentes comprehendi in excommunicatione si quis dubitet, iudicare debet non comprehendi. ibid.
Maritus & vxor excommunicati possunt simul communicare. 304.1
Maritus excommunicatus quando est simul cum alio tali, vxor non debet communicare cum illo. 304.1
Maritus negligens corripere vxorem de contumacia, ob quam est excommunicata, peccat. 304.2
Maritus potest communicare cum vxore excommunicata. ibid.1
Maritus vt promoueatur ad Cardinalatum non est opus vt vxor ingrediatur Religionem. 53.2
Mater ad mortem damnata, si morbo lethali corripiatur, licet eam secare, vt infans moriturus baptizetur. 79.1
Mater tenetur permittere baptizari prolem in suo vtero existentem, in casu quo aqua eam attingere possit, & si præuideat mortem propriam inde sequuturam. 80.1
Materia Baptismi quæ sit. 74.2
Materia parua est, si audiatur Missa post Euangelium dictum. 177.2
Materia proxima Baptismi quæ sit. 75.1
Materiæ, & formæ coëxistentia non requiritur ad veritatem Sacramenti. 176.1
Materiæ grauitas vnde sumenda in operibus forensibus Iure prohibitis. 163.1
Materiæ paruitas datur aliquando in obligatione restituendi fructus pro omissione Horarum Canonicarum. 170.1
Materiæ paruitas datur aliquando in obligatione restituendi fructus pro omissione Horarum Canonicarum. 170.1
Materiæ paruitas datur in dimissione habitus propriæ Religionis. 184.1
Materiæ paruitas datur in omissione aliquarum rerum in Missa, etiam in recitatione Canonis. 178.1. & 2
Materiæ paruitas datur in prohibitione alienationis rerum Ecclesiasticarum. 183.1
Materiæ paruitas datur in simonia. 160.1
Materiæ paruitas datur in violatione interdicti. 183.2
Materiæ paruitas excusat à lege prohibente extrahendum aliquid à Regno. 179.2
Materiæ paruitas non datur in fractione sigilli confessionis. 163.2
Materiæ paruitas non datur in sollicitatione facta in confessione, & prohibita in Bullis Pontificiis. ibid.
Materiæ paruitas quomodo dignoscatur in aliquo præcepto? 159.1
Materiæ paruitatem dari in omissione operis iniuncti alicuius indulgentiæ. 163.2

Materiæ paruitatem non dari in rebus venereis. 162.1
Materiæ plures paruæ quando conſtituunt vnam grauem, & quando non. 180.2.*& ſeq.*
Matrimonium *clandeſtinum quibus in caſibus poſſit ſine Parocho, & teſtibus celebrari?* 117.1
Moriens extra locum duelli ſepeliendus eſt extra locum duelli. *ibid.*
Matrimonium licet debeat cenſeri conſummatum, ſi ſolus vir intra vas naturale ſeminet. 415.2
Contrarium tamen eſt probabile. *ibid.*
Matrimonium nullum ratione conſenſus vnius reualidatur poſtea, ſi ipſe ſolus conſentiat. 432.2
Matrimonij Sacramentum poteſt in caſu licitè peti à Parocho excommunicato, denuntiato. 289.1
Matrimonium contrahere tempore interdicti eſt licitum. 336.2
Matrimonium fictè promittens, & ſub ea ſpe fœminam cognoſcens, tenetur illam in vxorem ducere. 460.1. *&* 2
Matrimonium nunquam licet Parocho celebrare ſine teſtibus, quicquid ſit de denuntiationibus. 117.2
Matrimonio durante etiam non conſummato, qui Ordines ſuſcipit ignoranter, incurrit ſuſpenſionem præter caſus à iure conceſſos: ad quam incurrendam requiritur præſumptio. 328.2
Matutinum *quando ſeparatur à Laudibus, in fine recitanda eſt Oratio diei.* 467.2

ME

Medicamenta *ſi ab obſtetricibus adhiberi poſſent fœminæ, etiam nobiles tenerentur illa ſufferre, & verenda illis oſtendere.* 132.1
Medicus *quomodo ſe gerere debeat erga moriturum in adminiſtratione medicamentorum.* 128.2.*& ſeq.*
Mendicans *oſtiatim, & ſimulans paupertatem, non tenetur ad reſtitutionem.* 235.2
in Mendacio *facto in confeßione, vel iudicio datur paruitas materiæ.* 171.2
Mentiris *quibus caſibus poſſit licitè dici contumelioſo.* 402.1
Merces *accipi poteſt pro conſilio morali, & quare?* 444.2
à Meretrice *licet petere interceßionem iudicis in cauſa iuſta apud ipſum iudicem.* 212.2

MI

Miles *certò ſciens bellum eſſe iniuſtum licitè poteſt ad ſe defendendum occidere alium alterius exercitus.* 139.2
Milites Diui Iacobi, Calatrauæ, &c. poßidentes beneficia Eccleſiaſtica non tenentur expendere reſiduum ex congrua ſuſtentatione in eleemoſynas. 240.1
Milites qui cenſeantur eſſe in articulo mortis, & abſolui debere vt moribundi. 101.2
Milites videntes ſe vinci, & triremes in hoſtium manus venturas nō licitè iniiciunt ignem pulueri, & ſeſe committunt mari. 144.1
Minimi *vouent obſeruare vitam quadrageſimalem toto tempore vitæ ſuæ.* 408.1
Miniſtri *Curiæ Epiſcoporum gaudent priuilegio fori in delictis extra officium commißis.* 1.2
Miniſtri laici non poſſunt prohibere ne miniſtri Curiæ Epiſcopalis viſitent domos meretricum, & quare? 16.2
Miniſtris laicalis iuriſdictionis quo ſenſu liceat auferre Clericis arma prohibita? 7.1
Miſſa *conuentualis applicari poteſt pro quocumque voluerit Prælatus.* 414.1.*& 2*
Miſſa poteſt celebrari ab Epiſcopo approbato in quocumque Oratorio tempore interdicti. 329.1
Miſſa ſine omittenda poſt inceptum Canonem ſi excommunicatus denuntiatus intret in Eccleſiam. 291.2
Miſſa vnica vnum meretur ſtipendium. 465.2
Miſſæ poſteriorem partem audiens ab vno Sacerdote, & poſtea priorem ab alio, an ſatisfaciat præcepto. 469. 1 *& 2*
Miſſæ ſtipendium in loco aliquo taxatum non poteſt Sacerdos, qui nihil habet vnde viuat, cùm exiguum accipit, deinde ad iuſti ſtipendij rationem Miſſas applicare. 414.2.*& ſeq.*
Miſſæ qui non adeſt tempore conſecrationis, an ſatisfaciat, ſi aliis adfuit. 418.1
Miſſæ ſatisfacere videtur, qui præſens eſt in conſecratione. *ibid.*
Cuius tamen contrarium oſtenditur. *ibid.*
Miſſam audiens ſimul tempore à duobus Sacerdotibus, initium ab vno, & ab alio finem ſine graui violatione poſſet dici ſatisfacere præcepto. 469.2
Miſſam defunctorum, & Officium ſibi applicare exiſtens adhuc in viuis, an ſit laudabile. 391.1
Miſſam vſque ad primam poſt meridiem liceátne dicere. 394.2
Miſſam integram non potens audire, quia ſerò venit, tenetur eam partem audire, quæ reſtat. 418.1
Miſſam poſt finitum Euangelium audiens non ſatisfacit præcepto. 477.2
Miſſam vnius Sacerdotis audiens à principio vſque ad cõſecrationem, & alterius vſque ad finem, ſatisfacit præcepto. 469.1.*& 2*
in Miſſa audienda datur paruitas materiæ. 177.2.*& ſeq.*
in Miſſa priuata poteſt Sacerdos, vbi magna Hoſtia haberi non poßit, cum particula celebrare. 429.2
in Miſſa quare grauius eſt omittere vnum verbum in Canone, quàm quatuor extrà. 171.1
Miſſæ tot ſunt dicendæ, quot ſunt eleemoſynæ, non fructus medius, & ſpecialis applicandus. 465.2
Miſſas de Sanctis, & pro remißione peccatorum poßunt viui curare ſibi applicari ad vitandam hæredum negligentiam. 390.2.*& ſeq.*

MO

Moderamen *inculpatæ tutelæ quando ſeruatur, & quãdo non?* 22.1
Moderamen inculpatæ tutelæ quicumque excedit, tenetur ad reſtitutionem. 150.2
Modus *præſcriptus à Chriſto,* Matthæi 18. *continet tantùm ordinem, qui in correctione facienda obſeruari debet.* 410.1
Monachum *initiatum prima tonſura, qui percutit, quare incurret in duas excommunicationes?* 277.1
Monachi Benedictini incurrunt ſuſpenſionem ſi nõ vtantur habitu præſcripto in Clement. 1. *ſi habeantur ea, quæ neceſſaria ſunt ad hanc incurrendam.* 324.1
Monachi poſſunt extra caſum neceſſitatis ſine mortali, aliquando etiam ſine veniali peccato baptizare. 417.1

ad Monasteria *Monialium Regularibus subiecta ligentúrne excommunicatione accedentes, si statutum Episcopi inferat censuras contra.* 282.1
Monialis *in marem erumpens non est obliganda ad intrandum Religionem virorum.* 467.2
Monialis super tegulas Monasterij non fregit clausuram. 433.1
Monialis ægritudo si sit talis grauitatis, vt iudicio Medicorum credatur moritura, si non exeat monasterio, poterit tutò exire. 131.2
Moniales tempore Iubilæi possunt eligere quoscumque Confessarios ab Ordinario approbatos. 366.2
Monitio *canonica ad omnem omninò censuram, quæ non ipso facto, sed à iudice actualiter infligenda est, necessariò requiritur.* 256.1
Monitio non est necessariò requirenda in ferenda censura. 255.1.*& seq.*
Monitio quælibet ex tribus necessariis ad incursionem censuræ aliquo dierum interuallo fieri debet. 256.2
Monitio trina, aut vna pro tribus, quando debeat omitti in ferenda censura? *ibid.*
Debet fieri coram personis idoneis; & in propria persona ligandi. 257.1
Moribundus *habens crimina reseruata Prælato non tenetur in articulo mortis ipsum adire potiùs, quàm Sacerdotem subditum.* 103.1
Moribundus in loco, vbi non potest condere testamentum, & velit aliquid relinquere Ecclesiæ, valet legatum, si relinquat scripturam manu propria subscriptam. 123.2
Moribundus nolens hæredem instituere fratrem, sed extraneum, non peccat, & ideò absoluendus. 122.1
Moribundus nolens recipere extremam Vnctionem, secluso scandalo, vel contemptu, non peccat fortè mortaliter. 116.2
Moribundus potest quando alius non adest, petere à Sacerdote excommunicato, hæretico, &c. absolutionem, etsi sciat illos cum peccato Sacramentum administraturos. 100.1
Moribundus, qui antequàm inciderit in amentiam postulauit Baptismum, baptizandus est. 83.1
Moribundus si incepit testari, & non potuit perficere, validum est testamentum quoad relicta pia. 127.1
Moribundus si vxori, filio, vel alteri electionem sepulturæ suæ commiserit, an talis electio eo viuente fieri debeat. 120.1
Moribundo in articulo mortis non potenti Hostiam deglutire ministrandum est Sacramentum sub specie sanguinis. 89.2
Moribundo liceátne aliquid in testamento relinquere filio spurio? 124.2.*& seq.*
Moribundo non est adhibendus Baptismus in aqua rosacea, vel alia ex herbis expressa, deficiente aqua naturali. 73.1.*& seq.*
Moribundo potest adhiberi Baptismus in dubio si aqua sit naturalis, in iure carnium, & similibus. *ibid.*
Moribundum absolui posse non finita confessione in aliquibus casibus qui dicant, & qui contrarium. 107.2.*& seq.*
Morientes *in peccato mortali notorio, & manifesto, priuantur sepultura Ecclesiastica.* 117.2
Moriturus *potest in suo testamento committere etiam fratribus minoribus nominationem executorum sui testamenti.* 127.2
Morituro non licet respicere medicamenta, dum adest spes salutis. 130.2
Mortis *periculum quando censendum est imminere.* 89.1
Morti euidenti non licet alicui se exponere pro defensione honoris. 145.2
Mortem minantem non licet occidere. 137.2
Mortem quis posset desiderare, vt à magno malo temporali liberetur. 486.2

M V

Mulier *satisfaciátne suæ obligationi, si viro exigenti præstet quidem suum corpus, animum tamen ad alia conuertat, ita vt non excitetur natura.* 462.1.*& 2*
Mulier scienter contrahens matrimonium cum excommunicato potest cum illo communicare. 303.2.*& seq.*
Et post matrimonium denuntiato. *ibid.*
Mulier si sciat se concupiscendam ab aliquo tenetur nihilominùs audire Sacrum. 213.2
cum Muliere tota nocte dormiens an teneatur in cõfessione explicare hanc circumstantiam, vel an sufficiat numerum copularum confiteri? 446.1.*& 2*
Musca *intrans in os an impediat communionem?* 165.2
in Mutatione *Officij pro Officio datur paruitas materiæ.* 171.1
Mutilare *se aliquando licet.* 146.2
Mutus, *& qui lingua caret, aut non potest se explicare, irregularis est, ne promoueri possit.* 193.2
Mutus, & surdus à natiuitate non possunt testari. *ibid.*
Mutus, & surdus possunt esse executores testamenti. 196.1
Mutus, & surdus quo casu possint puniri pro delicto perpetrato, & quo non. 197.1
Mutus non potest esse curator, & quare? 198.1
Mutus qui non caret intellectu, non repellitur à testificando in ciuilibus, secus in criminalibus. 197.1
Mutus, si alij non inuenirentur, non potest in articulo mortis baptizare infantem, illum abluendo, si alter manibus carens proferat verba formæ. 187.1
Mutus si sciat scribere non tenetur confiteri per scripturam, vt integram faciat confessionem. 188.1
Mutus si scripto consulat, & legis peritiam habeat, non peccat. 196.1
Mutus, surdus, & cæcus an possint in feudo succedere? 193.2
Mutus, surdus, & cæcus possíntne esse fideiussores? 196.2
Mutus, surdus, & cæcus sunt immunes à muneribus publicis. 197.2
Mutus, surdus, & cæcus vt personæ miserabiles possunt forum declinare. 196.2
Mutus, surdus, & simul cæcus possíntne inire matrimonium? 190.2.*& seq.*
Mutus tantùm, vel surdus tantùm, non prohibetur ferre testimonium super re cadente in sensum, in quo non est impeditus. 197.1
Mutus tenetur confiteri per nutus, & signa. 187.2
Mutum, & surdum non posse testari tribus mollis limitatur. 187.2
Muti, surdi, & cæci tenentur Missam audire, quia à præcepto minimè excusantur. 190.1

Mutuum *quando poteſt honeſtè peti ab vſurario.* 204.2
Mutuum an liceat ab vſurario ad vſuras expreßè quærere? *ibid.*
Mutui petitio eſt tantùm peccatum veniale. *ibid.*

NA

in NAufragio *bello,& peſte,cùm vitæ periculum imminet, dictis aliquibus peccatis poſſunt omnes ſimul abſolui.* 105.2
Imò ſi non poſſent aliquod in particulari dicere, ſufficeret cum aliquo ſigno ſignificare ſe peccaſſe. *ibid.*
in Naufragio qui priùs tabulam occupauit, non tenetur alterum admittere,niſi vtrique ſufficiat. 150.1
in Naufragio,vel alio caſu ob periculum mortis poſſet quis ſimul plures baptizare. 85.1

NE

Neceſſaria *ſunt in triplici ſtatu.* 224.1
Neceſſitas *dandi Viaticum moribundo ſufficit vt Sacerdos,ſi non habeat copiam Confeſſarij,celebret ſine confeßione.* 90.2
Neceßitas extrema an cenſeatur illa, in quam quis incidit ex alieno delicto. 228.1
Neceßitas extrema, quæ ſit dicenda, in qua quis tenetur cum vitæ propriæ diſcrimine,prouidere alienæ? 401.1
Neceßitas imponendi gabellas inconſulto Pontifice poteſt contingere in exactione, quæ ad vnum actum, vel ad breue tempus fit. 24.1
Neceßitas quæ cogit à ſtatu cadere, poteſt contingere, vt non ſit ſolùm grauis,ſed extrema. 224.1
in Neceßitate extrema conſtitutus,ſi rem aliquam acceperit,teneatúrne poſtea reſtituere, ſi poteſt. 228.2
Negotiari *quis dicatur.* 36.1
Negotiatio omnis lucratiua non eſt prohibita Clericis. *ibid.*
Nepotes,*pronepotes, nurus, gener,ſocer, &c. comprehenduntur ſub nomine filiorum,ita vt poßint cum excommunicato communicare.* 302.2

NI

Nix *ſi reſoluatur in applicatione an ſit ſufficiens materia ſacramenti Baptiſmi.* 75.2

NO

Notabilia *aliqua contra debitores moroſos.* 429.1
Notabilia quædam de Cardinalibus ex ſacra Rotæ deciſionibus collecta. 61.1
Notarius *Epiſcopi quas licentias debet gratis dare, & quas non,& quibus?* 422.2.*& ſeq.*
Nouitiatus *annus debet eſſe continuus, & quare?* 168.1
In eius continuatione an detur paruitas materiæ. *ibid.*
Nouitiatus annus eo ipſo interrumpitur, quo quis dimiſſo Religionis habitu egreditur, etſi paulò poſt mediam diem pœniteat. *ibid.*
Nouitiatus quo ſenſu interrumpatur per exitum nouitij, & quo non? *ibid.*
Nouitij *morientes poſſunt eligere ſibi ſepulturam.* 121.1
Nouitij Ordinum Militarium,D.Iacobi, Calatrauæ, &c. ſicut & Regularium Nouitij gaudent priuilegio fori. 26.1

NV

Nummos *pauperis volenti ſurripere non licet conſulere vt à diuite ſurripiat, determinando etiam perſonam.* 211.2

OB

OBligatio *reſtitutionis ex quánam negligentia non adhibita in caſibus homicidij caſualis oriatur?* 151.2
Obligatio reſtitutionis non oritur inter Nobiles. 158.1
Obligatio reſtitutionis non ſemper oritur ex occiſione in duello. 153.1
Obſides *licet occidere,quando aduerſarij non ſtant promiſſis.* 148.1

OC

Occidens *inuaſorem ſuarum rerum, etiamſi eas iudicialiter poſteà poſſet recuperare, non peccat contra iuſtitiam, nec tenetur ad reſtitutionem.* 151.1
Occidere *aliquem licet in foro conſcientiæ pro defenſione honoris.* 137.1.*& ſeq.*
Occidere licet inuaſorem ad tuendum honorem ſi hoc opus ſit. *ibid.*
Occidere licet inuaſorem pro defendendis bonis propriis. 140.1
Occidere ſeipſum etſi directè non liceat, licitum tamen eſt, ſi adſit iuſta cauſa. 146.1
Et multis caſibus hoc explicari poteſt. *ibid.*
Occiſor *ſolùm videtur obligari parentibus occiſi filiis, & vxori.* 157.2
Occiſus *ſi omnia interfectori remittat,an debeat filio fieri adhuc reſtitutio?* *ibid.*
Oculo *vno carens eſt irregularis.* 193.2
Et quid ſi careat vſu ſiniſtri? *ibid.*

OF

Offenſionem *in Cardinalem,cùm poſſit,non impediens, incurrit in excommunicationem.* 68.2
Officia *diuina quando celebrantur tempore interdicti ex priuilegio per feſta Paſchatum non intelliguntur tantùm primi dies.* 329.2
Quæ feſta accipienda ſunt à primis Veſperis. *ibid.*
Officialis *delinquens in Officij ſui exercitio non ſortitur forum ratione loci, in quo reperitur, ſed ratione Officij.* 2.1
Et tunc vt Officialis, vt non vaſallus conſiderari debet. *ibid.*
Officiales ſcrinarij gaudent priuilegio, vt familiares ſacri Palatij. *ibid.*
Officiales ſunt verè familiares gaudentij priuilegio fori in criminalibus, & ciuilibus abſque limitatione. *ibid.*
Officiales gaudere priuilegio fori, cuius ſunt Officiales,ex iure ciuili probatur. *ibid.*

OP

Opus *aliquod conſulens, cui annexa eſt cenſura, hanc non incurrit, licet ex conſilio fiat opus, niſi cenſura etiam*

etiam extendatur ad consulentes. 275.1
Opus requisitum facientes lucrantur aequivalenter indulgentiam. 369.1
Operis pars minima si omittatur, consequitur quis indulgentiam. 371.1
Opera iniuncta adimplens intra duas hebdomadas, lucratur Iubilæum. ibid.
Opera præscripta in Iubilæo ex malitia omittens potest illud vltimo die lucrari, & dicta opera à Confessario commutari. 372.1
in Operibus forensibus, & iudicialibus iure prohibitis vnde sumenda materiæ grauitas? 163.1

OR

Orare *licet, & sacrificia offerre pro excommunicatis toleratis.* 283.1
Orationem *mentalem sufficit fundere in Ecclesiis pro lucrando Iubilæo, nisi Bulla aliud expresserit.* 379.2
Orationes solitæ dici in Officio defunctorum pro animabus Purgatorij, dum tamen esset in peccato mortali, prosunt illis. 481.1
Oratorium *in domo sua visitans pro Missa celebranda approbatum, lucratur indulgentiam Bullæ Cruciatæ cum onere visitandi Ecclesias, & Altaria; & quid nomine Ecclesiæ hîc intelligatur.* 379.1
Oratorium, vt quis in eo possit celebrare tẽpore interdicti, approbari debet ab Ordinario. 335.1
Quod tenetur approbare supposita decentia loci ad arbitrium boni viri. ibid.
Ordinandis *non licet præmonere examinatores de punctis examinandis, nisi fortè idoneis, qui ex verecundia aliqua, vel timore in examine turbarentur.* 485.2
Ordinatus *ante legitimam ætatem, aut extra tempora non solùm cum ignorantia inuincibili, sed etiam crassa non incurret suspensionem.* 320.1
Cum dolo etiam ordinatus, si postea facta pœnitentia celebret, credens hoc sibi licere, non incurrit irregularitatem. ibid.2
Ordinatus ipso nesciente per munera non incurrit suspensionem, si postea ratum hoc habeat. 328.1
Ordinatus non seruatis temporum interstitiis non incurrit suspensionem. 323.1
Ordinatus per saltum est tantùm suspensus ab eo Ordine, quem sic suscepit. 319.1
Ordinatus per saltum non incurrit ipso facto irregularitatem. ibid.
Ordinatus sine titulo cum sola fideiussione alimentorum non est suspensus. 325.1
cum Ordinato per saltum potest Episcopus dispensare. 319. 1. & 2
Ordinati cum dimissoriis Capituli Sedis vacantis infra annum incidunt in suspensionem. 324.2
Ordo *Sacerdotalis, & Episcopalis debet reiterari in casu quo esset opinio probabilis contra receptionem eius, etiamsi tam probabilis sit opinio Ordinem verè fuisse receptum: secus est de inferioribus Ordinibus, & quare?* 474.2
Ordinis Sacramentum quo casu licitè possit peti ab Episcopo excommunicato, denuntiato, &c. 289.1
Ordinem fuisse verè susceptum supponitur, si opinio de validitate eius sit probabilis, sin minùs iterari debet, præsertim si sit Sacerdotalis, vel Episcopalis. 412.1
Aliud est de inferioribus. ibid.2
Ordines duos maiores suscipiens eadem die incurrit suspensionem secundùm communem. 321.2
Ordines maiores, & minores quibus diebus conferri possint? 437.1
Ordines minores recipiens ante legitimam ætatem extra tempora, vel sine literis dimissoriis non incidit in suspensionem latam in Bulla Pij II. 319.2
in Ordinibus per saltum susceptis ministrans Apostolicæ indiget dispensatione. 319.1
Ordinibus sacris initiatus mortaliter peccat, si tonsuram non deferat: secus si sit in Ordinibus minoribus. 184.1
Ordinibus sacris initiati extra tempora, ante legitimam ætatem, vel sine literis dimissoriis suspenduntur ab Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur, & si ante obtentam licentiam ab Episcopo ministrent, fiunt irregulares. 319.2
Ordines recipiens cum patrimonio ficto non incurrit in suspensionem. 326.1
Ordines recipiens simoniacè, sed bona fide, & ignoranter, non incurrit suspensionem. 328.1
Ordines suscipiens ab Episcopo excommunicato vitando ignoranter non incurrit suspensionem. 323.1
Ordines suscipiens durante matrimonio incurrit suspensionem extra casus à iure concessos. 328.2

PA

PApa *quare quicquid priuilegij facit Principi laico sit reuocabile, & non è contrà.* 23.1
Papa speciale Cardinalium caput, & ipsi illius membra specialia respectu aliorum. 38.1
Papyrum *inuentens, in qua sunt peccata alicuius scripta, tenetur ad sigillum.* 352.1
Parentes *possunt aliquando iustis de causis in testamento vni filio, vel filiæ minus relinquere, alteri maius.* 128.1
Parochus *adhuc habens beneficium Curati non est eligibilis per Iubilæum in Confessarium in sua Diœcesi, sed & vbique terrarum.* 380.2. & seq.
Parochus, aut alius Sacerdos, qui ausus fuerit matrimonialiter coniungere alienos Parochianos absque licentia Parochi proprij ipso iure suspensus manet, donec ab Ordinario Parochi absoluatur. 320.2
Parochus excommunicatus non toleratus non tantùm validè, sed etiam licitè assistit matrimonio. 286.2
Parochus excommunicatus non toleratus validè assistit matrimonio. ibid.1.
Parochus excommunicatus non toleratus validè licentiam confert Sacerdoti, vt assistat matrimonio. ibid.2
Et non solùm validè, sed etiam licitè. 287.1
Parochus non tenetur in articulo mortis tempore pestis Eucharistiam infirmis ministrare. 97.1. & 2
Parochus Panormitanus potest exponere ad confessiones audiendas Sacerdotem Messanensem, approbatum ab Archiepiscopo illius loci. 381.2
Parochus potest præbere licentiam suis subditis confitendi Sacerdoti approbato ab Episcopo alterius Diœcesis, seclusâ tamen prohibitione. ibid.

Parochus priuatus Officio, aut renuntians beneficio non est eligibilis in Confessarium per Iubilæum. 380.2
Parochus prohibitus ab Episcopo assistere matrimonio, si tamen id efficiat, licet peccet, valide tamen efficiet. 286.2
Parochus, seu alius Confessarius, qui potest ab excommunicatione à iure lata, & non reseruata, potest etiam ab excommunicatione lata generaliter ab homine absoluere, quando etiam non est reseruata. 247.2
in Paschate *non communicans non tenetur in initio sequentis anni Eucharistiam sumere.* 391.2
in Paschate qui cõfiteri tenetur, aut sumere Eucharistiam ratione scandali, & tamen est innodatus excommunicatione propter hæresim, quid debeat facere? 396.1
in Paschate Resurrectionis, & Pentecostes dies illi festiui pertinent ad ea mysteria, sicut & Natiuitatis. 329.2
Pastor *excommunicatus toleratus posítne celebrare, vt subditi audiant Sacrum?* 288.2
Pastor quo casu non teneatur audire integram confessionem pœnitentis pestiferi. 107.2. *& seq.*
Pater *baptizans, etiam ex malitia, & tenens filium proprium in periculo mortis, non impeditur à petendo debito ex vxore.* 84.1
Pater moriturus tenetur exhibere alimenta filio spurio secundùm dignitatem status. 128.2
Pater potest communicare cum filio, & seruo excommunicatis; & si non procuret vt filius resipiscat, peccabit tantùm contra præceptum naturale. 303.1
Pater potest in testamento relinquere filio spurio vltra alimenta aliam pecuniarum summam. 128.2
Pater potest in vita sepulturam pro filio minori eligere, non autem post mortem. 120.2
ob Patrimonium *fictum non initiatus nõ incurrit aliam suspensionem latam contra eos, qui absque Reuerendis proprij Episcopi initiantur.* 327.2
Et quid de eo, qui patrimonio, aut donationi factæ renuntiauit, antequam dimissorias reciperet? 328.1
Patrimonium renuntians post susceptum Ordinem non videtur incurrere suspensionem. 328.2
in Patrimonio necessario ad sumendos Ordines sacros datur paruitas materiæ. 168.2
Patrinus *quando quis efficitur?* 76.2
Patrini, vel susceptoris munus non subitur propriè nisi Baptismus sit solemnis. 77.1
Pauper *fictus an peccet mortaliter petendo eleemosynam; & quando datur ipsi sub conditione saltem tacita quòd sit pauper, an teneatur ad restitutionem?* 236.1
Pauper in graui necessitate existens potest furari. *ibid.*
Pauper mendicans causa otiositatis, etiamsi sit validus corpore, peccétne mortaliter. 235.2
Pauper potest in extrema necessitate occultè, aut vi accipere à diuite, quæ diues in eo articulo tenetur erogare. 236.1
Pauper stans ad ostium diuitis, & dicens pauperi accedenti eleemosynam esse datam, non tenetur ad restitutionem. 235.2
Pauperes in extrema necessitate constituti possunt contra diuites implorare officium iudicis. 226.1
Pauperes ostiatim mendicantes non tenentur eleemosynam dare, lucrantur tamen Iubilæum. 374.2
Pauperes peregrini ob certas causas à ciuitate aliquando excludendi. 243.2
Pauperes, qui non possunt ad lucrandas indulgentias largiri eleemosynas, egeántne commutatione in aliud opus pium? 368.1
Pauperum indigentia est triplex. 224.1

PE

Peccanti *cum fœmina quo sensu sufficiat de hoc se accusare, non dicendo se illam inuitasse, & quo non?* 392.2
Peccantes coram aliis excusantur aliquando à peccato scandali. 200.2
Peccatum *mortale an sit in succurrendo parentibus, & aliis coniunctis inuertere Ordinem.* 487.1
Peccatum *mortale interdum est, & interdum veniale agere contra conscientiam erroneam.* 172.2
Peccatum mortale interueniens in receptione pœnitentiæ annullat Sacramentum. 287.2
Peccatum mortale si nullum interueniat ex parte excommunicati, tunc valida erit pœnitentia, & habebit effectum suum gratiæ. *ibid.*
Peccati mortalis recordatus in scamno communicantium posítne absque præuia confessione communicare? 445.1
Peccati mortalis status non est obex remissioni pœnæ temporalis faciendæ media pœnitentia sacramentali. 407.2
Peccatum complicis absque sui licentia reuelare, etiam cum licentia pœnitentis, est contra sigillum confessionis. 350.2. *& seq.*
Peccatum graue dicens se audiuisse in Monasterio, licet non nominet pœnitentem, frangit sigillum. 354.1
ad Peccatum mortale circa prohibitionem celebrandi post meridiem requiritur spatium trium quadrantium, vel etiam horæ. 183.1
Peccatum se commisisse qui magis probabiliter iudicat, & non confessum fuisse, tenetur illud confiteri: secus si tam probabilis, vel probabilior de contrario sit opinio. 497.1
in Peccato mortali existens quo casu teneatur prouidere alienæ saluti cum discrimine propriæ, & quo non. 400.2
Et discrimen hoc est duplex. *ibid.*
Peccata reseruata habens, & ratione scandali confitens, potest in absentia Sacerdotis iurisdictionem habentis illa reticere, & alia peccata confiteri. 396.1. *& 2*
Peccata alicuius audiens casu tenetur sub sigillo ea non manifestare. 347.2
Peccata manifestata à Confessario tenetur tertius, cui reuelata sunt sub sigillo celare. 343.1
Peccata reseruata habens absente Confessario in illa iurisdictionem habente, tenetur confiteri venialia. 395.2
Peccatorum circumstantiæ in confessione explicandæ, vel non explicandæ. 470.1. *& seqq.*
Pecunia *potest offerri Sacerdoti nolenti moribundum infantem baptizare sine pretio.* 208.2
Pecuniæ oblatio pro Sacramentorum administratione in quibusdam casibus licita. *ibid. & seqq.*
Pecuniam mutuam petendo ab vsurario parato non est peccatum mortale. 204.2

Pecunias apud vſurarium deponens quo ſenſu teneatur reſtituere, & quo non? 206.2
Pedagia petentes à Clericis, aut exigi iubentes incurrunt cenſuras Bullæ Cœnæ. 37.1
Penſionarij, ſi penſio eſt Eccleſiaſtica, tenentur elargiri eleemoſynas; ſecus ſi ſit laicalis. 239.2
in Percuſſione Clerici datur paruitas materiæ ad excuſandum excommunicationem, licet fuerit facta interiùs prauo animo, & moraliter peccaminoſo. 185.1
Percutiens aliquem non incurrit cenſuram latam contra homicidium, donec ſequatur mors. 274.2
Peregrini morientes ſine electione ſepulturæ vbinam ſepeliendi? 122.1
Perſona quæ cadat ſub ſigillum? 351.1
Perſonarum numerus, quas quis malo ſuo exemplo ſcandalizauit, in confeßione eſt explicandus. 200.2
Perſonas Cardinalium offendentes gaudeántne immunitate Eccleſiæ? 67.2
Mandantes offendi, etiamſi effectus non ſequatur, incidunt tamen in excommunicationem; & priuantur immunitate Eccleſiæ. 68.1
Perſuadere alicui vt iuret obiectum quidem verum, ſed quod ille ignorat, quo ſenſu liceat, & quo non? 206.1
Petrus duas claues accepit, & quid per vtramque ſignificetur? 43.1
Petrus ſi per famulum, vel ſicarium ſtatuat Paulum occidere, licitum eſt Paulo præuenire, & occidere Petrum ſi non ſit alia ſpes euadendi. 135.2
Petrum licet inducere ad iurandum in re aliqua, quam ipſe ex ignorantia veram eſſe putat, licet ſit falſa. 207.2

PH

Pharmacum tendens directè ad fœtus nondum animati iectionem, an liceat præbere, etiam quando poteſt ſuccurri aliter matri. 486.1.§. Verum his.

PI

Pileo pallido Iudæorum, vel Tobaliis Turcarum liceátne vti ad vitandam mortem. 219.2

PO

Pœna priuationis vocis ſi in iure, vel Bulla inferatur, de voce actiua tantùm debet intelligi. 433.2
Pœnæ excommunicationis non incurruntur, niſi ſententia in re ſit valida. 261.2
Pœnitens an ſatisfaciat pœnitentiæ ſibi à Confeſſario impoſitæ, audiendi ſcilicet duas Miſſas ſi has ſimul tempore à duobus Sacerdotibus audiat? 469.2
Pœnitens audiens ex vno loco duas Miſſas ſatisfacit pœnitentiæ ſibi impoſitæ, audiendi ſcilicet duas Miſſas, niſi Confeſſarius aliud ſtatuerit. 478.1
Pœnitens, cui iuſtè fuit dilata abſolutio poſt tempus à Bulla Iubilæi definitum, ſi incidat in noua reſeruata, & noua vota emittat, poterit à Confeſſario abſolui, & commutationem voti impetrare. 372.2
Pœnitens debet proximo commodo pœnitentiam adimplere, quomodocumque determinato tempore non adimpleuerit. 407.1
Pœnitens in variis caſibus interdum tenetur confiteri aliqua peccata, tacendo alia mortalia, valida nihilominus erit, & vtilis confeßio. 470.1
Pœnitens non tenetur ſub ſigillo non manifeſtare pœnitentiam impoſitam à Confeſſario. 343.1
Pœnitens propria authoritate poteſt pœnitentiam ſibi iniunctam commutare in opus euidenter melius. 478.2
Pœnitens quando tenetur deferre occaſionem peccandi, etſi poßit ſemel, aut iterum abſolui cum ſpe expellendi, verbi gratiá, concubinam, rarò tamen abſolui debet, donec eam expellat. 494.2
Pœnitens, qui per Confeſſarium vigore literarum alicuius diſpenſationis habuit pœnitentiam, vt ſingulis menſibus confiteatur, non tenetur confeßionem ſequenti menſe implere. 460.1
Pœnitens quo caſu excuſetur ab integritate confeßionis? 107.2.& ſeq.
Pœnitens quo caſu poßit ea tantùm peccata confiteri, quæ cum minori infamia explicari poſſunt? 106.2
Pœnitens ſi accedat ad confeßionem ſine attentione, vel propoſito emendæ, teneatúrne Confeſſarius ad ſigillum? 351.2
Pœnitens ſi eodem die poſt pollutionem voluntariam confiteatur, faciátne contra Concilium ſumendo Euchariſtiam 420.1
Pœnitens ſi inualidè confeſſus eſt Sacerdoti ſimplici, quid faciendum? 104.1
Pœnitens ſi laico confiteatur, exiſtimans poſſe ſe abſolui in abſentia Sacerdotis, laicus tenetur peccata audita celare ſub ſigillo. 346.1
Pœnitens ſi tempore Iubilæi petat commutationem votorum à Confeſſario electo, & hac facta, alteri confitetur, commutatio valet. 382.2
Pœnitentis licentia quæcumque non ſufficit, vt poßit Confeſſarius reuelare confeßionem, ſed requiritur formalis. 344.2
Libera item, & ſpontanea. ibid.
Pœnitenti non ſufficit dicere quòd anno integro omiſerit diuinum Officium, vel non reſtituerit; ſed numerum peccatorum oportet declarare. 470.1
Pœnitentem cùm quis inaduertenter non abſoluit, quid faciendum? 416.2
Pœnitentia, & Baptiſmus recedente fictione conferunt gratiam. 404.2
Pœnitentia non eſt differenda, quando quis eſt in peccato mortali, ſi offertur confitendi occaſio. 445.1
Pœnitentia quæ iniungenda eſt à Confeſſario ei, qui hominem necaſſet. 150.1
Pœnitentiæ ſacramentum miniſtratum à Sacerdote interdicto non eſt nullum. 330.1
Pœnitentiam habens ſingulis diebus Miſſam audiendi per menſem, non tenetur duas audire diebus feſtiuis. 473.1
in Pœnitentia dilata quando datur paruitas materiæ? 166.1.& 2.
Pollutionis nocturnæ cauſas an ſufficiat confiteri, & non ipſam. 392.1
Pontifex per nullum contractum poteſt abdicare à ſe poteſtatem ſupremam ad liberè diſponendum de omnibus, quæ faciunt ad gubernationem Eccleſiæ. 23.2
Pontifex poteſt abſoluere ab excõmunicatione aliter, quàm per verba, & ſcriptum. 262.2
Pontifex poteſt concedere facultatem teſtandi Cardinalibus in quoslibet vſus honeſtos. 58.1

Pontifex quo ſenſu excommunicet commodantes arma duellare volentibus,& quo non? 490.2
Pontifex Summus etſi nolit ſua reſcripta, ſi veritati non innitantur, executioni mandari, non ſequitur tamen illa poſſe à laicis examinari. 20.1
Pontifex Summus licet poſsit ardua Eccleſiæ negotia ſine Cardinalium conſilio definire, conueniens tamen eſt vt eorum conſilia in talibus adhibeat. 43.1
Pontifex Summus potuit Clericos propria authoritate à ſubiectione temporalium Principum eximere. 28.2
Pontifex Summus tenetur Cardinalibus egentibus ſubuenire. 52.1
Pontifex Summus tenetur ſuperflua ex ſuis redditibus elargiri in eleemoſynas,& quare? 239.2
Pontificis conſenſus eſt requirendus,quando neceſsitas, vel vtilitas æquè principaliter concernit Clericos,ac laicos. 16.2
Secus ſi periculum ſit in mora. 17.1
Pontifices quare ſoleant concedere reſcripta Clericis, vt in quacumque cauſa, agendo etiam contra laicos,ad forum Eccleſiæ illos venire compellant. 11.2
Pontifices volentes ſuis cenſuris comprehendere etiam mãdantes expreſsis verbis illud declarant. 275.1
Portorium *quid dicatur?* 36.2
Poteſtas *delegata diſpenſandi in votis,illaque commutandi,ad quæ extendatur?* 385.2
Poteſtas ferendi cenſuras poteſt conſuetudine acquiri; & an præſcriptione? 269.1
Poteſtas recognoſcendi, & examinandi literas Apoſtolicas eſt purè,& merè Eccleſiaſtica ex ipſo obiecto. 18.2
Et in quos cadat? 19.1
Et ſicut laici, etiam Principes non poſſunt ſe intromittere iudicandis rebus aliis Eccleſiaſticis, ſic nec in recognoſcendis. ibid.
Poteſtas ſpiritalis Epiſcoporum vindicandi omnem fidelium inobedientiam eſt à Deo. 2.2.& 3.1
Poteſtas vlciſcendi,ſeu puniendi eſt coactiua. 2.2
Potio in Hiſpania dicta Chocolate *frangit ieiunium,niſi excuſetur ob paruitatem materiæ.* 164.2

PR

Præceptum *dilectionis Dei quando obliget?* 492.1. & ſeqq.
Præceptum eſt dandi eleemoſynam iis qui voluntariè pauperes fiunt,vt Religioſi. 233.2
Præceptum ſpei quomodo debeat impleri? 494.1
Cui ſatisfieri poteſt ſi quis ob motiuum charitatis ſperaret. ibid.
Præceptum ſub mortali impoſitum in materia leui obligat ſaltem ſub veniali. 179.2
Præcepto an ſatisfacit qui in extrema neceſsitate ſubuenit pauperi mutuando. 226.2
in Præcepto non addendi,vel diminuendi aliquid ex officio Canonico datur paruitas materiæ. 184.2
in Præcepto Pij V. non addendo aliquid in Miſſa præter præſcripta datur paruitas materiæ. ibid.
Præcepta duo quando occurrunt,maius præponderat. 88.1
Præcepta & mandata Epiſcoporum ſub pœna excommunicationis obligéntne ſemper ad peccatum mortale. 257.2
Præcepta quando, & quæ prætereunda ſunt propter ſcandalum vitandum. 213.1
Prægnantes *omnes eſſe in periculo mortis,dum ſunt tam parituræ, probabile eſt: eaſq; teneri ad ſua expianda crimina.* 102.1.& ſeq.
Prægnantes quando cenſendæ ſunt eſſe in articulo mortis: & quo caſu poſsint à ſimplici Sacerdote abſolui? ibid.
Prælatus *Regularis an ſit per Iubilæum eligibilis in Confeſſarium abſque Ordinarij approbatione, variæ ſunt ſententiæ.* 382.2.& ſeq.
Prælatus remouendo ab officio ſubditum ob peccatum in confeſsione auditum, facit contra vtilitatem communitatis. 341.2
Prælati fratrum Minorum excommunicantes ſubditos in communitate, vel Capitulo non tenentur ferre cenſuras in ſcriptis; & ſi per viam ſtatuti generalis ferant ſine ſcripto,incurrent in ſuſpenſionem. 282.2
Prælati inferiores Summo Pontifice non aliter abſoluunt ab excommunicatione, quàm per verba, aut ſcriptum. 262.2
Prælati Regulares non poſſunt diſpenſare cum infami notato infamia iuris legitimè condemnato ob crimen ſaltem neſandum. 486.2
Prælati Regulares non poſſunt ferre cenſuras ſine ſcripto per modum ſtatuti, ſecus per modum ſententiæ particularis. 282.2
Prælati Regularium tenentur in excommunicatione præmittere ordinem monitionum. 257.1
Prælatis Eccleſiæ quo tempore magis expediat ſuadere, quàm cogere? 484.2
Prælatis Eccleſiaſticis ſuaſio,& manſuetudo abſolutè magis conuenit,quàm vis,& coactio. 3.1
Præſentatio *facta à patrono laico excommunicato non tolerato eſt valida,& quid ſi fieret à laico ſic,vt teneatur Epiſcopus eam admittere?* 297.2
Pragmatica *prohibens laicis prorogationem iuriſdictionis alienæ nulla eſt, & tamquam Eccleſiaſticæ libertati contraria: illamque ſtatuentes excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrunt.* 13.1.& ſeq.
Preces *quales debeant eſſe ad lucrandum Iubilæum, & qualis intentio ſufficiat?* 374.2
Princeps *Chriſtianus ſi non obſtante hac reſeruatione Pontificia apponeret aliquod impedimentum dirimens matrimonium, an factum teneret?* 25.1
Principi laico non licet Epiſcopum tranſmittere ad Summum Pontificem pro animaduerſione. 8.1
Principem inuaſorem non licet occidere, ex cuius morte ſequeretur notabile Reipublicæ damnum. 133.2
Principes laici non poſſunt imponere pœnas ne matrimonia contrahantur inter conſanguineos, & illas exigere, impetrata etiam à Summo Pontifice diſpenſatione. 25.2
Principes laici poſsintne authoritate propria ſtatuere ne ad beneficia aſſumantur aduenæ? 9.2
Principes laici quare non poſsint circa iuramentum diſponere. 13.1
Principes ſeculares non poſſunt ex vi ſuæ iuriſdictionis ſtatuere impedimenta dirimentia matrimonium, & quare? 24.2
Principes ſumentes Epiſcopos vt præſentent Summo Pontifici,in certis caſibus, incidunt in cenſuras Bullæ Cœnæ. 8.1

Principibus ſecularibus in Trid. interdicitur, ne matrimonij libertatem directè, vel indirectè impediant. 25.2
Priuilegium *Clericale ſicut nulla conſuetudine diminui poteſt, ſic nec vlla præſcriptione immemoriali.* 31.2
Priuilegia Epiſcopis conceſſa extenduntur ferè ad Cardinales. 56.1
Priuilegia ſemel conceſſa Eccleſiis, aut perſonis non ſubditis non poſſunt ampliùs reuocari; & quare? 23.2
Profeſſio *poteſt dari Nouitijs in articulo mortis; & ſi è vita decedant, Monaſterium in eorum bonis ſuccederet.* 132.2
Profeſſionem fidei omittens intra terminum duorum menſium, amittit fructus, quos tamen reſtituere non tenetur, donec condemnetur. 454.2
Profeſſionem fidei per ignorantiam omittens non peccat mortaliter; neque tenetur fructus reſtituere, licet in foro externo condemnatus. ibid.
Pronepos, *nepos, nurus, gener, ſocer, priuignus, &c. comprehenduntur nomine filiorum, ita vt poßint cum excommunicato communicare.* 302.2
Propoſitum *vt quis habeat vitandi peccata in futurum, non requiritur, vt poſitiuè iudicet ſe conſtanter euitaturum ea.* 475.2

PV

pro Pudicitia *defendenda licet aliquando occidere inuaſorem.* 148.2
Puer *moribundus validè baptizatur ſi proferens formam de longinquo, iubeat vt alius eum aqua abluat, ſi acceſſus non ſit liber.* 84.2
Puer naſcens in ſecundina incluſus an baptizari poßit, ſi aqua ſecundinam tantùm attingat? 75.2
Puer poſt ſeptennium completum abſoluendus eſt in articulo mortis, niſi conſtet eum non habere vſum rationis. 105.1
Puerum animam agentem, aliàs ſine Baptiſmo moriturũ, an liceat in flumen proiicere, vt baptizetur? 79.2
Puerum moribundum in quo caſu, & an in aliquo teneatur quis baptizari cum vitæ propriæ periculo? 80.2
Pueri baptizati in ſecundina ſunt in Eccleſia ſepeliendi. 122.1
Pueri capaces confeßionis inſtituendæ, & abſolutionis, poßunt in articulo mortis recipere extremam Vnctionem; etiamſi nondum ſoliti communicare. 112.2
Pueri habentes vſum rationis tenentur præcepto audiendi Miſſam. 428.1. & 2
Pueri impuberes excuſantur à cenſuris. 271.1
Pueri in vtero matris moribundi, ſi actio miniſtri ad eos peruenire poſit, baptizari poſſunt. 78.2

QV

QVantitas *notabilis in furto conſtituit peccatum mortale.* 173.2
Quantitas quæcumque vini potati non eſt mortalis. 174.2

RE

REceptatores, *& defenſores interficientium Cardinales incurrunt excommunicationem, & non gaudent immunitate Eccleſiæ.* 70.2
Recuperatio *quando facilis eſt per iudicem illicitum eſt raptorem occidere.* 151.1
Redemptio *vexationis non eſt licita, ſi quis offerat pecuniam electori volenti eligere minùs dignum, niſi pecuniam à digniore accipiat.* 209.2
Regem *tyrannicè dominantem quibus conditionibus liceat homini priuato gladio, vel ſimili occidere, & quo ſenſu.* 142.1
Reges non poſſunt iure proprio literas Apoſtolicas recognoſcere. 19.2
Reges quo ſenſu poßint ſine peccato reuocare conceſſionem factam futuræ acceßionis, & quo ſenſu non? 479.1
Regularis *excommunicatus ob percuſſionem Clerici, & Ordines ſuſcipiens ſuſpenditur.* 328.2
Regulares aliarum Religionum poſſunt vti priuilegiis Societatis IESV, *quæ conceduntur aßignatis tantùm à Patre Generali.* 411.2
Regulares aut ſubditi alij quicumque non poſſunt ab obedientia Superioris ſui ſe eximere, quamuis notorium ſit illum excommunicationis cenſuram incurriſſe, niſi hoc priùs per ſententiam iudicis declaretur. 306.1
Regulares habentes priuilegium concedendi ſuis Monachis dimiſſorias ad quemcumque Epiſcopum, an poßint etiam illas nouitijs concedere, ſicut cæteris? 324.1
Regulares habentes priuilegia vt poſſint extra tempora ordinari, poſſunt iis vti vbi Tridentinum receptum eſt. 417.1
Regulares poſſunt abſoluere ſuos ſubditos, qui ſuſpendantur ob ſuſceptionem Ordinum ante legitimam ætatem. 320.1
Regulares poſſunt miniſtrare viaticum ſuis familiaribus ſine licentia Parochi, in articulo mortis. 97.1
Regulares poſſunt pignorare vaſa, lampades, & candelabra non petita ab Epiſcopo licentia. 393.1. & ſeqq.
Religionis, *aut caſtitatis perpetuæ votum poſtquam fuit à Summo Pontifice commutatum in materiam non reſeruatam, poſſe Confeſſarium vi Iubilæi hanc materiam in aliam commutare.* 387.1
Religionis ingreſſus quando differri poteſt, & quando non propter ſcandalum. 214.1
Religioſus *inducens moribundum ad ſepulturam in aliena Eccleſia, non peccat, etiamſi mediante voto hoc fecerit.* 118.2
Religioſus licet poſſet, Superiore nolente eleemoſynas pro ipſo elargiri, de bonis Monaſterij eo inſcio diſtribuere, tutius tamen eſſet commutationem petere in aliud opus pium. 374.2
Religioſus propter æſtum dormiens ſine tunica lanea, quæ erat habitus ſuæ Religionis, non incurrit excommunicationem, neque peccat mortaliter. 478.1. & 2
Religioſus quo ſenſu poſit renitente Superiore tempore Iubilæi confeſſiones audire? 382.1
Religioſus ſe exuens habitu ad liberiùs fornicandum quotuplici peccato mortali peccet, vel an vno tantũ? 478.2
Religioſus, vel Clericus nolens fugere, ſi occidat inuaſorẽ, peccat contra charitatem, non contra iuſtitiam. 152.2
Religioſus, vel Clericus ſuadens alicui vouere, iurare, quòd ſepelietur apud ſuas Eccleſias, peccat mortaliter. 118.2. *Et ſi contra actum fuerit ſepulturæ electio non valebit.* ibid.

Religiosi ad confitendum determinatis temporibus obligati, ad hoc non tenentur si tantùm peccata venialia habeant. 406.1

Religiosi habentes prouentus in extremis proximorum necessitatibus non solùm superflua, sed & necessaria suppeditare debent; aliter non est regula generalis dandi omnia superflua. 242.2

Religiosi in propriis Monasteriis sunt sepeliendi. 121.2
Nisi sint ab iis valdè remoti, & quid tunc faciendum? ibid.

Religiosi non tenentur seruare consuetudines particulares secularium, etiam Clericorum, sicut nec hi aliorum secularium consuetudines. 447.1

Religiosi possunt in aliquibus casibus eleemosynas facere. 241.2 *& seq.*

Religiosi possunt in articulo mortis ministrare viaticum absente Parocho. 96.2

Religiosi possunt ministrare sacramentum extremæ Vnctionis. 111.2

Religiosi possúntne occidere inuasorem pro defendendis bonis propriis. 140.1

Religiosi possunt suos familiares intra claustra morientes in Ecclesia sua sepelire. 121.2

Religiosi professi Religionis suæ habitum dimittentes excommunicantur. 184.1

Religiosi tempore Iubilæi possunt eligere Confessarium approbatum tantùm à suo Prælato si contrarium in Bulla non contineatur. 377.1

Religiosis cum Superiore excommunicato qualis communicatio est concessa? 306.1

Religiosis liceret causa mortis ex ea licentia donare, qua licet inter viuos. 127.2

in Reliquiis *furatis datur grauitas materiæ.* 173.2

Remigantes, *& captiui apud Turcas possunt ex timore mortis domos Christianorum perfringere, & bona surripere.* 218.1. *Nisi fortè in casu. ibid.*

Remiges *quibus casibus censentur esse in articulo mortis, & absolui debent vt moribundi?* 101.2

Res *propter quam quis interficiendus est debet esse magni momenti ex se, vel in suo pretio.* 140.2

Res quæ inuaditur quando parui momenti est, non licet pro defensione eius furem occidere. ibid.

Res vilis quæ censeatur esse in proposito? ibid.

Rem à latrone mala fide emens non potest cognito vero domino latroni restituere, vt pretium recipiat. 484.2

Rem aliquam furans ante necessitatem extremam, quam in dicta necessitate consumpsit, non tenetur restituere. 228.1

Rerum ablatarum recuperatio cùm difficillima speraretur per iudicem, tunc si aliter, quàm occidendo non posset quis sua comparare occidere liceret furem. 151.1

in Rebus venereis *non datur paruitas materiæ.* 162.2

Reseruatio *ob quem finem ablata in articulo mortis?* 103.1

Respublica *temporalis quodammodo est subiecta Reipublicæ spirituali & potestas temporalis spirituali.* 25.1

Restituendi *obligatio vnde nascatur?* 228.2

Reuocatio *facta sine iusta causa Sacerdotibus secularibus de non audiendis amplius confessionibus an sit nulla?* 453.1

Reus *dum carnifex funem collo apponit, non potest se ex scala præcipitem dare.* 149.2

Reus potest excommunicari ab Episcopo territorij, in quo deliquit. 266.2

RV

Rusticus *diu ignorans mysterium Trinitatis quo casu teneatur reiterare confessiones, & quo non.* 431.1

SA

SAcellanus *potest cum Episcopo suo legere horas.* 305.1

Sacerdos *accipiens stipem à pluribus non potest vnico Sacrificio cunctis satisfacere, & quare?* 481.2

Sacerdos accipiens stipendium ab aliquo pro Missa applicanda, quomodo debeat eam applicare? 481.2

Sacerdos assistens matrimonio clandestino non incurrit suspensionem triennalem tam post Tridentinum. 320.2

Sacerdos, aut Episcopus non tangentes in sui ordinatione vasa sacra, an teneantur iterare ordinem. 412.1

Sacerdos cæcus potest validè celebrare. 192.2

Sacerdos celebrans cum cingulo non benedicto non peccat mortaliter ratione paruitatis materiæ. 184.2

Sacerdos celebrans posítne in casu aliquo Hostiam à se consecratam in Sacrario reponere, & particulam ex præconsecratis ab alio assumere? 438.2

Sacerdos celebrans, si intrante excommunicato denuntiato consecrauerit, perficiat mysterium, sin minùs, cesset. 291.2

Sacerdos confessus, & post celebrationem recordans alicuius peccati obliti in dicta confessione, nõ tenetur quamprimùm illud confiteri, vt adimpleat præceptum Tridentinum. 445.1

Sacerdos cum aliis iter agens, & ex eorum vno per confessionem intelligens in ingressu in syluam parari sibi insidias, quid debeat facere? 358.1

Sacerdos Diœcesanus approbatus præsente Prælato potest facultate non petita absoluere moribundum à quouis crimine, & censura in foro conscientiæ. 100.2

Sacerdos eo tempore debet moribundum vngere quo adhuc habet vsum rationis. 115.2
Nec in hoc nimium est festinandum, nec etiam tardandum. 116.1

Sacerdos, etsi excommunicatus sit, in administratione tamen Baptismi in necessitate præferendus est aliis. 290.1

Sacerdos ex confessione cognoscens in vino, in quo facturus est Sacrum, esse venenum, posítne cum periculo reuelandæ confessionis petere aliud, aut Sacrum omittere? 358.1

Sacerdos ex defectu scientiæ in suo tantùm oppido approbatus non potest ab aliis eligi in Confessarium virtute Iubilæi. 382.1

Sacerdos finita Missa inueniens aliquod fragmentum super patenam in Sacristia, non potest illud sumere. 465.1

Sacerdos in Missa solemni directiuè tenetur recitare submissa voce Epistolam & Euangelium. 438.1
Non autem præceptiuè. ibid.2

Sacerdos in quo casu teneatur instruere puerum in rebus fidei etiam cum periculo propriæ vitæ. 80.2

Sacerdos loco istorum verborum, Hoc est corpus meũ, *dicens:* Hic est corpus meum, *si ly* hic *sumatur pro pronomine masculino, consecrat; secùs si aduerbialiter.* 480.2

Sacerdos loco verborum consecrationis, Hic est enim corpus

corpus meum, *dicens:* Hæc eſt enim caro mea, *conficit Sacramentum.* *ibid.*

Sacerdos moribundus non poteſt ſe vngere. 115.2

Sacerdos mutus poteſt Euchariſtiam aliis miniſtrare tempore neceſſitatis. 192.2.& *ſeq.*

Sacerdos nominatim excommunicatus, ſi deſit copia alterius, debet Sacramentum infirmo merè neceſſarium miniſtrare. 111.1

Sacerdos nominatim excommunicatus, vel publicus Clerici percuſſor habet poteſtatem abſoluendi moribundum in articulo mortis, poſt Tridentinum ſaltem. 99.1 & *ſeqq.*

Sacerdos non ieiunus poteſt celebrare Miſſam pro conſecranda particula ad communicandum moribundum. 90.1

Sacerdos non ieiunus poteſt in articulo mortis celebrare, vt ſe communicet. *ibid.*

Sacerdos non miniſtrat Sacramentum in caſu neceßitatis vt miniſter ex officio. 84.2

Sacerdos non poteſt partem ſibi debitam ex opere operato in ſacrificio Miſſæ, alteri applicare. 466.1

Sacerdos non poteſt pro vita ſeruanda aliquo modo manifeſtare peccata pœnitentis. 358.1

Sacerdos non ſolùm ſimplex, ſed Diaconus, & quilibet Clericus ex delegatione poteſt à minori excommunicatione abſoluere. 247.2

Sacerdos ponens tres particulas ſuper altare, ex inaduertentia tamen relinquens duas in cornu Altaris, etſi habuerit intentionem has conſecrandi, non videtur conſecrare. 451.1.& *ſeq.*

Sacerdos poſſet dare partem ſuæ Hoſtiæ moribundo ſi alia particula non poßit inueniri in campo. 97.2

Sacerdos poßétne ſibi ipſi miniſtrare Euchariſtiam in articulo mortis ſi Diaconus adſit. 95.2

Sacerdos poſt conſecrationem particularum poßítne illas ponere in Tabernaculo, vel extra aram, aut alteri Sacerdoti dare, vt illas in alio Altari populo diſtribuat? 425.2

Sacerdos poteſt, deficiente Clerico, accipere laicum ad ſeruiendum Miſſæ. 338.2

Sacerdos poteſt in caſu neceſſitatis ſine culpa iniungere vnam aurem, vnam manum. 114.2

Sacerdos poteſt infirmis peſte morientibus extremam vnctionem in virgula argentea oblonga miniſtrare. 110.1 *Et hoc vnica actione attingente quinque ſenſus, vnum oculum, aurem vnam, &c.* *ibid.*

Sacerdos poteſt orare pro excommunicatis in Memento *Miſſæ, eaſq; orationes communes, quas nomine Eccleſiæ offert pro non excommunicatis, excommunicatis applicare.* 285.2

Sacerdos pro audienda confeßione moribundi poteſt relinquere Miſſam inchoatam etiam poſt conſecrationem. 105.1

Sacerdos pro Hoc eſt corpus meum *dicens:* Hoc corpus eſt meum, *vel* Meum eſt hoc corpus, *an valide conſecret?* 480.1.& *ſeq.*

Sacerdos quilibet poteſt à peccatis venialibus abſoluere. 483.1.& *ſeqq.*

Sacerdos quibus in caſibus poßit vel teneatur abſolutionem impertiri hæretico negatiuo? 109.1.& *ſeq.*

Sacerdos qui poſt confeßionem in Altari recordatur alicuius peccati obliti, non tenetur de illo conteri ante ſumptionem communionis. 444.2

Secus ſi commodè poſſet confiteri ante acceſſum ad Altare. *ibid.*

Sacerdos quo caſu poßit non recipere integram confeßionem peſtiferi, vel in bello periculoſo exiſtentis? 108.1

Sacerdos quo caſu poßit vti miniſtro excommunicato. 291.1

Sacerdos quomodo ſe gerere debeat erga pœnitentem moribundum cui defert Euchariſtiam, ſi dicat ſe velle reconciliari, & confeßiones multas inualidas fatetur. 108.1

Sacerdos ſciens in confeßione furtum ſibi factum, poßítne furem accuſare ex aliis indiciis extra confeßionem cognitis? 348.1

Sacerdos ſecularis, vel Regularis ab Ordinario, vel quocumque Epiſcopo ſemel approbatus poteſt virtute conceſſionis Pontificiæ in Iubilæo eligi in Confeſſarium vbique terrarum. 383.2.& *ſeq.*

Sacerdos ſi cingulum ſit fractum, poteſt partes ſeparatas connectere, & ita celebrare. 433.2

Nec peccabit mortaliter propterea. *ibid.*

Sacerdos ſi duas Hoſtias ante ſe ponat, & putet ſe vnicam habere, & hanc intendat conſecrare, an ſi nihil determinet, vtraque conſecretur? 452.1

Sacerdos, ſi dum ordinatur, intelligit iam verba à ſocio prolata eſſe, &c. ipſe practicè tutius proſequitur, licet ſpeculatiuè exiſtimetur contrarium. 482.1

Sacerdos ſi guttam aquæ cum vino non miſceat, ex paruitate materiæ non excuſatur à mortali. 182.2

Sacerdos ſimplex audiens confeſsionem moribundi non tenetur deſiſtere adueniente approbato Confeſſario. 103.2 & *ſeq.*

Sacerdos ſimplex concurrens cum excommunicato nominatim, vter ſit præferendus in abſolutione moribundi? 101.1

Sacerdos ſimplex non approbatus ab Ordinario an poſsit abſoluere ab excommunicatione minori. 247.1

Sacerdos ſimplex poſsítne abſoluere ab excommunicatione præſente Parocho? 280.2

Sacerdos ſimplex poſsítne moribundum abſoluere præſente Confeſſario iuriſdictionem habente. 100.2.& *ſeq.*

Sacerdos ſimplex poteſt abſente vel nolente Parocho, miniſtrare extremam Vnctionem agroto morti proximo. 111.2

Sacerdos ſimplex poteſt in articulo mortis abſoluere moribundum, etiamſi poſſet per literas recurri ad Superiorem. 280.2

Sacerdos ſimplex præſente approbato diœceſano non habet iuriſdictionem abſoluendi moribundum. 101.1

Sacerdos ſi vngendo infirmum moriatur, poterit alius perficere reliquas vnctiones. 113.1

Sacerdos ſurdus, non autem mutus, poteſt aliquando ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtrare. 193.1

Sacerdos tangens immediatè patenam, & non Hoſtiam, poteſt tuta conſcientia exercere Ordinem. 412.2

Sacerdos timens ex concurſu ciuium orituras contentiones, tenetur à Sacro abſtinere biduo, vel triduo, donec ſeditio credatur ceſſare. 213.2

Sacerdos, vel etiam laicus baptizantes in peccato mortali infantem moribundum non peccant mortaliter. 83.2

Sacerdos, vt ipſe, vel alij impleant præceptum Paſchale, poteſt abſque præuia confeſsione celebrare. 419.1

Sacerdos vtramque ſpeciem ſumens recipiátne maiorem gra-

gratiam, quàm laici ſumentes tantùm corpus Chriſti. 404.1
Sacerdoti licet dum publicè orat nomine Eccleſiæ, intentione etiam priuata orare pro excommunicato. 285.2
Sacerdoti quo ſenſu liceat totum pium opus dicendi Miſſam offerre pro excommunicato? ibid.
Sacerdotem percutiens, qui Diaconus eſt, & Subdiaconus, quare non incurrat plures excommunicationes? 277.1
Sacerdotem ſe fingens tenetur ad ſigillum. 347.1
cum Sacerdote cæco poteſt fieri diſpenſatio, vt conſecret. 192.2
Sacerdote abſente, probabile eſt laicum abſoluere poſſe moribundum à cenſuris, vt non careat Eccleſiaſtica ſepultura. 108.2. *Expedit tamen vt noua abſolutio obtineatur ab illo, cui cenſura erat reſeruata.* 109.1
à Sacerdote quocumque non ſolùm exiſtentes in articulo mortis, ſed etiam in periculo, abſolui poſſunt ab omnibus caſibus. 100.2
Sacerdotes, & Leuitæ poſſidebant bona, & hoc titulo eleemoſynæ. 5.1. & 2
Sacerdotes in veteri teſtamento aliis omnibus ditiores. 5.2
Sacerdotes plures ſimul in caſu licitè miniſtrare poſſunt extremam vnctionem. 114.1
Sacerdotes qui poſſunt in interdicto Miſſam dicere, & Clerici diuinis Officiis aſsiſtere, poſſunt etiam communicare abſque celebratione. 337.1
Et quid de laicis, an in tali tempore Euchariſtiam poſſint ſumere? ibid.
Sacerdotum Ordinatorum, & cum Epiſcopo conſecrantium quiſque poteſt illud Sacrificium, cui voluerit applicare. 497.1
Sacramentum *eſt compoſitum quoddam morale.* 176.1
Sacramentum accipere à Sacerdote exiſtente in peccato mortali non eſt peccatum mortale. 200.2. & ſeq.
Sacramentum vt ſuſcipiatur, quare requiratur conſenſus. 405.1. & 2
Sacramenta alia à Baptiſmo, & Pœnitentia conferunt aliquando primam gratiam. 404.2
Sacramenta alia præter Baptiſmum, Pœnitentiam, & Euchariſtiam poſſunt in quibuſdam caſibus licitè peti in articulo mortis ab excommunicato etiam non tolerato. 289.1
Sacramenta licitè miniſtrat, & conficit, qui ex temporis anguſtia non poteſt elicere actum contritionis; nec peccat mortaliter. 426.2. & ſeq.
Sacramenta miniſtrantes excommunicatis vitandis, quã pœnam incurrant? 287.2
Sacramenta petere ab excommunicato tolerato licet. 308.1
Sacramenta quinque viuorum aliquando conferunt primam gratiam. 404.2
Sacrificium *Miſſæ non licet applicare pro excommunicato iam per contritionem iuſtificato ante obtentam abſolutionem.* 284.2
Sacrificia & ſuffragia communia Eccleſiæ non licet offerre pro excommunicatis non toleratis ante obtentam abſolutionem, etſi per contritionem iuſtificentur. 283.2
à Saga quæ licitè & illicitè ſcit ſoluere maleficium poteſt peti vt illud ſoluat. 208.1
Sagittam proiiciens intra Eccleſiam, qua hominem extra occidit, quare non incurrit in cenſuram latæ contra homicidas in Eccleſia, & ſic de aliis? 267.1. & ſeqq.
Satisfactio ſacramentalis, vt eſt pars Sacramenti in peccato mortali habet ſuum effectum. 407.2

SC

Scandalum *actiuum dupliciter contingere poteſt.* 199.1
Scandalum actiuum eſt exponendum in ſpecie; & quare? ibid.
Scandalum definitur. ibid.
Scandalum eſt duplex. ibid.
Scandalum paſsiuum quid ſit? ibid.
Diuiditur in ſcandalum puſillorum, & infirmorum, & quid vtrumque. ibid.
ad Scandalum aliorum euitandum non tenemur præceptum aliquod prætermittere. 212.2. & ſeqq.
ad Scandalum vitandum quando, & quæ præcepta ſint prætereunda? ibid.
Scandala omnia paſsiua ſunt exponenda in ſpecie. 200.2
Scandala omnia quamuis ſint contra charitatem, tamen inter illa eſt diuerſitas ſpecifica pro diuerſitate damni illati. ibid.
Scandala quomodo debeant explicari in confeſsione? 199.2 & ſeqq.
Scandalizare *poteſt quis alium ex triplici intentione.* ibi.

SE

Secretum *tanquam in confeſsione detectum non obligat ſub ſigillo confeſsionis.* 360.2
Sede *Apoſtolica vacante non videtur prohibitum ſacro Collegio Cardinalium dare* Reuerendas. 45.2
Sententia *declaratoria non ſecum trahit executionem.* 262.1
Sepultura *Eccleſiaſtica illicita eſt in interdicto perſonali ſpeciali; & quid de perſonali generali dicendum?* 331.2. & ſeq.
Sepultura negatur interdictis propter duo. ibid.
Sepulturæ Eccleſiaſticæ priuatio effectus eſt interdicti diſtinctus à priuatione diuini Officij, nec cenſetur illi neceſſariò connexus. ibid.
Sepulturam eligere aliud eſt, & aliud committere. 120.1
Sepulturam ſibi eligere non potens, humari debet in ſepultura ſuorum maiorum. 120.2
Seruus *in quibus caſibus poſsit facere eleemoſynas?* 237.2 & ſeq.
Serui emptione, aut donatione libera obtenti ab excommunicato, non peccant communicando in iſta noua acquiſitione, niſi ipſi ementem, aut vendentem ad hoc induxerint. 304.2. & ſeq.
Serui, & famuli, aut etiam operarij poſt latam ſententiam excommunicationis bona fide locantes ſuas operas excommunicato, poſſunt cum illo communicare; ſecus ſi malæ fide ſcientes eſſe excommunicatum. ibid.
Serui poſſunt communicare cum domino excommunicato. ibid.
Serui ſcientes dominum eſſe excommunicatum ſi ſuas operas illi locent, & cum illo communicent, peccant, & tenentur illam relinquere. ibid.
Serui, vel aliæ perſonæ ſubiectæ poſſunt communicare cum domino excommunicato, etiam in Sacris. ibid.
Seruorum eiuſdem domini ſi vnus eſt excommunicatus, alij poterunt cum illo communicare. 305.2
Sexagenarius *non tenetur ad ieiunium.* 482.1

SI

Sigillum *aliud est Sacramentale, aliud naturale.* 339.1
Quodnam horum fortius, & à quo vtriusque obligatio inducta est? *ibid.*
Sigillum confessionis frangit, qui dicit: Non absolui Paulum, *vel quid simile.* 356.1
Sigillum in cuius honorem, vel fauorem fuerit imperatum? 344.1
Sigillum naturale, & sacramentale quomodo distinguantur? 339.1
Et ad quid vtrumque introductum est. *ibid.*
Sigillum Sacramentale quare tam strictè obliget, vt in nullo casu violari possit? 341. & *seqq.*
Sigillum Sacramentale quas personas obliget? 345.1. & *seq.*
Sigillum Sacramenti debet strictissimè seruari. 340.1. & *seq.*
Sigilli fractio non est licita, etsi fiat in vtilitatem pœnitentis. 353.2
Sigilli fractio, quando talis est casus, quòd pœnitens teneatur consentire, non est licita. 353.2
Sed quid debeat facere Confessarius. *ibid.*
Sigilli reuelatio possitne fieri sine veniali? 340.1
Sigilli reuelatio quando fiat? *ibid.*
Sigilli reuelatio quomodo constet? 360.1
Sigilli reuelator duplicem committit culpam mortalem specie diuersam iuxta duplicem malitiam in reuelatione sigilli. 339.2
Sigilli Sacramentalis obseruatio maioris est momenti, quàm integritas confessionis. 343.2
Sigilli Sacramentalis reuelatio damnatur. 341.1
Sigillum non frangit dicens aliquem in confessione suis minutissimis peccatis scrupulosè caput suum obtundere. 359.2
ad Sigillum tenentur illi, quibus Sacerdos de licentia pœnitentis reuelat peccatum. 344.2
ad Sigillum tenentur omnes, qui audiunt confitentem coram ipsis in naufragio tempore pestis, &c. 350.2
in Simonia *datur materia paruitas.* 160.1
Simultas *quæ requiratur inter materiam, & formam Sacramentorum?* 412.2

SO

Sodomita *gaudet immunitate Ecclesiæ, & quare.* 4.1
in Sollicitatione *facta in confessione, & prohibita in Pontificiis Bullis, non datur paruitas materiæ.* 164.1
in Sortilegiis, *& Magia non datur paruitas materiæ.* 172.1

SP

an Spatium *decem annorum, vt consuetudo dicatur legitimè præscripta, requiratur in foro conscientiæ.* 473.2
Spei *præceptum tunc directè & per se obligat, quando quis adulta iam ætate recipit Sacramentum cum sufficienti cognitione de Deo, & vita æterna.* 493.2
Sponsalibus *fictis si iuramentum apponatur, non tamen cum animo obligandi, non oritur obligatio præstandi quod promissum est.* 460.2
Sponsus *de præsenti potest communicare cum sponsa excommunicata, & è conuerso, non verò de futuro.* 305.2

ST

Statum *suum nullus tenetur deprimere absolutè ob proximi necessitatem.* 227.2
Statutum *aliquod si dubitetur an sit contra vel pro immunitate Ecclesiæ, consulendus est Summus Pontifex.* 33.2
an Statutum fieri possit, vt reus sequatur forum actoris. 11.2
Statutum Federici est contra sacros Canones. 4.2. & *quare. ibid.* & 5.2
Statutum prohibens adduci vinum ad vendendum extra ciuitatem non comprehendit Clericos, & quare. 27.1
Statuta Laicorum, quæ tollunt Clericis id quod eis de iure commuui competit, sunt contra libertatem Ecclesiasticam. 11.2
Sterilitas *non potest honestè procurari in vxoratis.* 485.2 & *seq.*
Stipem *erogare ex alieno non potest quis nisi extremè indigenti.* 225.2
Stuprum *inchoans per tactus, & oscula in propria diœcesi, & consummans in aliena, quare non incurrat in censuram latam à suo Episcopo contra tales.* 263.1. & 2. & 267.1

SV

Subdiaconatum *recipiens relictis minoribus Ordinibus incurrit suspensionem.* 325.1
Contrarium tenetur probabiliter. *ibid.*
Subditus *Episcopi in alieno territorio non ligatur censuris annexis præcepto siue generali, siue speciali sui Episcopi.* 267.1
Subditus existens in alieno Episcopatu potest ligari censuris à suo Episcopo ratione delicti commissi in proprio Episcopatu. 263.1
Subditus post commissum crimen malitiosè fugiens in alienam diœcesim ne ab Episcopo suo personaliter citetur, in aliquo loco publico proprij territorij citetur. 265.2
Suffragia *communia Ecclesiæ licet applicare ei, cuius excommunicatio est occulta si mortuus est.* 283.2
Suffragia communia nomine Ecclesiæ facta, quando indefinitè fiunt, aut offeruntur pro fidelibus, non fiunt, nec offeruntur pro excommunicatis toleratis. 284.1
Superfluum *status quid dicendum.* 234.1
Superfluum status vix inuenitur in secularibus diuitibus. 245.2
de Superfluo ad statum tenetur quis opitulari illi, qui in periculo versatur amittendi fortunas iniustè. 232.1
Superior *alicuius domus dicens Generali in ea semper postulari facultatem absoluendi à reseruatis, facere videtur contra sigillum.* 357.2. & *seq.*
Superior à quo petitur potestas absoluendi à reseruatis, tenetur ad sigillum. 345.2. & *quando.* 346.1
Superior in quibus circumstantiis possit sub peccato mortali præcipere materiam leuem. 179.1
Superiores Regulares non legentes Decreta Vrbani VIII. de celebratione Missarum temporibus statutis quando incidant in pœnas & quando non. 448.2
Surdus & cæcus *non sunt eligibiles ad prælaturam.* 193.1
Surdus & cæcus quo sensu possint munus aduocationis subire, & quo non. 196.1

Surdus & mutus à natiuitate in articulo mortis sunt cõmunicandi, si aliquam saltem iudicentur reuerentiam concipere. 189.1
Et an ob præceptum diuinum semel in vita communicandi. ibid.
Surdus & mutus à natiuitate nõ solùm in articulo mortis, sed etiam in vita communicandi sunt, si scribere sciant, & legere. 189.1
Surdus, & mutus à natura possunt contrahere matrimonium. 190.2
Surdus, & mutus non possunt donare. 191.1. & 2
Surdus, & mutus possintne profiteri Religionem. 198.1
Surdus, & qui nullo modo audire potest, Iure Canonico irregularis est. 193.2
Surdus simul & mutus possitne donare inter viuos. 191.1 & seq.
Surdus si non sit mutus, possitne testari. 194.2
Surdus teneatúrne confiteri. 188.2
Surdus tenetur recitare horas Canonicas. 192.1
Surdi & cæci non priuantur iure eligendi, non sunt tamen ad prælaturam eligibiles sicut nec muti. 191.2. & seq.
Surdi, & cæci possunt abesse à choro, lucrari tamen distributiones quotidianas. ibid.
Surdi & muti potentes confiteri, & possunt communicari. 189.2
Surdi, muti, & cæci vngendi sunt extrema vnctione. 191.1
Susceptio *est cæremonia ab Ecclesia instituta ad Baptismum.* 77.1
Suspensio *à beneficio, & ab officio sunt diuersæ pœnæ.* 309.1
Suspensio ab officio, & ingressu Ecclesiæ non suspenditur per appellationem subsequentem. 314.2
Suspensio ab officio non includit semper suspensionem à beneficio. 309.1
Suspensio ab officio, quæ pro parte tantùm fertur, tantùm impedit ab ea parte Ecclesiastici officij, quæ per verba determinantia significatur. 310.1
Suspensio alia est ab homine, alia à iure. 309.1
Suspensio à voce activa, & passiua suspenditur per appellationem legitimam subsequentem. 314.2
Suspensio, & interdictum possintne ferri ob solum veniale. 271.2
Suspensio ferri potest propter veniale peccatum. 315.2. & seq.
Suspensio lata absque determinatione includit priuationem tam officij, quàm beneficij. 314.1
Suspensio lata à iure, quæ est censura, si reseruata non sit Pontifici, potest tolli ab Episcopo. 317.1
Suspensio lata sub conditione, secuta satisfactione, tollitur ipso facto sine aliqua absolutione. 317.2
Suspensio non cessat ipso iure sine absolutione, ablata contumacia. 318.1. *contrarium asseritur.* ibid.
Suspensio quo sensu possit contrahi respectu culpæ alienæ, & quo non. 317.1
Suspensionis principalis effectus est, quòd exercens actum, à quo est suspensus ex suo genere, si materia grauis sit, peccet mortaliter. 313.1
ad Suspensionem incurrendam requiratúrne monitio. 256.1
Suspensus *ab administratione Sacramentorum non suspenditur à celebratione Missæ.* 312.1
Suspensus ab aliquo Ordine, suspenditur etiam ab omnibus functionibus talis Ordinis. 311.1
Suspensus à beneficio non est suspensus ab Officio. 310.2
Suspensus à beneficio non suspenditur à iure collationis beneficij, confirmationis, electionis, &c. sibi prouenientе ratione beneficij, à quo suspensus est. 312.2
Suspensus à beneficio priuetúrne fructibus pensionis collatæ titulo clericali. 314.1
Suspensus à beneficio, si egeat, possitne fructus percipere, quatenus necessarij sunt ad se, suosque alendos. 310.2. & seq.
Suspensus à beneficio validè accipit aliud nouum. 312.2
Suspensus ab officio non est priuatus fructibus beneficij. 310.2
Suspensus ab officio prædicandi, irregularitatem non incurrit, si concionetur saltem cum solennitate. 313.1
Suspensus ab Ordine sitne suspensus à iure eligendi. 316.2
Suspensus ab Ordine superiori non suspenditur ab exercitio Ordinis inferioris. 311.2
Suspensus à susceptione Sacramentorum incurrit irregularitatem suscipiendo illa. 318.2
Suspensus disiunctiuè à beneficio, vel ab officio, manet suspensus ab vno, vel ab altero determinatè pro optione suspensi. 313.2
Suspensus ex ordinatione ante legitimam ætatem possitnẽ celebrare illa completa sine alia dispensatione. 321.1
Duas suspensiones incurrit. ibid.
Suspensus propter Ordines susceptos ante legitimam ætatem potest exercere Ordines ritè susceptos. ibid.
An si canat Euangelium, & Epistolam in eadem Missa incurrat irregularitatem. 322.1
Suspenso ab officio illicitè confertur beneficium. 310.2
Suspensi acta aliqua sunt valida, aliqua non. 313.1. & seq.
Suspensi peccatis quando dicatur quis cooperari. 316.1
Suspensum nemo tenetur probabiliter vitare ex vi præcepti Ecclesiastici. ibid.

TA

Tabachi *sumptio altero trium modorum quo sensu impediat communionem, & quo non?* 388.2. & seqq.
Tabachi sumptio in folio, puluere, aut fumo non impedit communionem. 388.1

TE

Tempora *duo discerni possunt in Ecclesiæ processu diuersis conditionibus, & diuerso rerum statu variatæ.* 3.1
Tempora obligantia ad actum fidei eliciendum quæ sint. 399.2
Terrulæ *quæ dicantur, & quæ res exigui valoris.* 183.1
Testamentum *ad pias causas est validum, etsi alterius arbitrio committatur.* 127.1
Testamentum benè dispositum, & perfectum, si iuratum sit, & reuocetur à testatore, erit de facto reuocatum. 125.2
Testamentum benè dispositum, imperfectum tamen, si sit iuratum, & à testatore reuocetur, erit valida reuocatio, sed reuocans periurus. ibid.
Testamentum malè dispositum, & continens aliquid contra leges iustas, etiamsi iuramento confirmatum sit, reuocandum erit. ibid.
Testamenta Cardinalium Romani Pontificis consensu facta iuxta cuius litteris formulã considerari debeant. 57.2

in Teſtamentis cæcorum magis eſt cauendum, quàm in aliis. 195.1
Teſtator *ſi relinquat cuidam Eccleſiæ legatum certum in perpetuum, & tempus elabatur à morte teſtatoris 100. annorum, an hæredes tale teneantur ſoluere legatum.* 482.2
Teſtandi *facultas conceſſa Cardinali de qua re intelligenda.* 58.1
Teſtandi facultas conceſſa Cardinalibus non expirat pro prima vice. ibid.
Teſtandi licentia conceſſa Cardinalibus quando expirat. ibid.
Teſtis *dubitans an adultus moribundus petierit Baptiſmum, adhuc baptizari poteſt.* 82.2. & ſeq.
Teſtis vnius aſſertione moribundus baptizari debet. ibid.
Teſtem falſum euntem ad teſtificandum falſum contra aliquem non licet occidere; & quid de accuſatore. 136.1
Teſtes non reuelantes ex vi monitorij an teneantur reſtituere damna inde ſequuta? 421.2
Teſtes priuilegiati non tenentur de Iure ex vi monitorij reuelare crimen ſui coniuncti, etſi non ſint alij teſtes, ſeclusis caſibus ad Tribunal ſanctæ Inquiſitionis pertinentibus. 421.1
Teſtes quot requirantur ad damnandos Cardinales de crimine. 49.2

TI

Titulos *ſumentes ſuper loca, & cognomina ſi vaſallos non habeant, non tenentur contribuere decem tarenos pro ſumenda Bulla Cruciatæ.* 415.1

TV

Turcæ, *& infideles alij nomine hoſtis Chriſtiani nominis intelliguntur, quibus propterea non licet deferre arma.* 398.1
Tutores, *curatores, & alij, quibus bonorum alienorum cura demandata eſt, poſſunt moderatas eleemoſynas facere.* 243.2

VA

VAſa, *veſtes, ligna, aliaque cultui diuino dicata, mutatâ tamen horum formâ, non eſt peccatũ mortale vertere in pios vſus.* 428.1
Vaſallorum *domina, quæ ratione ſuæ dotis eſt talis, ſi vxor ſit alterius, & ita non habeat adminiſtrationem bonorum, tenetur contribuere octo argenteos pro ſumenda Bulla Cruciatæ.* 415.1

VE

Vectigal *portus duplex eſt.* 36.2
Venenum *ſumere non licet vt experiaris theriacam.* 149.1
Venialia *ſola confitens, ſi mortale habeat nondum confeſſum ex obliuione, & propterea credat ſe non habere indirectè, ab illo remanet abſolutus, licet Confeſſarius ſit ſimplex Sacerdos, debet tamen poſtea illud legitimo Confeſſario confiteri.* 484.2
Verba *eſſentialia formæ abſolutionis ab excommunicatione ſunt ea tantùm, quæ cenſuræ ſenſum exprimunt.* 262.2
Verba eſſentialia formæ Sacramentorum ſi mutentur in alia, idem tamen ſignificantia, peccatum erit tantùm ex genere ſuo veniale. 175.2
Verba formæ Sacramentorum ex induſtria corruptè proferens peccat mortaliter ſi mutatio ſit notabilis. ibid.
Verba imperatiua quomodo accipienda in Conciliis, & Decretis Pontificum. 376.2
Veſperas *non tenetur manè recitare, qui veſperi præuidet ſe ſori impeditum ob febrem, vel aliud impedimentum.* 467.1
Veſtes, *& ſigna infidelium quomodo liceat inſtante neceſsitate portare.* 2201. & ſeq.
Vexationem *quando licet redimere, & quando non.* 443.2

VI

Viaticum *non ſolùm poteſt, imò tenetur ſumere qui manè communicauit, & eodem die incidit in periculum mortis.* 87.2. & ſeq.
Viaticum ſumens in articulo mortis, non tenetur iterum illud ſumere ſi peccauit mortaliter, ſecus de pœnitentia dicendum. 93.2
Vicarius *Capituli Sede vacante poteſt cognoſcere de cauſis delegatis Vicario Generali Epiſcopi, & exequi diſpẽſationes, quæ huiuſmodi Vicario ſolent committi; cuius contrarium alij tenent.* 459.1
Vicarius Cardinalis habens facultatem conferendi beneficia, an poſſit illa conferre extra diœceſim. 55.1
Vicarij Epiſcopi nomine quis intelligatur. 459.1
Viduæ, *quæ mortuis maritis non ſunt dominæ, nec vſufructuariæ, cuiuſque tandem dignitatis exiſtant, non tenentur pro ſumenda Bulla Cruciatæ contribuere decem tarenos, ſecus ſi ſint vſufructuariæ.* 415.1
in Vigilia *Natiuitatis Domini poteſt ſumi collatio duplo maior ſolita.* 447.1
Vigiliis, & pœnitentiis vitam abbreuiare non oportet niſi conſilium prudentis confeſſarij intercedat. 147.1
in Villam *ruralem ſe transferens recreationis cauſa in parochia ciuitatis eſt ſepeliendus, ſi fieri poſſit.* 122.1
Vinum *vendere tabernariis licet, etſi ſciam illud poſtea reuendendum aqua mixtum.* 223.1. & 2. & *hoc in duobus caſibus.* ibid.
Vir *honeſtus, cui dedecus eſſet mendicare, poſſitne clanculum ſurripere neceſſaria.* 237.1
Vir nobilis ſi ſit occiſus, qui nihil lucri faciebat, nihil reſtituendum erit. 155.2
Viro honorato dicens mentiris, *non licet occidere.* 138.2
Viro honorato licet aliquando occidere inuaſorem qui alapam ei infert. 135.1
Virum doctum ſi quis conſulat in ordine ad confeſsionem faciendam cum alio, conſiliarius tenetur ad ſigillum. 357.2
in Viſitatorem *alicuius Religionis ſi quis eligatur, & poſtea fiat cæcus, non poterit cæcitate non obſtante viſitationem cum viſitatore ſano continuare.* 293.1
Vita *duobus modis poteſt dici exponi periculo certo.* 145.1 & 2. & *priori modo licet negligere vitam pro honore, vel facultatibus amici.* ibid.
Vita proximi licet præferenda ſit bonis temporalibus aliquando non tamen ſemper. 140.1
Vitam pro amico, & bonis ſuis licitè ponere contingit dupliciter. 145.1, & 2

pro Vita corporali proximi laborare pium est. 144.2
pro Vita, membro, deformitate, aut cicatrice hominis liberi non est facienda restitutio. 155.2

VN

Vnctio *extrema duplicem habet proprium infallibilem effectum.* 113.1
Vnctio extrema est consummatiua Pœnitentiæ. ibid.
Vnctio extrema est medicina non solùm animæ, sed etiam corporis. 116.1
Vnctio extrema in articulo mortis aliquando ministrari potest ab excommunicato denuntiato. 114.2
Vnctio extrema in articulo mortis ministranda est cum oleo alterius anni. ibid.
Vnctio extrema in casu licitè ministratur simul à duobus Sacerdotibus. ibid.
Vnctio extrema in quibus, & quot casibus ministrari possit vnica actione. 111.1
Vnctio extrema in quo differt ab Eucharistia. 113.1
Vnctio extrema maximè necessaria in casu. ibid.
Vnctio extrema ministranda est adulto in periculo mortis statim post Baptismum susceptum. ibid.
Vnctio extrema ministranda est in articulo mortis incidentibus in amentiam. 112.1
Vnctio extrema ministrari potest pestè laboranti, vngendo vnicum corporis sensum. 110.1.& seqq.
Vnctio extrema ministrari potest pestifero moribundo in virgula argentea oblonga, & hoc vnica actione attingente quinque sensus. 110.1
Vnctio extrema potest conferri moribundo tempore interdicti, quando non potest recipere Sacramentum Pœnitentiæ. 335.2
Vnctio extrema, si morbus sit diuturnus, iterari potest; secus si non sit diuturnus. 116.1
Vnctionis extremæ Sacramentum quo casu possit licitè peti ab excommunicato. 289.1
Vnctionem extremam eo casu potest excommunicatus ministrare quo suspensus. 111.1
Vnctionem extremam non tenetur Parochus tempore pestis cum periculo vitæ ministrare. 115.2
Vnctionem extremam quibus in casibus liceat portare sine lumine. ibid.1
ad Vnctionem extremam quæ quantitas olei sufficiat. 114.1
Vnctiones fieri sine cruce in casu necessitatis nihil obstat. ibid.2
in Vnctionibus singulis detúrne pars aliqua gratiæ. 110.2

VO

Vocalis *aliquis in Religione, vel Magister Nouitiorum non potest negare suffragium alicui propter peccatum confessum.* 341.2
ad Vomitum vsque comedẽs non peccat mortaliter. 408.2
Votum *paupertatis Equitum D. Ioannis laxius est, quàm paupertatis Regularium.* 240.2
Votum habens tempore Iubilæi, & nolens illud pro tunc sibi commutari, poterit nihilominus transacto Iubilæo petere illius commutationem, quam potest quilibet Cõfessor dare. 378.1
Votum materiæ leuis omittens per plures dies quando dicendus peccare mortaliter, quando venialiter. 181.2
in Voto datur paruitas materiæ. 174.2
in Voto, vel iuramento non bibendi vinum datur paruitas materiæ; quia non quæcumque vini potati quantitas est mortalis. ibid.
Item & in voto, vel iuramento non ludendi. ibid.
Vota plura violare eodem die de materia leui non est peccatum mortale. 182.1.& 2
Vota speciatim reseruata specialem postulant & expressam concessionem. 386.1
Vouens *votum materiæ leuis quando censetur annectere obligationem ad diem, & quando non?* 181.2
Vouere *non potest quis in materia leui sub obligatione lethali.* 180.1

VS

Vsurarius *omnis quomodo peccet.* 204.2.& seq.
in Vsura fortè datur materiæ paruitas. 172.1
Vsuras licet soluere sine scandalo. 206.2.& seq.

VV

Vulnerans *aliquem in propria diœcesi, vbi homicidium est prohibitum, etsi vulneratus moriatur in aliena, incurrit censuram.* 263.2
Vulneratus *lethaliter tenetur (nec aliter potest absolui) remittere odium contra inimicum, secus de remissione iniuriarum.* 119.2
Vulnus *lethale recipiens in platea, vnum peccatum dicendo absoluendus est, & post applicatam medicinam denuò absoluendus, facta tamen integra confessione.* 98.2.& seq.
Vxor *excommunicata, & maritus talis possunt simul communicare.* 304.2
Vxor non debet communicare cum marito excommunicato quando excommunicatio lata est causa matrimonij; aut ambo sunt diuortio separati; aut denique cùm communicatio est in his propter quæ excommunicatio lata est. 303.2
Vxor potest communicare cum marito excommunicato, nec peccat nisi in certis casibus. ibid.
Vxor potest dare eleemosynas filiis ex priori matrimonio indigentibus. 243.1
Vxor probabiliter potest vigesimam partem prouentuum inscio viro in eleemosynas distribuere. ibid.
Vxor sepelienda est in sepulchro viri, si aliud non elegit; & si duos viros habuit, in sepulchro vltimi. 121.1
Vxores, & filij possunt aliquando post mortem virorum, vel parentum ex bonis relictis tantum subtrahere, quantum ad honestam vitæ sustentationem sufficiet. 471.2.& seq.
Vxores in aliquibus casibus possunt facere eleemosynas. 242.2.& seq.
Vxores ingredientium Religionem compelluntur profiteri Religionem, Ordines assumentium non. 54.1

FINIS.

Stant.a Tod.a
Est. 52
Tab. 6
Num. 2

DIANA

Resolvtion Morales

4. Y. 5.

2906
A
2494